J. 9064
1.
3186160765

J 9064
1.

J 9064/1

VETERA MONUMENTA

SLAVORUM MERIDIONALIUM.

Opera eiusdem Auctoris.

ANNALES ECCLESIASTICI, quos post Caesarem S. R. E. Card. Baronium, Od. Raynaldum ac Iac. Laderchium presbyteros Congregationis Oratorii de Urbe ab anno MDLXIII. ad nostra usque tempora continuat Aug. Theiner &c. Romae 1856. III. Vol. fol. (Proprietas S. C. de Propaganda fide.) Venit scut. Roman. 18.

VETERA MONUMENTA HUNGARIAM SACRAM ILLUSTRANTIA maximam partem nondum edita ex tabulariis Vaticanis deprompta &c. Romae typis Vaticanis 1859. II. Vol. fol. Venit 100. fr. gall.

MONUMENTS HISTORIQUES RELATIFS AUX REGNES D'ALEXIS MICHAÉLOWITCH, FÉODOR III ET PIERRE LE GRAND CZARS DE RUSSIE, extraits des archives du Vatican et de Naples. Rome, imprimerie du Vatican 1859. I. Vol. fol. Prix 35 francs.

VETERA MONUMENTA POLONIAE GENTIUMQUE FINITIMARUM HISTORIAM ILLUSTRANTIA &c. Romae typis Vaticanis 1860. II. Vol. fol. Venit 100 fr. gall.

*** Volumen III. horum Monumentorum circa pascha praesentis anni in lucem prodibit.

CODEX DIPLOMATICUS DOMINII TEMPORALIS S. SEDIS — RECUEIL DE DOCUMENTS POUR SERVIR A L' HISTOIRE DU GOUVERNEMENT TEMPOREL DES ÉTATS DU SAINT-SIÈGE extraits des archives du Vatican. — Romae typis Vaticanis 1862. III. Vol. fol. Venit 120 fr. gall.

VETERA MONUMENTA

SLAVORUM MERIDIONALIUM

HISTORIAM ILLUSTRANTIA

MAXIMAM PARTEM NONDUM EDITA EX TABULARIIS VATICANIS

DEPROMPTA COLLECTA AC SERIE CHRONOLOGICA DISPOSITA

AB

AUGUSTINO THEINER

PRESBYTERO CONGREGATIONIS ORATORII, CONSULTORE SS. CONGREGATIONUM INDICIS LIBRORUM PROHIBITORUM, RITUUM, EPISCOPORUM ET REGULARIUM AC SANCTI OFFICII, COLLEGII THEOLOGORUM ARCHIGYMNASII ROMANI, ACADEMIAE PONTIFICIAE ARCHAEOLOGIAE, HERCULANENSIS ALIARUMQUE PLURIUM ACADEMIARUM SOCIO, TABULARIORUM VATICANORUM PRAEFECTO ETC. ETC.

122591

TOMUS PRIMUS

AB INNOCENTIO PP. III. USQUE AD PAULUM PP. III.

1198—1549.

ROMAE

TYPIS VATICANIS

1863.

J 9064/1

SLOVANSKÁ KNIHOVNA
3186160765

EXCELLENTISSIMO AC REVERENDISSIMO DOMINO

DOMINO JOSEPHO GEORGIO STROSSMAYER

BOSNENSI SEU DIACOVENSI ET SIRMIENSI EPISCOPO

PONTIFICIO SOLIO ASSISTENTI

COMITI ROMANO

ADMINISTRATORI APOSTOLICO PER PRINCIPATUM SERVIAE

S. C. ET R. A. MAJESTATIS INTIMO STATUS CONSILIARIO

COMITATUS DE VERÖCZE SUPREMO COMITI EMERITO

&c. &c. &c.

Excellentissime et Reverendissime Praesul!

Modestia sane praeclara et summa, qua omnes, Praestantissime Praesul, Te norunt exornatum et instructum, potissima causa est, cur a recensendis iis, quae tanta cum Tua laude ad augendum in grege Tibi commisso divinum cultum, ad dilatandum salvificam fidem, in construendo apud sedem Tuam episcopalem magnifico templo, in tuenda patriae libertate tum sacra tum civili peregisti, abstineam invitus quodammodo atque reluctans. Id aliis, qui Tecum sunt, Tuoque conspectu fruuntur, relinquo, ne hanc gloriae palmam ipsis ut importunus et molestus arripere velle videar. Unum tacere nec volo nec debeo, Te nimirum auspice, Te hortatore, Tuaque munificentia atque liberalitate opus hocce, clarissimo apud omnes nomini Tuo dicatum, in lucem prodire. Maxima semper voluptate mente complector, quae dum Romae ante tres annos ageres, intentus praecipue ad visitanda beatorum Petri et Pauli Apostolorum limina, ad explendum ardentissimum desiderium satisfaciendi devotioni Tuae et amori erga Pium IX. P. O. M. qui hodie Ecclesiam Dei tanta cum gloria omniumque laetitia et admiratione moderatur, quaeque postea in patriam reversus, humanissimis litteris mecum de hoc opere disseruisti et subtiliter et copiose. Quis est, qui consilio Tuo sanctissimo gravissimoque Monumenta historiam Slavorum Meridionalium illustrantia ex sanctioribus Vaticanis tabulariis eruendi, collectaque, servato ordine temporum, in omnium commodum typis excudendi maximos impertiri plausus haud velit? Qua in re de ecclesia, de eius fide, moribus et institutis, ac de patria ipsa optime meritus es. Mentem Tuam excelsam non aufugit, quam crassis occultata et circumfusa tenebris historia horum populorum latet, quantam penuriam monumentorum historicorum regiones istae ob frequentissimas incursiones immanium gentium barbararum, Turcicarum maxime patiuntur, quae omnia igni ferroque vastabant atque depopulabantur. Quid plura ratione huius operis in Tuam laudem proferam? Te unum, misera nostri temporis conditione inspecta, munificentiam regum ac principum felicioris aevi non solum aemulatum fuisse, sed et superasse merito dicere fas est. Et beatiorem Te illis praedicabo, cum Tu nullae vanae gloriae stimulo concitatus, sed uno fidei dilatandae flagrantissimo studio incensus, in ecclesiae ac patriae commodum, honorem et gloriam haec omnia perfeceris, Tibique apud nostrae aetatis omnes, apud posteros, maxime apud Tuos monumentum aere perennius exegeris. Quo opere denique, indulgeas, quaeso, ut audacter asseram, solemnia in memoriam millenariam sanctorum Cyrilli et Methodii, gentium Tuarum Apostolorum, quam hoc anno Ecclesia celebrat, vix opportunius et sanctius peragere et aeternitati commendare potuisti.

Ut pauca quaedam de consilio dicam, quod in hoc opere perficiendo institui, illud omnino ipsum est, quo in colligendis Hungaricis et Polonicis monumentis usus sum, quapropter ad ea, quae ibidem disserui, remitto. Veruntamen initium non ab Honorio PP. III., ut in utroque opere, sed ab Innocentio PP. III. sumpsi, eo in primis permotus, quod epistolarum ipsius volumina a viris clarissimis, Baluzio scilicet, Brequignio et Dutheil, et nuperrime a Mignio edita, vix prae manibus omnium sunt, ac multis mendis scatent: easdem litteras, Slavos respicientes, ad genuinam codicis originalis Vaticani lectionem contuli. Valde molestum est historiae cultoribus Regesta huius Pontificis annorum III. IV. (XVII.) XVIII. et XIX. omnino interiisse, et admodum mihi gratulor indicem harum litterarum, Rubricellae vulgo nuncupatae, inter Regesta Innocentii PP. VI. me reperiisse: ex quo omnino patet Regesta Innocentiana tempore Innocentii VI. in Avenionensibus Romanorum Pontificum tabulariis integra atque illibata adhuc extitisse. Operae sane pretium esse duxi hunc indicem exscribere et in medium proferre, cum idem argumenta litterarum deperditarum, quarum perplures ad Hungariam atque Slavoniam pertinent, breviter perstringat, et rebus ab Innocentio III. praeclare gestis magnam lucem afferat, ut quisque primo aspectu sibi persuaserit.

Innocentianis litteris eas praemisi, quas Alexander PP. III. ad Miroslavum Comitem Tacholinitanum dederat, quippe quae plane incognitae sunt et acta nefarii huius hominis, de quibus idem Pontifex in litteris ad Regem Hungariae conqueritur, apprime dilucidant.

Cum regiones, quas Slavi Meridionales inhabitant, maximam partem Hungariae Regibus perdiu parerent, monumenta huius temporis ad eosdem spectantia inter monumenta Hungarica eam ob rem a me iam relata in medium denuo proferre supervacaneum esse duxi, ne opus praeter necessitatem in nimiam molem protraherem. Multae et permagnae necessitudines, quae inter Hungaros et Slavos, utpote qui solum patriae fere coromune habent, intercedunt, me impulerunt, ut plura monumenta, ad Hungariam attinentia, tum in Tabulariis Vaticanis, tum Florentiae ac Neapoli posterius a me inventa atque detecta, monumentis Slavicis adderem, quod utrique operi in commune et maximum commodum cessurum omnino confido.

Non longius prosequor enarrare, cum id ratio operis non patitur, quam magnifice historia ecclesiastica Slavorum Meridionalium monumentis hisce locupletatur ac dilatatur. Id duntaxat commemorasse sufficit D. Farlatii Illyrico Sacro, operi nunquam satis laudando, omnes fere per partes maxima sane incrementa iisdem afferri, sive seriem episcoporum singularum sedium, sive tempus electionis eorum respicias. Quod quidem, ut reliqua taceam, de monasteriorum praepositis est dicendum. Vale itaque, Praestantissime Praesul, et fave.

Excellentissimae et Reverendissimae Dominationis Tuae

Romae in Epiphaniae Dñi pervigilio 1863.

Addictissimus famulus
AUGUSTINUS THEINER P. C. O.

ARGUMENTA.

EPISTOLA ALEXANDRI PP. III.

1181. 7. Iulii. Miroslavo comiti Tacholmitano pontifex mandat, ne libertatem ecclesiasticam in Dalmatiae partibus perturbet, utque archiepiscopo Spalatino pecuniam ablatam restituat. Nr. 1. pag. 1.

EPISTOLAE INNOCENTII PP. III.

1198. (...Mart.) Episcopo ot capitulo Traguriensi, ut P. presbyterum ab observatione monastici ordinis absolutum denuntient, ex eo quod cum gravi aegritudine laboraret, a quodam monacho indutus est habitu monachali. Nr. 2. pag. 2.

— 15. Iunii. Episcopo Ultrasilvano privilegium a Gregorio cardinali concessum pontifex confirmat. Nr. 3. p. 2.

— 3. Dec. Episcopo Farensi, ut cum aliquot canonicis Iadertinis Romam veniat causam suae translationis dicturus. Nr. 4. pag. 3.

— 22. „ Archiepiscopo Colocensi, ut monasterium s. Stephani de Keu reformet. Nr. 5. pag. 4.

— 22. „ Regi Hungariae, ut Slavos ad decimas archiepo Colocensi persolvendas compellat. Nr. 6. pag. 4.

— 22. „ Iudicibus, ut de electionibus archiepiscoporum Iadertini et Spalatini inquirant, si ipsos intrusos invenerint, excommunicatos publice nuntient. Nr. 7. pag. 4.

1199. 2. Ian. Pontifex Ioannem capellanum et Simonem subdiaconum suos atque apostolicae sedis legatos ad Vulcanum regem Dalmatiae et Diocleae mittit. Nr. 8. pag. 5.

— 2. „ Vulcano regi Dalmatiae et Diocleae, ut legatos apostolicos reverenter recipiat, et legationis officium exsequi permittat. Nr. 9. pag. 5.

— ..... Litterae praedicti Vulcani regis ad dominium papam, quibus se et regnum suum pontifici commendat, et hortatur, ut regi Hungariae de expellendis haereticis scribat. Nr. 10. pag 6.

— ..... Litterae magni Iupani totius Serviae, qui pontifici se offert atque commendat. Nr. 11. pag. 6.

— ..... Litterae Ioannis Diocliensis et Antibarensis archiepiscopi, quibus pontifici de transmisso pallio gratias agit, et quid legati apostolici in corrigendis moribus effecerunt, refert. Nr. 12. pag. 7.

— ..... Statuta praedictorum nuntiorum apostolicorum facta in partibus Dalmatiae et Diocleae, ne quis episcopus ordinibus conferendis pecuniam recipiat etc. Nr. 13. pag. 7.

— 12. Iulii. Iudicibus, ut de electione episcopi Farensis inquirant ot referant. Nr. 14. pag. 8.

— 14. „ Capitulo Spalatensi, curent, ne ecclesia Farensis detrimentum incurrat. Nr. 15. pag. 9.

— 7. Sept. Archiepiscopo Antibarensi, ut B. Suacensi episcopo homicidii accusato, qui dignitati episcopali renuntiaverat, de proventibus eius episcopatus provisionem assignandam curet. Nr. 16. pag. 9.

— 14. Dec. Episcopo Ultrasilvano, ne a sententia lata et re iudicata appellatur, sed iudex suspectus recusari possit. Nr. 17. pag. 10.

— ..... Nobili viro Ioannitio (cf. infra Nr. 26.), ut legatum apostolicum reverenter recipiat. N. 18. p. 11.

1200. 25. Ian. Magistro et fratribus militiae templi in Slavonia quamdam confinium compositionem cum monachis monasterii ss. Cosmae et Damiani initam pontifex confirmat. Nr. 19. pag. 11.
— 11. Oct. Regi Hungariae pontifex significat, quas poenas in haereticos constituerit, mandatque, ut eos et Culinum banum Bossinum haereticorum fautorem a regno expellat, et contra Nicolaum intrusum Iadertinum procedat. Num. 20. pag. 12.
— 14. „ Archiepiscopo Spalatensi pontifex mandat, ut Nicolaum quondam Farensem episcopum excommunicatum publice nuntiet. Nr. 21. pag. 13.
— 5. Dec. Archiepiscopo Antibarensi de falsis litteris apostolicis ei delatis, et de Dominico quondam Suacensi episcopo in arctam custodiam detrudendo. Nr. 22. pag. 13.
1202. ..... Capitulo Ragusino facultas eligendi alium archiepiscopum propter diutinam ultra quadriennium absentiam eorum archiepiscopi conceditur. Nr. 23. pag. 14.
— ..... Regi Hungariae de terra Meganipani (Magni Iupani) ad suum dominium revocata ad obedientiam Romanae ecclesiae plenius reducenda. Nr. 24. pag. 14.
— 21. Nov. B. Spalatensi archiepiscopo et I. capellano pontificio, ut de fide catholica in terra Culini bani Bossini inquirant, et reformanda reforment. Nr. 25. pag. 15.
— ..... Litterae Calojoannis domini Bulgarorum et Blachorum missae domino Innocentio PP. III. translatae de bulgarico in graecum et de graeco postea in latinum. Nr. 26. pag. 15.
— 27. Nov. Eidem Calojoanni ad superiorem epistolam pontifex respondet. Nr. 27. pag. 16.
— ..... Epistola Basilii archiepiscopi Zagorensis ad papam, qua eidem gratias agit. Nr. 28. pag. 17.
— 27. Nov. Basilio archiepiscopo de Zagora pontifex respondet. Nr. 29. pag. 17.
— ..... Epistola Bellotae principis, qua communionem cum ecclesia Romana expetit. Nr. 30. pag. 18.
— 27. Nov. Eidem Bellotae principi pontifex respondet. Nr. 31. pag. 18.
1203. 22. Mart. W. Meganippano Sorviae, ut ad catholicam fidem redeat, et obedientiam et reverentiam pontificis vice archiepiscopo Colocensi exhibeat. Nr. 32. pag. 18.
— 22. „ Archiepiscopo Colocensi super eodem argumento. Nr. 33. pag. 19.
— ..... Litterae Ioannis de Casamaris ad dominum papam, quibus rationem reddit legationis suae in regnum Bosniae etc. proponens, ut ibi novos episcopatus instituat. Nr. 34. pag. 19.
— 30. April. Monachi schismatici Bosnenses constitutiones ecclesiae Romanae servare se obligant. Nr. 35. p. 20.
— ..... Litterae Calojoannis domini Bulgarorum ad papam, qui se Romanae ecclesiae submittens diadema imperiale et patriarcham a pontifice petit. Nr. 36. pag. 20.
— 10. Sept. Basilio archiepiscopo de Zagora et Calojoanni domino Bulgarorum ad superiorem epistolam pontifex respondet. Nr. 37. pag. 21.
— ..... Litterae regis Hungariae ad papam, quibus notum ei facit Culinum banum, ne de caetero haereticos defendat, sub poena sese obligasse. Nr. 38. pag. 22.
1204. 25. Febr. Venetos ad resipiscendum et poenitentiam agendam de facinore, quod adversus Iaderam commiserant, pontifex hortatur. Nr. 39. pag. 22.
— 25. „ Calojoanni Bulgarorum regi privilegium pontifex concedit, ut Leo tit. s. Crucis presbyter card. apostolicae sedis legatus eum in regem ungat et coronet. Nr. 40. pag. 23.
— 25. „ Pontifex Basilium archiepiscopum Trinovitanum totius Bulgariae et Valachiae primatem constituit, illique privilegium huiusmodi per praedictum legatum mittit. Nr. 41. pag. 25.
— 25. „ Eidem pontifex significat ad suum mandatum episcopum Brandizuberensem esse inunotum, praecipitque, ut in posterum primas, metropolitani etc. sacram unctionem recipiant. Nr. 42. pag. 25.
— ..... Instrumentum, quo rex Bulgariae et Blachiae imperium sunm ecclesiae Rom. subiicit. N. 43. p. 27.
— ..... Basilius archiepiscopus Trinovitanus, cum se conferre voluissot ad sedom apostolicam, Dyrrachii impeditum sibi fuisse transitum, deinde a principe revocatum mense Septembri insignitum pallio fuisse pontifici scribit. Nr. 44. pag. 28.
— ..... Archiepiscopi Belesbudensis et Prostlavensis cum suis suffragancis a pontifice pallium petunt. Nr. 45. pag. 29.
— ..... Litterae Calojoannis, quibus idem ut in superiore epistola a pontifice petit. Nr. 46. pag. 29.
— ..... Archiepiscopis Belesbudensi et Prostlavensi pontifex pallium mittit. Nr. 47. pag. 30.
— ..... Regi Bulgarorum pontifex scribit, se cardinali legato mandasse, ut oum iniungat, regale sceptrum et diadema regium imponat etc. Nr. 48. pag. 30.
— ..... Primati, archiepiscopis, episcopis, clero et populo Bulgariae, ut legatum honorifice pertractent, et in devotione sedis apostolicae humiliter persistant. Nr. 49. pag. 31.
— ..... Forma, qua pallium archiepiscopis Bulgariae tradi debet. Nr. 50. pag. 31.
— ..... Forma iuramenti ab archiepiscopo Trinovitano praestiti. Nr. 51. pag. 32.
— ..... Praelatis et omnibus clericis et laicis Hungariae super reductione Bulgarorum pontifex scribit, exhortans, ut cardinalem legatum honorifice pertractent. Nr. 52. pag. 32.

1204. ..... Praelatis et universo clero Serviae de eodem argumento. Nr. 53. pag. 33.
— ..... Caloioanni regi Bulgarorum et Blachorum pontifex vexillum mittit. Nr. 54. pag. 33.
— 16. April. Episcopo Varadiensi et abbati de Petis, ut inquirant, an episcopatus in quibusdam ecclesiis graecis regni Hungariae sit instituendus. Nr. 55. pag. 33.
— (15. Sept.) H. Hungariae regem, quod in finibus Hungariae cardinali legato transitum in Bulgariam iniuriose impediverit, pontifex de tali errore emendando monet. Nr. 56. pag. 34.
— 15. „ Leoni card. legato responsum ad regis Hungariae querelas datum pontifex transmittit. N. 57. p. 35
— (... Oct.) Regi Hungariae gratulatur, quod legato transitum concesserit, hortaturque, ut eum benigne et honorifice tractet. Nr. 58. pag. 38.
— ..... Litterae ducis Venetorum ad papam, quibus de excisa Iadera se excusat, et de expugnata Constantinopoli rationem reddit etc. Nr. 59. pag. 38.
— ..... Litterae Caloioannis regis Bulgarorum ad papam, quibus ei legati adventum, a quo deinde coronam receperit, significat, et aliqua dona mittit. Nr. 60. pag. 39.
— ..... Litterae Basilii Bulgarorum primatis ad papam, quibus ei significat se a cardinale legato fuisse sacro chrismate inunctum. Nr. 61. pag. 39.
1205. 3. Maii. Archiepiscopo Colocensi de quodam episcopatu, qui in terra filiorum Beloknese esse dicitur, ad devotionem apostolicae sedis reducendo. Nr. 62. pag. 40.
— 5. Iunii. Litterae Henrici moderatoris imperii Constantinopolitani, quibus pontifici Balduinum imperatorem fratrem suum a Bulgaris captum fuisse, ac nuntios ad eum mittere significat. Nr. 63. pag. 40.
— ..... Caloioanni regi Bulgarorum et Blachorum, ut pacem cum Latinis ineat, et Balduinum imperatorem Constantinopolitanum, quem captivum tenet, libertati restituat. Nr. 64. pag. 42.
— ..... Henrico fratri imperatoris Constantinop., ut pacem cum rege Bulgarorum ineat. Nr. 65. pag. 42.
1206. 11. Ian. Patriarchae Aquileiensi facultas nniendi episcopatus Aemonensem et Iustinopolitanum conceditur. Nr. 67. pag. 43.
— 5. Aug. Venetos pontifex propter invasionem Iadertinam iterum reprehendit, et abbati s. Felicis, quem electum Iadertinum appellant, pallium denegat, et ad satisfactionem condignam exhibendam exhortatur. Nr. 66. pag. 42.
1207. 25. Maii. Regi Bulgarorum, ut pacem vel treugam cum Henrico imperatore Constantinopolitano et Latinis ineat. Nr. 68. pag. 44.
1208. 11. Iunii. Archiepiscopo Ragusino et archidiacono Traguriensi, ut excommunicationis sententiam in epum Nonensem latam irritam denuntient. Nr. 69 pag. 44.
1209. 16. Aug. Abbati s. Petri de Lingrarica et archidiacono Duraciensi, ut Demetrium iudicem Albanorum ad quasdam possessiones archiepo Duraciensi restituendas compellant. Nr. 70. pag. 45.
— 17. „ Michalicio Cuminiano Romanae, ut archiepiscopo Duraciensi bona eius ecclesiae pacifice possidere permittat. Nr. 71. pag. 45.
— 18. „ Episcopo Albanensi super eodem argumento. Nr. 72 pag. 45.
— 18. „ Paduano et Cenetensi episcopis etc. ut apud Venetos pro archiepiscopo Duraciensi intercedant. Nr. 73. pag. 45.
1211. 15. Iulii. Episcopo Ultrasilvanensi, ut electionem praepositi Sibinicensis confirmet. Nr. 74 pag. 46.
— 2. Aug. Patriarchae Gradensi et episcopo Castellanensi, ut si electionem archiepiscopi Duraciensis canonicam esse invenerint, eam confirment. Nr. 75. pag. 46.
1213. 19. Mart. Episcopo Veglensi de causa suae procurationis episcopalis. Nr. 76. pag. 46.
1200 — 1216. Rubricae sive argumenta litterarum Innocentii PP. III., pontificatus eius an. III. IV. XVIII. et XIX., quae deperierunt. Nr. 77. pag. 47.

EPISTOLAE HONORII PP. III.

1217. 25. Maii. Indicibus, ut epum Nonensem ad conspectui apostolico se praesentandum compellant. N. 78. p. 70.
1219. 25. Maii. Archidiacono et capitulo Iadartinis, ut nisi velint consentire, ut patriarcha Gradensis confirmet et consecret electum Iadertinum, ad curiam Rom. procuratores suos mittant. Nr. 79. pag. 71.
— 12. Nov. Patriarchae Gradensi, ut iure suo in confirmando et consecrando electo Iadertino utatur. N. 80. p. 71.
1221. 11. Febr. Eidem patriarchae, ut Tristensem (Tergestinum) episcopum, qui nuntios regis Hungariae ad sedem apostolicam adeuntes spoliaverat, ad curiam Romanam citet. Nr. 81. pag. 71.
— 17. Mart. Capitulo Iustinopolitano statutus XII. canonicorum numerus confirmatur. Nr. 82. pag. 72.
— 28. April. Capitulo Tergestino statutus XIII. canonicorum numerus confirmatur. Nr. 83. pag. 72.
— 4. Dec. G. archiepiscopo Spalatensi pallium conceditur. Nr. 84. pag. 72.
— 9. „ Epo Famagustano, ut praebendas vacantes, dissentientibus canonicis, conferre possit. N. 85. p. 72.
— 10. „ Eidem statutus VI. canonicorum numerus confirmatur. Nr. 86. pag. 73.
1226. 11. Iunii. Archiepo Spalatensi eiusque suffraganeis de Cacceclis Almesianis piratis poenitentibus. N. 87. p. 73.

EPISTOLAE GREGORII PP. IX.

1233. 23. Nov. Patriarchae Aquileiensi, ut electi Tergestini renuntiationem propter infirmitatem nomine pontificis recipiat. Nr. 88. pag. 73.
— 3. Dec. Archiepiscopo Iadrensi, ut episcopum Tragurienscm et quosdam alios suspensos ad adeundum apostolicam sedem compellat. Nr. 89. pag. 74.
— 10. „ Eidem, ut monasterium sancti Grisogoni Iadrense reformet. Nr. 90. pag. 75.
1237. 2. April. Iudicibus, ut de novo episcopatu in dioecesi Aquileiensi erigendo inquirant et referant. N. 91. p. 75.
1238. 27. Ian. Capitulo Polensi pontifex eorum electi confirmationem tandem concedit. Nr. 92. pag. 76.
1240. 30. Maii. Electo Iadrensi pallium mittitur. Nr. 93. pag. 76.
— 30. „ Electo Gradensi, ut praedicto electo Iadrensi pallium assignet. Nr. 94. pag. 76.

EPISTOLAE INNOCENTII PP. IV.

1247. 7. Iulii. Episcopo quondam Bosnensi magistro et fratribus ordinis Praedicatorum quoddam privilegium conceditur. Nr. 95. pag. 77.
— 11. „ Praelatis Slavoniae, Dalmatiae et Istriae, ut episcopo Arctino Marchiae Anconitanae rectori subveniant. Nr. 96. pag. 77.
1248. 7. Febr. Episcopo et capitulo Famagustanis, ut Nicolaum de Aldo in canonicum et fratrem recipiant. Nr. 97. pag. 77.
— 29. Mart. Episcopo Sceniensi (Segniensi) de quadam littera b. Hieronymi in divinis officiis observanda. Nr. 98. pag. 78.
1249. 30. April. Capitulo, clero et populo Spalatensis dioecesis, ut magistro Rogerio in eorum archiepiscopum praefecto obedientiam et reverentiam exhibeant etc. Nr. 99. pag. 78.
1250. 8. Aug. Archiepiscopo Antibarensi, ut episcopum Albaniae ad unitatem ecclesiae Romanae venire desideratem suscipiat, et solitum ab eo iuramento recipiat. Nr. 100. pag. 78.
— 16. „ Magistro Gualtero canonicatus Polensis confirmatur. Nr. 101. pag. 79.
1251. 18. Iulii. Episcopo Polensi, ut beneficia quorumdam clericorum inobedientium aliis idoneis conferre valeat. Nr. 102. pag. 79.
1252. 26. Ian. Episcopo Veglensi, ut fratribus monasterii s. Nicolai do Castro Muscla divina officia in lingua slavica secundum ritum Romanm celebrandi licentiam concedere possit. Nr. 103. pag. 79.
1253. 12. April. Suffraganeis, clero et populo ecclesiae Antibarensis Guffridum ord. fratrum Minorum in eorum archiepiscopum praefectum commendatur. Nr. 104. pag. 80.
— 17. „ Archiepiscopo Spalatensi, ut S. electum Sibinicensem confirmare possit. Nr. 105. pag. 80.
— 15. Iulii. Archiepiscopo Iadrensi, ut cum quibusdam muliere et viro de matrimonio contracto dispenset. Nr. 106. pag. 80.
— 10. Sept. Eidem, ut cum quibusdam aliis muliere et cive Iadrensibus de matrimonio contracto dispenset. Nr. 107. pag. 81.
1254. 5. Mart. Archidiacono Bononiensi, ut archiepiscopum Strigoniensem ad satisfaciendum quibusdam mercatoribus Senensibus de certa pecuniarum summa per censuras compellat. Nr. 108. pag. 81.
— 17. Nov. Episcopis Polensi, Petinensi et Iustinopolitano, ut electum Tergestinum propter electi Aquileiensis excommunicationem confirmare et consecrare possint. Nr. 109. pag. 82.

EPISTOLAE ALEXANDRI PP. IV.

1255. 21. Ian. Archiepiscopo Spalatensi, ut S. electum Sibinicensem confirmare valeat. Nr. 110. pag. 82.
— 13. Febr. Magistro Laurentio praeposito s. Irenei Syrmiensis villam Drasch ab episcopo ad vitam concessam pontifex confirmat. Nr. 111. pag. 83.
— 13. Mart. Episcopo Castellanensi, ut W. de Cocania ecclesiae Tergestinae in episcopum nomine pontificis praeficiat. Nr. 112. pag. 83.
— 24. April. Rectoribus et perpetuis vicariis ecclesiarum dioecesis Agriensis sententia et processus de decimis et obventionibus lata et habitus confirmatur. Nr. 113. pag. 84.
— 4. Iulii. Capitulo Tragurienti Columbanus ord. Minor. in episcopum praefectus annuntiatur. Nr. 114. p. 85.
1257. 8. Innii. Archiepiscopo Ragusino Venetiis commoranti et suis collegis, ut pro Matthaeo de S. Cassiano sententiam contra Marinum Danduli et episcopum Torcellanum latam oxsequantur. Nr. 115. p. 85.
1258. 9. Febr. Alexdrus, I. archiepō resignante, ecclesiae Ragusinae in archiepum praeficitur. Nr. 116. p. 86.
1259. 2. Maii. Magistro Andreae do Horto, nepoti archiepiscopi Antibarensis, quodam pensio ab episcopo Morinensi concessa confirmatur. Nr. 117. pag. 86.
— 25. Iunii. Ministro et vicario Slavoniae et guardiano ord. Minorum Iadrensi, ut monialibus s. Nicolai ord. s. Damiani quatuor fratres ad divina officia celebranda concedant. Nr. 118. pag. 87.

1260. 11. Iunii. Moniales monasterii s. Nicolai Iadrensis sub protectione sedis apostolicae cum omnibus bonis suis suscipiuntur, et quaedam iisdem privilegia conceduntur. Nr. 119. pag. 87.

EPISTOLAE URBANI PP. IV.

1264. 8. Ian. Epo Traguriensi, ut fratribus minoribus s. Francisci in sua civitate locum emat etc. N. 120. p. 80.
— 21. „ Archiepiscopo Iadrensi, ut cum Prestantio de Cotopagna et Stana de matrimonio contracto dispenset. Nr. 121. pag. 89.
— 28. Mart. Episcopo Concordiensi, ut inquirat in decanum Tergestinum et alios, qui fratribus Praedicatoribus iniurias intulerunt, et eos ad comparendum coram pontifice citet. Nr. 122. pag. 89.

EPISTOLAE CLEMENTIS PP. IV.

1267. 28. Febr. Primicerio s. Marci de Venetiis, ut episcopum Zagrabiensem ad satisfaciendum quibusdam mercatoribus Senensibus de certa pecuniae summa compellat. Nr. 123. pag. 90.
— 8. Iulii. Archiepiscopo Ravennati in Aquileiensi et Gradensi patriarchatibus, ac in Ragusina, Ravennate, Mediolanensi et Ianuensi civitatibus et dioecesibus etc. legati officium committitur. N. 124. pag. 91.
— 11. „ Praelatis praedictarum provinciarum super eodem argumento. Nr. 125. pag. 92.
— 17. Sept. Walasco epo Famagustano in epum Egitaniensem electo super sua translatione. Nr. 126. p. 92.

EPISTOLAE IOANNIS PP. XXI.

1276. 5. Dec. Salvius episcopus Tribuniensis ad sedem archiepiscopalem Ragusinam transfertur. Nr. 127. p. 93.
1277. 11. Mart. Ioannes ecclesiae Traguriensi in episcopum, Columbano episcopo renuntiante, praefectus clero et populo Traguriensi commendatur. Nr. 128. pag. 94.

EPISTOLAE NICOLAI PP. III.

1278. 27. Ian. Procuratoribus praepositi ecclesiae Transilvanae et episcopi Vesprimiensis terminus in causa electionis Strigoniensis peremptorius assignatur. Nr. 129. pag. 95.
1279. 9. Dec. Philippus ex ordine Minorum ecclesiae Ragusinae praeficitur in archiepiscopum. Nr. 130. pag. 96.

EPISTOLAE MARTINI PP. IV.

1281. 23. Dec. Bonaventura de Parma ord. fratrum Minorum ecclesiae Ragusinae praeficitur in archiepiscopum,
1282. 14. Mart. et pallium ei conceditur. Nr. 131. pag. 97.
— 22. Nov. Michael canonicus Catharensis ecclesiae Antibarensi in archiepiscopum praeficitur. Nr. 132. p. 98.
1283. 6. April. Archiepiscopo Iadrensi, ut in Galvanum ord. Praedicatorum, qui episcopatum Scardonensem sine suorum superiorum licentia acceperit, inquirat, eum suspendat etc. Nr. 133. pag. 99.
1284. 17. April. Eidem archiepiscopo, ut praedictam fr. Galvanum ob supradictam et alias causas excommunicatum nuntiet, et iterum ad comparendum coram pontifice citet. Nr. 134. pag. 99.
— 13. Iunii. Archiepiscopo Ragusino, ut hac vice Tribuniensi et Stagnensi ecclesiis de episcopis provideat, quae tanto tempore vacaverint, ut secundum generalis statuta concilii earum provisio ad sedem apostolicam sit devoluta. Nr. 135. pag. 100.

EPISTOLAE HONORII PP. IV.

1285. 25. Maii. Honorius PP. IV. archiepiscopo Antibarensi et aliis praelatis per Slavoniam constitutis suam ad summum apostolatum promotionem notam facit. Nr. 136. pag. 101.
1286. 11. Mart. Archiepiscopo Ragusino, ut iuxta Martini IV. litteras (vide supra Nr. 135.) ecclesiis Tribuniensi et Stagnensi de episcopis provideat. Nr. 137. pag. 103.

EPISTOLAE NICOLAI PP. IV.

1288. 18. Aug. Duci et communi Venetorum, ut patriarchae et ecclesiae Aquileiensi atque episcopo et civibus Tergestinis castra et alia bona in Istria etc. ablata restituant, et suos stipendiarios revocent. Nr. 138. pag. 103.
— 18. „ Archiepiscopo Ragusino, ut Venetos ad praedicta exsequenda inducat, vel per censuras ecclesiasticas compellat. Nr. 139. pag. 104.
— 5. Sept. Abbati s. Michaelis de Peclina, ut episcopum Catharensem ob iniurias fratribus Praedicatoribus illatas ad se coram pontificem personaliter praestandum citet. Nr. 140. pag. 105.
— 26. „ Episcopo Nonensi eiusque collegis, ut electos Morinenses et alios circa ius eligendi dissentientes ad se coram pontifice repraesentandum citent. Nr. 141. pag. 105.
— 1. Oct. Archiepiscopo Ragusino, ut se Pataviam conferens potestatem et alios quaedam statuta clero contraria revocanda inducat vel compellat. Nr. 142. pag. 106.

1290. 8. Mart. Lambertus ex ord. fratrum Minorum ecclesiae Veglensi praeficitur in episcopum. Nr. 143. p. 107.
— 13. Aug. Episcopo Polensi super praeficiendo Leone monacho s. Michaelis in abbatem. Nr. 144. pag. 108.
— 4. Sept. Episcopo Veglensi, ut nonnullos clericos propter certos excessus censuris ecclesiasticis plectos absolvat. Nr. 145. pag. 108.
— 13. Dec. Archiepiscopo Antibarensi, ut cum Matthaeo de Dulcinio diacono, de cuius natalibus dubitatur, ad presbyteratum et beneficium obtinendum dispenset. Nr. 146. pag. 108.
1291. 12. Febr. Ioanni ord. Minorum professorem ecclesiae Iadrensi praeficitur in archiepiscopum. N. 147. p. 109.
— 1. Mart. Archiepiscopo Antibarensi, ut ecclesiae Sardanensi (Sardensi) de episcopo hac vice provideat. Nr. 148. pag. 109.
— 23. „ Eidem, ut cum Drasingone de Chersio et Gruba de Arbo de matrimonio contracto dispenset. Nr. 150. pag. 110.
— 26. „ Episcopo Absarensi, ut cum Matthaeo et Draga de matrimonio contracto dispenset. N. 149. p. 110.
— 31. „ Marino Petro Czarae conceditur, ut cum archidiaconia Antibarensi ecclesiam s. Marci tenere valeat. Nr. 151. pag. 110.
— 11. Iunii. Archiepiscopo Antibarensi, ut de necelecto in civitate Savae destructa inquirat, et eum confirmare et consecrare possit. Nr. 152. pag. 111.
— 27. „ Eidem, ut ecclesiae Sardanensi hac vice de episcopo provideat. Nr. 153. pag. 111.

EPISTOLAE BONIFACII PP. VIII.

1295. 10. Oct. Ioanni archiepiscopo Iadrensi, ut ecclesiae Absarensi de aliquo fratre ord. Minorum provideat in episcopum. Nr. 154. pag. 112.
1296. 21. Iulii. Lambertus episcopus Veglensis vicarius papae in Urbe constituitur. Nr. 155. pag. 112.
1297. 10. Maii. Petrus ex ordine Minorum ecclesiae Spalatensi in archiepum praeficitur. Nr. 156. pag. 113.
— 21. „ Eidem electo Spalatensi conceditur, ut ab archiepiscopo Neapolitano vel a quocumque alio epo catholico consecrationis munus accipere possit. Nr. 157. pag. 113.
— 17. Iunii. Ioannes archiepiscopus Iadrensis transfertur ad ecclesiam Tranensem. Nr. 158. p. 113.
— 18. „ Henricus de Tuderto ord. Min. ecclesiae Iadrensis in archiepiscopum praeficitur. Nr. 159. p. 114
— 20. „ Primicerio s. Marci de Venetiis, ut Marinum Buduarium rectorem Venetum in civitate Iustinopolitana a vinculo excommunicationis absolvat. Nr. 160. pag. 115.
— 18. Oct. Henrico archiepo Iadrensi, ut pallio sibi tradito infra ecclesiam suam utatur. Nr. 161. pag. 115.
1298. 18. Maii. Petro electo Spalatensi conceditur pallium. Nr. 162. pag. 115.
— 18. „ Traguriensi et Pharensi episcopis, ut pallium archiepiscopo Spalatensi assignent. Nr. 163. p. 116.
1299. 18. Iunii. Iacobus ord. Minorum professor ecclesiae Iadrensi in archiepum praeficitur. Nr. 164. pag. 116.
— 1. Iulii. Eidem pallium conceditur. Nr. 165. pag. 116.
— 3. „ Eidem, ut nonnullos clericos et laicos incursis censuris absolvere possit. Nr. 166. pag. 117.
— 3. „ Eidem conceditur, ut ab universo suae dioecesis clero ad ecclesiae suae onera relevanda moderatum subsidium exigere possit. Nr. 167. pag. 117.
1301. 21. Iunii. Martinus electus in archiepiscopum Antibarensem a pontifice confirmatur. Nr. 168. pag. 117.
1302. 31. Ian. Episcopo Tergestino, ut propter iniurias monialibus ord. s. Clarae et fratribus Minoribus Tergestinis illatas coram pontifice compareat. Nr. 169. pag. 118.

EPISTOLAE BENEDICTI PP. XI.

1303. 18. Nov. Marino archiepo Antibarensi, ut restitutionem Stephani epi Scutarensis recipiat. Nr. 170. p. 120.
1304. 31. Mart. Priori fratrum Praedicatorum in Hungaria de mittendis fratribus in Albaniam et alias provincias. Nr. 171. pag. 120.
— 31. „ Eidem priori, ut quosdam cives Ragusinos, qui merces prohibitas Alexandriam portaverunt, absolvat. Nr. 172. pag. 121.
— 31. „ Indulgentiae ad fabricam ecclesiae s. Dominici Ragusinae perficiendam conceduntur. N. 173. p. 122.
— 4. April. Episcopis Parentino et Veglensi, ut quosdam canonicos Polenses, instante episcopo, ad comparendum coram pontifice citent. Nr. 174. pag. 122.

EPISTOLAE CLEMENTIS PP. V.

1307. 25. Febr. Andreas ord. Min. professor ecclesiae Antibarensi in archiepum praeficitur. Nr. 175. pag. 123.
— 25. „ Urosio regi Serviae Andreas archiepiscopus Antibarensis commendatur. Nr. 176. pag. 124.
— 15. Sept. Petro archidiacono Antibarensi, ut plura beneficia sibi in provincia Antibarensi conferantur. Nr. 177. pag. 124.
— 1. Nov. Patriarchae Gradensi et epo Castellanensi, ut contra quosdam canonicos (vide supra Nr. 174.) et magistratum Polenses, qui eorum epo iniurias etc. irrogarunt, rigorose procedant. N. 178. p. 125.

1307. 24. Dec. Benedictus, Gregorio episcopo resignante, ecclesiae Suacinensi praeficitur in eŏum. Nr. 179. p. 126.
1308. 19. Mart. Hugo episcopus Arborensis ad ecclesiam Polensem transfertur. Nr. 180. pag. 127.
— 1. April. Urosio regi Rasciae unionis causa cum ecclesia Latina inoundae symbolum fidei catholicae etc. pontifex transmittit, petitque, ut benigne recipiat et audiat nuntios apostolicos. Nr. 181. p. 127.
— 1. „ Gregorio do Catharo et Henrico do Arimino ex ord. Minor. et Praedicat. indulgetur, ut cum sociis morari possint apud praedictum regem Rasciae. Nr. 182. pag. 130.
1311. 22. Iunii. Archiepiscopo Iadrensi committitur, ut banum et populum Croatiae a quadam excommunicationis sententia absolvat. Nr. 183. pag. 130.
1312. 7. Iulii. Bartholomaeus diaconus Tranensis ecclesiae Ragusinae in archieŏum praeficitur. Nr. 184. p. 131.
— 31. „ Nicolaus ex ord. Praedicat. ecclesiae Iadrensi in archiepiscopum praeficitur. Nr. 185. pag. 131.
— 19. Aug. Bartholomaeo electo Ragusino indulgetur, ut presbyteratum et munus consecrationis a quocumque maluerit antistite catholico recipere possit. Nr. 186. pag. 132.
— 28. „ Nicolao archiepiscopo Iadrensi pallium conceditur. Nr. 187. pag. 132.

EPISTOLAE IOANNIS PP. XXII.

1317. 8. Iulii. Benedictus episcopus Suacinensis ad ecclesiam Ragusinam transfertur. Nr. 188. pag. 133.
— 19. Nov. Petrus ex ord. Praedicat. ecclesiae Ragusinae in archiepiscopum praeficitur. Nr. 189. pag. 133.
1318. 16. Iulii. Zacharias ex ord. Praedicat. ecclesiae Suacinensi in episcopum praeficitur. Nr. 190. pag. 134.
— 20. Aug. Iudicibus, ut de concessione cuiusdam monasterii fratribus Minoribus Traguriensibus facta se informent et pontifici referant. Nr. 191. pag. 135.
1319. 18. Iulii. Cum Stephano quondam Stephani bani Bosnensis et filia comitis de Ortenburg de matrimonio inoundo dispensatur. Nr. 192. pag. 135.
— 19. Sept. Archiepiscopo Ragusino eiusque collegis, ut archiepiscopum Antibarensem ad comparendum coram pontifice citent. Nr. 193. pag. 135.
1317 — 1320. Liber computi Rufini de Civinio collectoris in Hungaria fructuum primi anni beneficiorum vacantium, et residuum procurationum quondam Gentili cardinali legato debitarum. Nr. 194. pag. 136.
1321. 23. Mart. Cum Nicolao de Mentio et Rosa Martii Lucari civibus Ragusinis dispensatur, ut matrimonium in quarto consanguinitatis gradu contrahere possint. Nr. 195. pag. 151.
1322. 10. Ian. Laurentius ord. Minorum professor ecclesiae Ragusinae in archieŏum praeficitur. N. 196. p. 152.
— 17. Mart. Ioanni electo Iadrensi, examinata eius electione etc., pallium pontifex concedit. Nr. 197. p. 152.
— 17. „ Segniensi et Nonensi episcopis committitur, ut pallium assignent eidem archiepiscopo Iadrensi, et ab eo solitum iuramentum recipiant. Nr. 198. pag. 153.
— 4. Oct. Laurentio electo Ragusino conceditur, ut a quocumque maluerit antistite catholico consecrationis munus recipere valeat. Nr. 199. pag. 154.
1323. 28. Febr. Nicolaus ord. Heremitarum professor ecclesiae Drivastensi in eŏum praeficitur. Nr. 200. p. 154.
— 18. Mart. Eidem Nicolao episcopo conceditur licentia a curia recedendi. Nr. 201. pag. 155.
1324. 31. Ian. Archiepiscopi Antibarensis et Ragusinus et episcopus Traguriensis conservatores Dompnio Catharensi episcopo dantur. Nr. 202. pag. 155.
— 16. Maii. Thomae canonicus Asculanus ecclesiae Ragusinae in archieŏum praeficitur. Nr. 203. pag. 156.
— 2. Iunii. Episcopo Castellanensi, ut duos canonicos Tergestinos et eorum sequaces propter excessus in inquisitorem haereticae pravitatis commissos ad comparendum coram pontifice citet. N. 204. p. 157.
— 7. Iulii. Gregorio episcopo Feltrensi committitur administratio ecclesiae Tergestinae. Nr. 205. pag. 157.
— 18. „ Thomae electo Ragusino conceditur, ut munus consecrationis a quocumque maluerit antistite catholico recipere possit. Nr. 206. pag. 158.
— 26. Oct. Guillelmus olim eŏus Soltaniensi ecclesiae Antibarensi in archieŏum praeficitur. Nr. 207. p. 158.
1325. 18. Ian. Eidem archiepiscopo Antibarensi conceditur pallium. Nr. 208. pag. 159.
— 1. Mart. Cum Thoma electo Ragusino dispensatur, quod infra tempus a iure statutum se consecrari non fecerit, et conceditur, ut a quocumque maluerit antistite catholico consecrari possit. N. 209. p. 159.
— 12. Maii. Nicolao de Casocto providetur de primiceriatu maioris ecclesiae Traguriensis, et do ecclesiis beatae Mariae de Platea Traguriensi et sancti Ioannis de Campobing. Nr. 210. pag. 160.
— 24. Iunii. Indicibus mandatur, ut Stephanum episcopum Farensem spoliatum restituant ad administrationem, et audiant eius causam. Nr. 211. pag. 161.
— 21. Dec. Thomae electo Ragusino mittitur pallium. Nr. 212. pag. 162.
— 21. „ Tribuniensi et Catharensi episcopis, ut assignent pallium praedicto electo Ragusino. N. 213. p. 162.
1326. 7. Iulii. Andreas cantor Agriensis ecclesiae Scardonensi in eŏum praeficitur. Nr. 214. pag. 162.
1327. 7. Iulii. Bonoioanni episcopo Veglensi administratori in spiritualibus et temporalibus, ac abbati et conventui monasterii Farfonsis Sabinensis dioecesis mandatur, ut Angelo et Romano Ricardi de Iaquinto clericis de Urbe certas terras sub censu consueto concedant. Nr. 215. pag. 163.

1327. 25. Sept. Guillelmus episcopus Sagonensis ad ecclesiam Tergestinam transfertur. Nr. 216. pag. 164.
1328. 31. Iulii. Eidem Guillelmo licentia datur quingentos florenos auri mutuo contrahendi. Nr. 217. pag. 164.
— 10. Oct. Sergius canonicus Catharensis praeficitur ecclesiae Catharensi in episcopum. Nr. 218. pag. 165.
— 21. Nov. Dominico archiepiscopo Spalatensi conceditur, nt in sua Spalatensi ecclesia alicui idonco canonicatum cum praebenda hac vice conferre possit. Nr. 219. pag. 166.
— 21. „ Eidem conceditur, nt omnia beneficia, quae ante suam promotionem obtinobat, aliquibus idoneis possit conferre. Nr. 220. pag. 167.
— 21. „ Eidem conceditur, ut do ecclesia sancti Mauri de Insulabove Traguriensis dioecesis vacante possit alicui idoneo providere. Nr. 221. pag. 168.
— 21. „ Eidem licentia testamentum condendi conceditur. Nr. 222. pag. 169.
— 21. „ Eidem conceditur, nt confessor somel in mortis periculo possit ei dare plenam omnium peccatorum absolutionem. Nr. 223. pag. 169.
— 3. Dec. Guido abbas s. Mariae Vangadicensis ecclesiae Polensi in episcopum praeficitnr. Nr. 224. p. 169.
— 12. „ Sergio episcopo Catharensi conceditur, ut archidiaconatum Catharensem et alia beneficia ecclesiastica, quae suae promotionis tempore obtinebat, quibusdam idoneis possit conferre. N. 225. p. 170.
— 12. „ Idem Sergius vita sua durante et ecclesia Catharensis a iurisdictione archiepiscopi et capituli Barensis eorumque officialium eximuntur. Nr. 226. pag. 171.
— 12. „ Archiopiscopi Antibarousis ot Ragusinus et episcopus Farensis dantur conservatores eidem Sergio super exemptione ipsi concessa a iurisdictione archiepi et capituli Barensis. Nr. 227. pag. 172.
1329. 20. Mart. Stephano olim episcopo Farensi committitur administratio monasterii sancti Petri extra muros Arbenses, quod in patriarchatu Gradensi consistit. Nr. 228. pag. 172.
— 25. Oct. Exsecutoribus mandatur, ut Bartholomaeo de Cadubrio, clerico Aquiloiensis dioecesis, provideant do canonicatu et praebenda ac enstodia ecclesiae Tergestinae vacantibus. Nr. 229. pag. 173.
— 22. Nov. Episcopo Ostiensi sedis apostolicae legato, ut inquirat in archiepiscopum Iadrensem, qui ab inquisitione haereticae pravitatis Martinum abbatem et Franciscum monachum monasterrii ss. Cosmae et Damiani tamquam de haeresi suspectos captos violoutor abstulerit. Nr. 230. pag. 174.
— 22. „ Eidem, ut Francischinum de Papia compellat ad restituendos praedicto inquisitori liberos, pecunias et alia bona ablata. Nr. 231. pag. 175.
— 1. Dec. Imperatori Trepesundarum et aliis regibus et principibus illarum partium, nt ipsi et eorum subditi se convertant ad fidem catholicam, et fratres Praedicatores ac Minores, et praecipue fratrem Bernardum de Gardiola eþm Diagorganonsem habeaut recommeudatos. Nr. 232. pag. 175.
— 1. „ Universis christianis habitautibus in montibus Caspiis per Bernardum de Gardiola episcopum Diagorganensem et fratres Predicatores fidem catholicam pontifex mittit. Nr. 233. pag. 176.
— 1. „ Omues ad fidem catholicam conversi et catholici christiani habitantes inter infideles ot schismaticas nationes in partibus Aquilonis et etiam Orientis moueutur et rogantur, et Bernardum de Gardiola episcopum Diagorganeusem et fratres Praedicatores benigno recipiant et audiant. Nr. 234. pag. 176.
1330. 18. Maii. Pax do Vedano ex ord. Praedicatorum ecclesiae Tergestinae in oþm praeficitur. N. 235. p. 177.
— 1. Iunii. Iudicibus, ut universitatem civitatis Catharensis et capitulum Catharense in causa Sergii episcopi interdictos et excommunicatos denuntient et denuntiari faciant, uisi infra certum tempus mandatis apostolicis curaverint obedire. Nr. 236. pag. 178.
— 1. „ Universitati civitatis Catharensis mandatur sub poenis excommunicatiouis et interdicti, ut Sergium in eorum episcopum admittant, et dictum statutum annullent. Nr. 237. pag. 179.
— 1. „ Capitulo ecclesiae Catharensis id ipsum mandatur sub poena excommunicationis in singulares, suspensionis in capitulum et interdicti in ecclesiam. Nr. 238. pag. 180.
— 1. „ Urosius rex Rasciae rogatur, ut dictum Sergium in episcopum ecclesiae Catharensis recipi faciat. Nr. 239. pag. 181.
1331. 10. Ian. Nicolao nato Mikeli bani totius Slavouiae de canonicatu et praebenda in ecclesia Agriensi vacaturis providetur. Nr. 240. pag 181.
— 15. April. Sergius episcopus Catharensi ad ecclesiam Polensem transfertur. Nr. 242. pag. 183.
— 15. „ Raymundo Agouti de Clareto ecclesiae Catharensi praeficitur in episcopum. Nr. 243. pag. 184.
— 30. „ Nicolao quondam Douati de Tragurio canonicatus et praebeuda in ecclesia Traguriensi, quos Lampredius episcopus tempore suae promotionis habebat, conferuntur. Nr. 241. pag. 182.
— 31. Maii. Eidem electo Catharensi conceditur, ut a quocumque maluerit antistite catholico consecrationis munus recipere valeat. Nr. 244. pag. 185.
— 31. „ Ioanni s. Theodori cardinali apostolicae sedis legato, ut universitatem et clerum civitatis Catharensis absolvat a sententiis in eos latis, instante Sergio nunc Polensi olim Catharensi episcopo. Nr. 245. pag. 185.

1331. 24. Sept. Thomas ex ord. Praedicatorum ecclesiae Dulcinensi praeficitur in episcopum. Nr. 246. pag. 186.
1332. 3. Innii. Bonifacius ex ord. Minorum (episcopus Sulcitanus) constituitur epus Corbaviensis. N. 247. p. 187.
1333. 10. Sept. Nicolaus de Mathafaris ecclesiae Iadrensi in archiepiscopum praeficitur. Nr. 248. pag. 188.
— 13. „ Eidem Nicolao conceditur, nt provisio de ipso facta ad archiepiscopatum Iadrensem, non obstante defectu ordinum, habeat robur et firmitatem etc. Nr. 249. pag. 189.
1334. 17. Aug. Thomas episcopus Dulcinensis transfertur ad ecclesiam Catharensem. Nr. 250. pag. 189.
— 17. „ Gratias de Aquila ex ordine Minorum ecclesiae Dulcinensi in epum praeficitur. Nr. 251. p. 190.
— 9. Sept. Eidem Gratiae datur licentia ad dictam ecclesiam Dulcinensem se conferendi. Nr. 252. pag. 190.

EPISTOLAE BENEDICTI PP. XII.

1336. 10. Febr. Episcopo Traguriensi, nt cum Barone Silvestri cive Traguriensi et Margarita muliere Spalatensi super matrimonio contracto dispenset. Nr. 253. pag. 191.
— 17. Aug. Iudicibus committitur, ut de qnaestione (vide supra pag. 178—181 et 185.), qnae vertitur inter Marinum Domanha et civitatem officialesque Catharenses, faciant iustitiae complementum. Nr. 254. pag. 191.
— 10. Dec. Universis fidelibus visitantibus ecclesiam Iustinopolitanam indulgentia conceditur. N. 255. p. 193.
1337. 11. Ian. Episcopo Iustinopolitano, ut Gnidoni nato Leonardi Nixae canonicatum in ecclesia s. Georgii de Pirano suae dioecesis conferat. Nr. 256. pag. 193.
— 20. „ Episcopo Scardonensi, ut cum Ioanne de Briberio et Catharina sorore Mladini comitis Clisiae super matrimonio contrahendo dispenset. Nr. 257. pag. 194.
— 22. April. Paci episcopo Tergestino, nt infra certum terminum cum processibus per eum habitis contra Matthaeum de Vicecomitibus Mediolanensem et qnosdam alios veniat ad apostolicam sedem. Nr. 258. pag. 194.
— 22. Iunii. Archiepiscopo Iadrensi, nt relaxet interdictum, cui subiaceat monasterium s. Nicolai Iadrense, et monialos ab excommunicationis sententia in eas propter decimam non solutam lata absolvat. Nr. 259. pag. 195.
1338. 6. Ian. Indicibus, ut Ioannem episcopum Signensem in possessionem episcopatus et bonorum ipsius inducant, amotis detentoribus quibuscumque, ipsique obedientiam faciant ab eius subditis exhiberi. Nr. 260. pag. 195.
— 7. „ Archiepiscopo Spalatensi, nt Ioannem episcopum Signensem tanquam sunm suffraganeum benigne recipiat et pertractet, ipsique faciat ab omnibus eius subditis debitam reverentiam et obedientiam exhiberi, Bernardo intruso amoto. Nr. 261. pag. 198.
— 7. „ Mandatur clero et populo civitatis et dioecesis Signensis, ut monitis et mandatis eiusdem Ioannis episcopi obediant, et ab obedientia Bernardi intrusi resiliant. Nr. 262. pag. 198.
— 15. April. Iudicibus, ut Lampredium episcopum Traguriensem ad sedem apostolicam citent. N. 263. p. 199.
1341. 17. Dec. Ioannes Zaulini canonicus Aquileiensis Antibarensi ecclesiae praeficitur in archiepiscopum. Nr. 264. pag. 201.
1342. 9. Ian. Ioanni archiepiscopo Antibarensi licentia se ad suam ecclesiam transferendi datur. N. 265. p. 202.
— 18. Febr. Helias de Saracha canonicus Ragusinus ecclesiae Ragusinae praeficitur in archiepum. N. 266. p. 202.
— 18. Mart. Eidem Heliae archiepiscopo Ragusino datur licentia ad suam ecclesiam accedendi. Nr. 267. p. 203.

EPISTOLAE CLEMENTIS PP. VI.

1342. 30. Iunii. Desae Andreae archidiacono Spalatensi committitur administratio in spiritualibus et temporalibus ecclesiae Traguriensis, suspenso prius ab eadem administratione Lampredio epo Traguriensi per Talayrandum cardinalem propter contumaciam aliasque transgressiones. Nr. 268. pag. 203.
— 26. Iulii. Episcopo Paduano mandatur, ut Valentinum episcopum Mucarensem, qui per archiepiscopum Spalatensem castro Almisiensi et aliis locis fuerit spoliatus, ad eadem restituat auctoritate apostolica. Nr. 269. pag. 206.
1343. 14. Maii. Gualterius, abbas monasterii s. Laurentii de Monte ordinis s. Benedicti dioecesis Sanctae Agathae, constituitur abbas monasterii s. Michaelis de Monte Polensis dioecesis. Nr. 270. pag. 207.
— 27. Oct. Sergius canonicus ecclesiae Catharensi praeficitur in episcopum. Nr. 271. pag. 208.
— 27. „ Stephano regi Rasciae idem episcopus et ecclesia Catharensis commendantur. Nr. 272. pag. 209.
— 11. Nov. Patriarcha Aquileiensis et episcopi Concordiensis et Polensis dantur conservatores episcopo Tergestino. Nr. 273. pag. 209.
1344. 6. Febr. Bonifacius episcopus Tribuniensis ad ecclesiam Sibinicensem transfertur. Nr. 274. pag. 210.
— 13. Iunii. Ad petitionem Laurentii episcopi Bosnensis declaratur, concessionem factam fratribus Minoribus de certis decimis a subditis Stephani bani Bosuensis percipiendis ad decimas per Bosnenses epos recipi solitas non extendi. Nr. 275. pag. 211.

1344. 7. Iulii. Episcopo Tergestino mandatur, ut dues idoneos, ques Hugo cardinalis s. Laurentii in Damaso duxerit nominandos, unum videlicet in s. Leonis in canonicum, alterum in sancti Mansueti extra muros Tullenses monasteriis s. Augustini et s. Benedicti ordinum in monachum recipi faciat et in fratres. Nr. 276. pag. 212.

— 27. „ Nicolao quondam Donati de Tragurio archidiacono Tolnensi fructus per eum indebite percepti ex primiceriatu Traguriensi remittuntur, et ut dictum primiceriatum dimittat. Nr. 277. pag. 212.

— 18. Nov. Iudicibus mandatur, ut Martinum abbatem monasterii ss. Cosmae et Damiani Iadrensis dioecesis ab episcopatu Sibinicensi auctoritate apostolica ameveant, et Bouifacium episcopum Sibinicensem in eius possessionem inducant. Nr. 278. pag. 213.

1345. 12. Ian. Michael abbas monasterio ss. Cosmae et Damiani de Monte Iadrensis dioecesis praeficitur in abbatem. Nr. 279. pag. 214.

1346. 6. Ian. Stephano regi Rasciae, ut Sergio episcopo Catharensi quaedam monasteria, ecclesias, insulas et villas pacifice dimittat. Nr. 280. pag. 215.

— 7. „ Ludovico regi Hungariae, ne Sergium episcopum Catharensem circa perceptionem decimarum et gubernationem quorumdam castrorum molestet, neque ab aliquo molestari permittat. N. 281. p. 216.

— 7. „ Stephano bano Bosnensi de eodem argumento. Nr. 282. pag. 216.

— 31. Iulii. Patriarchae Aquileiensi mandatur, ut in causa, quae vertitur inter Valentinum episcopum Mucarensem et Dominicum archiepum Spalatensem, faciat iustitiae complementum. Nr. 283. p. 217.

— 19. Dec. Marco episcopo Scutarensi ecclesia s. Sergii et medictates s. Abrahae ac s. Stephani ecclesiarum Antibarensium, quousque bona sui episcopatus recuperaverit, conceduntur. Nr. 284. pag. 218.

— 19. „ Eidem conceditur, ut s. Sergii ecclesiam et s. Abrahae et s. Stephani ecclesiarum medietas praedictas, cum bona sui episcopatus recuperaverit, singulis idoneis valeat conferre. Nr. 285. p. 218.

1347. 22. Ian. Fidelibus ecclesiam Scutarensem visitantibus indulgentiae conceduntur. Nr. 286. pag. 219.

— 31. „ Antonio episcopo Dulcinensi committitur, ut cum abbatibus ordinis s. Benedicti in provincia Antibarensi, qui minus legitime fuerint promoti, dispensct etc. Nr. 287. pag. 219.

— 31. „ Eidem episcopo Dulcinensi reformatio monasteriorum ordinis s. Benedicti in provincia Antibarensi committitur. Nr. 288. pag. 220.

— 14. Mart. Ludovico episcope Tergestine licentia a curia recedendi et ad suam ecclesiam se conferendi datur. Nr. 289. pag. 220.

1348. 5. Febr. Duci Venetiarum, ut Matthaeo epo Ausarensi assistat auxiliis et faveribus oppertunis, ut ad ecclesiam ipsam pacifice admittatur, ameto ab ea quedam intruso. Nr. 290. pag. 220.

— 18. „ Communi civitatis Tergestinae, ut deminium eiusdem civitatis et castri Mothoni eorum episcopo restituant. Nr. 291. pag. 221.

— 18. „ Duci Venetiarum, ut ad castrum Humagii Tergestinae dioecesis, quod commune Venetiarum detinere dicitur, episcope Tergestino restituendum suas partes interponat. Nr. 292. pag. 221.

— 8. Iulii. Matthaeus de Ragusia ord. fratrum Minorum recipitur in capellanum pontificium. N. 293. p. 221.

— 3. Oct. Stephanus canonicus Traguriensis ecclesiae Farensi in episcopum praeficitur. Nr. 294. pag. 221.

— 27. Dec. Andreae de Tudorto priori s. Augustini de Rossano, apostolicae sedis nuntio, super dispositione bonorum ben. mem. Ioannis archiepiscopi Spalatensis. Nr. 295. pag. 222.

1349. 30. Ian. Bartholomaeus episcopus Catharensis ad Traguriensem ecclesiam transfertur. Nr. 296. pag. 222.

— 30. Mart. Antonius decanus Cretensis ecclesiae Tergestinae in episcopum praeficitur. Nr. 298. pag. 223.

— 28. April. Dominico archiepo Antibarensi datur licentia ad suam ecclesiam recedendi. Nr. 299. pag. 224.

— 4. Maii. Francisco episcopo Iustinopolitano datur licentia ad suam ecclesiam eundi. Nr. 297. pag. 223.

— 14. „ Hugolino archiepiscopo Spalatensi licentia ad suam ecclesiam accedendi datur. Nr. 300. pag. 224.

1350. 3. Nov. Ioannus abbas s. Satiri Bituricensis dioec. praeficitur in episcopum Scardonensem. N. 301. p. 225.

— 30. „ Eidem Ioanni conceditur, ut usque ad annum a quocumque malnerit catholico antistite consecrationis munus valeat recipere. Nr. 302. pag. 225.

1351. 23. Mart. Maurus archipresbyter Gaschensis ecclesiae Corbaviensi praeficitur in epum. Nr. 303. pag. 226.

— 1. Iunii. Andreas Citer ord. Minorum professor ecclesiae Balazensi praeficitur in episcopum. N. 304. p. 226.

1352. 31. Oct. Dynnus episcopus Resinensis ad ecclesiam Catharensem transfertur. Nr. 305. pag. 227.

EPISTOLAE INNOCENTII PP. VI.

1353. 14. Nov. Archiopiscope Ragusine, ut episcopo Casinensi ad quaedam bona existentia in civitate Ragusina recuperanda faveat. Nr. 306. pag. 228.

1354. 12. Febr. Eidem archiepiscopo, ut Paulum Rogerii monasterio s. Mariae de Rotezo ord. s. Benedicti Antibarensis dioecesis praeficiat in abbatem. Nr. 308. pag. 229.

— 21. „ Dometrius episcopus Potinensis ad ecclesiam Nonensem transfertur. Nr. 309. pag. 230.

— 28. Mart. Nicolaus episcopus Cervicensis ad ecclesiam Petinensem transfertur. Nr. 310. pag. 231.

1354. 8. Iunii. Nicolao archiepiscopo Iadrensi, ut Mariottam de Padua praeficiat in abbatissam monasterio B. Mariae de Ispia ord. s. Benedicti Paduanae dioecesis. Nr. 311. pag. 231.
— 7. Iulii. Paschal abbas monasterio s. Georgii Catharensis dioec. praeficitur in abbatem. Nr. 312. pag. 232.
— 30. „ Blasius episcopus Tinniensis in causa servitiorum communium camerae apostolicae praestandorum ad Romanam curiam suos procuratores mittit. Nr. 307. pag. 228.
1356. 29. Febr. Petrus lector ecclesiae Bosnensi praeficitur in episcopum. Nr. 313. pag. 233.
— 30. Mart. Priori provinciali fratrum ordinis Praedicatorum in Hungaria mittitur transumptus litterarum Ioannis XXII. de praedicatione crucis contra Transilvanos haereticos et Bosnenses. Nr. 314. pag. 233.
— 1. Maii. Episcopo Tragurienſi mandatur, ut ad praesentiam papae se conferat. Nr. 315. pag. 234.
— 30. „ Archiepiscopo Ragusino, ut cum Petro de Bocha domicello et Margarita nata Martini de Mense dispenset super matrimonio contrahendo. Nr. 316. pag. 234.
— 22. Iunii. Numerus de novo institutus canonicorum et aliarum personarum ac vicariorum in ecclesia Colocensi confirmatur. Nr. 317. pag. 235.
— 15. „ Michaeli episcopo Scardonensi conceditur, ut electio de se celebrata ad ecclesiam Scardonensem et confirmatio etc. valeat, reservatione apostolica non obstante. Nr. 319. pag. 236.
— 7. Iulii. Petro electo Bosnensi, ut a quocumque antistite catholico malucrit consecrationis munus accipere possit. Nr. 318. pag. 235.
— 26. Oct. Andreae episcopo Balazensi monasterinm s. Ioannis Drivastensis dioecesis in regno Rasciae existens in commendam conceditur. Nr. 320. pag. 236.
— 2. Nov. Abbati monasterii s. Nicolai de Drino ordinis s. Benedicti Dulcinensis dioecesis licentia a curia Romana recedendi et ad sunm enndi monasterium datur. Nr. 321. pag. 237.
— 12. „ Valentino episcopo Mucarensi prorogatur terminus, nt monasterium s. Stephani ord. s. Benedicti dioecesis Spalatensis in commendam adhnc possit retinere. Nr. 322. pag. 237.
1357. 30. Nov. Archiepiscopo Iadrensi, nt monasterio s. Petri Absarensis dioecesis quemdam Grisogonum monachum vel alium praeficiat in abbatem. Nr. 323. pag. 238.
1360. 25. Mart. Iudicibus, nt electionem de Petro praeposito Vesprimiensi factam ad praepositurram ecclesiae beatae Mariae Albaeregalis Vesprimiensis dioec. apostolica auctoritate confirmare possint. N. 324. p. 239.
— 20. April. Universis fidelibus capellam beatae Mariae Magdalenae Vesprimiensis dioecesis, quam Nicolaus Kont regni Hungariae palatinus in suo hospitio fundasse dicitur, visitantibus indulgentiae concedantur. Nr. 325. pag. 239.
— 20. „ Universis Christi fidelibus ecclesiam s. Stephani in oppido Pesthensi Strigoniensis dioecesis certis diebus visitantibus conceduntur indulgentiae. Nr. 326. pag. 240.
— 23. „ Episcopo Bosnensi conceditur facultas invocandi ad inquisitionis officium contra haereticam pravitatem exercendum, si opus fuerit, auxilium brachii saecularis. Nr. 327. pag. 240.
— 29. „ Universis fidelibus ecclesiam s. Michaelis Hanteusem Vesprimiensis dioecesis certis diebus festivis visitantibus indulgentiae conceduntur. Nr. 328. pag. 240.
— 30. „ Indicibus, nt Ioannem abbatem monasterii s. Georgii de Coprina ord. s. Benedicti Nonensis dioecesis in corporalem possessionem regiminis dicti monasterii inducant. Nr. 329. pag. 241.
— 8. Iunii. Archiepiscopo Strigoniensi, ut triginta personas snarum civitatis ac dioecesis a violenta mannum iniectione in clericos et personas ecclesiasticas absolvere possit. Nr. 330. pag. 241.
— 16. Aug. Stephanus Nicolai Troutel canonicus Strigoniensis rehabilitatur, et nt praeposituram Chasmensem realiter dimittat. Nr. 331. pag. 242.
1361. 30. Dec. Guillelmo electo Quinqueecclesiensi terminus recipiendi munus consecrationis ex certa causa usque ad festum Resurrectionis domini prorogatur. Nr. 332. pag. 242.
1362. 9. Mart. Nicolao electo Tragurienſi conceditur, ut a quocumque malucrit antistite catholico munus consecrationis recipere valeat. Nr. 333. pag. 243.
— 23. „ Marinus de Manopolo monachus s. Petri de Rosacio monasterio s. Stephani de Barbaco Arbensis dioecesis in abbatem praeficitur. Nr. 234. pag. 243.
— 23. „ Guillelmus de S. Germano monachus Casinensis monasterio s. Mariae de Castellione dioecesis Veglensis in abbatem praeficitur. Nr. 335. pag. 244.
— 13. Maii. Andreas abbas s. Alexandri monasterio ss. Cosmae et Damiani Iadrensis dioecesis in abbatem praeficitur. Nr. 336. pag. 244.
— 23. „ Episcopo Catharensi, ut monasterio s. Georgii de Gulfo (al. Culfo, Culpho) suae dioecesis Nicolaum Benedicti manachum de Croma vel alium praeficiat. Nr. 337. pag. 245.

EPISTOLAE URBANI PP. V.

1362. 28. Nov. Michael episcopus Vaciensis ad ecclesiam Agriensem transfertur. Nr. 338. pag. 246.
1363. 7. Iunii. Grisogonus Damina ecclesiae Arbensi praeficitur in episcopum. Nr. 339. pag. 247.

1363. 12. Iunii. Ioannes ord. Praedicat. ecclesiae Antibarensi in archiepiscopum praefecitur. Nr. 340. pag. 247.
1365. 29. April. Monachi s. Martini de Sacromonte Pannoniae a summo pontifice per procuratores petunt confirmationem abbatis ab ipsis electi. Nr. 341. pag. 248.
— 27. Iulii. Episcopus Iustinopolitanus summum pontificem certiorem reddit, prius consecrationis munere recepto in manus eĵi Civitatis Novae solitum fidelitatis iuramentum se praestiturum. Nr. 342. p. 249.
— 17. Aug. Episcopus Civitatis Novae pontifici attestatur, se ab praedicto episcopo Iustinopolitano solitum iuramentum recepisse. Nr. 343. pag. 250.
1367. 10. Febr. Stephanus eĵus Nitriensis ad ecclesiam Colocensem transfertur. Nr. 344. pag. 250.
— 10. „ Thomas archiepiscopus Colocensis ad ecclesiam Strigoniensem transfertur. Nr. 345. pag. 251.
— 23. „ Archiepiscopo Ragusino committitur, ut Potrum do Pinu monachum aut alium monasterio s. Michaelis de Peclina praeficiat in abbatem. Nr. 346. pag. 251.
— 26. „ Ladislaus praepositus Colocensis ecclesiae Nitriensi praeficitur in episcopum. Nr. 347. pag. 252.
— 28. Mart. Exsecutoribus, ut sententias pro Ludovico episcopo Tergestino contra quosdam cives Iustinopolitanos de castro Siparii latas exsequantur. Nr. 348. pag. 252.
— 20. April. Alexius do Arbano monachus monasterio s. Mariae de Rocez in abbatem praeficitur. N. 349. p. 255.
— 21. „ Nicolaus episcopus Philadelphiensis ad ecclesiam Polensem transfertur. Nr. 350. pag. 255.
— 21. „ Andruino card. legato committitur, ut Nicolaum abbatem monasterii s. Mariae de Locrumna, aut alium idoneum monasterio s. Ioannis Baptistae Tragurieusi praeficiat in abbatem. N. 351. p. 256.
— 23. „ Antonius de Saluciis ordinis Praedicatorum professor ecclesiae Scutarensi in episcopum praeficitur. Nr. 352. pag. 257.
— 2. Iulii. Gibortus Zorzo Venetus ecclesiae Parentinae praeficitur in episcopum. Nr. 353. pag. 257.
— 12. Sept. Doctores, magistri et scholares Studii litterarum Quinquaecclesiensis eximuntur a residentia, et ut fructus beneficiorum in absentia usque ad quinquennium percipere possint. Nr. 354. pag. 258.
— 24. Nov. Ragusinis, Iadrensibus, Apulis ot Duraconsibus, ut civibus Catharensibus contra haereticos et schismaticos Albaniae et Rasciae faveant et auxilium ferant. Nr. 355. pag. 259.
— 24. „ Duci Venetiarum, ut praedictis civibus Catharensibus faveat, et suis subditis prohibeat, ne dictis haereticis et schismaticis favorem praebeant. Nr. 356. pag. 259.
1368. 30. Ian. Communibus Iadronsi et Nonensi, ut Bertrandum Ebrardi certis negotiis camerae apostolicae in Slavoniam missum habeant commendatum. Nr. 357. pag. 259.
— 30. „ Duci Venetiarum, ut eumdem Bertrandum Ebrardi ad partes Venetiarum et Slavoniae missum commendatum habeat. Nr. 358. pag. 260.
— 10. Iunii. Bertrando Ebrardi nuntio in Slavoniam misso, ut nomine camerae apostolicae bona Demetrii episcopi Nonensis publicet, vel cum eo ea de causa componat. Nr. 359. pag. 260.
— 13. „ Duci Venetiarum, ut castrum Siparii restitui faciat episcopo Tergestino. Nr. 360. pag. 260.
— 22. Dec. Abbati monasterii de Plysio Strigoniensis dioecesis, ut Iacobum de Hotwas, qui Hermannum abbatem de Candelis spoliaverat, excommunicatum nuntiet, et eumdem Hermannum in abbatem confirmet. Nr. 361. pag. 261.
1369. 29. Ian. Professio fidei catholicae et abiuratio schismatis Stracimiri, Georgii et Balsae fratrum Zupanorum et dominorum provinciae Zentae in regno Rasciae. Nr. 362. pag. 261.
— 2. Maii. Otto de Coppernot monachus monasterio B. Mariae de Clusmonstre Strigoniensis dioecesis in abbatem praeficitur. Nr. 363. pag. 263.
— 31. Aug. Archiepo Antibarensi, ut testes in causa, quae inter Marinum Trifonis et Nicolaum eĵum Dulcinensem vertitur, audiat et vicecancellario s. Romanae ecclesiae referat. Nr. 364. pag. 263.
— 26. Oct. Abbati monasterii s. Benedicti prope Kunkspereh Strigoniensis dioecesis, ut Nicolaum rectorem ecclesiae de Boynicz propter iniurias Doctrico rectori ecclesiae de Progno irrogatas excommunicatum nuntiet. Nr. 365. pag. 264.
— 13. Nov. Spalatensi et Ragusino archiepiscopis eorumque suffraganeis, ut receptatores haereticorum Bosnensium excommunicatos declarent, et suis subditis commercium cum iisdem haereticis prohibeant. Nr. 366. pag. 265.
— 11. Dec. Praeposito Zagrabiensi eiusquo collegis, ut Gallo Valentini canonico rectoriam hospitalis sancti Bartholomaei Quinquaecclesiensis conferendam curent. Nr. 367. pag. 265.
1370. 6. Mart. Marinus Francisci monachus de Crema monasterio s. Sergii ord. s. Benedicti Scutarensis dioec. in abbatem praeficitur. Nr. 368. pag. 266.
— 28. Iunii. Ioannes Lourlis ord. Praedicatorum ecclesiae Arbanensi in eĵum praeficitur. Nr. 369. pag. 267.

EPISTOLAE GREGORII PP. XI.

1371. 20. April. Archiepiscopo Ragusino, ut cum Maroga de Bodaza et Agnesia de Ragusio de matrimonio contracto dispenset. Nr. 370. pag. 268.

1371. 14. Maii. Universis Christi fidelibus capellam s. Georgii Budensem certis festivitatibus visitantibus indulgentiae conceduntur. Nr. 371. pag. 268.
— 12. Iulii. Episcopo Augustensi et Ioanni de Cabrespino nuntiis apostolicis mandatur, ut praelatos Bohemiae, Hungariae et Poloniae ad solvendum subsidium praeter duas procurationes impositum moneant, et per censuras ecclesiasticas compellant. Nr. 372. pag. 269.
— 3. Sept. Nicolaus de Buda ord. s. Augustini praeficitur ecclesiae Milcoviensi in epum. Nr. 373. pag. 270.
— 18. Oct. Petro episcopo Bosnensi indulgetur, ut tribus idoneis de canonicatibus et praebendis in sua ecclesia providere valeat. Nr. 374. pag. 270.
— 18. „ Stephano episcopo Zagrabiensi conceditur, ut quinque viris idoneis de beneficiis simplicibus providere possit. Nr. 375. pag. 271.
— 18. „ Petro episcopo Bosnensi indulgetur, ut duobus viris idoneis duas dignitates seu beneficia suae ecclesiae conferre valeat. Nr. 376. pag. 272.
— 21. Nov. Episcopo Drivastensi, ut Dominicum episcopum Lessiensem (alias Lessensem) in possessionem ipsius ecclesiae restituat, expulso Ioanne dicto Nigro intruso. Nr. 377. pag. 273.
1372. 13. Febr. Archiepo Spalatensi, ut ad exsecutionem sententiae, quae pro Alberto de Balmarot laico Coloniensi contra episcopum Tinniensem tulerat, procedat et processus aggravet. Nr. 378. pag. 273.
— 19. April. Laurentius plebanus B. Mariae de Rosario Parentinae dioecesis ecclesiae Petinensi in episcopum praeficitur. Nr. 379. pag. 274.
— 1. Maii. Roberto de Stractone auditori pontifex declarat, sententiam pro Georgio de Leone Colocensi contra quamdam Catharinam valere, non obstante omissione litis contestationis. Nr. 380. pag. 274.
— 5. Iulii. Petrus de Pinu monasterio s. Michaelis de Peclina in abbatem praeficitur. Nr. 381. pag. 275.
— 13. „ Archiepiscopo Iadrensi et episcopo Sibinicensi, ut nomine Romanae ecclesiae a Grisogono Traguriensi olim Arbensi episcopo solitum iuramentum recipiant. Nr. 382. pag. 276.
— 17. „ Dominico episcopo Lessensi monasterium s. Georgii de Culpho Catharensis dioecesis in commendam conceditur. Nr. 383. pag. 276.
— 27. „ Communi civitatis Catharensis, ut Dominicum episcopum Lessensem in recuperandis bonis monasterii s. Georgii de Culpho habeant commendatum. Nr. 384. pag. 277.
— 21. Aug. Georgio et Balsae fratribus dñis Zentae, ut Ioanni episcopo Drivastensi praesto sint in adipiscenda possessione ecclesiae Antibarensis ei commissae, et ne intrusis in Polatensi et Lessensi ecclesiis faveant. Nr. 385. pag. 277.
— 19. „ Universis fidelibus construendam per Emericum et Potrum de Bir fratres ecclesiam in villa Dorok Iauriensis dioecesis visitantibus indulgentiae conceduntur. Nr. 386. pag. 278.
— 11. Sept. Archiepiscopo Colocensi, ut fratribus Minoribus accipiendi locum, quem Nicolaus de Gara in quadam villa concedere velit, licentiam concedat. Nr. 387. pag. 278.
— 30. „ Galvano Bechini de Bononia pensio per Guillelmum episcopum Quinquecclesiensem assignata, ut ius canonicum legat in Studio litterarum Quinquecclesiensi, confirmatur. Nr. 388. pag. 279.
— 11. Oct. Petrus abbas sancti Michaelis monasterio B. Mariae de Caneto Polensi in abbatem praeficitur. Nr. 389. pag. 279.
— 27. „ Ladislaus episcopus Nitriensis ad ecclesiam Vesprimiensem transfertur. Nr. 390. pag. 280.
— 27. „ Dominicus de Novoloco ord. s. Augustini ecclesiae Nitriensi in epum praeficitur. N. 391. p. 281.
— 3. Nov. Zudonichus archidiaconus ecclesiae Arbensi in episcopum praeficitur. Nr. 392. pag. 281.
— 12. „ Ioanni de Morancha canonicatus cum praebenda in ecclesia Zagrabiensi confertur. N. 393. p. 282.
1373. 25. Ian. Episcopo Farensi, ut archiepiscopo Ragusino monasterium B. Mariae de Insula Melidae nomine pontificis in commendam conferre possit. Nr. 394. pag. 282.
— 25. „ Eidem episcopo, ut praedicto archiepiscopo quaedam sola sive areas in civitate Ragusina concedendi in emphiteusim licentiam dare valeat. Nr. 395. pag. 283.
— 25. Febr. Magistratui et communi civitatis Ragusinae, ut abstineant a disponendo de ecclesiis et personis ecclesiasticis dictae civitatis contra canonicas sanctiones, et tribuant auxilium et favorem archiepiscopo Ragusino. Nr. 396. pag. 284.
— 24. Mart. Ragusinis indulgetur, ut duas naves oneratas mercimoniis non prohibitis ad partes Sarracenorum mittere possint. Nr. 398. pag. 285.
— 5. April. Universis Christi fidelibus ecclesiam B. Mariae de Azarias Quinquecclesiensis dioec. visitantibus, et ad eius reparationem manus adiutrices porrigentibus indulgentiae conceduntur. Nr. 397. p. 284.
— 16. Maii. Universis fidelibus altare beati Dominici confessoris in ecclesia Agriensi certis festivitatibus visitantibus indulgentiae conceduntur. Nr. 399. pag. 285.
— 16. „ Paulus praepositus Cibiniensis ecclesiae Tinniensi in episcopum praeficitur. Nr. 400. pag. 286.
— 8. Iunii. Carolo de Durazio duci Dalmatiae, ut Michaelem episcopum Scardonensem in exactione fructuum episcopatus Nonensis habeat commendatum. Nr. 401. pag. 286.

1373. 1. Iulii. Eidem Carolo, nt Ioannem Lascari militem Constantinop. benigne suscipiat, et faciat provideri de securo conductu per suas terras et alias sicut poterit. Nr. 402. pag. 286.
— 18. „ Ioannes ord. Praedicat. professor ecclesiae Mucarensi in epum praeficitur. Nr. 403. pag. 287.
— 5. Aug. Petro Stephani collectori in Hungaria, ut factoribus Albertorum Burgis pecunias per ipsum et subcollectores suos receptas, et usque ad dnos annos recipiendas assignet. Nr. 404. pag. 287.
— 8. „ Paulo electo Tinniensi indulgetur, nt a quocumque maluerit antistite catholico consecrationis munus recipere valeat. Nr. 405. pag. 288.
— 13. „ Georgio et Balsae fratribus dominis Zentae, ne, cum Ioannes archiepus Antibarensis (cf. supra Nr. 377. et 385.) ad ecclesiam Caesariensem, et Ioannes Drivastensis ad Antibarensem translati sint, dicto Caesariensi contra Antibarensem faveant. Nr. 406. pag. 288.
— 11. Oct. Petro Stephani apost. sedis nuntio, nt a quibuscunque et certis dominis partium Hungariae et Poloniae recipiat et exigat census ecclesiae Romanae debitos. Nr. 407. pag. 289.
1374. 14. Ian. Guillelmo cardinali legato Bononiensi, nt causam Georgii et Saladini de Saladinis fratrum civium Iadrensium contra filios spurios Francisci eorum fratris mortui, et priorem hospitalis s. Ioannis Ierosolimitani audiat et decidat. Nr. 408. pag. 289.
— 1. Febr. Indicibus, ut causam vertentem inter rectores parrochialium ecclesiarum consistentium in archidiaconatu de Bexino in ecclesia Zagrabiensi, et capitulum dictae ecclesiae super perceptione decimarum audiant et decernant. Nr. 409. pag. 290.
— 29. April. Athanasius praepositus ecclesiae s. Andreae Paduanae praeficitur ecclesiae Drivastensi in epum, et de more commendatur. Nr. 410. pag. 291.
— 11. Iunii. Georgio et Balsae fratribus Znpanis seu dominis Zentae mandatur, ne Ioanni ordinis fratrum Praedicatorum olim archiepiscopo Antibarensi, nunc privato, de facto tamen ecclesiam Antibarensem occupanti faveant, sed auxilium, consilium vel favorem novo archiepiscopo conferant. Nr. 411. pag. 292.
— 21. Iulii. Valentinus lector Strigoniensis praeficitur ecclesiae Quinquecclesiensi in episcopum, et de more commendatur. Nr. 412. pag. 292.
— 28. Aug. Universis Christi fidelibus ecclesiam s. Ioannis Evangelistae de Renchkonth Chasmensi dioecesis Zagrabiensis visitantibus indulgentiae conceduntur. Nr. 413. pag. 293.
— 2. Sept. Donatio decimarum per Michaelem episcopum Agriensem ecclesiae in villa de Olnad, ubi ossa multorum christianorum per Tartaros interfectorum sunt sepulta, facta per pontificem, petentibus Petro Zudar bani Slavoniae einsque fratribus patronis dictae ecclesiae, confirmatur, inserto donationis instrumento. Nr. 414. pag. 293.
— 5. „ Strigoniensi et Colocensi archiepiscopis ac episcopo Quinquecclesiensi, ut pecunias ex decimis impositis perceptas in regno Hungariae nuntiis apostolicis tradant. Nr. 415. pag. 294.
— 10. „ Stephano episcopo Zagrabiensi conceditur, ne in aliquibus causis contra ipsum in Romana curia motis personaliter citari possit, sed per procuratorem se defendere valeat. Nr. 416. pag. 295.
1375. 10. Ian. Ioannes praepositus sancti Georgii Strigoniensis ecclesiae Sirmiensi in episcopum praeficitur. Nr. 417. pag. 295.
— 9. Maii. Guillelmus de Alareno, monachus monasterii s. Mariae de Capellis Neapolitani, monasterio sancti Georgii de Culfo in abbatem praeficitur. Nr. 418. pag. 296.
— 31. Oct. Pontifex donationem et confirmationem quarumdam possessionum et iurisdictionum in comitatu de Vulkoper Belam regem Hungariae episcopo et ecclesiae Bosnensi factam approbat, inserto donationis instrumento, in quo fines describuntur. Nr. 419. pag. 296.
— 5. Nov. Archiepiscopo Ragusino, nt Pascham priorem monasterii s. Michaelis de Peclina, si eum idoneum invenerit, eidem monasterio in abbatem praeficiat. Nr. 420. pag. 299.
— 14. „ Thomas Nicolai canonicus Strigoniensis praeficitur ecclesiae Corbaviensi in episcopum, et de more commendatur. Nr. 421. pag. 299.
— 1. Dec. Raymundo epo Paduano apostolicae sedis nuntio, nt intrusos in monasteriis, officiis et beneficiis ecclesiasticis in certis provinciis expellat, et ea ad manus pontificis recipiat. Nr. 422. pag. 300.
— 1. „ Eidem nuntio, ut bona Romanae ecclesiae legata seu publicata in Iadrensi, Ragusina, Spalatensi etc. provinciis ab eorum occupatoribus petat. Nr. 423. pag. 300.
1376. 16. Ian. Capitulo Quinquecclesiensi omnia privilegia confirmantur. Nr. 424. pag. 301.
— 16. „ Universis Christi fidelibus ecclesiam s. Francisci de Alsan Quinquecclesiensis dioec. visitantibus et adiuvantibus indulgentiae concedantur. Nr. 425. pag. 301.
— 16. „ Iisdem visitantibus ecclesiam B. Mariae Virg. in praedicto Alsan et adinvantibus indulgentiae conceduntur. Nr. 426. pag. 302.
— 16. „ Iisdem visitantibus ecclesiam s. Nicolai de Czechene Quinquecclesiensis dioecesis et adiuvantibus indulgentiae conceduntur. Nr. 427. pag. 302.

1376. 23. Ian. Demetrius episcopus Transilvanus ad ecclesiam Zagrabiensem transfertur. Nr. 428. pag. 303.
— 23. „ Dominicus archiepus Iadrensis ad ecclesiam Bosnensem transfertur. Nr. 429. pag. 304.
— 23. „ Ioannes episcopus Iauriensis ad ecclesiam Strigoniensem transfertur. Nr. 430. pag. 304.
— 25. „ Archipiscopo Ragusino, ut nisi Pascham monasterio s. Michaelis de Peclina in abbatem praefecerit, Paulum monachum eiusdem ordinis aut praedictum Paschan, quem eorum magis idoneum invenerit, aut alium in abbatem praeficiat. Nr. 431. pag. 305.
— 17. Febr. Archiepiscopo Colocensi indulgetur, ut si sex canonicatus in ecclesia sua quatuor novis augeantur, eos quatuor viris idoneis conferre valeat. Nr. 432. pag. 306.
— 17. „ Eidem indulgetur, ut cum quatuor natalium defectum patientibus dispensare possit, ut ad ordines promoveri et beneficia obtinere valeant. Nr. 433. pag. 307.
— 17. „ Eidem conceditur, ut in sua dioecesi et provincia presbyteris graecis schismaticis, ne de cetero officium tabellionatus exerceant, auctoritate apostolica inhibere possit. Nr. 434. pag. 307.
— 17. „ Fratribus ordinis Minorum vicariae Bosnensis licentia quemdam locum per Ioannem de Hornati banum de Machov oblatum accipiendi conceditur. Nr. 435. pag. 308.
— 29. „ Archiepiscopo Ragusino, ut si alterum ex supradictis Pascha et Paulo monasterio s. Michaelis de Peclina in abbatem praefecerit, alterum aut alium idoneum monasterio s. Ioannis Baptistae Drivastensis dioecesis in abbatem praeficiat. Nr. 436. pag. 308.
— 5. Maii. Ioanni archiepiscopo Strigoniensi pallium conceditur. Nr. 437. pag. 309.
— 5. „ Gobellinus plebanus plebis Insulae Christianae Strigoniensis dioecesis ecclesiae Transilvanae in episcopum praeficitur. Nr. 438. pag. 310.
— 5. „ Eidem Gobelliuo indulgetur, ut a quocumque maluerit antistite catholico consecrationis munus recipere possit. Nr. 439. pag. 310.
— 5. „ Petrus plebanus s. Stephani praeficitur ecclesiae Iadrensi in archiepum. Nr. 440. pag. 311.
— 5. „ Eidem Petro indulgetur, ut a quocumque maluerit antistite catholico consecrationis munus recipero valeat. Nr. 441. pag. 311.
— 5. „ Petrus rector ecclesiae s. Nicolai de Rzstercia Transilvanae dioecesis ecclesiae Vaciensi praeficitur in episcopum. Nr. 442. pag. 312.
— 5. „ Eidem electo Vaciensi indulgetur, ut a quocumque maluerit antistite catholico consecrationis munus recipere possit. Nr. 443. pag. 313.
— 6. „ Episcopo Zagrabiensi, ut de unione ecclesiarum metropolitanarum Colocensis et Bachiensis inquirat et pontifici referat. Nr. 444. pag. 313.
— 8. Iunii. Archiepiscopo Strigoniensi, ut Ioannem Zudar praepositum ecclesiae Albaeregalis et Villianum Nicolai canonicum Budensem ob iniurias etc. Ladislao Philippi canonico ecclesiae Albaeregalis illatas excommunicatos publice nuntiet. Nr. 445. pag. 313.
— 17. „ Archiepiscopo Colocensi, ut quosdam canonicos Titullenses et alios, si Nicolao Heliae canonico iniurias etc. irrogarint, excommunicatos nuntiet. Nr. 446. pag. 314.
— 23. Aug. Pontifex authenticum reddit procuratorii instrumentum, quo rex Hungariae et dux Transilvanus quosdam procuratores constituerunt ad assignandum pontifici regnum Siciliae, exceptis titulo principatus Salernitani et honore Montis S. Angeli. Nr. 447. pag. 315.
— 27. „ Matthaeus de Nursia ordinis sancti Augustini ecclesiae Polatensi in episcopum praeficitur, et de more commendatur. Nr. 448. pag. 317.
— 29. „ Petro electo Iadrensi indulgetur, ut omnes ordines minores successive quatuor diebus domicis, et deinde munus consecrationis a quocumque maluerit antistite catholico recipere possit. Nr. 449. pag. 317.
— 10. Sept. Episcopis Dulcinensi et Drivasteusi, ut in causa Demetrii Nesae et Ioannis episcopi de vacationibus, postulatione et electione inquirant et referant. Nr. 450. pag. 318.
1377. 28. Ian. Paulus propositus Varadiensi ecclesiae Cenadiensi in episcopum praeficitur. Nr. 451. pag. 318.
— 30. „ Demetrio opiscopo Zagrabiensi conceditur, ut duas dignitates suae ecclesiae duobus viris idoneis conferre possit. Nr. 453. pag. 319.
— 1. Febr. Thesaurario ecclesiae S. Spiritus Chasmensis, ut Mykech Vesselkonis presbytero Zagrabiensi provisionem de parrochiali ecclesia omnium Sanctorum de Nardch per episcopum Zagrabiensem factam auctoritate apostolica confirmare possit. Nr. 452. pag. 319.
— 1. „ Officiali Zagrabiensi, ut collationem Matthaeo Puchkonis de ecclesia parrochiali s. Stephani de Rakitnicha factam confirmare valeat. Nr. 454. pag. 320.
— 6. „ Universis Christi fidelibus ecclesiam s. Clarae de Droticlerk Zagrabiensis dioecesis visitantibus et adiuvantibus indulgentiae conceduntur. Nr. 455. pag. 321.
— 10. „ Iisdem visitantibus ecclesiam Vesprimiensem, in qua reginae coronari et sepelliri consuoverunt, indulgentiae certis festivitatibus conceduntur. Nr. 456. pag. 321.

1377. 13. Febr. Paulo electo Conadiensi indulgetur, ut a quocumque malnerit antistite catholico consecrationis munus accipere possit. Nr. 457. pag. 322.

— 27. „ Archiepiscopo Strigoniensi, ut si de carceratione Ioannis abbatis B. Mariae Bellifontis de Waradino Petri per Christophorum abbatem de Egris facta sibi constiterit, eumdem Christophorum excommunicatum publice nuntiet. Nr. 458. pag. 322.

— 21. Mart.(?) Episcopis Veglensi et Ansarensi, ut Petro archiepiscopo Iadrensi pallium transmissum (vide infra Nr. 463.) assignent. Nr. 559. pag. 323.

— 10. April. Archiepiscopo Strigoniensi et episcopo Bononiensi, ut Nicolaum de Buza subcollectorem a carcere, in quo per episcopum Agriensem et complices detinetur, liberent, et dictos complices excommunicatos nuntient. Nr. 460. pag. 323.

— 10. „ Praeposito s. Petri de Posega, ut causam Martini plebani de Iwanich Zagrabiensis dioec. contra abbatissam et conventum B. Mariae de Iwanich de quibusdam decimis percipiendis audiat et decidat. Nr. 461. pag. 324.

— 10. „ Exsecutoribus, ut sententiam pro Ioanne Stancii canonico Sibinicensi de eius canonicatu et praebenda contra Paulum Dragaii latam exsequatur. Nr. 462. pag. 324.

— 20. „(?) Petro archiepiscopo Iadrensi pallium transmittitur (vide supra Nr. 459.). Nr. 463. pag. 325.

— 18. Iulii. Michaeli episcopo Scardonensi eiusque collegis, ut decimam biennalem praelatis et aliis beneficia ecclesiastica habentibus in regnis Croatiae et Dalmatiae impositam exigant et solvant. Nr. 464. pag. 326.

— 19. „ Pontifex pactum approbat, quod episcopus Bononiensis collector cum archiepiscopo et clero provinciae Iadrensis inivit, ut duobus terminis infra annum decimam biennalem iis pro camera apostolica subvenienda impositam persolvant. Nr. 465. pag. 326.

— 25. „ Ministro provinciali ord. Minorum in Hungaria, ut duos fratres sui ordinis ad audiendas confessiones incolarum castri de Megessalla a schismate redeuntium mittat etc. Nr. 466. pag. 327.

— 25. „ Archiepiscopo Colocensi, ut inquirat et decernat, de qua dioecesi praedictum castrum de Megessalla cum eius villis existat. Nr. 467. pag. 328.

— 5. Aug. Thomae quondam Matthaei Szes de Barasson collatio parrochialis ecclesiae B. Mariae de Corona Strigoniensis dioecesis confirmatur. Nr. 468. pag. 329.

— 6. „ Ministro provinciali ord. Minorum in Hungaria, ut fratribus sui ordinis professoribus inter schismaticos et infideles commorantibus licentiam confessiones audiendi, locorum dioecesanis non requisitis, concedere valeat. Nr. 469. pag. 329.

— 16. Sept. Fratres sancti Pauli primi heremitae in Hungariae, petente Ludovico rege, ab inrisdictione dioecesanorum eximuntur et sedi apostolicae immediate subiiciuntur. Nr. 470. pag. 330.

— 20. „ Universis Christi fidelibus ecclesiam s. Mariae de Monzobon certis diebus festivis visitantibus et adiuvantibus indulgentiae conceduntur. Nr. 471. pag. 330.

— 20. „ Georgio Bubeck militi indulgetur, ut sibi confessorem eligere possit. Nr. 472. pag. 331.

— 1. Oct. Prioribus fratrum s. Pauli primi heremitae in Hungaria indulgetur, ut fratres sui ordinis ab omnibus peccatis etiam in casibus episcopalibus absolvere valeant, neque sine speciali apostolicae sedis licentia excommunicari vel interdici possint. Nr. 473. pag. 331.

— 3. „ Episcopis Quinqueecclesiensi et Agriensi, ut Ioannem episcopum Civitatis Castellanae Romanae ecclesiae rebellem capiendum et pontifici tradendum curent. Nr. 474. pag. 332.

— 5. „ Georgio de Zudar militi Agriensis dioecesis indulgetur, ut sibi in locis interdictis divina officia celebrari facere possit. Nr. 475. pag. 332.

— 9. „ Archiepiscopo Strigoniensi et episcopo Iauriensi, ut a Petro episcopo Vesprimiensi nomine Romanae ecclesiae solitum iuramentum recipiant. Nr. 476. pag. 332.

— 10. „ Capitulo Lateranensi, ut capita beatorum Petri et Pauli oratoribus regis Hungariae ostendant. Nr. 477. pag. 333.

— 10. „ Capitula s. Petri de Urbe, ut praedictis oratoribus sudarium ostendant. Nr. 478. pag. 333.

— 21. Nov. Archiepiscopo Iadrensi, ut Grisogonum de Soppa nobilem Iadrensem, qui contra voluntatem abbatis in conventu s. Grisogoni habitum monachalem portat et in monasterio remanet, dictum habitum deponere et monasterium exire compellat. Nr. 479. pag. 333.

— 21. „ Ioanni abbati s. Grisogoni Iadrensis conceditur, ut a suo monasterio per annum se absentare possit. Nr. 480. pag. 333.

— 5. Dec. Archiepiscopis Strigoniensi et Colocensi, ut decimam biennalem praelatis et aliis beneficia ecclesiastica in regno Hungariae obtinentibus impositam ad onera camerae apostolicae sublevanda colligant et exigant, atque ipsi eam solvant in terminis statutis. Nr. 481. pag. 334.

1378. 19. Ian. Fratribus ord. Minorum conceditur, ut locum in oppido Madropsa Corbaviensis dioecesis, quem Stephanus comes Segnine eis donare proponit, accipere valeant. Nr. 482. pag. 336.

1378. 19. Ian. Iisdem fratribus conceditur, ut ecclesiam sancti Nicolai de Aratha Cenadiensis dioecesis accipere possint. Nr. 483. pag. 336.

EPISTOLAE URBANI PP. VI.

1382. 22. Maii. Viviano ordinis Cruciferorum, ut postquam eidem ordini in magistrum praefectus esset, officium collectoris proventuum camerae apostolicae debitorum in Dalmatia et aliis partibus continuet. Nr. 484. pag. 337.

1383. 1. Ian. Cosmato Gontili praeposito ecclesiae Valvensis, ut duodecim milia flor. quos Dominicus episcopus Bosnensis per testamentum camerae apostolicae legavit, et quos Ludovico regi Hungariae mutuo dederat, exigat. Nr. 485. pag. 337.

1387. 10. Aug. Communi Spalatensi, ut ex bonis archiepiscopi Spalatensis inobedientis mandato pontificis de restituendis mille ducatis auri indebito perceptis eam summam relevent, et subcollectori apostolicae camerae tradent. Nr. 486. pag. 338.

— 10. „ Subcollectori camerae apostolicae, ut praedictos mille ducatos auri a communi Spalatensi exigat et recipiat. Nr. 487. pag. 338.

— 19. „ Quibusdam mercatoribus Lucanis, ut pecuniarum summas ab officialibus camerae apostolicae in Alamanniae, Slavoniae etc. partibus recipiant eidem camerae transmittendas. Nr. 488. pag. 339.

— 19. „ Episcopo Castellano collectori facultas datur collectores et officiales camerae apostolicae in Alemanniae, Slavoniae etc. partibus absolvendi de praedictis pecuniis, quas iisdem mercatoribus Lucanis persolverint. Nr. 489. pag. 339.

1388. 22. Oct. Cardinalis camerarius Antoninm archiepum Antibarensem collectorem etc. in Ragusina et Antibarensi provinciis de pecuniis in dicto officio receptis et assignatis, ratione eorum reddita per eum et a camera apostolica approbata, absolvit. Nr. 490. pag. 340.

— 10. Dec. Benedictus abbas monasterii s. Mariae de Canoto Polensis fructuum et proventunm camerae apostolicae in Duracensi et aliis Romaniae provinciis collector constituitur. Nr. 491. pag. 340.

1389. 6. Febr. Rogerio de Cavazis Mediolanensi canonico Quinqueecclesiensi, camerae apostolicae collectori in Hungaria, ut pecunias usque ad certam summam Ioanni Tosinghi mercatori Florentino, factori Verii de Medicis et sociorum, tradat camerae apostolicae numerandas. Nr. 493. pag. 342.

— 13. April. Cardinalis camerarius mandat archiepiscopo Ragusino, ut de fructibus monastorii s. Michaelis de Peclina Ragusinae dioecesis se informet et referat. Nr. 492. pag. 342.

EPISTOLA BONIFACII PP. IX.

1398. 7. Oct. Antonius de Benedicto de Teramo constituitur administrator ecclesiae Iadrensis. Nr. 494. p. 343.

EPISTOLAE INNOCENTII PP. VII.

1405. 25. Iunii. Ioannes Varrasii praepositus S. Spiritus Chasmensis Zagrabiensis dioecesis collector fructuum, et administrator prioratus hospitalis s. Ioannis de Varana in Dalmatia constituitur. Nr. 495. p. 344.

— 5. Sept. Nicolao episcopo Segniensi, thesaurario Marchiae Anconitanae, ut Rodulpho de Varano licentiam octo millia salmarum salis de partibus Slavoniae extrahendi, ad portum Civitanovae, et deinde Tolentinum deferri faciendi sine solutione pedagii, gabellae etc. concedat. Nr. 496. pag. 345.

EPISTOLAE GREGORII PP. XII.

1407. 4. Iulii. Vito episcopo Polensi committitur, ut contra certos clericos Venetiis deprehensos in criminalibus inxta canones procedat. Nr. 497. pag. 346.

1408. 26. Nov. Ioanni cardinali Ragusino conceditur, ut retinere possit ad sua obsequia XII. fratres ex quovis ordine mendicantium. Nr. 498. pag. 346.

1409. 8. Ian. Bulla legationis Io. cardinalis Ragusini in Hungariam, Poloniam, Dalmatiam etc. N. 499. p. 346.

1410. 20. April. Salvusconductus pro Alberto episcopo Scopiensi nuntio pontificio. Nr. 500. pag. 347.

— 23. Maii. Bulla declaratoria dubii, quod de quibusdam possessionibns monasterii S. Spiritus de Sumnono inter cardinalem Ragusinum et commendatarium dicti monasterii oriri possit. Nr. 501. pag. 348.

1414. 14. Iulii. Coyezacharias dominus Sabatensis et Dagnensis una cum familia sua, secta Slava et schismatica abiecta, ad unitatem et gratiam Romanae ecclesiae suscipitur. Nr. 502. pag. 348.

— 17. Oct. Grogorius XII. litteras clausas ad Sigismundum regem Germaniae et Hungariae circa concilium generale et suam renuntiationem dat, et nuntios ad eumdem regem mittit. Nr. 503. pag. 349.

EPISTOLAE IOANNIS PP. XXIII.

1410. 29. Maii. Antonius Blancus prior monasterii s. Mathiae de Murano in Aquileiensi, Gradensi, Iadrensi, Spalatensi etc. provinciis proventuum camerae apostolicae collector constituitur. Nr. 504. pag. 350.

1410. 31. Maii. Eidem collectori, ut annata sivo medios proventus primi anni omnium dignitatum et beneficiorum ecclesiasticorum vacantium et reservatorum in supradictis provinciis exigat. Nr. 505. p. 351.

— 2. Dec. Hieronymus abbas ss. Hilarii, Georgii ac Benedicti de Venetiis Castellanensis dioec. constituitur in Aquileiensi, Gradensi, Ravennate, Iadrensi et pluribus aliis civitatibus et dioecesibus collector fructuum camerae apostolicae debitorum. Nr. 506. pag. 353.

— 2. „ Eidem exsecutoria reservationis fructuum primi anni ut supra in penultima in Aquileiensi, Gradensi, Ravennate, Iadrensi et pluribus aliis civitatibus et dioecesibus committitur. N. 507. p. 353.

1411. 29. Mart. Nicolaus de Bonhomo archidiaconus Cretensis in Ragusina, Antibarensi etc. dioecesibus constituitur collector fructuum camerae apostolicae debitorum. Nr. 508. pag. 353.

1413. 4. Ian. Salvusconductus pro Petro archiepo Spalatensi per pontificem in Tusciam missum. N. 509. p. 354.

(1415) 19. Apr. Archiepiscopo Spalatensi et magistro Arpino de Collis de Alexandria cubicullariis pontificis, quoad vixerint, officium registri supplicationum committitur. Nr. 510. pag. 354.

EPISTOLAE MARTINI PP. V.

1419. 18. Mart. Secundus episcopus Argolicensis in Iadrensi, Spalatensi, Ragusina et Antibarensi etc. provinciis nuntius apostolicus et collector fructuum camerae apostolicae constitnitur. Nr. 511. pag. 355.

— 18. „ Praelatis supradictarum provinciarum Secundus Argolicensis episcopus fructnum redditumque camerae apostolicae debitorum collector nuntiatur. Nr. 512. pag. 356.

— 27. Maii. Ioanni Bazani canonico Antibarensi subcollectariam praedictorum fructuum in Albania per Secundum episcopum Argolicensem collectorem commissam pontifex confirmat. Nr. 513. pag. 357.

1421. 9. Febr. Petro archiepiscopo Spalatensi conservatores dantur. Nr. 514. pag. 358.

— 23. Dec. Canonicis et capitulo ecclesiae Antibarensis, ut abbatem s. Mariae de Rotezo centum flor. Iordano cardinali Ursino solvere compellant. Nr. 515. pag. 358.

1422. 14. Sept. Donducae quondam Theodori Resenich viccabbati supradicti monasterii s. Mariae de Rotezo, ut cardinali Ursino ex fructibus eiusdem menasterii praedictos centum flor. solvat. Nr. 516. p. 358.

1423. 13. Mart. Salvusconductus pro Iacobo epo Tergestino a pontifice in Angliam etc. misso. Nr. 517. p. 359.

1424. 11. Dec. Marino episcopo Tergestino, postquam ipso a Tragurienst ecclesia ad Tergestinam, Iacobus a Tergestina ad Urbinatem, et Thomas ab Urbinate ad Tragurionsem translati fuerunt, certa pensio super episcopatibus Urbinate et Traguriensi, donec Tergestinae ecclesiae possessionem assecutus sit alias oi provisum fuerit, conceditur ot confirmatur. Nr. 518. pag. 359.

— 11. „ Episcopis Electensi, Ariminensi et Sibinicensi, ut praedictas litteras promulgent, et Iacobum ac Thomam eorumque successores, si dicto Marino pensionem concordatam non solverint, excommunicatos nuntient. Nr. 519. pag. 360.

— 23. „ Salvusconductus pro supradicto Marino episcopo Tergestino, qni pro nonnullis suis negotiis exspodiendis ad Istriae et Dalmatiae partes se confert. Nr. 520. pag. 361.

1425. 3. Maii. Capitulo et clero ecclesiae Tergestinae pontifex mandat, nt infra mensem supradictum Marinum episcopum recipiant etc. Nr. 521. pag. 362.

— 3. „ Plebano ss. Ioannis et Pauli de Mugla, ut iudices et consiliarios civitatis Torgestinae, nisi supradictum Marinum episcopum infra mensem admittant, excommunicatos eamque civitatem interdicto suppositam nnntiet et nuntiari publice faciat. Nr. 522. pag. 362.

EPISTOLAE EUGENII PP. IV.

1432. 18. Iunii. Fratribus ord. Minorum de observantia conceditur licentia suum monasterium iuxta Tragurium dirutum reaedificandi in insula Bua. Nr. 523. pag. 363.

— 1. Iulii. Thomae episcopo Traguriensi, Forliviensis et Imolensis civitatum gubernatori, ut quaedam bona immobilia camerae apostolicae incorporata, quae antea per civitatem Forliviensem eiusque regentes Georginm et Tebaldum de Ordelaffis possessa nonnullis mercatoribus Florentinis VM. ducat. auri mutuatis hypothecata erant, dictis debitoribus assignet, donec ex eorum fructibus mercatoribus satisfactum sit. Nr. 524. pag. 364.

— 19. Aug. Deodatus abbas monasterii s. Stephani de Pino extra muros Spalatenses in provinciis Iadrensi, Spalatensi etc. proventum camerae apostolicae debitorum collector constituitur. Nr. 525. pag. 365.

1434. 14. Iulii. Gregorius Sergiziri canonicus in Antibarensi, Ragusina, Spalatensi et Duracensi provinciis fructuum camerae apostolicae debitorum collector constituitur. Nr. 526. pag. 367.

— 4. Sept. Thomae epo Tragurionsi licentia testamenti condendi conceditur. Nr. 527. pag. 367.

— 9. „ Universis Christi fidelibus, qui Albanonsibus ad debellandos Turcas praesto sunt, plenaria in mortis articulo peccatorum remissio indulgetur. Nr. 528. pag. 367.

— 9. „ Universis ecclesiarum praelatis, ut praedictas litteras in suis ecclesiis publice legant, et promulgari faciant. Nr. 529. pag. 368.

1434. 21. Sept. Thomae episcopo Traguriensi datur facultas reservandi tria beneficia suae dioecesis ot personis idoneis conferendi. Nr. 531. pag. 370.
— 22. „ Comitibus Signiensibus ot aliis pontifex sub poena oxcommunicationis mandat, ut Ioannem epum infra mensem ad ecclesiam Signiensem eiusqne bona ot iura admittant etc. Nr. 530. pag. 369.
— 19. Oct. Ioanni epo Signiensi facultas duos religiosos apud se retinendi conceditur. Nr. 532. pag. 371.
— 29. „ Iudicibus mandatur, ut Nicolaum Zanchani presbyterum Castellan. dioecesis intrusum ox ecclesia Signiensi oxpellant, ot clorum ot populum Signiensem ad Ioannem episcopum recipiendnm compellant. Nr. 533. pag. 371.
— 4. Nov. Thomae episcopo Traguriensi, rectori civitatum Forliviensis, Imolensis etc., quitantia de receptis, solutis et administratis por eum nomine sedis apostolicae conceditur. Nr. 534. pag. 373.
1435. 22. Mart. Salvusconductus pro Thoma epo Traguriensi negotia Romanae ecclesiae agente. Nr. 535. p. 374.
1436. 11. Mart. Salvusconductus pro Gregorio archiepiscopo Moldovalachiae orthodoxo recens facto, qui ad nonnullas mundi partes pro augmento catholicae fidei et Romanae ecclesiae se transferro proponit. Nr. 536. pag. 374.
1437. 4. Oct. Ioannes de Contugiis Vulterranus in Iadrensi, Spalatensi, Ragusina et Antibarensi provinciis collector fructuum camerae apostolicae debitorum constituitur. Nr. 537. pag. 374.
— 7. Dec. Fratribus ord. Minorum vicariatus Bosnensis conceditur, ut, XVI. ecclesiis et domibus eorum ordinis ab inimicis christiani nominis in Bosnia destructis, septem loca in Hungaria recipere etc. possint. Nr. 538. pag. 375.
— 7. „ Iacobo de Marchia vicario ord. Minorum in Bosnia conceditur, ut ipse et sui successores in casibus episcopalibus confessiones audire possint. Nr. 539. pag. 375.
— 7. „ Fratribus quaestuariis ordinis Minorum in vicariatu Bosnensi facultas in certis similibus casibus confessiones audiendi conceditur. Nr. 540. pag. 376.
1439. 27. Maii. Ioanni episcopo Signiensi legato, ut executionem cuidam Stephano de praepositura Albensi providendi suspendat, et capitulum Albense ex quadam lite pendente in pristinum statum restituat. Nr. 541. pag. 376.
— 14. „ Bartholomaeo archiepiscopo Spalatensi oratori ad regem Franciae et ducem Britanniae in causa concilii Basileensis misso pontifex potestatem et facultates legati a latere concedit. N. 542. p. 377.
— 15. Dec. Eidem archiepo Spalatensi in Angliam misso eaedem facultates concedantur. Nr. 543. pag. 377.
1440. 6. Nov. Iacobus archiepiscopus Ragusinus in provinciis Aprutii, Capitanatae, terrae Bari etc. regni Siciliae commissarius sedis apostolicae constituitur. Nr. 544. pag. 378.
1441. 5. Sept. Angelus epus Traguriensis camerae apostolicae thesaurarius constituitur. Nr. 545. pag. 379.
1443. 3 Ian. Episcopo Dulcinensi et abbati monasterii s. Sergii Scutarensis dioecesis, ut de abusibus iuris per qnemdam fratrem ord. Praedicat. in Albania patratis inquirantur et referant. Nr. 546. pag. 380.
— 8. Maii. Francisous s. Clementis cardinalis in Graecia oique adiacentibus partibus et ultramarinis sedis apostolicae legatus a latere constituitur. Nr. 547. pag. 380.
1444. 23 Ian. Baptista do Gentilibus civis Caffensis propter sua merita in rednoendis Armenis in civitate Caffensi ad unionem catholicam, et sui filii a pontifice comites palatini creantur. Nr. 548. pag. 381.
— 12. Febr. Iulianus cardinalis s. Angeli in Graecia eique finitimis partibus et ultramarinis sedis apostolicae legatus a latere constituitur. Nr. 549. pag. 382.
— 21. „ Cardinali s. Angeli legato, ut Ioannem de Tarlocz militem Ragusinae dioecesis in domo Rhodi hospitalis s. Ioannis Hierosolimitani in fratrem recipi faciat. Nr. 550. pag. 383.
— 21. „ Eidem cardinali, ut supradicto Ioanni de Tarlocz dicti hospitalis prioratum de Laverana Scardonensis dioecesis conferat. Nr. 551. pag. 383.
— 20. Oct. Angelo epo Traguriensi facultas tres canonicatus suae ecclesiae et totidem praebendas ot novem alia beneficia reservandi et viris idoneis conferendi conceditur. Nr. 552. pag. 384.
1445. 18. Mart. Thomas, lite cum Paulo Petri monacho composita, confirmatur abbas monasterii s. Michaelis de Peclina Ragusinae dioecesis. Nr. 553. pag. 386.
— 20. „ Paganinus epus Dulcinensis in Iadrensi, Ansarensi et ceteris illarum partium dioecesibus nuntius apostolicus et provontuum camerae apostolicae debitorum collector constituitur. Nr. 554. pag. 387.
— 11. Maii. Universis Petrus Vayvoda in Bosnia inferiori cum suis terris commendatur, et ne quos eum aliqualiter offendentes suscipiant. Nr. 558. pag. 389.
— 29. „ Cum Stephano Thoma rege Bosniae super defectu natalium pontifex dispensat, et eum legitimum regem Bosniae declarat. Nr. 555. pag. 388.
— 29. „ Idem rex a promissione, quam cuidam ignobili mulieri de ipsa in uxorem accipienda fecit, absolvitur. Nr. 556. pag. 388.
— 29. „ Petrus Vayvoda partes Bosniae inferiores inhabitans cum suis terris etc. sub apostolicae sedis protectione suscipitur. Nr. 557. pag. 389.

1445. 29. Iunii. Universis fidelibus ecclesiam S. Spiritus in Grouye Iauriensis dioecesis festis Penthecostes visitantibus indulgentia conceditur. Nr. 559. pag. 390.
— 30. „ Lanrentio de Hedrewar palatino regni Hungariae et Emerico bano Mazoviensi eius nato conceditur altare portatile. Nr. 560. pag. 390.
1446. 15. Mart. Iacobus archiepiscopus Ragusinus patrimonii beati Petri in Tuscia rector in spiritualibus et temporalibus constituitur. Nr. 561. pag. 390.
— 21. Maii. Pontifex ecclesiae Tergestinae de futuro episcopo providendam sibi reservat. Nr. 562. pag. 391.
— 3. Iulii. Fratribus ordinis Minorum de observantia vicariae Bosnensis quaedam privilegia conceduntur. Nr. 563. pag. 392.
— 3. „ Fabianus de Bachia ord. Minorum vicarius Bosnensis eiusque successores in eadem Bosnia, Huugaria, Moldavia, Valachia, Bulgaria, Rassia, Slavonia inquisitores haereticae pravitatis constituuntur. Nr. 564. pag. 394.
— 30. „ Universis Hungariae praelatis, principibus et populis, ut Stephanum Thomam Bosniae regem ucophytum foveant. Nr. 565. pag. 395.
— 11. Oct. Episcopo Farensi conceditur, ut monasterio sancti Ioannis de Pongle in insula Brachiensi, cuius reditus portionibus clericorum inferiorum concessi erant, aliquem idoneum praeficiat in abbatem. Nr. 566. pag. 396.
— 11. „ Eidem episcopo Farensi conceditur, ut quinque beneficia ecclesiae suae reservare et totidem viris idoneis conferre possit. Nr. 567. pag. 397.
— 18. „ Universis Christi fidelibus ecclesiam monasterii s. Clarae Spalatensis dioecesis eiusdem sanctae festis visitantibus iudulgentia conceditur. Nr. 568. pag. 398.

EPISTOLAE NICOLAI PP. V.

1447. 21. Maii. Iacobus archiepiscopus Ragusinus civitatis Perusinae eiusque comitatuum generalis in spiritualibus et temporalibus gubernator constituitur. Nr. 569. pag. 398.
— 18. Aug. Eidem Iacobo gubernatori Perusino, ut se informet de statu duorum monasteriorum s. Clarae et s. Francisci Assisii existentium, et si hoc magis reparatione egeat, et aedificia monasterii s. Clarae adhuc per annum sine periculo ruinae permanere possint, centum et quinquaginta flor. auri ex proventibus ecclesiae s. Mariae de Angelis ei applicet. Nr. 573. p. 401.
— 29. Oct. Universis Christi fidelibus ecclesiam s. Hieronymi de Strigone Zagrabiensis dioecesis, quae olim domus paterna eiusdem sancti, et in qua natus et nutritus exstitit, visitantibus festo dicti sancti indulgentia conceditur. Nr. 570. pag. 400.
— 10. Nov. Iisdem ecclesiam et monasterium, quod Fridericus comes Ciliae in Vallisau Aquileiensis dioecesis aedificari fecit, visitantibus certis festis indulgentiae concednntur. Nr. 571. pag. 400.
— 10. „ Friderico Ciliae, Ortemburgae et Zagoriae comiti una cum quinque familiaribus indulgetur, ut diebus quadragesimalibus carnibus et lacticiniis vesci valeant. Idem Ulrico comiti eius fratri iudulgetur. Nr. 572. pag. 401.
1448. 12. Ian. Thomae episcopo Farensi in regno Bosniae legato, ne in audiendis et decidendis differentiis inter fratres ord. Minorum in provinciis Bosnensi et Ragusina ortis procedat, donec aliud mandatum recipiat. Nr. 574. pag. 402.
1449. 2. Ian. Aeneae (postea Pius PP. II.) episcopo Tergestino de aliquo beneficio in Aquileiensi aut Salzeburgensi provinciis vacante cum eius fructibus in subsidium providetur. Nr. 575. pag. 402.
— 17. Iunii. Pontifex revocat provisiones de beneficiis in ecclesia Catharensi concessas, et eorum collationem in mensibus alternis episcopo concedit. Nr. 576. pag. 403.
— 5. Nov. Polidoro, olim episcopo Pergamensi, in archiepiscopum Iadrensem electo monasterium ss. Cosmae et Damiani Iadrensis dioecesis iterum in commendam conceditur. Nr. 577. pag. 404.
1450. 27. Ian. Iudicibus, ut se informent super facto spoliationis et appropriationis a capellanis Laurentii defuncti archiepiscopi Iadrensis de eius rebus patratae, eosque, si sibi de hoc constiterit, ad restituendum spirituali et corporali districtione compellant. Nr. 578. pag. 404.
— 18. Aug. Nobilibus civitatis Ragusinae pontifex concedit, ne quis in canonicum in ecclesia Ragusina, nisi de ipsa civitate oriundus et nobilis sit, infra xx. annos recipi possit. Nr. 579. pag. 405.
— 23. Sept. Aeneas epus Tergestinus ad ecclesiam Senensem transfertur. Nr. 580. pag. 406.
— 7. Nov. Pontifex suae et sedis apostolicae collationi et dispositioni canonicatum et praebendam in ecclesia Sibinicensi primo vocaturos reservat. Nr. 581. pag. 407.
1451. 9. Ianii. Constitutio, iuxta quam Stephanus comes in regno Bosniae, perfidus patarenus, et omnes eidem auxilium contra civitatem Ragusinam praestantes excommunicantur. Nr. 582. pag. 408.
1453. 2. Mart. Episcopo Polensi eiusque collegis, ut Marco Barbo clerico Veneto monasterium ss. Sergii et Bachi Scutarensis dioecesis in commendam conferendum curent. Nr. 583. pag. 408.

1453. 20. Mart. Constitutio, qua fratres Minores Conventuales a domo s. Francisci in civitate Iadrensi ob eorum demerita amoveri, in eamque fratres Minores regularis observantiae de domo s. Crucis extra moenia eiusdem civitatis transferri pontifex iubet etc., facultate data communitati Iadrensi bona mobilia domus sancti Francisci administrandi, nec non alienandi pro eiusdem domus roparatione (conf. infra Nr. 589.). Nr. 586. pag. 410.

— 21. April. Bulla fundationis hospitalis s. Hieronymi pro natione Slavorum in Urbe. Annotat. pag. 523.

— 28. „ Iacobus archiepus Ragusinus in Constantinopolitana et aliis Romaniae civitatibus etc. apostolicae sedis legatus, et in classe pontificia iis contra Turcas in auxilium parata praeses cum facultate legati de latere constituitur. Nr. 584. pag. 409.

— 20. Oct. Innins Marini de Gardis Ragusinus comes palatinus Lateranensis creatur. Nr. 585. pag. 410.

1454. 19. Maii. Episcopo Sibinicensi, ut monasterio s. Nicolai in portu extra muros Sibinicenses Georgium Michaelis ord. Praedicatorum in abbatem praeficiat. Nr. 587. pag. 412.

— 22. Aug. Andreae Lixiensi et Nicolao Polatensi episcopis, ut Paulum et alios Ducagninos Albaniae ab excommunicationis sententia propter initum foedus cum Turcis incursae absolvere possint. Nr. 588. pag. 413.

EPISTOLAE CALIXTI PP. III.

1455. 29. Maii. Constitutio, qua fratres Minores Conventuales in monastorium s. Francisci Iadrensc reducantur et in integrum restituuntur, fratribus Minoribus de observantia amotis et constitutione Nicolai III. (vido supra Nr. 586.) revocata. Nr. 589. pag. 414.

— 22. Iunii. Patriarchae Venetiarum et episcopo Asculano, ut Philippo Foscari civi Veneto super bonis per Polidorum archiepum Iadrensem oidem relictis iustitiam faciant. Nr. 590. pag. 416.

— 19. Sept. Ioanni S. Angeli cardinali legato in Germania et Hungaria committitur, ut de fraudibus circa episcopatum Zagrabiensem per Thomam de Debrenthe commissis sese informet et referat. Nr. 591. pag. 417.

1456. 1. Iunii. Episcopo Signiensi, ut conductionem quorumdam presbyterorum per abbatem monasterii s. Nicolai de Ottozac pro parrochiali ecclesia in castro et burgo, prope dictum monastorium per Sigismundum de Frangipanibus aedificatis, factam confirmet. Nr. 592. pag. 418.

— 8. Iulii. Episcopo Farensi conceditur, ut fructus quorumdam beneficiorum distribntionibus quotidianis in sua ecclesia clericis faciendis assignare possit. Nr. 593. pag. 419.

1457. 21. April. Universis Christi fidelibus ecclesiam b. Mariae domus de Podulo Spalatensis dioecesis visitantibus et adiuvantibus indulgentiae concoduntur. Nr. 596. pag. 421.

— 10. Maii. Episcopo Veglensi, ut monasteria s. Michaelis et s. Laurentii ab invicem et ab ecclesia Veglensi, cui incorporata erant, separet et in pristinum statum restituat etc. Nr. 597. pag. 422.

— 17. „ Iacobo de Marchia ord. Minorum in Hungariam et Bohemiam a pontifice misso quaedam facultates conceduntur. Nr. 598. pag. 423.

— 17. „ Cardinali S. Angeli legato praedictum Iacobum de Marchia pontifex commendat. Nr. 599. p. 423.

— 1. Iunii. Iudicibus, ut de abusibus etc. Pauli archiepi Croiensis inquirant, cumque, si ita esse invenerint, ab officiis et administratione ecclesiae suspendant. Nr. 600. pag. 424.

— 8. „ Episcopis Spoletano et Urbevetano et officiali Antibarensi, ut parrochialem ecclesiam s. Nicolai de Iaguena Antibarensis dioecesis vacantem Theodoro Marini de Servia presbytero eiusdem dioecesis conferendam curent. Nr. 609. pag. 428.

— 18. Aug. Conceduntur certae indulgentiae cunctis Christi fidelibus, qui ecclesiam s. Nicolai Alcsiensis devote visitaverint annuatim, ac manus ad eius restaurationem porrexerint adiutrices. N. 601. p. 425.

— 18. „ Abbati monasterii s. Venerae de Curbino Croiensis dioecesis, ut monasterio s. Mariae de Trefandena dioecesis Arbanensis ecclesiam s. Georgii unire et incorporare possit. Nr. 602. pag. 425.

— 5. Sept. Paulo abbati monasterii s. Mariae do Trefandena salvusconductus conceditur. Nr. 603. pag. 426.

— 10. „ Ioanni Navarr commissario mandatur, ut pecunias ex decimis in Dalmatia collectas in tres partes dividat, et unam regi Hungariae, alteram regi Bosniae, et tertiam quamprimum Georgio Castriot Scanderbech a Turcis obsesso assignet. Nr. 604. pag. 426.

— 14. „ Stephano duci Bosnensi, ut praedicto Ioanni Navarr fidem adhibeat. Nr. 605. pag. 427.

— 17. „ Georgio C. Scanderbech de Ioanne Navarr ad eum misso etc. pontifex scribit. Nr. 606. p. 427.

— 5. Nov. Nicolao Iaroli Testae nobili regni Bosnensis licentia presbyterum in certa ecclesia instituondi conceditur. Nr. 607. pag. 428.

— 5. „ Radmoy germano regis Bosniae licentia aliquos presbyteros in capella loci de Podenubac instituendi conceditur. Nr. 608. pag. 428.

— 5. „ Vicario generali archiepi Ragusini, ut Ioanni de Tripussa presbytero Catharensi de ecclesia sancti Nicolai de Ortis extra muros eiusdem civitatis provideat. Nr. 610. pag. 429.

1457. 14. Nov. Ioanni Baptistae de Sabellis subdiacono monasterium s. Luciae de Bescha ordinis s. Benedicti Veglensis dioecesis in commendam conceditur. Nr. 611. pag. 430.
— 18. Dec. Mariano de Sonis ord. Minorum collectori in provincia Ragusina mandatur, ut morcatoribus Florentinis XM. ducat. ex pecuniis istic collectis et residuum Ioanni Navarr quamprimum assignet. Nr. 613. pag. 432.
— 28. „ Andreas Sarabax iudex ordinarius et generalis, Theodorus Albus Vaivodus generalis contra Turcas capitaneus, et Io. Ducasoubrun procurator et syndicus in quibusdam provinciis a nuntio apostolico nominati confirmantur. Nr. 612. pag. 431.
1458. 31. Ian. Laurentio archiepo Spalatensi monasterium s. Stephani ordinis s. Benedicti Spalatensis dioecesis in commendam conceditur. Nr. 594. pag. 419.
— 31. „ Idem Laurentius constituitur administrator ecclesiae Hierosolymitanae. Nr. 595. pag. 420.
— 23. Mart. Episcopo Veglensi, ut Marinum de Maffeis monasterio s. Luciae de Bescha Veglensis dioecesis in abbatem praeficiat. Nr. 614. pag. 432.
— 22. April. Concordiam inter patronos initam super praesentatione clericorum ad duo beneficia vacantia in ecclesia omnium Sanctorum Ragusina pontifex confirmat, idoneos instituendi generali archiepiscopi Ragusini in spiritualibus vicario facta potestate. Nr. 616. pag. 434.
— 3. Iunii. Universis fidelibus ecclesiam cathedralem s. Nazarii Iustinopolitanam certis festivitatibus visitantibus, ad eiusque reparationem opem contribuentibus indulgentiae conceduntur. Nr. 617. pag. 436.
— 3. „ Iisdem ecclesiam s. Mariae apud flumen Tarsii et prope Tersadis oppidum Corbaviensis dioec. visitantibus et adiuvantibus indulgentiae conceduntur. Nr. 618. pag. 436.
— 3. „ Iisdem ecclesiam s. Mariae in terra Muglae Tergestinae dioec. ad confraternitatem Disciplinatorum utriusque sexus pertinentem visitantibus etc. indulgentiae conceduntur. Nr. 619. pag. 437.
— 3. „ Iisdem ecclesiam s. Bernardini extra moenia oppidi Pirani Iustinopolitanae dioecesis visitantibus et adiuvantibus indulgentiae conceduntur. Nr. 621. pag. 439.
— 8. „ Scardonensi et Corzulensi episcopis committitur, ut Ioanni Vitalich canonico ecclesiae Farensis primiceriatum eiusdem ecclesiae vacantem conferant. Nr. 615. pag. 433.
— 17. „ Thomae episcopo Farensi indulgetur, ut quatuor beneficia in sua ecclesia reservare et ad libitum clericis idoneis conferre possit. Nr. 620. pag. 437.
— 18. „ Traguriensi et Scardonensi episcopis et archipresbytero ecclesiae Spalatensis, ut ab epo Farensi cessionem commendae monasterii s. Silvestri de Lissa recipiant, illudque ecclesiae Farensi perpetuo uniant, fructuum divisione praescripta. Nr. 622. pag. 439.

EPISTOLAE PII PP. II.

1458. 26. Sept. Universis Christi fidelibus ecclesiam s. Nicolai ac beatae Mariae ei adnexam in terra Novimontis Antibarensis dioecesis certis diebus visitantibus, eique quomodolibet opitulantibus indulgentiae conceduntur. Nr. 637. pag. 450.
— 30. „ Episcopo Tragurienſi eiusque collegis, ut monasterium s. Silvestri de Lissa Farensis dioecesis ecclesiae Farensi uniant et incorporent etc. Nr. 623. pag. 440.
— 30. „ Universis Christi fidelibus, qui Matthaeo Nicolai civi Iadrensi eleemosynas pro ipso eiusque uxore et filiis captivis redimendis elargiuntur, indulgentia conceditur. Nr. 624. pag. 442.
— 18. Dec. Laurentio archiepiscopo Spalatensi conceditur, ut cum populo suae dioecesis super decimis sibi debitas compositionem ad certam annuam summam per eos persolvendam inire possit. N. 625. p. 442.
— 29. „ Christi fidelibus ecclesiam Tergestinam in eius dedicationis festo visitantibus indulgentia conceditur, et sex presbyteris, ut eos in casibus reservatis absolvere possint. Nr. 626. pag. 443.
— 31. „ Antonius epus Tergestinus a simoniaca labe in eiusdem sedis impetratione contracta iterum absolvitur, omnesquo fructus perceptos eidem gratioso donauntur. Nr. 627. pag. 444.
1459. 1. Ian. Eidem conceditur, ut quaedam legata incerta ad pias causas monasterio s. Benedicti de Cela (al. de la Cella) applicaro, ant in alia pietatis opera convertere possit. Nr 628. pag. 445.
— 1. „ Eidem episcopo Tergestino, ut canonicis suae ecclesiae almutias concedere, ipsisque mandare possit, ut eas portare teneantur. Nr. 629. pag. 445.
— 5. „ Capellae s. Cipriani donatio monasterio s. Benedicti de Cela per capitulum ecclesiae Tergestinae facta apostolica auctoritate sancitur. Nr. 630. pag. 445.
— 31. Mart. Francisco epo Corbaviensi facultas testandi conceditur. Nr. 631. pag. 446.
— 31. „ Universis Christi fidelibus ecclesiam s. Georgii in castro Corvinio Corbaviensis dioecesis festo eiusdem sancti visitantibus, aut ei opitulantibus indulgentia conceditur. Nr. 632. pag. 447.
— 4. April. Archiepo Spalatensi et aliis, ut omnes detentores bonorum quorumcumque ad ecclesiam Corbaviensem spectantium ad ea episcopo restituenda, et de illis satisfaciendum sub poena excommunicationis moneant et compellant. Nr. 634. pag. 448.

1459. 18. April. Marino de Ragina canonico Ragusino, ut mensae episcopali Catharensi capellae beate Mariae et s. Nicolai de Priculacha Catharensis dioecesis uniat et incorporet. Nr. 633. pag. 447.
— 6. Iulii. Natali epo Nonensi, ut Ioannem Nicolai canonicum Spalatensem ad canonicatus et beneficia, quibus episcopus Farensis et alii enm spoliaverant, restituat. Nr. 635. pag. 449.
— 25. Aug. Archiepiscopo Spalatensi, ut bona Georgii abbatis monasterii s. Nicolai ord. s. Benedicti extra muros Sibinicenses priori et domni Venetiarum ord. Praedicatorum adiudicet. Nr. 636. pag. 450.
— 3. Oct. Abbatissae et monialibus monasterii s. Benedicti de la Cella Tergestini licentia conceditur confessorem sibi eligendi, ipsisquo nec non Christi fidelibus earum ecclesiam visitantibus et adiuvantibus indulgentiae conceduntur. Nr. 638. pag. 451.
— 17. „ Antonio epo et comiti Tergestino facultatem testandi conceditur. Nr. 639. pag. 452.
— 14. Dec. Manueli epo Sentarensi, ut Petrum Czavonis abbatem monasterii s. Ioannis de Scivalio Drivastensis dioec. in possessionem eiusdem monasterii restituat. Nr. 640. pag. 452.
— 17. „ Oblationum ecclesiae Torgostinae ex indulgentiarum lucro, missis et eleemosynis obvenientium custodia, nec non divisio pro ecclesiae reparatione epo et capitulo praescribitur. Nr. 642. p. 454.
— 24. „ Capitulo Tergestino conceditur, nt suae ecclesiae certa beneficia uniantur. Nr. 641. pag. 453.
— 24. „ Eidem capitulo confirmatio uuionis quarumdam capellarum et ecclesiarum per episcopum factae conceditur. Nr. 643. pag. 454.
— 26. „ Universis fidelibus ecclesiam s. Sebastiani Tergestinam visitantibus indulgentia trium annorum et totidem quadragenarum in eisdem sancti festo conceditur. Nr. 644. pag. 455.
— 26. „ Legatum a Nicolao epo Tergestino capellae s. Sebastiani Tergestinae relictum, potente commissario testamentario, apostolica auctoritate confirmatur. Nr. 645. pag. 455.
1460. 4. Mart. Nicolao Pauli de Gondola conceditur, nt in quadam ecclesia in possessionibus Ragusinae ecclesiae monasterium ordinis s. Benedicti erigere possit. Nr. 646. pag. 456.
— 13. Iunii. Episcopo Parentino, ut litteras apostolicas do monasterio s. Theodori uniendo archidiaconatui Polonsi subreptitie impetratas revocet et annullet. Nr. 647. pag. 457.
— 2. Sept. Abbati s. Iacobi de Visguiza, nt institutionem etc. archipresbyteratus in ecclesia Ragusina per capitulum eiusdem ecclesiae factam auctoritate apostolica approbet. Nr. 648. pag. 458.
1461. 28. April. Constitutio, qua hospitali s. Hieronymi nationis Slavonum in Urbe bonorum medietas omnium dictae nationis, qui in Urbe eiusque districtu sine haeredibus proximis ab intestato decedunt, applicetur. Nr. 649. pag. 458.
— 5. Aug. Francisco Damiani archidiacono Iadrensi quoddam pactum cum Iacobo Fuscaro de monasterio ss. Cosmae et Damiani Iadrensis dioec. initum confirmatur. Nr. 650. pag. 459.
— 7. Nov. Universis Christi fidelibus ecclesiam s. Mariae in Iaica Bosnensis dioec. certis diebus festivis vitantibus indulgentiae conceduntur. Nr. 651. pag. 460.
1462. 2. Ian. Primicerio ecclesiae Tragurionsis, ut ecclesiam sancti Nicolai do Lissa alias sancti Silvestri de Scopulobuci Farensis dioecesis, eiusque monasterium cum abbatiali dignitate in pristinum statum reponat. Nr. 652. pag. 460.
— 14. „ Magistro Georgio Pelmi commendatario monasterii beatae Mariae de Rotezo Antibarensis dioec. restitutio omnium rerum in bello contra infideles a catholicis ablatarum remittuntur. N. 653. p. 462.
— 15. Febr. Francisous Damiani archidiaconus Iadrensis constituitur in Istriae et Dalmatiae provinciis proventuum camerae apostolicae collector. Nr. 654. pag. 463.
— 22. Sept. Universis fidelibus ecclesiam b. Mariae iuxta castrum Foraminis Torgostinae dioec. certis festis visitantibus, ant eidem quovismodo opitulantibus indulgentiae conceduntur. Nr. 655. pag. 464.
— 3. Nov. Universis Christi fidelibus ecclesiam sive capellam s. Bartholomaei in litore maris Tergest. dioec. festo eiusdem sancti visitantibus et adiuvantibus indulgentia conceditur. Nr. 656. pag. 464.
1463. 29. Ian. Protectoribus Comperarum s. Georgii Ianuensis conceditur, ut omnes, qui civitatem Caphao moenis contra Turcas cingendam adiuvaverint, aut ad hoc opus pecunias elargiti sint, ant alio quoquo modo contra ipsos Turcas auxilium tulerint, plenam omnium suorum peccatorum veniam assequi valeant. Nr. 657. pag. 464.
— 31. Aug. Cardinalis Bessarion legatus de latere Nicolaum Iadrontinum opum Damnensem, praedicatorem verbum Crucis in partibus Istriae contra Turcas constituit, et quaedam facultates et suas instructiones exhibet etc. Nr. 658. pag. 466.
— 10. Oct. Simon archiepus Antibarensis constituitur procurator ecclesiae Signiensis. Nr. 659. pag. 473.
— 21. „ Pius PP. II. universis Christi fidelibus so ipsum in expeditionem contra Turcas proximo profecturum annuntiat, excitando omnes, ut huic sacro bello praesto sint etc. Nr. 660. pag. 474.
— 21. Nov. Bessarion cardinalis legatus epo Tragurionsi committit, ut Petro Fuscari commendatario abbatiae ss. Cosmae et Damiani de Rogono Iadrensis dioec. 500. iugera cuiusdam paludis ad eandem abbatiam pertinentis in emphiteusim concedendi det licentiam. Nr. 661. pag. 481.

1464. 21. Iulii. Pontifex concordiam circa iuspatronatus quarumdam ecclesiarum inter capitulum Tergestinum et Wolfgangum et Rampertum barones de Valse in Duino initam confirmat, insertis nonnullis documentis. Nr. 662. pag. 482.

EPISTOLAE PAULI PP. II.

1466. 22. Aug. Gesta ab archiepo Ragusino circa reformationem in visitatione monasterii s. Mariae Lacromensis eiusdem dioecesis pontifex approbat. Nr. 663. pag. 489.

1467. 19. Nov. Iudicibus, ut locationem de possessione in insula Lachignana sita a canonicis s. Mariae maioris Ragusinis congregationi s. Iustinae de Padua ad mille annos factam apostolica auctoritate confirmare possint. Nr. 664. pag. 490.

1468. 9. Ian. Vicario archiepi Iadrensi causa matrimonii inter Ioannem Luchodich et Nicolinam Laurentii ab vicario generali episcopi Sibinicensi appellantem cognoscenda committitur. Nr. 665. pag. 492.

1469. 8. Aug. Iudicibus, ut causam de matrimonio inter Ioannem Marini de Ozoris et Margaritam Hectoris Antonii Farenses promisso vertentem audiant et decidant. Nr. 666. pag. 493.

1470. 26. Oct. Stephanus rector parrochialis ecclesiae s. Georgii de Assanis Dainensis dioec. ecclesiae Polatensi maiori in episcopum praeficitur. Nr. 667. pag. 493.

— 25. Nov. Eidem Stephano electo Polatensi indulgetur, ut a quocumque antistite catholico consecrationis munus recipere possit. Nr. 668. pag. 494.

— 25. Nov. Laurentius Zane archiepus Spalatensis thesaurarius Marchiae Anconitanae etc. statuta artis lanae in civitate Caesenate edit. Nr. 669. pag. 495.

EPISTOLAE SIXTI PP. IV.

1473. 23. Iulii. Zanetus de Utino magister ord. Minorum generalis ecclesiae Spalatensi in archiepum praeficitur, ot de more commendatur. Nr. 670. pag. 495.

— 21. Aug. Michaeli Rodizosich canonico Sibinicensi, ut Bernardino Sporcych mansionariam ecclesiae Sibinicensis et quasdam alias ecclesias conferat. Nr. 671. pag. 496.

1474. 24. Mart. Conventus s. Salvatoris alias s. Mariae de Rotezo, quoad Simon archiepiscopus Patracensis eius commendatarius fuerit, ab inrisdictione archiepiscopi Antibarensis eximitur. Nr. 672. pag. 497.

— 5. Iulii. Constitutio, qua Lucae epo Sibinicensi conceditur, ut monasterium s. Nicolai in portu Sibinicensi mensae episcopali, quamdin ipse ecclesiae Sibinicensi praefuerit, uniatur. Nr. 673. pag. 498.

— 20. „ Constitutio, qua ecclesia Drivastensis ecclesiae Antibarensi, quamdiu Stephanus archiepiscopus huic ecclesiae praefuerit, unitur. Nr. 674. pag. 499.

— 21. Nov. Vicario episcopi Polensis, ut Oreum de Gavardis ordinis Minorum monasterio s. Crucis de Caneto ordinis s. Benedicti Polensis dioecesis, expulso Daniele de Carlevaris simonisco, in abbatem praeficiat. Nr. 675. pag. 499.

1475. 12. Iunii. Iudicibus, ut Ioanni archiepiscopo Ragusino licentiam certae mensae archiepiscopalis possessiones lapidosas iuxta portus Gravosiae extra muros Ragusinos vendendi etc. concedant. N. 676. p. 501.

— 18. Sept. Iudicibus committitur, ut in causa inter canonicos et archiepiscopum Iadrensem super quarta decimarum sententiam ferant, et iudicata exsecutioni mandanda curent. Nr. 677. pag. 502.

1476. 6. April. Iubilaeus anni sancti civitati Ragusinae conceditur. Nr. 678. pag. 503.

— 22. „ Constitutio et declaratio super unione monasterii sancti Nicolai de portu extra muros Sibinicenses mensae episcopali Sibinicensi facta. Nr. 679. pag. 505.

— 23. Oct. Nicolaus Francus canonicus Tarvisinus ecclesiae Parentinae in epum praeficitur. Nr. 680. p. 506.

— 23. „ Eidem electo Parentino indulgetur, ut omuia beneficia, quae ante suam promotionem habebat, retinere possit. Nr. 681. pag. 507.

1478. 27. Mart. Pontifex rectores, consilium et commune civitatis Ragusinae stricte monet, ut infra sex dies de certa frumenti quantitate ab eis intercepti camerae apostolicae satisfaciant, alioquin excommunicati sint et eorum dominium ecclesiastico subiaceat interdicto. Nr. 682. pag. 507.

— 20. Oct. Catherinae reginae Bosniae testamentum, per quod, nisi Sigismundus et Catherina eius filii ad christianam fidem redirent, Romanam ecclesiam instituit hseredem. Nr. 683. pag. 509.

1479. 20. April. Sententias de nullitate matrimonii pro Andreola Nicolai Victuri contra Doctrinam Stephani Victuri civem Traguriensem latas pontifex approbat et confirmat. Nr. 684. pag. 511.

— 20. „ Exsecutoribus mandatur, ut praedictas litteras promulgent et sententias exsequantur. N. 685. p. 515.

— 26. Maii. Indulgentia plenaria omnibus Christi fidelibus tam civitatis et dioec. Ragusinae quam alienigenis, qui dictam civitatem et eius territorium contra Turcas defendent, conceditur. Nr. 686. pag. 515.

1483. 10. Ian. Caesaris studium ineundae cum Hungariae rege pacis pontifex collaudat. Nr. 687. pag. 516.

— 10. „ Nuntio apostolico, ut pacem Caesarem inter et regem Hungariae reconciliandam pro virili curet. Nr. 688. pag. 516.

1483. 20. Maii. Abbati s. Mariae Lacromensis eiusque collegis, ut Blasio de Gendula canonico Ragusino monasterium s. Iacobi de Visegniza in commendam auctoritate apostolica conferant. Nr. 689. p. 516.
— 28. Iunii. Ragusinis de luctuoso casu Iacobi de Goudola eorum concivis prope Velitras a latronibus interfecti, et de certa pecuniarum summa eius haeredibus persolvenda. Nr. 690. pag. 517.
1484. 14. Ian. Archiepiscopum Antibarensem ad se postifex vocat. Nr. 691. pag. 517.
— 1. Febr. Nuntio apostolico apud Caesaream, ut ipsum et regem Hungariae ad pacem inter se ineundam inducat. Nr. 692. pag. 518.
— 9. April. Archiepiscopo Antibarensi, apud Venetos instet, ut frumouta ad levandam annouam Urbis a pontifice in Apulia empta ab ipsis una cum navibus capta restituant. Nr. 693. pag. 518.
— 3. Maii. Regi Siciliae super eodem, ot nt pecuniarum summam, quam ex praedictis frumentis cnidam mercatori Ragusino venditis ceperat, restituendam curet. Nr. 694. pag. 519.

EPISTOLAE INNOCENTII PP. VIII.

1484. 17. Dec. Donatus de Turre rector parrochialis ecclesiae s. Iustinae de Balderia Vincentinae dioecesis ecclesiae Veglensi in episcopum praeficitur. Nr. 695. pag. 519.
— 14. „ Idem Donatus de Turre a censuris et seutentiis, si quas incurrerit, absolvitur. Nr. 696. p. 520.
1485. 21. Nov. Episcopo Transilvano, ut in clericos regni Hungariae privilegiis etc. sedis apostolicae abutentes animadvertat. Nr. 697. pag. 520.
1486. 14. Ian. Capitulo Sibinicensi, no ipsorum episcopo a sede apostolica censuris innodato amplius pareant, sed exercitium episcopalium alicui viciniori episcopo conferant, donec idem episcopus a censuris absolutus fuerit. Nr. 698. pag. 521.
— 2. Maii. Duci Venetiarum, nt episcopo Parentino ad ecclesiam Tarvisinam translato eiusdem ecclesiae possessionem tradi atque assignari faciat. Nr. 699. pag. 521.
— 11. „ Michael de Rosanis constituitur collector fructuum etc. camerae apost. in Dalmatia. N. 700. p. 522.
— 23. Iunii. Episcopo Parcutino, uuntio apostolico, instet apud Vouetos, ut dohanerios pontificios in usum incolarum Marchiae Anconitanae salem ex Dalmatia extrahere permittant. Nr. 701. pag. 522.
— 10. Oct. Societati hospitalis Illyrici in Urbe quaedam cripta donatur, ot bulla fundationis eiusdem hospitalis a Nicolao PP. concessa subiuncta est. Nr. 702. pag. 522.
— 19. Dec. Fratribus ord. Praedicatorum Ragusinis donatio quaedam a capitulo Ragusino ipsis facta confirmatur. Nr. 703. pag. 523.
1487. 20. Maii. Indicibus mandatur, ue in causa sequestri coutra eþum Sibinicensom procedant. Nr. 704. p. 523.
— 29. „ Fratribns ord. Minorum de observantia in Dalmatia conceditur, ut iuxta oppidum Churrilli dioecesis Arbanensis quamdam domum accipere possint. Nr. 705. pag. 524.
— 2. Iunii. Matthaeus Aranens archidiuconus ot Franciscus de Gardis canonicus Ragusini admouentes de munere bene perfungendo, et ut eorum archiepiscopo pareant. Nr. 706. pag. 524.
— 10. „ Episcopo Parentino, ut canonicos negligentes ad officium revocet et ad residendum compellat. Nr. 707. pag. 523.
— 11. „ Episcopo Dulcinensi, ut archiepiscopum et communitatem Antibarenses ad restituenda pecunias et alia bona, qni episcopus Torcellanus, dum ecclesiae Antibarensi praefuerat, ibi reliquerat, compellat. Nr. 708. pag. 525.
— 28. „ Archiepiscopo Spalatensi, nt causam inter quosdam clericos de capellania s. Bartholomaei Vallis Tascurii vertentem examinet et decidat. Nr. 709. pag. 526.
— 28. Sept. I. Mich. de Bonis monacho de Meleda, ut limina Apostolorum visitare possit. Nr. 710. pag. 526.
1489. 30. April. Provinciali fratrum Praedicatorum in Hungaria, ut domum a Michaelo Chaki in oppido Kerchegh Varadiensis dioecesis oblatam pro suo ordine accipere possit. Nr. 711. pag. 526.
— 9. Maii. Eidom donatio domus suo ordini in oppido Zabathlan Vesprimiensis dioecesis a Georgio de Zabathlan facta confirmatur. Nr. 712. pag. 527.
— 13. Sept. Philippo archiepiscopo Antibarensi et eius immediato successori quaedam facultates in partibus a Turcis occupatis conceduntur. Nr. 713. pag. 527.
1490. 10. Febr. Capellano reginae Rasciae altare portatile et quaedam privilegia conceduntur. Nr. 714. pag. 528.
— 4. Mart. Nuntio apostolico apud regem Hungariae, ut eiusdem regis votis obsecundans fratres ot moniales ordinis Minorum conventualium quarumdam domorum in Hungaria ad strictiorem eiusdem ordinis regulam reducat etc. Nr. 715. pag. 519.
— 31. „ Episcopo Nonensi, et qnemdam presbyterum Tiniensis dioecesis a reatu homicidii absolvat ac rehabilitet. Nr. 716. pag. 529.
— 8. Iulii. Monitorium, quo Laurentio duci quondam Nicolai Bosniae regis nato eiusque complicibus peremptorie mandatur, nt Roderico episcopo Portuensi monasterium Bellifoutis de Varadiuopetri restituant (conf. infra Nr. 720.). Nr. 717. pag. 530.

1492. 23. April. Universis Christi fidelibus ecclesiam beatae Mariae extra muros castri Flaigni Spalatensis dioec. festo Pentecostes visitantibus, et ad eam et castrum Nnciach in confinibus Turcarum sita reparanda et conservanda auxilium ferentibus indulgentia conceditur. Nr. 718. pag. 532.

— 23. „ Iisdem capellam s. Georgii in ecclesia Clyssiensis Spalatensis dioecesis visitantibns etc. ut supra indulgentia conceditur. Nr. 719. pag. 533.

EPISOLAE ALEXANDRI PP. VI.

1492. 26. Aug. Pontifex cardinali sancti Sixti concedit monasterium beatae Mariae Bellifontis de Varadinopetri in commendam, qnod ipse antea obtinebat (vide supra Nr. 717.) Nr. 720. pag. 534.

1493. 11. Oct. Ioanni episcopo Catharensi monasterinm sancti Georgii Catharensis dioecesis in commendam concessum confirmatur. Nr. 721. pag. 534.

1394. 19. April. Maximilianus Romanorum imperator Alexandrum VI. per oratores suos certiorem reddit de consilio suo bellum contra Turcas movendi, Croatiam et Hungariam contra eosdem tuendi, petitque, nt ipse pontifex reliquos principes ad auxilium in hoc ferendum exhortetur. Nr. 722. pag. 535.

— 29. Iulii. Pontifex tertiam partem omnium bonorum ecclesiasticorum, de quibus in quibuscumqne testamentis, codicillis aliisqne donationibus etc. dispositum fuerit, camerae apostolicae pro sancta cruciata reservat et applicat. Nr. 723. pag. 537.

1495. 30. Iulii. Salvusconductus pro archiepiscopo Colocensi, nt Romam veniat. Nr. 726. pag. 541.

— 5. Aug. Dominico s. Nicolai inter imagines diacono cardinali castrum Ursarise ad ecclesiam Parentinam pertinens in commendam ad vitam conceditur. Nr. 727. pag. 541.

— 19. Dec. Ioannes epus Ausarensis ad ecclesiam archiepiscopalem Iadrensem transfertur. Nr. 724. pag. 539.

— 19. „ Eidem electo Iadrensi quidam fructus ecclesiae Ausarensis et monasterii beatae Mariae de Caneto Polensis dioecesis adiudicatur. Nr. 725. pag. 540.

1500. 26. Sept. Iubilaeus ad promovendum bellum contra Turcas Hungaris et Polonis iam concessus innovatur, et ad Christi fideles Valachiae extenditur. Nr. 728. pag. 542.

1502. 8. April. Exsecutoribus, ut Georgio de Baronellis clerico Nonensi quaedam beneficia ecclesiastica, quae Nicolaus electus Scardonensis promotionis suae tempore obtinebat, conferenda curent. N. 729. p. 545.

1503. 15. Febr. Bernardus Zana ecclesiae Spalatensi praeficitur in archiepiscopum. Nr. 730. pag. 546.

EPISTOLAE IULII PP. II.

1504. 12. Iunii. Wladislao regi Hungariae, ut episcopum Sidoniensem haeresis suspectum a Bohemia arceri et capi faciat. Nr. 731. pag. 548.

— 19. „ Archiepo Ragusino eiusque collegae de obsidenda arce Forliviensi. Nr. 732. pag. 548.

1505. 2. Ian. Ragusinis, nt Antonium marchionem Cotromatem a Turcis captum redimendum curent. N. 733. p. 548.

— 31. „ Episcopo Farensi, nt delinquentes in provincia Patrimonii B. Petri sibi commisa sine conscientiae scrupulo puniat. Nr. 734. pag. 549.

— 13. Mart. Epo Polensi, locumtenenti Bononiae, nt B. Zambechario opportune faveat. Nr. 735. pag. 549.

— 29. „ Exsecutoribus, nt Iuliano episcopo Brictinoriensi monasterium s. Michaelis de Peclina Ragusinae dioecesis in commendam conferendum curent. Nr. 736. pag. 549.

— 31. „ Iulianus epus Brictinoriensis ad ecclesiam Ragusinam transfertur. Nr. 737. pag. 550.

— 21. April. Haeredes Ioannis archiepiscopi Iadrensis a molestatoribus liberantur. Nr. 738. pag. 551.

— 8. Maii. Ragusinis Iulianus epus Brictinoriensis ad eorum ecclesiam translatus commendatur. N. 739. p. 551.

— 4. Iulii. Iisdem Ragusinis, ut redemptioni marchionis Cotromatis e captivitate Turcarum faveant. N. 740. p. 551.

— 8. Sept. Iisdem, nt Thomae episcopo Corsulensi, in Urbe pontificis vicario, centum ducatos ex decimis camerae apostolicae debitis ante terminum solvere velint. Nr. 741. pag. 552.

— 19. „ Iisdem, ut marchionis Cotromatis a Turcis misere necati uxori et propinquis ad eius ossa in Italiam deferenda omni studio faveant. Nr. 742. pag. 552.

1506. 22. Maii. Vicario Iadrensi, nt impediat, ne moniales s. Mariae Iadrenses ord. s Benedicti ab abbatissa ad strictiorem s. Francisci regulam transire cogantur. Nr. 743. pag. 552.

— 2. Iulii. Ragusinis, ne Petrum clericum in asseqnendo beneficio ei collato impediant. Nr. 744. pag. 553.

1507. 9. Ian. Vicario epi Polensis, nt Faustinum Tercium ad quaedam beneficia admitti faciat. Nr. 745. p. 553.

1508. 28. Ian. Episcopo Nonensi, ut Martinum Maladosich in possessione monasterii s. Ambrosii Nonensis manteneat. Nr. 746. pag. 553.

— 3. April. Episcopo Scardonensi, nt Georgio de Baronellis possessionem qnorumdam presbyteratuum sine mora relaxet. Nr. 747. pag. 554.

— 16. Iunii. Regi Hungariae pontifex scribit de pio bani Croatiae desiderio circa indulgentias in subsidium belli contra Turcas concedendas, et de Sophi Persarum ad fidem christianam reducendo. Nr. 748. pag. 554.

1508. 15. Oct. Electo Vaciensi terminus suscipiendi muneris consecratienis ad biennium prorogatur. N. 749. p. 555.
1509. 12. Oct. Petro epo Alexiensi ecclesia s. Mariae de Gelma Pelatensis dioecesis in commendam confertur, quam Petrus epus Pelatensis tempore suae prometienis obtinebat. Nr. 750. pag. 555.
1511. 10. Dec. Bellatie de Ungariis clerico Drivastensi menasterium s. Nicolai de la Bayana Dulcinensis diecc. in commendam conceditur. Nr. 751. pag. 556.

EPISTOLAE LEONIS PP. X.

1514. 2. Maii. Electo Catharensi, ut vigore brevis apostolici possessienem ipsius ecclesiae sine litteris apostolicis sub plumbo expeditis libere apprehendere, et pontificales exercere possit. Nr. 752. p. 557.
— 30. „ Salvusconductus pro eodem electo Catharensi. Nr. 753. pag. 557.
— 2. Iunii. Universis Christi fidelibus ecclesias Antibarensem et Catharensem certo die visitantibus, et ad eius reparatienem epem ferentibus plenaria indulgentia conceditur. Nr. 754. pag. 558.
1515. 12. Mart. Wladislaus rex Hungariae supplicat pontifici, ut reservatienem in praeiudicium hospitalis pauperum apud S. Mathiam Vratislaviae datam revocare velit. Nr. 755. pag. 558.
— 6. Ianii. Idem Wladislaus pontifici Bernardinum de Comitibus Papiensibus Romam redeuntem commendat. Nr. 756. pag. 559.
— 20. „ Idem pontifici supplicat, ut causam quendam Andreae bani Croatiae, ad curiam ecclesiasticam perperam delatam, ad curiam saecularem regni Hungariae remittat. Nr. 757. pag. 559.
— 20. „ Idem rex Hungariae supplicat summo pontifici, ne nepotem archiepiscopi Colocensis in ordinem fratrum Minerum ingredi permittat, sed eum in Hungariam remittat. Nr. 758. pag. 560.
— 11. Iulii. Episcopo Scardonensi tres sententiae pro eo contra Lucam archipresbyterum Breberiensem super certis decimis latae a pontifice confirmantur. Nr. 759. pag. 561.
— 27. „ Wladislaus rex Hungariae pontifici gratias de collata epo Gurcensi purpura agens petit, ut ipsi facultates ampliare et legatienem Germanicam concedere velit. Nr. 760. pag. 562.
1516. 25. Maii. Pentifex respondet dubio epi Vesprimiensis, exercitus regis Hungariae contra Turcas capitanei generalis, indulgetque, ut Turcae aliique infideles in belle capti venundari, aut ad emne servitii genus mancipari possint. Nr. 761. pag. 562.
1517. 4. Mart. Octaviane Cerso archipresbyteratus ecclesiae Pagensis Iadrensis dioec. confertur, quam Simeon episcopus Medrusiensis obtinebat. Nr. 762. pag. 563.
— 22. Maii. Ioannes Thomaschinch episcopo Scardonensi coadiutor in ecclesia sanctae Mariae Clissiensi datur. Nr. 764. pag. 565.
— 18. Sept. Episcopus Pelensis ad Venetos cum potestate legati de latere nuntius mittitur, ut expeditienem contra Turcas urgeat. Nr. 765. pag. 566.
— 28. Dec. Episcopo Nenensi eiusque collegae, nt Antonium de Metta Iadrensem ad comparendum coram anditore causarum camerae apostolicae meneant. Nr. 766. pag. 566.
1518. 4. Mart. Exsecutoribus, ut Vincentium epum Ottocensem in possessienem canenicatus, archipresbyteratus et primiceriatus ecclesiae Tragurienis inducant. Nr. 763. pag. 564.
— 15. Maii. Ioanni Rachich ex gentibus armigeris episcopi Vesprimiensis a ieiunio dispensatie concedittur, et ut tempore praesertim belli contra Turcas quadragesimalibus etc. lacticiniis vesci possit. Nr. 767. pag. 567.
— 26. Iunii. Ioanni de Andreis canonicatus cum praebenda in ecclesia Farensi confertur. Nr. 768. pag. 567.
— 11. Iulii. Ludevicus rex Hungariae snpplicat pentifici, ut episcopo Besnensi B. lectorem Bachiensem det coadiutorem. Nr. 769. pag. 568.
— 26. Nov. Tripheni episcopo Catharensi confertur menasterium s. Georgii de Scopulo. Nr. 770. pag. 568.
1519. 11. Ian. Salvusconductus pro sponsa Marci Iaxit nobilis Hungari. Nr. 771. pag. 569.
— 12. Mart. Duci Urbini, nt Ioanni Staphileo episcopo Sibinicensi ad Francorum regem nuntie apostolico ituro fidem adhibeat. Nr. 772. pag. 570.
— 25. Maii. Universis fidelibus ecclesiam s. Nicolai in Felveneth Agriensis dioec. visitantibus et adinvantibus indulgentiae conceduntur. Nr. 773. pag. 570.
— 3. Iunii. Valachiae veivodis, ut principum christianerum foederi contra Turcas se associent. N. 774. p. 571.
— 9. „ Ecclesiam s. Crucis in eppide Weich Zagrabiensis dieccesis visitantibus, eique manus adiutrices porrigentibus indulgentiae conceduntur. Nr. 775. pag. 571.
— 12. „ Universis Christi fidelibus ecclesiam B. Mariae Clissiensem Spalatensis dioec. visitantibus, et ad terram Clissiensem muniendam adinvantibus etc. indulgentia plenaria conceditur. Nr. 776. p. 572.
— 24. Sept. Andreae Piperarie epo Ausarensi tempus expediendarum litterarum suae provisienis ad sex menses prorogatur. Nr. 777. pag. 573.
1520. 31. Ian. Capitulo Sibinicensi, nt Petro de Albis clerico Ragusino quacdam beneficia eidem collata conservent. Nr. 778. pag. 574.

1520. 13. Iunii. Vincentius Stalona ecclesiae Polatensi praeficitur in episcopum. Nr. 779. pag. 574.
1521. 6. Febr. Canonicis ecclesiae Signiensis, ut Francisco eorum electo episcopo obediant. Nr. 780. pag. 574.
— 23. Mart. Universis Christi fidelibus primae missae Simeonis episcopi Zagrabiensis assistentibus indulgentia conceditur. Nr. 781. pag. 575.
— 21. Maii. M. Ant. Contareno civitatis et insulae Veglensis provisori, ut episcopo Bossanensi in percipiendis fructibus ex sequestro proventuum episcopi Veglensis praesto sit. Nr. 782. pag. 575.
— 11. Iunii. Pontifex votis episcopi Scardonensis obsecundans fidelibus haeremitorium et ecclesiam s. Mariae et s. Hieronymi in insula Brachiae visitantibus, eiusque manus adiutrices porrigentibus indulgentias concedit. Nr. 783. pag. 576.
..... Quibusdam clericis de beneficiis ecclesiasticis providetur. Nr. 784. pag. 576.

EPISTOLAE HADRIANI PP. VI.

1522. 21. Maii. 2. Sept. Io. Bapt. Eugubio Staphileo nopoti episcopi Sibinicensis, et Ioanni electo Suscinensi de quibusdam beneficiis ecclesiasticis providetur. Nr. 785. pag. 577.

EPISTOLAE CLEMENTIS PP. VII.

1523. 26. Nov. Laurentio episcopo Dulcinensi ad ecclesiam archiepiscopalem Antibarensem per Leonem X. translato litterae apostolicae expediuntur. Nr. 786. pag. 578.
1524. 29. Ian. Alexandro Tramontano canonicatus et praebenda Spalatensis et capella s. Catharinae extra muros Tragurienses conferuntur, quos episcopus Ottocensis obtinebat. Nr. 787. pag. 579.
— 31. Maii. Ludovicus rex Hungariae pontifici suum in Urbe procuratorem commendat. Nr. 789. pag. 580.
— 31. „ Regina Hungaria pontifici praedictum regis procuratorem in Urbe commendat. Nr. 788. pag. 580.
— 12. Iulii. Clerus Veglensis pontifici supplicat, ut Natalem ipsorum episcopum removeat. Nr. 790. pag. 581.
— 30. „ Ferdinandus archidux Austriae pontificem do religionis conditione in Germania, et statu suarum provinciarum edocet, oique supplicat, ut sibi in paranda contra Turcas expeditione praesto sit. Nr. 791. pag. 581.
— 1. Oct. Idem archidux pontifici respondens de eodem argumonto scribit. Nr. 792. pag. 583.
— 20. „ Ludovicus rex Hungariae pontifici res afflictas sui regni commendat. Nr. 793. pag. 584.
— 21. „ Philippus praepositus Agriensis ecclesiae Quinqueecclesiensi in epum praeficitur. Nr. 794. p. 584.
— 5. Dec. Ludovicus rex Hungariae spondet pontifici se Stephanum Brodericum recommendatum habiturum, eique de episcopatu proxime vacaturo provisurum. Nr. 795. pag. 585.
1525. 31. Mart. Ragusinis confirmatur statutum ab ipsis factum de obviandis scandalis circa commntationes voluntatum testatorum, ot impetratione legatorum de bonis male ablatis et incertis. Nr. 796. pag. 586.
— 1. April. Ferdinandus archidux Austriae commendat pontifici oratorem regis Hungariae. Nr. 797. pag. 586.
— 13. Iunii. Idem archidux supplicat pontifici, ut Petro episcopo Torgestino Paulum Ricium coadiutorem dare velit. Nr. 798. pag. 587.
— 20. „ Andreas electus Tiniensis monetur, nt munus consecrationis quantocius suscipiat. N. 799. p. 587.
— 1. Oct. Ladovicus rex Hungariae petit a pontifice, ut causam inter episcopum Zagrabiensem et fratres ord. Praedicatorum Chasmenses vertentem ad regnum Hungariae remittat. Nr. 800. pag. 587.
— 17. Nov. Idem rex pontifici praepositum Olomncensem, secretarium suum, commendat, supplicatque, ut eum a pensione decano Erfordiensi solvenda liberet. Nr. 801. pag. 588.
— 30. „ Idem rex Hungariae pontifici commendat archiepiscopum Strigoniensom, ut in sacrum cardinalium collegium adscriberetur. Nr. 802. pag. 589.
— 30. „ Idem rex Iacobo Sadoleto supplicat, ut promotionem archiepiscopi Strigoniensis ad cardinalatum apud pontificem urgeat. Nr. 803. pag. 589.
1526. 29. Ian. Idem pontifici do censuris a capitulo et ecclesia Strigoniensi amotis grates reddit. Nr. 804. p. 590.
— 14. Febr. Provinciae Dalmatiae, petente archiepo Dirrachiensi, iubilaeum conceditur, et Franciscus Iacobus do Civitanova fratrum ordinis Minorum confessor constituitur. Nr. 806. pag. 590.
— 16. „ V. cancellario et consiliariis ducatus Britanniae, ut mercatoribus Ragusinis super quibusdam eorum mercibus tamquam Anglorum captis iustitiam quamcitius faciant. Nr. 805. pag. 590.
— 18. „ Leonardus Cressius commissarius in Dalmatia constituitur ad capiendam possessionem omnium beneficiorum vacantium posteaque consignandam, quibus per pontificem de eis fuerit provisum. Nr. 807. pag. 591.
— 7. April. Pontifex mandat praelatis et aliis, ut omnes raptores et occultatores bonorum, quae miserat in Dalmatiam pro defensione oppidi Clissiae, moneant et declarent excommunicatos, nisi ablata restituant. Nr. 808. pag. 591.
— 8. „ Universis Christi fidelibus in oppido Clissiae ac in Poglizae et Bossinae provinciis iubilaeus conceditur. Nr. 809. pag. 592.

1526. 27. Maii. Ludovicus rex Hungariae pontifici Antonium Hortoghe nuntii apostolici in Hungaria familiarem commendat. Nr. 810. pag. 593.

— 21. Iunii. Idem Ludovicus rex Hungariae pontifici luctuosum regni sui statum exponit, de subsidiis iam missis grates reddit, et nova abundantiora petit. Nr. 811. pag. 593.

— 18. Oct. Henricus VIII. rex Angliae pontificis dolorem de luctuoso Hungariae casu conceptum pientissimis litteris lenit etc. Nr. 812. pag. 594.

1527. 1. April. Ioannes rex Hungariae pontifici supplicat, ut fratribus heremitis beati Pauli primi heremitae Hungaris conventum s. Stephani in Monte Coelio de Urbe restitui iubeat. Nr. 813. pag. 595.

— 26. „ Canonicis ecclesiae cathedralis Ottocensis, ut ipsorum episcopum ecclesia sua spoliatum in eiusdem possessionem et administrationem restituant. Nr. 814. pag. 595.

— 10. Iunii. Francisco archiepo Iadrensi indultum conferendi beneficia in sua civitate et dioecesi ad instar cardinalium conceditur. Nr. 815. pag. 596.

— 4. Nov. Archiepiscopo Iadrensi, ut fructus suae ecclesiae etiam anticipata solutione cum obligatione suorum successorum ad biennium possit locare. Nr. 816. pag. 597.

1528. 22. Febr. Ferdinandus rex Hungariae pontifici supplicat, ut Paulo de Varda episcopo Agriensi in archiepiscopum Strigoniensem electum confirmatio, et pallium sine annatae solutione concedat. Nr. 817. pag. 598.

— 21. Maii. Ioannes rex Hungariae calamitosa patriae conditione pontifici exposita petit, ut partes suas contra Ferdinandum regem tueri, sibique subsidium mittere velit. Nr. 818. pag. 599.

— 21. „ Idem sacro cardinalium collegio se resque sui regni commendat. Nr. 819. pag. 600.

— 5. Iulii. Ferdinandus rex Hungariae pontifici Andream de Burgo suum oratorem commendat. N. 820. p. 600.

1529. 9. Febr. Rogi Hungariae, ut Ioanni Augustino de Sbardellatis in assequenda possessione capellae beatae Virginis Strigoniensis faveat. Nr. 821. pag. 601.

— 9. „ Philippo de Senis, ut iure suo contra capitulum Strigoniense uti possit. Nr. 823. pag. 601.

— 13. „ Archiepiscopo Strigoniensi, ut per procuratores limina Apostolorum visitare possit. N. 822. p. 601.

— 2. April. Ioannes rex Hungariae supplicat pontifici, ut Francisoum de Frangipanibus, provinciae Romanae fratrum Minorum ministrum, in sua servitia redeundum curet. Nr. 824. pag. 602.

— 16. „ Ioannes episcopus Suacinensis ad ecclesiam Scardonensem transfertur. Nr. 826. pag. 603.

— 19. „ Carolus V. Romanorum imperator pontifici supplicat, ut subsidium ad arcendos ab Hungaria Turcas sibi mittat. Nr. 825. pag. 602.

— 15. Iunii. Ioannes rex Hungariae pontifici de recuperata salute gratulatur, commendat attritas sui regni res, et conqueritur de Strigoniensi, Quinqueecclesiensis et Chanadiensis praesulam proditione. Nr. 827. pag. 604.

— 20. Aug. Revocantur quaedam litterae apostolicae, quae fratribus ord. Minorum de observantia Ragusinis in praeiudicium communitatis Ragusinae concessae fuerunt. Nr. 828. pag. 605.

— 30. „ Universis Christi fidelibus primae missae Petri Lalusiae episcopi Albanensis intervenientibus plenaria venia conceditur. Nr. 829. pag. 606.

— 23. Sept. Confirmatur ordinatio per consilium Rogatorum civitatis Ragusinae super claustra quinque monasteriorum monialium et earum in eis receptione facta. Nr. 830. pag. 606.

— 10. Oct. Ioannes rex Hungariae pontificem de regno recuperato certiorem reddit. Nr. 831. pag. 607.

— 1. Nov. Idem Ioannes a pontifice petit, ut Stephano Broderico electo Sirmiensi suo apud Gallorum regem oratori in suis negotiis fidem adhibeat. Nr. 832. pag. 608.

1530. 1. Febr. Archiepiscopo Rossanensi nuntio sedis apostolicae apud Ferdinandum Hungariae et Bohemiae regem, ut cum eo de restituendo comitatus Pisini ecclesiae Parentinae agat. Nr. 833. pag. 609.

— 1. Iunii. Christophoro electo Traguriensi expeditio bullarum prorogatur. Nr. 834. pag. 609.

— 19. Dec. Aegidius cardinalis s. Marcelli, Fraucisco archiepo Iadrensi in patriarcham Constantinopolitanum electo, perpetuus administrator ecclesiae Iadrensis constituitur. Nr. 835. pag. 611.

1531. 4. Febr. Episcopo Nonensi datur facultas in sua ecclesia absolvendi eos, qui forrum et alia prohibita ad Turcas detulerint. Nr. 836. pag. 613.

— 17. Iunii. Episcopo Veglensi indulgetur, ut possessionem ecclesiae apprehendere omniaque iura episcopalia exercere possit, quamvis bullae suae translationis nondum expeditae fuerint. Nr. 837. p. 613.

— 8. Iulii. Eidem episcopo unitarum ecclesiarum Veglensis et Scardonensis, ut primiae suae missae assistentibus indulgentias impartire, et quoscunque clericos suarum aliarumque dioecesum de consensu ordinariorum ad sacros ordines extra tempora promovere possit. Nr. 838. pag. 613.

— 8. Oct. Archiepiscopus Strigoniensis poutifici narrat, quae luctuoso illo dissidio civili tum a Ioanne tum a Ferdinando regibus inter se dimicantibus perpessus est, obtestatur de fidelitate sua erga Ferdinandum, purgat se de calumniis sibi in Urbe impictis, et petit demum, ut Ferdinandum ad ecclesiam Strigoniensem eiusque bona sibi restituenda moueat. Nr. 839. pag. 614.

1531. 14. Dec. Statibus regni Hungariae, ut archiepiscopo Rossanensi ad eorum comitia generalia a pontifice misso fidem praestare velint. Nr. 840. pag. 616.
1532. 20. Maii. Regimini civitatis Ragusinae, ut de quadam pecuniarum summa a Martino Ragusino debita satisfieri faciant haeredibus quondam Laurentii Cecchi Florentini creditoris. Nr. 841. pag. 616.
— 8. Iunii. Archiepiscopus Strigoniensis fratribus ordinis Minorum in Hungaria contra quoscunque molestatores, iniuratores et rebelles conservator constituitur. Nr. 842. pag. 617.
— 20. „ Laurentius cardinalis Campegius pontifici Ioannem Fabri episcopum Viennensem et ecclesiae Budensis praepositum commendat. Nr. 843. pag. 618.
— 26. Iulii. Carolus V. Romanorum imperator a pontifice subsidium ad defendendum castrum Clissiense Spalatensis dioecesis contra Turcas petit. Nr. 844. pag. 618.
— 21. Oct. Petrus Crutzich ex comitibus castri Clissii ab homicidio in quodam fratre ord. Minorum perpetrato, qui dictum castrum Turcis tradere volebat, absolvitur. Nr. 845. pag. 619.
— 22. „ Universis Christi fidelibus, ut ad defensionem eiusdem castri Clissiensis contra Turcas promptius se accingant, videlicet illis pugnantibus vigintiquinque annorum et totidem quadragenarum, occumbentibus vero indulgentia plenaria conceditur. Nr. 846. pag. 619.
1533. 5. Mart. Electo Civitatis novae terminus suscipiendi munus consecrationis iterum prorogatur. N. 847. p. 620.
— 10. „ Bernardo Gentili electo Bosnensi indulgetur, ut a quocumque maluerit catholico antistite munus consecrationis suscipere possit. Nr. 848. pag. 620.
— 25. April. Palatinus Hungariae pontifici conqueritur de machinationibus Simonis episcopi Zagrabiensis contra Ioannem regem Hungariae. Nr. 849. pag. 621.
— 8. Maii. Steph. Brodericus pontificem do calamitosis Hungariae rebus certiorem reddit. Nr. 850. p. 621.
— 5. Iulii. Franciscus de Frangipane ord. Minorum pontifici commendat res Ioannis regis. Nr. 851. pag. 622.
— 29. „ Ioannes rex Hungariae pontifici, ut Francisco de Casalis oratori suo fidem adhibeat. N. 852. p. 623.
— 1. Aug. Episcopus Sirmiensis pontificem de calamitosa rerum publicarum et fidei in Hungaria conditione certiorem reddit, petitque, ut Ioanni regi faveat. Nr. 853. pag. 623.
— 3. Sept. Episcopo Sirmiensi pontifex ad eius litteras de Lutheranis etc. respondit. Nr. 854. pag. 624.
— 10. Dec. Ioannes rex Hungariae pontifici, ut suo oratori fidem adhibeat. Nr. 855. pag. 625.
— 10. „ Episcopus Sirmiensis pontifici spondet se nihil omissurum, ut avitas fides sarta tectaque in Hungaria remaneat. Nr. 856. pag. 626.

EPISTOLAE PAULI PP. III.

1534. 20. Nov. Ferdinandus rex Romanorum, Hungariae et Bohemiae commendat pontifici archiepiscopum Strigoniensem, ut ipsi annatam remittat. Nr. 857. pag. 627.
1535. 15. Mart. Ioannes rex Hungariae supplicat pontifici, ut episcopum Agriensem cardinalem creare velit. Nr. 858. pag. 627.
— 22. Nov. Idem Ioannes Romanorum imperatori, ut archiepiscopo Colocensi et episcopo Sirmiensi oratoribus suis fidem adhibeat. Nr. 859. pag. 628.
1536. 14. Ian. Idem Ioannes pontifici supplicat, ut Ioannem Statilium electum Transilvanensem confirmet, et Nicolao archidiacono Quinquecclesiensi fidem adhibeat. Nr. 860. pag. 628.
— 19. April. Benedicto Malvitio electo Salonensi indulgetur, ut a quocumque antistite catholico munus consecrationis suscipere possit. Nr. 861. pag. 628.
— 25. Maii. Episcopo Polensi, ut pro Petro Paulo Vergerio electo Modrusiensi possessionem huius ecclesiae capiat, eamque, cum provisionis suae litteras apostolicas exhibuerit, eidem libere dimittat. Nr. 862. pag. 629.
— 20. Iunii. Episcopo Dulcinensi et Budensi, ut ante expeditas suae provisionis litteras apostolicas possessionem suae ecclesiae apprehendere, omniaque iura episcopalia exercere possit. Nr. 863. p. 629.
— 26. Aug. Ferdinandus Romanorum rex commendat pontifici Petrum Paulum Vergerium pro sede Iustinopolitana. Nr. 864. pag. 630.
— 10. Sept. Petrus Paulus Vergerio a Modrusiensi ecclesia ad Iustinopolitanam transfertur. Nr. 865. pag. 630.
— 10. „ Electo Spalatensi, ut nondum litteris apostolicis provisionis suae expeditis possessionem ecclesiae suae apprehendere possit. Nr. 867. pag. 638.
— 20. Aug. Ioannes electus archiepiscopus Lundensis Carolum V. Romanorum Imperatorem certiorem reddit
6. 7. Sept. de iis, quae eius nomine ad conciliandam pacem inter Ioannem et Ferdinandum Hungariae reges
13. „ apud cundem Ioannem egerat. Nr. 866. pag. 631.
1537. 31. Ian. Ferdinandus Romanorum rex pontifici, ut duobus suis oratoribus fidem adhibeat. N. 868. p. 639.
1538. 1. April. Ioannes rex Hungariae commendat pontifici archiepum Colocensem suum oratorem. N. 869. p. 639.
— 4. „ Idem Ioannes a pontifice petit, ut Francisco suo secretario et oratori in his, quae suo nomine exponet, fidem adhibeat et exaudiat, adiecto responso. Nr. 870. pag. 640.

1538. 9. Iunii. Stephanus Brodericus pontificem de pace Hungarica certiorem reddit, et Ioannem regem commendat. Nr. 871. pag. 640.
— 16. „ Ferdinandus Romanorum rex pontifici supplicat, ut archiepiscopum Colocensem ad cardinalatus dignitatem promoveat. Nr. 872. pag. 641.
— 27. „ Archiepiscopus Colocensis pontificem de pace inter Ferdinandum et Ioannem Hungariae reges incunda certiorem reddit, petitque, ut regno Hungariae contra Turcas praesto sit. N. 873. p. 641.
— 13. Iulii. Ioannes rex Hungariae Io. Morono epo Mutinensi, pontificio apud Romanorum regem legato, oratorem suum commendat. Nr. 874. pag. 642.
— 11. Aug. Idem rex Ioannes a pontifice petit, ut Marco Antonio canonico Albensi oratori suo fidem adhibeat. Nr. 875. pag. 642.
— 16. „ Frater Georgius, thesaurarius regis Hungariae, regem Poloniae de molitionibus Caesaris Turcarum in Hungariam certiorem reddit, et petit, ut eidem regno armis subveniat. Nr. 876. p. 642.
— 20. Sept. Stephanus Brodericus Alexandrum cardinalem Farnesium de progressibus Turcarum in Moldavia certiorem reddit. Nr. 877. pag. 643.
— 29. Oct. Ioannes rex Hungariae pontifici grates reddit de humanissimis litteris sibi missis. N. 878. p. 644.
— 11. Nov. Idem Ioannes pontifici, ut Ioanni Statilio episcopo Transilvano suo oratori fidem adhibeat. Nr. 879. pag. 644.
— 20. „ Ferdinandus rex supplicat pontifici, ut quibusdam praelatis Hungaricis cardinalatum conferat. Nr. 880. pag. 645.
— 28. „ Carolus V. Romanorum imperator a pontifice petit, ut quinque episcopos a Ferdinando Hungariae rege nominatos confirmare velit. Nr. 881. pag. 645.
1539. 17. April. Ioannes rex Hungariae pontifici preces iterat pro confirmando electo Agriensi. Nr. 882. p. 645.
— 4. Iulii. Paulus de Varda archiepus Strigoniensis pontifici suos oratores commendat. Nr. 883. pag. 646.
— 5. „ Ferdinandus rex Romanorum enixe petit a pontifice, ut archiepiscopum Strigoniensem cardinalem creet. Nr. 884. pag. 646.
— 9. Oct. Idem Ferdinandus supplicat pontifici, ut epo Salonensi, abbati Landstrensi in Slavonia, de aliquo beneficio ecclesiastico in dioecesi Brixiensi providcat. Nr. 885. pag. 647.
1540. 16. Mart. Ioannes rex Hungariae commendat pontifici epum Dumnensem oratorem suum. Nr. 886. p. 648.
— 13. „ Ferdinandus rex Hungariae pontifici narrat, quae ad ineundam cum Ioanne quondam Hungariae rege concordiam egerit, quaeque isto defuncto ei adhaerentes in Hungariae intoritum moliantur, petitque, velit praelatos monere, ut sibi veluti legitimo regi obediant, et subsidium denique 100,000 ducatorum contra Turcas dare. Nr. 887. pag. 648.
— 6. Nov. Idem Ferdinandus pontifici supplicat, ut Paulum do Varda archiepiscopum Strigoniensem in collegium cardinalium cooptare velit. Nr. 888. pag. 649.
— 23. „ Idem Romanorum rex grates reddit nuntio apostolico de bullis apostolicis sibi missis, assignat eidem pensionem annuam super abbatiis in Hungaria. Nr. 889. pag. 650.
1541. 21. Mart. Episcopus Zagrabiensis pontifici de calumniis sibi a coadiutore suo Romae impictis conqueritur, eumque do calamitosis Slavoniae rebus certiorem reddit. Nr. 890. pag. 650.
— 13. April. Duci Venetiarum pontifex mandat, ne ab officialibus suis in civitate Spalatensi epum Traguriensem eiusque fratrem molestari permittat. Nr. 891. pag. 651.
— 11. Maii. Episcopo Catharensi, ne moniales s. Clarae Catharenses sub cura fratrum Minorum Conventualium degentes molestari permittat. Nr. 892. pag. 652.
— 16. Nov. Ferdinandus Romanorum rex pontifici commendat Leonardum comitem de Nogarolis, capitaneum Tergestinum, suum oratorem. Nr. 893. pag. 652.
1542. 4. Dec. Idem Ferdinandus pontifici Bartholomaeum Charrabetum Romanum, medicum suum castrensem in bello contra Turcas, Romam redeuntem commendat. Nr. 894. pag. 653.
— 18. „ Idem Ferdinandus pontifici supplicat, ut archiepum Strigoniensem, qui propter regni negotia ad concilium Tridentinum venire nequeat, excusatum habeat. Nr. 895. pag. 653.
1543. 1. Ian. Idem Ferdinandus supplicat pontifici, ut Martinum clectum Vesprimiensem confirmet et annatam remittat. Nr. 896. pag. 654.
— 20. Aug. Paulus de Varda archiepiscopus Strigoniensis pontificem do progressibus Turcam in Hungaria, expugnato Strigonio, certiorem reddit. Nr. 897. pag. 654.
— 23. Oct. Ferdinandus Romanorum rex pontifici preces iterat pro promovendo archiepiscopo Strigoniensi ad cardinalatum. Nr. 898. pag. 657.
1546. 29. Oct. Idem Ferdinandus pontifici preces iterat pro conferendo cardinalatu praedicto archiepiscopo Strigoniensi. Nr. 899. pag. 657.
— 31. „ Idem supplicat pontifici, ut Claudium Zainum ad munus episcopale ecclesiae Tergestinae accipiendum exhortetur. Nr. 900. pag. 658.

1547. 7. Febr. Electus Varadiensis litteris ad cardinalem Farnesium datis de ambiendo episcopatu Transilvanensi se purgat, supplicat, ut electi episcopi confirmentur, commendatque eaixe filium quond. Ioannis regis Hungariae. Nr. 901. pag. 659.

— 10. Maii. Electi Varadiensis, Tripolitanus et Ymeriensis in Hungaria confirmantur. Nr. 902. pag. 660.

— 27. Iunii. Philippo episcopo Modrusiensi conceditur, ut omnia iura episcopalia exercere, possessionem reditusque suae ecclesiae apprehendere possit, quamvis litterae apostolicae de sua provisione nondum expeditae fuerint. Nr. 903. pag. 661.

1548. 5. Aug. Ferdinandus rex Romanorum pontifici supplicat, ut archiepiscopum Strigoniensem in sacrum cardinalium collegium cooptare velit. Nr. 904. pag. 661.

1549. 25. Febr. Idem Ferdinandus pontifici, ut Zachariam electum Petinensem confirmet et annatam remittat. Nr. 905. pag. 662.

— 14. Aug. Wolfangus de Gywla electus Zagrabiensis pontificem supplex adit, ut sibi remissa annata confirmationem etc. concedat. Nr. 906. pag. 662.

— 7. Sept. Praelati ac Barones regni Hungariae ex comitiis Posoniensibus pontifici supplicant, ut episcopos electos confirmare, eisque annatas condonare, et in primis Iauriensem commendatum habere velit. Nr. 907. pag. 663.

EMENDANDA.

Pag. 240. lin. 13. a supra *XII. Kalendas* adiiciatur *Maii.*

„ 523. „ 37. „ loco *bulla fundationis ..... concessa* dicatur *bullam fundationis ..... concessam.*

„ 529. „ 14. „ „ *fratribus Minorum de observantia* dicatur *moniales veteris Budae, nunc conventuales, fratribus ordinis Minorum de observantia* etc.

Pag. 557, 562, 569, 570, 571, 572, 576. lin. 14, 4, 8, 24, 4, 3, 48. ab infra loco LEO EPISCOPUS etc. dicatur LEO PP. X.

EPISTOLA ALEXANDRI PP. III.

I

Miroslavo comiti Tacholmitano pontifex mandat, ne libertatem ecclesiasticam in Dalmatiae partibus perturbet, et archiepiscopo Spalatino pecuniam ablatam restituat. Ex originali.

ALEXANDER EPISCOPUS SERVUS SERVORUM DEI. Nobili viro Miroslavo comiti Tacholmitano. Quod tibi benedictionis alloquium non impendimus, non de duritia nostra, sed de tuis credas potius meritis provenire, quia ea te penitus reddidisti indignum. Cum enim ab omnibus Christi fidelibus Romane sit deferendum ecclesie, que inter omnes, divina disponente clementia, obtinet principatum, tu sicut homo ad creatorem tuum respectum non habes, nec legatum nostrum recipere, nec nostris parere litteris voluisti, quas tibi pro restituenda pecunia venerabilis fratris nostri Spalatini archiepiscopi miseramus. Accepimus etiam, quod loca illa, in quibus cathedrales sedes olim fuisse noscuntur, ordinari libere non permittis: propter quod dilectus filius T. subdiaconus noster in te, dum in partibus illis legationis officio fungeretur, sicut eo referente accepimus, excommunicationis sententiam promulgavit. Quia vero durum est tibi omnipotenti deo et ecclesie sue resistere, cui humiliter per omnia obedire teneris, monemus nobilitatem tuam et tibi paterno pietatis affectu consulimus, ne ecclesias dei vel ecclesiasticas personas, quo minus, sicut a sanctis patribus noscitur institutum, valeant ordinari, aliquatenus inquietes. Alioquin grave anime tue periculum in divino poteris examine formidare, si ecclesie ipsius, dum fueris in carne mortali, filialem obedientiam ac reverentiam sicut spirituali matri neglexeris exhibere. Datum Viterbii Nonis Iulii.

EPISTOLAE INNOCENTII PP. III.

II.

Episcopo et capitulo Traguriensi, ut P. presbyterum ab observatione monastici ordinis absolutum denuntient, ex eo quod cum gravi egritudine laboraret, a quodam monacho indutus est habitu monachali. Ex Reg. orig. An. I. ep. 36. fol. 9.

INNOCENTIUS EPISCOPUS SERVUS SERVORUM DEI. Venerabili fratri ... Episcopo et dilectis filiis Capitulo Traguriensibus, Salutem et apostolicam benedictionem. Sicut tenor vestrarum litterarum nobis aperuit, cum P. lator presentium in sacerdotali esset officio constitutus, et tanta rerum temporalium indigentia laboraret, quod nec sibi nec suis progenitoribus seu fratribus in necessitatibus propriis posset aliquatenus providere, proprii corporis laboribus et maris periculis multis se non dubitavit exponere, ut de suo labore et acquisitione honesta suam et suorum possot indigentiam relevare. Contigit autem post hec, quod ipse longe a vestra civitate consistens tam gravi cepit egritudine laborare, quod extra se positus desperaret de vita presenti, et dum in tali esset articulo constitutus, a quodam simplici monacho indutus fuit habitu monachali, et ad monasterium deportatus. Deinde paucis diebus elapsis, cum iam esset in principio sue convalescentie, deposuit habitum et de licentia eiusdem loci abbatis monasterium dereliquit: et cupiens progenitorum indigentiis subvenire, a vobis suppliciter postulavit, ut posset sicut prius in sacerdotali officio ministrare, et vobiscum pariter conversari. Quid autem super hiis vobis fuerit faciendum, sacro apostolice sedis oraculo humiliter petitis edoceri. Nos igitur vestre consultationi taliter duximus respondendum, quod licet ista duo inter se repugnantia videantur, ut scilicet quisquam sit extra se positus et de presenti vita desperet, si tamen eo tempore, quo positus extra mentem asseritur, indutus fuit habitu monachali, cum alienatus non sentiat, ac per hoc non valeat consentire, prefatum presbiterum denuntietis ab observatione monastici ordinis absolutum, nisi postquam mentis sue factus est compos, voluntate spontanea professionem fecerit monachalem. Datum Laterani (..... Martii Pont. nostri Anno Primo).

III.

Episcopo Ultrasilvano privilegium a Gregorio cardinali concessum postifex confirmat. Reg. An. I. ep. 272. fol. 66.

INNOCENTIUS EPISCOPUS etc. Venerabili fratri ... Ultrasilvano Episcopo, salutem etc. Cum a nobis petitur, quod iustum est et honestum, tam vigor equitatis quam ordo rationis exigit, ut id per sollicitudinem officii nostri ad debitum perducatur effectum. Cum igitur, sicut tua petitio nobis exhibita continebat, nos tue supplicationi grato conniventes assensu, privilegium super desertum a dilecto filio Gregorio sancte Marie in Porticu diacono Cardinali tibi indultum auctoritate apostolica confirmamus, et presentis scripti patrocinio communimus. Ad maiorem autem huius rei evidentiam predictum privilegium huic nostre pagine de verbo ad verbum duximus inserendum.

Gregorius de sancto Apostolo dei gratia sancte Marie in Porticu diaconus Cardinalis, apostolice sedis Legatus, Omnibus in Christo fidelibus, ad quos littere presentes devenerint, Salutem et orationem in domino. Ne quorumlibet sopite questiones materiam recidive contentionis inveniant, quod salubriter et bene dispositum est, perpetuam debet stabilitatem obtinere, et iuxta maiorum monita litterarum memorie commendari, ne processu temporis in dubiam questionem deveniat, quod diffinitive calculum constat sententie suscepisse. Cunctis igitur fidelibus volumus notum fieri, quod cum occasione huius verbi desertum, quod verbum est in privilegio gloriosi ct illustris domini Regis Bele et nostro, ad preces eiusdem Regis impetrato a nobis et obtento, super constitutione prepositure Ultrasilvane, quam fecimus, cum prius officium legationis gessimus in Ungaria, questio esset orta inter Venerabilem fratrem A. Ultrasilvanum episcopum et dilectum amicum nostrum P. prepositum Cipiniensem, pro eo quod occasione prefati verbi prepositus diceret generaliter omnes Flandrenses ecclesie sue fuisse suppositos, e contra episcopus responderet dominum Regem et nos intellexisse de illis dumtaxat, qui tunc erant in illo solo deserto, quod gloriose memorie G. Rex Flandrensibus concessit, et de illis, qui in eodem tantummodo deserto erant habitaturi, et eo processum esset, quod questio eadem ad dominum papam fuisset delata, et inde ad nos remissa, utpote ad eum, cui interpretatio prefati domini Regis mente et voluntate explorata deberet esse certissima. Prefatus illustris et gloriosus Rex ad interrogationem nostram hanc interpretationem Vesprimii in preseutia Magnatum suorum promulgavit, quod non fuit eius intentionis tempore constitutionis prepositure, nec postea, quod alii Flandrenses preposito essent subditi, nisi qui tunc tantummodo habitabant in deserto, quod sancte recordationis G. pater suus Flandrensibus concesserat, et in eodem futuris temporibus essent habituri. Nos vero idem cum domino Rege sentientes et eandem interpretationem habentes in animo, predictum verbum sic interpretamur, quod de nullis aliis Fladrensibus intelleximus, nec alios prepositure supposuimus, nisi dumtaxat illos, qui tempore, quo ipsam preposituram constituimus, in illo tantum habitabant et erant habituri deserto, quod G. Rex Flandrensibus prioribus concessit. Et ut hcc nostra et domini Regis interpretatio omni tempore plenum robur et firmam stabilitatem obtineat, has inde litteras scribi mandavimus et sigillo nostro fecimus sigillari.

Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat hanc paginam nostre confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum. Datum etc. xvii. Kal. Iulii.

IV.

Episcopo Farensi, ut cum aliquot canonicis Iadertinis Romam veniat causam suae translationis dicturus. Reg. An. I. ep. 537. fol. 137.

Innocentius episcopus etc. Venerabili fratri ... Pharensi Episcopo, salutem etc. Mirari cogimur et moveri, quod sicut a multis accepimus, tu regimen ecclesie Iadertine sine mandato sedis apostolice irreverenter assumere presumpsisti. Licet enim clerici ecclesie Iadertine cum sue civitatis nunciis ad nostram presentiam accessissent, et nobis tam ex relatione ipsorum quam litterarum inspectione, quas tulerant, patuisset, quod in Iadertinum Archiepiscopum electus fueras, immo verius postulatus: quia tamen, etsi de modo postulationis potuissemus reddi per easdem litteras certiores, de persona tua nobis non potcrat fieri certa fides, nec examinare debebamus absentem, eis de consilio fratrum nostrorum decrevimus respondere, ut aliqui de canonicis eiusdem ecclesie nostro se conspectui presentarent, ut et de studiis postulantium et de meritis postulati certiores effecti securius in ipso negotio procedere valeremus: adicientes, quod licet episcoporum translatio ad solum pertineat Romanum pontificem, quia tamen ad venerabilem fratrem nostrum ... Patriarcham Gradensem consecratio Iadertini electi noscitur pertinere, cum de beneplacito nostro procederet, ut tibi pallium conferremus, et tu nobis iuramentum fidelitatis prestares, te proculdubio faceremus dicto Patriarche Gradensi professionem canonicam et debitam obedientiam exhibere. Sed ipsi nuncii tales noluerunt litteras reportare. Quibus reversis, sine mandato nostro ecclesie Iadertine regimen diceris assumpsisse, et in ea tam temporalia quam spiritualia ministrare. Quia vero grave nimis est, quod de tua presumptione proponitur, nec de subito volumus dampnationis sententiam iaculari, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus et districte precipimus, quatenus infra duos menses post susceptionem presentium cum competenti numero canonicorum ecclesie Iadertine iter arripias ad sedem apostolicam veniendi, redditurus nobis super excessu, quem prediximus, rationem: ita quod si culpabilis inventus non fueris, cum nobis de postulatione canonica et persone tue idoneitate constiterit, translationis gratiam et usum pallei recipere merearis, postmodum debitam

nobis fidelitatem, et dicto Patriarche professionem canonicam impensurus. Alioquin ex tunc te noveris ab officio pontificali suspensum, et nos canonicis Iadertinis dedisse firmiter in mandatis, ut aliam personam idoneam canonice sibi eligant in pastorem. Datum Laterani III. Nonas Decembris.

Scriptum est Iadertinis Canonicis in eundem fere modum. Quocirca Universitati vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus si predictus episcopus preceptum nostrum contempserit adimplere, vos aliam personam idoneam vobis eligatis canonice in pastorem. Datum ut supra.

V.

Archiepiscopo Colocensi, ut monasterium s. Stephani de Keu reformet. Reg. An. 1. ep. 499. fol. 130.

INNOCENTIUS EPISCOPUS etc. Venerabili fratri ... Colocensi Archiepiscopo, salutem etc. Cum nobis licet immeritis in apostolice sedis specula consistentibus sit universarum ecclesiarum sollicitudo commissa, de statu illarum sollicitudinem nos convenit gerere diligentem, et providere attente, ut per fratres et coepiscopos nostros, eum non possimus ubique nostram presentiam corporaliter exhibere, possint in melius reformari. Ex parte tua nostris est auribus intimatum, quod eum bone mem. Andreas antecessor tuus monasterium sancti Stephani prothomartyris, situm in loco qui dicitur Keu, concessisset fratribus sancti Abrae de Valle Ebrom, monachis nigri ordinis propter dissolutionem suam inde remotis, et iidem fratres sancti Abrae bona eius dilapidando et ducendo vitam nimium dissolutam, ipsum deduxissent ad nimiam paupertatem, bone mem. C. pape predecessor noster, et nos etiam tibi dedimus in mandatis, ut restitutioni eiusdem monasterii provideres, tuo committentes arbitrio, utrum predicti fratres sancti Abrae tolerandi, an monachi nigri essent in ipso monasterio reducendi. Tu vero, sicut accepimus, fratres sancti Abrae propter dissolutionem suam inde penitus abiecisti, et nos per petitionem tuam duxisti super provisione ipsius monasterii requirendos. Idcoque fraternitati tue per presentia scripta mandamus, quatenus si per monachos ecclesiam illam videris reformari non posse, in ipsa ecclesia Canonicos instituas regulares, qui secundum regulam beati Augustini devotum ibi domino famulatum impendant, et per eorum religionem locus ipse in melius tuo faciente studio reformetur. Datum Laterani XI. Kal. Ianuarii (Pontificatus nostri Anno Primo).

VI.

Regi Hungarie, ut Sclavos ad decimas archiepo Colocensi persolvendas compellat. Reg. An. 1. ep. 500. fol. 130.

INNOCENTIUS EPISCOPUS etc. Carissimo in Christo filio ... Illustri Regi Ungarie, salutem etc. Significante venerabili fratre nostro ... Colocensi archiepiscopo, ad audientiam apostolatus nostri noveris pervenisse, quod eum in diocesi sua sint quamplures ville, in quibus Sclavi habitant, archiepiscopo decimas exhibere contempnunt. Quoniam igitur de regia serenitate confidimus et speramus, ut ecclesias et earum ministros diligas, et earum commodis exemplo progenitorum tuorum diligenter intendas, excellentiam tuam rogamus atque monemus per apostolica scripta mandantes, quatenus memoratos Sclavos, ut decimas debitas prefato archiepiscopo sine diminutione persolvant, tradita tibi potestate compellere non omittas. Datum Laterani XI. Kal. Ianuarii.

VII.

Iudicibus, ut de electionibus archiepiscoporum Iadertini et Spalatini inquirant, si ipsos intrusos invenerint, excommunicatos publice nuntient. Reg. An. 1. ep. 510. fol. 132.

INNOCENTIUS EPISCOPUS etc. Venerabilibus fratribus S. Colocensi archiepiscopo, V. Geuriensi et D. Zagrabiensi episcopis, salutem etc. Ad nostram noveritis audientiam pervenisse, quod eum omnes communicantes in aliquo A. fratri karissimi in Christo filii nostri Ungarorum Regis illustris, qui scilicet vel litteras sibi dirigerent, aut ab eo reciperent destinatas, vel eidem aliquod consilium vel auxilium exhiberent, vel ei in aliquo communicare presumerent, de mandato bone mem. C. pape predecessoris nostri excommunicationis fuerint vinculo innodati, N. et A. post excommunicationem et inhibitionem apostolicam eidem communicare scienter, consilium et auxilium impertiri, et divina presumpserant etiam celebrare: unde propter hoc in Iadertinum et Spalatinum archiepiscopos, quamvis et illi excommunicationi subiaceant, ab eodem loco remunerationis contra iuris ordinem in regie dignitatis preiudicium sunt promoti. Quia vero tante presumptionis audaciam in iniuriam dei et contemptum sedis apostolice attemptatam impunitam relinquere nec possumus, nec debemus, fraternitati vestre per apostolica scripta districte precipiendo mandamus, quatenus super premissis inquirentes diligentius veritatem, si rem ita

noveritis se habere, prefatos N. et A., eorum electionibus, imo vcrius intrusionibus penitus irritatis, excommunicatos publice nuntietis, et usque ad condignam satisfactionem faciatis ab omnibus artius evitari, districtius inhibentes, ne quis eis obtentu electionum fidelitatem, obedientiam vel reverentiam audeat exhibere. Nullis litteris obstantibus, harum mentione non habita, a sede apostolica impetratis. Quod si omnes eis exequendis non potueritis interesse, duo vestrum ea nichilominus exequantur. Datum Laterani III. Kal. Ianuarii.

VIII.

Pontifex Ioannem capellanum et Simonem subdiaconum suos apostolicae sedis legatos ad Vulcanum regem Dalmatiae et Dioclese mittit. Reg. An. 1. ep. 525. fol. 134.

INNOCENTIUS EPISCOPUS etc. Dilectis filiis I. Capellano et S. Subdiacono nostris apostolice sedis legatis, salutem etc. Apostolice sedis auctoritas, que per diversas mundi partes plenitudinem optinet potestatis, illius sequens vestigia, qui beato Petro pasce oves meas tertio replicavit, in partem sollicitudinis viros convocat providos et discretos, qui gregem domini et pabulo salutis reficiant et viam eis eterne felicitatis ostendant. Ad quorum siquidem auxilium et iuvamen, ut ecclesiastice potestatis auctoritas in sua semper mancat firmitate, cum requirit necessitas, aliquos a suo latere dirigit et transmittit, quibus legationis iniungit officium exercendum. Hac ita considcratione diligenter inducti, et Karissimi in Christo filii . . . Illustris Regis Dalmatie et Dioclie precibus inclinati, qui ut ad eos legatos mittere deberemus, instantissime postulavit, vos, de quorum probitate nos et fratres nostri plenam fiduciam optinemus, ad Dalmatiam et Diocliam provincias duximus transmittendos, in provinciis ipsis vobis auctoritate presentium legationis officium iniungentes, ut que inveneritis corrigenda, corrigatis, destruatis et evellatis superflua et nociva, edificetis et plantetis utilia et honesta, quatenus cum, domino ducente, redibitis, talenta vobis reddatis credita dupplicata, et a nobis et fratribus nostris valeatis in domino multipliciter commendari. Datum Laterani VI. Idus Ianuarii.

IX.

Vulcano rege Dalmatiae et Dioclese, ut legatos apostolicos reverenter recipiat, et legationis officium exsequi permittat. Reg. An. 1. ep. 526. fol. 134.

INNOCENTIUS EPISCOPUS etc. Karissimo in Christo filio Wulcano Illustri Regi Dalmatie et Dioclie, salutem etc. Ut evidentius evangelica doctrina pateret, et in omnem terram iuxta verbum propheticum sonus apostolorum exiret, et in fines orbis terre verba diffunderentur ipsorum, noster dominus et magister, qui prebuit nobis exemplum, ut sequamur vestigia eius, discipulos suos per universas mundi partes ad predicandum direxit, dicens eis iuxta evaugelicam veritatem: Euntes in mundum universum predicate evangelium omni creature. Quam siquidem observantes constitutiouem providam et salubrem Romani Pontifices, Vicarii Ihesu Christi, qui in beato Petro apostolorum principe ab ipso domino receperunt plenitudinem potestatis, et constituti sunt super gentes et regna, ut iuxta verbum propheticum evellant et destruant, edificent et plantent, quia suam non possunt ubique presentiam exhibere, per varia mundi climata a suo latere aliquos dirigant et transmittant, qui fideles in fide consolident, corrigenda corrigant, de agro domini nociva destruant, et utilia plantare procurent. Intelligentes igitur per litteras tuas nostro apostolatui presentatas tue devotionis ardorem, quod videlicet Romanam ecclesiam matrem tuam super omnia post deum diligere et honorare proponis, et mandatis nostris omnimodis inherere, iuxta quod a nobis tua nobilitas postulavit, dilectos filios Io. Capellanum et Symonem subdiaconum nostros, de quorum scientia et probitate nos et fratres nostri plenam fiduciam optinemus, de fratrum nostrorum consilio ad partes tuas duximus dirigendos, per apostolica tibi scripta mandantes, quatenus eos tamquam apostolice sedis legatos benigne recipias et honeste pertractes, et que secundum deum in partibus ipsis duxerint statuenda, suscipias humiliter et sine refragatione conserves, ut cum ad nos, domino dante, redierint, nobis referre valeant tue devotionis effectum, et Romana ecclesia tuis efficacius possit intendere incrementis. Nos enim eis dedimus in mandatis, ut apostolicam in te confirmantes doctrinam reforment quicquid invenerint reformandum, et tamquam membra capiti apostolice sedi conforment, in ipsins devotione pariter et obedientia solidantes, per quos etiam palleum, plenitudinem scilicet pontificalis officii, Venerabili fratri nostro . . . Diocliensi Archiepo transmittimus, ut in partem nostre sollicitudinis evocatus sine defectu valeat officii sui debitum adimplere. Datum ut supra.

Scriptum est super hoc in eundem fere modum uxori eiusdem Regis.

In eundem fere modum Nobili viro S. Magno Iupano et uxori eiusdem S. Magni Iupani.

In eundem fere modum . . . Dioclensi Archiepiscopo usque adimplere. Quibus etiam nobis et successoribus nostris fidelitatis iuramentum, quod tibi sub bulla nostra mittimus interclusum, devote studeas et humiliter exhibere. In eundem fere modum Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, Ecclesiarum prelatis et aliis clericis per Dalmatiam et Diocliam in regno Karissimi in Christo filii nostri Wulcani Illustris Regis Dioclie et Dalmatie constitutis usque solidantes.

X.

Litterae praedicti Vulcani regis ad dominum papam, quibus se et regnum suum pontifici commendat, et hortatur, ut regi Hungariae de expellendis haereticis scribat. Reg. An. II. ep. 176. fol. 283.

Beatissimo atque sanctissimo patri et domino Innocentio dei gratia Sacrosancte Romane ecclesie summo pontifici et universali papo, W. eadem gratia Dioclie atque Dalmatie Rex, Salutem et devotionis effectum. Venientibus ad nostram presentiam domino Iohanne Capellano et domino S. religiosis et discretis sancte catholice et apostolice sedis legatis, amodo iocondati sumus: quia sicut solis splendor in virtute sua radians totum orbem videtur illustrare, ita illorum sancta et salubri predicatione totum regnum nostrum creditur fore illustratum. Unde merito dicimus: Illustravit nos oriens ex alto. Illorum itaque probitate et scicntia nos informati, deo et paternitati vestre innumeras grates rependere curamus, quia tales ad nos misistis, qualos in voto semper habuimus suscipiendos, diviuo munere preditos, quia omne datum optimum et omne donum perfectum desursum est. Presentatis igitur litteris vestris intelleximus, quia postulationibus nostris apostolatus vestri beatitudo miscricorditer acquievit. Unde nos cum magna animi devotione percepimus, ut per totum regnum nostrum omnia, que secundum deum sunt, ordinont ot confirment: que autem contraria sunt, iuxta illud propheticum evellant ot destruant. Accedentes itaque ad locum, ubi antiquitus concilium celebrari solitum fuit, sanctam synodum celebrare studuerunt, de viciis et virtutibus subtiliter disserentes, in communi deo et beatissime Marie perpetue Virgini, et beato Petro Apostolorum Principi, necuon et Apostolatui vestro laudum preconia persolvcntes. Interea noverit paternitas vestra, quia augustali stommate undique insignimur, et quod gloriosius et beatius est, vestri generosi sanguinis affinitatem habere cognovimus. Igitur innotescimus, quia in voto habuimus nunc legatos nostros ad pedes beatitudinis vestre transmittere; sed quia terram illam turbatam esse audivimus, facere non potuimus: quia vestris legatis ubique debita reverentia exhibetur, sed nostri, dum illuc ire voluerint cum magna honoris maguificentia, dampna forsitan aut exicium patientur. Sed dum oportunum et congruum tempus affuerit, honorificentius faciemus, quia sancte exhortationis vestre verba perforant, que dulciora nobis sunt super mel et favum. Siquidem sperantes et certum tenentes, quia ex quo vicarius domini nostri Ihesu Christi existis, ipse per te nobis aditum regni celestis aperire dignetur: et quia nullo in hoc seculo indigomus, multum rogamus, ut pro nobis peccatoribus preces ad dominum fundatis. Demum vero patcrnitatem vestram nolumus latere, quia heresis non modica in terra Regis Ungarie, videlicet Bossina pullulare videtur, in tantum quod peccatis exigentibus ipse Bacilinus cum uxore sua et cum sorore sua, qui fuit defuncti Miroslavikemensi, et cum pluribus consanguineis suis seductus plus quam decem milia Christiauorum in eandem heresim introduxit. Unde Rex Ungarie exacerbatus illos ad vestram presentiam compulit veniro a vobis examinandos. Illi autem simulatis litteris redierunt, dicentes a vobis concessam sibi legem. Unde rogamus, ut Regi Ungarie suggeratis, ut eos a regno suo evellat tamquam zizania a tritico.

XI.

Litterae magni Iupani totius Serviae, qui pontifici se offert atque commendat. Reg. An. II. ep. 177. fol. 183.

Innocentio dei gratia summo pontifici et universali pape Romano ecclesie beatorum Apostolorum Petri et Pauli, S. eadem gratia et sancta oratione vestra Magnus Iuppanus totius Servye, Salutem tamquam patri suo spirituali. Litteras sanctitatis vestre recepimus et bene intelleximus, et que venerabiles legati vestri, scilicet I. Capellanus et Symon subdiaconus, tam in litteris quam in ore eorum narraverunt nobis. Gratiamur itaque magne sanctitati vestre, quia non tradidisti nos in oblivionem filios tuos, sed recordatus es de nobis. Nos autem semper considcramus in vestigia sancto Romane ecclesie, sicut bone memorie pater meus, ot precoptum sancte Romane ecclesie semper custodire, et in proximo legatos nostros vellemus transmittere ad sanctitatem vestram. Nos autem locuti sumus dictis venerabilibus tuis legatis, quoniam ipsi cum ore eorum narrabunt sanctitati vestro eloquia mea.

XII.

Litterae Ioannis Dioclensis et Antibarensis archiepiscopi, quibus pontifici de transmisso pallio gratias agit, et quid legati apostolici in corrigendis moribus effecerint, declarat. Reg. An. II. ep. 178. fol. 183.

Sanctissimo patri et domino INNOCENTIO dei gratia summo pontifici, IOHANNES Dioclensis et Antibarensis ecclesie humilis minister, tam debitam quam devotam obedientiam. Gratias uberes refero sanctissimo paternitati vestre de honore pallii et plenitudine pontificalis officii, quam michi per dñum Iohannem et dominum Symonem familiares et legatos vestros concedere dignati estis. Ego autem omni tempore vite mee ad devotionem vestram et fidelitatem et sancte Romane ecclesie promptum habeo animum modis omnibus et paratum. Notum siquidem facio sanctitati vestre, quod prefati legati vestri ea, que corrigenda et ordinanda fuerunt, ita cum prudentia et honestate per dei gratiam ad honorem vestrum et sancte Romane ecclesie tractaverunt, quod dominus Rex et totus populus eorum opera commendantes ad vestrum honorem et obsequium effecti sunt modis omnibus promptiores. Ego vero in proximo nuncios meos ad pedes vestro sanctitatis transmittam, qui devotionem meam paternitati vestre plenius declarabunt.

XIII.

Statuta praedictorum nuntiorum apostolicorum facta in partibus Dalmatiae et Dioclese, ne ultra episcopus ordinibus conferendis pecuniam recipiat etc. Reg. An. II. ep. 179. fol. 183.

IN nomine patris et filii et spiritus sancti. Nos Iohannes Capellanus et Symon subdiaconus dñi Innocentii pape tertii, apostolice sedis legati ad evellenda nociva de agro dominico, et virtutum plantaria utiliter inserenda, videntes multa in clero et populo Dalmatie et Dioclie corrigenda, de sanctorum patrum conciliis decreta presentia duximus innovanda. In primis itaque decernimus, ut nullus episcopus aliquem ad sacros ordines per pecuniam promovere, seu ecclesiastica beneficia alicui precio interveniente concedere presumat. Cum enim dominus preceperit Apostolis: Gratis accepistis, gratis date; et spiritus sancti gratia venalis esse non possit, que in sacris confertur ordinibus: gravi puniendus est pena, qui spiritus sancti dona venalia exponere non veretur. Quocirca presenti decreto statuimus, ut quicumque episcopus hoc agere convictus fuerit, omni ecclesiastica careat dignitate et sine spe restitutionis tam ille qui dederit, quam ille qui scienter sacros ordines pecunia interveniente receperit, perpetuo deponatur.

Cum dñi sacerdotes, et hii qui sacro altario deserviunt, continenter vivere debeant iuxta illud: Mundamini, qui fertis vasa domini; in partibus Dalmatie atque Dioclie sacerdotes et uxores habere et ecclesias tenere dicuntur. Quocirca presenti decreto statuimus, ut sacerdotes et diaconos ante susceptum officium, nisi eorum coniuges in manu episcopi votum fecerint continentie, uxores habentes cum ipsis maneant et ecclesias dimittant: non enim possint secundum ordinem Romane ecclesie manentes in coniugio, nisi defunctis uxoribus aut continentiam voventibus, si digni inventi fuerint, ad sacerdotium promoveri. Illi vero, qui post susceptum sacerdotii vel diaconatus honorem adulteras potius quam uxores accepisse probantur, nisi eas dimiserint, et dignam egerint penitentiam, ab officio et ecclesiastico beneficio fiant penitus alieni. Prohibemus etiam, ne aliquis episcopus, nisi in quatuor temporibus iuxta sanctorum patrum constitutionem aliquem ad sacros ordines promovere presumat: solus enim Romanus pontifex dominicis diebus subdiaconus ordinare potest. Cum autem episcopus ordinationem fecerit, non nisi unum ordinem a subdiacono et supra conferre presumat. Ordinatus autem in subdiaconatum ad munus per annum in eodem officio deserviat, et diaconus similiter faciat. Quicumque autem episcopus contra hoc venire presumpserit, tamdiu a conferendis ordinibus abstineat, donec a Romano pontifice misericordiam consequatur.

Quoniam secundum gradus et ordines personarum beneficia ecclesiastica in domo dñi secundum sanctorum patrum constitutionem distributa noscuntur, decernimus, ut decime seu oblationes fidelium tam pro vivis quam pro defunctis in quatuor partibus dividantur, quarum una sit episcopi, alia ecclesiarum, tertia pauperum, quarta clericorum. Portionem quidem pauperum ejus amministret: portionem vero ecclesiarum archipresbiter conservet, et ex mandato episcopi in usibus ecclesie fideliter expendat. Quicumque autem clericorum contra hoc venire presumpserit, sua portione privetur.

Districtius inhibemus, ne aliquis sacerdos filii sui vel filie spiritualis privatam confessionem alicui reveiare presumat. Quod si facere convictus fuerit, officio et beneficio ecclesiastico perpetuo spolietur. Idem dicimus de quolibet clerico, qui de homicidio, adulterio, periurio, falso testimonio publice accusatus fuerit et convictus.

Cum terrarum potestatum nunciis sive ministris honor exhibeatur ab omnibus, multo magis ministris dei honor a laicis exhibendus est, a quibus eis non solum divina celebrantur officia, verum etiam sacrum baptisma et corpus domini et penitentia, et cetera ecclesiastica sacramenta iugiter ministrantur. Quapropter iuxta decretum domini Innocentii pape secundi districtius inhibemus, ne aliquis in personam episcopi sive sacerdotis, vel cuiuslibet clerici vel religiosi viri violentas manus inicere presumat. Quicumque autem hoc attemptaverit, tamdiu excommunicatus maneat, donec de tanta presumptione satisfacturus apostolico se conspectui representet, vel ab eius legato, prestita congrua satisfactione, absolutionis beneficium consequatur. Similiter sub excommunicatione prohibemus, ne aliquis laicus clericum ad peregrina iudicia trahere presumat veluti candentis ferri, vel aque, vel cuiuslibet alterius iudicii: non enim pertinet ad laicum clericum iudicare. Si autem clericus peccaverit, ab archiepiscopo vel epo, vel etiam prelato suo, aut Romano pontifice, si necesse fuerit, iudicetur.

Cum sacrosancta Romana ecclesia, que mater est omnium ecclesiarum et magistra, decreverit, ut nullus christianus usque ad septimum consanguinitatis gradum coniugium contrahere presumat, grave nimis est et divini dignum animadversione iudicii, quod in partibus Dalmatie et Dioclie a multis factum in veritate comperimus, ut homines dei timorem non habentes cum consanguineis in quarto et quinto gradu vel infra contra sanctorum patrum constitutionum coniugia contrahere non formident. Quapropter presenti decreto statuimus, ut quicumque in quarto gradu presertim vel infra coniugium habere convincitur, nisi ad mandatum ecclesie satisfecerit, et a sue consanguinitatis incesta coniunctione recesserit, tamdiu maneat excommunicatus et ab omnibus ecclesie sacramentis separatus, donec a nefaria copula separetur, et ad mandatum ecclesie satisfaciat.

Item precipimus, ut clerici rasuram et tonsuram teneant clericalem. Qui autem hoc non fecerit, ab episcopo districtione canonica compellatur.

Cum due sunt in terris potestates a domino constitute, spiritualis videlicet et secularis, et una de spiritualibus et ecclesiasticis, altera de secularibus habeat iudicare, grave committitur peccatum, quicumque laicus vel ecclesias donare vel ecclesiasticas personas iudicare presumit. Quocirca presenti decreto statuimus auctoritate dei omnipotentis et beatorum Apostolorum Petri et Pauli, et domini pape Innocentii, ut quicumque clericus de manu laica ecclesiam vel ecclesiastica beneficia receperit, tam qui dederit, quam qui receperit, tamdiu excommunicationis vinculo teneatur astrictus, donec ad mandatum ecclesie plenarie satisfaciat: et quod contra sacros canones factum fuerit, irritum habeatur et vacuum. Illos autem laicos, qui ante constitutionem istam ecclesias donaverint, vel in ecclesiasticas personas manus iniecerint violentas, volumus per episcopos tertio commoneri, et nisi penitentiam egerint competentem, eadem sententia teneantur astricti.

Excommunicamus omnes illos, qui thesauros ecclesiarum iniuste detinent, donec restituant, et eos, qui Latinos detinent in servitute, nisi recepta pecunia, quam dederunt, eos pristine restituant libertati. Item excommunicamus omnes illos, qui proprias dimiserunt uxores, vel decetero dimiserint sine iudicio ecclesie, donec ad ipsas revertantur. Prohibemus etiam, ut filii presbiterorum, et qui de legitimo non sunt nati matrimonio, ad sacros ordines non accedant. Similiter prohibemus, ut nullus ordinetur in sacerdotem, nisi tricesimum expleverit annum.

✠ Ego fr. Iohannes domini pape Capellanus apostolice sedis legatus scripsi et subscripsi.
✠ Ego fr. Symon dñi pape subdiaconus apostolice sedis legatus subscripsi.
✠ Ego Iohannes Diocliensis et Antibarensis Archiepiscopus subscripsi.
✠ Ego Dominicus archipresbiter Arbanensis subscripsi.
✠ Ego Petrus Scuarincnsis episcopus subscripsi.
✠ Ego Iohannes Polatinensis episcopus subscripsi.
✠ Ego Petrus Aruastinensis episcopus subscripsi.
✠ Ego Dominicus Soscinensis episcopus subscripsi.
✠ Ego Natalis Dulcinensis episcopus subscripsi.
✠ Ego Theodorus Sarcanensis episcopus subscripsi.

XIV.

Iudicibus, ut de electione episcopi Farensis inquirant et referant. Reg. An. II. ep. 299.

Innocentius episcopus etc. Venerabilibus fratribus ... Tiniensi et ... Scardonensi episcopis, et dilecto filio ... Abbati Traguriensi, salutem etc. Constitutus in presentia nostra venerabilis frater

noster M. dictus Farensis episcopus sua nobis assertione monstravit, quod cum venerabilis frater noster N. Farensis episcopus electus fuissot in archiepiscopum Iadertinum, asserens electionem suam fuisse per sedem apostolicam confirmatam, ad Iadertinam transivit ecclesiam, et in ea tamquam archiepiscopus ministravit. Postmodum autem ad Farensem accedens ecclesiam cepit de substituendo sibi in eamdem ecclesiam pastore tractare, volens in eam intrudere M. diaconum ecclesie Iadertiue, principe terre alium ibidem intrudere moliente. Propter quod clerus et populus Farenses convenientes in unum, credentes dictum episcopum ad Iadertinam ecclesiam auctoritate sedis apostolice transivisse, dictum M. in pastorem concorditer elegerunt, et olectionem factam dilectis filiis Spalatensi capitulo presentantes, eam confirmari obtinnerunt, et electum suum per suffraganeum (suffraganeos) Spalatensis ecclesio consecrari. Postmodum autem profatus N. Faronsis episcopus a nobis ad venerabiles fratres nostros Polensem, Absalensem et Arbensem episcopos litteras impetravit: a quibus licet propter causam suspicionis idem episcopus appellasset, ipsi nichilominus, sicut et (ei) fuit in via suggestum, excommunicationis sententiam protulerunt: propter quod ipsum ad sedem apostolicam venientem fecimus ad maiorem cautelam absolvi. Constitit autem nobis, quod licet dictus N. postulatus fuerit in ecclesiam Iadertinam, postulatio tamen eius nondum fuit per sedem apostolicam approbata. Suggestum etiam nobis fuit per litteras et nuntios eius, quod cum Iadertum, unde oriundus fuerat, ad domum propriam accessisset, et in Iadertina ecclesia non tamquam archiepiscopus, sed tamquam archidiaconus ministrarot, dictus M. in locum viventis irrepsit, et in Farensem ecclesiam temere se permisit intrudi. Propter quod de mandato nostro per memoratos episcopos excommunicationis fuit vinculo innodatus. Quia vero sive momoratus eṗus temere transiverit ad ecclesiam Iadortinam, sive ipsam tamquam ipsius archidiaconus visitarit, antequam Farensis ecclesia fuissct ab eo auctoritate sedis apostolice absoluta, per electionem canonicam alium sibi episcopum non poterat copulare, eidem episcopo dedimus in mandatis, ut a Farensi ecclesia omnino recedat, nec se nominet Farensem oṗum, sed ad Spalatensem canonicam, unde assumptus fuerat, si volnerit, revortatur. Quia vero Farensis ecclesia, iusto forsan errore decepta, credens videlicet ipsum episcopum ad Iadertinam ecclesiam de mandato ecclesie Romane transisse in hunc contulit sua vota, et ipse occasione simili circumventus consensit in eam: discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus, sublato appellationis obstaculo, inquiratis diligentins veritatem, si prefatus N. Farensis episcopus postulationem suam asseruit per sedem apostolicam approbatam, si ad ad Iadertinam ecclesiam omnino transivit, si in ea se habuerit ut electus, si de substituendo sibi pastore in ecclesia Farensi tractavit, ut de hiis et aliis per litteras vestras certiores effecti melius in ipso negotio proceddamus. Quod si omnes hiis exequendis nequiveritis interesse, duo vestrum ea nichilominus exequantur. Datum Laterani III. Idus Iulii, Pontificatus nostri Anno Secundo.

XV.

Capitulo Spalatensi, curent, ne ecclesia Farensis detrimentum incurrat. Reg. An. II. ep. 300.

INNOCENTIUS EPISCOPUS etc. Dilectis filiis Capitulo Spalatensi, salutem etc. Cum venerabilis frater noster M. dictus Farensis episcopus vonerabilem fratrem nostrum N. Farensem episcopum asserentem postulationem suam esse per sedem apostolicam approbatam transisse proponat ad ecclesiam Iadertinam, et in ea ut archiepiscopum ministrasse, et in Farensi ecclesia alium sibi substituere voluisse, se vero ad Farensis ecclesie rogimon fuisse, illo transeunte, vocatum; prefatus vero N. episcopus ad civitatem Iadertinam, unde fuerat oriundus, non transisso, sed accessisse proponat, et in ea se non archiepiscopum, sed archidiaconum ministrasse, ac dictum M. Farensem se in ecclesia Farensi focisse intrudi, et nos inquisitionem horum duxerimus committendam: sollicite volumus precavere, ne interim in eadem Farensi ecclesia aliquid in spiritualibus vel temporalibus dotrimentum incurrat. Ipsam ergo vestre sollicitudini committentes, donec aliud statuimus, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus taliter ipsi providere curetis, quod occasione controversie huius aliquod dispendium non incurrat. Datum Laterani II. Idus Iulii, Pontificatus nostri Anno Secundo.

XVI.

Archiepiscopo Antibarensi, ut B. Suncensi episcopo homicidii accusato, qui dignitati episcopali renuntiaverat, de proventibus eius episcopatus provisionem assignandam curet. Reg. An. II. ep. 180. fol. 185.

INNOCENTIUS EPISCOPUS etc. Venerabili fratri . . . Antibarensi Archiepiscopo, salutem etc. Cum accessisset nuper ad apostolicam sedem Venerabilis frater noster B. Soacensis episcopus, super eo

quod dicebatur de homicidii crimine infamatus, coram nobis et fratribus nostris misericordiam sedis apostolice suppliciter implorabat. Cum autem nobis de facti serie non constaret, de processu ipsius a dilectis filiis I. capellano et S. subdiacono nostris, qui rei veritatem plenius cognoverunt, dum in partibus Dioclie legationis officio fungerentur, inquisivimus diligenter: ex quorum assertione tenuimus, quod cum ingressi provinciam Dalmatie superioris fuissent, a maiori parte cleri et populi Soacensis de reatu homicidii dictum invenerunt episcopum infamatum. Cum autem ad ipsius ecclesiam accessissent, in presentia eius cleri et populi Soacensis infra missarum sollempnia quidam de civibus S. nomine libellum ipsis accusationis porrexit, asserens se testibus probaturum, quod episcopus reus esset homicidii perpetrati. Episcopus vero per instrumentum purgationis oblatum, quo iurasse cum duobus episcopis dicebatur, se nec fecisse illud, nec fieri precepisse, innocentiam suam ostendere satagebat: quod tam tua quam illorum episcoporum assertione, qui compurgatores dicebantur, fuisse falsum reppererunt, cum nullum a compurgatoribus fuerit exhibitum iuramentum. Unde causam ipsam, ut populi scandalum sedaretur, duxerunt iuris ordine pertractandam, et per receptionem testium productorum in concilio apud Antibarum congregato voluerunt per confessionem ipsius intelligere plenius veritatem: cuius fuit tale responsum, quod nec fecerat, neque preceperat fieri homicidium perpetratum, et tam accusatores quam testes inimicos suos existere capitales. Et cum homicidium a T. et I. presbiteris assereret perpetratum, obiectum fuit ei ab accusatore predicto, quod prescriptum T. in presbiterum ordinarat, in quo se confessus est peccasse. Verum cum dicti legati pariter pertractaront super hiis, que coram eis fuerant actitata, die sequenti mitram eis et anulum in tua et episcoporum presentia, qui convenerant ad concilium, resignavit, quo ab eisdem aliquot dies repetiit, asserens se ob hoc velle ad sedem apostolicam proficisci: cui et adversariis pariter datis dimissoriis, certus fuit a iam dictis legatis terminus assignatus. Ceterum inter alia, que dictus episcopus in nostra et fratrum nostrorum presentia recognovit, confessus est et non negavit se prefatum T. in presbiterum ordinasse, postquam ipsum reatum homicidii audierat et crediderat commisisse: cuius factum, cum familiaris esset ipsius, non poterat penitus ignorare. Cum ergo secundum apostolum ejus bonum testimonium debeat et ab hiis qui sunt intus, et ab hiis qui sunt foris habere, qui ad curam positus aliorum in se ipso debet ostendere, qualiter alios in domo dñi oporteat conversari, nec perferens memorandi criminis labem, lucidam gerat sacerdotii dignitatem: nos attendentes, quod satius sit domino in inferiori ministerio deservire, quam graduum sublimitatem appetere cum scandalo aliorum, episcopum ipsum monuimus diligenter, ut postquam episcopalia insignia resignarat, citra pontificale fastigium creatori suo devotum impenderet amodo famulatum: quod in humilitatis spiritu et contrito animo visus est acceptasse, unde ipsius propositum dignis laudibus commendamus. Ceterum quoniam non sine nostro et cleri posset opprobrio mendicare, cum de provisione ipsius propter locorum incertitudinem deliberare provide non possemus, ad petitionem ipsius fraternitati tue duximus apostolicas litteras destinare, precipiendo mandantes, quatenus de Soacensis episcopatus proventibus ei competenter in necessariis facias provideri, ne pro defectu temporalium rerum propositum eius valeat impediri. Et quoniam quidam coram te propriis nominibus designandi eum dicuntur rebus propriis contra iustitiam spoliasse, alii vero manus in eum sacrilegas iniecisse, volumus et mandamus, ut si rem ita inveneris se habere, et primos ad ablata reddenda in integrum, appellatione remota, compellas, et alios excommunicatos publice nuncies, et sicut excommunicatos tamdiu facias evitari, donec passo iniuriam satisfecerint competenter, et cum tuarum testimonio litterarum ad sedem apostolicam venerint absolvendi. Datum Laterani VII. Idus Septembris.

XVII.

Episcopo Ultrasilvano, ne a sententia lata et re iudicata appelletur, sed iudex suspectus semper recusari possit.
Reg. Au. II. ep. 244. fol. 283.

INNOCENTIUS EPISCOPUS etc. Venerabili fratri Adriano Ultrasilvano Episcopo, salutem etc. Quoniam ea, que per ordinem iudicialis examinis rationabiliter sunt decisa, nulla debent temeritate rescindi, sed perpetue stabilitatis robore confirmari, presentium litterarum auctoritate statuimus, ut si aliquod scriptum contra sententiam, que contra Flandrenses sacerdotes, qui positi sunt in terra sancti Michaelis quondam decimali super iure parrochiali pro te lata est, per subreptionem appareat impetratum, viribus careat ot tuis in posterum rationibus non obsistat. Illud quoque decernimus et per presentes tibi litteras indulgemus, ut si Venerabilis frater noster . . . Strigoniensis Archiepiscopus vel Sibiniensis Prepositus, aut ipsi Flandrenses presbiteri preter conscientiam tuam et procuratoris tui in gravamen tuum iudices

aliquos impetraverint, quos vel habeas adversarios, vel manifeste possis probare suspectos, ad recusandum illos liceat tibi sedem apostolicam appellare, etiamsi in commissionis litteris appellationis sit remedium interclusum. Datum Laterani XIX. Kal. Ianuarii.

XVIII.

Nobili viro Ioannitio (vide infra N.° XXV.), ut legatum apostolicum reverenter recipiat. Reg. Aa. II. ep. 266. fol. 208.

INNOCENTIUS EPISCOPUS etc. Nobili viro Iohannitio etc. Respexit dominus humilitatem tuam et devotionem, quam erga Romanam ecclesiam cognosceris hactenus habuisse, et te inter tumultus bellicos et guerrarum discrimina non solum potenter defendit, sed etiam mirabiliter et misericorditer dilatavit. Nos autem, audito quod de nobili Urbis Romae prosapia progenitores tui originem traxerint, et tu ab eis et sanguinis generositatem contraxeris et sincere devotionis affectum, quem ad apostolicam sedem geris quasi hereditario iure, iampridem te proposuimus litteris et nuntiis visitare; sed variis ecclesie sollicitudinibus detenti hactenus non potuimus nostrum propositum adimplere: nunc vero inter alias sollicitudines nostras hanc etiam assumendam duximus, immo consumandam potius iamdudum assumptam, ut per legatos et litteras nostras te in laudabili foveamus proposito et in devotione sedis apostolice sondemus. Dilectum itaque filium nostrum Dominicum archipresbiterum Grecorum de Brundusio ad te personaliter destinantes, monemus nobilitatem tuam et exhortamur in domino, ac per apostolica tibi rescripta mandamus, quatenus ipsum humiliter et devote recipiens, honorifice ac benigne pertractes, et per eum plenius nobis tuam devotionem exponas. Cum enim plene nobis per ipsum de sinceritate tui propositi et devotionis affectu constiterit, ad te proposuimus maiores nuntios vel legatos potius destinare, qui tam te quam tuos in apostolice sedis dilectione confirment, et te de benevolentia nostra efficiunt certiorem. Datum etc.

XIX.

Magistro et fratribus militie templi in Sclavonia quamdam confinium compositionem cum monasterio ss. Cosme et Damiani iustam pontifex confirmat. Reg. Aa. II. ep. 261. fol. 215.

INNOCENTIUS EPISCOPUS etc. Dilectis filiis . . . Magistro et fratribus Militie Templi in Sclavonia constitutis, salutem etc. Cum a nobis petitur, quod iustum est et honestum, tam vigor equitatis quam ordo exigit rationis, ut id etc. Eapropter, sicut vestra petitio nobis exhibita continebat, nos vestris supplicationibus grato assensu annuentes, compositionem inter vos et monasterium sanctorum Cosme et Damiani factam super terris et aquarum decursibus et aliis, de quibus inter vos questio vertebatur, sicut rationabiliter et absque pravitate facta est, et ab utraque parte recepta, et in autentico exinde confecto plenius continetur, auctoritate apostolica confirmamus, et presentis scripti patrocinio communimus. Ad maiorem autem evidentiam huius rei ipsum autenticum de verbo ad verbum presentibus litteris duximus inserendum: cuius tenor ita se habet.

IN nomine sancte et individue trinitatis. Anno ab incarnatione domini nostri Ihesu Christi M.C.LXXXXIIII. mense Iulii die nono intrante, Indictione duodecima, apud Tynum, regnante domino nostro Bela serenissimo Rege Ungarie, Dalmatie, Chroatie atque Rame, et Almerico filio super Dalmatiam et Chroatiam. Cum nos nempe Petrus Spalatine sedis Archiepiscopus una cum Matheo Nonensi Episcopo, et Damiano Iadrentino Comite ac Grubesia Spalatino Comite, ceterisque nobilibus, quorum nomina inferius subscribentur, in ecclesia sancti Iohannis de Tino ad controversias, que inter Templarios et monasterium sanctorum Cosme et Damiani pro terris et aquarum discursibus vertebantur, resecandas de mandato Regio resideremus: post multas altercationes et verba, que memorate ecclesie inter se habebant, Wadias ab utraque parte per stipitem de voluntate utriusque partis suscipientes, pro bono pacis et concordie talem inter utrasque ecclesias finem et divisionem auctoritate Regia composnimus, ut incipiendo a via, que inter villam Tini et villam sanctorum Cosme et Damiani est, et eundo versus meridiem recto tramite usque ad Gomillam inferius, et abinde usque ad Blatam, quicquid in austro in terris et in aquis est, quod ad monasterium sancti Damiani pertinuit, domui Templi remaneat perpetuo possidendum preter aquam Chriplinam, quam communem esse decernimus utrisque ecclesiis, et quicquid a prefata via et terminis in partibus occidentis in terris et aquis, ac pascuis etiam ultra vallem Tini habetur et ad Templarios spectavit, prefato sancti Damiani monasterio sit amodo in perpetuum. Aquam vero Kiome cum aquarum discursibus Templarios habere iugiter statuimus, tali videlicet ordine, ut in ea molendina faciant quotquot possunt, ita tamen quod molendino sanctorum Cosme et Damiani

de Virbiza, quod est ultra Blatam, non noceat in aliquo. Volumus etiam et sancimus, ut prefata sancti Damiani ecclesia omnes terras illas, quas ultra Blatam et usque mare possedit antiquitus, et etiam si qua molendina sub suo molendino in austro fecerit, habeat et possideat semper absque omni Templariorum calumpnia. Stabilimus etiam, ut si qua utriusque partis (contra) antiqua testamenta vel scripta preter hanc nostre constitutionis cartam ire presumpserit, omnipotentis dei sanctorumque apostolorum Petri et Pauli, ac omnium Sanctorum et nostram maledictionem incurrat, fiatque anathema, et super hoc pena duarum librarum auri mulctetur. Que omnia firma ac rata esse volumus, presente Gualterio magistro et fratre Aczo preceptore et omnibus fratribus, et Dominico Abbate, Prunoria monacho et Diminoscia monacho, cunctisque fratribus coram hiis idoneis testibus Petro Sagarelle et Tolmatio ac Burello presbiteris Spalatinis. De Iadretinis vero fuerunt testes hii Petrona Cucille, Peitiz Vitache, Peitiz Michaelis, Georgius Soppe, Bitte de Iuda, Bitte Prestantii cum fratre Grisochono, Petrus Scluradi Templariorum advocatus et quamplures alii. De Sclavis vero fuerunt testes hii, de Dominis Iuppanus, Wlcominis Iupanus, Betisius Inpanus, Grubescia Gaudii Iupanus et Rillizus Iupanus cum pluribus aliis. Fuerunt etiam testes ibidem hii, Venerabiles viri Gregorius Antivarensis Archiepiscopus et Vincentius sancti Grisogoni martiris Abbas cum suis monachis et multis de plebe. Et ego Blasius sancte Anastasie diaconus et Iadretine Civitatis Notarius, qui interfui, hanc constitutionis et concordie cartulam iussu iamdicti Archiepi Spalatensis et Nonensis episcopi ac Comitum prescriptorum, ceterorumque testium rogatu, ut audivi, complevi, roboravi et signo consueto signavi.

Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat hanc paginam nostre confirmationis infringere etc. Datum Laterani VIII. Kal. Februarii (Pontificatus nostri Anno Secundo).

XX.

Regi Hungarise pontifex significat, quas poenas in haereticos constituerit, mandatque, ut eos ac Culinum banum Bosninum haereticorum fautorem a regno expellat, et contra Nicolaum intrusum Iadertinum procedat. Reg. An. III. ep. 3. fol. 1.

INNOCENTIUS EPISCOPUS etc. Karissimo in Christo filio H. Regi Ungarorum Illustri, salutem etc. Cum ad vindictam malefficiorum et laudem bonorum materialis usum gladii et terrenum acceperis a domino potentatum: sic collati tibi regni regimen moderari tenebris, ut et orthodoxos, quantum tibi concesserit dominus, in fide catholica foveas, et hereticorum audaciam, qui sententiam ecclesiastice severitatis cludunt, concessa tibi celitus iurisdictione compescas. Ipsi etenim doctrinam evangelicam et apostolicam depravantes, in occulto perversa dogmata dogmatizant, incedentes exterius in vestibus ovium, ut tamquam lupi rapaces oves Christi diripiant et dispergant, non sitientes mortem corporum, sed perniciem potius animarum. Licet autem contra homines huiusmodi pestilentes diversa diversis temporibus emanaverint instituta, nos tamen de communi fratrum nostrorum consilio, de Archiepiporum quoque et Episcoporum existentium apud apostolicam sedem assensu, districtius inhibere curavimus, ne quis hereticos receptare, defendere, aut ipsos fovere vel credere quoquomodo presumat, decreto nostro firmiter statuentes, ut siquis aliquid horum facere forte presumpserit, nisi primo secundove commonitus a sua super hoc curaverit presumptione cessare, ipso iure sit factus infamis, nec ad publica officia vel consilia civitatum, nec ad eligendos aliquos ad huiusmodi, nec ad testimonium admittatur: sit etiam intestabilis, nec ad hereditatis successionem accedat: nullus preterea cogatur ei super quocumque negotio respondere. Quod si forsan iudex extiterit, eius sententia nullam obtineat firmitatem, nec cause alique ad eius audientiam perferantur. Si fuerit advocatus, eius patrocinium nullatenus admittatur. Si tabellio, instrumenta confecta per ipsum nullius penitus sint momenti; sed cum auctore dampnato dampnentur. In similibus etiam idem precipimus observari. Si vero clericus fuerit, ab omni officio et beneficio deponatur, ut in quo maior est culpa, gravior exerceatur vindicta. Si quis autem tales, postquam ab ecclesia fuerint denotati, contempserit evitare, anathematis se noverit sententiam incurrisse. In terris vero iurisdictioni nostre temporali subiectis bona eorum statuimus publicari, et in aliis idem fieri precepimus per Potestates et Principes seculares, quos ad id exequendum, si forte negligentes existerent, mandavimus ecclesiastica severitate compelli: nec ad eos bona ipsorum ulterius revertantur, nisi ad cor redeuntibus et abnegantibus hereticorum consortium aliquis volnerit misereri, ut temporalis saltem pena corripiat, quem spiritualis non corrigit disciplina.

Accepimus autem, quod cum nuper Venerabilis frater noster... Spalatensis Archiepiscopus Patarenos non paucos de Spalatensi et Traguriensi Civitatibus effugasset, nobilis vir Culinus Banus Bossinus iniquitati eorum non solum tutum latibulum, sed et presidium contulit manifestum, et perversitati

eorumdem terram suam et se ipsum exponens, ipsos pro Catholicis, immo ultra Catholicos honoravit, vocans eos antonomasice Christianos. Ne igitur huiusmodi morbus, si eius non obsistatur principiis, vicina corrumpat, et in Regnum, quod absit, Ungarie defluat labes eius, serenitatem regiam rogamus, monemus et exhortamur in domino, in remissionem tibi peccaminum iniungentes, quatinus ad vindicandam tantam Christi et Christianorum iniuriam potenter et regaliter accingaris, et nisi Banus predictus universos hereticos de terra sue potestati subiecta proscripserit, bonis eorum omnibus confiscatis, tu ipsum et hereticos ipsos non solum de terra eius, sed de toto Ungarie regno proscribas, et bona talium, ubicumque per terram tuam potuerunt inveniri, confisces, nec pareat oculus tuus Bano predicto, quin contra eum iurisdictionem exerceas temporalem, si alias ad viam rectitudinis non poterit revocari.

Nicolaum quoque quondam Farensem Episcopum, qui non solum preter auctoritatem nostram, sed etiam contra prohibitionem expressam Iadertinam metropolim, quam presumpsit invadere, detinere presumit, unde suspensus a nobis anathematizari mandatur, ut a suo resipiscat herrore, tradita tibi potestate compellas, ne iuxta canonicas sanctiones non cares scrupulo societatis occulte, si manifesto facinori desinas obviare. Datum Laterani v. Idus Octobris (Pontificatus nostri Anno Tertio).

XXI.

Archiepiscopo Spalatensi pontifex mandat, ut Nicolaum quondam Farensem episcopum excommunicatum publice nuntiet. Reg. An. III. ep. 2. fol. 1.

Innocentius episcopus etc. Venerabili fratri ... Archiepiscopo Spalatensi, salutem etc. Ex parte tua fuit in audientia nostra propositum, quod Nicolaus quondam Farensis episcopus ad duos episcopatus positos in provincia Spalatensi duos eligi fecit adhuc in minoribus ordinibus constitutos, et in Iadertina provincia post latam in eum suspensionis sententiam quosdam ad ordines non erubuit promovere. Cum igitur contemptus huiusmodi relinqui non debeat impunitus, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatinus eos, quos in tua provincia taliter eligi fecit, donec apostolico se conspectui presentarint, et illos, quos ordinavit suspensus, si scienter a suspenso ordines susceperunt, donec super hoc aliud statuamus, ab officio et beneficio, sublato appellationis impedimento, suspendas. Ipsum autem Nicolaum tu et suffraganei tui singulis diebus dominicis et festivis, pulsatis campanis et candelis accensis, per universam Spalatensem provinciam excommunicatum publice nuntietis, et per Iadertinam provinciam faciatis publice nuntiari, adicientes, quod nisi resipuerit infra mensem, non solum a dignitate, verum etiam ab ordinibus deponetur. Datum Laterani II. Idus Octobris, Pontificatus nostri Anno Tertio.

XXII.

Archiepiscopo Antibarensi de falsis litteris apostolicis ei delatis et de Dominico quondam Suacensi episcopo in arctam custodiam detrudendo. Reg. An. III. ep. 35. fol. 73.

Innocentius episcopus etc. Venerabili fratri... Antivarensi Archiepiscopo, salutem etc. Quam gravi pene subiaceant, qui litteras apostolicas falsare non timent, et veras a nobis impetratas litteras occultantes falsis uti litteris non verentur, fraternitatem tuam credimus non latere. Ad audientiam siquidem nostram ex litteris Karissimi in Christo filii nostri Vulcani Dioclie Regis illustris, necnon et tenore litterarum tuarum, quas dilecto filio fratri Iohanni Capellano nostro apud Duratium direxisti, noveris pervenisse, quod cum Dominicus quondam Suacensis episcopus, qui coram eodem Capellano et dilecto filio S. Subdiacono nostro tunc in partibus illis gerentibus legationis officium fuerat do homicidio accusatus, et in concilio apud Antivarum pontificalem resignaverat dignitatem, ad nostram olim presentiam accessisset, a nobis rediens quasdam tibi litteras presentavit, quas de verbo ad verbum in litteris iamdicto Capellano nostro ex parte tua directis perspeximus contineri, quibus sibi asserebat a nobis pontificale officium restitutum. Tu vero litteris illis fidem adhibens Venerabilem fratrem nostrum G., quem in Suacensem Episcopum electum canonice diceris consecrasse, ab eadem ecclesia removisti, prefato Dominico occasione litterarum falsarum in ipsa ecclesia restituto. Prefatus autem Rex, sicut suis nobis litteris intimavit, non credens litteras illas ex nostra conscientia emanasse, tam ipsum Dominicum quam prefatum episcopum nostro precepit conspectui presentari, humiliter petens rescripto apostolico edoceri, quicquid duceremus de ipso negocio statuendum. Nos vero rescriptum litterarum falsarum diligentius intuentes, in eis tam in continentia, quam in dictamine manifeste deprehendimus

falsitatem, ac in hoc fuimus non modicum ammirati, quod tu tales litteras a nobis crediderас emanasse, cum presertim scire debeas sedem apostolicam in suis litteris consuetudinem hanc tenere, ut universos Patriarchas, Archiepos et Epos fratres, ceteros autem sive Reges sint sive principes, vel alios homines cuiuscumque ordinis filios in nostris litteris appellemus, et cum uni tantum persone littere apostolice dirigantur, nunquam ei loquimur in plurali, ut vos sive vester, vel hiis similia in ipsis litteris apponantur. In falsis autem tibi litteris presentatis in salutatione dilectus in Christo filius vocabaris, cum in omnibus litteris, quas aliquando tibi transmisimus, te videre potueris a nobis fratrem venerabilem appellatum: propter quod sic esse te volumus in consimilibus circumspectum, ut per falsas litteras denuo nequeas circumveniri vel falli; sed sic litteras apostolicas studeas diligentius intueri, tam in bulla quam filo, tam etiam in carta quam stilo, quod veras pro falsis, vel falsas pro veris aliquo modo non admittas. Scire namque te volumus, quod cum sepefatus Dominicus olim ad apostolicam sedem accesit, nos cum fratribus nostris examinantes diligentius causam ipsius, eum ad te duximus cum nostris litteris remittendum, quarum rescriptum nunc tibi sub bulla nostra mittimus interclusum: sed ipse tamquam homo iniquus, sicut eius opera manifestant, veras litteras supprimens, quas ex benignitate sedis apostolice concesseramus eidem, falsas tibi non timuit litteras presentare. Ceterum quia dignum est, ut qui noluit benedictionem, prolongetur ab ea, et prefatus Suacensis episcopus non sine labore maximo se curavit nostro conspectui presentare, iamdicto Dominico, tamquam qui de sua iustitia diffidebat, et remordebat eum prescripte conscientia falsitatis, minime veniente, immo licet, ut dicitur, iter arripuerit veniendi, ac promiserit se venturum, ad partes tamen Ungarie se transtulit, ut nostram presentiam declinaret: volentes et illum de sua presumptione punire, et sepenominato episcopo paterna succurrere pietate, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus et districte precipimus, quatinus si forte occasione litterarum illarum in aliquo processisti, irritum denuntians penitus et inane, iamdictum Dominicum, si denuo venire ad partes illas presumpserit, omni dilationis occasione et appellatione postposita, in aliquo facias monasterio districti ordinis ad agendam penitentiam arte retrudi. Pronominatum autem G. episcopum, si premissis veritas suffragatur, in suo loco et dignitate, sublato contradictionis et appellationis obstaculo, restituas et facias in episcopatu suo pacifice permanere, illos ecclesiastica districtione compescens, qui se tibi duxerit temeritate qualibet opponendos. Datum Laterani Nonis Decembris, Pontificatus nostri Anno Tertio.

XXIII.

Capitolo Ragusino facultas eligendi alium archiepiscopum propter diutiusm ultra quadriennium absentiam eorum archiepiscopi conceditur. Reg. An. V. ep. 17.

Innocentius episcopus etc. Dilectis filiis Capitulo Ragusino, salutem etc. Qualiter archiepiscopus vester temeritate propria recesserit ab ecclesia Ragusina, nec iam ultra quadriennium expectatus redierit, et per litteras nostras etiam revocatus, vestra universitas plene novit, cum sepius apud nos super hoc deposueritis de ipso querelam, et vobis concedi postulaveritis licentiam eligendi. Nos autem expectantes diutius duximus expectandum, si forte reverteretur ad cor et ad ecclesiam suam, quam taliter reliquerat, remearet. Nolentes igitur, quod diutius ecclesia ipsa pastoris maneat solatio destituta, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus atque precipimus, quatinus nisi forsitan iam redierit, vos post mensem a receptione presentium personam vobis idoneam in archiepiscopum eligatis, et electionem vestram nobis curetis quam citius presentare. Datum Laterani ... (Pont. nostri Anno Quinto).

XXIV.

Regi Hungarie de terra Meganipani ad suum dominium revocata ad obedientiam Romanae ecclesiae plenius reducendo. Reg. An. V. ep. 18.

Innocentius episcopus etc. Karissimo in Christo filio ... Regi Ungarorum Illustri, salutem etc. Scientes serenitatem regiam in devotione sedis apostolice solidatam de ipsius prosperitate gaudemus, et felices successus ipsius proprios reputamus. Unde cum nobis per dilectum filium... nuntium suum intimasset sollicitudo regalis, quod terra Meganipani ad suum dominium revocasset, gavisi sumus in domino, et ei, qui dispersa congregat, et congregata conservat, gratiarum exolvimus actiones. Credimus autem serenitatem regiam meminisse, qualiter etsi olim ad instantiam eiusdem Meganipani disposuerimus legatum nostrum mittere in Serviam, tandem tamen, voluntate tua plenius intellecta, a proposite desistentes magnificentie tue duximus deferendum. Monemus igitur magnificentiam tuam et

exhortamur in domino, quatinus sicut nos tibi et Regno tuo in hac parte detulimus, sic celsitudo regalis curet nobis et apostolice sedi deferre, institutiones ecclesie Romane in terra ipsa servari precipiens, et eam plenius ad obedientiam nostram reducens, ut fiat unum ovile et unus pastor, cum hoc ipsum tibi et Regno tuo videatur plurimum expedire. Datum Laterani ... (Pont. nostri Anno Quinto).

XXV.

B. Spalatensi archiepiscopo et I. capellano pontificio, ut de fide catholica in terra Culini Bani Bossini inquirant, et reformanda reformet. Reg. An. V. ep. 110. fol. 32.

Innocentius episcopus etc. Venerabili fratri B. Spalatensi Archiepo, et dilecto filio I. Capellano nostro, salutem etc. Illam gerimus de discretione vestra fiduciam, quod secure vobis committamus ea, que viris sunt prudentibus committenda, pro certo sperantes, quod illa promovere studebitis ad divini nominis gloriam et apostolice sedis honorem. Cum igitur in terra nobilis viri Culini Bani quorumdam hominum multitudo moretur, qui de dampnata Catharorum heresi sunt vehementer suspecti et graviter infamati: nos carissimo in Christo filio nostro Henrico Regi Ungarorum illustri apostolica scripta direximus contra illos, qui prefatum Culinum super hoc arguens et obiurgans precepit, ut huiusmodi homines de tota terra sibi subiecta proscriberet, bonis eorum omnibus confiscatis. Ipse vero semetipsum excusans respondit, quod eos non hereticos, sed catholicos esse credebat, paratus quosdam eorum pro omnibus ad sedem apostolicam destinare, ut fidem et conversationem suam nobis exponerent, quatinus nostro iudicio vel confirmarentur in bono, vel revocarentur a malo, cum apostolice sedis doctrinam velint inviolabiliter observare. Nuper ergo prefatus Culinus Venerabilem fratrem nostrum ... Archiepiscopum, et dilectum filium ... Archidiaconum Ragusinum, et cum eis quosdam ex prefatis hominibus ad nostram presentiam destinavit, petens humiliter et implorans, ut aliquem virum idoneum de latere nostro in terram suam mittere dignaremur, qui tam ipsum quam homines suos de fide ac conversatione diligenter examinet, evellens et plantans, que secundum deum evellenda cognoverit et plantanda. Nos igitur, qui licet indigni vicem eius exercemus in terris, qui non vult mortem peccatorum, sed ut convertantur et vivant, petitionem huiusmodi decrevimus admittendam, cum correctionem illorum paterno desideremus affectu. Quocirca de communi fratrum nostrorum consilio te, fili Iohannes, ad huiusmodi executionem negotii duximus destinandum, quod ut perfectius executioni mandetur, te, frater Archiepiscope, qui tam vicinitate locorum, quam rerum experientia super hoc notitiam obtines pleniorem, duximus adiungendum, discretioni vestre per apostolica scripta precipiendo mandantes, quatinus ad terram prefati Culini pariter accedentes, de fide ac conversatione tam ipsius quam uxoris et hominum terre sue inquiratis diligentissime veritatem, et que secundum fidem catholicam apostolicamque doctrinam inveneritis confirmanda, nostra freti auctoritate secundum ritum ecclesiasticum confirmetis. Si qua vero inveneritis inter eos, que sapiant hereticam pravitatem et sane adversentur doctrine, ad viam veritatis secundum fidei regulam reducatis. Quod si forsan monitis et mandatis vestris noluerint acquiescere, vos in eos, appellatione remota, secundum constitutionem, quam edidimus, adversus hereticos procedatis, attentius provisuri, ut deum habentes pre oculis mandatum nostrum cum omni puritate ac sollicitudine studeatis implere. Nos enim sententiam, quam canonice protuleritis, ratam habebimus et faciemus, auctore deo, inviolabiliter observari. Datum Laterani XI. Kal. Decembris, Pontificatus nostri Anno Quinto.

XXVI.

Litterae Caloiocannis domini Bulgarorum et Blacherum missae domino Innocentio papae III. translatae de Bulgarico in Graecum et de Graeco postea in Latinum (quibus epistolae 265. An. II. respondet). Reg. An. V. ep. 115. fol. 33.

Venerabili et sanctissimo patri summo pontifici, Ego Caloiobannes Imperator Bulgarorum et Blachorum, gaudium et salutem mando tibi. Notum facimus sanctitati vestre, quod nos accepimus vestras sacrosanctas litteras, quas nobis portavit religiosus archipresbiter Brundusinus, et nos reputavimus eas caras super omnem aurum et quemlibet lapidem pretiosum. Unde multas egimus gratias omnipotenti deo, qui visitavit nos servos suos indignos secundum suum ineffabilem bonitatem, et respexit humilitatem nostram, et reduxit nos ad memoriam sanguinis et patrie nostre, a qua descendimus. Et nunc, sancte pater, tamquam bonus pastor et caput omnium fidelium christianorum filios sancte catholice et apostolice sedis congregare volens in unum, requisisti nos remotos filios secundum corpus. Et quamvis fratres mei beate memorie iamdudum (nuntios) voluerint mittere sanctitati vestre, non tamen ad vos pervenire propter multos nostros contrarios potuerunt: et nos similiter probantes semel, secundo et

tertio ad vos dirigere, deducere non potuimus, quod optabamus, in fructum. Et nunc videntes, quod sanctitas vestra dignata est mittere imperio nostro tamquam proprii et dilectissimi filii, sicut amantissimo et desideratissimo patri mittimus misericordie vestre religiosum electum Brandizuberensem, fidelem nostrum presbiterum Blasium, una cum fideli nuntio vestro archipresbitero Brundusino, referentes vobis ex parte nostra gratiarum actiones et amicitiam et servitium sicut patri spirituali et summo pontifici. Sanctissime pater, significastis nobis per sacras litteras vestras, quod nos significaremus vobis, quid ab ecclesia Romana petamus. Hoc autem petit imperium nostrum ab apostolica sede, ut nos simus in ecclesia Romana sicut matris filialitate firmati. In primis petimus ab ecclesia Romana, matre nostra, coronam et honorem tamquam dilectus filius, secundum quod imperatores nostri veteres habuerunt. Unus fuit Petrus, alius fuit Samuel et alii, qui eos imperio precesserunt, sicut in libris nostris invenimus esse scriptum. Nunc autem, si placitum est sanctitati vestre nobis istud implere, quicquid imperio nostro duxeritis iniungendum, illud ad honorem dei et ecclesie Romane complebitur. Nec miremini, quod nuncius vester cito non rediit, quia nos suspicati fuimus aliquid contra eum, quia multi venorunt in imperium nostrum nos decipere cogitantes, sed nos ab omnibus bene nobis novimus precavere: sed nos pro eo testimonium recepimus Pretaxtati, et ei acquievimus. Verum si placet vobis, sanctissime pater, mittite nobis magnos nuncios, de quibus nobis per vestras litteras intimastis, et istum destinate cum eis et tunc certificabimur de prima missione pariter et secunda. Det vobis dñus multos annos.

XXVII.

Eidem Caloiohanni domino Bulgarorum et Blachorum ad superiorem epistolam pontifex respondet.
Reg. Au. V. ep. 116. fol. 33.

Innocentius episcopus etc. Nobili viro Caloiohanni domino Bulgarorum et Blachorum etc. Apostolica sedes, cui licet immeriti presidemus, evangelici verbi memor, quo beato Petro Apostolorum Principi et cuilibet successorum eius intelliget esse dictum: Si diligis me, pasce oves meas; ut pure dilectionis affectum habere circa dominum se ostendat, oves eius pascere satagit, et in unius ecclesie gremio remotas etiam congregare, ut sit unum ovile et unus pastor. Cum enim mater sit omnium generalis, ut circa filios matris exhibeat lenitatem, convocare ipsos et congregare conatur in unum, sicut gallina congregat pullos suos, et eos tum per legatos, tum per litteras suas visitat, ut et pastor suas oves agnoscat, et cognoscant oves ovile pariter et pastorem. Hoc igitur attendentes iam pridem nobilitatem tuam per nuntium et litteras nostras duximus visitandam, ut intellecto devotionis affectu, quem habes ad Romanam ecclesiam matrem tuam, maiores ad te nuntios postmodum mitteremus, qui tam te, qui ex nobili Romanorum prosapia diceris descendisse, quam degentem sub te populum verbo pascerent et exemplo, et de benevolentia et gratia sedis apostolice redderent certiorem. Et licet de nuntio nostro primum tua nobilitas dubitarit, sciens quod angelus Sathana interdum se in lucis angelum transfigurat, intellecta tamen postmodum per nobilis viri Pretaxtati testimonium voritate, benigne ac honorifice ipsum recipere procurasti, sicut transmisse ad nos tue littere continebant. Rescripsisti autem nobis per eum et humiliter intimasti, quod litteras nostras reputaveras pretiosas super omne aurum et quemlibet lapidem pretiosum, et deo gratiarum exolveras actiones, quod te dignatus fuerat visitare. Addidisti etiam, quod licet inclite recordationis fratrum tuorum secutus exemplum, semel, secundo et tertio ad nos nuntios dirigere temptavisses, non potueras tamen quod desideraveras adimplere: sed nunc per nostras litteras confortatus B. presbiterum, Brandiburznensem electum, cum nostro nuntio destinabas, quamvis idem electus ad nos propter viarum discrimina non potuerit pervenire. Petisti vero humiliter, ut coronam tibi ecclesia Romana concederet, sicut illustri memorie Petro, Samueli et aliis progenitoribus tuis in libris tuis legetur concessisse. Nos ergo, ut super hoc maiorem certitudinem haberemus, regesta nostra perlegi fecimus diligenter, ex quibus evidenter comperimus, quod in terra tibi subiecta multi Reges fuerant coronati. Preterea continebatur in eis, quod tempore bone memorie Nicolai pape predecessoris nostri Rex Bulgarorum, ad quorum consulta sepissime respondebat, cum tote Regno sibi commisso ad predicationem eius fuerat baptizatus, et Rex ipse ab eo Archiepiscopum postularat. Legatus quoque Michaelis Regis Bulgarici cum donis Regalibus Adriano pape predecessori nostro regias litteras presentarat, et postularat ab eo, ut aliquem ex Cardinalibus in Archiepiscopum eligendum dirigeret, quem post approbationem eorum ad sedem apostolicam remeantem ipse postmodum consecraret. Cumque idem Adrianus illuc cum duobus episcopis quendam subdiaco-

num direxisset, Bulgari corrupti donis Grecorum et promissionibus circumventi, Romanis electis, Grecos presbiteros receperunt. Licet igitur tante memoria levitatis nos usque adeo induxerit ad cautelam, ut nullum ex fratribus nostris, Cardinalibus scilicet, presentialiter ad tuam presentiam mitteremus, nichilominus tamen dilectum filium I. capellanum et familiarem nostrum apostolice sedis legatum, virum providum et discretum, quem nos et fratres nostri sue religionis et probitatis obtentu inter capellanos nostros specialis dilectionis in domino brachiis amplexamur, ad te duximus destinandum: cui etiam commisimus vices nostras, ut in tota terra tua quoad spiritualia corrigat, que corrigenda cognoverit, et statuat, que secundum doum fuerint statuenda. Per ipsum quoque Archiepiscopo terre tne palleum, insigne videlicet plenitudinis pontificalis officii, destinamus, et iuxta formam, quam sub bulla nostra dirigimus, conferendum. Eidem quoque legato nostro dedimus in mandatis, ut si qui forsan in terra tua promovendi ad ordines fuerint, vel in episcopos consecrandi, per vicinos catholicos dumtaxat episcopos et ordinandos ordinet et consecret consecrandos. Mandavimus quoque ipsi, ut de corona progenitoribns tuis ab ecclesia Romana collata tam per libros veteres quam alia documenta inquirat diligentius veritatem, et de omnibus tecum tractet, que fuerint pertractanda, ut cum per ipsum et nuntios tuos de omnibus redditi fuerimus certiores, consultius et maturius, prout procedendum fuerit, procedamus. Monemus igitur nobilitatem tuam et exhortamur in domino, quatenus legatum ipsum sicut personam nostram benigne suscipias et honorifice studeas pertractare, salubria monita et statuta ipsius et tu ipse recipiens, et ab universa Bulgarorum et Blachorum ecclesia recipi faciens et servari. Expedit enim tibi tam ad temporalem gloriam quam salutem eternam, ut sicut genere, sic sis etiam imitatione Romanus, et populus terre tue, qui de sanguine Romanorum se asserit descendisse, ecclesie Romane instituta sequatur, ut etiam in cultu divino mores videantur patrios redolere. Datum Laterani v. Kalendas Decembris (Pontificatus nostri Anno Quinto).

XXVIII.

Epistola Basilii archiepiscopi Zagorensis ad papam, qua eidem gratias agit. Reg. An. V. ep. 117. fol. 34.

Honoratissimo et sanctissimo summo Pontifici et Papae, Ego Basilius indignus Archiepiscopus Sanctitatis vestre et pastor de Zagora, salntem, gandium et adorationem merito vobis tamquam patri nostro speciali. Quamvis non possimus nos corporaliter adorare, vos tamen spiritualiter adoramus, notificantes sanctitati vestre, quod cum nos vidimus missum a vobis Dominicum archipresbiterum Brundusinum, deo gratias egimus, qui non despexit nos humiles et indignos servos suos exurientes et sitientes gratiam et benedictionem sancte catholice et apostolice ecclesie: quia domini nostri Imperatores et nos voluimus a multis annis mittere ad vos, sed non potuimus, et nunc per voluntatem omnipotentis dei et vestre sanctitatis, quia misistis domino nostro Imperatori orationem et benedictionem, valde bene fecistis. Nos autem hec ab Imperatore dicentes, qui nos fecit vocari, levavimus manus ad celum cum universo populo sic dicentes: Memor fuit dominus nostri, quod nos non cogitavimus. Unde nos omnes, parvi et magni sicut boni filii rogamus vos sicut bonum patrem, ut dominus noster Imperator, quod petit a vobis, obtineat, quia dignus est hoc obtinere, quia ipse ac totum Imperium eius bonam devotionem ad ecclesiam Romanam habent, tamquam heredes descendentes a sanguine Romano. Iterum rogamus sanctitatem vestram, quod sint vobis recommendati filius et socius noster Blasius presbiter, electus civitatis Brandizuberensis, una cum fidelissimo nuncio vestro D. archipresbitero Brundusino, quia eis commisit dominus noster Calciohannes Imperator sua secreta, et quod isti dixerint vobis et nostre littere, firmum habeatis: et precamur sanctitatem vestram, quod festinetis vestros nuncios destinare, quia tunc de missione vestra erimus certiores. Concedat vobis dominus multos annos.

XXIX.

Basilio archiepiscopo de Zagora pontifex respondet. Reg. An. V. ep. 119. fol. 34.

Innocentius etc. ... Archiepo de Zagora etc. Quia nobis in beato Petro Apostolorum principi intelligimus esse dictum: Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos; cum ab innumeris sollicitudinibus, que nobis incumbunt, ad tranquillitatem convertimur nostre mentis, remotos etiam fratres et coepiscopos nostros, quos etsi habeamus absentes corpore, presentes tamen spiritu reputamus, confirmamus in his, que ad salutem eorum et ecclesie pertinent unitatem, ut sicut sunt in partem sollicitudinis evocati, sic etiam nostris monitis roborentur. Sane cum unum sit ecclesie corpus, iuxta illud Apostoli: Omnes unum corpus sumus in Christo; extimari non debet in uno corpore capita esse plura, sed is dumtaxat post

dominum intelligendus est ecclesie dei caput, quem Ihesus Christus dominus noster Vicarium sibi substituit, et caput etiam nominavit, dicens ad Petrum: Tu vocaberis Cephas, quod et Petrus interpretatur et caput. Sane cum ei dominus pascendas commiserit oves suas, Pasce, inquiens, oves meas, ab ovili Christi, quod est ecclesia, extraneum se demonstrat, qui caput eum habero noluerit et pastorem. Nos ergo, quos dominus licet immeritos vicarios suos esse voluit et Apostolorum principis successores, ut paterne dilectionis affectum circa Bulgrarorum et Blachorum ecclesiam, que a Romanis etiam secundum carnem et sanguinem descendisse dicitur, per effectum operis monstraremus, iampridem dilectum (fil.)... archipresbiterum Brundusinum ad dilecti filii nobilis viri Caloiohannis domini Bulgrarorum et Blachorum presentiam duximus destinandum, qui tam ipsum quam degentem sub eo populum christianum in devotione sedis apostolice roboraret, et nos de puritate fidei et sinceritate dilectionis ipsius rediens redderet certiores. Gaudemus autem et tuam prudentiam in domino commendamus, quod apostolice sedis magisterium recognoscens scripsisti gratiam et benedictionem sancte catholice et apostolice ecclesie te sitire, ac deo gratiarum actiones egisse, quod predictus nobilis nostris meruerat litteris visitari. Volentes igitur adhuc plenius te ac ecclesiam tibi commissam ecclesiastica unitate ac devotione sedis apostolice roborare, dilectum filium Iohannem etc. ut in litteris videlicet missis Caloioanni usque amplexamur, ad te ac nobilem memoratum duximus destinandum, cui etiam commisimus vices etc. conferendum. Monemus igitur fraternitatem tuam et exhortamur attente, per apostolica scripta mandantes, quatenus Magisterium et Primatum sedis apostolice recognoscens in nostra et ecclesie Romane devotione persistas, et legatum ipsum sicut personam nostram benigne recipias etc. servari, ut qui a Romanis traxerunt originem, ecclesie Romane instituta sequantur. Noveris autem, quod eidem legato nostro dedimus in mandatis, ut si qui forsan in provincia tua etc. procedamus. Datum Laterani v. Kalendas Decembris.

XXX.

Epistola Bellotae principis ad pontificem, qua communionem cum ecclesia Romana expetit. Reg. An. V. ep. 118. fol. 34.

Ego Bellota princeps nimis peccator adoro maiorem sanctitatem vestram superexaltatam universo mundo. Facimus tibi notum, quod, veniente ad nos nuntio vestro archipresbitero Dominico, et referente ad nos de sanctitate et oratione vestra, valde grata habuimus. Et ego saluto ex parte dei maiorem sanctitatem vestram, et peto orationem vestram et benedictionem sanctitatis tue, ut ego debeam esse participes et uxor, filii mei et tota domus mea gratio ecclesio Romano. Et quicumque primum per nos transierit, nobis deferat scripta vestra et vestram benedictionem, ut in vestris orationibus confirmemur.

XXXI.

Eidem Bellotae principi pontifex respondet. Reg. An. V. ep. 120. fol. 34.

Innocentius episcopus etc. Nobili viro Bellote Principi... uxori et filiis eius etc. Recepimus litteras, quas per dilectum filium... archipresbiterum Brundusinum vestra nobis nobilitas destinavit, benignitate, qua decuit, et que significastis per eas, intelleximus diligenter. Gaudemus autem in domino et vestre nobilitatis prudentiam commendamus, quod circa nos et Romanam ecclesiam pure geritis devotionis affectum, et benedictione nostra muniri petitis et orationibus adinvari. Monemus igitur nobilitatem vestram et exhortamur attentius, et per apostolica scripta mandamus, quatenus in nostra et apostolice sedes devotione humiliter persistentes, dilectum filium I. capellanum et familiarem nostrum, apostolice sedis legatum, virum providum et discretum, quem nos et fratres nostri sue religionis et probitatis obtentu inter ceteros capellanos nostros specialis dilectionis in domino brachiis amplexamur, benigne recipere ac pertractare honorifice procuretis. Nos enim habentes vos in visceribus caritatis, oramus ad dominum, ut sic per bona temporalia tribuat vos transire, quod tandem obtineatis eterna. Datum Laterani v. Kalendas Decembris.

XXXII.

W. Meganippano Servie, ut ad catholicam fidem redeat, et obedientiam et reverentiam pontificis vice archiepiscopo Colocensi exhibeat. Reg. An. VI. ep. 94. fol. 23.

Innocentius episcopus etc. Nobili viro W. Meganippano Servie etc. Mediator dei et hominum deus homo, Christus Ihesus, apostolice sedis primatum in beato Petro apostolorum principe stabilivit, qui et ante passionem suam inquit ad ipsum: Tu es Petrus et super hanc petram edificabo ecclesiam meam, et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in celis, et quodcumque solveris super

terram, erit solutum et in celis. Et circa passionem suam dixit eidem: Simon, Satanas expetivit vos, ut cribraret sicut triticum: sed ego pro te rogavi, ut non deficiat fides tua, et tu aliquando conversus confirma fratres tuos. Et post passionem suam vocabulo tertio repetito precepit: Simon Iohannis, diligis me plus hiis? Pasce oves meas; non distinguens inter has oves et illas, ut ab ovili Christi se sciat esse penitus alienum, qui beatum Petrum recusat habere pastorem, et qui claves eius contempnit, ipse sibi regni celestis ianuam intercludit, nec Satane potest cribrum effugere, qui per eum renuit in fide catholica confirmari. Nos igitur, qui licet indigni beato Petro successimus in apostolatus officio, per quod facti sumus sapientibus et insipientibus debitores, de tua salute solliciti decrevimus te per venerabilem fratrem nostrum I. Colocensem archiepum, virum utique litteratum, providum et honestum, cui vices nostras in hac parte commisimus, visitare, quatinus te corpore quidem a nobis remotum, sed mente propinquum in orthodoxa fide confirmet, et a te nomine nostro spiritualem obedientiam et reverentiam recipiens corporalem ad apostolicum ovile reducat, in quo post Christum precipuum et primum pastorem beatus Petrus secundarius et secundus pastor existit. Monemus igitur nobilitatem tuam attente et hortamur, per apostolica scripta mandantes, quatinus prefatum archiepiscopum vice nostra benigne recipias et honores, eiusque salubria monita et mandata studeas humiliter adimplere, ut sic in arca receptus diluvium non incurras, et nos ad honorem et profectum tuum debeamus efficaciter aspirare. Datum Laterani XI. Kal. Aprilis (Pontificatus nostri Anno Sexto).

In e. m. scriptum est Archiepiscopis, Episcopis et Baronibus per Serviam constitutis.

XXXIII.

Archiepiscopo Colocensi super eodem argumento. Reg. An. VI. ep. 25. fol. 53.

INNOCENTIUS EPISCOPUS etc. Venerabili fratri ... Colocensi Archiepiscopo, salutem etc. Mediator dei etc. ut supra usque debitores, de salute nobilis viri W. Meganippani Servie, et tam prelatorum ecclesie quam nobilium terre, immo et omnium morantium in Servia solliciti, per te ipsos decrevimus visitare. Ideoque fraternitati tue, de qua plenam fiduciam obtinemus, in hoc vices nostras auctoritate presentium committentes, per apostolica tibi scripta mandamus, quatinus accedens personaliter in Serviam, Meganippanum ipsum, prelatos et nobiles universos in orthodoxa fide confirmes, et ab eis iuratoriam recipias cautionem, quod nobis et successoribus nostris, sancteque Romane apostolice sedi bona fide curabunt de cetero in spiritualibus obedire, recipiensque ab eis reverentiam corporalem, illos auctoritate nostra suffultus et obedientie vinculo, quo videbantur Patriarche Constantinopolitano teneri, denunties penitus absolutos, quia cum ipse debitam nobis obedientiam non impendat, nec ipsi demeritam sibi tenentur reverentiam exhibere. Datum Laterani ut supra.

Scriptum est super hoc Regi Ungarorum Illustri.

XXXIV.

Litterae Ioannis de Casamaris ad dominum papam, quibus rationem reddit legationis suae in regnum Bosniae etc. proposnae, ut ibi novos episcopatus ordinet. Reg. An. VI. ep. 140. fol. 80.

..... Tractato negotio illorum quondam Patarinorum in Bosna, sicut iampridem scripsi sanctitati vestre, fui in Ungaria aliquantis diebus ex voluntate regia. Interim autem nuntii illius magni viri Caloiohannis venerunt ad Regem, cum quibus deo duce spero me ire ad ipsum, et christianissimus Rex fecit eos super evangelia iurare in ecclesia coram altari, quod me securum usque ad presentiam eius deducerent. Confido autem in domino, quod sequenti die, quod erit festum beati Barnabe, incipiemus iter, vestris nos orationibus comitantibus et subsequente benedictione. Dicitur vero a multis et ab ipso Rege, quod devotionem habeat ille ad Romanam ecclesiam, et isti, qui mecum sunt, modo firmiter asserunt et affirmant. Unde recepi securitatem, quod si voluerit mittere nuntios ad sanctitatem vestram in eundo et redeundo nullam per totum Regnum Ungarie, et amicitie ipsius et parentele lesionem patientur.

Noveritis preterea, quod in Regno Bani Culini de Bosna non est nisi unus episcopatus, et episcopus modo mortuus est. Si posset fieri, quod aliquis Latinus ibi poneretur, et aliqui etiam ibi tres vel quatuor crearentur novi, non modicum exinde utilitati accresceret ecclesiastice, quia Reguum est ipsius ad minus dietarum decem et plus.

Ad hoc sciat sanctitas vestra, quod nobilis mulier Sibilia, uxor quondam potestatis Constantinopolitani, in ultima voluntate do dote sua legatum reliquit Romane ecclesie: dicit quidam presbiter, quem inveni in Ungaria, viginti millia perperorum, quod verum videtur, quia ipsa proprio suo michi retulit ore,

quod totam dotem suam volebat vobis et ecclesie Romano delegare: quod idcirco significandum duxi, ut si contingit illuc mittere legatum, et viderit expedire, debeat vestra auctoritate fultus requirere et viriliter repetere.

XXXV.

Instrumentum, quo Bosnae monachi schismatici constitutiones ecclesiae Romanae servare promittunt. Reg. An. VI. ep. 141

In nomine dei eterni creatoris omnium et humani generis redemptoris. Anno ab ipsius incarnatione M.CC.III. domini vero Innocentii pp. III. anno VI. Nos Priores illorum hominum, qui hactenus singulariter Christiani nominis prerogativa vocati sumus in territorio Bosne, omnium vice constituti, pro omnibus, qui supra de nostra societate fraternitatis in presentia dñi I. de Casamaris, Capellani summi pontificis et Romane ecclesie, in Bosna propter hoc delegati, presente patrono Bano Culino domino Bosne, promittimus coram deo et sanctis eius stare ordinationi et mandatis sancte Romane ecclesie tam de vita et conversatione nostra, quam ipsius obsecundare obedientie et vivere institutis, obligantes nos pro omnibus, qui sunt de nostra societate, et loca nostra cum possessionibus et rebus omnibus, si aliquo tempore deincops sectati fuerimus hereticam pravitatem. In primis abrenuntiamus scismati, quo ducimur infamati, et Romanam ecclesiam matrem nostram caput totius ecclesiastice unitatis recognoscimus: et in omnibus locis nostris, ubi fratrum conventus commoratur, oratoria habebimus, in quibus fratres de nocte ad Matutinas, et diebus ad Horas cantandas publice simul conveniemus. In omnibus autem ecclesiis habebimus altaria et cruces: libros vero tam novi quam veteris Testamenti, sicut facit ecclesia Romana, legemus. Per singula loca nostra habebimus sacerdotes, qui dominicis et festivis diebus ad minus missas secundum ordinem ecclesiasticum debeant celebrare, confessiones audire et penitentias tribuere. Cemeteria habebimus iuxta oratoria, in quibus fratres sepeliantur, et adventantes, si casu ibi obierint. Septies in anno ad minus corpus domini de manu sacerdotis accipiemus, scilicet in Natali dñi, Pascha, Pentecoste, Natali apostolorum Petri et Pauli, Assumptione Virginis Marie, Nativitate eiusdem et omnium Sanctorum commemoratione, que celebratur in Kalendis Novembris. Ieiunia constituta ab ecclesia observabimus, et ea que maiores nostri provide preceperunt, custodiemus. Femine vero, que de nostra erunt religione, a viris separate erunt, tam in dormitoriis quam refectoriis, et nullus fratrum solus cum sola confabulabitur, unde possit sinistra suspicio suboriri. Neque de cetero recipiemus aliquem vel aliquam coniugatam, nisi mutuo consensu, continentia promissa, ambo pariter convertantur. Festivitates autem Sanctorum a sanctis patribus ordinatas celebrabimus, et nullum deinceps ex certa scientia Manicheum vel alium hereticum ad habitandum nobiscum recipiemus. Et sicut separamur ab aliis secularibus vita et conversatione, ita etiam habitu secernemur vestimentorum: que vestimenta erunt clausa, non colorata, usque ad talos mensurata. Nos autem decetero non Christianos, sicut hactenus, sed fratres nos nominabimus, no singularitate nominis aliis Christianis iniuria inferatur. Mortuo vero Magistro, de hinc usque in perpetuum Prioros cum consilio fratrum deum timentium eligent prelatum a Romano tantum pontifice confirmandum: et si quid aliud ecclesia Romana addere vel minuere voluerit, cum devotione recipiemus et obscrvabimus. Quod ut in perpetuum robur obtineat, nostra subscriptione firmamus. Actum apud Bosnam inxta flumen loco qui vocatur Bolino Poili, sexto Idus Aprilis. Dagite, Lubin, Brageta, Pribis, Luben, Rados, Bladosius, Banus Culinus, Marinus archidiaconus Ragusii subscripsimus. Deinde nos Lubin et Brageta ex voluntate omnium fratrum nostrorum in Bosna et ipsius Bani Culini, cum eodem domino I. Capellano ad H. Illustrem Ungarie et christianissimum Regem euntes, in presentia ipsius Regis et Venerabilis ... Colocensis Archiepi et Quinqueecclesiensis Episcopi, et aliorum multorum in persona omnium iuravimus hec statuta servare, et si qua alia ecclesia Romana super nos ordinare voluerit, et secundum fidem catholicam constituere. Actum in Insula Regia II. Kal. Maii.

XXXVI.

Litterae Calcioannis dominus Bulgarorum ad papam, qui se Romanae ecclesiae submittens diadema imperiale et patriarcham a pontifice petit. Reg. An. VI. ep. 142. fol. 81.

Kaloiohannes Imperator Bulgarorum, Sanctissimo domino fidei Christianorum ab oriente usque ad occidentem Patriarche Papo Romano. Ego cartam mitto tibi, gaudens si nuntius mous invcnict te sanum et letum cum omnibus, qui sunt tecum, et omnibus consanguineis et amicis tuis. Ego sanus sum per virtutem domini et beate Virginis, et per orationes sanctorum Petrum et Pauli apostolorum,

et per sanctas orationes tuas. Intelligo ego Kaloiohannes Imperator Bulgarorum, quod tu habes potestas a deo ligandi et solvendi, sicut habuit beatus Petrus apostolus, cui dixit dominus: Quodcumque ligaveris super terram etc. sic tibi contulit deus gratiam istam: unde, quem ligaveris, ligatus est, et quem solveris, solutus. Notum facio sanctitati tue, quod elapsi sunt sex anni, quod ego semel, secundo et tertio misi ad vos, sed nuntii mei non potuerunt ad sanctitatem tuam accedere et proponere verbum meum, et referre michi consolationem tuam. Inspiravit dominus sanctitatem tuam, ut mitteret michi Dominicum archipresbiterum Brundusinum, per quem intellexi, quod non es oblitus mei servi tui: quem honoravi sicut hominem tuum, et dedi ei litteras, quas tue sanctitati deferret, quas utrum attulerit, vel non attulerit, deus novit. Ex quo sciverunt istud Greci, miserunt michi Patriarcham, et Imperator: Veni ad nos, coronabimus te in Imperatorem, et faciemus tibi Patriarcham, quia Imperium sine Patriarcha non staret; sed ego non volui, immo recurri ad sanctitatem tuam, quia volo esse servus sancti Petri et tue sanctitatis. Et sciat sanctitas tua, quod ego misi ad te Archiepiscopum meum cum omni ordinatione et pecunia et pannis sericis, cera et argento, equis et mulis, ut adoret sanctitatem tuam pro me servo tuo: et rogo per orationes beati apostoli Petri et per sanctas orationes tuas, ut me coronent in Imperatorem, et in terra mea faciant Patriarcham, ut sim servus tuus tempore vite mee.

Ad hec noverit sanctitas tua, quod ego Archiepiscopus Basilius veniebam cum ista pecunia adorare sanctitatem tuam, et usque ad Durachium perveni, ubi vidi nuntios Comitis Walterii mecum pariter congaudentes, et disponentes mecum pariter transfretaro: sed Greeus, qui veniebat cum illis, non permisit me transire cum illis, habito consilio Ducis Durachii, asserens, quod molestum Imperatori existeret, si transirem. Quo audito, archidiaconus et clerici Latinorum, qui sunt Durachii, consulerunt similiter, ne transirem, et si aliter agerem, res ammitterem et personam. Unde misi ad te bonos homines et fideles Imperatoris, Sergium comestabularium et Constantinum presbiterum, quibus iniunctum est, ut tibi veritatem proponant. Inspiret tibi dominus, ut bene te super hoc servitio intromittas.

XXXVII.

Basilio archiepiscopo de Zagora et Caloiosani domino Bulgarorum ad superiorem epistolam postifex respondet.
Reg. An. VI. ep. 143. fol. 81.

Innocentius episcopus etc. B. Archiepiscopo de Zagora etc. Receptis litteris, quas sub nomine nobilis viri Caloiohannis domini Bulgarorum per dilectum filium Constantinum presbiterum, et Sergium comestabularium tua nobis fraternitas destinavit, lotitiam suscepimus pleniorem, intelligentes ex eis, quod ambo pariter recte de clavibus ecclesie sentientes, ecclesie Romane primatum, ac nobis ligandi et solvendi recognoscitis potestatem et magisterium ecclesiastice discipline. Intelligentes etenim, quod nobis non solum in beato Petro est dictum a domino: Tibi dabo claves regni celorum, et quodcumque ligaveris super terram otc. sed nobis etiam dicitur in propheta: Ecce constitui te hodie super gentes et regna, ut destruas et dissipes et disperdas, edifices et plantes; a nobis petitis et regium diadema et Patriarchalis preminontiam dignitatis, cum idem nobilis auctoritate nostra sibi velit coronam imponi, et in terra sua per nos institui Patriarcham. Nos autem iamdudum, ut de ipsius et subiectorum eius devotione ac statu terre possemus effici certiores, cum non velimus simpliciter, sed optamus etiam, ut sicut descendit ex nobili prosapia Romana, sic etiam ecclesie Romane instituta sequatur, et ab ea magisterium catholice fidei et honoris sui suscipiat incrementum, dilectum filium Dominicum archipresbiterum Brundusinum ad eidem nobilis duximus presentiam destinandum. Illo quoque cum litteris eiusdem domini Bulgarorum, tuis etiam et Bellote principis ad sedem apostolicam redeunte, de predictis certiores effecti dilectum filium I. Capellanum nostrum ecclesie Romane legatum ad eum duximus destinandum, plena ei facultate concessa, ut in tota terra ipsius quoad spiritualia corrigeret, que corrigenda cognosceret, et statueret, que forent secundum dominum statuenda. Per ipsum quoque uni Archiepiscoporum terre ipsius palleum, insigne videlicet plenitudinis pontificalis officii, duximus destinandum, mandantes oidem, ut siqui forsan in terra illa promovendi ad ordines essent, vel in episcopum consecrandi, per vicinos catholicos dumtaxat episcopos in ordinandorum ordinatione et consecratione consecrandorum procedere non tardarot. Eidom otiam dedimus in mandatis, ut de corona progenitoribus nobilis sepedicti ab ecclesia Romana concessa inquiret diligenter veritatem, et tractaret de omnibus cum eodem, que cognosceret pertractanda, ut per ipsum tandem et nuntios eiusdem nobilis de omnibus redditi certiores, consultius et maturius super hoc procedere valeamus. Nuper autem idem legatus noster nuntiis eiusdem nobilis obviavit ad carissimum in Christo filium

nostrum H. Illustrem Regem Ungarie destinatis, cum quibus ad eorum dominum sine mora se asseruit profecturum.

Licet igitur predictos Constantinum presbiterum et Sergium comestabulariuum ad presentiam nostram duxeris destinandos, quia tamen tibi specialiter memoratus nobilis veniendi ad nos laborem imposuit, et onus sue legationis iniunxit, monemus fraternitatem tuam et exhortamur attentius, et per apostolica scripta mandamus, quatenus si unquam fieri potest, familia ac equitaturarum multitudine, si oporteat, derelicta, nostro te conspectui representes. Credimus etenim, quod usque adeo per te certificabimur super hiis, de quibus volumus effici certiores, quod non oportebit nos forsitan predicti legati reditum expectare, immo nostrum tecum poterimus destinare legatum, per quem desiderio et petitioni domini Bulgarorum plenius satisfiet. Studeas igitur in Apuliam navigare, quoniam exinde ad presentiam nostram te faciemus secure conduci, et vel aliunde per mare vel terram ad partes tuas sub securo conductu remitti, ut te non oporteat de reditu dubitare. Datum Ferentini III. Idus Septembris, Pontificatus nostri Anno Sexto.

In e. fere m. Nobili viro Kaloiohanni domino Bulgarorum usque in finem. Cum ergo Archiepiscopus ipse ad nos accesserit, ut speramus, petitionibus tuis et eius, quantum cum deo et honestate nostra poterimus, annuemus, utpote qui proponimus tam te quam populum tuo iurisdictioni commissum, et in fide confirmare catholica, et in devotione sedis apostolice radicare, ac honorare personam tuam sicut ecclesie filium specialem. Ad hec Nobilitatem tuam monemus et exhortamur attentius, quatinus cum dilecto filio nobili viro Wico pacis studeas federa reformare, ne occasione discordie terra tua vel eius incurrat irreparabile detrimentum. Datum ut supra.

XXXVIII.

Litterae regis Hungariae ad papam, quibus notum ei facit Culinum banum Bosniae, ne de cetero haereticos defendat, sub poena sese obligasse. Reg. An. VI. ep. 212. fol. 101.

Venerabili in Christo patri I. dei gratia sacrosancte Romane ecclesie summo pontifici, H. eadem gratia Hungarie, Dalmatie, Rame, Servieque Rex, salutem et filialem in omnibus reverentiam. Licet universi, qui christiane fidei religione censentur, sacrosanctam Romanam ecclesiam tamquam piam matrem venerari ac plurimum diligere teneantur, nos tamen, quos inter devotos filios eadem ecclesia spiritualibus fovet et amplectitur, ipsius honori et utilitati pre ceteris potius ac devotius pro posse nostro cupimus intendere. Hinc est, quod cum humilis ac fidelis sanctitatis vestre capellanus Iohannes ad presentiam nostram accedens, duos principaliores ex hiis, qui in terra Culini Bani, prout ferebatur, dampnatam hereticorum sectam fovebant, secum duxisset, nos, inspectis orthodaxe fidei articulis, quos ad ipsius Iohannis exhortationem illi, ad quos missus fuerat, iam susceperant, eadem capitula sub sigillo nostro contenta domino illius terre, filio scilicet memorati Culini, qui tunc apud nos erat, dedimus, districte precipientes, ut ea et alia, si qua Romana sedes eis de cetero secundum deum transmittere decreverit, ab omnibus in terra sua faciat inviolabiliter observari. Idem etiam, cum hoc iuxta voluntatem nostram admisisset, se in manu nostra ac I. Archiepi Colocensis subsequenter obligavit, quod si de cetero supradictos vel alios homines in heresi scienter manutenere vel defendere in terra sua presumpserit, mille marcas argenti persolvet, quarum medietas vobis, altera vero fisco nostro medictas obveniet. Illi preterea duo priores, qui cum prefato capellano vestro Iohanne venerunt, tam pro se quam pro fratribus suis, a quibus missi fuerant, in presentia nostra iuraverunt, quod constitutiones a iamdicto fideli legato vestro promulgatas et sibi traditas firmiter observabunt in perpetuum.

XXXIX.

Venetos ad resipiscendum et poenitentiam agendam de facinore, quod adversus Iadoram commiserant, pontifex hortatur. Reg. An. VII. ep. 18. fol. 115.

INNOCENTIUS EPISCOPUS etc. Nobili viro.... Duci Venetorum, Spiritum consilii sanioris. Predecessorum nostrorum vestigiis inherentes, qui civitatem Venetiarum in pluribus honoraverunt, ad honorem eius intendimus et profectum, nec difficiles nos exhibuimus in petitionibus nobis pro ipsa porrectis, sed eas, quantum cum deo et honestate potuimus, curavimus promovere, sicut et ipsi novimus, et te credimus meminisse. Verum quanto magis ad eius aspiravimus commodum et augmentum, tanto desideramus amplius, ne illius in se provocaret offensam, qui exaltat humiles, et humiliat exaltatos. Noverat autem tua nobilitas, noverat et populus Venetorum, qualiter cariasimus in Christo filius noster H. Rex Ungarorum illustris, et nobilis filius noster A. Dux, frater ipsius, assumpserant signum crucis

et in terre sancte subsidium proposuerant transfretare, quorum profectus vobis impedientibus hactenus est dilatus. Preterea te ac Venetos non latebat, qualiter post excidium terre sancte apostolica sedes universos, qui eius reliquiis subvenirent, a die qua signum crucis acciperent, usque ad obitum vel reditum eorumdem in sua protectione susceperit, et tam familias eorum, quam bona sub ecclesiastica defensione preceperit manere secura. Ad notitiam quoque tuam novimus pervenisse, qualiter etsi Rex ipse ac terra ipsius, ex eo quod crucem assumpserat, auctoritate constitutionis super hoc a predecessoribus nostris edite apostolica protectione gauderet, quia tamen plus timeri solet, quod specialiter pollicetur, quam quod generaliter concluditur sponsione, protectionis nostre litteras specialiter petierit, et receperit ad cautelam, quas ei nec potuimus, nec debuimus denegare, ne illi subtrahere videremur, quod signatis omnibus est indultum. Credimus etiam te novisse, qualiter nuntiis tuis, qui ad sedem apostolicam cum cruccsignatorum nuntiis accesserunt, petentibus pactiones inter vos initas confirmari, et per eos tibi et Venetis duxerimus inhibendum, ne terras Regis ipsius aliquatenus lederetis. Insuper ut iter domini fieret in timore, nec modicum fermenti corrumperet totam massam, per litteras nostras, quas ad audientiam tnam et Venetorum credimus pervenisse, curavimus districtius inhibere, ne terras Christianorum invadere vel ledere temptaretis, nisi vel ipsi vestrum iter nequiter impedirent, vel alia iusta et necessaria causa tamen occurreret, propter quam aliud agere, accedente consilio apostolice sedis legati, possetis: si qui autem contra presumorent, se scirent excommunicationis vinculo innodatos, et indulgentie, quam sedes apostolica crucesignatis indulsit, immunes. Tu autem et tui, omnibus hiis despectis et legato nostro repulso, contra Regem ipsum primo impetum facientes, ante Iaderam primas acies expandistis, et in auxilium vestrum convocantes exercitum Gallorum obtinuistis ab eis, ut vestris consentirent et manus suas fraterno sanguine macularent. Cepistis igitur et evertistis per violentiam civitatem, destruxistis ecclesias et altaria suffodistis, et in divine maiestas offensam et ecclesie Romane contemptum commisistis facinus iam notorium pene penitus toti mundo. Non enim crucem sumpsistis, aut sumere debuistis in obsequium Ihesu Christi, ut expugnaretis Christianos, sed potius Agarenos crucis ipsius perfidos inimicos. Hec autem ad correctionem vestram referimus ex caritate sincera, quia pater filium, quem diligit, corripit, et deus, quos amat, arguit et castigat.

Recepimus vero litteras Constantinopolitani Imperatoris et tuas, et que significastis per eas, notavimus diligenter. Verum quamvis optemus, ut per studium et sollicitudinem tuam ad devotionem apostolice sedis Constantinopolitana ecclesia revertatur, quia tamen ad subsidium terre sancte propensius aspiramus, ne succursus eius dilatus hactenus diutius differatur, monemus nobilitatem tuam et exhortamur in domino, et per apostolica tibi scripta mandamus, quatinus tu et Veneti reconciliati ecclesiastice unitati peccatorum vestrorum maculas penitentie lacrimis expiotis, ut a criminium labe purgati bellum domini possitis in puritate cordis et corporis preliari, ne dc multitudine vel potentia vestra, vel ex co quod prospere vobis succcssit hactenus, presumatis, sed quanto plnra dominus vobis preter merita vestra concessit, tanto vos amplius in eius oculis humiliare curetis, et patientiam vos adducat, ut absolutione in humilitate quesita, et cum devotione suscepta recuperationi terre sancte totis viribus insistatis, quoniam id potissimum erit vobis et meritorinm apud deum et apnd homines gloriosum. Nos autem, quod ipsi terre videbimus expedire, studebimus, dante domino, efficaciter procurare. Datum Anagnie VI. Kal. Martii, Pontificatus nostri Anno Septimo.

XL.

Caloiohanni Bulgarorum regi privilegium pontifex concedit, ut Leo tit. s. Crucis presb. card. apostolicae sedis legatus eum in regem unget et coronet. Reg. An. VII. ep. 1. fol. 110.

Innocentius episcopus etc. Karissimo in Christo filio Calaiohanni illustri Bulgarorum et Blachorum Regi, eiusque posteris et tam in regno quam in devotione sedis apostolice successuris in perpetuum, salutem etc. Rex regum et dominus dominantium Ihesus Christus, sacerdos in eternum secundum ordinem Melchisedech, cui dedit omnia pater in mann, pedibus eius subiciens universa, cuius est terra et plenitndo eius, orbis terrarum et omnes habitantes in eo, immo cui flectitur omne genu celestium, terrestrium et infernorum, summum apostolice sedis et ecclesie Romanc pontificem, qnem in beato Petro sibi vicarium ordinavit, super gentes et regna constituit, evellendi, destruondi, disperdendi et dissipandi, et edificandi et plantandi ei conferens potestatem, loquons ad eum in propheta, qui fuit de sacerdotibus Anathot: Ecce constitui te super gentes et regna, ut evellas et destruas, et disperdas et dissipes, et edifices et plantes. Ut autem id expressins demonstraret, non per alium, sed per se ipsum,

cum pro hominibus carnem assumpsisset humanam, et calceamentum suum extendisset in Ydumeam, ut ei allophili subderentur, et oves suas, que de hoc ovili non erant, adduceret et fieret unum ovile et unus pastor in se, qui est super omnia benedictus deus in secula, universalis ecclesie posuit fundamentum, eiusque apostolorum principi Petro magisterium contulit et primatum, dicens ad eum: Tu es Petrus, et super hanc petram edificabo ecclesiam meam, et porte inferi non prevalebunt adversus eam, et tibi dabo claves regni celorum. Ubi etiam consequenter adiecit: Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in celis, et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in celis. Post passionem quoque suam ascensurus in celum, ovile suum videlicet ecclesiam ei committens et commendans in ovibus, dixit ei: Pasce oves meas, vocabulo tertio repetito, per hoc patenter ostendens, quod ad eius ovile non pertinent oves ille, que se commissas et subiectas esse beato Petro contumaciter denegarint, et eius nolerint erudiri doctrina et magisterio subiacere. Siquidem ecclesia est archa illa, in qua pauce anime, pereuntibus ceteris in diluvio, sunt salvate. Unde sicut omnes, quos archa non cepit, in diluvio perierunt, sic omnes, qui extra ecclesiam inventi fuerint, in iudicio dampnabuntur. Archa enim ecclesiam, cathaclismus iudicium et pastorem ecclesie Petrum Nohc rector arche figurant. Ille cum domino legitur ambulasse: hic autem super undis maris, quod hunc mundum figurat, ad dominum scribitur pervenisse. In quo etiam expresse notatur, quod Petro non specialiter aliqua specialis ecclesia, sed totus mundus commissus fuerit et ecclesia generalis. Nam sicut aque multe sunt populi multi, sic mare magnum et spaciosum mundum figurat universum. Unde vocatis certis in partem sollicitudinis, hunc assumpsit dominus in plenitudinem potestatis, cum inquit ad eum: Tu vocaberis Cephas, quod Petrus impetratur et caput; nt Petrum caput ecclesie demonstraret, qui sicnt unguentum, quod a capite Aaron descendit in barbaram, in membra diffunderet, ut nichil sibi penitus deperiret, quoniam in capite viget sensuum plenitudo, ad membra vero pars eorum aliqua dirivatur. Insuper querenti Petro, si quotiens peccaret in eum frater eius, dimitteret ei usque septies, dominus legitur respondisse: Non dico tibi usque septies, sed usque septuagies septies. Sane cum omno tempus septem dierum numero concludatur, multiplicatus in se septenarius in hoc loco notat universorum universa peccata, cnm solus Petrus non solum omnia, sed et omnium posset crimina relaxare. Ipsi enim et non alii dictum a domino reperitur: Tu me sequere; id est in veri pastoris officio et potestatis ecclesiastice plenitudine imitare: quia eum in officio vicarium sibi substituit dominus et in magisterio successorem, sic hereditatem, in cuius preclaris funes eius ceciderant, transferens in enndem, ut aliis post eum et sub eo quasi partialia faceret de hereditate legata. Cum igitur licet immeriti eius vices geramus in terris, qui dominatur in regno hominum, et cui voluerit, dabit illud, utpote per quem Reges regnant et principes dominantur, cnm Petro et successoribns eius et nobis in eo novcrimus esse dictum: Ego pro te rogavi, Petre, nt non deficiat fides tua, sed tu aliquando conversus confirma fratres tuos; cum ex precepto domini oves eius pascere teneamur, populis Bulgarorum et Blachorum, qui multo iam tempore ab uberibus matris sue alienati fuerunt, in spiritualibus et temporalibus paterna sollicitudine providere volentes, eius auctoritate confisi, per quem Samuel David in Regem inunxit, te statuimus super eos, et per dilectum filium L. tituli sancte Crucis presbiterum Cardinalem, apostolice sedis legatum, virum providum et honestum, nobis inter ceteros fratres nostros acceptum, sceptrum Regni ac Regium tibi mittimus diadema, eius quasi nostris tibi manibus imponendum, recipiendo a te iuratoriam cautionem, quod nobis et successoribus nostris et ecclesie Romane devotus et obediens permanebis, et cunctas terras et gentes tuo subiectas imperio in obedientia et devotione sedis apostolice conservabis. Ad petitionem insuper Venerabilis fratris nostri Blasii Brandizuberensis episcopi, quem ad sedem apostolicam destinasti, publicam in regno tuo cudendi monetam tuo caractere insignatam liberam tibi concedimus facultatem. Venerabili etiam fratri nostro Archiepiscopo Trinovitano in terris, in quibus imperas, universis privilegium concedimus primatie, qui et successores ipsius tuos in posterum successores, simili ab eis iuramento recepto, apostolice sedis auctoritate coronent, et in terra tua primatus obtineant dignitatem, eique metropolitani tam in Bulgarie quam Vlachie provinciis constituti subiaceant, et iuxta formam canonicam reverentiam primati debitam exhibeant et honorem. Sic ergo, fili karissime, gratiam, quam apostolica sedes, mater tua, tibi facit, agnoscas, sic retribuas nobis pro omnibus, que tribuimus ipsi tibi, sic regnum tuum in apostolice sedis subiectione ac devotione confirmes, ut cum sub Petro in illius petre fuerit firmitate fundatum, de qua inquit Apostolus: Petra autem erat Christus, nec pluviarum ymbres, nec impulsus ventorum, nec fluminum formidet incursus: tu quoquo preter auxilium apostolice sedis, quod iuxta devotionem tuam senties in presenti, de temporali regno ad regnum pervenias sempiternum. Decernimus ergo, nt nulli omnino etc.

hoc privilegium nostre constitutionis et concessionis infringere, vel ei etc. Si quis autem etc. Datum Anagnie per manus Io. sancte Romane ecclesie subdiaconi et notarii VI. Kalend. Martii, Indictione VII., Incarnationis dominice MCCIII. Pontificatus vero domini Innocentii pape III. anno septimo.

XLI.

Pontifex Basilium archiepum Trinovitanum totius Bulgarie et Valachie primatem constituit, illique privilegium huiusmodi per prædictum legatum mittit. Reg. An. VII. ep. 2. fol. 110.

INNOCENTIUS EPISCOPUS etc. Venerabili fratri B. Archiepiscopo Trinovitano Bulgarorum et Blachorum Primati, eiusque successoribus canonice substituendis et in devotione sedis apostolice successuris in perpetuum, salutem etc. Rex regum etc. usque ad Samuel David inunxit in Regem, karissimum in Christo filium nostrum Kaloiohannem hactenus ipsorum dominum regem statuimus super eos per dilectum filium etc. usque devotione sedis apostolice conservabit. Te quoque in Regno Bulgarorum et Blachorum primatem statuimus, ot ecclesie Trinovitane presenti privilegio auctoritatem concedimus primatie, statuentes ut tu et successores tui, qui tibi in apostolice sedis devotione successerint, ceteros metropolitanos Bulgarie et Blachie precellatis ratione primatus, ot ipsi tibi et ois iuxta formam canonicam reverentiam primati debitam exhibeant et honorem, Fraternitatem tuam scire volentes, quod apud nos hec duo nomina primas et patriarcha penitus idem sonant, cum primates et patriarche teneant unam formam, licet eorum nomine sint diversa. Presenti quoque privilegio tibi et per te tuis successoribus iniungendi, benedicendi et coronandi reges Bulgarorum et Blacborum imposterum liboram concedimus facultatem. Obeunte vero te nunc ecclesie memorato primato, nullus ibi qualibet surreptionis astutia preponatur, nisi qui canonice fucrit electus ad eam secundum consuetudinem approbatam. Electus autem per metropolitanum et alios suffraganeos eiusdem ecclesie, qui poterunt interesse, in episcopum sellempniter consecretur. Consecratus voro ad sedom apostolicam nuncios suos mittat, palleum de corpore beati Petri sumptum, insigne videlicet plenitudinis pontificalis officii, pctituros, in cuius susceptione iuramentum illud nobis et succcssoribus nostris ot ecclesie Romane prestabit, quod alii primates et metropolitani secundum genoralom consuetudinem nobis prestant, et tu ipsc in susceptione pallei prestitisti: cuius formam bulla nostra signatam ad perpetuam memoriam destinamus, exprimentes in ea, ut cum in regem quemlibet ex predicti regis successoribus coronarint, prescriptum ab eo recipiant iuramentum. Cum autem aliquis metropolitanorum, qui tibi iuro subiacent primatie, viam fuerit universe carnis ingressus, confirmabis electionom canonicam de persona idonca celebratam, et personam electam in episcopum consecrabis. Pro palleo vero nuncios tuos cum nunciis ecclesie, cui prcest, ad apostolicam sedem mittes, nosque illud tibi per cos libenter et hilariter transmittemus per te metropolitano episcopo iuxta formam, quam sub bulla nostra recipies, sollempniter conferendum: ita tamen quod si legatum vel nuncium nostrum contigcrit interesse, id cum eo pariter exequaris. Crisma vero et oleum catheeuminorum et infirmorum singulis annis in Cena domini tam in ecclesia tua, quam in qualibet cathedrali ecclosia Bulgarie et Blachie fieri secundum consuetudinem ecclesie Romane concedimus, ut quotiens necesse fuerit, qui baptizandi fuerint, baptizentur, et confirmentur per diocesanos episcopos, qui fuerint confirmandi, nec episcoporum consecratio, nec ordinatio sacerdotum propter defectum huiusmodi vel impediatur penitus vel diutius differatur: quia licet hactenus apud vos noc in sua ordinatione presbiteri, nec in consecratione sua episcopi consuevcrint sacram recipere unctionom, volumus tamen, ut deinccps non tam ritum nostrum quam mandatum divinum scquentes, por quod in lege precipitur, ut pontifices et sacerdotes ungantur, manus eorum, qui ordinandi sunt in presbiteros, et tam manus quam caput eorum, qui consecrandi sunt in episcopos, sollempniter inungantur. Preterea crucem, vexillum videlicet dominice passionis, ante to per totam Bulgariam ot Blachiam deferendi fraternitati tue licentiam impertimur. Decernimus ergo etc. Datum ut supra.

XLII.

Eidem pontifex significat ad suum mandatum episcopum Brandizuberensem esse innuctum, præcipitque, ut in posterum primas, metropolitani etc. sacram unctionem recipiant. Reg. An. VII. ep. 3. fol. 111.

INNOCENTIUS EPISCOPUS etc. Venerabili fratri B. Archicpiscopo Trinovitano Bulgarorum et Blachorum primati, salutem etc. Cum venisset ad apostolicam sedem venerabilis frater noster ... Episcopus Brandizuberensis, clara nobis insinuatione monstravit, quod in consecratione sua sacram non accoperat unctionem, quam apud vos non consuevere pontifices, cum consecrantur, inungi. Nos ergo, quod illi

defuerat, mandavimus in ipso suppleri, facientes caput eius et manus per Venerabilem fratrem nostrum Io. Episcopum Albanensem, assistentibus ei duobus Episcopis, secundum morem ecclesiasticum sacro crismate deliniri. Hoc enim catholica tenet ecclesia non solum ex precepto divino, verum etiam Apostolorum exempli: in Exodo quippe legitur precepisse dominus Moysi, ut Aaron et filios eius ungeret, quatenus ei sacerdotio fungerentur, et Anacletus origine Grecus, qui a beato Petro fuit in presbiterum ordinatus et postea in apostolatus officio Clementi successit, tradit in ordinatione sua ungendos Episcopos more Apostolorum et Moysis, quia omnis sanctificatio in spiritu sancto consistit, cuius invisibilis virtus sancto crismati est permixta. Unde scire te volumus duas esse species unctionis, exteriorem, que materialis est et visibilis, et interiorem, que est spiritualis et invisibilis: exteriore visibiliter ungitur corpus, interiore invisibiliter ungitur cor. De prima Iacobus apostolus ait: Infirmatur quis in vobis, inducat presbiteros ecclesie, et orent super eum, ungentes eum oleo in nomine domini, et oratio fidei salvabit infirmum. De secunda Iohannes apostolus inquit: Vos unctionem quam accepistis ab eo, maneat in vobis, et non necesse habebitis, ut aliquis doceat vos, sed sicut unctio eius vos docet de omnibus. Unctio visibilis et exterior signum est interioris et invisibilis unctionis; unctio vero invisibilis et interior nec solummodo signum, sed etiam sacramentum, quia si digne sumatur, vel agit vel auget absque dubio, quod designat. Ad exhibendum igitur exteriorem et visibilem unctionem, benedicitur oleum, quod dicitur cathecuminorum vel infirmorum, et conficitur crisma, quod ex oleo fit et balsamo mystica ratione. Por oleum enim nitor conscientie designatur, iuxta quod legitur: Prudentes virgines acceperunt oleum in vasis suis cum lampadibus. Per balsamum autem exprimitur odor fame, propter quod dicitur: Sicut balsamum aromatizans odorem dedi. Hoc igitur crismate ungi debet Episcopus non tam in corpore quam in corde, ut et interius habeat nitorem conscientie quoad deum, et exterius habeat odorem fame quantum ad proximum. De nitore conscientie dicit apostolus: Gloria nostra hoc est testimonium conscientie nostre; nam omnis gloria filie Regis est ab intus. De odore fame idem apostolus ait: Christi bonus odor sumus in omni loco, et aliis sumus odor vite in vitam, aliis odor mortis in mortem. Debet enim Episcopus bonum habere testimonium, et ab hiis, qui sunt intus, et ab hiis, qui sunt foris, ut cortina cortinam trahat, et qui audit, dicat: Veni. Hoc unguento caput et manus Episcopi consecrantur. Per caput enim mens intelligitur iuxta illud: Unge caput tuum et faciem tuam Iava. Per manus opera designatur, secundum illud: Manus meas distillaverunt mirram. Manus igitur unguntur oleo pietatis, ut Episcopus operetur bonum ad omnes, maxime autem ad domesticos fidei. Caput autem inungitur balsamo caritatis, ut Episcopus diligat deum ex toto corde, et ex tota mente, et ex tota anima, et proximum suum sicut se ipsum. Caput inungitur propter auctoritatem et dignitatem, manus propter ministerium et officium. Caput inungitur, ut ostendatur illius representare personam, de quo dicit propheta: Sicut unguentum in capito eius, quod descendit in barbam, barbam Auron. Caput enim viri Christus, caput Christi deus, qui de se dicit: Spiritus domini super me, propter quod unxit me, evangelizare pauperibus misit me. Manus unguntur Episcopo, ut ostendatur accipere potestatem benedicendi et consecrandi: undo cum eas consecrator inungit: Consecrare, inquit, et sanctificare digneris domine manus istas, per istam unctionem et nostram benedictionem, ut quecumque consecraverint, consecrentur, et quecumque benedixerint, benedicantur in nomine domini. Verum in vetcri Testamento non solum ungebatur sacerdos, sed et Rex et propheta, sicut in libro Regum dominus precipit Elye: Vade et revertere in viam tuam per desertum in Damascum: cumque perveneris illuc, unges Azael Regem super Siriam et Ieu filium Namsi unges Regem super Israel: Elyseum autem filium Saphat, qui est de Abelmaula, unges prophetam pro te. Sed ubi Icsus Nazarenus, quem unxit deus spiritu sancto, sicut in Actibus Apostolorum habetur, unctus est oleo pre consortibus suis, qui secundum apostolum est caput ecclesie, que est corpus ipsius, principis unctio a capite ad brachium est translata, ut princeps ex tunc non ungatur in capite, sed in brachio vel in humero sive armo, in quibus principatus congrue designatur, iuxta quod legitur: Factus est principatus super humerum eius; ad quod etiam designandum Samuel fecit poni armum ante Saul, cui dederat locum in capite ante eos, qui fuerant invitati. In capite vero pontificis sacramentalis est delibutio conservata, quia personam capitis in pontificali officio representat. Refert autem inter pontificis et principis unctionem, quia caput pontificis crismate consecratur, brachium vero principis oleo delinitur, ut ostendatur quanta sit differentia inter auctoritatem pontificis et principis potestatem. Quia vero Christus in sanguine suo fecit nos deo nostro regnum et sacerdotes, propter quod Petrus apostolus ait: Vos estis genus clectum, regale sacerdotium: idcirco in novo Testamento non solum sacerdotes et reges unguntur, sed omnes etiam christiani, bis

ante baptismum, sed oleo benedicto primum in pectore, deinde inter scapulas, et bis post baptismum, sed crismate sacro primum in vertice, demum in fronte. In pectore namque ungitur baptizandus, ut per spiritus sancti donum abiciat errorem et ignorantiam, et suscipiat fidem rectam, quia iustus ex fide vivit. Inter scapulas autem baptizandus inungitur, ut per spiritus sancti gratiam excutiat negligentiam et torporem, et bonam operationem exerceat, quia fides sine operibus mortua est, ut per fidei sacramentum sit mundicia cogitationum in pectore, per operis exercitium sit fortitudo laborum in scapulis, quatenus fides per dilectionem secundum apostolum operetur. In vertice vero baptizatus inungitur, ut sit paratus omni poscenti de fide reddere rationem, quia per caput intelligitur mens, iuxta quod legitur: Oculi sapientis in capite eius; cuius superior pars est ratio, et inferior sensualitas: unde bene per verticem, qui est suprema pars capitis, intelligitur ratio, que superior pars est mentis. In fronte ungitur, ut libere confiteatur, quod credit, quia corde creditur ad iusticiam, ore autem confessio fit ad salutem, memor eius quod dominus ait: Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor et ego eum coram patre meo. Ante baptismum vero inungitur oleo benedicto, et post baptismum crismate sacro, quia crisma soli competit christiano. Christus enim a crismate dicitur, vel potius a Christo dicitur crisma, non secundum nominis formam, sed secundum fidei rationem. A Christo vero Christiani dicuntur, tamquam uncti deriventur ab uncto, ut omnes currant in odorem unguentorum illius, cuius nomen oleum est effusum. Per frontis crismationem manus impositio designatur, que alio nomine dicitur confirmatio, quia per eam spiritus sanctus ad augmentum datur et robur: unde cum ceteras unctiones simplex sacerdos, idest presbiter, valeat exhiberi, hanc non nisi summus sacerdos, idest Episcopus, debet conferre, quia de solis Apostolis legitur, quorum vicarii sunt Episcopi, quod per manus impositionem spiritum sanctum dabant, quemadmodum Actuum Apostolorum lectio manifestat. Cum audissent, inquit, Apostoli, qui erant Ierosolimis, quia recepisset Samaria verbum dei, miserunt ad eos Petrum et Iohannem: qui cum venissent, oraverunt pro ipsis, ut acciperent spiritum sanctum: nondum enim in quemquam illorum venerat, sed baptizati tantum erant in nomine domini Ihesu. Tunc imponebant manus super illos et accipiebant spiritum sanctum. Cuius adventus per unctionis misterium designatur, quia columba, in qua spiritus sanctus super Christum in baptismo descendit, ad vesperam in cathaclisma revertens ramum retulit virentis olive. Cuius utique sacramentum David propheta prenoscens, exhilarandam faciem in oleo predicavit. Unguntur preterea secundum ecclesiasticum morem, cum consecratur altare, cum dedicatur templum et cum benedicitur calix, non solum ex mandato legis divine, verum etiam exemplo beati Silvestri, qui cum consecrabat altare, illud crismate perungebat. Precepit enim dominus Moysi, ut faceret oleum unctionis, de quo ungeret tabernaculum testimonii et arcam testamenti, mensamque cum vasis. De quibus etiam unctionibus si forsan dubitaveris, cum a te fuerimus requisiti, fraternitatem tuam plenius instruemus. Verumtamen unctionis sacramentum aliud quidem efficit et figuram tam in novo quam in veteri Testamento: unde non iudaizat ecclesia, cum unctionis celebrat sacramentum, sicut aliqui mentiuntur, qui neque scripturas, neque dei novere veritatem. Monemus igitur fraternitatem tuam et exhortamur attentius per apostolica tibi scripta mandantes, quatenus ad mandatum dilecti filii nostri Leonis tituli sancte Crucis presbiteri Cardualis, apostolice sedis Legati, tu quoque sacram suscipias unctionem, ne quid tibi desit ad plenitudinem sacramenti: ut cum sacro fueris crismate delibutus, Archiepos et Epos tuos similiter ungas, et per eos facias manus sacerdotum inungi oleo benedicto, illum de cetero in ordinandis presbiteris et consecrandis Episcopis morem servans et faciens observari, quem apostolica sedes observat, que, disponente domino, cunctorum fidelium mater est et magistra. Mittimus autem tibi per Cardinalem predictum pontificalia ornamenta, caligas et sandalia, amictum et albam, cingulum et succinctorium, orarium et manipulum, tunicam et dalmaticam. Palleum vero per dilectum filium Iohannem capellanum nostrum antea miseramus. Et licet Romanus pontifex non utatur baculo pastorali, tum propter ystoricam, tum etiam propter misticam rationem, quod idem Cardinalis, sicut a nobis accepit, poterit edoceri: tu tamen ad similitudinem aliorum pontificum poteris eo uti. Datum ut supra.

XLIII.

Instrumentum, quo rex Bulgariae et Blachiae imperium suum ecclesiae Romanae subiicit. Reg. An. VII. ep. 4. fol. 112.

In nomine patris et filii et spiritus sancti, Amen. Cum placuit domino nostro Ihesu Christo me dominum et imperatorem totius Bulgarie et Blachie facere, inquisivi antiquorum nostrorum scripturas et libros et beate memorie imperatorum nostrorum predecessorum leges, unde ipsi sumpserunt regnum

Bulgarorum et firmamentum imperiale, coronam super caput eorum et patriarchalem benedictionem: et deligenter perscrutantes in eorum invenimus scripturis, quod beate memorie ille imperatores Bulgarorum et Blachorum Symeon, Petrus et Samuel et nostri predecessores coronam imperii eorum et patriarchalem benedictionem acceperunt a sanctissima dei Romana ecclesia et ab apostolica sede, principe apostolorum Petro. Sed imperium meum voluit benedictionem et imperiale firmamentum corone capitis imperii sui suscipere, et patriarchalem benedictionem ab ecclesia Romana, ab apostolice sedis principe apostolorum Petro et a sanctissimo patre nostro universali papa tertio Innocentio. Et a quocumque patriarchalis benedictio et mandatum in civitate imperii mei Trinovi data et concessa fuerit a domino papa faciendi et consecrandi archiepiscopos, metropolitas et episcopos et reliquas ecclesiasticas obsecutiones sacramentales, concedit imperium meum, ut plenissimam in omni tenimento et imperii mei pertinentiis habeant potestatem. Ecclesie enim omnes totius imperii mei et tenimenti, et patriarcha meus metropolitanus, episcopi, archiepiscopi et cuncti sacerdotes Romane subsint ecclesie et teneant legem et consuetudinem et observationem, quas tenuerunt beate memorie imperatores totius Bulgarie et Blachie, prisci illi nostri predecessores, et nos eodem modo vestigia eorum imitantes. Subsignat autem imperium meum ad securitatem chrysobolum suum, quod numquam ab ecclesia Romana et apostolica sede, principe apostolorum Petro, ipsum videlicet imperium meum discedot, neque alii imperii mei principes disgregabuntur: sed ut vocatus dilectus filius sacrosancte et apostolice Romane sedis principis apostolorum Petri ero. Et deinceps quascumque terras christianorum seu paganorum meum acquisiverit imperium, sub potestate et mandato eiusdem sacrosancte Romane ecclesie et apostolice sedis erunt. Et ut presens chrysobolum imperii mei ratum et firmum habeatur, dedi imperium meum in manibus Reverendissimi viri Iohannis sacrosancte Romane sedis legati et domini pape capellani, in quo et nostrum pium et a deo promotum subsignavit imperium, anno sex millesimo septingentesimo duodecimo, Indictione septimo.

XLIV.

Basilius archiepiscopus Trinovitanus, cum se conferre voluisset ad sedem apostolicam, Dyrrachii impeditus sibi fuisse transitum, deinde a principe revocatum mense Septembri insignitum pallio fusse pontifici scribit. Reg. An. VII. ep. 5.

Littere Basilii Archiepiscopi Trinovitani.

Multas inclinationes et magnas preces domino et gloriosissimo et concathedrali apostolice sedis, patri totius christianitatis et domino meo Innocentio tertio pape, Archiepiscopus Basilius de minoribus et humillimis totius Bulgarie et Blachie, vestram perfectam benedictionem. Adoro clementissimum deum et beatissimam dei genitricem, ut sanam et gaudentem vestram sanctitatem meum inveniat scriptum: et quod mea anima desideravit per octavum decimum annum, ecce hodie dedit nobis deus et sancta tua oratio benedictionem sedis beati Petri et tue sanctitatis. Noscat sanctitas tua, qualiter ego conversatus sum tuam querens benedictionem. Mota est per mensem Iulii quarta die sex millesimo septingentesimo xi., Indictione vi. mea humilitas ad sanctum et gloriosissimum patrem nostrum Innocentium papam Romanum, et fui dies triginta in Dyrrachio iuxta mare. Et cum vellem introire navem gratia transfretandi, tunc retinuerunt me Greci et non dimiserunt transire, sed tenuerunt me apud Dirrachium per octo dies, ot multa mea deprecatione erga deum et beatissimum principem apostolorum Petrum per sanctas tuas orationes dimiserunt me Latini: nam consilium acceperant proiciendi me in mare, sed eripuit me deus tuaque sancta oratio. Exiens autem de civitate reversus sum in villa nuncupata Cravatochori, et ibi dies xv. permansi, et inde misi duos bonos homines meos Romam sanctitati tue, et utrum transierunt, neeno, novit deus. Sed littere michi ex parte domini mei Imperatoris venerunt, dñi Iohannis, dicentes michi: Revertere cito, quia hic pervenit cardinalis a domino papa. Legens ego litteras Imperatoris, et videns quoniam me vocabat, reversus sum et perveni Drinaum per mensem Septembrem, et invoni virum sanctum, iustum et rectum a tua sanctitate directum, nomen eius Iohannes capellanus, et dedit michi omnes litteras ex parte vestre sanctitatis, et perfecte michi fuerunt: unde valde anima mea est letata, et manus meas ad celum extendens gratias deo egi, quia visitavit dominus plebem suam, et pater noster beatus papa quorens ovem, que perierat, ut et eam reducat in sancto ovili. Et sicuti continebatur in litteris vestre sanctitatis, sic dominus Iohannes capellanus fecit secundum edictum magne vestre sanctitatis, vestram michi dedit benedictionem et largiens palleum ad plenitudinem pontificalis officii, mense Septembris viii. dic, in festo nativitatis sanctissime nostre dei genitricis. Et ego, cum multa devotionis humilitate recepto palleo, exhibui fidelitatis obedientiam, presentibus Episcopis,

qui scribunt sanctitati vestre, et principe nostro et multis aliis in ecclesia assistentibus. Et iterum, pater sancte, vestram rogo sanctitatem, ut dispenses et adimpleas ordinem ecclesiasticum, et qualiter debeam regere ovile, quod michi est commissum a deo et sanctitate tua. Sanctum crisma non habemus, imo a Grecis receperamus: sed de cetero nos tamquam et vos Greci exosos habent. Et sciatis, domine mi, quoniam hec omnia in sanctitate tua remanserunt, quod debeat in omnibus dispensare, et de sancto scrismate nos doceas, qualiter gentem baptizare debeamus, et ne remaneat gens absque crismate sancto, et erit peccatum. Sed in omnibus nos filios tuos perditos et pereuntes moneas, et mittas michi, pater bone, pallea ad opus duorum metropolitanorum Priosthlave et Belebusdii, et quicquid aliud noverit vestra sanctitas, que sit ad opus mei pontificalis officii plenitudinem, michi illud vestra dirigat sanctitas.

XLV.

Archiepiscopi Belesbudensis et Prostlavensis cum suis suffraganeis a pontifice pallium petunt. Reg. An. VII. ep. 5. fol. 112.

Littere Anastasii Archiepiscopi Belesbudensis, Archiepiscopi Prostlave et suffraganeorum Episcoporum.

Colla eorum sui dominii bravio supponentes, ut sanctissimo patri et domino, domino pape prona cervice flexisque poplitibus inclinationem, In primis peccator et humilis Metropolitanus sanctissime ecclesie Belesbudii Anastasius, post eum peccator et humilis Metropolitanus Savas magne ecclesie Prostlave, et episcopus licet indignus sanctissime ecclesie dei genetricis de Scopia Marinus, humilis episcopus sanctissimi episcopatus Prisdiani Abraham, peccator et humilis episcopus sanctissime ecclesie beati et gloriosissimi magni martiris Procopii de Niso Kiricus et indignus episcopus atque peccator sanctissime ecclesie dei genitricis Bydmensis Clemens, ut nostrum singularem pastorem et universalem patrem et dominum, quatenus palleum ad pontificalis officii plenitudinem mittere dignemini, humotenus rogitamus, ut et nos omnibus diebus vite nostre pro vestra magnificentia orare non desistamus.

XLVI.

Litteras Caloioannis, quibus idem ut in superiore epistola a pontifice petit. Reg. An. VII. ep. 6. fol. 112.

Sanctissimo dominatori et universali pape sedenti in sede beati Petri et domino patri regni mei, tertio INNOCENTIO pape sedis apostolice et ecclesie Romane et magistro totius mundi. Spero in deum salvatorem hominum, quod bene et multum bene valet sanctitas tua cum omnibus sedentibus circa tronum sanctitatis tue, Cardinalibus sancte ecclesie Romane. Noverit magna sanctitas tua, quod filius tuus et Romane ecclesie Imperator omnium Bulgarorum et Blachorum cum omnibus principibus imperii mei multum bene sum per deum et sanctam orationem tuam. Multoticns misit imperium meum nuncios suos ad sanctitatem tuam, sed non inveuerunt oportunitatem transeundi ad sanctitatem tuam: ideo certe non potuerunt transire, quia illi, qui non habebant pacem cum imperio meo, servabant vias. Postea mense Iunio pretcrito misit imperium meum Archiepiscopum meum et totius Bulgarice regionis et universalem sancte et magne ecclesie Trinove, et magnum hominem imperii mei, nunc nominatum primatem et Archiepiscopum totius Bulgarie et Blachie, nomine Basileum: qui cum pervenisset Durachium, non fuit permissus transire ad sanctitatem tuam, ut compleret desiderium imperii mei sanctitas tua, secundum consuetudinem predecessorum meorum Imperatorum Bulgarorum et Blachorum Symeonis, Petri et Samuelis progenitorum meorum, et ceterorum omnium Imperatorum Bulgarorum. Verum deo adiuvante et intervenientibus orationibus sanctitatis tue venit ad me presens nuncius apostolice cathedre, et prime sedis principis apostolorum et sancte et universalis ecclesie Romane Iohannes capellanus, et detulit michi palleum ex precepto sanctitatis tue et apostolice sedis, et palleavit dictum Archiepiscopum et fecit eum primatem et Archiepiscopum totius Bulgarie et Blachie, et portavit imperio meo litteras sanctitatis tue, et exposuit quicquid ei sanctitas vestra mandavit: et repletum est cor meum gaudio magno, quoniam secundum voluntatem imperii mei donavit michi deus et sanctitas tua: et rogo et deprecor magnam sanctitatem tuam, ut compleat desiderium imperii mei et mittat virgam pastoralem ad congregandas oves, et cetera, que patriarcha consuevit habere, et faceat presentem primatem patriarcham in sancta et magna ecclesia Trinove prime civitatis totius Bulgarie, et habeat ecclesia ipsa etiam post mortem istius patriarcham in perpetuum ex precepto sanctitatis tue: et quoniam grave esset propter longitudinem vie et guerram hominum in obitu cuiuslibet patriarche recurrere ad ecclesiam Romanam, concedatur ecclesie Trinove, ut sibi possit eligere et consecrare patriarcham, ne ex eius absentia terra illa sine benedictione remaneat, et tua consecratio imperfecta, et redundet peccatum in sanctita-

tem tuam. Nunc autem petimus, ut fiat crisma ex precepto sanctitatis tue in sancta et magna ecclesia civitatis Trinove pro baptismate christianorum. Sciat sanctitas tua, quod cum sciverint Rome, quod receperimus consecrationem a sanctitate tua, non dabunt michi crisma. Et aliud peto a sanctitate tua, ut mittas Cardinalem ad imperium meum, seu istum, qui venit ad me, sive alium a sede apostolica, et des eis diadema et sceptrum secundum apostolice sedis et apostolorum principis benedictionem, et mittas privilegium bullatum auro ad exemplar ipsius servandum perpetuum in ecclesia Trinove: et hec omnia dent imperio meo et consecrent et coronent imperium meum. Omnia autem predicta, que mitti debent ad imperium meum a sanctitate tua, videat presens nuncius Epus Brandizuberensis Blasius, ut possit referre, quid tu scripseris manu propria. Et si hec omnia compleverit sanctitas tua, ita reputabo cum prosapia imperii mei et omnium Bulgarorum et Blachorum, quod sum dilectus filius orthodoxe sancte ecclesie Romane. Et de confinio Hungarie, Bulgarie et Blachie relinquo iudicio sanctitatis tue, ut dirigas negocium istud recte et iuste, ut non habeat peccatum anima sanctitatis tue, et ita habeat imperium meum iusticias Bulgarie et Blachie, quod Rex Hungarie habeat iusticias Hungarie, et cessent occisiones christianorum in me et ipsum. Sciat autem sanctitas tua, quod v. episcopatus Bulgarie pertinent ad imperium menm, quos invasit et detinet Rex Hungarie cum iusticiis ecclesiarum, et episcopatus ipsi sunt annichilati: et si iustum est, hoc fiat. Quicquid dicturus est presens nuncius imperii mei Episcopus Blandizuberensis Blasius sanctitati tue, habeas verum, quoniam ex parte mea dicet.

Misi sanctitati tue examita duppla tria, et cupam auream et yperperorum libras quatuor, et scutellas argenteas tres et gradule argenteum.

IMPERATOR BULGARIE CALOIOHANNES.

XLVII.

Archiepiscopis Belesbudensi et Prosthlavensi pontifex pallium mittit. Reg. An. VII. ep. 7 fol. 113.

INNOCENTIUS EPISCOPUS etc. Venerabili fratri Anastasio Archiepiscopo Belebusdiensi, salutem etc. Cum omnes unum corpus simus in Christo, singuli autem alter alterius membra, nec omnia membra eundem actum habere noscuntur, sed non solum in officiis, sed in forma etiam a se distent, distantia huiusmodi vel differentia potius non deformitatem corporis, sed decorem operante, cum stella etiam in claritate distet a stella, decet, ut qui maiorem locum in ecclesia dei tenent, honorentur amplius et specialibus honoris insignibus adornentur. Cum igitur Venerabilem fratrem nostrum ... Archiepiscopum Trinovitanum in omnibus terris, in quibus karissimus in Christo filius noster Caloiohannes Rex Bulgarorum et Blachorum illustris imperat, primatem duxerimus statuendum, honoris insignia, que ad officium eius spectant, et iuxta sedis apostolice consuetudinem concedentes: ut te quoque tamquam honorabile membrum ecclesie Trinovitane et metropolitanum Belebusdiensis ecclesie, ac suffraganeis eius metropolitico iure prelatum specialiter honoremus, per dilectum filium L. tituli sancte Crucis presbiterum Cardinalem apostolice sedis Legatum, virum honestate morum et dote scientie commendandum, quem inter ceteros fratres nostros specialis dilectionis brachiis amplexamur, palleum de corpore beati Petri sumptum, insigne videlicet plenitudinis pontificalis officii, tibi dirigimus conferendum iuxta formam bulle nostre munimine roboratam. Monemus igitur fraternitatem tuam et exhortamur in domino, et per apostolica tibi scripta mandamus, quatenus illud humiliter et devote suscipias, et eo non ad elationem, sed humilitatem potius infra ecclesiam tuam in missarum sollempnibus diebus illis utaris, quos idem tibi Cardinalis exponet, talemque te studeas exhibere, ut interior virtutum ornatus exteriorem vestium ornatum excedat, et amictus exterior interiorem mentis habitum non imaginaria tantum simulatione, sed vera potius expressione figuret. (Datum etc.)

In e. m. Save Prosthlavensi Archiepiscopo.

XLVIII.

Regi Bulgarorum pontifex scribit se cardinali legato mandasse, ut eum inungat, regale sceptrum tribuat et diadema regium imponat etc. Reg. An. VII. ep. 8. fol. 113.

INNOCENTIUS EPISCOPUS etc. Karissimo in Christo filio Caloiohanni Regi Bulgarorum et Blachorum illustri, salutem etc. Licet ex eo, quod per apostolorum principis merita universalis ecclesie sub eo sumus pastore pastores, qui oves alias, que de ipsius ovili non fuerant, in unum adduxit ovile, ac pascendas eas Petro pastori commisit, Pasce, inquiens, oves meas, instantia nostra cotidiana sit universarum ecclesiarum sollicitudo continua, et profectus omnium populorum, quos mater ecclesia fermento

veteri expurgato in novam regeneravit infantiam, et in sinum suum, sicut gallina pullos suos congregat, congregavit: Bulgarorum et Blachorum populis tanto nos reputamus specialius debitores, quanto non solum fidem catholicam per sedem apostolicam olim devotius receperunt, sed descenderunt etiam ex sanguine Romanorum, quorum sumus profectui et ministerio specialius deputati, qui tamquam peculiaris populus noster nobis tam in spiritualibus quam temporalibus nullo subiacent mediante. Ut igitur eius magistorium recognoscant, a qua sciunt se spiritualiter didicisse quod credunt, et quod sunt carnaliter accepisse, cum secundum carnem descenderint ex nobilibus Romanorum, nos pro quibus dominus tamquam beati Petri successoribus exoravit, ne deficiat fides nostra, sed fratres nostros conversi aliquando confirmemus, eos confirmare volumus in fide catholica et in devotione sedis apostolice roborare. Ut autem paterne dilectionis affectus, quem gerimus circa ipsos, omnibus innotescat, et in filiis matris liberalitas commendetur, in spiritualibus et temporalibus eos tamquam speciales ecclesie Romane filios volumus honorare. Ideoque dilectum filium L. tituli sancte Crucis prosbiterum Cardinalem, apostolice sedis Legatum, virum litteratura conspicuum et preditum honestate, quem inter ceteros fratres nostros specialis dulcedinis brachiis amplexamur, in Bulgariam et Blachiam a nostro latere destinamus, qui te auctoritate et vice nostra inungat, sceptrum tibi regale tribuat et imponat regium diadema. Cumque Venerabili fratri nostro . . . Archiepiscopo Trinovitano per dilectum filium I. capellanum nostrum palleum duxerimus destinandum, et statuerimus eum totius Bulgarie ac Blachie primatem, per eundem Legatum metropolitanis, quos idem capellanus instituens ei de novo subiecit, palleum, insigne videlicet plenitudinis pontificalis officii, destinamus eis iuxta formam, quam sub bulla nostra interclusam mittimus, conferendum. Eidem quoque Legato plenam contulimus facultatem corrigendi, que corrigenda cognoverit, et statuendi, que duxerit statuenda, mandantes eisdem, ut tam clerum quam populum in hiis, que pertinent ad fidei christiane profectum, informent et de benivolentia nostra efficiant certiores. Monemus igitur serenitatem Regiam et exhortamur attentius, quatenus Legatum ipsum sicut personam nostram, immo nos et beatum Petrum in ipso benigne recipias et honorifice studeas petractare, salubria monita et statuta ipsius et tu ipse recipiens et observans, et ab universa terra tua recipi faciens et servari, taliter super hoc, quod scribimus, impleturus, ut devotionis affectum, quam circa nos et Romanam (ecclesiam) habere te credimus, in effectu operis cognoscamus. (Datum etc.)

XLIX.

Primati, archiepiscopis, episcopis, clero et populo Bulgariae, ut legatum honorifice pertractant et in devotione sedis apostolicae humiliter persistant. Reg. An. VII. ep. 9. fol. 113.

Innocentius episcopus etc. Venerabili fratri . . . Archiopiscopo Trinovitano totius Bulgarie et Blachie primati, et aliis Archiepiscopis, Episcopis, clero et populo in Bulgaria et Blachia constitutis, salutem etc. Licet ex eo etc. usque certiores. Monemus igitur universitatem vestram et exhortamur attentius, et per apostolica vobis scripta mandamus, quatenus legatum ipsum etc. usque honorifice pertractetis, ea que inter vos corrigonda duxerit, vel etiam statuenda, suscipientes hilariter et inviolabiliter observantes, ut etsi fueritis hoctenus sicut oves errantes, ex quo tamen conversi estis ad episcopum et pastorem animarum vestrarum, eius sequamini doctrinam et formam, cui dominus totius ecclesie magisterium contulit et primatum. Cavete autem, ne de facili moveamini a constantia mentis vestre, sed in bono perseverantes proposito in devotione sedis apostolice humiliter persistatis, ut in illius videamini petre soliditate firmati, supra quam dominus ecclesio posuit fundamentum, claves regni celorum concedens, ut esset, quibus Petrus aperiret, apertum, et quibus clauderet, non pateret. (Dat. etc.)

L.

Forma, qua pallium archiepiscopis Bulgariae tradi debet. Reg. An. VII. ep. 10. fol. 113.

Ad honorem dei omnipotentis, et beate Marie virginis, et beatorum apostolorum Petri et Pauli, et domini papo Innocentii et Romane ecclesie, necnon et ecclesie tibi commisse tradimus tibi palleum de corpore beati Petri sumptum, insigne videlicet plenitudinis pontificalis officii, quo ad missarum sollempnia infra ecclesias tibi subiectas uteris in Nativitate domini, festivitate prothomartiris Stephani, Circumcisione domini, Epiphania, Ypapanti, Dominica in ramis palmarum, Cena domini, Sabbato sancto, Pascha, feria II. post Pascha, Ascensione domini, Pentecoste, tribus festivitatibus sancte Marie, Nathali beati Iohannis Baptiste, Sollempnitatibus omnium Apostolorum, Commemoratione omnium Sanctorum, Dedicationibus ecclesiarum, Consecrationibus Episcoporum, Ordinationibus clericorum, Ecclesie tue prin-

cipalibus festivitatibus et anniversario consecrationis tue die. Sane solus Romanus pontifex in missarum sollempniis palleo semper utitur et ubique, quoniam assumptus est in plenitudinem ecclesiastice potestatis, que per palleum figuratur. Alii autem eo nec semper nec ubique, sed in ecclesia sua, in qua iurisdictionem ecclesiasticam acceperunt, certis debent uti diebus, quoniam vocati sunt in partem sollicitudinis, non in plenitudinem potestatis.

LI.

Forma iuramenti ab archiepiscopo Trinovitano prestiti. Reg. An. VII. ep. 11. fol. 113.

Ego ... Archiepiscopus Trinovitanus, Primas totius Bulgarie et Blachie, ab hac hora inantea ero fidelis et obediens beato Petro, sancteque Romane et apostolice sedi et domino meo pape INNOCENTIO, eiusquo catholicis successoribus. Non ero in facto vel consilio vel consensu, ut perdant vitam aut membrum, vel capiantur aut spolientur. Consilium, quod michi crediderint, ad eorum dampnum, me sciente, nemini pandam: eorum certum malum, si scivero, impedire studebo: quod si non potero impedire, eis, quam cito potero, intimare curabo. Papatum Romanum, honores, dignitates et rationes apostolice sedis defendam pro posse, salvo ordine meo, contra omnem viventem. Vocatus ad sinodum veniam, nisi prepeditione canonica fuerim impeditus. Apostolorum limina singulis quadrienniis per me vel per meum nuntium visitabo, nisi eorum absolvat licencia. Legatum apostolice sedis, quem pro certo scivero esse legatum, devote suscipiam, et in suis necessitatibus adiuvabo. Cum quemlibet de meis suffraganeis consecravero, faciam illium iurare, ut Romano pontifici et ecclesie Romane perpetuam obedientiam et debitum honorem impendat. Ceterum cum aliquem coronavero in Regem Bulgarorum et Blachorum iuxta indulgentiam michi et successoribus meis ab apostolica sede concessam, ab eo iuratoriam recipiam cautionem, quod ei qui tunc apostolice sedi prefuerit, successoribus eius et ecclesie Romane devotus et obediens permanebit, et cunctas terras et gentes suo subiectas imperio in obedientia et devotione sedis apostolice conservabit. Hec omnia bona fide servabo: Sic me deus adiuvet, et hec sancta evangelia in presenti et in futuro. Amen.

LII.

Prelatis et omnibus clericis et laicis Hungarie super reductione Bulgarorum pontifex scribit, exhortans, ut cardinalem legatum bene tractent. Reg. An. VII. ep. 13. fol. 114.

INNOCENTIUS EPISCOPUS etc. Venerabilibus fratribus Archipiscopis, Episcopis, et dilectis filiis Abbatibus et aliis ecclesiarum prelatis, et omnibus tam clericis quam laicis in regno Ungarie constitutis, salutem etc. Volens apostolica sedes filios suos per varias mundi partes in unum, ceu gallina sub alis pullos suos congregat, congregare, ut ipsa suas oves agnoscat et agnoscatur ab eis, fiatque unum ovile ac unus pastor, sicut dominus ipse dicit, Bulgarorum et Blachorum ecclesiam, (que) tanquam non cognosceret semetipsam, illo pastore relicto, cui Christus pascendas commiserat oves suas, Pasce, inquiens, oves meas, post vestigia gregum abierat et velut ovis errans recesserat ab ovili, ad se desiderat revocare, ut sit iuxta verbum propheticum bonum pariter et iucundum habitare fratres in unum, fiatque maius gaudium ecclesiis dei super ecclesia illa, cum ad apostolico sedis devotionem redierit et reconciliata fuerit ecclesiastice unitati, quam supra nonaginta novem aliis, quas nec mors, nec gladius ab ecclesie Romane reverentia separavit. Ut igitur eius exemplo, qui filium prodigum redeuntem induit stola prima et anulum dedit ei, Bulgarorum et Blachorum populos ad devotionem et reverentiam sedis apostolice redeuntes in spiritualibus et temporalibus honoremus, per dilectum filium L. tituli sancte Crucis presbiterum Cardinalem, apostolice sedis legatum, virum providum et honestum, et inter ceteros fratres nostros prerogativa quadam dilectionis acceptum, ipsos duximus visitandos, qui eos in fide catholica et ecclesie Romane devotione studeat confirmare. Ne autem primogenito scandalum pariat, et hii, qui nobiscum sunt semper, quadam velut invidia moveantur, sic ecclesiam illam nunc primo ad matris ubera redeuntem taliter honoremus, occidentes in eius reditu vitulum saginatum, ei autem nec edum etiam, quem cum amicis suis comedat, tribuamus, sed ipse gaudeat et pariter epuletur, quoniam epulari eum convenit et gaudere, quia frater eius, qui mortuus fuerat, iam revixit, et qui perierat, est inventus: eidem legato plenam concessimus facultatem, ut in provinciis, per quas transit, causas, que ad eius audientiam perferentur, audiat et decidat, si potuerit, vel deleget, metatque in earum decisione et delegatione de ipsis omnia scandala, et seminans semen pacis controversias studeat sepelire, et fiat odor vite in vitam omnibus per quos transit. Monemus igitur universitatem

vestram et exhortamur attentius, et per apostolica vobis scripta mandamus, quatenus Cardinalem ipsum sicut apostolice sedis legatum recipiatis hilariter et honorifice pertractetis, et tam in eundo quam redeundo in necessariis omnibus et securo conductu ita liberaliter provideatis eidem, ut patronum cum de cetero apud sedem apostolicam habeatis, tantoque citius ab ea exaudiatur pro vobis, quanto a vobis pro ipsa fuerat amplius honoratus. (Datum etc.)

LIII.

Prelatis et universo clero Servie de eodem argumento. Reg. An. VII. ep. 14. fol. 114.

INNOCENTIUS EPISCOPUS etc. Venerabilibus fratribus Archiepiscopis, Episcopis, et dilectis filiis Abbatibus et aliis ecclesiarum prelatis et universo clero in Servie provincia constitutis, salutem etc. Volens apostolica sedes etc. ut supra nsque est inventus. In Servia quoque ipsi legationis officium duximus iniungendum, ut evellat, destruat, disperdat et dissipet, edificet et plantet, iuxta quod ad profectum catholice fidei, statum ecclesie, correctionem et utilitatem vestram viderit expediro. Monemus igitur universitatem vestram et exhortamur in domino, et per apostolica vobis scripta precipiendo mandamus, quatenus legatum ipsum sicut personam nostram, imo nos in eo recipientes, hilariter et honorifice pertractantes, statuta et mandata ipsius suscipiatis humiliter et inviolabiliter observetis: Alioquin sententiam, quam tulerit in rebelles, ratam habebimus et faciemus, auctore domino, inviolabiliter observari. (Datum etc. Pontificatus nostri Anno Septimo.)

LIV.

Caloiohanni regi Bulgarorum et Blachorum pontifex vexillum mittit. Reg. An. VII. ep. 12. fol. 114.

INNOCENTIUS EPISCOPUS etc. Carissimo in Christo filio Caloiohanni Regi Bulgarorum et Blachorum illustri, salutem etc. Ut in cruce domini nostri Ihesu Christi cum apostolo glorieris, et non tibi, sed ei, cui flectitur omne genn, tuos de cetero triumphos ascribas, qui docet manus ad prelium et digitos movet ad bellum, et inter varios bellorum eventus eius suffragio sentias te muniri, cui dominus claves regni celorum et ligandi atque solvendi contulit potestatem, preter Regie dignitatis insignia, que tibi per dilectum filium L. tituli sancte Crucis presbiterum Cardinalem, apostolice sedis legatum, virum providum et honestum, tue serenitati dirigimus per eundem vexillum, quo contra illos utaris, qui honorant labiis Crucifixum, cor autem eorum est longinquum ab ipso, ad petitionem venerabilis fratris nostri B. Brandizuberensis Episcopi tibi duximus destinandum. Pretendit autem non sine misterio crucem et claves, quia beatus Petrus apostolus et crucem pro Christo sustinuit et claves a Christo suscepit. Representat itaque signum crucis, utpote in quo Christus, qui vincit, regnat et imperat, debellavit aereas potestates, et in quo capiens preda predonem absorbuit, moriens vita mortem et Behemot cepit in suis oculis quasi hamo. Clavem autem geminam representat, discretionis alteram, reliquam potestatis, ut cum discreveris inter bonum malum, lucem et tenebras, sanctum et prophanum, commissum tibi materialem gladium ad vindictam malefactorum, et laudem bonorum exerceas, et arma contra illos apprehendas et scutum, qui non posuerunt deum adiutorem sibi, sed in feritate sua et multitudine confidentes nituntur contra stimulum calcitrare. Monemns igitur serenitatem regiam et exhortamur attente, et per apostolica tibi scripta mandamus, quatenus eodem vexillo in humilitate cordis utaris et inter acies bellicas memor dominice passionis existas, eiusque magisterium recognoscas, cui dominus ipse dixit: Tu es Petrus, et super hanc petram edificabo ecclesiam meam, et porte inferi non prevalebunt adversus eam: et tibi dabo claves regni celorum. Sic enim inimici tui non solum contra te prevalere non poterunt, sed ante faciem tuam, dante domino, non subsistent. (Datum etc.)

LV.

Episcopo Varadiensi et abbati de Petis, ut inquirant, an episcopatus in quibusdam ecclesiis grecis regni Hungarie sit instituendus. Reg. An. VII. ep. 47. fol. 122.

INNOCENTIUS EPISCOPUS etc. Venerabili fratri ... Waradiensi Episcopo, et dilecto filio ... Abbati de Petis Vesprimensis diocesis, salutem etc. Significavit nobis carissimus in Christo filius noster ... Rex Ungarorum illustris, quod quedam ecclesie monachorum Grecorum in Regno Ungarie constitute per incuriam diocesanorum episcoporum, et per ipsos Grecos, qui valde sunt, sicut asserit, dissoluti, penitus destruuntur, a nobis supplicans humiliter et devote, ut auctoritate nostra unus fieret episcopatus ex ipsis, qui nobis nullo mediante subesset, vel Abbates aut prepositi Latini constituerentur in illis,

per quorum studium et diligentiam carumdem ecclesiarum status posset in melius reformari. Nos igitur eiusdem Regis petitionibus inclinati, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus ad predictas ecclesias accedentes inquiratis diligenter veritatem, utrum per ipsos monachos Grecos eadem monasteria in religionis observantia valeant reformari, utrumne de diocesanorum episcoporum consensu unus fieri poterit episcopatus ex illis, qui nobis sit immediate subiectus, et quod super iis inveneritis, fideliter conscribentes sub testimonio sigillorum vestrorum ad nostram presentiam destinetis, ut per inquisitionem vestram instructi securius in eodem negotio procedere valeamus. Interim autem ad correctionem eorum impendatis operam efficacem. Datum Laterani XVI. Kal. Maii (Pontificatus nostri Anno Septimo).

LVI.

H. Hungarie regem, quod in finibus Hungarie cardinali legato transitum in Bulgariam iniurioso impediverit, pontifex de tali errore emendando monet, ne in ipsum animadvertere cogatur. Reg. An. VII. ep. 126. fol. 141.

(INNOCENTIUS EPISCOPUS etc. Karissimo in Christo filio H. Regi Ungarie Illustri, salutem etc.) Inter alios Regos catholicos et principes christianos de te specialiter, fili karissime, gloriamur, quod deo fidelis nobisque devotus existas, ita ut et tu merito valeas gloriari, quod gratiam et favorem apostolice sedis obtineas specialem, sicut hinc inde plurima probant non solum indicia, sed exempla. Rediens enim ad apostolicam sedem Iohannes tunc Capellanus noster, nunc Furconensis episcopus, constanti nobis assertione suggessit, quod a te cum ingenti honore ac devotione susceptus clementer obtinuit, non solum quod circa negotium Culini bani a regia celsitudine requisivit, verum etiam impetravit, quod tam ipsi quam aliis ecclesie Romane nuntiis et legatis liber pateret per regnum tuum progressus pariter et regressus in Bulgariam et Blachiam. Tu quoque nobis, si bene recolimus, suggessisti, quod tue serenitati placebat, ut Megajuppanus Sarvie debitam et devotam apostolice sedi reverentiam et obedientiam exhiberet, et a nobis, salvo in temporalibus iure tuo, regium susciperet diadema. Unde nos huius executionem negotii Venerabili fratri nostro ... Colocensi Archiepo meminimus iniunxisse. Per has ergo non tam generales quam speciales causas inducti dilectum filium nostrum Leonem tit. sancte Crucis presbiterum Cardinalem, apostolice sedis legatum, in Bulgariam et Blachiam per regnum tuum ad propagationem fidei christiane duximus destinandum, qui sicut nobis suis litteris intimavit, a tua celsitudine ultra etiam quam crediderit, extitit honoratus, ita ut quasi deposita gravitate regali universa conareris efficere, que sibi crederes complacere. Dato prius cum omni iocunditate ducatu nuntiis, quos in Bulgariam duxerat transmittendos, datoque pacis osculo, et facta cum magno gaudio mutua promissione amicitie specialis, ac muneribus elargitis, non solum licentiam obtinuit transeundi, verum etiam tuis nuntiis precepisti, ut eum transferrent in Bulgariam cum honore, promittens quod tuum sibi scriptum in confinio destinares, quod ipse apud se secretius retineret, et secundum illud ad reformationem pacis fideliter laboraret. Procedens ergo cum nuntiis tuis usque ad regni terminum, pervenit ad castrum, quod vocatur Keve, ubi solo Danubio mediante regnum Ungarie a Bulgarorum provincia separatur, multis eum cum desidorio expectantibus ex altera parte: sed post unius horam diei nuntios tuos ex insperato recipit, qui cum festinatione maxima venientes sibi et ... Epo Bulgaro transitum fecerunt omnino precludi, ex parte regia proponentes, ut ad quoddam tuum predium retroiret, quod itinere trium dierum reliquorat iam post tergum, ibique morans domino Bulgarorum per nuntios demandaret, quod ad quandam Insulam festinus accederet in confinio constitutam, ut ibi prius de controversia, que vertitur inter vos, plene cognosceret, et eam fine debito terminaret, alias ei transitus non pateret. Ipse vero cardinalis inter multa respondit, quod hoc tali modo facere non debebat, tum quia, si eum cum huiusmodi pactionibus reciperet ad matris hubera redeuntem, cum super hoc non tam seculare quam spirituale negotium agceretur, videretur intervenire species simoniace pravitatis, tum quia non posset eum compellere ad aliquid faciendum, donec obligatus osset apostolice sedi per vinculum speciale. Unde cum nollet ab incepto itinere retroire, protinus exiit edictum a Comite castri, quod quicumque sibi et suis, aut etiam episcopo memorato auderent aliquid vendere seu aliquod humanitatis solatium exhibere, penam incurrerent personarum et rerum, et ipse Cardinalis cum sepedicto a trecentis ad minus circumfusis satellitibus custoditur, qui adeo ipsum comprimunt, quod hostium camere, si camera dici debet, observant, ut taceamus, que sibi et suis circa necessaria nature viliter irrogantur. Heu! heu! fili karissime, ubi est regalis clementia, ubi religio christiana, ubi specialis devotio, quam ad nos et Romanam ecclesiam predicaris habere? Mutatus est color optimus et aurum in sco-

riam est conversum. Parcat igitur eis deus, qui animum tuum tam pravo consilio seduxerunt, volentibus inter regnum et sacerdotium discordiam seminare! Sed nos pro certo speramus, quod aut per te ipsum iam errata correxeris, aut ad commonitionem nostram taliter debeas emendare, ut iniuria transeat in honorem et offensa in gratiam convertatur. Quocirca serenitatem regiam, de qua plene confidimus, rogamus attente et monemus, in remissionem tibi peccaminum iniungentes, quatinus iniuriam Cardinali predicto, immo verius nobis in ipso, quin potius illatam domino Ihesu Christo in nobis, ita satagas abolere, ut nos in hoc devotionem tuam experiri possimus, et non cogamur propter hoc aliquid agere, quod tibi possit esse molestum, quia quantumcumque nobis molestum existeret te in aliquo molestare, non possemus tam perversum exemplum relinquere incorrectum, et propositum nostrum, auctore deo, nichilominus exequemur. (Datum Rome apud Sanctum Petrum XVII. Kal. Octobris, Pontificatus nostri Anno Septimo.)

Scriptum est Suffraganeis Strigoniensis ecclesie, ut ipsum Regem ad hoc moneant attente et inducant, et tales se circa negotium istud, omni gratia et timore postpositis, exhibere procurarent, quod fidem et devotionem, quam erga matrem suam Romanam ecclesiam habere tenentur, in opere cognoscamus.

Hec cedula fuit interclusa in litteris ad prefatum Regem transmisis.

Mitius et benignius tibi scribimus, quam instans materia postularet, ne quis forte litteras nostras inspiciens extimaret apostolice sedis favorem tibi esse subtractum. Quod utique utilitati ac honori tuo nullatenus expediret, quia multa gesta sunt et geruntur in Regno tuo, qui se deducerentur ad limam, correctionem exposcerent graviorem, non solo de voto tuo, captione fraterna et electionibus prelatorum, sed etiam multis aliis, que, ne nimium conturberis, ad presens duximus supprimenda. Provideas ergo tibi, ne in eam te difficultatem inducas, de qua non facile valeas expediri.

LVII.

Leoni card. legato responsum ad regia Hungarie querelas datum pontifex transmittit. Reg. An. VII. ep. 127.

INNOCENTIUS EPISCOPUS etc. Dilecto filio L. tit. sancte Crucis presbitero Cardinali, apostolice sedis Legato, salutem etc. Ad litteras, quas nobis Karissimus in Christo filius noster ... Rex Ungarie destinavit, rescribimus in hunc modum.

Regie celsitudinis litteras, quas nobis per dilectum filium nobilem virum G. militem destinasti, benigne recepimus, et que significasti per eas, notavimus diligenter. Ad primum ergo capitulum respondemus: quod utique pie recordationis progenitores tui, ex quo regnum Ungarie ad catholice fidei unitatem per beati Stephani Regis diligentiam, divina gratia precedente, pervenit, cum multa devotione sedem sunt apostolicam venerati, et omnes, qui ex eius progenie descenderunt, sicut in regno ita sibi et in reverentia beati Petri successoribus exhibenda pariter successerunt, presertim inclite record. Bela Rex pater tuus, qui toto tempore vite sue sedem apostolicam studuit honorare, cui tu tam in regno quam in devotione succedens ea facere studuisti, que ad ipsius procederent commodum et honorem. Porro sicut nos ea, que dicta sunt, absque dubio recognoscimus esse vera, ita tu es, que sunt dicenda vera esse procul dubio recognoscas. Licet enim predecessores nostri progenitores tuos inter alios reges catholicos diligere ac honorare studuerint quadam gratia speciali, satagentes illis secundum deum in omni necessitate favere, specialiter tamen clare mem. patrem tuum apostolica sedes toto conamine promovere curavit, ita quod cum propter quasdam causas, sicut credimus, tibi notas regalem non possit obtinere coronam, felicis record. Alexander papa, predecessor noster, post multas exhortationes, preceptiones et commonitiones Strigoniensi Archiepiscopo factas, ut ei regium diadema conferret, cum ipse non posset ad hoc aliquatenus inclinari, tandem ... Colocensi Archiepiscopo districte precepit, ut ipse illum absque preiudicio Strigoniensis ecclesie coronaret in regem, et sic ad mandatum apostolice sedis obtinuit coronari. Quantum etiam circa principium Regni tui, quod utique propter dissentiones multorum non leviter extitit perturbatum, apostolica sedes tibi curaverit subvenire, ipse rerum ostendit effectus, que tandem per legatum suum ad hoc specialiter destinatum te ac tuos ex una parte, necnon et fratrem tuum ac fautores eius ex altera reduxit ad pacem: que licet formata fuerit et firmata, utinam tamen *melius* observata fuisset!

Ad secundum vero capitulum respondemus hoc modo: quod revera tu nuntiis nostris in terram *Iannitii* (Iohannitii) domini Bulgarorum, et ipsius nuntiis ad ecclesiam Romanam ire volentibus per

terram tuam securum conductum et liberum transitum concessisti, dimittens exercitum ad preces legati nostri, quem congregaveras contra ipsum, sumptibus frustra consumptis, super quibus serenitati tue copiosas gratiarum referimus actiones. Quod autem scripsisti, quoniam prefatus Iohannitius terram, quam pater tuus ... sorori tue Imperatrici Grecorum dedit in dotem, detinet occupatam, et terram Servie tue corone subiectam, adiuncta sibi paganorum multitudine copiosa, crudeliter devastavit, ita quod preter eos, qui per eius tirannidem sunt perempti, non pauci christiani sunt in paganorum captivitatem deducti, eo videlicet tempore, quo precibus nostris inductus, Rege Boemie a Philippi consortio separato et Regi Ottoni coniuncto, cum ipso pro isto validum contra illum exercitum destinasti, certissime noveris nobis esse valde molestum quicquid in tuam iniuriam et iacturam noscitur attemptatum, et ut tibi congrue satisfiat, nos diligens studium impensuros et operam efficacem.

Ad tertium vero articulum taliter respondemus: quoniam etsi scripseris, quod prefatus Iohannitius nullius terre de iure sit dominus, licet aliquam partem tui et aliam alterius regni ad tempus detineat occupatam, unde miraris, quod tam manifestum inimicum tuum, te inconsulto, tam subito in Regem proposuerimus coronare, secus est tamen ex aliqua parte, ut salva tui pace loquamur, cum super hoc non plene noveris veritatem. Nam antiquitus in Bulgaria multi reges successive fuerunt auctoritate apostolica coronati, sicut Petrus et Samuel, et alii nonnulli post illos; nam et ad predicationem sancte memorie Nicolai pape, predecessoris nostri, Rex Bulgarorum, ad quorum consulta sepissime respondebat, cum toto regno sibi commisso meruit baptizari: sed tandem prevalentibus Grecis, Bulgari perdiderunt regiam dignitatem, quinimmo compulsi sunt gravi sub iugo Constantinopolitano servire, donec novissime duo fratres, Petrus videlicet et Iohannitius, de priorum regum prosapia descendentes, terram patrum suorum non tam occupare, quam recuperare ceperunt, ita quod una die de magnis principibus et innumeris populis mirabilem sunt victoriam consecuti. Non ergo negamus, quin forsan aliquam partem terre violenter invaserint, sed constanter asserimus, quod plurimam terre partem de iure recuperavere paterno. Unde nos eum non super alienam terram, sed super propriam ad instar predecessorum nostrorum regem intendimus coronare, volentes ut et ipse terram restituat iniuste detentam, et terra iniuste detenta restituatur eidem, cum ipse postulaverit hoc a nobis, ut de terris invasis faciamus inter te et ipsum utrique parti iustitiam exhiberi. Cum igitur nuntiis nostris ad eum, et nuntiis eius ad nos non solum liberum concesseris transitum, verum etiam securum ducatum, non debuimus opinari, quod ipse tibi esset infestissimus inimicus, licet per nostre sollicitudinis studium, inimicitiarum occasione sublata, de inimicis fieri valeatis amici, nec repente processimus ad hoc negotium consumandum, cum frequenter ad eum nuntios cum litteris nostris propter hoc curaverimus destinare, ut filiam revocaremus ad matrem, et membrum reduceremus ad caput, quatenus esset unum ovile et unus pastor. Verum et illud non ab re potuissemus attendere in hoc casu, quod cum nobilis vir Stephanus Megaiuppanus Servie per honorabiles nuntios nobis humiliter supplicaverit, ut in terram suam dirigeremus Legatum, qui eam ad obedientiam ecclesie Romane reduceret, et regium sibi diadema conferret, nosque petitionem ipsius de communi fratrum nostrorum consilio decreverimus admittendam, huius legationis officium Venerabili fratri nostro I. Albanensi episcopo iniungentes, intellecto tandem, quod hoc tue sublimitati plurimum displiceret, ob tui gratiam non sine quadam nostri confusione destitimus ab incepto. Tu vero, postquam expugnasti Serviam, amoto Stephano et Vulco substituto in locum ipsius, per tuos nobis nuntios intimasti, quod terram illam ad obedientiam ecclesie Romane reducere cupiebas, et salvo in temporalibus iure tuo equanimiter sustinebas, ut dictus Vulcus regalem susciperet ab apostolica sede coronam. Unde nos huius executionem negotii de consilio nuntiorum tuorum Venerabili fratri nostro ... Colocensi Archiepiscopo duximus committendam: sed cum iam biennium sit transactum, in nullo novimus esse processum.

Ad quartum vero capitulum respondemus hoc modo: quod licet dilectum filium L. tit. sancte Crucis presbiterum Cardinalem apostolice sedis legatum devote receperis et honoraveris studiose, ita quod eum in osculo pacis benigne dimissum fecisti usque ad regni fines honeste conduci, ut iam non supercesset nisi Danubii transitus de Ungaria in Bulgariam, quia tamen iuxta verbum poeticum: „Turpius eiicitur, quam non admittitur hospes“ (Ovid.); miramur non modicum et movemur, magis quidem pro te quam pro nobis, quod mox cum retroducere precepisti, cum minus indecens extitisset, si non admisisses euntem, quam admissum non sineres proficisci. Rationibus ergo, quas ob hoc in tuis litteris expressisti, sufficeret illud Salomonicum respondere: Frustra iacitur rete ante oculos pennatorum; nisi respondere nos oporteret ad illud, quod per litteras tuas suppliciter postulasti, ut vel a proposito coronationis illius

desisteremus omnino, vel saltem tamdiu cessaremus, donec discordia inter vos iudicio posset vel arbitrio terminari, cum tu paratus existas iudicio vel arbitrio legati nostri parere. Reddemus ergo paucissimas de plurimis rationes, ne nimis expressa responsio te nimium conturbaret. Cum enim Cardinalis predictus in regno tuo longam fecerit moram, et tam a te quam ab aliis non solum honeste receptus, sed et magnifice fuerit honoratus, profecto non posset esse mediator communis ad concordiam reformandam, aut iudex equalis ad controversiam dirimendam, nisi pari modo in terra sua recipueretur ab illo, ut omnis suspitio tolleretur. Preterea non posset illum compellere ad faciendam concordiam vel iustitiam exhibendam, antequam iugum susciperet apostolice discipline, nostroque se subiceret magisterio et precepto.

Ad hec, cum idem legatus procedat ad propagandum christiane fidei sacramentum et promovendum apostolice sedis honorem, si forsan impedires eundem, profecto divinam indignationem incurreres et nostram mereris offensam, illumque tibi redderes amplius inimicum, nichilque proficeres, quare nos modo alio possemus nostre voluntatis propositum adimplere. Attende nichilominus diligenter, quale denique reputares, si nos impedire vellemus, ne filius tuus carnalis coronari posset in regem, et tale nos reputare cognosce, si tu impedire coneris, ne filius noster spiritualis in regem valeat coronari, filius inquam prodigus, qui olim cum meretricibus vivendo luxuriose substantiam dissipavit: sed tandem ad se ipsum reversus ad patrem revertitur, qui accurens amplectitur et osculatur filium revertentem, precipiens servis suis, ut eum induant stolam primam et dent anulum in manu eius, et calciamenta in pede ipsius, occidantque vitulum saginatum, ut manducent et epulentur, quia filius eius mortuus fuerat et revixit, perierat et inventus est. Qualiter ergo pater indignationem sedaverit filii scnioris, parabola te doceat evangelica, cuius doctrinam te cupimus et in hoc et in aliis imitari. Quod si forsitan verearis, ne postquam coronam acceperit, insolentior fiat subito sublimatus, scire debes pro certo, quod non tantum ex procurata fraude proficeret, quantum deficeret ex fide mentita, nosque minus dicimus tibi, ut tu intelligas per te magis.

Ad quintum ergo capitulum respondemus: quoniam etsi scripseris, quod de hiis, qui sedis apostolice sententiam contempnentes tibi sub securitate nostra contra fraudem inimicorum nil providenti Iaderam destruxere, elapso iam fere biennio, nichil adhuc iustitie super tam irreparabili dampno per Romanam ecclesiam consequi potuisti: unde si permitteres prefatum Iohannitium coronari, antequam inter te et ipsum discordia sopiretur, nunquam amplius per Romanam ecclesiam tibi posset iustitia exhiberi: nolumus te, fili karissime, ignorare, quod tam stolium Venetorum quam Francorum exercitum propter destructionem Iadere anathematis vinculo curavimus innodare. Cumque maiores exercitus Gallicani absolutionis beneficium postularent, non prius potuerunt absolvi, quam iuraverint nostris stare mandatis, et obligaverint non solum se ipsos, sed suos etiam successores per litteras autenticas et patentes, quod ad mandatum nostrum super illo excessu satisfacere procurabunt. Quia vero ... Dux Venetorum et sui nondum absolutionis gratiam postularunt, nos in tantum iam procesimus contra eos, quod dilectum filium... suum Patriarcham electum noluimus consecrare, immo cum ad nos personaliter accessisset, remisimus eum non sine multo pudore confusum. Significavimus quoque tibi, ut apud Iaderam, que hactenus cum tota provincia sua subiecta fuit Patriarche Gradensi, faceres electionem canonicam de persona idonea celebrari, et electum ad nos consecrandum et palleandum dirigeres, ut sic inciperemus punire superbiam Venetorum. Pari modo prefatus Iohannitius puniretur, si post susceptionem corone nollet super discordia, que vertitur inter vos, arbitrio vel iudicio legati nostri parere, fierentque novissima sua deteriora prioribus, et error novissimus peior priore. Quia vero quantumcumque sepeditum Iohannitium diligamus, te tamen diligimus incomparabiliter magis: modum, sicut credimus, invenimus congruentem, per quem honori et iuri tuo debeat provideri, sicut per litteras, quas super hoc modo dirigimus, advertere poteris evidenter. Quocirca serenitatem regiam rogamus attente et monemus, quatenus deo dans gloriam et nobis honorem non impedias propagationem fidei christiane, nec dilationem apostolice sedis, cuius consilium experieris absque dubio fructuosum.

Hactenus Regi predicto. Decetero devotioni tue per apostolica scripta precipiendo mandamus, quatenus prefatum Iohannitium non super alienam terram, sed super propriam coronet in Regem, et ad terminandam discordiam, que vertitur inter ipsum et prefatum Regem Ungarie, cognita plenius veritate, iustitia mediante procedas, faciens quod decreveris, per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, observari. Datum Rome apud S. Petrum XVII. Kal. Octobris (Pontificatus nostri Anno Septimo).

LVIII.

Regi Hungarie gratulatur, quod legato transitum concesserit, hortaturque ut eum benigne et honorifice tractet.
Reg. An. VII. ep. 137. fol. 145.

INNOCENTIUS EPISCOPUS etc. Carissimo in Christo filio... Rege Ungarie Illustri, salutem etc. Gratum gerimus et acceptum, et serenitatem tuam in domino commendamus, quod licet primo quibusdam occasionibus motus dilecto filio L. tit. sancte Crucis presbitero Cardinali, apostolice sedis legato, transitum feceris denegari, ne procederet ad coronandum Iohannitium dominum Bulgarorum, donec controversiam, que inter te et illum super terrarum terminis vertitur, iudicio vel concordia terminares: postmodum tamen ob reverentiam apostolice sedis et nostram, usus consilio saniori, ei transeundi pro voto concessisti liberam facultatem. Sane quam cito verbum illud ad aures nostras pervenit, quasi previdimus et prediximus, quod nunc videmus et gaudemus impletum, quod videlicet non receptis litteris nostris, nec etiam tuis nuntiis expectatis, corrigeres per te ipsum, quod in iniuriam apostolice sedis videri poterat attemptatum. Cum igitur Cardinalem predictum devote receperis et honorifice pertractaris, ut bonum initium meliori fine concludas, Celsitudinem tuam rogamus attentius et monemus, quatinus eum in reditu suo benigne recipiens et honeste pertractans, per Regnum tuum facias secure conduci, ut et ipse, qui magnum in ecclesia dei obtinet locum, et nobis inter ceteros fratres nostros carus existit, ad honorem et profectum tuum fortius obligetur, et nos, qui persone nostre reputamus impensum, quicquid honoris exhibetur eidem, Magnificentiam tuam propter hoc debeamus propensius commendare. Datum Rome apud Sanctum Petrum (... Octobris, Pontificatus nostri Anno Septimo).

LIX.

Litteras ducis Venetorum ad papam, quibus de excisa Iadera se excusat et de expugnata Constantinopoli rationem reddit etc.
Reg. An. VII. ep. 202. fol. 167.

Venerabili in Christo patri et domino I. dei gratia sancte Romane ecclesie summo pontifici, H. Dandalus (Venetiarum,) Dalmatie atque Croacie Dux, vester humilis et devotus, cum omni devotione servitium. Notum facio sanctitati vestre, quod cum crucem assumpserim pro servitio Ihesu Christi et sancte Romane ecclesie (et) transmeandi gratia de Venetiis iter arripuerim, necessitate temporis yemalis ingruente, oportuit me cum stolio meo et peregrinorum apud Iaderam yemare: que cum esset rebellis michi et Veneticis longo tempore iniuste per proditionem contra iuramenta prestita, de civitate et civibus, secundum quod moris est invicem se inimicantium, iuste, ut existimavi, sumpsi ultionem. Verum quia, ut dicebatur, in vestra erat protectione, quod ideo non credebam, quia non existimo vos nec antecessores vestros illos sub protectione recipere, qui crucem accipiunt tantum, ut eam portent, non etiam iter perficiant, propter quod peregrini solent crucem accipere, sed et aliena inveniant et iniuste detineant, Paternitati vestre contra me et Venetos sententiam excommunicationis placuit promulgare, quam patienter et humiliter sustinuimus, usque quo per dominum P. tit. sancti Marcelli presbiterum Cardinalem et sancte Romane ecclesie Legatum, prestita condigna satisfactione, meruimus absolutionem, sicut secundum ordinationem vestrorum nuntiorum et scriptorum paginam vestre poterit sanctitati clarius innotescere. Superveniente autem inspiratione divina magis quam humano, ut opinamur, consilio Alexio, filio quondam Ysachii Imperatoris Constantinopolitani, eundi in Romaniam iter arripuimus, et ipsum, sicut domino placuit, prestita ab eo cautione de obedientia sancte Romane ecclesie, expulso Alexio avunculo suo, captaque Constantinopolitana civitate cum magno periculo et labore, obtinere curavimus prius ab Ysachio patre ipsius et parentibus eius, et pluribus aliis magnatibus civitatis, eadem securitate accepta, qui cum in dicta promissione mendaces et fallaces existerent, ipsos tamquam inimicantes sancte Romane ecclesie et Christianitatis proditores diffidavimus: quibus scilicet patre et filio per Grecorum proditionem extinctis, aliisque Greculis sublimatis, Grecorum sustinentes molestias et infestationes assiduas tam per mare mittentium ad nos naves accensas, ut nostrum navigium comburerent, et diuturna bella inferentium, quam per terram multis variisque modis, communicato consilio omnium clericorum et laicorum exercitus, conventionibus quibusdam inter nos et ipsos premissis, sicut ex tenore exempli dictarum pactionum sanctitas vestra poterit clarius cognoscere, civitatem Constantinopolitanam ad honorem dei et sancte Romane ecclesie et Christianitatis subventionem decrevimus debellandum: quod et Christi suffragante misericordia vestroque merito, nostroque laborioso studio precipue pre ceteris viventibus contra omnium opinionem perfectum est. Capta igitur civitate, multaque strage Grecorum interveniente, Marcoflus, qui tunc erat Imperator, cum suis sequacibus de civitate

aufugit, et secundum inter nos scriptum constitutum et sacramentum adimplevimus. Cognoscat igitur sanctitas vestra, quod ego una cum Veneto populo, quicquid fecimus, ad honorem dei et sancte Romane ecclesie et vestrum laboravimus, et nostre voluntati (sic) habemus similiter laborare. Unde supplico sanctitati vestre, quatinus petitiones, quas nuntii mei, viri nobiles et discreti scilicet Leonardus Naugaiosus, dilectus meus nepos, et Andreas de Mulin. quos ad pedes sanctitatis vestre transmittimus, fecerint, benigne exaudire dignetur vestra sanctitas et effectui mancipare.

LX.

Litterae Caloioannis regis Bulgarorum ad papam, quibus ei legati adventum, a quo deinde coronam receperit, significat, et aliqua dona mittit. Reg. An. VII. ep. 220. fol. 178.

Kaloiohannes Rex totius Bulgarie et Vlachie ad (a) deo promotum et sanctissimum in Christo dilectum et honorificentissimum patrem Regni mei tertium Innocentium, et sacerrimum papam Rome et successorem principis apostoli Petri. Legatus apostolice sedis d. Leo Cardinalis sanctitatis tue scriptum meo obtulit Imperio, addiscens quoque de eius sanitate et incolumitate omnipotenti deo et sanctissime matri suo glorificavi. Et utinam quod scriptum Imperii mei inveniat sanctitatem tuam viventem et degentem cum omni gaudio et exultatione: et Imperium meum per gratiam dei et beatissime dei genitricis, et per intercessiones sanetitatis vestre sanum et multum bene eum omnium gaudio et exultatione. Hoc autem notum sit sanctitati vestre, pater spiritualis Regni mei, domine pape, quod dominus Leo Legatus apostolice sedis venit ad Imperium meum sibi afferens Coronam, et eam benedicens super caput Imperii mei imposuit, et in manibus meis dedit michi Sceptrum atque Vexillum, et benedixit sanetissimo Patriarche Regni mei et totius Bulgarie ex precepto vestre sanctitatis: et alde deo et beatissime dei genitrici, necnon et circumspectioni vestre sanctitatis glorificavimus, eo quod secundum petitionem Imperii mei sanctitas vestra totum suum velle adimplevit. Et universa Bulgaria atque Blachia et omnis Imperii mei pertinentia valde glorificavit, et vestram sanetitatem magnificavit.

Scribo autem vobis et de Ungaro, quoniam Imperium meum non habet aliquam societatem regionum vel aliquam rem cum eo, neque ei nocet, immo ipse parvipendit et nocet regionibus Imperii mei. Et dominus L. Cardinalis vidit et vestre sanetitati annuntiabit iustum vel iniustum, quod est ab Imperio meo, aut si ego parvipendo Ungarum, vel si ipse meum Imperium parvipendit. Et scribat et sanctitas vestra, quatinus distet a Regno meo, quoniam Imperium meum nec eum habet parvipendere, nec contra terras eius abire. Si vero ipse venerit contra terras Imperii mei, et deus adiuverit, ut vincatur, non habeat sanctitas vestra Imperium meum suspectum, sed sim liber.

De Latinis quoque, qui Constantinopolim introierunt, scribo sanetitati vestre, ut eis scribatis, quatinus distent ab Imperio meo, et sic Imperium meum nullum malum eis facit, neque ipsi nobis parvipendant. Si forte ipsi conati fuerint contra Imperium meum et parvipenderint eum (sic), et occidetur ex eis, non habeat sanctitas vestra Imperium meum suspectum, sed sint universa libera.

Misi autem ad tuam magnam sanetitatem pueros duos, unus vero nominatur Basilius, alius Bithlehem: et dentur ex precepto eius, ut addiscant in scolis litteras Latinas, quoniam hic gramaticos non habemus, qui possint litteras, quas mittitis, nobis transferre: et postquam ipsi addiscerint, remittantur ad Imperium meum. Misi autem ad presens in signo parve recordationis examita duo, episima dupla, unum est rubeum et aliud album, et camelum. Cum vero mittam legatos ad sanetitatem vestram, semper vestre sanctitatis recordabor.

LXI.

Litterae Basilii Bulgarorum primati ad papam, quibus ei significat se a card. legato fuisse sacro chrismate inunctum. Reg. An. VII. ep. 231. fol. 179.

Multas inclinationes et multas sanitates a me Basilio, humili Bulgarorum et Blachorum Primate, erga patrem universorum et dominum et patrem meum, magnificentissimum et sanctissimum papam Innocentium. Oramus omnipotentem deum et sanctissimam dei genitricem, et beatissimos apostolos Petrum et Paulum, ut cum sanitate et sospitate inveniat vos scriptum mee humilitatis: et per vestri dominii magnificentiam vivo et ego per dei gratiam, magnis involutus delictis. Notum sit ergo vestre magne sanctitati, quoniam Leo Cardinalis sanus et sospes pervenit, delegatus a vestra sanetitate et apostolica sede, et usque ad nostram magnam civitatem Trinove tetendit quinto decimo die mensis Octobris, et portavit universam plenitudinem patriarchalis dignitatis et paramenta omnia, que michi a

vestra magna sanctitate fuerunt delegata: tradidit similiter et anulum et privilegium, et scripta et instructiones. Et precepto vestre sanctitatis unxit me crismate, michi benedicens, et consecravit me in Patriarcham mense Novembris septimo die, in festivitate scilicet sancti apostoli Iacobi fratris domini, et ego illa die duos unxi Metropolitanos et ceteros Episcopos magno cum gaudio, et duobus de Metropolitanis benedixit Cardinalis, et tradidit illis palleum atquo mitras, et reliquis in caput eorum mitras imposuit. Octavo vero die eiusdem mensis, in festivitate videlicet sancti Michaelis, coronavit et benedixit Imperatori Kaloiohanni domino omnium Bulgarorum atque Blachorum, et superposuit capiti suo regiam coronam et sceptrum suis manibus imponens. Omnia hec complevit et perfecit secundum sanctitatis vestre velle, et benedicens nobis segregatus est a nobis mensis Novembris die quinto decimo. Interea sciat vestra magna sanctitas, quod duos pueros ex precepto domini Imperatoris vobis mitto, unus est presbiteri Constantini filius, alius vero Regis, ut ex precepto vestre sanctitatis litteras Latinas addiscant. Et quidquid meditari valetis ad honorem Imperatoris, faciatis. Manuteneat enim deus vestram sanctitatem per multa et longeva tempora.

LXII.

Archiepiscopo Colocensi de quodam episcopatu, qui hic in terra filiorum Belokneae dicitur, ad devotionem apostolicae sedis reducendo. Reg. An. VIII. ep. 46. fol. 13.

Innocentius episcopus etc. Venerabili fratri ... Colocensi Archiepiscopo, salutem etc. Ex parte tua nostris fuit auribus intimatum, quod quidam episcopatus in terra filiorum Belokneae consistit, quem cum nulli subsit metropoli ad devotionem apostolice sedis intendis reducere, ac iurisdictioni ecclesie subdere Colocensi, dummodo tibi super hoc nostrum preberemus assensum. Nos autem desiderio tuo, quantum cum deo possumus, annuentes presentium tibi auctoritate concedimus, ut si premissis veritas suffragatur, episcopatum ipsum tibi sit licitum ad devotionem ecclesie Romane reducere, ac ipsum Colocensi ecclesie subdere ditioni. Provideas autem attentius, ne episcopatus ille sit ecclesie Constantinopolitane subiectus, quia cum ipsa Constantinopolitana ecclesia nuper ad apostolice sedis redierit unitatem, eam nolumus suo iure privari. Datum ... v. Nonas Maii (Pontificatus nostri Anno Octavo).

LXIII.

Litterae Henrici moderatoris imperii Constantinopolitani, quibus pontifici Balduinum imperatorem fratrem suum a Bulgaris captum fuisse, ac nuntios ad eum mittere significat. Reg. An. VIII. ep. 131. fol. 62.

Sanctissimo patri ac domino Innocentio dei gratia summo pontifici, H. frater Imperatoris Constantinopolitani et moderator Imperii, cum debita reverentia humili(a) et devota pedum oscula. Cum universum Christiani exercitus progressum et laborum peregrinationis nostre seriem paternitati vestre per multiplices litteras et nuntios frater meus et dominus Imperator usque ad Martium elapsum novissime satis lucide significaverit, eventus nostros extunc prioribus multum dissimiles, immo peccatis nostris exigentibus nimis miserabiles vobis tamquam patri et domino dignum duxi propalare.

Contigit igitur Grecos, qui ex innata malitia et perfidia consueta post omne genus securitatis et cautionis proditioni se semper pronos exhibent, statim post dimissionem nuntiorum ad vos ultimo directorum proditionem, quam pridem mento conceperant, rebellione contra nos facta detegere manifeste. Quo comperto, frater meus et dominus Imperator, oportune paucioribus comitatus, quippe nobis per munitiones et marchias pro magna parte dispersis, contra caput rebellionis, Andronopolim videlicet, que civitas est Grecie munitissima, et montibus tantum interpositis Blachorum affinis populis, ulciscendi animum intendens urbem regiam egressus est. Eramus enim tunc temporis sic divisi, Marchio Montisferrati ultra Thesalonicam erat cum multis, Ego ex altera parte brachii S. Georgii eram apud Andromiticum cum non paucis, Paganus de Aurelia et P. de Braecel versus Nicheam ex eadem parte brachii, R. de Trit apud Philippolim cum pluribus, et alii alibi per loca et munitiones dispersi. Porro audito a Iohannitio Blachorum domino, quod Latini in tanta virorum paucitate civitatem predictam obsedissent, quem etiam Greci in anxilium suum, occulte tamen, ut magis lederet, evocarant, irruit subito Blachus ille Iohannitius in nostros cum multitudine barbarorum innumera, Blachis videlicet et Commannis et aliis, quibus etiam nimis improvise obviam exeuntibus nostris, et remotius, quam oporteret, instantibus, et per inimicorum insidias tandem vallatis undique, prohdolor! dominus mens Imperator, Comes Ludovicus, Stephanus de Pertico, et quidam alii barones et milites, quod non sine lacrimarum effusione referre valeo, tanta obruti multitudine, non sine dampno tamen illorum ab inimicis

intercepti sunt: nescimus revera, qui capti fuerint, qui occisi. Accepimus tamen ab exploratoribus nostris certissimis et fama veridica, quod dominus meus Imperator sanus teneatur et vivus, qui ab eodem Iohannitio satis, ut asserunt, pro tempore honorabiliter procuratur, cum quibusdam aliis, quos tamen adhuc expresse nescimus nominare. Sciatis autem, quod ab ea die, qua Grecorum fines ingressi fuimus, usque ad diem infelicis illius congressus, quantacumque nobis et nostris occurreret multitudo, licet aliquando nostri paucissimi fuissent, cum triumpho tamen semper et victoria recesserunt. Inestimabilem vero iacturam, quam tunc nobis dolemus et plangimus accidisse, ex inconsulta nostrorum audacia et peccatorum nostrorum meritis credimus contigisse. Illi itaque, qui elapsi a prelio manus inimicorum evaserunt, consilio abbreviato cum hiis, qui ad tentoria servanda remanserant, absque alio dampno ab obsidione recesserunt. Quibus tendentibus ad urbem regiam et tam inopinabiliter desolatis, tantam dominus subito dedit consolationem, ut quasi in momento omnes simul, quotquot dispersi fuerant, tamquam convocati a domino apud civitatem quamdam, que dicitur Rodestoc convenirent. Marchio tamen feliciter et victoriose in suis marchiis, R. de Trit in suis partibus per dei gratiam incolumis morabatur et indempnis.

Inspectis igitur ibidem nostrorum viribus, urbes et castella extunc mnnire cepimus, que contra Grecorum rebellionem tenere posse videbamur, et inter agendum Constantinopolim usque profecti sumus. Licet itaque in personis ammissis infortunium lugubre nobis acciderit, speramus tamen in domino et audenter confidimus, quod inimicorum nostrorum insidias et assultus diutius, volente domino, sustinere poterimus, et etiam de longinquo subventionem et auxilium expectare. Ecce tamen, quod verebamur, hoc accidit, et quod fama canebat publica, quodque per litteras ipsius Blachi confederationem ipsius cum Turcis et ceteris Crucis Christi inimicis continentes edocti fuimus, qnas etiam a nobis cum nnntiis ipsius interceptas apostolatui vestro in utraque lingua transmisimus, licet gravius ex spectato vulnus incurrimus et ruinam. Cuius susceptionem vobis incumbere tamquam patri cause nostre patrono et domino, nemo est qui ambigat, presertim cum ob ecclesie tantum unitatem reformandam, et terre sancte snbventionem laboremus, qnorum unum eatenus pendet ex altero, sicut communis omninm Christianorum in Oriente degentium, et precipue venerabilium fratrum militie Templi et Hospitalis utriusque, qui nobiscum sunt, clamat assertio, ut non solum ipsius liberationem huius operetur redintegratio, verum etiam omnium paganorum et Crucis Christi inimicorum confusionem omnimodam apertissime procurare videatur, sicut e contra eius disturbatio, qnam deus avertat, non solum recuperandi partem ammissam terre sancte spem auferret, immo et illam, que in presenti Christiano cultui dedita est, proculdubio spem preriperet detinendi. Attendentes igitur, sicnt a principio, imperfectum nostrum ad tam ardui propositi celsitudinem minus sufficere, ad vos tamquam summum et precipuum, immo unicum spei nostre refugium et fundamentum, qui solus pre filiis hominum et principibus et regibus in quantalibet potestate constitutis nobis potestis succurrere, supplici et devota intentione et mente confugimus, ad pedes paternitatis vestre prona humilitate prostrati, et quanta possumus precum instantia cum lacrimis implorantes, quatinus filiis vestris in tam arcto constitutis, et pre cunctis viventibus consilio et auxilio vestro indigentibus consuetum pietatis impendere non differatis affectum: quod tanto securius a paternitatis vestre dulcedine postulamus, qnanto preter peregrinationis nostre votum sollempne pro ecclesia Romana corpora nostra et vitas impendimus, in quo preter communem omnium Christianorum, qua tenemini, sollicitudinem et nos paternitati vestre, et vos nobis tamquam militibus vestris et ecclesie, Romane stipendiariis districte novimus obligatos. Legatos igitur cum auctoritate apostolica a latere vestro in Ytaliam, Franciam, Alamanniam et alias occidentalium regiones dimitti petimus, qui integram indulgentie plenitudinem in anxilium nostrum et subventionem ad nos propter predicta venturis deferant, que a sede apostolica indulta est per annum integrum in servitio Crucifixi in terre Sirie moraturis.

Quoniam autem, que paternitati vestre significare cupimus, longum est scriptis inserere, nuntios et fideles, precipue Venerabilem fratrem nostrum N. Suessionensem episcopum, qui tam fideliter quam constanter pro terre sancte subventione et negotio Romane ecclesie laboravit, et adhuc tamquam fidelis et prudens talenti sibi commissi dispensator, sicut vos ipsi cernitis, laborare non desinit, cnius absentia plurimum nobis esset dampnosa, nisi cogens rei necessitas et ipsa negotii arduitas nos eins presentia ad tempus carere compellerent, et nobiles viros N. de Malli et Iohannem de Bliaut paternitati vestre transmitto, rogans et cupiens, ut eis in hiis, que de facto isto apostolatui vestro suggerint, fidem indubitatam adhibere velitis et firmam, et consilium vestrum et auxilium, sicut ecclesie

totique Christianitati, necnon et domini et fratris mei liberationi, qui se vestrum ubique devotum gerebat et dicebat militem, expedire videritis, apponatis. Datum in Palatio Blakerne Anno domini M.CC.V. Nonis Iunii.

LXIV.

Caloiohanni regi Bulgarorum et Blachorum, ut pacem cum Latinis ineat, et Balduinum imperatorem Constantinopolitanum, quem captivum tenet, liberet. Reg. An. VIII. ep. 129. fol. 140.

Innocentius episcopus etc. Karissimo in Christo filio Caloiohanni Regi Bulgarorum et Blachorum Illustri, salutem etc. Ex illa gratia speciali, qua te glorificamus inter omnes principes christianos, usque adeo te diligimus, ut ad tuum commodum et honorem efficaciter aspiremus, pro certo sperantes, quod tu in devotione sacrosancte Romane ecclesie matris tue proficere debeas incessanter, per cuius merita gloriosum acquisisti triumphum adversus eos, qui te nitebantur graviter molestare. Cum igitur regium diadema et militare vexillum a nobis per legatum apostolice sedis acceperis, ut regnum tuum beati Petri sit speciale, providere volumus diligenter, ut ab hostium undique liberatus incursibus tranquilla pace leteris. Noveris ergo, fili karissime, quod ingens exercitus de occidentalibus partibus est in Greciam profecturus, preter illum, qui nuper accessit: unde tibi et terre tue debes summopere providere, ut dum potes, pacem ineas cum Latinis, ne si forte ipsi ex una parte, et Ungari ex altera te studuerint impugnare, non facile possis resistere conatibus utrorumque. Quocirca serenitati tue suggerimus et consulimus recta fide, quatinus cum Balduinum Constantinopolitanum Imperatorem dicaris tenere captivum, ita tibi provideas, ut per liberationem ipsius veram et firmam pacem facias cum Latinis, ut ab impugnatione tua et terre tue penitus conquiescant. Nos enim Henrico fratri eiusdem Imperatoris, qui Constantinopoli preest exercitui Latinorum, per apostolica scripta mandamus, ut ad pacem tuam pro liberatione ipsius Imperatoris Latinos inclinet, et a tua molestatione cesset omnino. Inspiret itaque tibi deus, ut nostris monitis et consiliis acquiescas, quatinus regnum tuum, quod beato Petro et ecclesie Romane devotissime dedicasti, ab omni perturbatione servetur illesum, ad quod diligens studium impendere cupimus et operam efficacem. (Datum etc.)

Scriptum est ... Trinovitano Archiepiscopo Bulgarorum et Blachorum primati, ut eum ad hoc diligenter moneat et inducat.

LXV.

Henrico fratri imperatoris Constantinop., ut pacem cum rege Bulgarorum ineat. Reg. An. VIII. ep. 135. fol. 142.

Innocentius episcopus etc. Dilecto filio Nobili viro Henrico fratri Constantinopolitani Imperatoris, salutem etc. Nobilitati tue per apostolica scripta mandamus, quatinus ad liberationem fratris tui diligenter intendens, veram et firmam pacem stabilias cum Karissimo in Christo filio nostro Kaloiohanne Rege Bulgarorum et Blachorum Illustri, ut inter Bulgaros et Latinos fidelis et stabilis amicitia decetero perseveret. Breviter scribimus, quia opus est magis opere quam sermone. Multum enim utrimque poterit esse amicitia fructuosa. Datum etc.

LXVI.

Venetos pontifex propter invasionem Iadertinam iterum reprehendit, et abbati s. Felicis, quem electum Iadertinum appellabant, pallium denegat, et ad satisfactionem condignam exhibendam exhortetur. Reg. An. IX. ep. 139. fol. 104.

Innocentius episcopus etc. Dilectis filiis nobili viro ... Duci et populo Venetorum, salutem etc. Apostolice servitutis officium laudabiliter exercemus, si iuxta quod docet Apostolus, arguimus, obsecramus et increpamus in omni patientia et doctrina. Quia ergo pater filium, quem diligit, corripit, et deus, quos amat, arguit et castigat: idcirco dilectos filios nobiles viros R. Permar.... et P. Quir..... nuntios vestros ad sedem apostolicam accedentes paterno corripuimus affectu, vos in ipsis potius increpantes, super multis et magnis offensis, quas non solum in deum et Romanam ecclesiam, verum etiam in populum christianum et vos ac proximos vestros nequiter commisistis, presertim in Iadertine civitatis excidio, ubi et vos deviastis et exercitum domini deviare fecistis a dextera in sinistram impugnantes populos christianos, cum debuissetis expugnare perfidos Sarracenos, repellendo apostolice sedis legatum et excommunicationis sententiam contemnendo, violato crucis voto in iniuriam Crucifixi. Ut enim de multis iniquis operibus taceamus, que apud Constantinopolim perpetrastis diripiendo ecclesiarum

thesanros et possessiones ecclesiasticas invadendo, volentes quasi hereditario iure sanctuarium domini possidere, propter quod etiam pactiones illicitas extorsistis: dicite nobis, quando vos tantum dampnum restaurare poteritis terre sancte, cum averteritis exercitum christianum tam grandem, tam nobilem, tam potentem, adductum et congregatum tam magno studio et laboro, tam multis sumptibus et expensis, per quem proculdubio sperabatur, quod non solum Ierosolimitana provincia recuperari deberet, verum etiam magna pars Regni Babilonici occupari? Si enim sibi potuit Constantinopolim et Greciam subiugare, quanto potius potuisset obtinere Alexandriam et Egyptum, ac per hoc eripere terram sanctam de manibus paganorum? Corte licet gratum sit nobis, quod Constantinopolis rediit ad obedientiam sacrosancte Romane ecclesie matris sue, gratius tamen nobis fuisset, si Ierusalem reducta esset in potestatem populi christiani. Neque putetis, quod ideo minime peccaveritis, quod civitas una vel altera tradita sit vobis et illis magis divino iudicio quam potentatu mundano, quia sepe placet deo passio flagellati, quando displicet ei actio flagellantis, sicut evidenter ostenditur auctoritatibus tam novi quam veteris Testamenti. Non ergo nostre duritie imputetis, sed vestre ascribatis offonse, quod preces, quas pro palleo destinando ... Abbati sancti Felicis, quem vos Iadertinum appellatis electum, per prefatos nobis nuntios porrexistis, nondum duximus admittendas: quia cum ex hiis, que per vos acta sunt contra Iaderam, nimis contra vos scandalizatus sit populus christianus, noluimus propter vos aliquid agere circa Iaderam, per quod amplius contra nos scandalizari deberet ecclesia generalis, quod utique fieret, si ad petitionem vestram ei palleum largiendo absque omni satisfactione tantam remisisse videremur offensam, cum iuxta sententiam Salomonis, in quo quis peccat, in eo sit puniendus, quamvis hec dilatio non tam pena sit quam cautela, per quam et nobis et vobis intendimus providere. Licet enim in hac parte non peccaverint Iadertini, quia tamen Metropolitica dignitas propter vestrum honorem specialiter fuit illis ab apostolica sede concessa, ut videlicet ecclesia vestra non solo nomine, sed plono iure patriarchalem dignitatem haberet, cum ei subiecta fierot Metropolis Iadertina, magis in hoc vestram culpam, quam illorum penam volumus denotare: cum nec novum sit, neo absurdum, siquando puniantur subditi pro prelatis, sicut absque propria culpa penitus est populus Israelis, quando David in ipsius enumeratione peccavit. Hoc itaque vobis et per nuntios vestros et per nostras litteras respondemus, ut vos ad satisfactionem deo et nobis offerendam et exhibendam humiliter inclinetis, saltem illorum exemplo, qui licet minus peccaverint, quoniam ad hoc facinus perpetrandum per vos tracti fuorunt, ad satisfaciendum tamen se nobis firmiter obligarunt, quatenus cum non excusando, sed accusando vestram offensam divinam et nostram imploraveritis indulgentiam ad satisfactionem vos congruam exponentes, nos qui vestram quo ad deum desideramus salutem, et vestrum quo ad homines affectamus honorem, et in hiis et in aliis qne digne duxoritis postulanda, vos exaudire curemus. Interim autem correctionem vestram equaminiter expectantes censuram illam suspendimus, quam universorum pene sententia in vos asserit exercendam, nt cum domino inspirante conversi fueritis, non solum remittamus vindictam, verum etiam gratiam impendamus. Nec se quisquam excuset, quod hiis gerendis corpore non interfuit, si forsan hiis gestis etiam corde consentit, quia facientes et approbantes similis culpa condempnat. Placeant igitur vobis, dilectissimi filii, verba nostra licet in cortice aspera, tamen suavia in medulla: quia sicut ille novit, qui nichil ignorat, do corde puro et conscientia bona et fide non ficta procedunt, ut sicut meliora sunt amici verbera quam oscula inimici, sic vos magis delectet patris correctio quam adhulatio peccatoris. Non orgo vos pudeat sub illius humiliari potentia, qui solo nutu potest humiliare superbos et humiles exaltare, concessam vobis victoriam non vestre virtuti, sed divine potentie ascribentes, que licet forsan occulto, iusto tamen iudicio per vos alios voluit flagellare, scientes quod nichil est magis abhominabile deo, qnam ingratitudinis monstrum et prodigium arrogantie, qnorum utrumque de cordis tumore procedit. Nobis qnoque cnm devotione curetis obedientiam et reverentiam plenariam exhibere propter illius gloriam et honorem, cuius licet immeriti et indigni vicem gerimus et locum tenemus, ut ipse vos in presenti protegat et exaltet, et in futuro glorificet et coronet, qui est rex regum et dñus dominantinm, sacerdos in eternum secundum ordinem Melchisedech. Datum Ferentini Nonis Augusti, Pontificatus nostri Anno Nono.

LXVII.

Patriarchae Aquileiensi facultas unlendi episcopatus Aemonensem et Iustinopolitanum conceditur. Reg. An. VIII. ep. 184.

INNOCENTIUS EPISCOPUS etc. Venerabili fratri ... Patriarche Aquilegensi, salutem etc. Ex parte tua fuit propositum coram nobis, quod ... Emonensis episcopus ad tuam accedens presentiam tibi hu-

militer est confessus, quod episcopatum ipsum per symoniacam obtinuit pravitatem, absolvi postulans ab eodem: Tu vero, iniuncta illi penitentia competenti, cum ad quemdam locum solitarium transmisisti. Verum cum dictus episcopatus non habeat ultra septem marcharum redditus, et quemlibet eiusdem loci episcopum tamquam rusticum oporteat commorari in opprobrium presulum aliorum, nobis humiliter supplicasti, ut recepta cessione ipsius episcopi, uniendi episcopatum illum Iustinopolitano episcopatui, cui vicinus existit, licentiam concedere dignaremur. Nos igitur de tua discretione gerentes fiduciam pleniorem, ut dictos episcopatus auctoritate apostolica unias, sicut videris expedire, liberam tibi concedimus facultatem, ne nomen episcopale vilescat, cum unus sufficiat ad regendum utrumque. Datum III. Idus Ianuarii (Pontificatus nostri Anno Octavo).

LXVIII.

Regi Bulgarorum, ut pacem vel treugam cum H. imperatore Constantinop. et Latinis ineat. Reg. An. X. ep. 65.

Innocentius episcopus etc. Carissimo in Christo filio Kaloiohanni Regi Bulgarorum Illustri, salutem etc. Cum superbis deus resistat, humilibus autem det gratiam, iuxta quod apostolus Iacobus contestatur, a domino tibi triumphum concessum non tue virtuti ascribere debuisti, sed potius illorum imputare peccatis, qui suis exigentibus meritis ceciderunt, utpote in arcu suo sperantes, et suo salvari gladio confidentes. Verum tu tibi ascribens triumphum do hostibus reportatum, deo, in cuius sunt manibus corda regum, prout debueras, gloriam non dedisti. Quod ex eo satis potuit manifeste perpendi, quod cum ad te nostrum curaverimus nuntium destinare, ut cum Latinis apud Constantinopolim commorantibus pacem inires aut treugas, non solum id facere noluisti, verum etiam ipsum nuntium suscepisti et dimisisti minus honeste, quam decuerit regiam dignitatem, quem ob reverentiam apostolice sedis et benigne recipere debuisti et honesto tractare, attendens quod missus fuerat evangelizare pacem et predicare salutem. Licet ergo ex prefata victoria intra teipsum fueris plus debito exaltatus, quia tamen te sicut carissimum in Christo filium sincera diligimus in domino caritate, optantes tibi salutem et pacem dilectum filium ... nuntium tuum et litteras, quas per eum nobis misisti, benigne recepimus, et que nobis significasti per eas, notavimus diligenter. Intellecto sane, quod iamdudum nuntios affectaveras ad nostram presentiam destinare, sed ipsis aditus non patebat, cum per Ungariam transire non audeant, nec per Duratium proptor Venetos dominantes ibidem, carissime in Christo filio ... Illustri Regi Ungarie per scripta nostra mandamus, ut nuntios tuos, quos ad sedem duxeris apostolicam destinandos, per terram suam transire permittat libere et secure, id idem dilecto filio nobili viro ... Venetorum Duci mandantes, ut eisdem per Duratium faciat transitum habere securum. Super eo autem, quod te in devotione apostolice sedis perseverare firmiter asseveras, et si necesse foret, caput exponeres pro eadem, excellentiam regiam in domino commendamus, et gratiarum actiones referimus bonorum omnium largitori, qui hoc propositum tibi misericorditer inspiravit. Monemus igitur serenitatem regiam et exhortamur in domino, per apostolica tibi scripta mandantes, quatenus cum carissimo in Christo filio nostro H. Constantinopolitano Imperatore Illustri, et aliis Latinis in Romanie Imperio commorantibus pacem vel treugam ineas et observes. Nos enim de mittendo ad te nuntium nostrum, cum expedire viderimus, curabimus providere, iuxta quod nobis fuerit desuper inspiratum. Datum Laterani VIII. Kal. Iunii, Pontificatus nostri Anno Decimo.

LXIX.

Archiepiscopo Ragusino et archidiacono Tragurieusi, ut excommunicationis sententiam in episcopum Nonensem latam irritam denuntient. Reg. An. XI. ep. 105.

Innocentius episcopus etc. Venerabili fratri ... Archiepiscopo Ragusino, et dilecto filio ... Archidiacono Tragurieusi, sal. etc. Significarunt nobis fratres militie Templi de Uratia (Croatia), quod cum ad Venerabilem fratrem nostrum ... episcopum Tiuniensem contra Nonensem episcopum nostras litteras impetrassent, idem Nonensis episcopus amicabiliter super iis, do quibus inter ipsos questio vertebatur, composuit cum eisdem: sed prefatus Tinniensis episcopus ex litteris nostris occasione suscepta prefatum Nouensem episcopum, contra quem rancorem conceperat, eisdem fratribus nescientibus, excommunicationis vinculo innodavit, ductus arbitrio proprie voluntatis, non iudicio rationis. Quocirca discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus inquisita plenius veritate, si rem inveneritis ita esse, prefatam excommunicationem denuntietis irritam. Nullius litteris etc. Datum Anagnie III. Idus Iunii, Pontificatus nostri Anno Undecimo.

LXX.

Abbati s. Petri de Lingrarica et archidiacono Duraciensi, ut Demetrium iudicem Albanorum ad quasdam possessionem archiepiscopo Duracensi restituendas compellant. Reg. An. XII. ep. 97.

INNOCENTIUS EPISCOPUS etc. Dilectis filiis ... Abbati sancti Petri de Lingrarica et ... Archidiacono Duraciensi, salutem et apost. ben. Querelam venerabilis fratris nostri ... Duraciensis Archiepiscopi recepimus continentem, quod nobilis vir Demetrius Iudex Albanorum quasdam possessiones ecclesie sue, ac alia bona contra iustitiam detinet occupata: unde ipsi nostris dedimus litteris in mandatis, ut possessiones ipsas et alia cum fructibus perceptis ex eis Archiepiscopo memorato restituat, ut tenetur. Quocirca discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus si dictus Demetrius, quod mandavimus, neglexerit adimplere, vos eum ad restitutionem ipsorum per censuram apostolicam, appellatione remota, iustitia mediante cogatis. Datum Viterbii XVII. Kalendas Septembris, Pontificatus nostri Anno Duodecimo.

In e. m. scriptum est eidem Iudici super hoc.

LXXI.

Michalicio Cuminiano Romanise, ut archiepiscopo Duraciensi bona eius ecclesiae pacifice possidere permittat. Reg. An. XII. ep. 96.

INNOCENTIUS EPISCOPUS etc. Dilecto filio nobili viro Michalicio Cuminiano Romanie, salutem etc. Si te servum recognosceris illius, qui servos suos adoptat in filios et coronat in reges, ipsius sponsam, que a dexteris eius in vestitu deaurato consistit, non solum te convenit non offendere, verum etiam honoribus prevenire. Inde est, quod Nobilitatem tuam rogamus attentius et monemus, per apostolica tibi scripta mandantes, quatinus venerabilem fratrem nostrum Duraciensem Archiepiscopum possessiones, quas eius ecclesia in terra tua obtinere dinoscitur, permittas pacifice possidere, fructus, quos ex illis a morte predecessoris ipsius diceris percepisse, sibi restituens universos eius intuitu, qui bonum irremuneratum aliquod non relinquit, et malum non pretererit impunitum. Datum Viterbii XVI. Kalendas Septembris, Pontificatus nostri Anno Duodecimo.

LXXII.

Episcopo Albanensi super eodem argumento. Reg. An. XII. ep. 95.

INNOCENTIUS EPISCOPUS etc. Venerabili fratri ... Episcopo Albaniensi, salutem etc. Ex litteris venerabilis fratris nostri Duraciensis Archiepiscopi nostris est auribus intimatum etc. ut infra usque recedere coegit ab illa. Cum igitur hec, si vera sunt, in preiudicium sint libertatis ecclesiastice attemptata, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenus memoratum Rectorem et Venetos apud Duracium commorantes, ut restitutis bonis Duraciensis ecclesie universis, eidem super Archiepiscopatu prefato et pertinentiis eius nullam inferant molestiam vel gravamen, prudenter moneas et inducas ipsos ad hoc etc. ut infra usque compellens. Datum Viterbii XV. Kal. Septembris, Pontificatus nostri Anno Duodecimo.

LXXIII.

Paduano et Cenetensi episcopis etc. ut apud Venetos pro archiepo Duraciensi intercedant. Reg. An. XII. ep. 94.

INNOCENTIUS EPISCOPUS etc. Venerabilibus fratribus ... Paduano et ... Cenetensi Episcopis, et ... Abbati sancti Martini de Colle Cenetensis diocesis, salutem etc. Ex litteris venerabilis fratris nostri ... Duraciensis Archiepiscopi nostris est auribus intimatum, quod cum ecclesie Duraciensis Canonici eumdem in Archiepiscopum elegissent, et venerabilis frater noster Constantinopolitanus Patriarcha electionem confirmasset ipsius et in Epum consecrasset, eumque direxisset ad regimen ecclesie memorate, ... Rector Venetorum, qui domos, possessiones, thesaurum et alia bona dicte ecclesie occuparat, non permisit eumdem Duraciensem ingredi Civitatem, nec in eiusdem territorio commorari, et cum quadam vice tamquam extraneus camdem Civitatem intrasset, ipsum per suos satellites recedere coegit ab illa: propter quod accedens Venetias a nobili viro Duce Venetorum et Consiliariis eius humiliter petiit, ut Archiepiscopatum predictum ipsum permitterent libere possidere; sed iidem non solum preces non admiserunt ipsius, verum etiam noluerunt aliquatenus sustinere, quod ipsum quisquam Archiepiscopum nominaret, asserentes neminem in suo districtu nisi Venetum debere vel posse perfrui ecclesiastica dignitate, nisi forsan de ipsorum consensu extiterit ordinatus. Cum igitur hec, si vera sunt, in preiu-

dicium sint libertatis ecclesiastice attemptata, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus predictos Ducem et populum Venetorum, ut ipsum in Archiepiscopatu predicto, prout ad eius officium pertinet, permittant libere ministrare, precipientes Rectori et Venetis apud Duracium commorantibus, ut restitutis bonis Duraciensis ecclesie universis, eidem super Archiepiscopatu prefato et pertinentiis eius nullam inferant molestiam vel gravamen, monentis prudenter et efficaciter inducatis ipsos ad hoc, nisi aliquid rationabile, quare id fieri non debeat, obiectum fuerit et ostensum, per censuram ecclesiasticam, sublato cuiuslibet contradictionis et appellationis obstaculo, compellentes. Quod si non omnes etc. duo vestrum etc. Datum Viterbii xv. Kal. Septembris, Pontificatus nostri Anno Duodecimo.

LXXIV.

Episcopo Ultrasilvanensi, ut electionem prepositi Sibinicensis confirmet. Reg. An. XIV. ep. 85. fol. 64.

Innocentius episcopus etc. Venerabili fratri ... Ultrasilvanensi Episcopo, salutem etc. Significatum est nobis, quod Sibinicensis prepositura vacante, que ad Romanam ecclesiam nullo pertinet mediante, dilectus filius Magister R., cui honesta merita suffragantur, ad eam canonice est electus: unde supplicatum est nobis, ut electionem ipsius auctoritate dignamur apostolica confirmare. Quocirca fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatinus veritate diligentius inquisita, si rem inveneris ita esse, ipsam auctoritate nostra confirmes, eique concedas, ut in spiritualibus administret. Datum ut in alia (Dat. Laterani Id. Iulii, Pontificatus nostri Anno Quartodecimo).

LXXV.

Patriarchae Gradensi et episcopo Castellano, ut si electionem archiepiscopi Duraciensis canonicam esse invenerint, eam confirment. Reg. An. XIV. ep. 93. fol. 66.

Innocentius episcopus etc. Venerabilibus fratribus ... Patriarche Gradensi et ... Episcopo Castellano, salutem etc. Ex litteris dilectorum filiorum Capituli Durachiensis accepimus, quod bone memorie M. ipsorum Archiepiscopo viam universe carnis ingresso, iidem, ne dicta ecclesia, que iamdudum per tempora ex deffectu pastoris lapsum gravem senserat et ruinam, pastoris absentiam diutius deploraret, convenientes in unum, et spiritus sancti gratia invocata, dilectum filium A. Constantinopolitanum prepositum Venetiis existentem sibi elegerunt concorditer in pastorem, nobis humiliter supplicantes, ut quia Constantinopolitana ecclesia noscitur nunc vacare, a qua fuerat confirmationis gratia expetenda, et ipsam electionem confirmare auctoritate apostolica dignaremur, et electo faceremus munus consecrationis impendi. Quocirca fraternitati vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus inquiratis de ipsa electione diligentius veritatem, et si eam invenritis canonice de persona idonea celebratam, ipsam auctoritate nostra, sublato appellationis obstaculo, confirmetis, electo consecrationis munus postmodum impendentes. Datum Laterani III. Nonas Augusti, Pontificatus nostri Anno Quartodecimo.

LXXVI.

Episcopo Veglensi de causa suae procurationis episcopalis. Reg. An. XVI. ep. 11. fol. 128.

Innocentius episcopus etc. Venerabili fratri ... Veglensi Episcopo, salutem etc. Cum olim causam, que inter te ex parte una et clericos castri Musculi Veglensis diocesis ex altera vertebatur, super eo quod asserebas dictos clericos te, quotiens ad ipsos accedis, extra portam castri debere cum processione recipere, ac tam tuis quam sociorum equis annonam ministrare in domo, et ipsos in pascuis custodire, emendaturos, si eorum aliquem quoquo modo perdi contingeret, et tibi ac tuis, si ultra unum diem, in quo te debent integre procurare, moram ibidem duxeris faciendam, usque ad diem quartum panem et vinum procurationis nomine prestituros, asserens nichilominus eosdem tibi sicut laicos potestatibus secularibus ad banna teneri, et te a Spalato usque Venetias, cum illuc ire volueris, propriis debere sumptibus navigio deportare, ... Abbati de Melta et ... Plebano sancte Marie maioris Iadertine, et ... Archidiacono Veglensi sub certa forma duxerimus committendam: iidem, cognitis cause meritis, dictos clericos ad predicta omnia exolvenda tibi sententialiter condempnarunt, quorum sententia per Venerabilem fratrem nostrum ... Episcopum et dilectum filium ... Archidiaconum Polenses auctoritate nostra postmodum extitit approbata. Verum ipsis clericis ad sedem apostolicam provocantibus, et partium procuratoribus demum propter hoc in nostra presentia constitutis, nos auditis que fuerunt proposita per eosdem, Venerabilibus fratribus nostris ... Tragurinsi et Nonensi Episcopis, et dilecto filio ... Abbati sancti Damiani Iadertine diocesis dedisse recolimus in mandatis, ut inquirentes super tocius

cause processu in litteris tunc directis ad ipsos plenius comprehenso diligentius veritatem, causam ipsam ad presentiam nostram remitterent sufficienter instructam, prefigentes partibus terminum competentem, quo se nostro conspectui presentarent sententiam recepture. Cum igitur procuratores partium nuper ad nostram presentiam accessissent, processum iudicum eorumdem ab eisdem procuratoribus nobis exhibitum per dilectum filium nostrum P. tituli sancte Cecilie presbiterum Cardinalem examinari fecimus diligenter, et eodem per relationem Cardinalis ipsius plenius intellecto, sententiam a prefato Abbate de Melta et eius coniudicibus pro te latam de fratrum nostrorum consilio duximus confirmandam. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre confirmationis infringere etc. Si quis autem etc. Datum Laterani XIII. Kal. Aprilis, Pontificatus nostri Anno Sextodecimo.

LXXVII.

Rubrice sive argumenta litterarum Innocentii PP. III. que deperierunt. Ex tribus quaternis membraceis tempore Innocentii PP. VI. conscriptis.

Rubrice Regestri Litterarum secretarum pel. reg. Domini Innocentii Pape Tertii de Anno Pontificatus sui III. IV. (XVIII. et XIX.)

Et primo de Anno Tertio.

Fol. I. 1. Archiepiscopo Cantuariensi super cassatione electionis Electi Wygoriensis defectum in natalibus pacientis, et quod inhibeat, ne tales persone ad dignitates de cetero assumantur. 2. Tripolitano et Anteradensi Episcopis committitur causa controversie, que ratione quarumdam terrarum orta est inter Episcopum Paphensem et Archiepiscopum Nicosiensem.

Fol. II. 3. Archiepiscopo Toletano et s. Leucadie, quod Dominicum pauperem sacerdotem, qui quatuor minores ordines et subdiaconatum simul et eodem die recepit, non permittat molestari. 4. Tripolitano et Anteradensi Episcopis, quod Archiepum Nicosiensem compellant satisfacere Epo Paphensi de certo mutuo, et quibusdam expensis per ipsum Epum pro eodem Archiepo ministratis. 5. Eisdem, quod Regem Cipri moneant et compellant solvere decimas ecclesiasticis personis: alioquin ipsum excommunicent et Regnum Cipri supponant ecclesiastico interdicto. 6. Decano maioris et Preposito sancti Severini ac Scolastico sancti Gereonis Coloniensis super publicatione sententiarum excommunicationum contra quemdam sacerdotem Rosetensis ecclesie, qui provisionem factam Augustino Subdiacono de prebenda Rosetensi per se et suos nititur impedire.

Fol. III. 7. Epo Paphensi super confirmatione Iurium, donatione decimarum et aliorum beneficiorum, que sub protectione Romane ecclesie et beati Petri suscipiuntur, cum multis ordinationibus ibidem institutis. 8. Guidoni Legato committitur visitatio et reformatio in Marchia et provincia Ravennatensi. 9. Prelatis dictarum partium, quod dicto Legato pareant humiliter, et ordinata per eum curent efficaciter observare. 10. Consulibus et populo Firmanis, quod eidem Legato intendant et pro iusticia prosequenda recurrant ad eundem.

Fol. IIII. 11. Potestatibus, Comitibus et multis aliis qui iura Patrimonii occupant, quod dicto Legato restituant ea que exinde occuparunt. 12. Eisdem, quod ad dominium et fidelitatem sedis apostolice redeant, et dicti Legati devote monitis acquiescant. 13. Belunensi et Feltrensi Episcopo, quod alienationes per eius predecessorem factas legitime valeat revocare. 14. Preposito et scolastico sancte Marie Halberstadensis et preposito de Novo Opere, quod sententiam Legati contra intrusum in prepositura de Gerbestat faciant firmiter observari. 15. Decano et Capitulo Lingonensibus, quod personam ydoneam eligere studeant in pastorem de consilio Cabilonensis et Parisiensis Episcoporum et Abbatis Monasterii Cluniacensis.

Fol. V. 16. Episcopis et Abbati super eodem. 17. Capitulo Lingonensi, quod ea que concessa sunt Episcopo, qui cessit, alienari non possint vel etiam infeudari. 18. Sancti Andree et de Trapa Abbatibus etc. quod R. Canonico de Silleio, contra quem erat lata sententia suspensionis propter amputationem pudendorum sui ....., habeant penitentiam iniungere et dictam sententiam relaxare. 19. Prelatis et Clero Regni Hungarie super legatione G. sancte Marie in Aquiro diaconi Card. super reformatione status Ecclesie Regni Ungarie destinati.

Fol. VI. 20. Prelatis Ungarie super publicatione processuum contra A. ducem per sedem apostolicam habitorum. 21. Abbati de Morimundo super confirmatione sententie per Iudices delegatos contra ipsum promulgate. 22. Abbati Aquefrigide super confirmatione sententie, que contra ipsum etiam est prolata. 23. Guidoni Casamalerie, quod desistat molestare personas ecclesiasticas: alioquin contra eum

acrius procedetur. 24. Populo Viterbiensi super eisdem: alioquin contra ipsos durius procedetur, eos etiam privando pontificali dignitate. 25. Rothomagensi Archiepiscopo super publicatione interdicti in totum Regnum Francie, pro eo quod Rex legitima uxore reiecta aliam subinducere non expavit.

Fol. VII. 26. Regi Francie, quod adultera reiecta legitimam (uxorem) revocet suo ac sui Regni statui salubriter providendo.

Fol. VIII. 27. Huguicioni Lombardo confirmatio prebende Wellensis, pro qua etiam sancti Dionisii de Warministra sibi extitit assignata. 28. Episcopo, sancte Marie et sancti Gaugerici decanis Cameracensibus, quod si apparet, quod Abbas de Aquacurte ante ingressum ad religionem contraxerat cum vidua, ipsum ab administratione Abbatie amoveant et suspendant a divinis. 29. Abbati Modinicensi, quod nulli de prebenda Modinicensi presumat providere, donec Magistro P. de Castraneto de ea sit provisum. 30. Eidem Magistro P. super eodem. 31. Episcopo Castellanensi super eo quod in benedictione cerei omittit nomina Patriarche Gradensis et Ducis Veneciarum propter controversiam, que inter Patriarcham et Ducem predictos est exorta.

Fol. IX. 32. Duci Veneciarum super negocio antefato. 33. Episcopo quondam Lingonensi, quod uti possit pontificalibus insigniis, qui etiam suscipitur sub protoctione sancti Petri. 34. Decano et Capitulo Aurelianensibus, quod D. de Corbolio de prebenda sue ecclesie providere non obmittant. 35. Regine Francie, quam Rex a se abiecit, exhortatorie ad passiones magnanimiter perferendas. 36. Rothomagensi Archiepiscopo super publicatione interdicti in Regno Francorum omni excusatione cessante promulganda.

Fol. X. 37. Episcopo Parisiensi in hunc modum. 38. Archiepiscopo Lugdunensi compaciendo super tribulationibns, que sibi per Regem inferuntur propter observationem interdicti. 39. Epo Silvanectensi in eodem modo. 40. Episcopo Parisiensi et Abbati Maioris Monasterii super controversia, que est inter Regem Anglie et Episcopum Senomanensem. 41. Archiepiscopo Cantuariensi et Lincolmensi et Eliensi Epis committur causa, que est inter Regem Anglorum et Archiepum Rothomagensem ratione excambii pro Castro de Rudeliaco. 42. Regine Anglorum super confirmatione dotaliciorum, super quibus indebite molestatur.

Fol. XI. 43. Maioris Monasterii et Pontimacensi Abbatibus in favorem Regis Anglorum, quam diu Regine Angl. iusticiam studuorit ministraro, latas sententias revocando et interdictum relaxando. 44. Regi Anglorum super eodem. 45. Rothomagensi et Cantuariensi Archiepiscopis, quod Regine Anglorum faciant de suis dotibus responderi. 46. Archidiacono Wellensi, quod fructus prebende Saresburiensis habeat obsequiis Regiis insistendo. 47. Regi Anglorum respondendo ad ea que pro Episcopo Sancti Andree postulavit. 48. Priori et Conventui Cantuarionsibus super confirmatione privilegiorum, libertatum et etiam immunitatum cum potestate alienata revocandi.

Fol. XII. 49. Abbatibus et Monachis ordinis Cisterciensis, quod onus predicationis in partibus Livonie, si per Epum Livonensem sint vocati, suscipere non recusent.

Fol. XIII. 50. Episcopo et Capitulo Panembergensibus (Bambergensibus) super canonizatione sancte Cunegundis Imperatricis Romane.

Fol. XIIII. 51. Patriarche Ierosolimitano et Archiepiscopo Cesariensi super publicatione revocationis sententie late pro Archiepiscopo Tirensi contra plebanum sancti Marci. 52. Archiepo Tirensi et Duci Veneciarum super eodem.

Fol. XV. 53. Abbati Aureevallis, quod Wilhelmo de Marcheio faciat de fructibus prebende Andegavensis integre responderi. 54. Episcopo Andegavensi super eodem, et quod dictum Wilhelmum non presumat impedire. 55. Prelatis Pictavonsis diocesis super publicatione processuum et sententiarum contra impedientes Wy. scriptorem pape in adypiscenda possessione canonicatus et prebende ecclesie Pictavensis.

Fol. XVI. 56. Archiepiscopo Burdegalensi et eius Suffraganeis sub hac forma. 57. Abbati et fratribus de Begdachusen, quod quemdam suum monachum mittant ad predicandum paganis verbum dei. 58. Episcopo et Capitulo Teatinis, quod Iohanni scriptori pape provideant de canonicatu et prebenda ecclesie Teatine. 59. Potestati et populo Narniensibus super reconciliatione ipsorum cum ecclesia Romana. 60. Priori et Conventui Ecclesie Cantuariensis, quod possint instituere officiarios suos extrinsecos, prout ab antiquo consueverunt. 61. Regi Scothorum super concessione privilegiorum ecclesie Scothicane concessorum. 62. Episcopo Autisiodorensi et Abbati Wirziliacensi super reconciliatione Epi Trecensis, qui oblocutus fuerat contra papam. 63. Episcopo Trecensi super eodem.

Fol. XVII. 64. Archiepiscopo Maguntino et Sabinensi et Pictavensi Episcopis, quod intrusum in Epum Pragensem citare personaliter non obmittant. 65. Magdeburgensi Archiepiscopo super eodem. 66. Episcopo Pictavonsi, quod prebendas et beneficia conferat personis ydoneis, que per sex menses et ultra in sua ecclesia vacaverunt. 67. Episcopo et Capitulo Oscensibus, quod compareant coram papa super controversia, que vertitur inter ipsos et ecclesiam Hilerdensem.

Fol. XVIII. 68. Episcopo Sanotiandree super remissione culpe facienda cuidam clero sue diocesis, qui ab extraneo prelato fuerat ordinatus. 69. Epo Ruthenensi, quod R. mulierem, que primo nupsit Hugoni, deinde Vitali, ab eodem Vitali separet, et quod non impetat Hugoni, qui ordinem sacerdotalem suscepit et etiam habitum monachalem. 70. Abbati ot Conventui Grandissilve, quod ipsum Hugonem benigne recipiant et caritativo studeant pertractare. 71. Patriarche Gradensi super provisione facienda Magistro Gaudino de canonicatu et prebenda Paduanis. 72. Episcopo et Decano ac Capitulo Lemovicensibus super simili provisione P. G. Scriptori pape facienda.

Fol. XIX. 73. Decano et Capitulo sancti Martini Turonensis, quod Magistrum H. in suum recipiant canonicatum (canonicum) atque fratrem. 74. Episcopo Pataviensi confirmatur Iuspatronatus ecclesie sancte Marie Pataviensis, in qua consistunt Moniales.

Fol. XX. 75. Decano et Capitulo Senonensibus super postulationis repulsa de Epo Antisiodorensi, quem in Archiepum postulaverant. 76. Regina Aragonum vidua sub protectione B. Petri suscipitur cum confirmatione omnium que dinoscitur possidere. 77. Conventui de Sarxona, quod C. natam Regis Aragonum in suam et dicti Monasterii recipiant Priorissam. 78. Magistro et fratribus Hospitalis, quod dicte Clemencie signum crucis apponant, ut domino perpetuo famuletur. 79. Epo et Capitulo Barchinonensibus, quod C. notarium Regum Aragonum in suum Canonicum recipiant et in fratrem. 80. Archiepo Spalatensi, quod N. quondam Pharensi Episcopo, qui sine auctoritate sedis apostolice ad ecclesiam Iadertinam transierat, ab omni officio et beneficio suspendat et personaliter citare procuret.

Fol. XXI. 81. Abbati et Conventui Leninensibus, quod possint decimas emere, quas persone obtinent laicales, Marchioni Brandeburgensis, quod uxorem suam maritali affectione pertractet, personas ecclesiasticas honoret, et a hastiludis abstineat, et conversos de paganismo ad fidem nostram compellat ritus dimittere paganorum. 82. Universis captivatis per Regem de Marroch consolatorie super eorum captivitate. 83. Archiepiscopis et Episcopis per regnum Francie constitutis, quod crucesignatis faciant divina celebrari et eos defendant a molestatione aliorum, et quod sint contenti duobus ferculis, nec utantur variis sive grisis.

Fol. XXII. 84. Archiepiscopo Magdeburgensi et maioris ac sancte Marie Magdalene ecclesiarum Prepositis super controversia in et super electionibus Prepositi et Decani ecclesie Bremensis, que dignitates diutius vacaverunt.

Fol. XXIII. 85. Lincolniensi, Dunelniensi et Eliensi Episcopis, quod moveant Archiepiscopum Cantuariensem confirmare et consecrare Electum Menevensem: alioquin citent eum, ut apostolico conspectui se presentet.

Fol. XXIIII. 86. Capitulo Herbipolensi super privatione Episcopi Hildesemensis, qui sine auctoritate sedis apostolice ad Episcopatum Herbipolensem transierat, iussus non desierat et excommunicatus divina celebrarat.

Fol. XXV. 87. Iuramentum Comitis Brenensis de fidelitate Regi Sicilie observanda. 88. Quibusdam Prelatis super huiusmodi iuramento.

Fol. XXVI. 89. C. tit. sancti Laurentii in Lucina presbitero Card. apostolice sedis Legato, redarguendo ipsum quod Episcopum Troianum sine sedis (apostolico) auctoritate ad Parnormitanam ecclesiam transferre presumpsit. 90. Episcopo Troiano super eodem et de rigore iuris, qui cum eo benigna mansuetudine temperatur. 91. Archiepiscopo Rothomagensi, Episcopo Sagiensi et Abbati Rectensi super confirmatione alterius electorum ad ecclesiam Abrincensem.

Fol. XXVII. 92. Cracoviensi Episcopo respondendo ad quesita, quod clericus absens potest investiri beneficio, et puella rapta potest contrahere (matrimonium), si consentiat cum raptore. 93. Abbati Monasterii sancti Michaelis Hildesemensis, quod insignüs pontificalibus possit uti. 94. R. regni Iusticiario de Calabria datur licencia fundandi unam ecclesiam pro sex clericis ibidem instituendis. 95. Abbati et Conventui Gemetensibus, quod Magistrum M. ad ecclesiam de Boaffla, que ad eorum presentationem pertinet, studeant presentare. 96. Iacobo Senonensi Canonico Trecensi quedam decime sibi collate in prebendam Trecensem confirmantur.

Fol. xxvii. 97. Decano et Capitulo Trecensibus super eodem. 98. Canonicis Bethleemitanis super irritatione sententiarum in discordi electione ipsorum prolatarum. 99. Lincolniensi et Eliensi Episcopis et Abbati sancti Eadmundi, quod causam controversio, que est inter Archiepiscopum Cantuariensem et Conventum suum, papa vult apud sedem apostolicam fine debito terminari. 100. Archiepiscopo Cantuariensi super negocio antefato. 101. Priori et Conventui Cantuariensibus, quod non possint conveniri extra Monasterium, et quod possint mittere pro eorum negociis aliquos ex eis ad Curiam Romanam, et quod Prior per Archiepiscopum non valeat amoveri. 102. Bobiensi (Epo) super eo quod dicebat Monasterium sancti Columbani fore sibi ordinario Iure subiectum.

Fol. xxix. 103. Atrebatensi et Cameracensi Episcopis et Abbati sancti Victoris Parisiensis, quod Monasterio Aquecurrentis provideant de Abbate. 104. Episcopo Vivariensi, quod virum cuiusdam mulieris, que adulteraverat, cogat ipsam recipere, quia post mutuum de non repetendo se invicem vir non curavit continenciam observare. 105. Epo Continensi (sic), quod usurarios compellat abstinere ab usuris, respondendo ad questionem matrimonialem propositam per eundem. 106. Episcopo, Archidiacono et Cantori Tornacensibus, quod si electus ad preposituram Siclunensem plures habeat dignitates, electionem ipsam non differant irritare. 107. Epo Atrebatensi et Abbati de Valcellis in favorem Comitisse et Comitis Flandrie nati sui. 108. Comitissa Flandrie cum omnibus bonis et iuribus eius suscipitur sub protectione sancte sedis. 109. Episcopo Monasteriensi et Monasteriensi et Mindensi Prepositis, quod si prepositura ecclesie Bremensis sit ad sedem apostolicam devoluta, eam Ottoni de Wildeshusen auctoritate apostolica valeant confirmare.

Fol. xxx. 110. Algisio Canonico Narniensi confirmatio sententie, que per Card. lata fuerat contra eum super prebenda Narniensi. 111. Archiepiscopo Coloniensi et Preposito sancti Georgii ac Decano Xanctensi committitur causa electionis Monasterii in Gerishem, in quo due sub divisione sunt electe.

Fol. xxxi. 112. Preposito et Capitulo Reginis super institutione certi numeri Canonicorum. 113. Archiepiscopo Magdeburgensi, quod de prepositura s. Nicolai Magdeburgensis ad sedem apostolicam devoluta possit ordinare, si clectio ad ipsum pertinere iudicetur. 114. Bathoniensi et Glastoniensi Episcopis super silentio imposito W. qui se dicebat electum in Abbatem Glastoniensem, decernendo quod dicte ecclesie Bathoniensis ot Glastoniensis de cetero sunt unite. 115. Episcopo Eliensi et Abbati sancti Eadmundi, quod de redditibus Monasterii Glastoniensis, facta provisione pro oneribus per Conventum supportandis et elemosina facienda, Episcopo Bathoniensi residuum assignetur.

Fol. xxxii. 116. Archiepiscopo Treverensi et eius Suffraganeis, quod Decanum et Capitulum Tullensem, qui Subdiaconum pape nolunt recipere in Scolasticum sue ecclesie, per totam provinciam excommunicatos faciant publice nunciari. 117. Episcopo Halberstadensi et duobus Abbatibus super confirmatione electionis Monasterii Monialium sancti Ciriaci Gereroche in Saxonia.

Fol. xxxiii. 118. Abbati et Conventui sancte Andree de Castello confirmantur iura et possessiones eorum et recipiuntur in protectione. 119. Decano et Capitulo Salzeburgensibus, quod mittant ad sedem apostolicam aliquos, qui papam possint super negocio sue electionis plenius informare. 120. Ovetensi et Burgensi Epis, quod Archidiacono Ovetensi deut licenciam recipiendi sacros ordines, non obstante quod pater eius et mater essent in tertio gradu affinitatis constituti. 121. Remensi Archiepo sancte Sabine Card. ot eius Suffraganeis super legatione Episcopi Hostiensi ad partes Francie cum legationis officio destinati.

Fol. xxxiiii. 122. Archiepo Rothomagensi et eius Suffraganeis super eodem. 123. Regi Francie super hoc, et super decisione cause que inter ipsum et Reginam eius uxorem est suborta. 124. Eidem, quod dictum Legatum benigne recipiat et favoribus opportunis prosequatur. 125. Eidem, quod Reginam uxorem eius sibi reconciliet et pertractet affectione maritali. Item eidem super eodem.

Fol. xxxv. 126. Regi Danorum, quod mittat nuncios et advocatos ad defensionem cause Regine Francie, que est eius soror. 127. Regine Francorum super negocio sepefato.

Fol. xxxvi. 128. Hostiensi Episcopo apostolice sedis Legato, quod pape significet, si prelatis, qui ab initio interdictum servaverunt, fuerit satisfactum. 129. Regibus Francorum et Anglorum, quod dicto Legato super negocio Crucis assistant tam benigne quam prudenter. 130. Doctoribus decretorum Bononiensibus responsio ad questionem Iuris, super qua dominum papam consulebant. 131. Episcopo Astoricensi et sancti Ysodori ac de Carraceto Abbatibus super lite inter Episcopum Auriensem et Abbatem Cellonove.

Fol. XXXVII. 132. Preposito de Helbecha et sancti Petri de Insula et de Meissinis Decanis super terminatione cause inter H. monachum sancti Michaelis in Terraschia et Abbatem et Prepositum Monasterii antefati.

Fol. XXXVIII. 133. Abbati Salmurensi et eius collegis, quod ordinationem pape super concordia inter Abbatem Burguliensem et monachos eius, qui ipsum Abbatem super diversis criminibus accusabant, faciant firmiter observari.

Fol. XXXIX. 134. Archiepiscopo Rothomagensi et Abbati de Firocardimonte etc. super simili ordinatione observanda per monachos sancti Richarii, qui Abbatem suum deiecerant et intrudi alium procurarant.

Fol. XL. 135. Littere Iohannis de Curti super donatione denarii sancti Petri. 136. Littere Regis Insularum in hunc modum. 137. Priori et fratri R. monacho sancti Patricii super recollectione dicti denarii sancti Petri per istos sic oblati.

Fol. XLI. 138. Archidiacono Vericensi confirmatio sententie late pro ipso contra monachos Rothonenses. 139. Sancti Sergii et sancti Georgii Abbatibus ac Cantori Andegavensi committitur informatio in causa controversie super electione Abbatis Monasterii Rothonensis.

Fol. XLII. 140. Capitulo Brixinensi, quod ad electionem non procedant, cum eorum Episcopus sit ad ecclesiam Salzeburgensem postulatus. 141. Abbati Monasterii sancte Marie de Sanilvonia et eius fratribus super confirmatione privilegiorum et immunitatum et etiam libertatum.

Fol. XLIII. 142. Abbati Monasterii de Gabesio et eius fratribus similia privilegia conceduntur. 143. Abbati Formisellensi in hac forma. 144. Abbatisse Monasterii s. Marie de Nemore super eodem.

Fol. XLIIII. 145. Abbati ecclesie sancti Martini de Ypra super similium privilegiorum concessione. 146. Archiepiscopo Ianuensi et Placentino ac Bobiensi Episcopis super confirmanda electione Epi Saonensis.

Fol. XLV. 147. Archiepo Nidrosiensi, quod excommunicati non debent cum fidelibus sepeliri.

Fol. XLVI. 148. Archiepo Barensi, quod si electus Melfitensis reperiatur ydoneus, eum auctoritate apostolica confirmare non postponat. 149. Episcopo Hostiensi apostolice sedis Legato, quod Decanum Nivernensem, qui fautor fuit Hereticorum, super quo se purgavit, restituat ad executionem officii sacerdotalis. 150. Magister et fratres Hospitalis Casalis novi recipiuntur sub protectione sancti Petri. 151. C. tit. sancti Laurentii in Lucina super eo quod Episcopum Troianum ad Parnomitanam ecclesiam transtulerat et super diversis aliis negociis.

Fol. XLVII. 152. Archiepiscopis et Episcopis et Comiti Gentili familiaribus Regni super victoria eis data, et quod caveant, ne decipiantur per adversarium eorumdem. 153. Regine Francorum super eius reconciliatione cum Rege Francorum viro suo. 154. Regis Francorum litteras continens modum pacis inter ipsum et Regem Anglorum reformate.

Fol. XLVIII. 155. Episcopo Hostiensi apostolice sedis Legato, quod inter Francorum et Anglorum Reges pacem studeat firmiter stabilire, et cum illis tractare de ordinatione Romani Imperii, que pape insidet multum cordi.

Fol. XLIX. 156. Pape dirigitur littera G. sancte Marie in Aquiro diaconi Card. apostolice sedis Legati, qualiter ad Regnum Ungarie applicavit et inter Regem Ungarie et A. Ducem fratrem eius. 157. Littere super modo et conditionibus dicte pacis.

Fol. L. 158. Littera Petri Mazari ecclesie ministri, qui domino pape scribit de victoria contra Sarracenos domino annuente assecuta.

Fol. LI. 159. Littera Archiepiscopi Neapolitani ad papam super victoria Panormi habita contra Marcoaldum, qui dictam civitatem Sarracenorum potencia constipatus expugnabat.

Fol. LII. 160. Archiepiscopo Cantuariensi respondendo ad multos articulos super votis volentium transfretare, super quibus consultationem pape cum diligentia exposcebat.

Fol. LIII. 161. Nobili viro Maciafolloni adiudicantur quadraginta solidi papienses et quedam alia Iura in Castro Palacioli sibi per Alexandrum papam dudum concessa, que homines dicti Castri solvere recusabant. 162. Capitulo Salzeburgensi, quod ad sedem mittant apostolicam de suis Canonicis viros ydoneos, qui super electione Episcopi Brixinensis ad suam ecclesiam Salzeburgensem postulati papam valeant informare.

Fol. LIIII. 163. P. Subdiacono pape, quod ad dictam Ecclesiam Salzeburgensem accedens de electione vel postulatione huiusmodi, et si dictus electus aliquid in ea ministravit, diligentius se in-

formet. 164. Supor inquisitione facienda de meritis sancte recordationis Virgilii quondam Episcopi Salzeburgensis pro canonizatione, cuius ecclesia Salzeburgensis supplicabat.

Fol. LV. 165 Prelatis Tuscie super emendatione et correctione vite et morum honestate consequenda. 166. Episcopo quondam Ildesemensi, quod de gratia pape confidat et super exauditione supplicationum pro parte sua porrectarum. 167. Archiepiscopo Magdeburgensi, Abbati de Conratisburch et Preposito Magdeburgensi, quod nobilem virum G. ab excommunicationis sententia absolvant, quam propter excessus in personam Decani ecclesie Magdeburgensis perpetratos dicitur incurrisse.

Fol. LVI. 168. Archiepiscopis et Episcopis familiaribus regiis, et cloro et populo Panormitanis inhibendo, quod nullus pacem cum perfido Marcoaldo inire presumant. 169. Episcopo et Archidiacono Lemovicensibus, quod filias P. Perches, quas ex concubina suscepit, quam sibi postmodum matrimonio copulavit, super iure hereditario non permittant aliqualiter molestari. 170. Eliensi Episcopo et Abbati sancti Eadmundi super ordinatione inter Priorem et Conventum ecclesie Glastoniensis et Episcopum Bathoniensis et Glastoniensis ecclesiarum invicem unitarum. *)

Fol. LVII. 171. Archiepiscopo Spalatensi, quod tam ipse quam omnes Suffraganei Nicolaum Epum olim Farensem, qui est suspensus, excommunicatum faciant publice nunciari, et quos eligit, fecit et quos etc. ordinavit, ab officio et beneficio suspendere non obmittant. 172. Regi Ungarie, quod Culinum Banum compellat desistere a favoribus hereticis, quos Archiepi Spalatensi de sua provincia exulavit, impendendis, et Nicolaum quondam Farensem Epum, qui contra inhibitionem pape ecclesiam Iadertinam occupat, cogat potestate sibi tradita resipisci.

Fol. LVIII. 173. Super ordinatione ecclesie de Gallinzin, quam papa Subdiacono suo tamquam devolutam contulit, licet Abbas et Conventus Laureacenses contrarium asserorent, nec voluissent mandatis apostolicis obedire, propter quod erant per Iudices alios super hoc datos excommunicati, sententiam ipsam per unum annum sustinentes divina interim officia prophanantes.

Fol. LIX. 174. Regi Conactie respondendo ad dubia, que movebat de maleficiis ab ecclesiis extrahendis. 175. Consulibus et populo Novariensibus, quod ab iniuriis Episcopo Novariensi inferendis desistant, et de illatis satisfaciant competenter: alioquin condigna animadversione punientur. 176. Capitulo, Abbatibus et Clero dicte Civitatis, quod melius est eis exilium sustinere, et de civitate in civitatem fugere, quam pati obprobria, que ecclesiastice libertati in patre suo Episcopo Novariensi molliuntur. 177. Abbati Altivillaris, quod I. Diaconum, qui omisso acolitatus ordine ad subdiaconum et diaconum se fecit ordinari, recipiat in monachum sui Monasterii et fraterna caritate pertractet, in quo si laudabiliter vixorit, recepto premisso acolitatus ordine ad sacerdotium faciat promoveri. 178. Archiepiscopo Pisano super provisione facta de persona ydonea ad ecclesiam Turritanam. 179. Episcopo Pennensi super revocatione iuramenti, quod prestitit Comiti Laureti, et super observancia Religionis, et quod mores suos studeat emendare.

Fol. LX. 180. Regine Francie super eius reconciliatione erga Regem Francorum virum suum, et quod sic laudabiliter et honesto se gerat et preces fundat ad deum, quod Rex ipse ipsam Reginam ad eius gratiam debeat revocare. 181. Regi Danorum, quod advocatos et promotores pro defensione cause ipsius Regine procuret delegare.

Fol. LXI. 182. Littere Episcoporum Parisiensis et Suessionensis ad dominum papam super reconciliatione dicte Regine, et qualiter dominis Rex monitis et mandatis dñi Legati super hoc, et super satisfactione ecclesiasticis personis facienda humiliter condescendit.

Fol. LXII. 183. Scripserunt in hoc modo Archiepiscopus Remensis et Trecensis, Cathalaunensis et Carnotensis Episcopi. 184. Littera Legati ad dominum papam super negociis prenotatis.

Fol. LXIII. 185. Hostiensi Episcopo apostolice sedis Legato, quod reconciliationem dicte Regine cum favore debito perfecte studeat promovere.

Fol. LXIIII. 186 Littera Regis Francie pape directa, in qua conqueritur, quod Legatum in agendis reporit multipliciter rigorosum. 187. Regi Francie super huiusmodi negocio saluberiter et perfecte adimplendo.

Fol. LXV. 188. Lincolniensi Episcopo super dispensatione Capellani, qui cum equum equitaret, fracti habenis, occidit de equo et fere remansit mortuus, equus non (vero) infantulum, quem quaedam mulier baiulabat, oppressit. 189. Episcopo Hostiensi apostolice sedes Legati super reconciliatione

*) Hic Anni III. litterae existentes incipiunt.

Episcopi Antissiodorensis suspensi a divinis, quia interdictum non servarat. 190. Consulibus et populo Tudertinis, quod appellationibus deferant: alioquin contra ipsos procedetur, prout fuit rationis.

Fol. LXVI. 191. Comiti Ragusie, quod in devotione ecclesie fideliter persistat negocia Regia magnanimiter prosequendo. 192. Prelatis, Nobilibus et populo per Apuliam constitutis, quod Marcualdo potenter resistere se disponant. 193. I. sancte Priscc presbitero Card. apostolice sedis Legato super corretione et punitione Archiepi Narbonensis, et cleri ac populi totius provincie Narbonensis.

Fol. LXVII. 194. Epo Atrebatensi super provisione facienda illis, quos tam ipse quam eius predecessores ad ordines promoverunt. 195. Archiprosbitero Paduano et eius collegis super provisione, quam mandaverat papa fieri Episcopo Cenetensi, qui ab eius ecclesia Cenetensi exulat, de prepositura Canonice sancti Stephani Aquilegensis.

Fol. LXVIII. 196. Archiopo Consano super cedenda (sedanda) discordia, que inter Latinos et Grecos in Castro Pulzini, Olecte et Vetri dicitur osse suborta. 197. Potestati et populo Firmanis super reformatione pacis et unitatis inter ipsos adinvicem reformande.

Fol. LXIX. 198. In eodem modo Anconitanis et Auximanis. 199. Consulibus et populo Faventinis (Fanensibus) super reductione eorum ad devotionem ecclesie cum alligatione ad solvendum Quinquaginta libras monete nsualis annuatim. 200. Potestati et populo Hesinis super modo consimili.

Fol. LXX. 201. Consulibus et populo Pensaurcnsibus, ot Potestati et populo ac hominibus sancti Helpidii super eodem. 202. Potestati et hominibus Montisrubiani super pace per ipsos habenda cum Firmanis. 203. Episcopo Mutinonsi et Magistro Huberto Canonico Modoicensi, quod se informent de Episcopo Bononiensi, qui olectum Imolensem scilicet eadom dio in diaconum et presbiterum ordinavit. 204. Iohanni Rustici Civi Fanensi conceditur in feodum vinea Malidentis. 205. Episcopo Metensi in favore N. presbiteri, qui deponendo perticam de quadrigata feni eiecit eam a quadriga, non advertens quod esset ibi aliquis, post hoc tamen inventus est ibi quidam puer semivivus. 206. Nobili viro Calaritano Iudici super citatione contra eum facta propter plura crimina per eum perpetrata.

Fol. LXXI. 207. Archiepo Turritano super eodem. 208. Item Calaritano Archiepiscopo super. eodem. 209. Archiepo Antivarensi super punitione Dominici olim Suacensis Episcopi, qui propter homicidium resignavit, et per falsas litteras se fecit per Antivarensom Archiepiscopum plenius restaurari. 210. De Vicobaldono et de Vigalono Prepositis etc. supor reformatione religionis eorum, super quibus ordinent, prout eis visum fuerit, et pape mittant ordinationem per ipsum postea roborandam.

Fol. LXXII. 211. Potestati et populo Tarvisinis super reconciliatione eorum et sue Civitatis, presertim illorum qui de nece Epi Belunensis culpabiles extiterant. 212. Epo Ferrariensi in eodem modo.

Fol. LXXIII. 213. De Albaripa ot do Moris Abbatibns ac Priori Clarevallis super observatione pactorum inter Comitissam viduam et Comitem Flandrie invicem habitorum. 214. Epo Parisiensi et Abbati s. Victoris ac Decano s. Marcelli Parisiensis super examinatione quorundem litterarum, que super electione Prepositi Sicliniensis emanarunt. 215. Archiepiscopo Armachano et Cluanfordensi et Duacensi Episcopis super eiectione intrusi in ecclesiam Arferdonsem, ac suspensione Archiepi Caselensis, qui ipsum intrusit et consecravit, ac institutione veri electi ad ecclesiam memoratam. *)

Fol. LXXIIII. LXXV. 216. Archiepiscopo Compostellano respondendo ad questionem, si personis in divina essentia essent propria nomina attributa, super quo por dñum papam edocori supplicabat.

Fol. LXXVI. 217. Astoriconsi, Lucensi, Tudensi et Mindoniensi Epis, quod si Rex Portugalie impediat prelatos sui Regni subditos Archiepo Compostellano eidem Archiepo exhibere obedientiam et reverentiam, excommunicationis sententia non differant innodare.

Fol. LXXVII. 218. Archiepo Bracharensi, quod litteras pape et Archiepi Compostellani Regi Portugalie ac prelatis studeat presentare. 219. Archidiacono sancti Andree respondendo ad quasdam questiones, super quibus postulaverat edoceri. 220. Iohanni Pinelli Canonico sancti Martini Turonensis super confirmatione prebende dicte ecclesie, quo per Iudices supor hoc deputatos sibi adindicata extitit, parti (adverse) silentium imponendo.

Fol. LXXVIII. 221. Capitulo eccl. sancti Martini Turonensis super negocio supradicto. 222. Decano et Conventui Monasterii de Laurissa, quod Epo Wormaciensi, quem in pastorem elegerunt, devote pareant et intendant. 223. Epo Wormaciensi ct pluribus aliis super eodem. 224. Eidem, quod clericos sue diocesis, qui excommunicatos recipiunt ad divina, puniat sic quod aliis cedat in exemplum. 225. Epo

*) Litterne ab hoc folio usque ad finem An. III. et IV. adhuc desiderantur.

Spoletano super confirmatione sententie, in qua clerici plebis Rupini condempnati sunt dare dicto Epo pro qualibet synodo tres denarios papienses.

Fol. LXXIX. 226. Universis clericis Cathedralium ecclesiarum Regni Conactie, quod Regium assensum in suis electionibus intervenire non recusent. 227. Regi Conactie, quod huiusmodi gratia sibi concessa nullatenus abutatur. 228. Olixbonensi, Elborensi, et Lamecensi Epis etc. super controversia, que est inter Compostellanum et Bracharensem Archiepos diutius ventilata. 229. Urbinati et Senogalliensi Epis super questione, que inter Abbatem sancti Angeli et P. Galli militem vertebatur.

Fol. LXXX. 230. Epo et Capitulo Pragensibus, quod infra certum terminum conspectui apostolico se presentent. 231. Epo Ruthenensi et Belliloci ac Obazine Abbatibus committitur causa controversie circa electionem Decani ecclesie Claromontensis exorte.

Fol. LXXXI. 232. Priori sancte Marie ad Carceres et Lusco Canonico sancte Marie de Mendira committitur causa matrimonialis, que est inter quosdam virum et mulierem. 233. Preposito sancte Marie Magdeburgensis respondendo ad quasdam questiones super matrimonio per ipsum pape presentatas. 234. A. mulieri super diffinitiva sententia per dñum papam lata pro ea et contra virum eius, qui dicebat matrimonium non tenere. 235. Hominibus de Aquapendente super concessione eis facta, quod Iohannem Urbevetanum Civem possint recipere in Rectorem.

Fol. LXXXII. 236. Electo Leodicnsi, quod ad sedem apostolicam ad terminum sibi prefixum accedat ad obiecta sibi crimina responsurus. 237. Populo Welletrensi super missione nuntiorum suorum et renunciatione ipsorum electioni, quam de persona Iohannis Nicolai fecerant, quem contra inhibitionem sedis apostolice elegerunt in Rectorem. 238. Episcopo Murano et Magistro P. Canonico Troiano et P. monacho sancte Marie de Gualdo super electione Episcopi Asculani, super qua erat altercatio magna suborta.

Fol. LXXXIII. 239. I. tit. sancte Prisce presbitero Card. apostolice sedis Legato, quod non procedat ad decisionem cause principalis que est inter Reginam et Regem Francie, donec ipsa Regina plene fuerit ad honorificentiam Regiam et libertatem restituta. 240. Episcopo Hostiensi Legato super eodem. 241. Philippo Regi Francie super eodem. 242. Abbatisse et Monialibus sancti Pauli de Insula Romana dantur littere confirmationum sive privilegiorum. 243. Imperatori Constantinopolitano, increpando ipsum super quibusdam, que dicebat arrogaverit.

Fol. LXXXIII. 244. Epo Albanensi confirmantur multa Iura in presentibus litteris expressa.

Fol. LXXXV. 245. Abbati sancte Marie Castellionis et eius fratribus confirmantur omnia, que iuste possidere dinoscuntur. 246. Canonicis Maguntinis, quod super appellatione in causa sue electionis, in qua Epus Wormaciensis se intrusit et sine confirmatione administrat, dñus papa iusticiam faciet ministrari. 247. Archiepo Neapolitano, quod ab ecclesiis ad suam institutionem pertinentibus, cum vacabunt, possit moderatam percipere portionem.

Fol. LXXXVI. 248. Eidem, quod clericos, qui fructus beneficiorum suorum, a quorum perceptione sunt suspensi, per laicalem potestatem exigunt a colonis, compellat desistere censura ecclesiastica mediante. 249. Abbatibus et Abbatissis ecclesie Neapolitane subiectis, quod contribuant iuxta eorum facultates in procurationibus Legatorum et nuntiorum sedis apost. prout expedit persolvendis. 250. Archidiacono Duracii, quod clericos sibi subiectos super manuum iniectione, et mulieres que iuxta se suos pueros invenerunt oppressos, possit absolvere, et quod nullus eius subditos sine eius presentatione presumat ordinare. 251. Universis Abbatibus et fratribus ordinis Premonstratensis, quod possint remittere causas, si sibi per sedem apostolicam committantur. 252. Potestati, Consulibus et Consiliariis Veronensibus, quod desistant ab oneribus clericis et personis ecclesiasticis imponendis. 253. Epo et Capitulo Terdonensibus super quadam controversia orta inter ipsos et ordinem Templi occasione domus Calventie nuncupate.

Fol. LXXXVII. 254. De Monteveteri et Homerode Abbatibus et Scolastico Bunensi, quod Henricum sacerdotem inducant in possessionem prebende sancte Marie ad Gradus (Coloniensis), non obstantibus omnibus que Canonici obiecerunt.

Fol. LXXXVIII. 255. Nucerino Epo super sententia lata pro ipso et eius ecclesia, et contra Abbatem Monasterii beate Marie de Sutria, quod dictum Monasterium subiciatur Iure ordinario ecclesie et Epo Nucerino. 256. Comiti de Tropea conceditur, quod super Comitatu per quemcunque non valeat indebite fatigari. 257. Epo Portuensi apost. sedis Legato super inquisitione morum et conversationis Epi Brundusini, qui per potentiam laicalem est in Archiepatum intrusus, et qui petebat palleum sibi mitti.

Fol. LXXXIX. 258. Epo Hostiensi apostolice sedis Legato super confirmatione electionis seu postulationis Epi Cameracensis in Archiopum Senonensem, et quod sibi per Suffraganeos et Canonicos Senonenses obedientiam debitam et devotam faciat exhiberi. 259. Suffraganeis et Canonicis Senonensibus ac eidem Archiepo super negocio memorato. 260. Epo Hostiensi predicto super missione pallei facienda electo Bituricensi, qui durante interdicto se fecit in Epum consecrari et interdictum a principio non servavit, super quibus est sibi primitus purgatio indicenda.

Fol. XC. 261. Archiepo Neapolitano conceditur tit. sanctorum Neri et Achilloi de gratia speciali. 262. Magistro et fratribus Militie Templi Parisiensis super confirmatione sententie late pro ipsis, et contra Decanum sancti Quintini de quadam prebonda, quam suo decanatui esse dicebat annexam. 263. Odoni subdiacono et Alberto notario Camere, quod inducat Firmanos, quod circa bonum pacis non se reddant difficiles aut rebelles. 264. Cussiacensi et sancti Martini Abbatibus, quod ab aliis Abbatibus ordinis Premonstratensis in Regno Francie constitutis Quinquagesimam exigant in subsidium terre sancte convertendam, et Magistro ordinis Templi Parisiensis assignandam. 265. Pluribus aliis Abbatibus dicti ordinis super simili recollectione facienda. 266. Potestati et populo Anconitanis, quod captivos permittant venire ad consilium et mandatum nuntiorum dicte sedis, presertim quia quicquid tractatur, sit ad eorum pacem et profectum. 267. Universis tam clericis quam laicis in Marchia constitutis, quod ordinationi nuntiorum sedis (apostolice) pro pace inter ipsos reformanda pareant devote: alioquin contra ipsos durius procedatur.

Fol. XCI. 268. Nuntiis memoratis, quod super dictis negociis solicite studeant laborare. 269. Consulibus et populo Senogaliensibus, quod villas, castra et bona alia ad Romanam ecclesiam spectantia, que in dedecus et preiudicium ecclesie Romane usurparunt, nuntiis apostolice sedis restituere et realiter assignare non postponant. 270. Consulibus et populo Faventinis (Fanensibus) super eodem. 271. Consulibus et populo Camerinensibus super eodem. 272. Abbati do Stenwelt et Preposito sancti Geverini (s. Severini Coloniensis), ac Priori de Mete super examine causo electionis Gertrudis et Gudule in Abbatissas Monasterii de Geresheym in discordia electarum, et quod dicte Gudule de bonis Monasterii provideatur de expensis.

Fol. XCII. 273. Priori et Capitulo Seguntinis super confirmatione omnium eorum, que possidere iusto titulo dinoscuntur. 274. Priori et Canonicis regularibus ecclesie s. Marie de Chirberi littere super confirmatione eorum que possident, conceduntur. 275. Aymoni de Cicala dño Castri de Cicala confirmatur donatio de dicto Castro per Regem Sicilie sibi facta.

Sequuntur Rubrice Anni Quarti.

Fol. XCVI. 1. Primo super punitione falsariorum; 2. Quod si Iudex delegatus, cui causa commissa est sub hiis verbis appellatione remota, quoad aliquem articulum alteri commiserit de voluntate partium, ab eo non possit, nisi graviter excesserit, appellari; 3. Quod si appellatus compareat, et appellans non, appellans in expensis appellati condempnetur, et quod appellatio a Iudico recepta, vel a parte approbata vim peremptorii editi valeat obtinere. 4. Lemovicensi et Caturcensi Epis committitur causa controversio exorte in electione Docani ecclesie Claromontensis. 5. Archiepiscopo Eboracensi, quod Iohannem nobilem Civem Romanum Canonicum Eboracensem possessione dicte prebende gaudere permittat, nec sibi super ea molestiam inferat seu gravamen. 6. Abbati de Albenduno et eius fratribus confirmantur omnia que licite possidere dinoscuntur.

Fol. XCVII. 7. Constitutio super absolutione illorum qui manus in clericos iniecerunt. 8. Epo Tiberiadensi respondendo ad ea super quibus papam consulebat, videlicet quod pagani conversi ad fidem Catholicam, qui ante conversionem contraxerunt in casibus seu gradibus prohibitis, post conversionem in huiusmodi matrimoniis valeant remanere, et quod scil. plures non permittantur habere uxores.

Fol. XCVIII. 9. Constitutio quod si quis exceptionem proposuit, quam probare nequiverit, in expensis partis adverse condempnetur. 10. Abbati et Conventui sancti Amandi in Pabula super confirmatione ordinationis ecclesie sancti Andree, in qua solebant esse Canonici seculares, nunc autem Monachi facti sunt et Monasterio incorporati. 11. Epo Eliensi et Archidiacono (de) Norantono ac Magistro Hugoni de Saherst committitur causa, que est inter Archiepiscopum Eboracensem et Archidiaconum Richemundie super Iuribus Archidiaconatus memorati.

Fol. XCIX. 12. Priori et Conventui Spoletane ecclesie super institutione certi numeri Canonicorum in eadem. 13. Regi Francorum, quod super reconciliatione Regine uxoris sue monitis et man-

datis ecclesie condescendat. 14. Epo Ameriensi super revocatione iuramenti per Canonicos Tudertinos in proiudicium iuris Episcopi Tudertini ecclesia vacante inique perpetrati. 15. Imperatori Constantinopolitano respondendo ad ea que petebat, regnum Cipri per Regem Ierosolimitanorum ad suum Imperium restitui, cum ad ipsum Imperium pertinere dinoscatur. 16. Hostiensi Episcopo et I. tit. sancte Prisce presbitero Cardinali apostolice sedis Legatis, quod Regem Francorum moneant adimplere, qne ordinata sunt in causa Regine: alioquin ad examinationem dicte cause non procedant.

Fol. c. 17. Epo Mutinensi et Magistro Huberto Theologo Canonico Modoicensi super pnblicatione suspensionis Epi Bononiensis, qui duos sacros ordines uni persone et una die conferre non expavit. 18. Hominibus Montisfustuli super confirmatione privilegiorum eis Imperiali et Regali auctoritatibus concessorum. 19. Eliensi et Sicestrensi Epis ac Archidiacono de Norantono super controversia, que super Archidiaconatu Richemundie vertitur inter duos. 20. Priori et Conventui de Kirkeliam super confirmatione sententie late pro ipsis contra Mon. de Kelchou super Iurepatronatus ecclesie de Nentono.

Fol. ci. 21. Epo Eliensi et Archidiacono de Norantono, quod pendente causa super Archidiaconatu Richomondie nichil contra dictum Archidiaconatum et eius Iura seu privilegia attemptetur.

Fol. cii. 22. Priori et Conventui ecclesie s. Marie (de) Karleok confirmantur Iura eorum, et presertim quod Archiep̃s et Ep̃s eis exactiones et tallias indebitas non imponant, et quod decime sibi persolvantur. 23. Eisdem, quod possint ponere fratres in ecclesiis parrochialibus pertinentibus ad eosdem. 24. Eisdem, quod nullus eis preficiatur in Episcopum, nisi quem canonice duxerint eligendum. 25. Eisdem confirmantur omnia eorum Iura, que iusto dinoscntur titulo possidere. 26. Priori Pisano apud Constantinopolim constituto, quod uti possit omnibus privilegiis et indulgentiis suo predecessori concessis. 27. Epo Paduano super dispensatione facienda cum quodam clerico, qui cum equum quemdam equitarct ipsum domare non valuit, ymmo equus ipse currens impetuose quamdam mulierem interfecit. 28. Priori et monachis Bathoniensibus confirmantur privilegia, dignitates et Iura eorum. 29. P. nobili mulieri vidue datur licentia matrimonium contrahendi. 30. Vicario pape apud Constantinopolim, quod Priori Pisano nullum impedimentum inferat, quin privilegiis et libertatibus sibi et eius predecessori concessis libere uti possit. 31. Abbati de Hememonde (Homerode) et proposito sanctorum Apostolorum Coloniensi ac scolastico Bunnensi committitur negocium seu causa electionis Abbatis Nuciensis, in qua due persone in discordia sunt electe.

Fol. ciii. 32. Vicario pape apud Constantinopolim, quod mores suos studeat in melius emendare. 33. Alberto Capellano beate Marie de Porta Ravennate super confirmatione sententie per certos Iudices delegatos pro parte sua promulgate.

Fol. ciiii. 34. Ogerio presbitero et Mauffrido subdiacono Canonicis Matisconen. super receptione duorum Canonicorum, quos Legatus in Matisconensi ecclesia instituerat, et quos Decanus et Capitulum repellere nitebantur. 35. Archiep̃o Lugdunensi super eodem. 36. Ubaldo plebano sancti Gavini, quod in dicto plebanatu remaneat adiuncto sibi aliqno alio Canonico regulari. 37. Epo et Capitulo Florentinis, quod dictus U. plebanatum predictum et eius administrationem habeat sicut prius. 38. Clericis dicte plebis super eodem.

Fol. cv. 39. Universis ecclesio prelatis super conservatione Iurium et bonorum Monasterii beate Marie de Brena Premonstratensis ordinis. 40. Patriarche Aquilegensi super cassatione vel confirmatione electionis Episcopi Vincentini.

Fol. cvi. 41. Littere d̃ni Celestini ad Ep̃um Bathoniensem et Glastoniensem super compulsione Prioris et monachorum ecclesie Glastonicnsis de obedientia et reverentia eidem exhibendis. 42. Priori et monachis, qnod eidem Epo obediant, et nullum alium recipiant in Abbatem. 43. Epo Atennensi (Aretino) super confirmatione sententie late per Ep̃m Fesulanum, quod Monasterium Capilionis sibi debeat esse subiectum. 44. Io. tit. sancti Stephani in Celiomonte presbitero Cardinali, quod causas, a quibus coram eo appellatur, possit per viros litteratos examinari facero et appellationem repellere, si frivole appelletur. 45. Epo Razeburgensi, quod Radulpho militi, qui cum ancilla contraxerat ignoranter, a qua per Legatum extitit separatus, si in ea, postquam scivit eius conditionem, non consensit verbo vel facto, det licentiam cum alia contrahendi. 46. Pragensi et Olomucensi Epis, quod compellant per censuram ecclesiasticam universos in Regno Boemie constitutos fidelitatem et obedientiam exhibere Principi Boemorum. 47. Eisdem, quod inhibeant districte, ne aliqui in Regno Boemie ea, que vel ipsi vel eorum precessores ecclesiis aut piis locis donaverunt, ad se revocent, nec de cetero ecclesias molestent in premissis.

Fol. cvii. 48. Recognitio census pro civitate Firmana, videlicet L. libr. Lucensium annuatim. 49. Bathoniensi et Glastoniensi Epo super obedientia sibi per Priorem et monachos Glastonienses tanquam eorum Epo exhibenda. 50. Priori et Capitulo sancti Torcari, quod humiliter et devote obediant Archiepo Bracharensi. 51. In eumdem modum Priori et Canonicis Vimaranensibus et Priori et Capitulo de Casta. 52. Epo Livonensi et eis qui sunt cum eo super ordinatione matrimoniorum ad fidem de novo conversorum et instructione eorum in fide. 53. Preposito de Monte Iovis super correctione suorum Canonicorum, et quod non permittat eos pecunias proprias possidere, sed eas repetat diligencius ab eisdem. 54. Epo Xanctonensi et Abbati Baciacensi, quod compellant Decanum et Capitulum Xanctonenses ad admittendam provisionem factam Magistro P. Audoeni per Archiepm Burdegalensem de prebenda Xanctonensi. 55. Decano et Capitulo Ebroicensibus super confirmatione suorum Iurium, specialiter Iuris quod Rex Francorum in eorum electione habebat et pro eis gratiose resignavit. 56. Sancti Martini et sancti Melonis Pontizarensis Abbatibus etc. quod super molestatione, que per R. Canonicum Rothomagensem infertur Archidiacono Ebroicensi diligenter se informent. 57. Flandrie, Campanie et Blesensi Comitibus conceduntur privilegia in favorem subsidii terre sancte, ad quod cum ardentibus desideriis se disponunt.

Fol. cviii. 58. Epo Imperialis Aule Cancellario super recuperatione cuiusdam feudi ecclesie Herbipolensis, quod dicitur alienasse, post cuius recuperationem ad administrationem ecclesie Herbipolensis accedat. 59. Item Capitulo Herbipolensis super eodem. 60. Casseburnensi, de Novoburgo et de Kakecham Prioribus in favorem Prioris de Pontefracto, ne per patronos Prioratus seu Monasterium de Lavida impediatur Priorem instituere in eodem. 61. Compostellano et Tholetano Archiepis et Palentino et Zamorensi Epis super excommunicatione perferenda in Regem Legionis, qui filiam Regis Castelle neptem suam de facto sibi copulavit in uxorem.

Fol. cix. 62. Potestati et Consulibus ac populo Cremonensibus super restitutione per eos facienda de certis curtibus Abbati Monasterii sancti Sixti, quas ipsi Cremonenses violenter occuparunt. 63. Pluribus scriptum est in hunc modum. 64. Archiepiscopo Bituricensi, et Parisiensi et Lemovicensi Episcopis super correptione et punitione conversorum et laicorum ordinis Grandimontensis.

Fol. cx. 65. Magdeburgensi et Salzeburgensi Archiepiscopis etc. qui in causa, que vertitur inter Principem Boemorum et eius uxorem sororem Marchionis Misnensis, recipiant testes, quos utraque partium duxerit producendos. 66. Priori et Canonicis sancte Trinitatis Londoniensis super confirmatione Iurium eorumdem. 67 Suessionensi et Atrebatensi Episcopis super absolutione Canonicorum Cameracensium, qui contra voluntatem seu inhitionem Legati apostolice sedis ad nominationem processerant, et pro eis potestatem tribuant eligendi.

Fol. cxi. 68. Episcopo Ostiensi apostolice sedis Legato super reconciliatione Episcopi Meldensi, qui interdictum non servaverat. 69. Magistro et fratribus militie de Calatrava super confirmatione Iurium, que possidere dinoscuntur. 70. Archiepiscopo Cantuariensi super punitione Religiosorum, qui per symoniam sunt recepti, et eorum qui circa talium receptionem symoniam commiserunt. 71. Abbati et Conventui Monasterii Beruacensis, quod beneficium quod R. clericus resignavit, quia minus canonice obtinuerat, fratri eius in sacerdotio constituto velint liberaliter providere. 72. Marchioni Estensi super concessione in beneficium duarum villarum sibi propter impensa servitia ecclesie donaturum gratiose. 73. Episcopo Ferrariensi super eodem. 74. Episcopo et Decano Zamorensibus, et Decano Auriensi committitur decisio cause, que inter Epum Columbriensem et Canonicos sancte Crucis est exorta.

Fol. cxii. 75. Magistro H. Archidiacono Richemundie respondendo ad questionem, quam faciebat de illo qui scienter cum excommunicato communicat, utrum ipsum excommunicatum a sua possit accusatione removere. 76. Parisiensi Episcopo et Abbati de Sarnaio, quod conferant beneficia ad collationem Episcopi Carnotensis spectantia, a qua collatione idem Episcopus est suspensus, et revocent collationes quas idem Episcopus presumptuose attemptavit. 77. Archiepiscopo Colocensi et eius Suffraganeis, et universis prelatis exemptarum ecclesiarum in provincia Colocensi constitutis, quod per suas ecclesias legere possint vitam sancti Stephani Regis Ungarie, amoto articulo quo dicitur ipsum de utroque Iure de ecclesiis disponere potuisse. 78. Archiepiscopo et Capitulo Arelatensibus super confirmatione privilegiorum suorum. 79. Episcopo Caturcensi et Grandissilve ac Bellepertice Abbatibus super inquisitione de ydoneitate persone Episcopi Convennarum postulati in Episcopum Tholosanum.

Fol. cxiii. 80. Preposito et Capitulo Colocensibus super confirmatione Iurium omnium, que possidere debite dinoscuntur. 81. Preposito et Capitulo Baciensibus in hunc modum. 82. Episcopo

Agriensi, et Orodiensi et Dimisiensi prepositis super dissensione, que est inter Albensem et Colocensem ecclesias super Iure trium villarum, que fuerunt per Mich. Comitem ecclesie Albensi pro tribus milibus Marcharum assignate. 83. Preposito, Decano et Capitulo sancti Adomari super revocatione prebende, quam Iacobus per suppressionem veri et suggestionem falsi contra W. obtinuerat, ipsam dicto W. auctoritate apostolica confirmando.

Fol. cxiii. 84. Abbati sancti Iuliani de Rocca et eius fratribus super confirmatione Iurium omnium eorumdem. 85. Archiepiscopo, Priori et Capitulo Cantuariensibus super reformatione concordie super discordia, que inter ipsos super quibusdam controversiis fuerat diutius agitata.

Fol. cxv. 86. Abbatisse et monialibus de Pomerio, quod plures non recipiant in sorores quam sui supportant monasterii facultates. 87. Episcopo Wesconensi super confirmatione pactorum inter ipsum et Lingacopiensem Episcopum habitorum. 88. Decano et Capitulo Antisiodoronsibus, quod ea que a maiori et saniori parte Capituli factum fuerit, habeant robur firmitatis, nec per alteram partem valeat per appellationem impugnari. 89. De Deiloco et de Castro Censorii Abbatibus et Decano Antisiodoronsi super correctione et punitione aliquorum Canonicorum, qui focarias tenent, ex quibus frequentius prolem gignunt.

Fol. cxvi. 90. Plebanis et clericis plebis de Ariano super confirmatione sententie late pro ecclesia de Lucio plebi de Ariano preterquam in baptismate subiciatur, et in omnibus aliis ei debeat respondere. 91. Cisterciensi, Claravallensi, de Firmitate etc. quod Abbates moneant et compellant ad resumendum signum Crucis, quos prius ipsum signum Crucis per eos assumptum deponere coegerunt. 92. Clericis de Mucilena, quod prelatum sibi eligant propter privationem archipresbiteri sui, qui extitit litteris falsis usus.

Fol. cxvii. 93. Episcopo Tirasonensi, quod Regem Navarre moneat restituere fratribus Templi, que ab eis abstulit: aliquin sententiam per Archiepiscopum Terraconensem contra ipsum Regem latam firmiter faciat observari. 94. Episcopo et Capitulo ecclesie Misnensis super provisione Ulrico facienda, et altera quinque prebendarum vacantium in ecclesia memorata. 95. Episcopo Penestrino apostolice sedis Legato super inquisitione facienda contra Cancellarium Imperialis Aule, electum in Episcopum Herbipolensem, (qui) super multis, precipue super symonia accusatur.

Fol. cxviii. 96. Philippo Regi Francorum super eo quod de papa minus bene videbatur contentari. 97. De Altobacia et de Salzeda Abbatibus etc. super causa exemptionis ecclesie sancti Martini de Castro, que vertitur inter Archiepiscopum Bracharensem et Priorem ecclesie memorate.

Fol. cxix. 98. De Braida, domonova Mediolanensi, Modoicensi, Mailanensi, de Vico Zerbete, domonova Papiensi, Bergamensi, Brixiensi aliisque prelatis eiusdem ordinis, sed eorum fratribus et sororibus super approbatione Regule et confirmatione Iurium eorumdem. 99. G. de Porta orientali, C. Modoicensi, A. Cumano, N. Papiensi, G. Brixiensi, I. Bergamensi, I. Placentino, L. Laudensi, R. Cremonensi aliisque ministris eiusdem ordinis, eorumque fratribus et sororibus super ordinatione Regule et Religionis eorumdem.

Fol. cxx. 100. I. de Rendanario, L. de Vico et pluribus aliis prepositis super approbatione Regule ipsorum et confirmatione Iurium, que nunc possident et imposterum obtinebunt.

Fol. cxxi. 101. De Lucola et de Caritate Abbatibus super sepultura domini de Montebeligardi, qui obiit excommunicatus, sed eius filius se obtulit satisfacere pro eodem. 102. Basiliensi et Constantiensi Episcopis super eradicando quodam abusu, qui in partibus illis contra ecclesiasticam libertatem observatur. 103. Prelatis, principibus et populo Regni Sicilie, quod Comiti Licii super defensione Regni Sicilie efficaciter pareant et intendant. 104. Raymundo Abbati Nonantulano super approbatione et confirmatione electionis de ipso facte ad Monasterium prelibatum.

Fol. cxxii. 105. Abbati et Conventui monasterii ecclesie Christi super confirmatione Iurium eorumdem. 106. Basiliensi et Belicensi Episcopis etc. super provisione facienda de prepositura Lausanensi Thesaurario Lausanensi, Subdiacono domini nostri pape. 107. Archiepiscopo Pisano, quod inhibeat Pisanis, ne in auxilium Marci et Duibaldi audeant se transferre. 108. Potestati et populo Pisanis super eodem.

Fol. cxxiii. 109. Regi Ungarorum, quod possit dimittere duodecim Crucesignatos pro custodia Regni sui. 110. Episcopo et clero ac populo Auximanis super concordia inter ipsos et Firmanos, et ecclesiam et multas alias civitates precipue de Marchia per dominum papam limitata. 111. Patriarche Alexandrino et eius Suffraganeis etc. quod velint in fide Catholica firmiter persistere, et eam per

predicationem et vitam laudabilem, quantum poterunt, propagare. 112. Duoi Crowacie super provida gubernatione Regni Ungarie, dum Rex eius fuerit ad partes transmarinas, ad quas se disposuit. 113. Archiepiscopo Colocensi et Cenadiensi Episcopo super eodem. 114. Strigoniensi et Colocensi Archiepis et eorum Suffraganeis, quod moneant Crucesignatos ire simul in subsidium terre sancte. 115. Universis ad quos presentes littere pervenerint, quod debita que Rex Ungarie contrahet in eundo ad subsidium terre sancte, que ante eius obitum persoluta non fuerint, eius heres et successor ea solvere teneatur.

Fol. cxxiii. 116. Abbati et Capitulo Cisterciensi regratiando de duobus milibus marcharum, quas pro subsidio terre sancte se solituros liberaliter pro toto suo ordine obtulerunt. 117. Prelatis et Nobilibus ac populis Regni Sicilie citra Pharum, quod Comiti Licii, qui iuravit esse fidelis Regno, favorabilem recipiant, et ei circa Regni defensionem prestare studeant auxilium et favorem. 118. Pluribus aliis in Principatu Tarentino et alibi super eodem. 119. Littere Episcopi Hostiensis pape directe super responsis factis sibi per Regem Francorum super statu Regine honorifice reformando. 120. Episcopo Hostiensi, quod circa premissa et expulsionem superinducte instet diligenter, et Regem moneat ad subsidium terre sancte exhibendum, et super pluribus, videlicet provisione facta de ecclesia Maguntina.

Fol. cxxv. 121. Abbati et Conventui Cisterciensi super confirmatione ecclesie de Kardeborc, quam Rex Anglorum ordini donavit antefato. 122. Regi Sicilie, quod secure confidat in Comite Licii, quia ipsum Regni et suum securum reperiet defensorem.

Fol. cxxvi. 123. Prelatis omnibus per Regnum Francie constitutis super solutione Quadragesime pro subsidio terre sancte, quam solvere hucusque distulerunt, cum multis ordinationibus adiacentibus passagio transmarino.

Fol. cxxvii. 124 Preposito, Decano et Scolastico Hildesemensibns super collatione prepositure ecclesie Magdeburgensis, que erat sedi apostolice devoluta, quam impediebat Archiepus Magdeburgensis.

Fol. cxxviii. 125. Populo de Castro Gallose super reconciliatione ipsorum et prestatione per eos fidelitatis iuramenti Leodiensi, que in discordia extitit celebrata.

Fol. cxxix. 126. Archiepiscopo Salzeburgensi committitur purgatio Episcopi Pragensis, qui super diversis criminibus diffamatur. 127. Episcopo Torcellano ad ea respondendo, super quibus petebat edoceri, si dies peremptorie ad audiendam sententiam prefixa in diem crastinam sine preiudicio poteterat prorogari.

Fol. cxxx. 128. Archidiacono Metensi respondendo ad ea que petebat, videlicet si presentatus plures parrochias obtinens esset ab huiusmodi presentatione repellendus, vel ad eam sine contradictione admittendus. 129. Domino Montispessulani indulgetur, quod non possit excommunicari, nec eius terra interdici sine causa rationabili et monitione premissa. 130. Episcopo Agathensi, quod octo hereticos, quos detinet carceribus mancipatos, assignet domino Montispessulani iuxta eorum demerita puniendos. 131. Sacriste, Capellanis et Clericis Capelle Castri Montispessulani indulgetur, quod tempore interdicti possint divina officia celebrare. 132. Capitaneis et fratribus hospitalis sancti Leonardi de Pracustella super protectione eorum et receptione census annui, quem liberaliter Romane ecclesie obtulerunt. 133. Cancellario etc. quod A. presbitero de prebenda sancti Audomari provideant, si prepositus ecclesie sancti Audomari hoc recusaverit adimplere. 134. Episcopo et Capitulo Cremonensibus, quod Geraldum nepotem Magistri G. Cremonensis, Subdiaconi pape, recipiant in Canonicum et fratrem ad prebendam, quam dictus Magister in ecclesia Cremonensi obtinebat.

Fol. cxxxi. 135. Geuriensi et Cenadiensi Episcopis etc. quod recipiant testes super causa, que inter Strigoniensem et Colocensem Archiepiscopos vertitur, quos partes ipse duxerunt producendos. 136. Regi Ungarorum, quod Archiepiscopo Strigoniensi decimas cum integritate persolvat. 137. Priori et Canonicis de Gisebirano in favorem B. notarii pape super adipiscenda possessione ecclesie de Helese. 138. Kevestensi(sic) Archiepo et Abbati de Lauda ac Archidiacono Kevestensi super examinatione postulationis facte de Episcopo Lubucensi ad ecclesiam Wratislaviensem tunc pastore carentem. 139. Prelatis, Principibus et populis in Regno Sicilie constitutis, quod Waltero de Pallearia, qui se dicit Cancellarium Regni Sicilie, non obediant, qui inimicis Regis Regni custodiam dicitur commisisse, Pluribus aliis super eodem.

Fol. cxxxii. 140. Clero et populo Panormitanis super diligenti custodia persone Regis, ne dictus Walterus de Pallearia ipsum furari vel aliquod sinistrum in persona eius valeat machinari.

Fol. cxxxiii. 141. Pluribus aliis super eodem. 142. Magistro P. Scriptori pape super protectione eius, et specialiter ratione ecclesie beate Marie de Palenciano. 143. Comiti Laureti Iusticiario

terre Apulie et Laboris super inhibitione, ne quis eum super hiis, que de principali Regno Sicilie possidet, audeat molestari. 144. Archiepiscopo Cantuariensi respondendo ad quedam dubia, que moverat circa absolutionem voventium in terram sanctam proficisci. 145. Electo Forosimphroniensi, quod ad ipsam ecclesiam gubernandam accedat, et Monasterium, cui preerat, studeat sicut prius solicite gubernare. 146. Abbati et Conventui sancti Pauli, quod Abbatissam sancte Crucis, quominus de quodam predio sextamdecimam valeat recipere, nullatenus presumant impedire.

Fol. CXXXIII. 147. Archiepiscopo Arelatensi et Abbati Vallismagne ac Archidiacono Ruthenensi super causa, que inter Abbatem sancti Wilhelmi et quemdam monachum suum, qui dictum Abbatem de diversis criminibus accusavit.

Fol. CXXXV. 148. Eidem Archiepiscopo respondendo ad quosdam errores, quos heretici asserebant, videlicet quod baptismus non est parvulis conferendus, et pluribus articulis circa fidem. 149. Episcopo et Capitulo Minduniensibus super concessione sibi facta, quod ecclesiam Cathedralem possint ab locum alium transportare.

Fol. CXXXVI. 150. Episcopo Minduniensi confirmantur quedam sibi ad vitam suam concessa per ecclesiam Asturicensem. 151. Capitulo Troiano super confirmatione electionis per eos concorditer celebrate. 152. Iudicibus et populo Troianis super eodem. 153. Abbati et fratribus Cripteferree super confirmatione sententie late pro ipsis contra Episcopum Albanensem super quibusdam eorum iuribus, in quibus idem Episcopus ipsos multipliciter molestabat.

Fol. CXXXVII. 154. Suffraganeis ecclesie Gradensis, quod illum quem in Patriarcham elegerunt, mittant ad Curiam, ut de eius electione et sufficienti ydoneitate persone plenius cognoscatur. 155. Duci Venetiarum et Canonicis ecclesie Gradensis super eodem. 156. Cephaludensi Episcopo, increpando ipsum quia Walterum de Pallearia favet, et quia contra papam prorupit, quare monetur premissa corrigere, et quod Regi fidelitatem studeat observare.

Fol. CXXXVIII. 157. Panormitano Electo super confirmatione electionis eius per Archiepiscopum Montisregalis auctoritate apostolica adeo celebrate. 156. Canonicis Panormitanis, quod ipsum in Archiepiscopum recipiant et ei pareant et intendant. 159. Suffraganeis super eodem. 160. Archiepiscopo Montisregalis super eodem. 161. Archiepiscopo Burdegalensi et Episcopo Xanctonensi ac precentori Bituriensi, quod si reperiunt postulationem Episcopi Lectorensis Electi in Archiepiscopum Auxicanum esse canonicam, ei transeundi ad ipsam Auxicanam ecclesiam tribuant facultatem. 162. Capitulo Auxicano super eodem. 163. Suffraganeis ecclesie Auxicane super negotio antefato. 164. Canonicis beate Marie de Mirabello super confirmatione Iurium, que videntur in presentiarum obtinere. 165. Senatoribus et populo Romanis super subventione per domiuum papam propter caristiam liberaliter eis facta.

Fol. CXXXIX. 166. Littere Senatoris regratiantis pape de promissis. 167. Episcopo Penestrino apostolice sedis Legato super approbatione postulationis Conradi Episcopi Aule Imperialis Cancellarii ad Episcopatum Herbipolensem. 168. Capitulo Herbipolensi super eodem. 169. Conrado Episcopo Herbipolensi super negotio antefato. 170. Priori et fratribus Laterancnsibus super observatione constitationum Alexandri pape, qui inhibuit monachum pro pretio recipi in monasterio ac habere peculium ac solum inter seculares ambulare. 171. Venerabilibus fratribus familiaribns Regiis, quod super recuperatione sigilli Regii dent operam, et Waltero de Pallearia non obediant ullo modo.

Fol. CXL. 172. Rectori et fratribus sancte Marie in Saxia super concessione privilegiorum et libertatum ac iurium confirmatione quorumcunque. 173. Westmonastcriensi et Redingwensi Abbatibus, quod Abbatem et Conventum monasterii s. Albani cogant recipere W. monachum suum salva ordinis disciplina. 174. Penestrino Epo increpatorie, quod suspensionem Epi Leodiensis factam per papam voluit temere impedire. 175. Decano Bunnensi super negocio memorato. 176. Patriarche Aquilegensi et Episcopo Iustinopolitano ac Abbati de Sumaga, quod Electum Tergestinum moneant, quod se faciat ordinari, et deinde in Episcopum consecrari: alioquin ipsum privent electione, et Capitulum alium eligant in pastorem. 177. Episcopo Dunchiensi, quod Archiepiscopo Eboracensi exhibeat reverentiam, privilegio C. pape non obstante, et quod si sit inter eos questio aliqua, papa cuilibet eorum iusticiam exhibebit. 178. C. Imperialis aule Cancellario et maioris ac sancti Iohannis Wirzburgensium Prepositis ecclesiarum super collatione prebendarum ipsius ecclesie sancti Iohannis, non obstante quod earum collatio sit ad sedem apostolicam devoluta.

Fol. CXLI. 179. Canonicis super eodem. 180. Capitulo Herbipolensi, quod pro recuperatione feudi solvant mille marchas, si Episcopum contingat decedere infra annum. 181. Regi Francorum super

legitimatione liberorum, quos genuit ex concubina, antequam fieret divortium inter ipsum et Reginam. 182. Prelatis Francie super dispensationis predicte publicatione, cum per Regem fuerint requisiti. 183. Episcopo Ferrariensi etc. quod inquirant, si Archidiaconus esse consuevit in ecclesia Veronensi. 184. Episcopo Veronensi, quod super dicto Archidiaconatu et excusatione sua, quia vocatus ter per Legatum non comparuit, mittat nuntios vel accedat in propria persona, quod iustum fuerit, recepturus.

Fol. CXLII. 185. Cancellario Metensi super electione de ipso facta ad preposituram ecclesie sancti Salvatoris. 186. Episcopo Motensi, ut eum investiat do prepositura ecclesie sancti Salvatoris sepedicta. 187. Senescallo et Rectoribus Patrimonii sancti Petri in Tuscia super captione Guittonis et Nicolai, et super tractatu habito cum eisdem. 188. Abbati Virziliacensi, quod uti possit pontificalibus indumentis, prout sibi Romani pontifices indulserunt. 189. Episcopo, Decano et Capitulo Xanctonensibus, quod Magistrum W. Rosio et Constantio Natalis de duabus prebendis, que vacant in sua ecclesia, providere non postponant, vel dicant, quare non debeaut id facere, et interim de ipsis prebendis aliter non disponant. 190. Episcopo Terdonensi, quod fratribus Templi in domo Calventie tam mobilia quam immobilia iura restituere non obmittat.

Fol. CXLIII. 191. Episcopo Penostrino apostolice sedis Legato super irritanda postulatione Epi Wormaciensis ad ecclesiam Maguntinam, si in administrationem eius idem Episcopus Wormaciensis imprudenter se intromisit. 192. Regi Anglorum, quod Octoni Regi in Imperatorem Electo satisfaciat de hiis, que R. Rex Anglorum sibi in suo legavit testamento. 193. Regine Anglorum super confirmatione dotis eius. 194. Archiepiscopo Rothomagensi et Abbati de Persencia, quod se informent, si obsequium Conestabularii et Senescalli et Comitis Melleti sit adeo necessarium Regi Anglorum, quod ipsi sine iactura ipsius Regis ad partes transmarinas, ad quas se voverint, non valeant proficisci. 195. Epis Parisiensi et Eliensi et pluribus aliis super eodem. 196. Archipresbitero et clericis sancte ecclesie (sic) super sententia contra ipsos pro ecclesia sancti Laurentii in Piscinula super baptisterio, scrutinio et processionibus promulgata.

Fol. CXLIII. 197. Decano et Capitulo Carnotensibus super reconciliatione Episcopi Carnotensis, qui interdictum non servarat. 198. Capitulis Belvacensi et Nomovensi pro Episcopis eorum super eodem, et pluribus aliis super eodem. 199. Archiepiscopo et Capitulo Spalatensibus super suspensione Archiepiscopis Spalatensis a potestate confirmandi, ordinandi et consecrandi, donec super hoc per sedem apostolicam secum fuerit dispensatum.

Fol. CXLV. 200. Parmensi et Pergamonsi Episcopis super excommunicatione Cremonensium, qui Epum et Clerum Cremonenses talliis et aliis oppressionibus nephariis non verentur molestare. 201. Epo Cremonensi, qui signum Crucis assumpsit, conceditur, quod non obstante interdicto, cui dicta Civitas supposita est, possit divina officia celebrare. 202. Episcopo Portuensi apostolice sedis Legato, quod ipse cum Comite Brenensi negocia Regni Sicilie prudenter promoveat et fideliter prosequatur. 203. Comiti Brenensi super eodem.

Fol. CXLVI. 204. Abbati Virziliacensi, quod homines sui monasterii coram aliis iudicibus non valeant evocari. 205. Decano et Magistro Scolarum Aurelianensibus super relaxatione suspensionis Epi Carnotensis, cui inhibitum erat, ne beneficia ecclesiastica conferre valeret. 206. Episcopo et Abbati sancti Victoris Parisiensibus super absolutione Roberti Marimon Militis, qui voverat proficisci in terram sanctam, sed propter sonectutem votum suum non valet adimplere. 207. Comestabulo Capuano, Iudicibus, militibus et populo Fogitanis super confirmatione qnorumdam redditnum et terrarum per Walterum de Pallearia eisdem concessorum. 208. Abbati Caricampi et Preposito ac Decano Atrebatensibus, quod Iacobo Scriptori pape de prebenda Insulensi per Capitulum ipsius faciant provideri. 209. Canonicis Wormaciensibus, quod hoc quod Legatus statuerit, recipiant humiliter et inviolabiliter studeant observare. 210. Canonicis Maguntinis in hunc modum. 211. Comiti Celanensi Iusticiario Apulie ot Terre Laboris confirmantur sua Iura propter devotionem, quam ad Regem et Regnum Sicilie ostendit se habere. 212. Pluribus aliis super simili confirmatione Iurium eorumdem. 213. Capitulo Lundensi super confirmatione electionis ecclesie Lundensis de persona Prepositi concorditer celebrata.

Fol. CXLVII. 214. Suffraganeis ecclesie Lundensis, quod dicto Electo pareant humiliter et devote. 215. Clericis ecclesie Ravennatis, quod personam ydoneam in suum Archiepiscopnm studeant eligere, nominare seu etiam postulare. 216. Abbati et Conventui monasterii Caservanii super sententia lata pro ipsis super bonis Milonis Amati, qui dicto monasterio donaverat se et sua. 217. Regi Anglorum super privatione duorum Abbatum, qui dicto Regi do domino papa aliqua sinistra mendaciter retulerunt.

Fol. CXLVIII. 218. Iohanni de Ceccano propter devotionem, quam ad Romanam gerit ecclesiam, datur quedam terra in feudum per eum perpetuis temporibus possidenda. 219. Comiti Tholosano, quod a terra sua expellat hereticos: alioquin scribatur Regi Francorum, quod ipsum ad hoc potencialiter arctet et compellat. 220. Regi Francorum super eodem. 221. Priori et Conventui sancti Germani de Pratis super absolutione Abbatis sui, qui interdictum non servavit. 222. Archiepiscopo Rothomagensi super dispensatione domini de Grenvilla, qui infermitate gravatus votum, quod emiserat de transfretando, de cetero non valet adimplere. 223. Rectori et fratribus sancte Marie in Saxia super confirmatione unius prebende in ecclesia Carnotensi ad opus eorum ibidem per Epum Carnotensem institute. 224. Potestati et populo Pisanis, quod Marco excommunicato et dampnato non adhereant, nec prebeant auxilium seu favorem.

Fol. CXLIX. 225. Archiepiscopo, Canonicis et universo Clero (Pisanis) super eodem. 226. Epo Glasguensi super divortii causa inter R. et A. inter quos affinitas allegatur. 227. Episcopo Portuensi apostolice sedis Legato congratulando sibi super prospero successu suo, et admirando quod Civitatem Salpensem Comiti Manuplelli assignant, cum sit frater Walteri de Pellearia hostis Regni. 228. Iohanni de Ceccano, quod Sumninos ad prestandum sibi fidelitatis iuramentum non compellat. 229. Priori et fratribus sancte Marie de Bellomonte, quod possint habere et construere unum locum in diocesi Avinionensi, qui sit ordinis Grandimontensis, et ordini subiciatur eidem.

Fol. CL. 230. Conventui sancti Iusti Secusiensis super confirmatione postulationis eorumdem. 231. Abbati Monasterii sancti Miniati et Magistro Bono Canonico Florentino super cogitatione cause matrimonialis inter virum et uxorem. 232. Kalaritano et Turritano Archiepiscopis et Episcopo sancte Iuste super citatione Iudicis Turritani ad instantiam Iudicis Kalaritani.

Fol. CLI. 233. Pluribus aliis super negotio antefato.

Fol. CLII. 234. Canonicis Gradensis ecclesie super confirmatione electionis ipsius ecclesie, que Legato commissa est. 235. Abbati Kaburiensi et Preposito Ulciensi Taurinensis diocesis super revocatione pensionis date illi, qui regimini Monasterii cessit, cum esset dilapidator et inutilis ministrator. 236. Archidiacono Bituricensi respondendo ad quasdam questiones, quas circa causam matrimonialem faciebat. 237. Comitisse Trecensi confirmantur septem Castra per Comitem sibi in dotem liberaliter condonata.

Fol. CLIII. 238. Episcopo Silvanectensi et Abbati Vallisserene super absolutione Abbatis sancti Medardi Suessionensis. 239. Priori ecclesie B. Marie Magdalene iuxta Tuneburg confirmatio omnium Iurium et possessionum, que possidere dinoscuntur. 240. Eisdem confirmatur donatio eis facta de Aldinge per Episcopum Roffensem et Comitem de Clara. 241. Eisdem, quod in ecclesiis ad eos spectantibus nullus instituatur, nisi per eos fuerit presentatus. 242. Eisdem, quod tempore interdicti possint divina officia celebrare. 243. Archiepo Cantuariensi et Epo Eliensi, quod informent se, si Comes de Clara canonicam construxit et dotavit, prout asserit se fecisse. 244. Archiepo Cantuariensi et Epo Roffensi, quod Canonicos B. Marie Magdalene de Tuneburg molestare decetero non presumant.

Fol. CLIIII. 245. Epo Parisiensi, quod causas sibi commissas aliis possit committere audiendas. 246. Regi Francorum super reconciliatione Regine, quam non ut Reginam pertractat, sed plurimum indecenter. 247. Eidem Regine super eodem.

Fol. CLV. 248. Abbati Monasterii sancte Genovefe Parisiensis super controversia, que inter ipsum et Episcopum Parisiensem ratione parrochialis ecclesie de Monte est exorta.

Fol. CLVI. 249. Preposito, Decano et Capitulo ecclesie Remensis super confirmatione cuiusdam compositionis inter ipsos et Archiepiscopum Remensem amicabiliter ordinate. 250. Archiepiscopo Senonensi committitur causa super animalibus, que fratres Templi dicunt se habere in ecclesiis de sancto Quintino, de Roia et de Perona.

Fol. CLVII. 251. Capitulo et universo Clero et populo Tarentinis super facto electionis Archiepi eorumdem, quem in discordia elegerunt. 252. Archiepiscopo Regino conceditur, quod nullus decetero ipsum super eius promotione audeat molestare. 253. Eidem super beneficio absolutionis Archiepiscopo Messanensi impendendo. 254. Decano et Capitulo ecclesie Rosetensis, quod Magistrum A. recipiant in Canonicum et in fratrem. 255. Cancellario Aule Imperialis et Spirensi Episcopis, quod Wormaciensem Episcopum, qui se in Archiepiscopum Maguntinum contra canonicas sanctiones et in Abbatem Monasterii de Larissa intrusit, moneant desistere a premissis: alioquin ipsum excommunicent et Conventui inhibeant, ne sibi in aliquo pareant vel intendant.

Fol. CLVIII. 256. Comiti Brenensi supor commutatione quorumdam hincinde captorum, et pluribus et diversis magnis negociis. 257. Iacobo Mareschallo super donatione Castri Nimphe sibi facta. 258. Episcopo et Capitulo Engolismensibus, quod Magistro W. Brimacerii de prebenda Engolismensi studeant providere. 259. Preposito Siclunensi, quod O. Subdiacono pape de prebenda ipsius ecclesie etiam velit liberaliter providere.

Fol. CLIX. 260. Abbati de Ferraria et eius fratribus super confirmatione omnium Iurium, que rationabili et iusto titulo dinoscuntur possidere. 261. Archiepiscopo Remensi super absolutione Laudunensis et Morinensis Episcoporum, qui interdictum non servarunt. 262. Consulibus et populo Nimphensibus, quod Mareschallo pape prestent fidelitatis iuramentum. 263. Epo Tornacensi super eius reconciliatione ad apostolice sedis benivolentiam pleniorem. 264. Suessionensi et Belvacensi Episcopis, quod si Comes Bellimontis tantum expendit in dotationem certorum piorum locorum, quantum in transfretando expendisset, non permittant ipsum supor hoc aliqualiter molestari.

Fol. CLX. 265. Suessionensi et Parisiensi Episcopis quasi modo simili pro Comite Boloniensi. 266. Abbati et Conventui monasterii Scafusensis, quod B. clerico de ecclesia Scafusensi ad eorum collationem spectante non differant providere. 267. Episcopo et Decano Pictavensibus, quod W. Gervasii faciant recipi in Canonicum Xanctonensem, a cuius Canonia sine causa fuit per Decanum amotus. 268. Nobili viro Sergio Strofe Amalfitano super confirmatione officii Iusticiarie et Galene ecclesie perseveret (sic). 269. Episcopo Penestrino apost. sedis Legato super controversia, que orta est super electione Prepositi ecclesie Colonionsis, in qua duo sunt in discordia electi, et quod moneat eos concordare: alioquin ydoneam personam in Prepositum eis preficere non postponat.

Fol. CLXI. 270. Priori et Conventui de Novoburgo super confirmatione omnium Iurium, que iusto titulo sunt adepti. 271. Abbati et Conventui monasterii sancti Remigii Remensis super simili confirmatione Iurium eorumdem. 272. Eidem Abbati, quod monachos suos delinquentes possit corrigere, non obstante appellatione, si forsitan appellarent. 273. Maiori Priori et Conventui de Sepingham super canonizatione sancti Giliberti confessoris. 274. Archiepiscopo Cantuariensi super elevatione corporis dicti sancti confessoris gloriosi. 275. Maiori Priori et Conventui ordinis de Sepiugham conceditur protectio sancte sedis Romane, et bona que possident, eisdem etiam confirmantur. 276. Eisdem super approbatione et confirmatione Institutionum ordinis memorati.

Fol. CLXII. 277. Potestati et populo Hesinis, quod quamdam constitutionem, quam fecerunt, que ecclesiastice libertati contrariatur, revocent et ipsa amodo non utantur. 278. Electo Cameracensi confirmatur Ius prebendas in Lilirionsi ecclesia conferendi. 279. Eidom super revocatione donationum et commutationum et alienationum, que per predecessoros suos facte sine consensu Capituli extiterunt.

Fragmentum Rubrice litterarum An. XVIII. et XIX.

Fol. LXVII. 1. Regi Francorum scribitur et hortatur, ut dictis Baronibus inimicis dicti Regis Anglorum nullum impendat auxilium seu favorem. 2. Eidem super eodem et fortius exhortando, ut filio suo primogenito inhibeat, ne dictis inimicis prestet auxilium vel favorem.

Fol. LXVIII. 3. Super eodem Philippo filio suo primogenito. 4. Super eodem negocio Duci Burgundie, et diversis Archiepiscopis et Episcopis per Franciam et Angliam constitutis.

Fol. LXIX. 5. Episcopo Silvanectensi. 6. Regi Anglorum scribitur, quod ad petitionem nunciorum suorum mittitur sibi Legatus. 7. Rothomagensi Archiepo et suffraganeis eius. 8. Regi Francie super dicto negocio Regni Anglie, ut desistat.

Fol. LXX. 9. Super eodem negocio Prelatis Regni Francie. 10. Super eodem Baronibus Anglie.

Fol. LXXI. 11. Super eodem Cameracensi, Leodiensi et Traiectensi Episcopis. 12. Super eodem Regi Francie.

Fol. LXXII. 13. Super eodem Clero Londensi (Londonensi).

Incipit quaternus decimus et undecimus, et continent capitula infrascripta. 14. Sermo de Trinitate in concilio seu saucta universali synodo Rome in ecclesia sancti Salvatoris celebrato: in quo sermone fuit reprobatus libellus sive tractatus Abbatis Ioachim contra Magistrum P. Lumbardum. Sequuntur multe ordinationes per diversa capitula facte et ordinate in dicto concilio: quod concilium fuit factum et celebratum ubi supra Anno ab incarnatione dñi millesimo ducentesimo XV., die ... mensis Novembris: ot sunt in summa LXVIII. capitula. Item sunt ibi nomina Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiscoporum et Episcoporum, qui interfuerunt in dicto concilio.

Incipit quaternus duodecimus. 15. Universis Christifidelibus significatur ordinatio facta, quod Comes Tholosanus propter heresim Comitatu Tholosano perpetuo sit privatus, et quod uxor sua habeat dotalicium suum.

Fol. LXXXVII. 16. Eodem modo scribitur Archiepiscopo Narbonensi, et quod faciat CL. marchas Comitisse uxori dicti Comitis et hoc de Castro Bellicadri assignari. 17. Eodem modo Comiti Montisfortis, et quod ipse observet dictum ordinationem. 18. Tholosano et Consentino Episcopis mandatur, quod Comiti Convenarum super quibusdam gravaminibus sibi per Comitem Montisfortis illatis ministrent iusticiam, vel remittant causam ad Curiam. 19. Eodem modo Episcopo Nemausensi et duobus Archidiaconis pro Comite Fuxi. 20. Comiti Montisfortis, quod Castrum Fuxense ponat in manibus Abbatis sancti Tiberii nomine ecclesie, et ad utilitatem Comitis Fuxi tenendum, donec aliud fuerit ordinatum. 21. B. Regine Anglorum confirmatur quedam compositio inter ipsos Regem et Reginam super ipsius Regine dotalicio facta.

Fol. LXXXVIII. 22. Abbati et Conventui monasterii sancti Dionisii in Francia scribitur, et quia ab aliquibus dubitatur, an corpus beati Dionisii, quod in eodem monasterio requiescit, fuerit corpus beati Dionisii Ariopagite, qui mortuus fuit in Grecia, vel alterius, dominus papa mittit eis de veris reliquiis sive corpus illius beati Dionisii Ariopagite, et concedit omnibus visitantibus XL. dies. 23. Patriarche, Archiepiscopis et Episcopis et populo Maronitarum de novo ad fidem conversorum, et scribuntur eis morcs et ordinationcs, secundum quod debeant se regere et gubernare iuxta ritum Rom. ecclesie.

Fol. LXXXIX. 24. Imperatori Constantinopolitano conceditur, quod in capella Imperiali Constantinopolitana sibi possit celebrari tempore interdicti. 25. Tribus Epis mandatur, quod audiant querelam, quam Imperator Constantinopolitanus facere intendit contra quosdam, qui iura, que habet in quibusdam monasteriis, sibi exhibere contradicunt. 26. Eisdem Episcopis, ut compellant certos Barones et Nobiles, ut iura et proventus, que ipsi tenentur solvere, Imperatori Constantinopolitano persolvant. 27. Eisdem, ut dictos Barones a presumptione iurium super regalibus pertinentium ad dictum Imperatorem, que dicti Barones sibi vendicant, compescant. 28. Capitulo Constantinopolitano et confirmatur numerus XXXV. Canonicorum et XL. prebendarum in ecclesia Constantinopolitana institutus. 29. Leodiensi et Cisterciensi Episcopis, ut compositionem inter Regem Anglorum et B. Reginam antiquam Anglorum factam super dotalicio ipsius Regine faciant observari. 30. Suffraganeis ecclesie Turritane conceditur, quod nullus possit ab eis petere, ultra quam in censuali Camore apostolice continetur. 31. Eisdem, quod cum ipsi nullum habeant metropolitanum, committitur Archiepiscopo Turritano, quod corrigat, edificet et plantet usque ad trienninm.

Fol. LXXXX. 32. Universis Crucesignatis per Colonionsem provinciam constitutis assignatur terminus, quod in Kal. Iunii debeant in Regno Sicilie convenire. 33. Super eodem eisdem per provinciam Maguntinam constitutis. 34. Super eodem eisdem per provinciam Treverensem constitutis.

Fol. LXXXXI. 35. Eisdem per diocesim Verdensem constitutis, et significatur eis, quod vota quorumdam inutilium Crucesignatorum vult commutare ad tempus, et super hoc, quod ipsos eligant, certis committitur. 36. Et nominantur dicti electores in certis diocesibus. 37. Capitulo Aversano mandatur, ut Silvestrum Acolitum et Capellanum pape admittant ad prebendam Aversanam, de qua vacante eidem extitit provisum.

Fol. LXXXXII. 38. Archiepiscopo Idrontino declaratur, quod in causa, que inter ipsum ex parte una et Abbatem et Conventum Monasterii sancti Nicolai de Casulis super subiectione ex altera (vertebatur), est lata sententia pro dicto Archiepiscopo et contra dictos Abbatem et Conventum super dicta subiectione. 39. Abbati et Conventui Monasterii sanctorum Apostolorum de Mireno conceditur, quod de bonis eorum non teneantur decimas exolvere. 40. Eodem modo Abbati et Conventui Monasterii sancte Marie Costhime. 41. Eodem modo Abbati et Conventui Monasterii dompni Meletii. 42. Eodem modo Abbati et Conventui Monasterii sancti Salvatoris de Sagniaca. 43. Eodem modo Abbati et Conventui Monasterii sancte Marie Agriotisse.

Fol. LXXXXIII. 44. Magistro et fratribus domus militie Templi Iherosolimitani, et animantur, ut sint attenti et fortes in negocio sancti passagii ultramarini. 45. Eodem modo fratribus et Magistro sancti Iohannis Iherosolimitani. 46. Eodem modo Regi Iherolimitano. 47. Prepositus Constantinopolitanus recipitur sub protectione sedis apostolice. 48. Archiepiscopo Narbonensi mandatur, ut si aliqua de bonis Comitatus Melgorii alienata invenerit, ad ius et propriotatem ecclesie Magalonensis revocare procuret. 49. Universis Baronibus et Militibus in Comitatu Melgorii constitutis, quod Episcopo Maga-

lonensi prestent sicut vero domino fidelitatis iuramenta. 50. Remensi Archiepiscopo et eius Suffraganeis, quod B. de Anesuis subdiaconum excommunicatum, pro eo quod cum Margarita sorore Comitisse Flandrie consanguinea sua matrimonium fraudulenter contraxit, denuncient excommunicatum. 51. Universis Christifidelibus significatur quedam ordinatio facta per dñum papam inter R. tit. sancti Stephani in Celiomonte ex parte una, et prelatos et subditos ecclesie Gallicane super quibusdam questionibus inter dictas partes vertentibus ex altera.

Fol. LXXXXIIII. 52. Universis Archiepiscopis et Episcopis mandatur, ut quosdam, qui voverant in terre sancte subsidium profiscisci et nunc (non) volunt votum adimplere, ad prosequendum votum ipsum compellant. 53. Universis Ecclesiarum Prelatis, quod a Crucesignatis seu ab illis, qui res deferunt Crucesignatorum in subsidium terre sancte non permittant per quoscunque pedagia extorqueri. 54. Magistro R. scriptori pape, recipitur ipse una cum beneficiis etc. sub protectione sedis apostolice. 55. Eidem super eodem. 56. Decano et Cantori sancte Marie de Blakerna et Preposito de Langurio, et confirmatur quedam compositio inter ipsos ex parte una, et Abbatem et Conventum sancti Angeli Cisterciensis ordinis super monasterii sancti Foce facta ex altera. 57. Salumbriensi Episcopo mandatur, quod exeqnatur quedam sibi commissa per Episcopum Albanensem Legatum super questione vertente inter Decanos et Capitula ecclesiarum sancte Marie de Kakerna et sancti Michaelis Butreleonis. 58. Eidem, ut predictos Decanos et Capitula possit a gravi iniectione (manuum) absolvere, nisi essent graves seu enormes excessus. 59. Archiepiscopo et Capitulo Bracharensibus assignatur terminus, quod compareat in Curia super iure primarie dicti Archiepiscopi et Archiepiscopi Tholetani. 60. Certis Iudicibus mandatur, quod super premissis litteras apostolicas dictis Archiepiscopo et Capitulo publice presentent. 61. Patriarche Iherosolimitano conceditur, quod postquam exercitus christianus ad partes illas pervenerit transmarinas, in provincia Iherosolimitana officio legationis fungatur. 62. Archiepiscopis et Episcopis et aliis prelatis per dictam provinciam constitutis, quod eidem Patriarche tanquam Legato, ut prefertur, pareant et intendant. 63. Regi Iherosolimitano, quod habeat concordiam cum Regibus Cipri et Armenie, et quod mittat galeas suas Patriarche Iherosolimitano et duobus aliis Archiepiscopis ad effugandum galeas Sarracenorum. 64. Super eodem Regi Armenie, Regi Cipri et principi Antiochie.

Fol. LXXXXV. Incipit decimustertius quaternus. 65. Regi Iherosolimitano et Magistris Templi et Hospitalis significatur, quod mittitur eis pecunia in subsidium terre sancte, et hortantur, quod se habeant solicite et prudenter in negociis contra fidei inimicos. 66. Universis Nobilibus per Arragoniam et Cathaloniam constitutis significatur, quod certi Prelati et Nobiles illarum partium ordinantur consiliarii in terris ipsis pro Iacobo nato quondam P. Regis Arragonum pupillo. 67. Universis Civibus Cathalonie et Arragonie mandatur, ut pro redemptione nonnullorum bonorum dicti pupilli in pignora obligatorum subsidium oportunum impendant. 68. Universis hominibus Montispessulani mandatur, ut de universis proventibus et iuribus ad dictum pupillum spectantibus Magistro militie Templi in Ispania pro conservatione dicti pupilli respondere procurent.

Fol. LXXXXVI. 69. Patriarche Constantinopolitano et Archiepiscopo et Canonico Thebanis mandatur, ut quamdam sententiam apostolicam contra G. Archiepiscopum Corinthiensem et Cardicensem et Castoriensem Episcopos criminosos executioni demandent, et iniungant Capitulis ecclesiarum, ut sibi et ipsis ecclesiis provideant de bonis personis. 70. Archiepiscopo et Cantori ac Canonico Thebanis mandatur, ut dictum G. Archiepiscopum Corinthiensem, qui monachus est, compellant redire ad claustrum unde exivit. 71. Saphedino Soldano Babilonie et Damasci scribitur, et hortatur, ut provinciam Iherosolimitanam dño pape restituat, et mittuntur sibi super hoc certi nuntii, et rogatur, ut eos benigne recipiat. 72. Mandatur aliquibus, ut certos viros eligant, qui litteras apostolicas cum dictis nuntiis dicto Soldano deferant, et si possint, cum restitutione dicte provincie ineant pacem cum eo. 73. Capitulo Wratislaviensi scribitur, quod rescissio facta per Episcopum Wratislaviensem auctoritate apostolica super decimis de quibusdam desertis in diocesi Wratislaviensi existentibus approbatur. 74. Eodem modo Episcopo Cinamensi (Caminensi) et quibusdam aliis, quod compellant Tentonicos ad solvendas decimas de dictis terris seu desertis. 75. Super eodem Duci Zlesie, quod permittat dictas decimas persolvi. 76. Abbati et Conventui sancti Demetrii scribitur et recipiuntur sub protectione beati Petri, et quod non teneantur solvere decimas de terris, quas propriis manibus excolunt.

Fol. LXXXXVII. 77. Eodem modo Abbati et Conventui monasterii sanctorum Cosme et Damiani ad Zanabela. 78. Eodem modo Abbati et Conventui monasterii sancti Luce de Strio. 79. Eodem modo Abbati et Conventui monasterii de Campis. 80. Eodem modo Abbati et Conventui monasterii

s. Demetrii super Sabam. 81. Eodem modo Abbati et Conventui monasterii sancti Theodosii de Montesegor. 82. Eodem modo Abbati et Conventui monasterii s. Demetrii Grecorum de Ungaria. 83. Patriarche Constantinopolitano indulgetur, quod subditos suos ab iniectione manuum et etiam falsarios possit absolvere, et Reges in Constantinopolitano Imperio inungere. 84. Eidem indulgetur, ut non obstante iuramento in susceptione pallei prestito, quod possessiones ad mensam suam patriarchalem spectantes non possit vendere seu alienare, donare seu pignori obligare, possit huiusmodi facere de consilio prudentum, prout ecclesie sue fuerit expediens, Romano pontifice inconsulto. 85. Archiepis, Episcopis et aliis prelatis ecclesie Constantinopolitane subiectis mandatur, ut G. olim Archiepiscopo Eracliensi in Patriarcham Constantinopolitanum electo obediant tamquam Patriarche confirmato. 86. Patriarche Constantinopolitano et diversis aliis Archiepiscopis scribitur, et quedam compositio dudum super resignatione ecclesiarum et monasteriorum per Nobiles, Principes et Barones commorantes a confinio Thessalonicensis Regni usque Corinthi in manibus G. olim Patriarche Constantinopolitano facta confirmatur, et inseritur tenor dicte compositionis. 87. Eidem Patriarche indulgetur, ut in dominicis et precipuis solempnitatibus possit personas ydoneas in subdiaconos promovere, et quod possit constitutos in dignitatibus baculis, mitris et anulis insignire, et quod una cum Legato possit in illis partibus aliquos unire episcopatus. 88. Imperatori Constantinopolitano scribitur et hortatur, ut quamdam ordinationem super decimis in terris suis factam exequi faciat atque mandet. 89. Super eodem dicto Patriarche, et quod ad hoc exequendum dictum Imperatorem inducat. 90. Imperatori Constantinopolitano scribitur et confortatur super quibusdam suis penuriis et tribulationibus, et hortatur, ut ecclesias tueatur ab incursibus malignorum. 91. Patriarche Constantinopolitano conceduntur palleum et multa alia privilegia et libertates. 92. Archidiacono Constantinopolitano conceditur, quod possit Archidiaconatus uti officio, prout in iure canonico continetur. 93. Patriarcho Constantinopolitano, quod Archidiacono de aliquo provideat beneficio, unde possit vite necessaria sustentare.

Fol. LXXXXIX. 95. Universis clericis in diocesi Constantinopolitana constitutis, hortantur quod dictum Archidiaconum, cum ad eos declinaverit causa visitationis, benigne recipiant et admittant.

Fol. c. 95. G. Raymundi de Montecatano precipitur, quod Episcopo Vicensi et ecclesie ac clericis suis de dampnis et iniuriis datis satisfaciat competenter. 96. Super eodem Archiepiscopo Terraconensi et Episcopo Barchinonensi mandatur, ut ad faciendam premissam satisfactionem dictum G. Raymundi compellant. 97. Certis Iudicibus mandatur, ut Albertinum familiarem Cancellarie faciant in ecclesia Placentina recipi in Canonicum et in fratrem. 98. Episcopo Laoniensi mandatur, quod inducat Epm Cluniensem pro eo, quia non potest terram sanctam, sicut voverat, visitare, ad dandum in dicte terre subsidium, quantum dedisset seu expendisset, si personaliter visitasset, et quod absolvat eum a dicto voto. 99. Magistro et fratri Aymaro Thesaurario domus militie Templi Parisiensis mandatur, quod nove milia marchas sterlingorum redactas in aurum, quas habent nomine ecclesie, pro subsidio terre sancte transmittant. 100. Episcopo et Capitulo Caminensibus, quod ecclesie Magdeburgensi obediant et intendant. 101. Magistro et fratribus hospitalis sancti Samsonis confirmantur in forma bona eis et dicto hospitali collata. Item eisdem, et recipiuntur cum omnibus bonis suis sub protectione, et debent propterea dare Romane ecclesie anno quolibet tria yperpera. 102. Abbati et Conventui Cluniacensi declaratur et ordinatur, quod electio et institutio Prioris de Caritate ad dictum Abbatem pertineat.

Fol. CI. 103. Archiepo Nidrosiensi, ut nonnullos sue diocesis possit a gravi iniectione (manuum) absolvere, nisi excessus graves fuerint et enormes. 104. Abbati monasterii de Alva indulgetur, ut de certis terris et locis dicti monasterii non teneantur dare decimas. 105. Iacobo Archidiacono Corinthiensi, confirmatur sibi Archidiaconatus in forma. 106. Certis Iudicibus mandatur, quod Principem Antiochenum et Latinos in civitate Antiochena commorantes compellant ad solvendum decimas de terris, quas excolunt sive excoli faciunt. 107. Willelmo Abbati monasterii sancti Stephani Baciatensis scribitur et renovatur quoddam privilegium per fel. rec. dūm Benedictum papam dicto Monasterio concessum super libertate dicti monasterii, et inseritur tenor.

Fol. CII. Incipit quartusdecimus quaternus. 108. Albiensi et Caturcensi Epis datur in mandatis, ut aliqua bona ablata Duaco Alamanno per Comitem Montisfortis ad restituendum eidem Duaco dictum Comitem compellant. 109. Archiepiscopo et Capitulo Turonensibus confirmatur quedam compositio super electione Decani et preposituris inter ipsos facta. 110. Certis Iudicibus mandatur, ut in causa vertente inter Tholetanum et Bracharensem Archiepiscopos recipiant testes, quos utraque pars producet, ipsosque examinent et eorum depositiones mittant ad Curiam. 111. Salzeburgensi Archiepiscopo, quod

in una parte sue diocesis, videlicet in Insula Chimiensi in monasterio quorumdam Canonicorum regularium posait erigi quedam ecclesia Cathedralis. 112. Comiti Montisfortis et eius uxori conceditur, quod possint in locis interdictis divina officia audire. 113. Baronibus et Nobilibus per Arragoniam et Cathaloniam mandatur, ut treugam inter ipsos et Comitem Montisfortis initam inviolabiliter observent.

Fol. CIII. 114. Diversis Archiepiscopis et Episcopis mandatur, ut Comiti Montisfortis impendant consilium et favorem. 115. Super eodem Nobilibus per diversas provincias constitutis. 116. Comiti Montisfortis, ut ecclesias et personas ecclesiasticas habeat recommondatas, et eas protegat et defendat. 117. Henrico plebano ecclesie de Norprestorf scribitur, et arbitrium super questione, que inter ipsum et quemdam presbiterum vertebatur, dictum confirmatur. 118. O. de Rocca dño Athenarum scribitur, et concessio sibi de Castro, quod Lavadia nuncupatur, per ipsum ecclesie Romane dato per Episcopum Albanensem Legatum cum censu annuo duarum marcharum facta confirmatur.

Fol. CIIII. 119. Episcopo Vicensi et duobus aliis committitur et mandatur, ut monasterio Rimpollensi, a cuius administratione Abbas ipsius monasterii est suspensus, et eidem administrationi de persona ydonea prouideant. 120. Certis Iudicibus mandatur, ut quosdam campsores Caturcenses, qui in fraudem nonnullorum suorum creditorum ad Claustrum Trecense confugerant, si reperiantur huiusmodi fugam in frandem fecisse, de dicto Claustro eiciant et eici permittant per curiam temporalem. 121. Maio Comes Cephalonie et Iacincti scribit dño pape, quod si ipse moriatur sine legitimis heredibus, vult quod Romana ecclesia bona sua possideat libere et disponat, et interim offert annuatim eidem ecclesie iperpera quinquaginta. 122. Eidem scribitur et sibi de oblatis regratiatur, et confirmatur dicta oblatio. 123. Regi Francorum scribitur ot hortatur, ut Iacobum natum Regis et Regine Arragonum et heredem super dominio Montispessulani non impediat seu molestet, nec ab aliis molestari permittat. 124. Mandatur, ut P. tit. sancte Prudenciane Cardinalem Legatum, qui ad partes illas pro negociis Imperii mittitur, benigne recipiant et pertractent.

Fol. CV. 125. Eidem P. tit. sancte Prudenciane Legato scribuntur certa capitula, secundum que habet procedere in officio legationis sibi commisse. 126. Eodem modo eidem et alia scribuntur capitula. 127. Eodem modo eidm et alia scribuntur capitula. 128. Patriarche Iherosolimitano et quibusdam aliis mandatur, ut Archiepm Tirensem inducant in possessionem ecclesie sancti Marci Tirensis 129. Priori Grandimontensi scribitur et ordinatur, quod in quibuslibet cellulis Grandimontensis ordinis per ipsum Priorem et successores snos unus presbiter ordinetur, et quedam alie ordinationes scribuntur in ipsis litteris.

Fol. CVI. 130. Biturícensi, Senonensi et Turonensi Archiepiscopis mandatur, ut quoscumque rebelles contra Priorem Grandimontensem et eius ordinis statuta etc. a rebellione cessare compellant. 131. Prelatis per Sardiniam constitutis, quod quasdam sentencias excommunicationis ferendas contra Pisanos, qui terras Sardinie contra prohibitionem ecclesie occuparant, in suis diocesibus publicent. 132. Archiepiscopo et Capitulo Dublinensibus confirmatur quedam ordinatio facta per bone memorie Iohannem Paperon presb. Cardinalem Legatum super ordinatione sedis metropolitane in ecclesia Dublinensi. 133. W. clerico confirmatur ecclesia de Usiac sibi per Abbatem Aureliacensem collata 134. Super eodem Iudicibus, ut dictum clericum non permittant super ipsa ecclesia ab aliquo molestari.

Fol. CVII. 135. Prelati per Iberniam constituti reprehenduntur, quia inepte et inconsulte procedunt in decisionibus causarum et absque consilio peritorum: mandatur eis, quod decetero non procedunt in talibus decisionibus nisi de consilio peritorum. 136. Archiepiscopo Dublinensi mandatur, ut cassatis conspirationibus et coniurationibus in Regno Ibernie contra Regem Anglorum attemptatis, si reperiat aliquos contra ipsum Regem insurgere, ad desistendum ipsos compellat. 137. Iudicibus mandatur, ut clericos et personas ecclesiasticas, qui non verentur communicare cum excommunicatis, qui contra Regem Anglorum dominum suum insurrexerunt, puniant canonica censura. 138. Regi Conachie scribitur et hortatur, ut constitutiones ordinatas in sancta Synodo studeat observare, et quod electiones Episcoporum et Abbatum a clericis facere permittat. 139. Episcopo et Capitulo Burgensibus scribitur, quod super questione, que inter ipsos ex parte una, et Epm Oxoniensem ex altera super certis locis, que utra pars ad se pertinere dicebant, absolvuntur ipse partes ab impetitionibus mutuis, et decernitur, quod qui tenet, teneat et possideat. (Fol. CVIII. deest.)

Fol. CIX. Incipit quintusdecimus quaternus. 140. Presbiteris decanatus de Flavigniaco Laudunensis dioc. scribitur, et confirmatur quedam ordinatio facta per magistrum Peregrinum Capellanum pape super questione, quo inter ipsos presbiteros ex parte una et Archidiaconum Laudunensem verte-

batur ex altera super iure visitationis dicti Archidiaconi. 141. Episcopo et Capitulo Seguntinis, fuit lata pro eis sententia in quadam causa vertente inter ipsos ex parte una, et Epum Oxoniensem (ex altera) super iuribus quibusdam, que ipse Episcopus ab eisdem Epo et Capitulo petebat. 142. Dispensatur cum Morgano preposito Beverlacensi, ut non obstante defectu natalium possit ad quamcumque dignitatem eligi seu postulari. 143. Capitulo Remensi, confirmantur eis quedam decime et alia bona, que iuste possident.

Fol. cx. 144. Archiepo Remensi et oius suffraganeis mandatur, quod nichil attemptent contra libertates suarum ecclesiarum et Capitulorum. 145. Eodem modo Archiepo Senonensi et eius suffraganeis. 146. Magister et fratres militie Templi eximiuntur a solutione quarumdam impositionum, quas Abbas et Conventus monasterii Compediensis ab eis petere nitebantur. 147. Iudicibus mandatur, nt quamdam sententiam latam pro Archiepo Tuanensi et contra Archidiacouum Maiovensem executioni demandent. 148. Abbas et Conventus sancti Iohannis Veliacensis recipiuntur sub protectione beati Petri cum quibusdam bonis suis expressatis.

Fol. cxi. 149. Henrico Regi Suecie, et confirmatur coronatio et inunctio facta per Archiepm Upsalensem, et recipitur ipse Rex et regnum sub protectione beati Petri. 150. Episcopo Wesprimiensi conceditur, quod sibi et ecclesie sue, quia Archiepus Strigoniensis ipsum tamquam excommunicatnm vitavit, nullum possit imposterum proindicium generari. 151. Archiepo Bituricensi et eius suffraganeis mandatur, nt inxta ordinationem factam in Concilio solvant certo termino Vicesimam partem omnium proventuum suorum et eorum nuntiis ad hoc deputatis in subsidium terre sancte. 152. Eodem modo diversis Archiepis et eorum suffraganeis, et fuerunt deputati ad levandum Magistri domorum militie Templi et Hospitalis Iherosolimitani et nonnulli alii viri ecclesiastici.

Fol. cxii. 153. Sacriste et Capitulum sancte Crucis Cameracensis recipiuntur una cum bonis suis, sicut ea iuste possident, sub protectione beati Petri etc. in forma. 154. Archiepiscopis et Epis per Regnum Francie constitutis mandatur, ut inhibeant universis Christianis, maxime Crucesignatis, ne Iudeos seu eorum familiares molestent. 155. Regi Castelle inhibetur, ne quovismodo contrahat cum sorore Regis Portugalie in tertio seu quarto consanguinitatis gradu attenente. 156. Archiepiscopo Rothomagensi et eius suffraganeis mandatur, ut cum Magistro H. de Andeleyero Canonico Rothomagensi deputato ad predicandum verbum Crucis alium sibi fidelem et ydoneum adiungant. 157. Abbati et clerici de Caveis Rubeis mandatur, nt Episcopo Rugensi (?) obedientiam et reverentiam exhibeant, ut teneutur. 158. Abbati Maiorismonasterii Turonensis mandatur, ut super usu primatie Bituricensis et Burdegalensis cum senis et valitudinariis (sic) per se vel alios se informet, et informationem transmittat.

Fol. cxiii. 159. Iudicibus mandatur, nt nonnulla ablata per Archiepiscopum Bracharensem a Priore et Capitulo Vimaranis faciant restitui, et super subiectione sen privilegio exemptionis ipsorum Prioris et Capituli partes audiant et decidant. 160. Regi Danorum confirmatur additio certorum terminorum Regno suo per Fredericum in Imperatorem electum facta, prout iuste etc. 161. Regine Danornm confirmatur qnedam donatio per dictum Regem propter nuptias sibi facta. 162. Abbati et Conventui monasterii sancti Egidii confirmatur quedam sententia pro eis lata et contra Comitem Tholosanum super villa sancti Egidii. 163. Priori et fratribus in Insula maris apud Mantecum confirmatur exemptio de ipsis et eorum ecclesiis et bonis per Alexandrum papam facta scu concessa. 164. Iudicibns mandatur, nt in causa vertente inter Comitem Campanie et Philippam illegitimam quondam Henrici Comitis Campanie super iure successionis Comitatus Campanie ipsis partibus certum assignent terminnm, nt conspectui apostolico se presentent, et quod interim terram dicti Comitatus in statu, in quo est, conservent.

Fol. cxiiii. 165. Regi Francie super eodem, quod dictum Comitatum non permittat per aliquem turbari. 166. Comtisse Campanie et T. eius filio indulgetur, ut ipsi non possint excommunicari et eorum terre interdici. 167. Iudicibus super eodom, ut non permittant dictos Comitem et Comitissam super indulto huiusmodi molestari. 168. Episcopo Legioncnsi annotatur quedam ordinatio facta per sedem apostolicam in quadam causa vertente inter ipsnm Episcopum, et Abbatem sancti Facundi super iurisdictione Burgi sancti Facundi et etiam aliarum terrarum. 169. Archiepiscopo lanuensi et duobus aliis mandatur, nt se informent super exactione indebita pedagiorum Marchionum Malespine, que consueverunt recipere a clericis et peregrinis, et quod eos ad desistendum pedagia ipsa recipore indebite compellant. 170. Eisdem, ut pacem inter quosdam Nobiles ad iurisdictionem Lunensis ecclesie pertinentes, qui in discordia esse noscuntur, studeant reformare.

Fol. CXV. 171. Consulibus et populo Ianuensibus mandatur, ut Ildebrandinum et alios Vicedominos, qui in diocesi Lunensi proditionem commiserint, in eorum districtu nullatenus receptent, et quod assistant Epo Lunensi. 172. Comiti Montisfortis et G. eius fratri mandatur, ut Ademaro de Nayraco super restitutione cuiusdam Castri sui per Vezianum fratrem suum proditorie capti dent auxilium et iuvamen. 173. Archiepiscopo Narbonensi et diversis aliis Episcopis, ut sententiam excommunicationis latam contra dictum Vezianum per Episcopum Albiensem publicent, et eam faciant observari. 174. Potestati et populo Anconitanis mandatur, ut a quadam prava exactione, quam faciunt contra Crucesignatos, desistant, et ipsis Crucesignatis provideant de navigiis pretio competenti. 175. Certis iudicibus mandatur, ut inquirant de quadam magna summa pecunie per quondam Episcopum Pragensem congregata in subsidium terre sancte, penes quos esse noscatur, et referant. 176. Confirmatur pax inter Potestatem et populum Mediolanenses et Venetos ac Tervisinos cives per Patriarcham Aquilegensem et Episcopum Mantuanum reformata. 177. Potestati et populo Mediolanensibus significatur, quod duo Legati eis mittuntur, et quod dominus papa est ad eorum civitatem venturus, et hortantur quod in hiis, que ipsi Legati eis dicent, velint acquiescere.

Fol. CXVI. Incipit quaternus sextusdecimus. 178. Eodem modo universis Potestatibus et Magnatibus et populis Lombardie. 179. Abbati et Superiori Altobacie: respondetur cuidam eorum consultationi super causa vertente inter Priorem et Canonicos sancti Vincentii ex parte una, et Preceptorem ac fratres sancti Iacobi diocesis Ulixbonensis. 180. Universis etc. confirmatur quedam compositio facta inter Comitem Iacobum Rectorem Patrimonii ex parte una, et milites et populum Radicofani ex altera. 181. Archiepiscopo Dublinensi et eius suffraganeis confirmantur nonnulla bona et possessiones, et definantur in littera, et conceduntur eidem Archiepiscopo multa privilegia.

Fol. CXVII. 182. Episcopo Elborensi et duobus aliis mandatur, ut fratres militie Templi in Yspania publicent ipsos non fore ligatos aliquo excommunicationis vinculo per Episcopum Ulixbonensem in eos forsan late. 183. Certis mandatur iudicibus, ut Abbatissam et Conventum monasterii Romaricensis non permittant ab aliquibus indebite molestari. 184. Ministris et fratribus sancte Trinitatis scribitur, et eorum Regula in aliquibus articulis moderatur.

Fol. CXVIII. 185. Waldemarius natus Wald. Regis Danorum per patrem suum in Regem Dacie constitutus recipitur sub protectione beati Petri et sedis apostolice. 186. Capitulo Roskildensi mandatur, ut Archiepiscopo Lundensi tamquam provisori eorum ecclesie vacantis pareant et intendant. 187. Super eodem Archiepiscopo Lundensi, quod provisionem recipiat ecclesie Roskildensis predicte. 188. Universis Christifidelibus per Slewicensem provinciam constitutis mandatur, ut censum, in quo beato Petro tenentur, restituant et persolvant. 189. Episcopis et aliis Prelatis per Lundensem provinciam constitutis mandatur, ut in hiis, que Archiepiscopo Lundensi per dominum papam sunt commissa, eidem pareant et intendant. 190. Lingacopensi, Stregiensi et Arusiensi Epis mandatur, ut Archiepo Upsalensi transferendi ecclesiam Cathedralem seu sedem ad locum, qui dicitur Sittim, si sit expediens, tribuant potestatem. 191. Archiepiscopo Lundensi mandatur, ut monachos de Purregio moneat et inducat, ut de bonis ecclesie sita iuxta Civitatem Slewicensem, cuius bona ipsi monachi possident, personis ipsi ecclesie deservituris provideant, ut tenentur. 192. Universis Christifidelibus mandatur et hortantur, ut cum armis subveniant Christianis in ultramarinis partibus pugnantibus in subsidium terre sancte.

Fol. CXIX. 193. Potestati et populo Paduanis mandatur, ut quandam ordinationem seu statutum per eos contra eorum Episcopum factam revocent. 194. Fratribus militie Templi conceditur, quod solvendo Episcopo Ulixbonensi quinque solidos annuos a iurisdictione dicti Episcopi super iurisdictione ecclesiarum de Thomar sint exempti. 195. Episcopo Wesprimiensi scribitur, et fuit prohibitum sententialiter fratribus hospitalis sancti (Iohannis) Ierosolimitani sancti Stephani Albensis, quod ipsum Epum super perceptione decimarum ecclesie Wesprimiensi pertinentium in aliquo non perturbent.

Fol. CXX. 196. Archiepiscopo Remensi et eius suffraganeis, ut sententias latas contra Lodovicum primogenitum Regis Francie et sequaces suos, qui invadunt Regnum Anglie, publicent et eas faciant observari.

Fol. CXXI. 197. Eodem modo diversis Archiepiscopis et eorum suffraganeis per Regnum Francie constitutis. 198. Episcopo et Abbati sancti Victoris Parisiensibus mandatur, ut Cancellario Londonensi et quibusdam aliis suspectis de iniquitate, que contra Regem Anglie perpetratur, assignent terminum, ut se conspectui apostolico representent. 199. Archiepiscopis et Episcopis per Regnum Francie

constitutis mandatur, ut permittant Iudeos talem gestare habitum, per quem possint inter Christianos decerni, nec ad talem portandum compellant, per quem possent vite dispendium sustinere. 200. Abbati et Conventui monasterii sancti Cucufaci, et annotatur eis confirmatio monasterii ipsius cum omnibus pertinentiis suis facta per dominum Benedictum.

Fol. CXXII. 201. Iohanni de Castronovo indulgetur, ut non obstante quod pater suus fuerit hereticus, possit ad omnes ordines promoveri. 202. Certis Abbatibus et Prioribus mandatur, ut iuxta ordinationem factam in concilio generali in festo beati Luce convenientes in sancto Dionisio celebrent capitulum.

Fol. CXXIII. Incipit septimusdecimus quaternus. 203. Abbati et Conventui Pulceriarum confirmatur quedam ordinatio facta super Iurisdictione, quam Episcopus Lingonensis ab eisdem Abbate et Conventu exigebat. 204. Magistro et fratribus militie Templi annotantur quedam privilegia eis per Romanos pontifices concessa, et confirmantur.

Fol. CXXIIII. 205. Episcopo Carcassonensi respondetur super quibusdam consultationibus suis de heresi et de decimis. 206. Consulibus Ianuensibus, ut quosdam eorum concives inducant ad revocandum quemdam tractatum inter eos et nonnullos nuntios apostolicos super conductu navium in subsidium Crucesignatorum. 207. Universis per Ducatum Spoleti et Comitatum Assisii constitutis, ut Comitem Iacobum consobrinum et marescallum pape recipiant in Rectorem. 208. Abbati monasterii de Pulceriis et eius fratribus scribitur, et recipiuntur unacum quibusdam bonis suis expressatis sub beati Petri protectione in forma.

Fol. CXXV. 209. Eodem modo Abbatissa et Conventus monasterii sancti Iohannis in Deserto Cremonensis diocesis. 210. Episcopo Tirasonensi et duobus aliis mandatur, ut se informent, in quo H. Rex Castelle et M. soror Regis Portugalie gradu existunt, et referant. 211. Comiti Sancio Aragonie et Catalonie mandatur, ut iuxta continentiam litterarum Cardinalis Legati exequatur officium procurationis sibi commissum.

Fol. CXXVI. 212. Abbati et Conventui monasterii Casinensis ordinantur capitula seu statuta, secundum que debeant vitam ducere regularem.

EPISTOLAE HONORII PP. III.

LXXVIII.

Iudicibus, ut episcopum Nonensem ad conspectui apostolico se presentandum compellant. Reg. An. I. ep. 455. fol. 111.

HONORIUS EPISCOPUS etc. Venerabilibus fratribus... Veglensi et Tragurien̄si Epis, salutem etc. Dilectus filius N. Subdiaconus, Canonicus Spalatensis, apud sedem apostolicam constitutus coram dilecto filio Magistro G. Capellano nostro, sibi a bone memorie I. papa predecessore nostro, et postmodum a nobis auditore concesso, proposuit, quod cum in Episcopum Nonensem canonice fuisset electus, Venerabilis frater noster Archiepiscopus Spalatensis G. Archipresbiterum Spalatensem, non electum a clerico, vel a populo expetitum, pro sua voluntate in quadam villa rurali presumpsit in Episcopum predicte ecclesie consecrare, et licet tam consecranti quam consecrato a predicto predecessore nostro, sicut accepimus, mandatum fuerit, ut propter hoc se apostolico conspectui tempore generalis concilii presentaret, vobisque mandatum fuerit ab eodem, ut super dicti N. electione inquisita diligentius veritate, quod inveneritis, fideliter referatis: quia predicti Archiepiscopus et Episcopus tempore generalis concilii apud sedem apostolicam constituti de hiis, pro quibus specialiter vocati fuerant, non habita mentione recedere presumpserant, idem suam nondum potuit iustitiam obtinere: quocirca fraternitati vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus dicto Nonensi Episcopo auctoritate nostra firmiter iniungatis,

ut in festo sancti Luce proxime venturo per se vel procuratorem idoneum apostolico conspectui se presentet exhibiturus et recepturus super hiis, quod postulat ordo iuris: alioquin ne mandatum apostoli cum totiens elusisse videatur impune, ipsum extunc, sublato cuiuslibet contradictionis et appellationis obstaculo, ab officio et beneficio suspendatis. Datum Anagnie VII. Kalendas Iunii, Pontificatus nostri Anno Primo.

LXXIX.

Archidiacono et capitulo Iadertinis, ut nisi velint consentire, ut patriarcha Gradensis confirmet et consecret electum Iadertinum, ad curiam procuratores suos mittant. Reg. An. III. ep. 472. fol. 110.

HONORIUS EPISCOPUS etc. Dilectis filiis ... Archidiacono et Capitulo Iadertinis, salutem etc. Venerabilis frater noster ... Gradensis Patriarcha nobis fecit humiliter supplicari, ut confirmandi et consecrandi electum, pallei nobis traditione servata, prout in Gradensis ecclesie privilegiis asserit contineri, licentiam concedere dignaremur: quam ei non concessimus, ne si forte secus esset vobis posset exinde preiudicium generari. Ideoque discretionem vestram monemus, attente per apostolica scripta mandantes, quatenus nisi forte consentire velitis, ut prefatus Patriarcha electo vestro munus confirmationis et consecrationis impendat, in proximo festo beati Martini, quod vobis pro peremptorio termino assignamus, nostro vos per procuratores idoneos conspectui presentetis, ut negotii meritis cognitis procedamus exinde, prout secundum deum viderimus procedendum, scientes nos Patriarche predicto eundem terminum prefixisse. Datum Rome apud Sanctum Petrum VII. Kalendas Iunii, Pontificatus nostri Anno Tertio.

LXXX.

Patriarchae Gradensi, ut iure suo in confirmando et consecrando electo Iadertino utatur.
Reg. An. III. ep. 598. fol. 139

HONORIUS EPISCOPUS etc. Venerabili fratri ... Patriarche Gradensi, salutem etc. Olim te postulante a nobis, ut confirmandi et consecrandi ... Iadertinum electum, pallei nobis traditione servata, prout in Gradensis ecclesie privilegiis asseris contineri, licentiam tibi concedere dignaremur, nos id facere recusantes, ne si forte aliter esset, exinde posset ecclesie Iadertine preiudicium generari, per nostras litteras dedimus ipsius ecclesie Archidiacono et Capitulo in mandatis, ut nisi forte consentire vellent te suo impendere munus confirmationis et consecrationis electo, in festo beati Martini proximo procuratores idoneos ad nostram presentiam mitterent, ut cognitis negotii meritis procedemus in ipso, prout esset secundum iustitiam procedendum, tibi eundem terminum prefigentes. Nuper autem ipsorum ac tuo procuratoribus propter hoc in nostra presentia constitutis, ex dictis eiusdem procuratoris ipsorum, et etiam ex eorum litteris et quodam publico instrumento perpendimus, quod affectant, ut electus confirmationem et consecrationem a te recipiat sepedictus, unde non opponimus nos, quin in hiis et aliis utaris libere iure tuo. Datum Viterbii II. Idus Novembris, Pontificatus nostri Anno Quarto.

In e. m. ... Archidiacono et Capitulo Iadertinis.

LXXXI.

Eidem patriarchae, ut Tristensem (Tergestinum) episcopum, qui nuntios regis Hungariae ad sedem apostolicam adeuntes spoliaverat, ad curiam Romanam veniendum citet. Reg. An. V. ep. 386. fol. 76.

HONORIUS EPISCOPUS etc. Venerabili fratri ... Patriarche Gradensi, salutem etc. Contristatis summus de hiis, que in nos dicitur ... Tristensis Episcopus attemptasse, videlicet quod in rebus nostris predo esse didicerit, tractando illos insuper inhoneste, qui ad nostram dirigentur presentiam, non obstante quod se ac sua nostre protectioni subiciunt, et apostolicum implorant auxilium appellando. Ita enim dilecti filii ... Abbas de Peles et ... Archidiaconus Albensis nuntii Carissimi in Christo filii nostri Hungarie Regis Illustris, ac ... Nitriensis Archidiaconus Strigoniensis Archiepiscopi procurator exposuere graviter conquerendo, quod cum Clemonam post multa viarum discrimina pervenissent, dictus Episcopus ibi eos fecit invitos a medietato unius diei usque ad medietatem alterius detineri, a quo cum postmodum suppliciter postulaverint, ut liberos ipsos dimitteret pro reverentia ecclesie Romane, ad quam transmittebantur, recedere, nec id potuerint obtinere, se ac sua nostre supposuere protectioni, et ad cautelam insuper ad sedem apostolicam appellarunt. Cumque idem Episcopus in furore proponeret hoc eis valere appellationis obiectum, quod de puriori argento, quod habebant, quadraginta duas marchas auferret eisdem, et ipsi se non habere aliam quam ad nos transmissam ab eodem Rege pecuniam

respondissent, prefatus adiecit Episcopus, quod in Camera nostra, si ibi eam inveniret, auferret eandem, nisi a nobis expressius arceretur: tandem opere studuit adimplere, quod dixerat, quia misso fratre suo per eum quadraginta duas marchas argenti purissimi ad pondus Viennense ab ipsis quantumcumque renitentibus et invitis extorsit. Quare fraternitati tue per apostolica scripta firmiter precipiendo mandamus, quatenus super hoc Episcopum ipsum ad presentiam nostram cites eum, ut usque ad Letare Iherusalem nostro se conspectui representet, satisfactionem super hiis congruam impensurus, monitione premissa, per censuras ecclesiasticas, appellatione postposita, compellendo. Datum Laterani III. Idus Februarii, Pontificatus nostri Anno Quinto.

LXXXII.

Capitulo Iustinopolitano statutus XII. canonicorum numerus confirmatur. Regi An. V. ep. 475.

HONORIUS EPISCOPUS etc. Dilectis filiis ... Decano et Capitulo Iustinopolitano, salutem etc. Cum a nobis petitur etc. usque effectum. Eapropter etc. usque assensu, statutum in ecclesia vestra duodecimum Canonicorum numerum, sicut provida est deliberatione statutum, auctoritate apostolica confirmamus, et presentis scripti patrocinio communimus, statuentes, ut eadem ecclesia dicto Canonicorum numero sit contenta, nisi adeo eius excreverint facultates, quod pluribus valeat necessarium ministrare, in omnibus mandato apostolico semper salvo. Nulli ergo etc. nostre confirmationis et constitutionis infringere etc. Si quis autem etc. Datum Laterani XVI. Kal. Aprilis, Pontificatus nostri Anno Quinto.

LXXXIII.

Capitulo Tergestino statutus XIII. canonicorum numerus confirmatur. Reg. An. V. ep. 557.

HONORIUS EPISCOPUS etc. Dilectis filiis Capitulo Trigestino, salutem etc. Cum a nobis petitum etc. Eapropter etc. usque assensu, tertium decimum Canonicorum numerum, quem Venerabilis frater noster C. Trigestinus Episcopus, facultatibus ecclesie vestre pensatis, in ea taxavit et statuit observandum, prout in ipsius litteris dicitur plenius contineri, sicut taxatum est provide ac statutum, auctoritate apostolica confirmamus, et presentis scripti patrocinio communimus, nisi forsan in tantum excreverint ipsius ecclesie facultates, quod merito in ea Canonicorum numerus debeat adaugeri, auctoritate sedis apostolice semper salva. Nulli ergo etc. nostre confirmationis infringere etc. Si quis autem etc. Datum Laterani III. Kal. Maii, Pontificatus nostri Anno Quinto.

LXXXIV.

G. archiepiscopo Spalatensi pallium conceditur. Reg. An. VI. ep. 75.

HONORIUS EPISCOPUS etc. Venerabili fratri G. Episcopo in Archiepiscopum Spalatensem electo, salutem etc. Cum dilectus filius Wlcasius Canonicus Spalatensis, nuntius tuus, ad apostolicam sedem accedens nobis supplicasset instanter, ut palleum, plenitudinis videlicet officii pontificalis insigne, tibi concedere dignaremur: nos eius, immo tue instantie benignum impertientes assensum, palleum ipsum eidem commisimus Venerabili fratri nostro ... Vesprimiensi Epo assignandum, qui secundum formas, quas sibi sub bulla nostra destinamus inclusas, a te nomine nostro fidelitatis recipiat iuramentum, et ipsum palleum tibi tradat, tuque illo intra tuam utaris ecclesiam diebus, qui in eiusdem ecclesie privilegiis exprimuntur, studens humilitatem ac virtutes alias, que nichilominus hoc figurantur gestamine, quantum gratia divina concesserit, imitari. Datum Laterani II. Nonis Decembris, Pont. nostri Anno Sexto.

LXXXV.

Episcopo Famagustano, ut prebendas vacantes, dissentientibus canonicis, conferre possit. Reg. An. VI. ep. 84.

HONORIUS EPISCOPUS etc. Venerabili fratri ... Episcopo Famagustano, salutem etc. Pervenit ad nos, quod cum aliquam contingit in ecclesia tua vacare prebendam, propter voluntates Canonicorum eiusdem ecclesie varias et diversas, quod accidit, quia cum de diversis sint nationibus, quilibet prefert hominem gentis sue, vix eorum vota possunt in aliquem convenire. Quia ergo in hoc dicti Canonici que sua, non autem que Christi sunt, querunt, cum non utilitatem ecclesie, sed suorum, quibus providere de ipsa desiderant, prosequantur: fraternitati tue presentium auctoritate concedimus, ut quotiens in eadem ecclesia prebendam vacare contigerit, Canonicis taliter ad invicem dissidentibus, cum maioris eorum partis assensu eam possis persone idonee, que de nominatis existat, vel aliis, submoto appellationis impedimento, conferre. Datum Laterani V. Idus Decembris, Pont. nostri Anno Sexto.

LXXXVI.

Eidem numerus VI. canonicorum confirmatur. Reg. An. VI. ep. 86.

Honorius episcopus etc. Venerabili fratri ... Episcopo Famagustano, salutem etc. Sacrosancta Romana ecclesia etc. usque confovere. Eapropter, Venerabilis in Christo frater, tuis precibus inclinati senarium Canonicorum numerum, quem adnumeratis in ipso personis in tua proponis ecclesia institutum, cum ecclesia ipsa tenuis redditibus et aliis facultatibus esse dicatur, auctoritate apostolica confirmamus etc. usque communimus, statuentes ut predicta ecclesia eodem numero sit contenta, nisi eius excrescentibus facultatibus pretaxatum numerum ecclesia Romana duxerit augmentandum, salvo in omnibus apostolice sedis mandato. Nulli ergo etc. nostre confirmationis infringere etc. Si quis autem etc. Datum Laterani III. Idus Decembris, Pontificatus nostri Anno Sexto.

LXXXVII.

Archiepiscopo Spalatensi eiusque suffraganeis de Caecelis Almeianis piratis poenitentibus. Reg. An. X. ep. 301.

Honorius episcopus etc. Venerabilibus fratribus ... Archiepiscopo Spalatensi et Suffraganeis eius, salutem etc. Fraternitatis vestre litteras nobis per latorem presentium presentatas solita benignitate recepimus, et earum tenorem pleno collegimus intellectu, gratum et acceptum gerentes, quod iuxta debitum pastoralis officii prudenter intenditis ad convertendos ad penitentiam peccatores. Super eo autem, quod, sicut vestre littere continent, Caecili Almesiani pirate ad vestre predicationis instantiam se promiserunt piraticam tirannidem de cetero dimissuros, dummodo ecclesie Romane gratiam valeant rehabere, ac per eam possint sedes patrimoniorum suorum a Rege recipere, quibus ab eo se asserunt spoliatos, vobis ad presens, fratribus nostris propter intemperiem aeris absentibus, nequivimus plenarie respondere. Ut autem interim illi grate se coaptent, fraternitatem vestram monemus attente, per apostolica vobis scripta mandantes, quatenus moneatis prudenter eosdem, et efficaciter inducatis, ut cessantes a malo benefacere incipiant et persistant: quia cum mater ecclesia nunquam ad se redeuntibus claudat gremium pietatis, si vere penituerint, ab ea facile poterunt veniam impetrare. Cum autem dicti fratres ad nos fuerint domino dante reversi, nos super hoc fiducialiter requiratis, quia secundum eorum consilium libenter conversis ad penitentiam veniam impendemus. Datum Laterani III. Idus Iunii, Pontificatus nostri Anno Decimo.

EPISTOLAE GREGORII PP. IX.

LXXXVIII.

Patriarchae Aquilejensi, ut electi Tergestini renuntiationem propter infirmitatem nomine pontificis recipiat. Reg. An. VII. ep. 356. fol. 101.

Gregorius episcopus etc. Venerabili fratri ... Patriarche Aquilegensi, salutem etc. Ex parte dilecti filii ... Tergestini Electi fuit propositum coram nobis, quod cum castigans castigaverit eum dominus, licet non tradiderit eum morti, sed indulserit indutias penitendi, usque adeo tamen est infirmitate longa, et quo ad humanos sensus incurabili perpeditus, quod si ecclesie presideat Tergestine, timetur obesse potius, quam prodesse, presertim cum eiusdem ecclesie onera supportare nequeat et eam a malefactoribus defensare: quare idem Electus per suas nobis litteras supplicavit, ut cessionem suam recipi faceremus. Nos igitur eius infirmitati debito compatientes affectu mandamus, quatenus si premissis veritas suffragatur, cessionem eiusdem recipias vice nostra, Capitulo Tergestino iniungens, ut sibi et eidem ecclesie de persona provideant in pastorem. Datum Laterani VIII. Kalendas Decembris, Pontificatus nostri Anno Septimo.

LXXXIX.

Archiepiscopo Iadrensi, ut episcopum Traguriensem et quosdam alios suspensos ad apostolicam sedem venire compellat. Reg. An. VII. ep. 376.

GREGORIUS EPISCOPUS etc. Venerabili fratri ... Archiepiscopo Iadrensi, salutem etc. Fraternitatis tue litteras benigne recepimus, et que continebantur in eis intelleximus diligenter, sollicitudinem tuam, quam te in executione mandatorum nostrorum habere didicimus, plurimum in domino commendantes. Sicut enim predicte littere continebant, cum dudum recepto super reformatione morum et correctione excessuum subditorum tuorum, presertim incontinentie vitio laborantium, ab apostolica sede mandato, ad executionem ipsius procederes, prout decuit, reverenter, associatis tibi dilectis filiis M. Archidiacono, C. Archipresbitero et G. Primicerio Iadrensibus, contra ... Abbatem monasterii sancti Grisogoni et Passorenum presbiterum Iadrenses publice infamatos de ipsorum excessibus sollicite veritatem inquirens, tot et tantis eos plenos flagitiis invenisti, quod pudori referentibus et audientibus sunt horrori. Idem enim Abbas, ut de aliis suprascriptis excessibus taceatur, sicut equus et mulus, in quibus non est intellectus, non minus patenter quam impudenter totum in lapsum carnis dampnabiliter se effundit, iumentis insipientibus comparatus, ad instar eorum in stercore computrescens, et quasi non sibi propria culpa sufficiat, ut suas culpas efficiat aliorum, fiatque anima sua pro animabus illorum, eos in suprascriptis iniquitatibus confovendo duos filios suos monachos, vel verius demoniacos, et alios impudicos quasi testes sue incontinentie circa se retinet, qui tabernas armati et prostibula frequentantes committunt rapinas, presbiteros verberant, auferunt spolia, ludunt ad aleas publice in plateis, excommunicati celebrant, immo verius, quantum in eis est, officia divina prophanant, mandata ecclesie Romane contempnunt, nullam agunt penitentiam de commissis, et satisfacere congrue cuidam vulnerato ab eis et spoliato presbitero contradicunt. Preterea dictus Abbas interni luminis splendore privatus quasi passus mentis exilium prudenter, prout convenit, non attendens, quam magnum sit eucharistie sacramentum, quod secundum Apostolum manifestatum est in carne, iustificatum in spiritu, apparuit angelis, predicatum gentibus, creditum deo, assumptum in gloria, et quod non nisi puro corde, mundis manibus et contritione devota offerenda est hostia salutaris, nec inter celestes cibos et panes laicos devota veneratione discernens, nocte sancta Nathalis domini nephandis actibus depravatus, dicta missa cum quibusdam subscriptis monachis sollempniter bibit nectar, et iterum post calices, quamquam nullatenus dormivisset, sollompnia celebravit. Iniecit quoque manus publice in ecclesia in quemdam presbiterum temere violentas, qui oum ad presentiam Venerabilis fratris nostri ... Absarensis Episcopi a nobis delegati citabat, turpiter in terram proiectis citationis litteris, quas ei abstulit violenter, et excommunicatus ad mandatum ipsius Episcopi, pulsatis campanis, per totam civitatem Iadere nuntiatus non abstinuit, nec abstinet a divinis: sed ad maioris iniquitatis cumulum et ecclesiastice discipline contemptum, ascitis sibi excommunicatis predictis, cantando discurrit cum mitra et baculo per plateam. Denique cum dictum monasterium tamquam vinea gratiosa in spiritualibus et temporalibus florere consueverit ab antiquo, nunc per ipsius Abbatis incuriam, immo culpam adeo est in utrisquo collapsum, et collabitur incessanter, quod vix unquam adiciet, ut resurgat. Iam enim in ipso monasterio vix religionis vestigia remanserunt, unusquisque graditur post desideria cordis sui, indifferenter omnes utuntur carnibus, dormire in dormitorio simul nolunt, et alia multa committunt onormia, que sunt a monachali modestia penitus aliena. Prefatus vero presbiter Passarenus de periurio, adulterio etiam in ecclesia dampnabili presumptione commisso, furto et sacrilegio ac multis aliis criminibus legitime est convictus. Et licet ad correctionem eius intenderis diligenter, ipse tamen licet correctionis et humilitatis signa pretendons solito insolentior est effectus, et excommunicatione notatus amicis et propinquis ad se vocatis missam, contemptis ecclesie clavibus, cantare sollompniter non expavit. In quibus omnibus ... Traguriensis Epi dicitur esse manus, qui pretextu cuiusdam roscripti a nobis ad ipsum in communi forma obtenti, in quo de promissis aliqua mentio non habetur, Abbatem et alios supradictos absolvit. Ad hec cum olim quibusdam suggerentibus intellecto, quod quedam in partibus Dalmatie false littere fuerant sub nomine nostro confecte, tibi dedorimus in mandatis, ut inquisita super hoc diligentius veritate fabricatorem earum pena canonica castigares: tu mandati nostri diligens executor Abbatom sancti Michaelis Iadrensis diocesis, de quo suspitio habebatur, et eundem Episcopum Traguriensem, qui erat de falsitate bulle nostre gravissime infamatus, propter quod fuerat ab officio pontificali remotus, et adhuc falsas sub nostro nomine non erubescit litteras fabricare, ad tuam presentiam citavisti: quorum alter, Abbas videlicet, valitudine prepeditus nec venit, nec misit; alter vero, Episcopus scilicet, etsi ad partes tuas ve-

nerit, presentiam tuam tamen adire contempnens, seditionem contra te maximam concitavit: quare quid in premissis agendum sit edoceri per nostras litteras postulasti. Licet igitur coactionibus inferendis dignitati deferri debeat et persone, quia tamen nonnulle sunt culpe, in quibus culpa est relaxare vindictam, mandamus, quatenus si premissis veritas suffragatur, Episcopum Traguriensem et alios superius nominatos suspensos ab omni officio et beneficio ad nostram venire compellas presentiam meritorum suorum stipendia recepturos, ad correctionem Conventus predicti monasterii sancti Grisogoni iuxta mandatum apostolicum processurus, Contradictores autem etc. Nullis litteris obstantibus a sede apostolica impetratis, plenam de processu tuo non facientibus mentionem. Datum Laterani III. Nonas Decembris, Pontificatus nostri Anno Septimo.

XC.

Eidem, ut praedictum monasterium sancti Grisogoni reformet. Reg. An. VII. ep. 375.

GREGORIUS EPISCOPUS etc. Venerabili fratri ... Archiepiscopo Iadrensi, salutem etc. Quia omne caput languidum et omne cor merens a planta pedis usque ad verticem sanitatem non habet, ut prophetica vox testatur, non est mirum, si membra capite languescente languescunt, et ad subditos derivatur corruptio prelatorum, cum canes muti non valentes latrare, que evomuisse debuerant, amplexantur, et ea publice non erubescant committere, que laici expavescerent exercere. Presentata siquidem nobis tua petitio continebat, quod cum ad monasterium sancti Grisogoni tue diocesis, adiunctis tibi viris prudentibus, accessisses visitationis officium impensurus, ibidem ipsum monasterium invenisti a malitia habitantium in eodem spiritualiter et temporaliter esse collapsum. Nam ... Abbas et nonnulli monachi eiusdem loci demoniacis cedentes insultibus bona monasterii memorati multipliciter dilapidant et consumunt, et nullis artati limitibus statuta regularia non observant, ducentes vitam deo et hominibus displicentem. Iidem quoque, qui carnem suam cum vitiis et concupiscentiis crucifixisse debuerant, undique per lupanaria vagis pedibus discurrentes relaxant frena claustralis observantie in omnem desiderii libertatem, ita ut iam universis sacre religionis cultibus abiuratis de christiano nomen, de monacho solum habere habitum videantur, necnon licet pro violenta iniectione manuum in quemdam presbiterum excommunicationis nexibus sint astricti, divina celebrare, vel prophanare potius non verentur. Cupientes igitur fetorem de sanctuario domini penitus amoveri, mandamus, quatenus personaliter ad locum dictum accedens, et habens pre oculis solum deum corrigas et reformes ibidem tam in capite quam in membris, que correctionis et reformationis officio noveris indigere, Contradictores etc. Datum Laterani III. Idus Decembris, Pontificatus nostri Anno Septimo.

XCI.

Iudicibus, ut de novo episcopatu in dioecesi Aquileiensi erigendo inquirant et referant. Reg. An. XI. ep. 12.

GREGORIUS etc. Venerabili fratri ... Episcopo Emonensi, et dilecto filio ... Electo Tergestino, salutem etc. Venerabilis frater noster ... Patriarcha Aquilegensis et sibi meritorum comparat apud dominum, et spiritualium nobis parat materiam gaudiorum, quia sicut minister Christi et ministeriorum dei providus dispensator, familie sibi credite non plus preesse cupiens quam prodesse, postponit temporalia commoda profectibus animarum, ac in grege sibi commisso non que sua, sed que sunt Ihesu Christi requirens, non tam pasci ab omnibus quam eas pascere delectatur: et ne, quod absit, illas non agnoscere vel non agnosci ab eis a domino arguatur, cui de ipsis redditurus est rationem, et si eundem gregem pascere nequeat per se ipsum, curam tamen ipsius dividere providit in plures. Ex parte siquidem supradicti Patriarche fuit propositum coram nobis, quod Aquilegensis diocesis adeo est diffusa, quod eam, que per decem dietas et amplius versus Ungarie partes diffunditur, non potest, sicut debet, commode visitare, presertim cum in ipsa sint quedam loca, in quibus per defectum officii pastoralis multi sine consignatione crismatis moriuntur, et alias gentes illarum partium in spiritualibus grave sustinent detrimentum, propter quod timetur non modicum, ne precipites proruant in errorem, a quo non sunt de facili eruendi. Quare timens, ne sanguis illorum de suis manibus a domino requiratur, nobis humiliter supplicavit, ut in monasterio de Oberemburch ordinis sancti Benedicti, quod ad ipsum nullo pertinet mediante, creandi cathedralem ecclesiam vel transferendi ad illud Petenensem ecclesiam, que est adeo desolata, quod paucis vel nullis Canonicis morantibus in eadem, de reformatione ipsius spes aliqua non existit, licentiam sibi concedere curaremus. Nos igitur eius propositum dignis in dño laudibus commendantes, ac volentes, ut res tam ardua cum debita maturitate procedat, mandamus, qua-

tenus utrum Aquilegensi ecclesie hoc expediat, et ad id Capituli sui accedat assensus, necnon et de statu predicte Petenensis ecclesie, et si dictum monasterium ex hoc servetur indempne, et utrum sufficiens et idonea provisio futuris Episcopo et Capitulo assignetur, ac de universis negotii circumstantiis sollicite inquirentes, que inveneritis, nobis fideliter rescribatis. Datum Viterbii IIII. Nonas Aprilis, Pontificatus nostri Anno Undecimo.

XCII.

Capitulo Polensi pontifex eorum electi confirmationem tandem concedit. Reg. An. XI. ep. 377.

GREGORIUS EPISCOPUS etc. Dilectis filiis Capitulo Polensi, salutem etc. Polensi ecclesia destituta pastore, vos convenientes in unum de futuri substitutione pontificis tractaturi, dilectum filium Magistrum W. Archidiaconum vestrum, Capellanum dilecti filii nostri R. sancte Marie in Cosmedin Diaconi Cardinalis, in ipsius ecclesie Episcopum elegistis. Nos igitur examinato electionis vestre processu prout convenit diligenter, cum ipsam non invenerimus canonice celebratam, eam non persone, sed electionis vitio duximus irritandam. Ceterum cum vos in priori consensu elapso iam triennio perdurastis, nos attendentes prerogativam meritorum, super quibus ei laudabile testimonium perhibetur, ipsum eidem ecclesie prefecimus in episcopum et pastorem, firmam spem fiduciamque tenentes, quod dicta ecclesia sub eius regimine grata in spiritualibus et temporalibus suscipiat incrementa. Quocirca precipiendo mandamus, quatenus ipsi tamquam patri et pastori animarum vestrarum plene ac humiliter intendatis, et exhibeatis obedientiam et reverentiam debitam et devotam, eius salubria monita et mandata suscipiendo devote ac inviolabiliter observando. Alioquin sententiam, quam rite tulerit in rebelles, ratam habebimus, et faciemus actore domino firmiter observari. Datum Laterani VI. Kal. Februarii, Pontificatus nostri Anno Undecimo.

XCIII.

Electo Iadrensi pallium mittitur. Reg. An. XIV. ep. 21.

GREGORIUS EPISCOPUS etc. Dilecto filio ... Electo Iadrensi, salutem etc. Cum palleum, insigne videlicet pontificalis officii, ex parte tua fuisset a nobis per dilectos filios Grisogonum Canonicum Iadrensem et Symeonem presbiterum de Venetiis, nuntios tuos, cum ea, qua decet, instantia postulatum: nos tuis supplicationibus annuentes ipsum de corpore beati Petri sumptum per eosdem nuntios dilecto filio ... Electo Gradensi assignandum tibi per eum duximus destinandum, ut illud tibi assignet sub forma, quam ei sub bulla nostra mittimus interclusam, et a te nostro et ecclesie Romane nomine sub forma, quam sub eadem bulla dirigimus, fidelitatis recipiat iuramentum. Tu autem illo intra ecclesiam tuam illis diebus utaris, qui expressi in ipsius ecclesie privilegiis continentur. Ut igitur signum non discrepet a signato, sed quod geris exterius, intus serves in mente, discretionem tuam monemus attente et hortamur, quatenus humilitatem et iustitiam, dante domino, qui dat munera et premia elargitur, conservare studeas, cum suum serviant et promoveant servatorem, et Iadrensem ecclesiam sponsam tuam cures sollicite, auctore domino, spiritualiter et temporaliter augmentare. Datum Laterani III. Kalend. Iunii, Pontificatus nostri Anno Decimoquarto.

XCIV.

Electo Gradensi, ut predicto electo Iadrensi pallium assignet. Reg. An. XIV. ep. 22.

GREGORIUS EPISCOPUS etc. Dilecto filio ... Electo Gradensi, salutem etc. Cum palleum etc. usque per eosdem nuntios tibi assignandum sibi per te duximus destinandum. Ideoque discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus illud ei assignes sub forma, quam tibi sub bulla nostra mittimus interclusam, et ab ipso nostro et ecclesie Romane nomine sub forma, quam sub eadem bulla dirigimus, fidelitatis recipias iuramentum. Formam autem iuramenti, quod ipse prestabit, de verbo ad verbum nobis per eius patentes litteras suo sigillo signatas per proprium nuntium quantocius destinare procures. Datum Laterani III. Kal. Iunii, Pontificatus nostri Anno Decimoquarto.

EPISTOLAE INNOCENTII PP. IV.

XCV.

Episcopo quondam Bosnensi magistro et fratribus ord. Praedicatorum quoddam privilegium conceditur.
Reg. An. IV. ep. 11. fol. 310.

Innocentius episcopus etc. Venerabili fratri ... Episcopo quondam Bosniensi Magistro, et dilectis filiis fratribus ordinis Predicatorum, salutem etc. Odore suavi ordinis vestri continue recreati eum non immerito favore speciali prosequimur, et ipsius exaltationem plenis desideriis affectamus, quietem ei et alia diligenti procurare solertia intendentes, per que semper optatum, auctore dño, suscipere valeat incrementum. Hinc est, quod nos vestris supplicationibus annuentes, ut tu, frater Episcope, ac Magister tuique successores, fratres tui ordinis, qui ad predicandam crucem vel inquirendum contra pravitatem hereticam, seu ad alia huiusmodi negotia sunt vel fuerint ubicumque a sede apostolica deputati, removere seu revocare penitus, transferre, ipsisque, quod supersedeant, iniungere, aliosque substituere, cum expedire videritis, licite ac libere valeatis, et in eos, si contravenerint, censuram ecclesiasticam exercere, ac quilibet Prior provincialis eiusdem ordinis id ipsum in sua provincia circa fratres ipsius ordinis, quibus in illa similia contingit ab eadem sede committi, facere possit, auctoritate presentium indulgemus. Nulli ergo etc. Si quis etc. Datum Lugdumi Nonis Iulii, Pontificatus nostri Anno Quarto.

XCVI.

Prelatis Sclavoniae, Dalmatiae et Istriae, ut episcopo Aretino Marchiae Anconitanae rectori subveniant. Reg. An. IV. ep. 6.

Innocentius episcopus etc. Venerabilibus fratribus Archiepiscopis et Episcopis, et dilectis filiis Abbatibus, Prioribus, Decanis, Archidiaconis et aliis ecclesiarum prelatis per Sclavoniam, Dalmatiam et Histriam constitutis, salutem etc. Sicut placuit pie recordationis G. pape, predecessori nostro, placet et nobis, quod Venerabilis frater noster ... Aretinus Episcopus ecclesie Romane negotiis in Anconitana Marchia commoretur. Propter hoc siquidem dictus predecessor vobis, fratres Archiepiscopi et Episcopi, ac dilecti filii prelati Sclavonie et Dalmatie, suis litteris, quarum tenorem sub sigillo Venerabilis fratris nostri ... Ostiensis Episcopi tunc Rome manentis perspeximus contineri, districte precepit, quod eidem Episcopo in procurationibus subvenire congrue curaretis. Nos itaque volentes, quod dictus Aretinus Episcopus huiusmodi adiutus auxiliis efficaciter intendere valeat prefatis negotiis procurandis, ac etiam ut in hiis vobiscum Ystrie prelati contribuant, Universitates vestras rogamus et hortamur attente precipiendo mandantes, quatenus eidem Episcopo iuxta mandatum predecessoris ipsius subventionem congruam impendatis, Non obstante si de mandato sedis apostolice olim fueritis aliorum profusione gravati. Alioquin sententiam, quam idem rite tulerit in rebelles, ratam habebimus etc. observari. Datum Lugduni v. Idus Iulii, Pontificatus nostri Anno Quarto.

XCVII.

Episcopo et capitulo Famagustano, ut Nicolaum de Aldo in canonicum et fratrem recipiant.
Reg. An. V. ep. 620. fol. 512.

Innocentius etc. Venerabili fratri ... Episcopo et dilectis filiis Capitulo Famagustanis, sal. etc. Dilecti filii B. de Aldo Cancellarii Regni Cypri supplex devotio et devota supplicatio nos inducunt, ut dilectum filium Nicolaum natum Iacobi de Aldo ipsius germani specialis favoris gratia prosequentes, ei manus provisionis gratia munificas extendamus. Hinc est, quod nos volentes eum ascribi cupientem, sicut asserit, militie clericali prevenire dono gratie postulate, Universitatem vestram rogamus et monemus attente mandantes, quatenus ipsum ob reverentiam apostolice sedis et nostram recipientes in

canonicum et fratrem, prebendam, si qua in ecclesia vestra vacat ad presens, vel quam primum ad id obtulerit se facultas, ei liberaliter conferatis, Non obstante si vobis pro aliis direximus scripta nostra, quibus etc. usque gratiam, et statuto de certo canonicorum numero iuramento vel confirmatione sedis apostolice, seu quocunque firmitate alias roborato. Alioquin nolentes eum fatigari propter hoc longioribus laboribus vel expensis, Venerabili fratri nostro ... Archiepiscopo Nicosiensi per litteras nostras iniungimus, ut ipse super hoc mandatum apostolicum exequatur. Contradictores etc. Datum Lugduni VII. Idus Februarii, Pontificatus nostri Anno Quinto.

XCVIII.

Episcopo Sceniensi (Segniensi) de quadam littera b. Hieronymi in divinis officiis observanda. Reg. An. V. ep. 753.

INNOCENTIUS EPISCOPUS etc. Venerabili fratri ... Episcopo Sceniensi, salutem etc. Porrecta nobis tua petitio continebat, quod in Sclavonia est littera specialis, quam illius terre clerici se habere a beato Ieronimo asserentes, eam observant in divinis officiis celebrandis. Unde cum illis efficiaris conformis et in terre consuetudinem, in qua consistis Episcopus, imiteris, celebrandi divina secundum dictam litteram a nobis suppliciter licentiam postulasti. Nos igitur attendentes, quod sermo rei et non res est sermoni subiecta, licentiam tibi in illis dumtaxat partibus, ubi de consuetudine observantur premissa, dummodo sententia ex ipsius varietate littere non ledatur, auctoritate presentium concedimus postulatam. Nulli ergo etc. nostre concessionis etc. Datum Lugduni III. Kalendas Aprilis, Pontificatus nostri Anno Quinto.

XCIX.

Capitulo, clero et populo Spalatensis diocesis, ut magistro Rogerio in eorum archiepiscopum prefecto obedientiam et reverentiam exhibeant etc. Reg. An. VI. ep. 492. fol. 227.

INNOCENTIUS EPISCOPUS etc. Dilectis filiis Archidiacono et Capitulo Spalatensibus, salutem etc. Ecclesia vestra pastoris solatio destituta vos fratrem Iohannem de ordine fratrum Predicatorum Scardonensem electum in vestrum Archiepiscopum postulantes, dilectum filium Desam Concanonicum vestrum, et Dragum Civem Spalatensem ad sedem apostolicam destinatis, iniuncto eis, ut si postulationem huiusmodi a nobis contingeret non admitti, ab eadem sede de pastore ipsi ecclesie peterent provideri. Nos igitur, postulatione non admissa predicta, cupientes eidem ecclesie utpote idoneo presule indigenti de tali provideri persona, que tanto congrueret oneri et honori, et attendentes, quod dilectus filius Magister Rogerius Capellanus dilecti filii nostri I. tit. sancti Laurentii in Lucina presbiteri Cardinalis, Canonici Zagabriensis, quem de dono scientie ac honestate morum et conversatione laudabili experta familiaritas et familiaris experientia reddunt multipliciter commendatum, et nobis et fratribus nostris non indigne acceptum, erat utilis et sufficiens ad regimen ecclesie memorate, ipsum ei de fratrum nostrorum consilio prefecimus in Archiepiscopum et pastorem, spe nobis proposita, quod auctore illo, qui dans virtutes premia elargitur, per diligentie sue studium dicta ecclesia grata in spiritualibus et temporalibus suscipiet incrementa. Cum autem apud ipsam sedem usque ad consecrationis tempus retineamus eundem, impensuri tunc ei consecrationis munus et ad predictam ecclesiam cum plenitudine nostre gratie remissuri: Universitatem vestram monemus et hortamur attente mandantes, quatenus eidem electo tamquam patri et pastori animarum vestrarum plene ac humiliter intendatis, et exhibeatis obedientiam et reverentiam debitam et devotam, eius salubria monita et mandata suscipiendo devote ac irrefragabiliter observando, interim procuratoribus suis eius nomine de redditibus, proventibus et iuribus episcopalibus plenarie respondentes. Alioquin sententiam, quam idem rite tulerit in rebelles etc. Datum Lugduni II. Kalendas Maii, Pontificatus nostri Anno Sexto.

In e. m. Clero et populo Civitatis et diocesis Spalatensis.

C.

Archiepiscopo Antibarensi, ut episcopum Albanise ad unitatem ecclesiae Romanae venire desiderantem suscipiat, et solitum ab eo iuramentum recipiat. Reg. An. VIII. ep. 62.

INNOCENTIUS EPISCOPUS etc. Archiepiscopo Antivarensi, salutem etc. In Grecie partibus quedam habetur provincia, que Arbania nuncupatur, cuius episcopus sollicita mente desiderans, et prudenter advertens, quod positis extra fidem et devotionem sedis apostolice non est datum ad perempnis vite gloriam pervenire, maxime cum dei virtus et dei sapientia dominus Ihesus Christus beato Petro Apo-

stolorum Principi, et successoribus eius Romanis Pontificibus regimen universalis ecclesie sub speciali et preminenti noscatur privilegio commisisse, cordi habere dicitur, ut eiusdem membris ecclesie ad eterni pastoris gloriam indissolubili vinculo coniungatur. Quia vero semper ad hoc nostri cordis aspirat affectio, ut hii, qui ab unitate sedis apostolice reprobe voluntatis impulsu, aut maligno spiritu instigante, vel quocumquo alio modo nephario discesserunt, ad illius obedientiam redeant, et in divine institutionis observantia sincera devotione persistant: nos eiusdem episcopi piis desideriis favore benivolo annuentes presentium tibi auctoritate committimus, ut eundem, si nulli prelato Latino fuit unquam aut esse debet de iure subiectus, vice nostra sollempniter ac publice ad gratiam et communionem sedis predicte resumas, cum super hoc ab ipso fueris humiliter requisitus, decernens eundem nulli preterquam Romano Pontifici debere perpetuis futuris temporibus subiacere. Hiis autem iuxta mandati nostri formam rite peractis, tu pro nobis et ecclesia Romana fidelitatis solite iuramentum ab ipso recipias secundum formam, quam tibi sub bulla nostra mittimus interclusam. Formam autem iuramenti, quod ipse prestabit, de verbo ad verbum nobis per eius patentes litteras suo sigillo signatas quantocius destinare procures. Contradictores etc. Datum Lugduni VI. Idus Augusti, Pontificatus nostri Anno Octavo.

CI.

Magistro Gualtero canonicatus Polensis etc. confirmantur. Reg. An. VIII. ep. 50.

INNOCENTIUS etc. Dilecto filio Magistro Gualtero Canonico Aquilegensi, salutem etc. Ad impendendum tibi gratiam et favorem dilecti filii ... Decani Aquilegensis, Cappellani nostri, cuius nepos existis, sincera devotio, et tue probitatis merita nos inducunt. Cum igitur, sicut petitio tua nobis exhibita continebat, dilectus filius noster O. sancte Marie in Via lata diaconus Cardinalis, apostolice sedes Legatus, in Polensi et Civitatensi ecclesiis Aquilegensis diocesis, et dilectus filius electus Tripolitanus legationis exercens officium in ecclesia Iustinopolitana to recipi mandaverint in Canonicum et in fratrem, et tibi provideri etiam de prebendis, tuque ipsius Cardinalis mandati auctoritate sis in eadem Polensi ecclesia iam receptus: Nos tuis supplicationibus inclinati, quod per eosdem Legatos de receptione ac provisione tua in ipsis ecclesiis factum est, ratum habentes et gratum id auctoritate apostolica confirmamus, et presentis scripti patrocinio communimus, Non obtantibus aliquibus litteris vel indulgentiis a sede apostolica impetratis, vel etiam impetrandis, per quas huiusmodi confirmationis effectus revocari valeat, vel etiam impediri. Nulli ergo etc. nostre confirmationis etc. Datum Lugduni XVII. Kalendas Septembris, Pontificatus nostri Anno Octavo.

CII.

Episcopo Polensi, ut beneficia quorumdam clericorum inobedientium aliis idoneis conferre valeat. Reg. An. IX. ep. 38.

INNOCENTIUS EPISCOPUS etc. Venerabili fratri .... Episcopo Polensi, salutem etc. Lecta coram nobis tua petitio continebat, quod cum Galvagnus Potestas et Consilium Polense Petrum de Olica servientem, et Rainaldum notarium tuos nequiter capientes ac quibusdam scriptis eius spoliantes eundem ipsum carceri mancipassent, tu in predictos Potestatem et Consilium, quia moniti diligenter dictos servientem et notarium libertati restituere contumacitor denegarunt, excommunicationis sententiam, cum hoc esset ita notorium, quod nulla poterat tergiversatione celari, exigente iustitia promulgasti, ac civitatem Polensem eorum excrescente contumacia supposuisti ecclesiastico interdicto, clericos civitatis ipsius, qui divina inibi interdicto durante huiusmodi celebrarent, beneficiis suis privatos. Verum quia nonnulli clericorum ipsorum, huiusmodi interdicto et sententiis vilipensis, in tuum et ecclesiastice disscipline contemptum divina inibi celebrarunt, nos volentes eorum presumptionem temerariam ultione debita castigare, tuis precibus inclinati, conferendi eorum beneficia personis idoneis et ecclesie Romane devotis, ac compellendi contradictores per censuras ecclesiasticas liberam tibi auctoritate presentium concedimus facultatem. Datum Mediolani XV. Kal. Augusti, Pont. nostri Anno Nono.

CIII.

Episcopo Veglensi, ut fratribus monasterii s. Nicolai de Castro Muscla divina officia in lingua sclavica secundum ritum Romanum celebrandi licentiam concedere possit. Reg. An. IX. ep. 96.

INNOCENTIUS EPISCOPUS etc. Venerabili fratri... Episcopo Veglensi, salutem etc. Dilecti filii Abbas et Conventus Monasterii sancti Nicolai de Castro Muscla ordinis s. Benedicti tue diocesis nobis humiliter supplicarunt, ut cum ipsi, qui Sclavi existunt et sclavicas litteras habeant, discere latinas litteras

non possunt, eis, ut in litteris sclavicis secundum ritum ecclesie Romane divina officia valeant celebrare, prout iidem et predecessores sui facere consuoverunt, licentiam concedere curaremus. De tua itaque circumspectione plenam in domino fiduciam obtinentes, presentium tibi auctoritate concedimus, ut super hoc facias, quod videris expedire. Datum Perusii VII. Kal. Februarii, Pont. nostri Anno Nono.

CIV.

Suffraganeis, clero et populo ecclesiae Antibarensis Guffridum ord. fratrum Minorum in eorum archiepiscopum praefectum commendatur. Reg. An. X. ep. 657.

INNOCENTIUS EPISCOPUS etc. Venerabilibus fratribus Suffraganeis ecclesie Antibarensis, sal. etc. Qui ad custodiam vinee domini et ad ponendum in ipsa operosos agricolas, ut suo tempore manipulos exultationis reportent, sumus licet immeriti a domino deputati, sollicite attendentes, quod Antibarensis ecclesia, si diu romansisset pastoris solatio destituta, tanto graviora possit incurrisse pericula, quanto super hiis propter multam locorum distantiam aliaque discrimina possit difficilius ad sedem apostolicam recursus haberi, Venerabilem fratrem nostrum Guffridum de ordine fratrum Minorum, virum profecto secundum cor nostrum, propter prerogativam morum et scientie, super quibus ei tanquam diu laudabile testimonium perhibemus, eidem ecclesie de fratrum nostrorum consilio prefecimus in Archiepum et pastorem, sperantes firmiter, quod eadem ecclesia sub eius regimine grata suscipiet, auctore domino, in spiritualibus et temporalibus incrementa. Ipsum igitur, cui per nos ipsos munus consecrationis impendimus, ad ecclesiam suam cum gratie nostre plenitudine remittentes mandamus, quatenus eum honorificentia debita recipientes hilariter et libenter exhibeatis eidem tanquam Archiepo vestro reverentiam et ebedientiam tam debitam quam devotam, eius salubria monita et mandata suscipiendo devote ac inviolabiliter observando. Alioquin sententiam etc. usque observari. Datum Perusii II. Idus Aprilis, Pontificatus nostri Anno Decimo.

In e. m. Archidiacono et Capitulo, ac universo Clero Civitatis et diocesis Antibarensis.

In e. m. Fratri Guffrido Archiopiscopo Antibarensi. Qui ad custodiam etc. usque haberi, Te propter prerogativam morum et scientie nobis et nostris fratribus approbatam eidem ecclesie de fratrum nostrorum consilio prefecimus in Archiepum et pastorem: speramus enim firmiter, quod eadem ecclesia sub tuo regimine grata suscipiet, auctore domino, in spiritualibus et temporalibus incrementa. Te igitur, cui per nos ipsos munus consecrationis impendimus, ad eandem Antibarensem ecclesiam sponsam tuam cum gratie nostre plenitudine transmittentes, fraternitatem tuam monemus et hortamur attente mandantes, quod iniunctam tibi dominici gregis custodiam studeas sic sollicite observare, quod in districti examinis die dignam deo possis de illa reddere rationem. Datum ut supra.

CV.

Archiepiscopo Spalatensi, ut electum Sibinicensem confirmare possit. Reg. An. X. ep. 131.

INNOCENTIUS EPISCOPUS etc. Venerabili fratri ... Archiepiscopo Spalatensi, salutem etc. Dilecti filii Capitulum ecclesie Sibinicensis sua nos petitione monent, quod cum ipsi, dicta ecclesia pastoris solatio destituta, die ad eligendum statuto convenientes in unum, prout moris est, spiritus sancti gratia invocata, Stephanum ipsius ecclesie archipresbiterum elegerint canonice in suum Epum et pastorem, tu, qui loci Metropolitanus existis, presentatam tibi electionem huiusmodi confirmare renuisti, pro eo quod dicta ecclesia, sicut dicitur, tanto tempore, videlicet viginti annis et amplius vacaverit, quod ad nos eius existat provisio devoluta. Quare fuit ex parte ipsius Capituli nobis humiliter supplicatum, ut providere super hoc ipsi ecclesie paterna sollicitudine curaremus. Idcoque mandamus, quatenus, si est ita, inquisita de modo electionis, studiis eligentium et electi meritis sollicite veritate, si electionem ipsam inveneris alias de persona idonea canonice celebratam, eam, non obstante quod de tam diutina vacatione asseritur, studeas confirmare. Datum Perusii XV. Kal. Maii, Pont. nostri Anno Decimo.

CVI.

Archiepiscopo Iadrensi, ut cum quibusdam muliere et laico de matrimonio contracto dispenset. Reg. XI. ep. 44.

INNOCENTIUS EPISCOPUS etc. Venerabili fratri .... Archiepiscopo Iadrensi, salutem etc. Petitio Pride mulieris Iadren. nobis exposita continebat, quod condam Stephanus pater eius de voluntate ipsius, quod eam condam Pridano civi Iadrensi traderet, et idem civis, qui eam reciperet in uxorem, iuramento firmarunt; sed postmodum cum ipsa et dictus civis non consentirent ad invicem matrimonialiter

copulari, dicta mulier eo vivente contraxit matrimonium per verba de presenti cum Prestantio laico Iadrensi, qui dicto civi quarta consanguinitatis linea attinebat, carnali copula subsecuta: quare dicta mulier nobis humiliter supplicavit, ut cum idem civis viam sit universe carnis ingressus, dispensare cum ea et dicto laico, quod non obstante publice honestatis iustitia possint in sic contracto matrimonio licite remanere, de benignitate sedis apostolice dignaremur. Quocirca mandamus, quatenus super hoc auctoritate nostra dispenses cum muliere ac laico supradictis, si aliud non obsistat. Datum Asisii Idibus Iulii, Pontificatus nostri Anno Undecimo.

CVII.

Eidem, ut cum quibusdam aliis muliere et laico Iadrensibus de matrimonio contracto dispenset. Reg. An. XI. ep. 102.

Innocentius episcopus etc. Venerabili fratri ... Archiepiscopo Iadrensi, salutem etc. Pro parte dilecte in Christo filie Prodane mulieris Iadrensis fuit propositum coram nobis, quod cum Damianus frater et quidam alii consanguinei eius, ipsa consentiente, quod eandem traderent in uxorem viro laico Iadrensi, et ipse, quod eam in uxorem reciperet, iuravissent; tandem muliere et laico predictis nolentibus ad invicem matrimonialiter copulari, dicta mulier cum Preste cive Iadrensi, qui enndem virum quarto gradu consanguinitatis contingit, duxit matrimonium contrahendum: unde dicta mulier supplicavit nobis humiliter, ut providere in hac parte apostolica sollicitudine curaremus. Nos igitur ipsius et Venerabilis fratris nostri Antibarensis Archiepiscopi supplicationibus inclinati mandamus, quatenus si predicti viri, quod eadem mulier alii nuberet, consensus accessit, cum predictis muliere et Preste, ut impedimento huiusmodi non obstante in sic contracto matrimonio licite remanere valeant, auctoritate nostra dispenses. Datum Asisii III. Idus Septembris, Pontificatus nostri Anno Undecimo.

CVIII.

Archidiacono Bononiensi, ut archiepiscopum Strigoniensem ad satisfaciendum quibusdam mercatoribus Senensibus de certa pecuniarum summa per censuras compellat. Reg. An. XI. ep. 506.

Innocentius episcopus etc. Dilecto filio ... Archidiacono Bononiensi, salutem etc. Cum, sicut dilecti filii Bonifacius Bonsignoris, Albizus Deutesaiute, Bencivendi Iohannis et Bonaventura Recuperi (et alii) eorum socii, cives et mercatores Senenses, nobis exponere curaverunt, iidem dilectis filiis magistris Petro Preposito ecclesie Chasmensis Zagabriensis dioceseis, Octomaro Archidiacono Neogradiensi et Raynaldo Plebano ecclesie de Bana Strigoniensis diocesis, procuratoribus Venerabilis fratris nostri ... Archiepiscopi Strigoniensis, renuuciantibus constitutioni de duabus dietis edite in concilio generali, beneficio restitutionis in integrum, conventioni iudicum, et omnibus litteris et indulgentiis apostolicis impetratis et impetrandis, prout de hoc et mutuo contrahendo usque ad infrascriptam summam plenam habebant per nostras litteras facultatem, tria milia et quingentas marcas argenti puri et fini ad pondus Ungarie apud sedem apostolicam pro expediendis ipsius Archiepi et ecclesie mutuarint, certis loco et terminis ipsis mercatoribus persolvendas, prout in publico instrumento confecto exinde plenius continetur: mandamus, quatenus si predictus Archiepiscopus et successores ipsius in statutis loco et terminis iuxta predicti tenorem instrumenti, ita quod nulla alia probatio vel certitudo super huiusmodi debito exigatur, mercatoribus ipsis, quibus nolumus pretextu alicuius constitutionis canonice vel civilis, aut cuiuscumque privilegii vel indulgentie, de quibus in nostris litteris plene et expresse, ac de verbo ad verbum oporteat fieri mentionem, incumbere, quod predicta pecunia in utilitatem ipsius ecclesie sit conversa, de pecunia non satisfecerint memorata, tu ex tunc in dictum Archiepiscopum vel successorem suum, qui pro tempore fuerit, auctoritate nostra, monitione premissa, sublato appellationis obstaculo, non differas promulgare, ac ipsos excommunicatos tandiu publice nunties, et facias per alios in locis, ubi expedire videris, nuntiari diebus dominicis et festivis, pulsatis campanis et candelis accensis, donec prefatis mercatoribus de predicta pecunia cum iustis et moderatis expensis, interesse ac debita restauratione dampnorum, super quibus simplici verbo ipsorum mercatorum vel cuiusvis eorum sine sacramento et aliqua alia probatione dicti Archiepiscopus et successores credere teneantur, usuris omnino cessantibus, fuerit satisfactum. Si vero idem Archiepiscopus in huiusmodi excommunicatione per duos menses steterit, ab administratione spiritualium et temporalium suspendas enndem, prefixo ei nichilominus peremptorio termino competenti, quo personaliter nostro se conspectui representet pro meritis recepturus. Non obstante constitutione predicta, vel si dictus Archiepiscopus ex indulto apostolico habeat, vel sibi aut eius successoribus contigerit indulgeri, quod excommunicari, suspendi vel interdici

non possint, seu extra suam provinciam ad iudicium evocari per litteras apostolicas, in quibus de indulto huiusmodi expressa de verbo ad verbum mentio non habetur, seu qualibet dicte sedis indulgentia impetrata, vel etiam impetranda, per quam hoc impediri valeat vel differri. Datum Laterani III. Nonas Martii, Pontificatus nostri Anno Undecimo.

CIX.

Episcopis Polensi, Petenensi et Iustinopolitano, ut electum Tergestinum propter electi Aquilegiensis excommunicationem confirmare et consecrare possint. Reg. An. XII. ep. 390.

INNOCENTIUS EPISCOPUS etc. Venerabilibus fratribus ... Polensi, ... Petenensi et ... Iustinopolitano Episcopis, salutem etc. Exposuerunt nobis dilecti filii ... Decanus et Capitulum ecclesie Tergestine, quod ipsi, eadem ecclesia pastoris solatio destituta, convenientes in unum, vocatis qui debuerunt, volnerunt et potuerunt commode interesse, ac gratia sancti spiritus invocata, dilectum filium Arlongum de Voisperch canonicum suum, virum utique litterarum scientia preditum et morum honestate preclarum, elegerunt canonice in episcopum ipsius ecclesie ac pastorem, a nobis humiliter postulantes, ut cum rectis votis nil debeat difficultatis afferri, electionem huiusmodi confirmare de benignitate sedis apostolice mandaremus. Cum igitur Aquilegensis electus, cui prefata ecclesia lege metropolitica est subiecta, excommunicationis vinculo sit ligatus ad presens, ne contingat eandem ecclesiam detrimentum ex vacatione diutina sustinere, mandamus, quatenus inquisita de modo electionis, studiis eligentium et electi meritis diligentius veritate, si electionem eandem inveneritis de persona ydonea canonice celebratam, illam auctoritate nostra confirmare curantes faciatis eidem electo a suis subditis debitam obedientiam et reverentiam exhiberi, ac unus vestrum reliquis sibi assistentibus munus sibi consecrationis impendat, recepto ab eo nostro et Aquilegensis ecclesie nomine fidelitatis solite iuramento iuxta formam, quam vobis sub bulla nostra mittimus interclusam. Formam autem iuramenti, quod ipse prestabit, nobis de verbo ad verbum per eius patentes litteras suo sigillo etc. usque curetis. Alioquin ea rite cassata faciatis eidem ecclesie de persona ydonea, que tanto congruat oneri et honori, per electionem canonicam provideri. Contra nisi forsan electus prefatus ab eodem excommunicationis vinculo interim obtinnerit se absolvi, nolumus autem, quod per confirmationem et consecrationem huiusmodi Aquilegensi ecclesie in posterum aliquod preiudicium generetur. Quod si non omnes etc. Datum Neapoli XV. Kal. Decembris, Pontificatus nostri Anno Duodecimo.

EPISTOLAE ALEXANDRI PP. IV.

CX.

Archiepiscopo Spalatensi, ut S. electum Sibinicensem confirmare valeat (cf. supra Nr. CV.). Reg. An. 1. ep. 56.

ALEXANDER EPISCOPUS etc. Venerabili fratri ... Archiepiscopo Spalatensi, salutem etc. Sua nobis Capitulum Sibinicensis ecclesie in Sclavonia petitio monstrabat, quod cum olim ecclesia ipsa pastore vacaret, ipsi, pront moris est, convenientes in unum, spiritus sancti gratia invocata, dilectum filium S. eiusdem ecclesie archipresbiterum, virum utique, ut asserunt, providum et honestum, ac in spiritualibus et temporalibus circumspectum, unanimiter et concorditer elegerunt in eorum episcopum et pastorem. Verum quod tu, qui loci metropolitanus existis, pro eo quod ecclesia ipsa tanto tempore vacaverat, quod ad sedem apostolicam erat eius provisio devolnta, renuisti electionem huiusmodi confirmare, predicti Capitulum ad sedem ipsam habentes recursum, felicis recordationis I. pape predecessoris nostri ad te litteras impetrarunt, ut inquisita de modo electionis, eligentium studiis et electi meritis diligentius veritate, electionem ipsam, si eam invenires de persona idonea canonice celebratam, non obstante vacatione diutina predicte ecclesie, que vacasse per XX. annos et amplius credebatur, confirmare cura-

res. Sed tu ex eo solo electionem confirmare differens supradictam, quod in huiusmodi litteris predecessoris ipsius xx. annorum et amplius spatium ponebatur, cum tibi plene constiterit, quod per ampliores temporis spatium ecclesia vacaverat memorata, supersedisti hactenus negotio supradicto. Quare predicti Capitulum nobis humiliter supplicarunt, ut providere ipsis super hoc paterna sollicitudine curaremus. Nolentes igitur, quod ipsa ecclesia propter vacationem diuturnam in spiritualibus et temporalibus grave dispendium patiatur, mandamus, quatenus, si est ita, hoc non obstante, predictum S. archipresbiterum, si tanto congruat oneri et honori, et aliud canonicum non obsistat, auctoritate nostra preficias eidem ecclesie in episcopum et pastorem. Datum Neapoli XII. Kalendas Februarii, Pont. nostri Anno Primo.

CXI.

Magistro Laurentio praeposito s. Irenei Syrmiensis villam Drasch ab episcopo ad vitam concessam pontifex confirmat. Reg. An. I. ep. 180.

ALEXANDER EPISCOPUS etc. Dilecto filio Laurentio preposito ecclesie sancti Yrenei Syrmiensis, salutem etc. Cum igitur, sicut petitio tua nobis exposita continebat, Venerabilis frater noster Episcopus Syrmiensis attendens grata et accepta servitia sibi et Syrmiensi ecclesie a te impensa, necnon et quam plures labores, quos pro ipso et eadem ecclesia subiisti, Villam quandam sitam in Zlacho, que Villa Drasch vulgariter nuncupatur, tibi, prout sperabat, ad eum sui Capituli accedente consensu, provida deliberatione concesserit a te quoad vixeris possidendam, sicut in ipsius litteris confectis extunc plenius continetur. Nos tuis supplicationibus inclinati, quod ab eisdem Episcopo et Capitulo super hoc provide factum est, ratum habentes et gratum, id auctoritate apostolica confirmamus etc. usque communimus, tenorem litterarum ipsarum, presentibus de verbo ad verbum inseri facientes, qui talis est.

Nos O. dei gratia episcopus Syrmiensis significamus Universis presentium per tenorem, quod cum dilectus filius noster Magister Laurentius, ecclesie nostre Prepositus, quamplurima grata et necessaria nobis et ecclesie nostre servitia impenderit, nos ipsius devotioni paterno concurrentes affectu quamdam Villam sitam in Zlacho, que vulgariter Villa Drasch appellatur, sibi de fratrum nostrorum consilio quo ad vitam suam contulimus pacifice et quiete possidendam, persone tamen, non dignitati. In cuius possessionem per dilectum nostrum Magistrum S. ecclesie nostre Cantorem ipsum mitti fecimus corporalem. Ad cuius rei testimonium presentes concessimus sigilli nostri munimine roboratas Anno domini M.CC.L. die VI. intrante Novembre.

Nulli ergo etc. nostre confirmationis infringere etc. Datum Neapoli Idibus Februarii, Pontificatus nostri Anno Primo.

CXII.

Epo Castellano, ut W. de Cocania ecclesiae Tergestinae in ejus nomine pontifex praeficiat. Reg. An. I. ep. 260.

ALEXANDER EPISCOPUS etc. Venerabili fratri ... Episcopo Castellano, salutem etc. Lecta coram nobis dilecti filii Guarneri de Cocania canonici Aquilegensi petitio continebat, quod Tergestina ecclesia dudum pastore vacante ... Decanus et Capitulum ipsius ecclesie, dilecto filio Henrico, filio quondam Bernardi militis, eiusdem ecclesie canonico contradicente penitus, et Hermanno de Utino eorum concanonico irrequisito super hoc atque contempto, qui requiriri comode poterat et de iure debebat, Arlongum canonicum ipsius ecclesie, exigentibus suis culpis excommunicationis vinculo innodatum, in eorum episcopum eligere presumpserunt, propter quod dicti Henricus et Hermannus a felicis recordationis I. papa, predecessore nostro, ad ... electum Cenetensem litteras impetrarunt inter alia continentes, ut vocatis qui vocandi forent, quod super hoc canonicum esset, appellatione remota, statuere procuraret. Cumque postmodum dictus Cenetensis electus tam predictos Decanum et Capitulum, quam prefatum Arlongum auctoritate huiusmodi litterarum legitime citavisset, iidemque Decanus et Capitulum coram ipso Cenetensi in statuto eis termino comparentes, ac frivole appellantes, examen ipsius proprie voluntatis sequentes libitum declinassent, prefato Arlongo per se non comparente, nec mittente ad hoc aliquem ydoneum responsalem, demum dictus Cenetensis electus dilectis filiis Bellunensi et Mosacensi Abbatibus commisit super hoc, prout ex predictarum litterarum beneficio poterat, totaliter vices suas: qui, cognitis cause meritis et iuris ordine observato, electionem de prefato Arlongo vinculo tunc excommunicationis astricto, predictis Henrico contradicente et Hermanno irrequisito, invenerunt fuisse presumptam, ac etiam alias contra formam generalem concilii attemptatam, illam exigente iustitia sententialiter irritantes et irritam nuntiantes, predictos Decanum et Capitulum eligendi ea vice potestate

privatos, et ad prefatos Henricum et Hermannum potestatem providendi de persona idonea eidem ecclesie devolutam esse nichilominus declararunt: propter quod ... prepositus ecclesie sancti Wolrici Aquilegensis diocesis, in quem dicti Henricus et Hermannus providendi ipsi ecclesie de pastore per electionem canonicam vel postulationem concorditer transtulerunt unanimiter potestatem, prefatum Guarnerum (Wernerum) de Cocania Aquilegensem canonicum in Tergestinum episcopum, quamquam defectum pateretur in ordinibus, postulavit, ac dilectus filius Aquilegensis electus Metropolitanus predicte ecclesie huiusmodi postulationem sibi presentatam admisit, prout in ipsius Aquilegensis litteris super hoc confectis dicitur plenius contineri. Unde predictus W. de Cocania nobis humiliter supplicavit, ut quod per prefatos abbates, prepositum et electum Aquilegensem factum extitit in hac parte, confirmare de benignitate solita curaremus. Quia vero nobis non constitit de premissis, mandamus, quatenus, si res ita se habet, quod a predictis abbatibus super irritatione predicte electionis provide factum est, auctoritate nostra confirmare procures. Verum quia eidem Aquilegensi electo minus provide fuit huiusmodi postulatio presentata, et ab ipso recepta, cum super hoc ad sedem apostolicam debuerit haberi recursus, propter quod ipsius Aquilegensis electi processus invalidus esse dinoscitur in hac parte, illum studeas infirmare. Ceterum quia a nonnullis religiosis et aliis personis fidedignis laudabile super ipsius probitate testimonium prohibetur, et speratur firmiter, quod predicta ecclesia per eius industriam grata suscipere possit, auctore domino, in spiritualibus et temporalibus incrementa, nos hoc provide attendentes ac volentes gratiose agere cum eodem, precipimus, quod ipsum postea predicte Tergestine ecclesie de novo auctoritate nostra in episcopum proficias et pastorem, faciens sibi eadem auctoritate sacros conferri ordines et munus consecrationis impendi, ac nichilominus eidem a Decano et Capitulo ipsius ecclesie tamquam patri et pastori animarum suarum obedientiam et reverentiam debitam exhiberi, Contradictores etc. Non obstantibus si personis aliquibus a predicta sit sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas plenam et expressam non facientes de indulto huiusmodi mentionem, et constitutione de duabus dietis edita in concilio generali. Datum Neapoli III. Idus Martii, Pontificatus nostri Anno Primo.

CXIII.

Rectoribus et perpetuis vicariis ecclesiarum diocesis Agriensis sententia et processus de decimis et obventionibus lata et habitus confirmatur. Reg. An. I. ep. 354.

ALEXANDER EPISCOPUS etc. Dilectis filiis Rectoribus et perpetuis Vicariis ecclesiarum diocesis Agriensis, salutem etc. Cum a nobis petitur etc. usque effectum. Petitio siquidem vestra nobis exhibita continebat, quod cum Venerabilis frater ... Episcopus, et ... prepositus, archidiaconi et canonici Agrienses omnes fere redditus et proventus ecclesiarum vestrarum suis usibus indebite applicantes, et vobis non nisi quamdam tenuem et exilem partem de decimis, oblationibus et obventionibus illarum pro suo libito conferentes, diversis gravaminibus aliis vos afficerent: felicis recordationis I. papa predecessor noster, partibus coram se litterarum suarum auctoritate citatis, primo dilectum filium magistrum Ubaldum Subdiaconum et Capellanum nostrum deputavit in huiusmodi negotio auditorem, et tandem quia nimis erat ipsis partibus difficile apud sedem apostolicam litigare, volens earum parcere laboribus et expensis per litteras suas dilectis filiis ... Abbati de Seps Cisterciensis ordinis, et ... priori fratrum Predicatorum de Potehoc ac ... proposito sancti Martini de Sipes sub certa forma dictum commisit negotium ordinandum: qui rite in eodem negotio procedentes, et litterarum predictarum forma servata, earum auctoritate quartam partem dictarum decimarum vobis, cum id de iure communi competat, pro sustentatione vestra in perpetuum sententialiter assignarunt, et aliam quartam illarum in loco tuto cuiuslibet parrochie pro fabricis, luminariis et ornamentis ecclesiarum ipsarum deponi fideliter decernentes, residuum decimarum predictarum et duas partes oblationum in denariis, auro vel argento, que a parrochianis vel aliis Christifidelibus ex quacumque causa earundem ecclesiarum ab ea quibus(sic) offeruntur, exceptis pane, carnibus et candelis, que omnia cum tertia parte huiusmodi oblationum in denariis et auro vel argento facta vobis cedant, dari dicto episcopo preceperunt: super reliquis vero certam ordinationem ediderunt iuxta litterarum continentiam earundem, prout in patentibus litteris dictorum iudicum confectis exinde, ac eorum sigillis signatis plenius dicitur contineri. Nos itaque vestris supplicationibus inclinati huiusmodi processum et ordinationem, sicut per eosdem iudices provide facti sunt, ratos et firmos habentes eos auctoritate apostolica confirmamus etc. usque communimus. Nulli ergo etc. nostre confirmationis etc. Datum Neapoli VIII. Kal. Maii, Pontificatus nostri Anno Primo.

CXIV.

Ecclesiae Tragurienai Columbanus ord. fratrum Minorum in episcopum praefectus annuntiatur. Reg. An. I. ep. 484.

ALEXANDER EPISCOPUS etc. Dilectis filiis ... Archidiacono et Capitulo Tragurienaibus, salut. etc. Licet continuata supervenientium negotiorum instantia nos, qui disponente domino universali regimini quamquam insufficientibus meritis presidomus, insultibus impetat successivis, solicitudo tamen omnium ecclesiarum nostris incumbens humeris tanto arctius quotidiana nos meditatione perurget, quanto ad id sumus specialius, immo principalius deputati. Cum igitur per litteras vestras, et etiam per dilectum filium Marcum presbiterum et Gervasium diaconum, canonicos vestros, quos de fidelitate ac diligentia plurimum commendamus, nobis duxistis cum instantia supplicandum, ut ecclesie vestre pastoris destitute solatio providere do pontifice curaremus: nos volentes vestro satisfacere desiderio in hac parte, ac intendentes talem ibidem personam preficere, que plus suis meritis prcsultatus dignitatem extollat, quam ipsa pontificatus efferatur honore, Venerabilem fratrem Columbanum episcopum Tragurienaem, penitentiarium nostrum, ordinis Minorum, virum utique litterarum scientia preditum, morum honestate et consilii maturitate preclarum, eidem ecclesie prefccimus de fratrum nostrorum consilio de potestatis plenitudine in episcopum et pastorem, plena sibi tam in spiritualibus quam in temporalibus ipsius ecclesie administratione concessa, firma spe fiduciaque retenta, quod eadem ecclesia per ipsius industriam, auctore deo, augebitur in utrisque. Quocirca universitati vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus ipsum tamquam patrem et pastorem animarum vestrarum, immo potius nos in eo benigne recipientes et honorifice pertractantes, impendatis ei reverentiam tam debitam quam devotam, eius mandatis et monitis salubribus intendendo humiliter et devote: alioquin sententiam etc. usque observari. Datum Anagnie III. Nonas Iulii, Pontificatus nostri Anno Primo.

CXV.

Archiepiscopo Ragusino Venetiis commoranti et suis collegis, ut sententiam pro Matthaeo de S. Cassiano contra Marinum Danduli et episcopum Torcellanum latam exsequantur. Reg. An. III. ep. 427.

ALEXANDER EPISCOPUS etc. Venerabili fratri ... Archiepiscopo Ragusino Venetiis commoranti, et dilectis filiis ... Priori sancti Georgii de Alego Castellane diocesis, et Andree Casini Canonico ecclesie Castellane, salutem etc. Sua nobis dilectus filius Matheus de Sancto Cassiano presbiter conquestione monstravit, quod cum in causa, que inter ipsum ex parte una, et Marinum Danduli clericum de Venetiis ac clericos ecclesie sancte Marie de Murianis Torcellane diocesis super eo, quod ipsi dictum Matheum iam dicta ecclesia, quam auctoritate apostolica fucrat canonice assecutus, et aliquandiu possederat, contra iustitiam spoliarunt, ex altera vertebatur, primo Venerabilem fratrem nostrum M. Bracharensem Archiepiscopum, tunc capellanum nostrum, ac inter suum et adverse partis procuratores tunc presentes lite lcgitime contestata, iuramento hinc inde de veritate dicenda prestito, factis positionibus et responsionibus subsecutis, receptis testibus et eorum attestationibus publicatis, assumptis exinde rubricis et examinatis etiam diligenter, postmodum magistros Bernardum Ispanum, ac ipso se ad partes alias transferente, Iacobum Falconarium capellanos nostros dederimus partibus auditores. Demum idem magister Iacobus, cognitis ipsius cause meritis et iuris ordine observato, fecta quoque de hiis relatione coram dilecto filio nostro R. sancti Angeli diacono Cardinali, et a nobis licentia pronuntiandi recepta, dicto procuratore suo prescnte ac prefato alterius partis procuratore citato pluries in audientia publica se per contumaciam absentante, nec aliquo alio pro eadem parte altera comparente, dictum Martinum ad restituendum eidem presbitero eandom ecclesiam cum fructibus, obventionibus et proventibus exinde medio tempore perceptis, ac eundem, cnm dicto prcsbitero in certa summa pecunie pro expensis in lite factis taxatione prehabita, iuramento a dicto procuratore suo super hoc prostito, sententialiter condempnavit, prefatis clericis ecclesie sancte Marie ab impetitione dicti presbiteri seu procuratoris ipsius super premissis nichilominus absolutis, prout in patentibus litteris confectis exinde ac sigillo eiusdem magistri Iacobi signatis plenius continotur. Nosquo ipsius presbiteri supplicationibus inclinati sententiam et condempnationem huiusmodi provide latas ratas et firmas habentes, eas per nostras litteras duximus confirmandas, dilecto filio Almerico canonico Ravonnati sibi super hoc executore concesso. Verum cum dictus Marinus ac Venerabilis frater noster Torcellanus Episcopus, nt ipsum sua in hac parte iustitia et effectu defraudent sententie supradicte, proventus nominate ecclesie inter se postmodum proportionaliter duxerint dividendos, in apostolice sedis iniuriam et contemptum et ipsius preiudicium et gravamen: nobis humiliter supplicavit, ut providere sibi, nc dictorum Episcopi et Marini malitia equitati

prevaleat, misericorditer curaremus. Ideoque mandamus, quatenus divisione huiusmodi non obstante in negotio huinsmodi procedatis iuxta directarum ad eundem executorem super hoc nostrarum continentiam litterarum, facturi ipsi Matheo ab Episcopo supradicto de perceptis ex dicta ecclesia a tempore late sententie proventibus, sicut iustum fuerit, integre responderi, Contradictores etc. invocato ad hoc contra laicos, si necessa fuerit, auxilio brachii secularis. Qnod si non omnes etc. tu frater Archiepiscope etc. Datum Viterbii VI. Idus Iunii, Pontificatus nostri Anno Tertio.

CXVI

Alexdrus, I. archiepiscopo Ragusino libere resignante, ecclesiae Ragusinae in archiepiscopum praeficitur. Reg. An. V. ep. 64. fol. 125.

ALEXANDER EPISCOPUS etc. Venerabili fratri Aleardo Archiepiscopo Ragusino, salutem etc. Recte tunc ecclesiarum utilitati prospicitur et indempnitati salubriter precavetur, cum discretis et providis cura committitur earumdem. Unde Romanus Pontifex, cui ex apostolatus officio imminet do universis ecclesiis sollicite cogitare, hoc maxime circa ipsas attendit et ad id propensins invigilat, ut per bonos et dignos gubernentur rectores, per duces perspicnos in suis gregibus dirigantur, per sacros et eruditos ministros in spiritualibus fulgeant, et per dispensatores prudentes temporalium proficiant incrementis. Sane a Venerabili fartre nostro I. Archiepiscopo qnondam Ragusino ecclesie Ragusine libera resignatione recepta, cum de ipsius ecclesie ordinatione et populi Ragusini duritia cogitaremus attente, ad personam tuam ad eiusdem ecclesie regimen propter multa favorabiliter assumendam intuitum considerationis nostre convertimus, sperantes, quod per datam tibi a domino discretionem, consilii maturitatem, vite munditiam, religionis claritatem et litterarum scientiam apud populnm ipsum dignum proficere debeas verbo pariter et exemplo. Unde te ipsi ecclesie de fratrum nostrorum consilio et potestatis nostre plenitudine in Archiepiscopum preficimus ac pastorem, firmam spem fiduciamque tenentes, quod eadem ecclesia et populus predictus tue diligentie studio spiritualia et temporalia, auctore domino, suscipient incrementa. Quocirca mandamus, quatenus attendens te in partem non modicam nostre sollicitudinis evocatum, sic iugo domini, qnod tibi per dispensationem nostram imponitur, humiliter subicias fortitudinis tue collum, de misericordia dei et apostolico favore confidens, quod exinde tibi proveniat in presenti meritorum gratia et promiorum gloria in futuro. Datum Viterbii v. Idus Februarii, Pontificatus nostri Anno Quarto.

CXVII.

Magistro Andrese de Horto, nepoti archiepiscopi Antibarensis, quasdam pensie ab episcopo Morinensi concesse confirmatur. Reg. An. V. ep. 150. fol. 212.

ALEXANDER EPISCOPUS etc. Dilecto filio Magistro Andree de Orto scriptori nostro, Canonico Viterbiensi, salutem etc. Provenit ex devotionis tue meritis, ut in hiis, que digne postulas, te favorabiliter prosequentes, reddamur tibi assidue ad gratiam liberales. Sane petitio tua nobis exhibita continebat, quod Venerabilis frater noster Radulfus Morinensis Episcopus te obtentu Venerabilis fratris nostri Laurentii Archiepiscopi Antibarensis, avunculi tui, tunc Capellani et familiaris felicis recordationis Innocentii pape predecessoris nostri, intendens prosequi favore gratie specialis, tibi annuam pensionem centum solidorum Turonensium de Camera sua tamdiu percipiendam a te annis singulis Pariluis (sic) in festo Nativitatis domini mera liberalitate concessit, donec tibi de beneficio ecclesiastico competenti ad collationem suam spectante duceret providendum, prout in litteris inde confectis ipsius Episcopi sigillo munitis plenius continetur. Nos itaque tuis supplicationibus inclinati concessionem huiusmodi ratam et firmam habentes, eam auctoritate apostolica duximus confirmandam, memoratum Episcopum Morinensem ac successores eius, non obstante quod in concessione prefata Morinensis Capituli non intervenit assensus, nec fuerunt etiam requisiti, ad solutionem pensionis et ad provisionem huiusmodi faciendam teneri tibi eadem auctoritate nichilominus decernentes, ita quod omnino ad hec sint et maneant obligati. Tenorem autem litterarum ipsarum de verbo ad verbum presentibus inseri fecimus: qui talis est.

Nos Radulfus dei gratia Episcopus Morinensis dilecto in Christo filio Magistro Andree de Orto, domini pape Scriptori, salutem in domino. Attendentes grata devotionis obsequia, que Carissimus amicus noster, vir religiosus, frater Laurentius ordinis Minorum, Capellanus Camere domini pape, avunculus tuus nobis impendit, et que nobis et nostris in futurum impendi speramus, ab eo in signum specialis dilectionis, quam ad eundem fratrem habemus, concedimus tibi liberaliter de Camera nostra annuam

pensionem centum solidorum Turonensium, tamdiu tibi vel procuratori tuo pro te in festo Nativitatis domini sine difficultate qualibet annis singulis persolvendam a nobis Pariluis, donec in episcopatu nostro in beneficio competenti a nobis tibi fuerit provisum, quod quidem adimplere promittimus. In cuius rei testimonium et ad tui cautelam presentes litteras fecimus sigilli nostri appensione muniri. Datum Perusii v. Kalendas Martii, Pontificat. dñi Innocentii pape IIII. Anno domini M.CC.LIII., Indictione XI.

Nulli ergo etc. nostre confirmationis et constitutionis etc. Datum Anagnie v. Nonas Maii, Pontificatus nostri Anno Quinto.

CXVIII.

Ministro et vicario Sclavonie et guardiano ord. Minorum Iadrensi, ut monialibus s. Nicolai ord. s. Damiani quatuor fratres ad divina officia celebranda concedant. Reg. An. V. ep. 201. fol. 284.

ALEXANDER EPISCOPUS etc. Dilectis filiis ... Ministro et ... Vicario Sclavonie ac ... Guardiano ordinis Minorum Iadrensi, salutem etc. Quia personas religiosas eo maiori prosequi favore debemus, quo devotiori placere student domino famulatu, libenter illa sibi paterna sollicitudine procuramus, per que ipsarum religio laudabile suscipere valeat, auctore domino, incrementum, et eodem animarum salutem, pro qua mundi vanitatem penitus reliquerunt, liberius consequantur. Hinc est, quod cum, sicut dilecte in Christo filie ... Abbatissa et Conventus monialium inclusarum monasterii sancti Nicolai Iadrensis ordinis sancti Damiani, ad Romanam ecclesiam nullo mediante pertinentis, exponunt cum reverentia, quod aliquibus fratribus vestri ordinis indigeant, qui eis divina officia celebrent et exhibeant ecclesiastica sacramenta, discretioni vestre per apostolica scripta in virtute obedientie districte precipiendo mandamus, quatenus predictis Abbatisse et Conventui quatuor de fratribus vestri ordinis providos et discretos vestre administrationis pro celebrandis divinis officiis et exhibendis ecclesiasticis sacramentis absque difficultate qualibet concedatis in ipsarum monasterio permansuros, Non obstante constitutione vestri ordinis aut aliqua sedis apostolice indulgentia etc. Quod si non omnes hiis exequendis interesse possitis, singuli vestri etc. Datum Anagnie VII. Kalendas Iulii, Pontificatus nostri Anno Quinto.

CXIX.

Moniales monasterii s. Nicolai Iadrensis sub protectione sedis apostolicae cum omnibus bonis suis suscipiuntur, et quaedam privilegia iisdem conceduntur. Reg. An. VI. ep. 85. fol. 251.

ALEXANDER EPISCOPUS etc. Dilectis filiabus ... Abbatisse monasterii sancti Nicolai Iadrensis eiusque sororibus tam presentibus quam futuris regularem vitam professis in perpetuum, salutem etc. Religiosam vitam eligentibus apostolicum convenit adesse presidium, ne forte cuiuslibet temeritatis incursus aut eas a proposito revocet, aut robur, quod absit, sacre religionis enervet. Eapropter, dilecte in Christo filie, vestris iustis postulationibus clementer annuimus, et monasterium sancti Nicolai Iadrensis, in quo divino estis obsequio mancipate, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus et presentis scripti privilegio communimus. In primis siquidem statuentes, ut ordo monasticus, qui secundum deum et beati Benedicti Regulam atque intitutionem monialium inclusarum sancti Damiani Asisinatum, et formulam vite vestre a felicis recordationis Gregorio papa predecessore nostro ordini vestro traditam, cum adhuc esset in minori officio constitutus, in eodem monasterio institutus esse dinoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Preterea quascumque possessiones, quecumque bona idem monasterium impresentiarum iuste et canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, liberalitate regum vel principum, oblatione fidelium seu aliis iustis modis, deo propitio, poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus illibata permaneant: in quibus hec propriis duximus vocabulis exprimenda, locum ipsum, in quo prefatum monasterium situm est, cum omnibus pertinentiis suis, ecclesiam sancti Iohannis de Mezano cum vinea et terris ibidem positis, vineas de Gilano cum omnibus terris, que sunt ad Raccam et cum omnibus terris, que sunt ad Braus et cum omnibus domibus et casalinis, que sunt in civitate Iadrensi, cum pratis, vineis, terris, nemoribus, usnagiis et pascuis in bosco et piano, in aquis et molendinis, in viis et semitis, et omnibus aliis libertatibus et immunitatibus suis. Liceat quoque vobis personas liberas et absolutas e seculo fugientes ad conversionem recipere, et eas absque contradictione aliqua retinere. Prohibemus insuper, ut nulli sororum vestrarum post factam in eodem loco professionem aliqua levitate sine Abbatisse licentia fas sit de claustro discedere; discedentem vero absque communium litterarum cautione nullus audeat retinere. Pro consecrationibus vero altarium vel ecclesie vestre, sive pro oleo sancto vel quolibet ecclesiastico sacramento nullus a vobis sub obtentu consue-

tudinis vel alio modo audeat quidquam extorquere, sed hec omnia gratis vobis Episcopus diocesanus impendat: alioquin liceat vobis hec nostra auctoritate recipere a quocumque malueritis catholico antistite gratiam et communionem sedis apostolice obtinente. Quod si sedes diocesani Episcopi forte vacaverit, interim omnia ecclesiastica sacramenta a vicinis Episcopis accipere libere et absque contradictione possitis, sic tamen ut ex hoc proprio Epō super eis in posterum nullum preiudicium generetur. Quia vero interdum propriorum Episcoporum copiam non habetis, ai quem Episcopum Romane sedis, ut diximus, gratiam et communionem habentem, et de quo plenam notitiam habeatis, per vos transire contigerit, ab eo benedictiones monialium auctoritate sedis apostolice recipere valeatis. Cum autem generale interdictum terre fuerit, liceat vobis, clausis ianuis, excommunicatis et interdictis exclusis, non pulsatis campanis, submissa voce divina officia celebrare. Obeunte vero te nunc eiusdem loci Abbatissa vel tuarum qualibet succedente, nulla ibi qualibet subreptionis astutia seu violentia preponatur, nisi quam sorores communi consensu vel earum maior pars consilii sanioris secundum deum et regulam providerint eligendam. Porro si Episcopi vel alii ecclesiarum Rectores in monasterium vestrum vel personas regulares inibi domino famulantes suspensionis, excommunicationis vel interdicti sententiam promulgaverint, ipsam tamquam contra sedis apostolice indulta prolatam decernimus non tenere. Paci quoque et tranquillitati vestre paterna imposterum sollicitudine providere volentes, auctoritate apostolica prohibemus, ut infra clausuras monasterii vestri nullus rapinam seu furtum facere, ignem apponere, sanguinem fundere, hominem temere capere vel interficere, seu violentias audiat exercere. Preterea omnes libertates et immunitates, quas monasterio vestro Venerabilis frater noster ... Archiepiscopus Iadrensis de Capituli sui assensu indulsisse dinoscitur, sicut in eorum litteris plenius continetur, auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti privilegio communimus. Tenorem autem litterarum ipsarum presentis privilegii inseri fecimus: qui talis est.

Quia iuxta canonum sanctiones bone rei dare consultum et vite presentis habetur subsidium, et eterne remunerationis expectare cernitur premium: Idcirco nos Laurentius dei gratia Iadrensis Archiepiscopus cum nostro Capitulo universo, deliberatione diu inter nos habita et communicato cum pluribus sapientibus et religiosis viris consilio, diligenter considerantes et utiliter attendentes, quod per donationem seu oblationem monasterii sancti Nicolai de Iadra ordinis sancti Benedicti, quod Abbatissa caret, cum omnibus rebus suis mobilibus et immobilibus, quam universe moniales eiusdem monasterii pura ac pia intentione de consensu patronorum ipsius fecerunt liberaliter et devote deo et ordini sancti Damiani pauperum dominarum, sua simul eidem ordini corpora offerentes, non solum in Iadrensi provincia, sed in tota Dalmatia procuratur et acquiritur tam salus corporum quam etiam animarum, predictam donationem seu oblationem totis cordis visceribus ratam et gratam habentes, predictum monasterium cum omnibus rebus suis, et moniales omnes, que nunc sunt et que decetero per tempora fuerint, ab omni iurisdictione sive subiectione duximus perpetuo eximendas, nichil omnino iuris nobis in eodem monasterio reservantes. In cuius donationis, ratificationis et exemptionis perpetuam firmitatem presens scriptum nostris sigillis pendentibus fecimus communiri. Actum est hoc in monasterio antedicto, presentibus Damiano plebano sancti Petri novi de Iadra, Geminiano Iadrensi Primicerio, et Nobilibus viris Cerno de Merga, Ologono de Mauro, Paulo de Lambredio, Iohanne Zivalelli et Lampredio Nicole et aliis pluribus, currente anno domini M.CC.LX., mense Martii die VII. exente, Indictione III.

Decernimus ergo, ut nulli hominum liceat idem monasterium temere perturbare, aut eius possessiones auferre vel ablatas retinere, minuere, vel temerariis vexationibus fatigare, sed omnia integra conserventur eorum, pro quorum gubernatione et sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura, salva in omnibus sedis apostolice auctoritate. Ad indicium autem huius precepte a sede apostolica libertatis unam libram cere nobis, nostrisque successoribus annis singulis persolvetis. Si qua igitur in futurum ecclesiastica secularisve persona hanc nostre constitutionis paginam sciens contra eam temere venire temptaverit, secundo tertiove commonita, si non satisfactione congrua emendaverit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, et a sacratissimo corpore ac sanguine dei et domini Redemptoris nostri Ihesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districte ultioni subiaceat. Cunctis autem eidem loco sua iura servantibus sit pax domini nostri Ihesu Christi, quatenus et hic fructum bone actionis percipiant, et apud dictrictum iudicem premia eterne pacis inveniant. Amen. Datum Anagnie per manum Magistri Iordani sancte Romane ecclesie Notarii et Vicecancellarii III. Idus Iunii, Indictione III., Incarnationis dominice anno M.CC.LX. Pontificatus vero domini Alexandri papa IIII. Anno Sexto.

EPISTOLAE URBANI PP. IV.

CXX.

Episcopo Traguriensi, ut fratribus minoribus s. Francisci in sua civitate locum emat etc.
Reg. An. III. ep. 108. fol. 32.

URBANUS EPISCOPUS etc. Venerabili fratri... Episcopo Traguriensi, salutem etc. Sua nobis dilecti filii ... Guardianus et fratres de ordine Minorum petitione monstrarunt, quod quondam Desaluce Civis Traguriensis terrena pro celestibus cupiens feliciter commutare, dictis Guardiano et fratribus, quos in necessariis magnum consideravit sustinere defectum, terras, possessiones et omnia bona sua in ultima voluntate legavit, et quia fratres ipsius ordinis de possessionibus se nullatenus intromittunt, nec eis licet possessiones habere, quatuor procuratores constituit, qui terras et possessiones huiusmodi procurarent, ac redditus et proventus earum in necessitates Guardiani et fratrum converterent eorumdem: ita quod reddituum et proventuum predictorum residuum, si quod esset, iuxta consilium provincialis ministri et aliorum fratrum ipsius ordinis de partibus illis studerent aliis fratribus eiusdem ordinis alibi commorantibus impartiri. Quare pro parte dictorum Guardiani et fratrum humiliter petebatur a nobis, ut cum eis premissa terrarum et possessionum, seu reddituum et proventuum predictorum dispositio pro ipsius ordinis honestate non competat, et locus, in quo hactenus morati sunt, pro eo precipue habitationi non congruat eorumdem, quia a civitate Traguriensi nimium est remotus, providere super hoc paterna sollicitudine curaremus. Nos itaque huiusmodi necessitati dictorum Guardiani et fratrum consulere cupientes, fraternitati tue mandamus, quatenus si est ita, terras et possessiones predictas de consilio et assensu predictorum procuratorum per te, vel per alium auctoritate nostra vendere studeas, et de pretio, quod ex eis provenerit, aliquem locum dictis Guardiano et fratribus aptum emas sine iuris preiudicio alieni, ac in ipso ecclesiam, domos et officinas construi ad opus facias eorumdem, talem super hiis diligentiam habiturus, quod exinde digna laudibus apud nos tua sinceritas habeatur. Datum apud Urbemveterem VI. Idus Ianuarii, Pontificatus nostri Anno Tertio.

CXXI.

Archiepiscopo Iadrensi, ut cum Prestantio de Cotopagna et Stana de matrimonio contracto dispenset.
Reg. An. III. ep. 226 fol. 106.

URBANUS EPISCOPUS etc. Venerabili fratri... Archiepiscopo Iadrensi, salutem etc. Per tuas nobis litteras supplicasti, ut cum dilectus filius Prestantius de Cotopagna civis Iadrensis cum Stana muliere Iadrensi, que quondam ... uxori eiusdem civis quarto consanguinitatis gradu attinebat, per verba de presenti, nondum carnali copula subsecuta, duxerit matrimonium contrahendum, propter quod civitatis Iadrensis pax et tranquillitas procuratur, et ex cuius seperatione posset in eadem civitate, prout eadem littere continebant, scandalum suboriri, provideri supor hoc do benignitate sedis apostolice curaremus. Nos igitur de circumspectione tua plenam in domino fiduciam obtinentes, fraternitati tue mandamus, quatenus, si est ita, et consideratis diligenter circumstantiis universis, videris expedire, cum Prestantio et Stana predictis auctoritate nostra dispenses, ut impedimento huiusmodi non obstante in sic contracto matrimonio possint licite remanere. Datum apud Urbemvetorem XII. Kalendas Februarii, Anno III.

CXXII.

Episcopo Concordiensi, ut inquirat in decanum Tergestinum et alios, qui fratribus Praedicatoribus iniurias intulerunt, et eos ad comparendum coram pontifice citet. Reg. An. III. ep. 636. fol. 155.

URBANUS EPISCOPUS etc. Venerabili fratri ... Episcopo Concordiensi, salutem etc. Horribile seu nefandum quid esse dinoscitur, quando in humiles et devotos dei famulos illorum iniquitas debachatur,

qui tota deberent esse virtute solliciti, ut per ipsorum auxilium et favorem in apostolicis seu divinis potius beneplacitis exequendis posset illorum obedientia prosperari. Sane cum multo stupore mentis audivimus, licet credere vix possimus, quod cum dilectus filius Iobannes Ursi et Castellanus fratres ordinis Predicatorum mandatum nostrum super predicatione crucis contra Tartaros, sibi per litteras speciales auctoritate nostra directum, volentes exequi reverenter in festo beati Stephani prothomartiris primo preterito Tergestinam ecclesiam adivissent, dictusque frater Iobannes non modico ibidem populo congregato litteras nostras legere ac exponere vellet, ut ad susceptionem crucis huiusmodi posset eiusdem populi devotio excitari, Decanus et nonnulli alii Canonici seu clerici ecclesie supradicte modestiam clericalem et dei reverentiam, ac apostolice sedis honorem a se penitus relegantes, dum missarum sollempnia celebrarentur ibidem, gravem in populo ipso concitare strepitum et tumultum, ac eundem fratrem, ne verbum dei proponeret, impedire multipliciter presumpserunt: nec hiis contenti manibus in illum iniectis, dei timore postposito temere, violentis, ipsum de predicationis loco, in quo stabat, quasi spiritu agitati frenetico in terram turpiter eiecerunt, comminando quod nisi frater ipse festinus eandem exire ecclesiam, peiora prioribus pateretur, quamquam idem frater Iohannes se nuntium nostrum et predicatorem crucis predicte constanti animo affirmaret. Postmodum autem cum frater ipse tantas iniurias sibi nequiter irrigatas sustinens in domino patienter, in quamdam sedem chori eiusdem ecclesie divertisset credulus, quod furoris illorum finis debitus haberetur, dicti Decanus et Canonici seu clerici suorum prime attrocitati motuum effrenem insaniam aggregantes, eum cum predicto fratre suo de sepedicta ecclesia, nondum finitis in ipsa missarum sollempniis, cum multa ignomia expulerunt. Ceterum cum predictus frater Iohannes eodem die in platea communis Tergestini congregato ibidem populo verbum dei proponere incepisset, Decanus et Canonici ac clerici supradicti, quasi Tartarorum fautores existerent, et vellent per evidentia signa conici, quod essent christiani nominis inimici, predicationi eiusdem fratris Iobannis obstaculum dampnabile opponentes, populum ipsum ab eiusdem audientia iniquis seductionibus avertere sunt conati ... Archidiaconus vero ecclesie memorate non solum excessus huiusmodi, prout tenebatur, corrigere sen cohibere neglexit, verum etiam similia et fere nequiora committens irreverenti corde ac immundis labiis dixit in populo, quod omnes, qui verba dicti fratris audirent, vinculo essent excommunicationis affecti. Cum itaque tanta iniuriarum enormitas deo et apostolice sedi, ac persone nostre detestabiliter irrigata non debeat a nobis equanimiter sustineri, sed taliter corrigi, quod et presumptores illarum de tanta perversitate peniteat, et audacia committendi similia in superbia et tumidis aliquorum cordibus non consurgat: fraternitati tue mandamus, quatenus inquiras per te vel per alium de plano et sine iudicii strepitu super premissis diligentius veritatem, et si per inquisitionem huiusmodi Decanum, Archidiaconum et alios supradictos vel aliquem eorum in hiis inveneris fuisse culpabiles, auctoritate nostra peremptorie cites cosdem, ut infra competentem terminum, quem ipsis ad hoc duxeris prefigendum, personaliter compareant coram nobis pro meritis recepturi. Quicquid autem super predictis feceris et inveneris, ac diem citationis et formam nobis per tuas litteras tenorem presentium continentes exponere fideliter non omittas. Datum apud Urbemveterem v. Kal. Aprilis, Pont. nostri Anno Tertio.

EPISTOLAE CLEMENTIS PP. IV.

CXXIII.

Primicerio s. Marci de Venetiis, ut episcopum Zagrabiensem ad satisfaciendum quibusdam mercatoribus Senensibus de certa pecunie summa compellat. Reg. An. III. ep. 74.

Clemens episcopus etc. Dilecto filio ... Primicerio sancti Marchi de Venetiis, salutem etc. Dilecti filii Bonaventura Bernardini et Iacobus Aldebrandini, cives et mercatores Senenses, in nostra proposuerunt presentia constituti, quod cum ipsi pro se ipsis, necnon pro Orlando Bonsignoris, Iacobo

Ranuccini Dietaviva, Bonelli et aliis eorum sociis, civibus et mercatoribus Senensibus, Venerabili fratri nostro ... Zagabriensi Episcopo, tunc apud sedem apostolicam personaliter constituto, renuncianti constitutioni de duabus dietis edite in concilio generali, beneficio restitutionis in integrum et omnibus litteris apostolicis impetratis ac etiam impetrandis, Quingentas et Sexaginta et Quatuor marchas Sterlingorum novorum diversis vicibus mutuarint, eis certis loco et terminis persolvendas, pront in instrumentis publicis et litteris inde confectis plenius continetur. Idem Epus eis de dictis marchis, quamquam termini solutionum effluxerint, hactenus satisfacere non curavit, contra iuramentum proprium super solvenda quadam ex predictis marchis quantitate specialiter prestitum veniendo, propter quod iidem mercatores dampna gravia et expensas non modicas se asserunt incurrisse. Nos igitur mercatoribus eisdem apostolico super hoc volentes adesse favore, discrectioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus eundem Episcopum per te vel per alium ex parte nostra moneas efficaciter et inducas, ut prefatis mercatoribus vel eorum procuratoribus suo nomine de iam dictis Quingentis et Sexaginta et Quatuor marchis cum iustis et moderatis expensis, ac debita restauratione dampnorum iuxta tenores litterarum et instrumentorum eorumdem infra duos menses post monitionem huiusmodi, usuris omnino cessantibus, integre satisfacere non omittat. Alioquin extunc in dictum Episcopum excommunicationis ferens sententiam, illam singulis diebus dominicis et festivis, pulsatis campanis et candelis accensis, in locis, de quibus expedire videris, facias sollempniter publicari, in illos, qui ad mandatum tuum sententiam ipsam taliter publicare contempserint, appellatione remota, censuram ecclesiasticam exercendo, Non obstante constitutione predicta seu aliqua indulgentia sedis apostolice dicto Episcopo concessa, per quam effectus presentium posset quomodolibet impediri, seu si eidem Epo vel quibuscumque aliis a sede sit indultum etc. usque mentionem. Datum Viterbii II. Kalendas Martii, Pontificatus nostri Anno Tertio.

CXXIV.

Archiepiscopo Ravennati in Aquileiensi ac Gradensi patriarchalibus, et in Ragusina, Ravennate, Mediolanensi et Ianuensi civitatibus et dioecesibus etc, committitur legationis officium. Reg. An III. ep. 56.

CLEMENS EPISCOPUS etc. Venerabili fratri ... Archiepiscopo Ravennati, salutem etc. Abolim sparso pestiferi semine generis, in agro partium Lombardie succrevit ex illo messis odibilis fructus amaritudinis cum doloris immensitate producens. De statu namque satbane turbatoris quietis emulique pacis progredientes dudum in illa regione viri sanguinum pestilentes totam terram innumeris repleverunt angustiis, et variis discriminibus subiecerunt, tam indigenis quam ceteris earumdem partium incolis longo tempore positis in excidium et ruinam, multis a dei et ecclesio Romane devotione subtractis, quampluribus sub hostili clade peremptis, aliis in exilium traditis, nonnullis, qui solebant florere divitiis, opertis pallio paupertatis, bellicus ibidem furor invaluit, armavit impietas patrem in filium, filium in patrem et fratrem, proximo non pepercit, veluti singulis in cedem propriam concitatis. Hoc siquidem ipse Belial peccatis populorum exigentibus procurasse conicitur, ut prefata regio, que multe nobilitatis et decoris gratia prepollebat, reformationis dispendia sub miserabili ducta vehiculo et perpessa peste tyrampnica sustineret: sed ut talium persecutionum olla flammis durioribus ebulliret, quondam Fridericus deplorationis eterne filius, et successive Conradus, ac domum Manfredus generatio prava et exasperans, perennis maledictionis alumpni, succensum ignem, qui sic universaliter ipsam provinciam exurebat, ne forte lenteseceret, sed siquid nondum in cibum eius advenerat, celeriori ustione vastaret, sua fovere nequitia studuerunt. Misericors autem dominus, qui sic interdum irascitur, ut benignius mansuescat, sic affligit, ut bonum consolationis adiciat, sic prosternit, ut altius elisos extollat, super lapsos et afflictos pia benignitate respiciens, sublatis de medio, qui facere dissentionem principaliter succedebant, salutifero dignatur illis inspirare consilio, quod ad devotionem pristinam et ad viam pacis et concordie revertantur, sicut eos iam pro maiori parte conspicimus devote conversionis spiritum assumpsisse. Verum quia propter multa, que restant de finibus illarum partium extirpanda, et pro eis in statum plene pacificum, dante domino, reducendis multipliciter expedit, ut tam clerus quam populus ex parte sedis apostolice visitetur, nostramque presentiam illuc ob multa et ardua negotia, quibus distrahimur, assidue dirigere nequeamus, ad te propriam mentem convertimus, ac nostros direximus fiducialiter oculos, ut *tibi* quasi alias ibidem similes subiisti labores, cuiusque virtutes tam in hiis quam in aliis memorata *sedes* diversis vicibus est experta, et de cuius operibus semper fructus utiles provenisse percipimus, super hoc onus nostre sollicitudinis imponamus, sperantes quod tamquam vir magnanimis, cuius fortitudo sub graviori labore grandescit, quique difficilia viriliter aggredi consuevit, in exercendum opus domi-

nicum te prudenter accingas, et illud sub nomine domini ad eius laudem et gloriam virtuosus assumas. Ideoque de fratrum nostrorum consilio in Aquilegensi et Gradensi patriarchatibus, ac in Ragusina, Ravennate, Mediolanensi et Ianuensi civitatibus, diocesibus et provinciis, necnon generaliter in Lombardia, Romaniola et Marchia Tervisina plene legationis officium tibi duximus committendum, ut evellas et destruas, dissipes et disperdas, edifices et plantes, ac facias auctoritate nostra quecumque ad honorem dei et eiusdem ecclesie ac prosperum statum partium earumdem videris expedire, fraternitati tue per apostolica scripta mandantes, quatenus officium ipsum absque difficultate suscipias, et illud iuxta datam a deo tibi prudentiam solite diligentie studio prosequaris. Nos enim sententias, quas tuleris in rebelles, ratas habebimus et faciemus, auctore domino, usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Non obstantibus aliquibus privilegiis vel indulgentiis quibuscumque personis, dignitatibus, locis, communitatibus, ecclesiis, monasteriis, conventibus Cisterciensis, Premonstratensis et quorumcumque aliorum ordinum generaliter vel specialiter ab eadem sede concessis, per que ipsius officii prosecutio possit quomodolibet impediri, et de quibus in nostris litteris de verbo ad verbum fieri debeat mentio specialis. Datum Viterbii VIII. Idus Iulii, Pontificatus nostri Anno Tertio.

CXXV.

Praelatis praedictarum provinciarum super eodem argumento. Reg. An. III. ep. 57.

CLEMENS EPISCOPUS etc. Venerabilibus fratribus ... Aquilegensi et ... Gradensi Patriarchis, ac ... Ragusino, ... Mediolanensi et ... Ianuensi Archiepiscopis et universis Episcopis, ac dilectis filiis Abbatibus, Prioribus, Prepositis, Decanis, Archidiaconis, Plebanis, Archipresbiteris et aliis ecclesiarum Prelatis et ceteris personis ecclesiasticis tam religiosis quam secularibus, exemptis et non exemptis, necnon Marchionibus, Comitibus, Nobilibus, Potestatibus, Consiliis, Communitatibus et Universitatibus Civitatum et Castrorum per Aquilegensem et Gradensem Patriarchatus ac Ragusinum, Ravennatem, Mediolanensem et Ianuensem Civitates et dioceses et provincias, ac generaliter per Lombardiam, Romaniolam et Marchiam Tervisinam constitutis, salutem etc. Ab olim sparso pestiferi semine generis etc. nequeamus, ad Venerabilem fratrem nostrum ... Archiepiscopum Ravennatem, virum utique scientia preditum, morum honestate decorum, in consiliis circumspectum, in multis et arduis iam probatum, mentem nostram convertimus etc. verbis competenter mutatis, videret expedire, predicto Archiepiscopo nostris dantes litteris in mandatis, ut officium ipsum absque difficultate suscipiat, et illud iuxta datam a deo sibi prudentiam solite diligentie studio prosequatur. Ideoque universitati vestre per apostolica scripta firmiter precipiendo mandamus, quatenus ipsum, immo potius nos in eo devote recipientes et honorifice pertractantes, eidem tamquam apostolice sedis legato humiliter intendatis, ipsius monita et precepta et quecumque vobis ex parto nostra iniunxerit, efficaciter adimplendo. Alioquin sententias, quas tulerit in rebelles etc. specialis. Datum Viterbii v. Idus Iulii, Pontificatus nostri Anno Tertio.

CXXVI.

Walasco episcopo Famagustano in episcopum Egitaniensem electo super sua translatione. Reg. An. III. ep. 98.

CLEMENS EPISCOPUS etc. Venerabili fratri Walasco Episcopo Famagustano in Epum Egitaniensem Electo, salutem etc. In dispensatione ministeriorum ecclesie dei nobis credita potissimum considerare nos expedit tempus, causam, personam et locum, secundum que pro emergentibus negotiis nova sunt consilia capienda, et prout ipsis necessitas vel cause poscit utilitas, nuno per assumptionem, nunc per translationem providam a sede apostolica locorum sollicitudines sunt imponende personis et locis personarum ministeria providenda, ut ex personarum industria locorum crescat utilitas, et ex opportunitate locorum fructificatio personarum. Sane Egitaniensi ecclesia per mortem bone memorie ... Egitaniensis Episcopi, qui nnper apnd apostolicam sedem viam extitit universe carnis ingressus, pastoris solatio destituta, nos de ipsius ecclesie ordinatione sollicite cogitantes, ac talem illi cupientes preesse pontificem, de quo certam habeamus notitiam, quod ipsum clara meritorum suorum insignia redimirent, nec dubia esset ipsius caritas erga plebem suo regimini commendandam, et in cuius fide recumberet securitas subditorum, in te direximus oculos nostre mentis, quem nobis et fratribus nostris de litterarum scientia, morum maturitate, prudentia spiritualium et temporalium providentia familiaris experientia noscitur approbasse. Quapropter de persona tua volentes eidem ecclesie speciali diligentia providere, sperando te provisioni huiusmodi consentire, ac ecclesiam ipsam per tue circumspectionis industriam preservari a noxiis et in prosperis salubriter augmentari, te de predictorum fratrum nostrorum consilio et apostolice

plenitudine potestatis a vinculo, quo tenebaris Famagustane ecclesie, cuius laudabiliter prees regimini, absolventes, ac ad predictam Egitaniensom transferentes ecclesiam, te ipsi Egitaniensi ecclesie in Episcopum concedimus et pastorem, liberam tibi dantes licentiam ad eandem Egitaniensem ecclesiam transeundi, Volentes, ut tunc demum et in eo casu dumtaxat hec omnia robur obtineant firmitatis, cum tu absolutionem, translationem et concessionem huiusmodi acceptaris, et tuum ipsis prebueris expresse consensum. Quocirca fraternitatem tuam rogamus, monemus et hortamur attente mandantes, quatenus premissa omnia provida meditatione considerans et acceptans eis prebeas tuum expresse consensum, et humiliter suscipiens impositum a domino tibi onus, ac ad predictam ecclesiam Egitaniensem accedens eius sollicitam curam geras, gregem dominicum in illa tibi commissum doctrina verbi ot operis informando, ita quod dicta Egitaniensis ecclesia sub tue diligentie studio laudabilibus, auctore domino, spiritualiter et temporaliter proficiat incrementis. Ceterum si acceptaveris supradicta ipsisque consenseris, dilectis filiis Capitulo ipsius Famagustane ecclesio ex parte nostra districtius inhibere procures, nè ipsi ad electionem vel nominationem seu postulationem pastoris eidem Famagustane preficiendi ecclesie quoquomodo procedant. Nos enim, si te acceptaro premissa eisque consentire contigerit, extunc ordinationem ipsius Famagustane ecclesie sedi reservamus predicte, ac irritum et inane decernimus, si secus super hoc fuerit attemptatum. Quicquid autem super hiis duxeris faciendum, nobis per tuas litteras harum seriem continentes studeas celeriter intimare, ut super hoc quod expedire viderimus, utiliter disponamus. Datum Viterbii xv. Kalendas Octobris, Pontificatus nostri Anno Tertio.

In e. m. Decano et Capitulo Egitaniensibus et clero civitatis et diocesis Egitaniensis.

EPISTOLAE IOANNIS PP. XXI.

CXXVII.

Salvius episcopus Tribuniensis ad sedem archiepiscopalem Ragusinam transfertur. Reg. An. I. ep. 25.

Iohannes episcopus servus servorum dei. Venerabili fratri Salvio Archiepiscopo Ragusino, Salutem et apostolicam benedictionem. In supreme specula dignitatis quamquam immeriti, disponente domino, constituti circa goneralem curam ecclesiarum omnium iuxta pastoralis officii debitum sollicita diligentia et diligenti sollicitudine vigilamus, sed ad illas potissime, que viduitatis deplorant incommoda, tanto attentius nostre considerationis retorquemus intuitum, tantoque studiosius, ut eis pastores preficiantur ydonei: oportunos labores, quantum nobis permittitur ex alto, incessanter impendimus, quanto intuemur manifestius, quod ex talium administratione pastorum fructus uberes spiritualiter et temporaliter eisdem possunt ecclesiis provenire, ad quarum procuranda commoda promptis ac notis desideriis aspiramus. Felicis siquidem recordationis Clemente papa, predecessore nostro, Venerabilem fratrem nostrum Aleardum professorem ordinis Minorum Arborensem, tunc Ragusinum Archiepiscopum, ad Arborensem ecclesiam transferente, ac propter hoc Ragusina ecclesia remanente destituta pastore, Capitulum seu Canonici Ragusini Andream Causoni de Venetiis, Canonicum Paduanum, de facto in Ragusinum Archiepiscopum elegerunt, qui ad eandem Ragusinam ecclesiam accedens personaliter, nulla licentia habita vel confirmatione obtenta a sede apostolica, in spiritualibus et temporalibus impudenter administravit ibidem. Et tandem ex parte pie memorie G. pape X. predecessoris nostri citatus legitime in prefixo sibi termino peremptorio personaliter coram eo comparere postposuit, sed quemdam procuratorem ad ipsius predecessoris nostri G. presentiam destinavit, qui electioni huiusmodi et omni iuri, quod eidem Canonico competebat ex ea, nomine ipsius Canonici, a quo super hoc speciale mandatum habebat, sponte et expresse renuntiavit in manibus predecessoris ciusdem. Unde licet ministerium tuum Tribuniensi ecclesie, cui, sicut accepimus, laudabiliter prefuisti, utile valde foret, Nos tamen de ordinatione

ipsius ecclesie Ragusine taliter pastore carentis sollicite cogitantes, ac talem illi preesse pontificem affectantes, quem laudabilis sua merita redimerent, cuiusve non esset dubia caritas erga plebem sue sollicitudini commendandam, in te tunc Tribuniensem Episcopum, cui vite honestas, commendabilis conversatio et sufficiens litterarum scientia suffragantur, quique spiritualium providentiam et circumspectionem temporalium obtines, necnon fervidam caritatem geris circa prosperum statum illius regionis, unde originem produxisti, oculos direximus mentis nostre. Quapropter tam eidem ecclesie Ragusine, cuius in hoc utilitatem evidentem specialiter attendimus, quam gregi dominice paterna intendentes diligentia providere, teque a vinculo, quo tenebaris astrictus eidem Tribuniensi ecclesie, de fratrum nostrorum consilio absolventes, ac de persona tua eidem Ragusine ecclesie providentes, te ad ipsam transferimus de apostolice plenitudine potestatis, transoundi ad sepedictam Ragusinam ecclesiam tibi liberam licentiam concedentes, palleo videlicet, quod est insigne pontificalis officii, tibi nichilominus assignato, firma ducti fiducia, quod tu, qui in commisso tibi Episcopatus officio hactenus fideliter ac utiliter diceris ministrasse, de talento tibi credito, prestante domino, talenta referas potiora. Rogamus itaque fraternitatem tuam et hortamur attente, per apostolica tibi scripta mandantes, quatenus ad prefatam ecclesiam Ragusinam, cuius plenam administrationem in spiritualibus et temporalibus tibi committimus, cum plenitudine nostre benedictionis accedens erga illius curam et regimen sic te fructuosum reddas et sollicitum, quod tua fama clarcat per effectum, et in delectationem nobis veniat te speciali benivolentia prosequi, tuisquo votis congruis favorem propitium impertiri. Datum Viterbii Nonis Decembris, Pontificatus nostri Anno Primo.

In e. m. Capitulo ecclesie Ragusine, clero civitatis et diocesis Ragusine, Comiti et Communi civitatis Ragusine et Suffraganeis ecclesie Ragusine.

CXXVIII.

Ioannes ecclesiae Tragurienai in episcopum, Columbano episcopo renunciante, praefectus clero et populo Tragurienai commendatur. Reg. An. I. ep. 107.

IOHANNES EPISCOPUS etc. Dilectis filiis ... Archidiacono, ... Primicerio et Capitulo Tragurienaibus, salutem etc. Venerabilis frater noster Columbanus Epus quondam Tragurienais, longa supportatione pontificalis sarcine fatigatus ot ad eam ulterius sufferendam debilitate multa et inevitabili infirmitate proprii corporis, quam incurrit, ac ex senio, ad quod iam devenit, specialiter procedente gravatus, ad regimen presulatus officii se non posse sufficere asseverans, ex zelo, quo erga ecclesiam Tragurienaem commissumque sibi dominicum gregem fervebat, dimittere humiliter huiusmodi officium pontificatus elegit, ne per eius impotentiam vel defectum ipsius gregis aut ecclesie posset profectibus quomodolibet deperire, attente postulans cessionem suam a felicis recordationis Innocentio papa Quinto predecessore nostro recipi, sibique lasso quietis locum, quem sua requirebat conditio, benignius indulgeri volenti premissa de causa regimini ecclesie cedere prelibate: quam cessionem sponte oblatam, post multiplicis tamen supplicationis instantiam, a dilecto filio Gervasio Archidiacono Tragurienai et Oliverio monacho ordinis sancti Benedicti, capellano ipsius Columbani Episcopi, eius nomine, a quo habebant ad cedendum huiusmodi regimini sufficiens ac speciale mandatum, idem predecessor admisit, sicque provisionem ecclesio predicte, que ob id pastoris carebat solatio, in eiusdem predecessoris arbitrio consistente, ipse felici ordinationi eiusdem ecclesie, quam paterne prospiciebat piotatis oculo, et gerebat etiam in visceribus caritatis, diligenter insistens operam prebuit festinatam, ut ipsi ecclesie persona iuxta cor suum ydonea proferretur, ne illam viduitatis incommodum diutius pati contingeret in suum spiritualiter vel temporaliter periculum et discrimen: nnde ad personam Venerabilis fratris Iohannis Tragurienais Epi fide ac devotione probatam, quam caritativum affectum habere non ambigebat erga plebem suo regimini commendandam, apostolice considerationis intuitum dirigens, ipsum tunc Prepositum ecclesie de Grogorissa Zagabriensis diocesis et Canonicum Ierosolimitanum, virum multiplicem decoratum varietate virtutum et enitentium redimitum insignis meritorum, in spiritualibus quoque et temporalibus circumspectum, prout fidedignorum assertio eundem predecessorem instruxerat, de fratrum suorum consilio et apostolice plenitudine potestatis eidem ecclesie Tragurionsi in dei nomine prefecit in Episcopum et pastorem, illius curam in spiritualibus et temporalibus sibi plenarie committendo, ac faciendo sibi per Venerabilem fratrem nostrum B. Sabinensem Episcopum munus consecrationis impendi, spe firma concepta, quod ecclesia ipsa, divina comitante gratia, per eius industriam et perspicacem prudentiam grata in utrisque felicitatis suscipiet incrementa. Quocirca nniversitatem vestram monemus, rogamus et horta-

mur attente per apostolica vobis scripta mandantes, quatenus eidem I. Episcopo tamquam patri et pastori animarum vestrarum plene ac humiliter intendentes, obedientiam et revcrentiam debitam sibi exhibere curetis. Alioquin sententiam, quam ipse etc. Datum Viterbii v. Idus Martii, Anno Primo.

In e. m. Clero et populo civitatis et diocesis Traguriensis, Archiepiscopo Spalatensi et Regi Ungarie.

EPISTOLAE NICOLAI PP. III.

CXXIX.

Procuratoribus prepositi ecclesiae Transilvanne et ejusdem Vesprimiensis terminus in causa electionis Strigoniensis peremptorius assignatur. Reg. An. I. ep. 24. fol. 7.

Nicolaus episcopus etc. Ad perpetuam rei memoriam. Dilectis filiis Karacino et Nicolao clericis, procuratoribus dilecti filii Nicolai prepositi ecclesie Transilvane, causam electionis, quo in Strigoniensi ecclesia vacante per mortem bone memorie Philippi Strigoniensis Archiepiscopi de ipso preposito dicitur celebrata, olim coram felicis recordationis Gregorio, Innocentio et Adriano, tunc sancti Adriani diacono Cardinali ex commissione ipsius Innocentii, necnon et Iohanne Romanis Pontificibus nostris predecessoribus ventilatam, nuper eiusdem prepositi nomine prosequentibus coram nobis, ac petentibus cum instantia, ut electionem ipsam, quam dicebant canonicam et concordem, dignaremur auctoritate apostolica confirmare. Dilectus filius Magister Paulus prepositus ecclesie Vesprimiensis, Strigoniensis canonicus, procurator Venerabilis fratris nostri... Vesprimiensis Episcopi, asserens, quod Strigoniense Capitulum eundem Episcopum in Archiepiscopum Strigoniensem in concordia postularant, ac electioni huiusmodi se opponens, tam contra personam dicti prepositi, quam contra formam predicte electionis defectus et crimina infrascripta, necnon et alia, propter que dicebat eandem electionem non confirmari, sed infirmari, seu potius cassam et irritam nuntiari deberc, obiccit: videlicet quod per impressionem, minas et terrores tam per ipsum prepositum, qui per unam diem Canonicos eiusdem ecclesie congregatos in ipsa ecclesia Strigoniensi ad tractandum de electione pastoris clausos fecit inibi detineri, cibum eos sumere non permittens, quam per Carissimam in Christo filiam nostram... Reginam Ungarie Illustrem, eodem procurante preposito, Canonicis ipsis illatos ad electionem ipsam iidem Canonici processerunt; quodque idem prepositus raptor existit, et incendiarius ecclesiarum, aliorum locorum et villarum plurium manifestus, et crimine homicidii perpetrati ab ipso in clericos et alios irretitus, intollerabilem patitur in litteratura defectum. Et quod olim, dum inter cum et quondam B. Carissimi in Christo filii nostri Regis Ungarie Illustris, qui canonice ad ipsius ecclesie regimen, ut dicitur, erat electus, super electione huiusmodi questio verteretur, administrationi ecclesie predicte temere se ingessit, et adhuc ingerere non veretur, Canonicos ipsius ecclesie sibi tanquam eorum prelato, prout nec tenentur, obedire nolentes eiciendo a dicta ecclesia et eorum domibus per potentiam laicalem, ac bonis suis propriis et communibus spoliando. Sigillum quoque commune ipsius Capituli accipiens violenter ipso ac multis aliis bonis abutitur ad Capitulum pertinentibus supradictos, nonnullas res ipsius ecclesie pro sue voluntatis libito consumendo. Et litterarum dictorum predecessorum G. et Iohannis auctoritate citatus, ut certis terminis pro negotio electionis predicte apostolico se conspectui se presentaret, comparere coram eis contumaciter non curavit, nec alias a Romano pontifice confirmationem electionis predicte personaliter petiit, nec ad petendum transmisit personas ydoneas, per quas super electoribus et electis diligens inquisitio haberi posset iuxta canonica instituta, quamquam sex anni vel circiter sunt elapsi a tempore, quo dicta sua electio dicitur celebrata. Et quod decretum electionis predicte pro parte sua Romano pontifici non extitit presentatum, licet quedam scriptura formam decreti continens ostensa fuerit sub

quibusdam sigillis, quibus de iure non est fides aliquatenus adhibenda. Quodque, cum olim procurator suus, in eiusdem predecessoris Innocentii presentia constitutus, interrogatus ab ipso respondcrit, quod predicta sua electio quasi per inspirationem divinam fuerit celebrata, et in predicta scriptura nuper pro parte sua exhibita contineatur, quod ad eandem electionem fuit per formam compromissi processum, tanquam allegans contraria, non est dictus prepositus in premissa petitione confirmationis electionis sue aliquatenus audiendus.

Cum autem idem prepositus, sicut premittitur, citatus peremptorie auctoritate litterarum eiusdem predecessoris Iohannis inter cetera continentium, ut se personaliter apostolice sedis conspectui certo termino presentaret, examinationem debitam subiturus, alioquin idem predecessor Iohannes ad diffinitionem huiusmodi negotii procederet, eius absentia non obstante, apud eandem sedem prefixo sibi ad hoc termino minime comparente, nosque dispendiis, que ipsi ecclesie ex vacatione imminent, occurrere intendentes proponimus idem negotium fine celeri ac debito terminare, dicti procuratores eiusdem prepositi a nobis instanter et suppliciter postularunt, ut ipsi prepositi terminum peremptorium concedere curaremus, infra quem cum omnibus actis, iuribus, munimentis et probationibus suis, et specialiter cum decreto ipsius olectionis, necnon et aliquibus Canonicis Strigonicnsibus ac aliis personis ydoneis, per quas possit apud sedem ipsam super toto negotio plena veritas inveniri, apostolico conspectui personaliter se presentet: ita quod si dictus propositus in eodem termino, sicut dictum est, non comparuerit personaliter coram nobis, iidem procuratores in ipso eiusdem petitionis contextu et instantia suo nomine in eodem negotio concludentes, nonnntiaverunt omnibus probationibus et rationibus, iuribus et allegationibus, quibus tam pro excusatione absentie ipsius prepositi, quam pro iure, quod ex eadem electione sibi asserit acquisitum, idem prepositus vel ipsi procuratores sui seu alius suo nomine uti possent, petentes post, ut extuno ad diffinitivam sententiam in dicto negotio, nulla alia facta citatione, sepefati non obstante absentia proccdamus. Licet itaque contra premisse intentionis nostre prepositum sit huinsmodi negotii quecunque dilatio, presertim cum, sicut intelleximus, tam occasione vacationis eiusdem Strigoniensis ecclesie, quam ex aliis causis variis non solum ipsi ecclesie, sed etiam toti Regno Ungarie gravia immineant detrimenta, variaque sint in eodem Regno turbationes et scandala suscitata, contra quo por accelerationem provisionis eiusdem ecclesie sperantur utilia remedia proventura: tamen ad evidentiorem processus nostri iustitiam eisdem procuratoribus dicti prepositi super concessione sic petiti termini de fratrum nostrorum consilio annuentes, secundam feriam Resurrectionis dominice proximo venture octabas immediate sequentem dictis procuratoribus pro ipso preposito, et eidem preposito per eosdem pro peremptorio termino assignamus, ut idem prepositus iuxta formam in suprascripta petitione procuratorum suorum expressa personaliter compareat infra dictam secundam feriam coram nobis, facturus et recepturus super premissis negotio et obioctis contra eum, quod suadebit iustitia, quodque nos super illis statuendum duximus seu etiam ordinandum. Alioquin nos predictas conclusionem et renuntiationem ab ipsis suis procuratoribus nomine suo factas exnunc ratas et firmas habentes, ac de ipsorum fratrum consilio ratas et firmas oxistere decernentes, extunc ad diffinitivam sententiam, et ad statuendum et ordinandum, quod et prout expedire viderimus, super eodem negotio et aliis omnibus supradictis, absque alterius citationis edicto, memorati prepositi non obstante absentia, procedemus. Actum Rome apud S. Petrum in palatio nostro VI. Kal. Februarii, Pontificatus nostri Anno Primo.

CXXX.

Philippus ex ordine Minorum ecclesiae Ragusinae praficitur in archiepiscopum. Reg. An. II. ep. 184.

NICOLAUS EPISCOPUS etc. Dilecto filio Philippo Electo Ragusino, salutem etc. Militanti ecclesie, disponente domino, licet immeriti presidentes circa curam omnium ecclesiarum solertia reddimur indefessa solliciti, ut iuxta pastoralis officii debitum commissi nobis gregis dominici cnram utiliter gerere, divina cooperante clementia, studeamus: et quamquam assidue circa singularum comoda vigilemus, tamen erga illas, que doplorant viduitatis incommoda, proponsioni cura et maiori propulsamur instantia, ut eis preficiamus viros secundum cor nostrum ydoneos in pastores. Dudum siquidem Ragusina ecclesia per mortem bone memorie Salvii Ragusini Archiepiscopi pastoris solatio destituta, Canonici eiusdem ecclesie quondam fratrem Marcum de Venetiis ordinis Minorum in Archiepum Ragusinum, ut dicitur, elegerunt: sed eodem fratre Marco, antequam esset eius electio confirmata, nature debitum persolvente, predicti Canonici ad tractandum de futuri substitutione pastoris insimul convenerunt, et dubitantes ne, si ad electionem procederent et non possent omnes pariter in unam concordare personam, exinde oriretur inter

ipsos dissentionis materia, per quam eis et ipsi ecclesie dispendia imminerent, deliberaverunt communi consensu et unanimi voluntate, ut nobis humiles preces porrigerent, quod dignaremur eidem ecclesie auctoritate apostolica de pastore ydoneo providere, ac super hoc subsequenter tam ipsi quam dilecti filii Nobilis vir ... Comes, Consilium et Commune Civitatis Ragusine nobis suas supplicatorias litteras per certum eorum nuntium destinarunt. Nos igitur dictorum Canonicorum votis volentes favorabiliter annuere in hac parte, de ipsius ecclesie ordinatione celeri, ne prolixioris vacationis exposita maneret incommodis, attente duximus cogitandum, et post vigilem, quam ad ponendam ibidem approbatam ydoneamque personam apposuimus, diligentiam in te predicti ordinis professorem, tunc executioni officii inquisitionis contra hereticos in Marchia Tervisina commissi tibi a sede apostolica insistentem, quem nobis et fratribus nostris de litterarum scientia, morum maturitate, prudentia spiritualium et temporalium providentia fidedignorum testimonia commendarunt, direximus oculos nostre mentis. Quapropter gregi dominico paterna volentes diligentia providere, de dictorum fratrum consilio te ipsi ecclesie preficimus in Archiepiscopum et pastorem, firma spe fiduciaque tenentes, quod eadem ecclesia per tue circumspectionis industriam, in executione negotiorum tue sollicitudini a prefata sede commissorum hactenus comprobatam, grata in spiritualibus et temporalibus, auctore domino, suscipiet incrementa. Quocirca discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatinus humiliter suscipiens impositum a domino tibi onus ecclesie predicte sollicitam curam geras, gregem dominicum in illa tibi commissum doctrina verbi et operis informando, ita quod exinde apud remotos et proximos tua fama clareat per effectum, ac preter benedictionis eterne premium benivolentiam nostre gratie plenius consequaris. Datum Rome apud S. Petrum v. Idus Decembris, Pontificatus nostri Anno Secundo.

In e. m. Capitulo ecclesie Ragusine, Clero et populo Civitatis et diocesis Ragusine et universis Suffraganeis ecclesie Ragusine.

EPISTOLAE MARTINI PP. IV.

CXXXI.

Bonaventura de Parma ord. fratrum Minorum praeficitur in archiepŏum ecclesiae Ragusinae, et pallium ei conceditur. Reg. Aa. 1. ep. 101.

Martinus episcopus etc. Dilecto filio fratri Bonaventure de Parma Electo Ragusino, salutem etc. Militanti ecclesie, disponente domino, licet immeriti presidentes circa curam omnium ecclesiarum solertia reddimur indefessa solliciti, ut iuxta pastoralis officii debitum crediti nobis dominici gregis custodiam utiliter gerere, divina cooperante clomentia, studeamus. Sane vacante dudum ecclesia Ragusina per obitum bone memorie Salvii Archiopiscopi Ragusini, Canonici eiusdem ecclesie quondam fratrem Marcum de Venetiis ordinis fratrum Minorum in Ragusinum Archiepiscopum, ut dicitur, elegerunt: sed eodem fratre Marco, antequam esset eius electio confirmata, nature debitum persolvente, predicti Canonici ad tractandum de futuri substitutione pastoris insimul convenerunt, et dubitantes, ne, si ad electionem procederent, et si non possent omnes pariter in unam concordare personam, exinde oriretur inter ipsos dissentionis materia, per quam eis et ipsi ecclesie dispendia imminerent, deliberaverunt communi consensu et unanimi voluntate felicis recordationis Nicolao pape, predecessori nostro, humiles preces porrigere, ut dignaretur eidem ecclesie apostolica auctoritate de pastore ydoneo providere, ac super hoc subsequenter tam ipsi quam dilecti filii Nobilis vir .... Comes ac Consilium et Commune Ragusini eidem predecessori suas supplicatorias litteras per certum nuntium destinarunt. Sicque dictus predecessor dictorum Canonicorum votis favorabiliter annuens, de dilecto filio fratre Philippo de Mantua ipsius ordinis, inquisitore heretice pravitatis in Marchia Tervisina, de fratrum suorum consilio ecclesie

prefate providit: sed dictus frater Philippus provisionem huiusmodi non acceptans, omne ius, si quod sibi ex provisione competebat eadem, libere resignavit, et dictus predecessor huiusmodi resignationem admittens, de dilecto filio fratre Lnca de Padua eiusdem ordinis ecclesie memorate de simili consilio iterato providit: quo quidem fratre Luca provisionem de ipso factam minime acceptante, ac omne ius, si quod sibi competebat ex illa, similiter resignante, dictus predecessor provisionem ecclesie memorate illa vice dispositioni apostolice reservavit. Nos autem ecclesie prefate, que diutine vacationis incomoda deploravit, paterno compatientes affectu, ac Canonicorum et aliorum predictorum vota ex preteritis contemplantes, illa prosequendo benignius de ipsius ecclesie ordinatione celeri, ne prolixioris vacationis exposita remaneat incomodis, diligentius cogitantes, ad personam tuam, quam nobis et fratribus nostris de litterarum scientia, honestate morum, providentia spiritualium, et circumspectione temporalium fidedignorum testimonia commendarunt, direximus oculos nostre mentis, teque dicti ordinis professorum licet absentem de ipsorum fratrum consilio nostrorum supradicte ecclesie in Archiepum proficimus et pastorem, administrationem ipsius ecclesie spiritualiter et temporaliter tibi plenarie committentes, firma spe fiduciaque concepta, quod dirigente domino actus tuos inibi cultus divinus augebitur, et eadem ecclesia per tue circumspectionis industriam in spiritualibus et temporalibus prospere dirigetur, et salubria, dante domino, suscipiet incrementa. Reverenter igitur suscipe iugum domini, et suavi eius oneri humiliter colla flecte, manumque mittens ad fortia, ipsius administrationem ecclesie prudenter exequi studeas, et gregis tibi commissi custodiam prosequi diligenter, solerter et constanter oppositurus te murum pro domo domini ascendentibus ex adverso, ut laudabili de ipso reddita in die districti examinis ratione, regnum patris eterni ab origine mundi preparatum electis accipias, in dilecta domini tabernacula letabundus introeas, et eumdem tibi commissum gregem ad uberioris meriti retributionis commodum introducas. Datum apud Urbemvetcrem x. Kal. Ianuarii, Pontificatus nostri Anno Primo.

In e. m. Capitulo ecclesie Ragusine, Clero Civitatis et diocesis Ragusine, Populo Civitatis Ragusine et universis Suffraganeis ecclesie Ragusine.

MARTINUS EPISCOPUS etc. Venerabili fratri Bonaventure Archiepiscopo Ragusino, salutem etc. Cum palleum, insigne videlicet pontificalis officii etc. Nos tuis supplicationibus annuentes, ipsum de corpore B. Petri sumptum tibi per dilectum filium nostrum I. sancte Marie in Cosmedin diac. Cardinalem, prestito a te etc. iuramento, duximus assignandum. Ut igitur signum non discrepet a signato etc. Datum apud Urbemveterum II. Idus Martii, Pontificatus nostri Anno Primo.

CXXXII.

Michael canonicus Catharensis ecclesiae Antibarensi in archiepiscopum praeficitur. Reg. An. II. ep. 63.

MARTINUS EPISCOPUS etc. Venerabili fratri Michaeli Archiepiscopo Antibarensi, salutem etc. Ex suscepte servitutis officio sollicitudine pulsamur assidua, ut ecclesias spiritualibus et temporalibus commodis augeamus, et earum maxime per debite provisionis ministerium necessitatibus consulamus salubriter, que dinoscnntur pastoris solatio destitute. Dudum siquidem, cum in Antibarensi ecclesia per obitum bone memorie T. Antibarensis Archiepiscopi vacante pastore diversis temporibus electiones fuissent successive de ipsis variis multiplices celebrate, tandem nonnullis ex electis huiusmodi ante confirmationis super hoc obtentum beneficium viam universe carnis ingressis, reliquis vero renuntiantibus iuri, si quod erat cis ex electionibus huiusmodi acquisitum, Capitulum ecclesie predicte pro futuri substitutione pontificis, vocatis omnibus, qui voluerunt, debuerunt et potuerunt commode interesse, die ad hoc prefixa in Capitulo ipsius ecclesie convenientes in unum, ac tandem ad electionem huiusmodi per viam compromissi procedere cupientes, Zete ac Nathali Canonicis ipsius ecclesie providendi ea vice de pastore ipsi ecclesie concesserunt unanimiter potestatem, promittentes illum in Archiepum recipere, quem ipsi ducerent eligendum: qui huiusmodi potestate recepta secedentes in partem, et demum consideratis meritis personarum, que tanto congruerent oneri et honori, in te tunc Canonicum Catharensem suum direxerunt consensum, et prefatus Zeta suo et eiusdem sui college nomine te in dicto Capitulo in Antibarensem Archiepiscopum postulando elegit, et eligendo etiam postulavit. Porro cum prefati Capitulum electionem huiusmodi presentatam nobis ex parte ipsorum postulassent humiliter confirmari, tu fugere cupiens presidentie onus, iuri, si quod tibi ex clectione huiusmodi de te celebrata competebat, in manibus Venerabilis fratris nostri Episcopi Albanensis, cui hoc specialiter commisimus, sponte ac libere resignasti. Nos itaque huiusmodi resignatione recepta, de salubri, ut tenemur, provisione ipsius ecclesie cogitantes, ut eius diutine viduitatis lacrimas dono votive consolationis siccaremus, ipsius per

consequens dispendiis occurrentes, in te virum utique, ut habet assertio fidedigna, munditia vite et morum gravitate laudabilem, in spiritualibus providum et temporalibus circumspectum, dilectumque, tuis exigentibus meritis, Carissimo in Christo filio nostro ... Regi Serbie Illustri, ac Clero et populo Antibarensi acceptum, direximus oculos mentis nostre. Quapropter sperantes, quod predicta ecclesia, auctore domino, tue gubernationis ministerio spiritualiter et temporaliter donis optate prosperitatis gaudebit, te de fratrum nostrorum consilio eidem ecclesie Antibarensi in Archiepiscopum prefecimus et pastorem, tibique postmodum fecimus per Venerabilem fratrem nostrum ... Epum Tusculanum munus consecrationis impendi. Quocirca fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenus huiusmodi oneris iniunctum tibi a domino ministerium auscipiens reverenter, ad predictam ecclesiam Antibarensem in humilitate spiritus te transferre procures, et gregem tibi creditum sic pascas sermone et opere ac exemplo, et dictam ecclesiam Antibarensem sponsam tuam ornare varietate virtutum, et augere studeas muneribus celestibus et terrenis, quod ex hoc et aliis tuis piis actionibus ad eterna tabernacula merearis vocari in extremo examine cum electis. Datum apud Montemflasconem x. Kalendas Decembris, Pontificatus nostri Anno Secundo.

In e. m. Dilectis filiis ... Archidiacono et Capitulo Antibarensi, Populo Civitatis Antibarensis et universis Suffraganeis ecclesie Antibarensis, et Carissimo in Christo filio ... Regi Serbie.

CXXXIII.

Archiepiscopo Iadrensi, ut in Galvanum ord. Praedicatorum, qui episcopatum Scardonensem sine licentia suorum superiorum acceperat, inquirat, eum suspendat etc. Reg. An. III. ep. 5.

Martinus episcopus etc. Venerabili fratri ... Archiepiscopo Iadrensi, salutem etc. Significavit nobis dilectus filius ... Magister ordinis fratrum Predicatorum, quod licet per litteras sedis apostolice sit inhibitum, ut nulli fratres ipsius ordinis, si eos in Episcopos eligi aut postulari forte contigerit, electioni seu postulationi de se facte audeant consentire, nec aliquis Archiepiscopus seu quicunque alius Prelatus, vel etiam Legatus sedis ipsins dictos fratres, nisi de Magistri eiusdem vel Priorum provincialium, qui pro tempore fuerint, licentia et consensu, aut speciali mandato sedis eiusdem ad Episcopatus, vel alias quaslibet dignitates extra dictum ordinem assumere vel ordinare presumant, per easdem quoque litteras sit decretum irritum et inane quicquid contra inhibitionem huiusmodi a quibuscunque contigerit attemptari, auctoritate apostolica semper salva: tamen frater Galvanus Dalmatinus professus dicti ordinis provisioni seu electioni de ipso ad Episcopatum Scardonensem facte contra inhibitionem et decretum huiusmodi temere consentire preaumpsit. Quare dictus Magister fecit a nobis cum instantia postulari, ut providere super hoc paterna sollicitudine curaremus. Ne igitur dictus Galvanus de tante ambitionis excessu valeat gloriari, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenus inquisita super hoc diligenter veritate, si rem inveneris ita esse, predictum Galvanum ab officio beneficioque suspendas, etiam si ad eius consecrationem processum fuerit per quemcunque, ac ipsum sic suspensum ad nos mittas infra competentem terminum, quem ei duxeria prefigendum, pro meritis recepturum. Quicquid autem super hiis feceris et inveneris, ac diem huiusmodi prefixionis et formam nobis per tuas litteras tenorem presentium continentes exponere fideliter non omittas. Datum apud Urbemveterem VIII. Idus Aprilis, Pontificatus nostri Anno Tertio.

CXXXIV.

Eidem archiepiscopo, ut praedictum fr. Galvanum ob supradictam et alias causas excommunicatum nuntiet, et iterum ad comparendum coram pontifice citet. Reg. An. IV. ep. 8.

Martinus episcopus etc. Venerabili fratri ... Archiepiscopo Iadrensi, salutem eto. Dudum nobis quondam frater Iohannes Magister ordinis fratrum Predicatorum significare curavit, quod licet per litteras sedis apostolica sit inhibitum etc. ut in superiori usque sollicitudine curaremus. Unde ne predictus Galvanus de tante ambitionis gloriari possit excessu, tibi per alias nostras sub certa forma dedimus litteras in mandatis, ut inquisita super hoc diligentius veritate, si rem invenires ita esse, dictum Galvanum ab officio beneficioque suspenderes, etiam si ad consecrationem ipsius processum existeret per quemcunque, ac eundem sic suspensum ad nos infra competentem terminum, quem sibi prefigeres, destinares, pro meritis recepturum, nobis nichilominus quicquid super hoc te facere ac invenire contingeret, necnon et diem huiusmodi prefixionis et formam per tuas litteras predictarum litterarum tibi super hoc directarum seriem continentes fideliter exponendo Tu itaque volens mandatum apostolicum

reverenter exequi, ut teneris, eundem Galvanum coram te auctoritate nostra legitime citare curasti, ius suum, si quod habere se crederet, plenius ostensurum, eidem nichilominus intimando, quod ipsius corporalis absentia non obstante in inquisitione predicta termino sibi prefixo procederes secundum nostrarum continentiam litterarum, eique iniungendo districtius, ut si quas litteras super absolutione ipsius ab ordine supradicto fortassis haberet, illas tibi ostenderet in termino prelibato. Cumque procurator eiusdem Galvani coram te in termino comparuisset eodem, vocem licet frivole appellationis emisit: at tu eundem Galvanum reputans non immerito contumacem, quamquam factum huiusmodi tibi notorium videretur, super eo iuxta mandati nostri tenorem fideliter inquirere studuisti. Et quia invenisti per inquisitionem huiusmodi predictum Galvanum Magistri vel Prioris sui provincialis non obtenta licentia tam super huiusmodi electione seu provisione de ipso presumpta, quam ut in eiusdem Scardonensis ecclesie ab eo temere occupate consecraretur Episcopum presumptione temeraria consentisse, prefatum Galvanum iuxta formam mandati apostolici tibi facti ab officio beneficioque suspendens, ipsum sic suspensum ad sedem apostolicam citavisti, prefixo sibi certo peremptorio termino, quo coram nobis personaliter compareret pro meritis recepturus, et nichilominus prefixionem ipsius termini tam in tua Iadrensi, prefato procuratore presente, quam in tue diocesis ecclesiis, cum ad ipsum Galvanum ex iusto metu nuntius aliquis accedere non auderet, publicari fecisti, prout hec omnia transmisse nobis tue littere continebant. Sed predictus Galvanus ad inobedientie vitium se convertens comparere coram nobis aliquatenus non curavit, etiam post lapsum eiusdem termini diutius expectatus, propter quod ipsum non immerito contumacem duximus reputandum, in eum per nos, exigente ipsius contumacia, excommunicationis sententia promulgata. Licet igitur contra memoratum Galvanum ob huiusmodi temeritatem et contumaciam suam ad penam aliam propter hac infligendam eidem possemus de iure procedere, cum etiam intellexerimus, quod idem per potentie secularis abusum in predicta ecclesia fecerit se intrudi, quamquam ecclesie prefate provisio tunc per lapsum temporis, sicut accepimus, extitisset ad sedem apostolicam devoluta: ut tamen agatur in hac parte maturius, et procedatur benignius circa ipsum, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatinus eundem Galvanum, non obstante appellatione predicta, quam frivolam reputamus, excommunicatum a nobis ob causam predictam in locis, de quibus videris expedire, denunties et facias per alios publice nuntiari, et nichilominus ipsum ex parte nostra per te vel per alium citare procures, ut infra trium mensium spatium a die citationis, quem terminum sibi ad hoc peremptorium assignamus, coram nobis se personaliter representet, facturus et recepturus quod super hoc duxerimus ordinandum; et aperte predicas eidem, quod nisi saniori ductus consilio coram nobis in predicto termino personaliter comparere curaverit, nos ad privationem seu amotionem ipsius ab ecclesia supradicta, et alias otiam contra eum, prout facti qualitas suggeret et iustitia suaserit, procedemus. Quicquid autem super hiis feceris, nobis per tuas patentes litteras harum seriem continentes studeas fideliter intimare. Datum apud Urbemveterem xv. Kalendas Maii, Anno Quarto.

CXXXV.

Archiepiscopo Ragusino, ut hac vice de episcopis providest Tribuniensi et Stagnensi ecclesiis, quas tanto tempore vacaverint, ut secundum generalis statuta concilii earum provisio ad sedem apostolicam sit devoluta. Reg. An. IV. ep. 69.

MARTINUS EPISCOPUS etc. Venerabili fratri... Archiepiscopo Ragusino, salutem etc. Ad audientiam nostram pervenit, quod Tribuniensis et Stagnensis ecclesie cathedrales tue provincie, metropolitico tibi iure subiecte, tanto tempore pastoribus iam vacaverunt, quod earum provisio est ad sedem apostolicam secundum generalis statuta concilii legitime devoluta. Nos itaque, quibus ex iniuncto nobis apostolatus officio sollicitudo ecclesiarum imminet generalis, dispendiis, que ex diutina vacatione imposterum ecclesie predicte possent incurrere, per nostre providentie studium occurrere intendentes, ac gerentes de tua circumspectione fiduciam in domino specialem, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenus, si tibi constiterit ita esse, predictis ecclesiis, singulis videlicet singulas personas ydoneas de prudentium et religiosorum virorum consilio hac vice auctoritate nostra prefficias in Episcopos et pastores, eisque, ascitis tibi tribus vel duobus Episcopis, munus consecrationis impendas, faciens ipsis a suis subditis obedientiam et reverentiam debitam exhiberi, contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo, Non obstante si aliquibus a sede apostolica sit indultum, quod excommunicari aut interdici nequeant vel suspendi per litteras dicte sedis non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Datum apud Urbemveterem Idus Iunii, Pontificatus nostri Anno Quarto.

EPISTOLAE HONORII PP. IV.

CXXXVI.

Honorius PP. IV. archiepiscopo Antibarensi et aliis prelatis per Sclavoniam constitutis suam ad summum apostolatum promotionem notam facit. Reg. An. 1. ep. 467. fol. 121.

HONORIUS EPISCOPUS etc. Venerabilibus fratribus... Archiepiscopo Antibarensi eiusque Suffraganeis, ac dilectis filiis Abbatibus, Prioribus, Archidiaconis, Prepositis et aliis ecclesiarum Prelatis per Sclavonie provinciam constitutis, salutem etc. Quis loquetur potentias domini, auditas omnes faciet laudes eius. Mira et innumera suo virtutis opera, que ipse potens ex omnibus potenter et ineffabiliter operatur, ita sufficienter enuntians et explicite diserens, ut audiantur ab aliis et audientes laudibus ipsum condignis attollant laudandum procul dubio sine fine secundum multitudinem sue magnitudinis infinite. Profecto admiratio mixta questioni premisse non tam raritatem ad quesita sufficientis insinuat, quam generalem omnium in hoc insufficientiam veridica insinuatione designat. Nec enim quisquam ea explicare loquendo vel comprehendere sufficit meditando, cum sint incomprehensibilia dei iudicia et investigabiles vie eius. Et idcirco nec ad comprehendendum vel etiam investigandum humana ratio proficit, sed investigando miratur, stupet et deficit, cur ipse terribilis in consiliis super filios hominum, et precipue circa regimen sacrosancte matris ecclesie innotescens, interdum Rectores ipsius virtutibus fortes et viribus pro sue dispositionis libertate subducit, interdum in successoris substitutione illis, quos aptiores ad id communis hominum censura perhibebat, omissis, ecclesie ipsius gubernationem et curam longe disparibus in utrisque alto suo consilio licet nobis occulto, et nimirum admirando saltem permittendo committit, in hoc etiam suam omnipotentiam et nichilominus eandem ecclesiam per ipsum principaliter gubernari evidenter ostendens. Evidens etonim est opus potentie virtusque potentis, immensi oneris sarcinam culmini apostolatus annexam adeo levigare debilibus, ut levigantis ope salubriter supportetur, et proinde manifestius pateat, ipsam ecclesiam regi et dirigi potius opitulantis arbitrio, quam illius, cui regimen eius erat sua dispositione seu permissione commissum. Sic illo pater omnipotens providentia cuncta gubernans, constitutos inter maris mundi huiusmodi amari procellas sine rate salvificat, populum, qui alias ubi non est Rector facile corruit, a ruina sine Rectoris ydoneitate preservans. Non enim vocat multos sapientes secundum carnem, non multos nobilos multoavo potentes, sed infirma mundi eligit, ut superbiam innitentis sibi fortitudinis humano retundens fortia queque confundat. Nec aliquis creature sapientie, nobilitati vel potentie ipsius ecclesie directionem erronee presumat ascribere, sed totaliter attribuat creatori. Ex hoc etiam eos, quos conscientia insufficientie sue premit, spe roborans fiduciaque confortans, ut si quem huiusmodi ad iugum domini et ipsius onera in eiusdem ecclesie regimine subeunda vocari contingat, instante necessitate non sic defectus proprii consideratione subcumbat, quod cedens laboribus, colla subducens oneribus, seque mercennarium exhibens custodiam dominici ovilis effugiat, et eandem piam matrem ecclesiam in tempestatibus variis fluctuantem impie derelinquat: sed de se ipso diffidens confidat in dominò, et de illo sperans ecclesieque compatiens subire, prout res exigit, ipsius onora non pavescat. Huiusmodi spe fiduciaque reficimur in eo, quod in eadem ecclesia hiis accidisse diebus ad humiliationem nostram et conditoris omnium gloriam in vestram notitiam, licet iam volucris fame preconio forte deductum, censuimus scriosius et certius deducendum. Nuper siquidem quarto Kalendas Aprilis felicis recordationis Martino pape predecessoro nostro, prudentie ac scientie multarumque aliarum virtutum dono pollente, per naturalis mortis occasum de nequam seculi huiusmodi angustiis liberato, et ipsius corpore cum debita exequiarum sollempnitate sepulto, prima die dicti mensis cum fratribus nostris, de quorum numero tunc eramus, libere, nulla inclusionis coactione preambula, quam aliquando in ecclesie ipsius vacationibus dampnabilis presumpsit abusus, convenimus ad tractandum de substituendi electione pastoris, et post missarum sollempnia ex more in honorem sancti Spiritus celebrata, tractatu aliquo habito, tandem in crastinum scrutinii via electa concorditer, factoque

ac publicato scrutinio, quod non sequens habuit, sicut nec oportuit, nec procedens, votorum fratrum eorumdem directorum in nos eo tempore sancte Marie in Cosmedin diaconum Cardinalem tanta est inventa concordia, et de unanimi eorum omnium voluntate adeo concors de nobis in summum pontificem electio subsecuta, quod nos de tam grandi tamque inexpectata, immo et nobis omnino inopinata novitate plusquam verbis exprimere possimus, attoniti facti sumus velud in mentis excessu: filiis namque matris nostre, ipsis videlicet ecclesie Romane communis matris et domine Cardinalibus contra nos pugnantibus, ut nobis iugo apostolice servitutis impositio custodem nos in alienis vineis ponerent, qui ex nostrorum meditatione defectuum nos nec proprie custodiende sufficere humiliter confitemur, et post defectus eosdem, quos ipsis ad maioris voluntatis indicium quasi palpandos exponebamus obiectos, ad obtinendum super hoc consensum nostrum non solum importune instantibus, sed infeste. O quante animum nostrum perplexitatis vexabat anxietas! O, quam acutis, quam amaris cor nostrum pungebatur aculeis, diversis suggestionibus sub conscientie ac rationis examine confligentibus altrinsecus in eodem! Hinc enim nostra debilitas suggerebat a molis importabilis universali mundi regimine nostros imbecilles humeros subducendos, nec apostolorum principis Cathedram tremende altitudinis vitandeque insufficientibus sollicitudinis speculam conscendendam. E regione vero eiusdem status ecclesie orbisque totius impacatus graviter, immo in gentes fide catholica insignitas non tantum infidelibus, sed et orthodoxis insurgentibus gentibus et Regnis in Regna periculose dimissus, terre sancte nimis dampnose retardata subventio et aliorum negotiorum fidei eiusdem impedita promotio, aliaque ipsius orbis satis nota discrimina contrarium suadebant. Habebat quoque huiusmodi suasionis adiectio, quod cum matri sit honor ex precepto domini exhibendus, qui in scripturis non in salutationum solummodo, sed in aliorum suffragiorum exhibitione sentitur, non erat eidem reverende matri ecclesie quam potius orbi toti maxime hoc tempore tam necessarii subsidii solatium subtrahendum, presertim cum de preteritis vacationibus coniectura consurgens filialem in nobis et dictis fratribus ad prosperitatem ipsius matris affectum sollicitatione timoris solliciti plena concuteret, ne si tam prompta eorumdem fratrum concordia, que non absque illius gratia, qui unanimes habitare facit in domo, pervenisse devote supponitur, negligeretur seu preteriret inefficax, inimico homine superseminante zizania, instantis tunc provisionis negotium in discordiam laberetur, prolixioris vacationis ipsius ecclesie aliaque grandia pericula comminantem. Hiis autem et aliis, que subticeri ad presens brevitatis suasit obtentus, non leviter alternantibus anxie deliberationis nostre iudicium occurrit deliberantis obtutibus, ille Israelitici populi protector egregius et strenuus bellorum domini preliator, qui aliis terrore concussis pre multitudine nimia insurgentium et adverso constanter ait, inquit intrepide: Melius est mori nos in prelio, quam videre mala gentis nostre et sanctorum, sicut fuerit voluntas in celo, sic fiat. Exemplari doctrina vocatum ad regendam ecclesiam, dirigendam et protegendam tamquam salvatoris vicarium in summi pontificatus apice populi christiani salutem instruens et informans, ut instar ipsius pericula regendi gregis abhorreat, in occurrendo illis sua non metuat, et non solum quieti sue non consulens, immo et vite non parcens, nequaquam sic de virium suarum ad ea, que imminent, imparitate desperet, quin sub spe celestis auxilii se illis confidenter exponat et divine voluntati committat. Premissis sane spe ac fiducia roborati et instructione ac informatione deducti pretacta ecclesie, fidei terreque discrimina, variaque orbis dissidia in nostre mentis archano non absque gravi amaritudine recensentes elegimus potius nos ipsos ministerio, quod supra nostras est vires, exponere, quam ecclesiam, fidem ceteraque predicta relinquere discriminibus tantis exposita conscientia reluctante. Sicque humiliato spiritu oculos in excelsa levantes ad celi terreque factorem, a quo auxilium procedere confitetur veraciter eximius prophetarum, sub ipsius spe onus iniunctum electioni premisse consentiendo cum multo timore ac tremore subivimus, de insufficientia nostra nimis, nichil vero de sua omnipotentia hesitantes, sed apud ipsum devotis supplicationibus insistentes, ut sicut memorato bellorum dei belligero in manu ipsius eiusdem Israelitici populi salute directa, optatum de hostibus tunc imminentibus dedit eventum, sic et in manibus nostris gregis sui cure nostre commissi salutem dirigat, et de dictarum ecclesie fidei terreque persecutoribus votivum exitum sua pietate concedat, ut vertantur impii et conversi ad dominum impii amplius non existant, de persecutoribus effecti excelsi eos dextera immutante. Quod ut efficaciter vestris adiuti suffragiis obtinere possimus, caritatem vestram assistricem instanter expetimus, et cum instantia humili eadem suffragia imploramus, vos universos et singulos intimo affectu rogantes et affectuosa exhortatione monentes, quatenus considerato prudenter, quod cum sitis in partem sollicitudinis tante vocati, decet vos in prosecutione illius cooperatores esse sollicitos, humilitati nostre in suscepti executione ministerii devotas et sedulas

fundendo pro nobis preces ad dominum, et in plebibus diligentie vestre commissis extirpando vitia, inserendoque virtutes sic studiose cooperari velitis, quod vobis pervigilis in illis pastoris partes implentibus adeo nobis quo ad eas onere partito sit levius, quod in aliis officii nostri debitum liberius exequentes retributionis eterne premium sequamur instantius, et una cum grege nobis credito efficacius de retributoris bonorum omnium misericordia consequamur. Vos quoqno preter participium retributionis eiusdem in vestris oportunitatibus, in quibus generose, quantum cum deo poterimus, adesse vobis intendimus, proinde favorem apostolicum propitium sentiatis. Datum Rome apud Sanctum Petrum VIII. Kalendas Iunii, Pontificatus nostri Anno Primo.

CXXXVII.

Archiepiscopo Ragusino, ut iuxta Martini IV. litteras (vide supra Nr. CXXXV.) ecclesiis Tribuniensi et Stagnensi de episcopis provideat. Reg. An. I. ep. 305.

HONORIUS EPISCOPUS etc. Venerabili fratri . . . Archiepiscopo Ragusino, salutem etc. Lecta coram nobis tua petitio continebat, quod dudum ad aures felicis recordationis Martini pape IIII. predecessoris nostri pervento, quod Tribuniensis et Stagniensis ecclesie Cathedrales tue provincie, metropolitico tibi iure subiecte, tanto tempore pastoribus iam vacarunt, quod earum provisio est ad sedem apostolicam secundum generalis statuta Concilii legitime devoluta, predecessor ipse dispendiis, que ex diutina vacatione imposterum ecclesie predicte possent incurrere, per sue providentie studium intendens occurrere, ac gerens de circumspectione tua in domino fiduciam specialem, tibi per suas dedit litteras in mandatis, ut si tibi constaret ita esse, predictis ecclesiis, singulis videlicet singulas personas ydoneas de prudentum et religiosorum virorum consilio ea vice auctoritate sua preficeres in Episcopos et pastores, eisque ascitis tibi tribus vel duobus Episcopis munus consecrationis impenderes, ac faceres ipsis a suis subditis obedientiam et reverentiam debitam exhiberi, Contradictores etc. compescendo. Verum quia predecessor ipse, antequam predicte eius littere tibi presentate fuissent, debitum nature persolvit, nobis humiliter supplicasti, ut ne ex diutina vacatione prefate ecclesie dispendia patiantur, providere super hoc misericorditer curaremus. Nos itaque, quibus ex iniuncto nobis apostolatus officio sollicitudo ecclesiarum imminet, dispendiis huiusmodi occurrere cupientes, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenus super premissis auctoritate nostra procedas iuxta predictarum eiusdem predecessoris nostri continentiam litterarum. Datum Rome apud Sanctam Sabinam v. Idus Martii, Anno Primo.

EPISTOLAE NICOLAI PP. IV.

CXXXVIII.

Duci et communi Venetorum, ut patriarchae et ecclesiae Aquileiensi atque episcopo et civibus Tergestinis castra et alia bona in Istria etc. ablata restituant, et suos stipendarios revocent. Reg. An. I. ep. 122.

NICOLAUS EPISCOPUS etc. Dilecto filio Nobili viro ... Duci et Communi Venetorum, salutem etc. Habet nostris auribus inculcata relatio, quod vos ad occupationem bonorum et iurium Aquilegensis ecclesie manus avidas extendentes, Parentinam, Emonensem et Iustinopolitanam Civitates, ac Sancti Laurentii Montonensis et Gresignane Pirani Insule, Mugle aliaque nonnulla Castra, terras, villas et loca in Istrie partibus constituta, que ad eandem ecclesiam pertinere dicuntur, et in quibus Venerabilis frater noster ... Patriarcha Aquilegensis iurisdictionem omnimodam obtinere proponitur temporalem, per violentiam occupastis, eaque detinetis taliter occupata, nonnulla Castrorum et villarum ipsorum illicitis ausibus data licentia nequiter destruentes, alias Patriarche ecclesieque predictis, ac Venerabili fratri nostro ... Episcopo et civibus Tergestinis, ac aliis suis adherentibus, coadiutoribus, fautoribus et sequacibus in hac parte per incendia et rapinas dampna maxima et graves iniurias inferendo, in eorumdem Patriarche et ecclesie ac aliorum predictorum non modicum preiudicium et gravamen. Quamobrem,

instigante humani generis inimico, inter Patriarcham et quamplures illarum partium Nobiles, ac alios ecclesie predicte Vassallos et adherentes eisdem ex parte una, et vos ex altera gravium discordiarum et guerrarum discrimina sunt, ut asseritur, suscitata, quorum occasione grandis personarum et animarum pericula multimoda, dampna rerum retroactis contigere temporibus, et ne graviora contingant ulterius, verisimiliter formidatur. Nos igitur ex debito pastoralis officii volentes huiusmodi obviare periculis et animarum profectibus providere, cupientes etiam, ut Civitas vestra, que tamquam filia benedictionis et gratie sincere devotionis affectum, ac solide fidei puritatem erga Romanam ecclesiam anteactis noscitur habuisse temporibus, in pacis pulcritudine scdeat, et in requic opulcnta quiescat, Universitatem vestram rogamus, monemus et hortamur attente, quatinus tamquam viri pacifici mentes vestras et animas habilitantes ad pacem, vosque apostolice sedis beneplacitis coaptantes, attendentes etiam, quam dispendiosum animabus et saluti contrarium fore conspicitur aliena contra iustitiam dctincri, quodque locum sibi non vondicat peccati remissio, ubi ablati restitutio non precessit, ea que in hac parte Patriarche, ecclesie, Episcopo, civibus et aliis adherentibus, fautoribus et sequacibus memoratis per vos vel per alium aut alios sunt ablata, eis sublato difficultatis obstaculo restituere procuretis, a quibusvis novitatibus, invasionibus et insultibus per vos, et per vestros etiam stipendiarios et adherentes in hac parte vobis, ac fautores, coadiutores et sequaces vestros contra illos, aut aliquos vel aliquem eorumdem, et terras ipsorum penitus abstinendo, ac revocando nichilominus alios vestros stipendiarios vel armatos, qui provinciam Istrie in dampnum Patriarche, Episcopi et civium ac aliorum predictorum ad statum ipsius provincie perturbandum, sicut asseritur, sunt ingressi, sic in premissis omnibus laudabiliter et efficaciter processuri, ut zelatores pacis et amatores concordie vos per effectum operis demonstretis, nosque devotionem et obedientiam vestram, quam in hoc promptam cupimus inveniri, dignis exinde in domino laudibus attollamus. Alioquin Venerabili fratri nostro ... Archiepiscopo Ragusino per alias litteras nostras iniungimus, ut vos ad huiusmodi restitutionem, ac stipendiariorum seu armatorum predictorum revocationem faciendam compellere, quodque vos dictique stipendiarii, adherentes, fautores, coadiutores et sequaces vestri a novitatibus, invasionibus et insultibus quibuscumque abstineatis, et ut omnino iidem stipendiarii seu armati de provincia ipsa recedant, per censuram ecclesiasticam, appellatione cessante, compescere non omittat. Si vero in Civitatibus, Castris, villis, terris et locis eisdem ius aliquod creditis vos habere, coram nobis infra duorum mensium spatium, a receptione presentium inchoandum, per syndicum seu procuratorem ydoneum ad hoc a vobis specialiter constitutum comparere curetis: Nos enim, qui sumus omnibus in iustitia debitores, parati sumus facere vobis super hiis exiberi iustitie complementum. Datum Reate xv. Kal. Septembris, Pontificatus nostri Anno Primo.

CXXXIX.

Archiepiscopo Ragusino, ut Venetos ad praedicta exsequenda inducat, et per censuram compellat. Reg. An. I. ep. 123.

Nicolaus episcopus etc. Venerabili fratri ... Archiepiscopo Ragusino, salutem etc. Habet nostris auribus inculcata relatio, quod dilecti filii nobilis vir ... Dux et Commune Venetorum ad occupationem bonorum et iurium Aquilegensis ecclesie etcctera ut in proxima superiori, verbis competenter mutatis, usque formidatur. Unde nos ex debito pastoralis officii etc. usque et in requie opulenta quiescat, prefatos Ducem et Commune per alias nostras sub certa forma litteras rogamus, monemus et hortamur attente, ut ipsi tamquam viri pacifici mentes suas et animas habilitantes ad pacem et cetera, mutatis mutandis, usque laudibus attollamus. Si vero in Civitatibus, Castris, villis et locis eisdem credunt se ius aliquod habere, coram nobis infra terminum in predictis litteris comprehensum per syndicum, seu procuratorem ydoneum ad hoc ab eisdem Duce et Communi specialiter constitutum comparere procurent: Nos enim, qui sumus omnibus in iustitia debitores, parati sumus facere ipsis super hiis exhiberi iustitie complementum. Quocirca fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatinus per nostra et apostolice sedis revcrentia huiusmodi negotium prompto assumens animo, et personaliter to Venetias conferens, Ducem et Commune prefatos ad huiusmodi restitutionem et revocationem stipendiariorum seu armatorum predictorum faciendam, quodque ipsi per se ac etiam per eosdem stipendiarios, adherentes, fautores, coadiutores et sequaces eorum a quibusvis novitatibus, invasionibus, et insultibus prorsus abstinere procurent, ex parte nostra iuxta datam tibi a domino gratiam moneas ct inducas, eos si opus fuerit ad restitutionem et revocationem easdem per censuram ecclesiasticam appellatione remota compellendo, nichilominus per se ac etiam stipendiarios et alios supradictos a novitatibus, invasionibus et insultibus quibuscunque omnino abstineant, et ut ipsi stipendiarii seu armati de provincia ipsa se

absentent, censura simili compescendo, predictis Duci et Communi apertius expressurus, quod si forte in Civitatibus, Castris, villis, terris et locis prefatis ius aliquod, sicut predicitur, se habere contendunt, compareant per syndicum vel procuratorem ydoneum infra predictum terminum coram nobis paratis facere ipsis complementum iustitie exhiberi. Quod autem fieri contigerit in hac parte, nobis per tuas litteras harum seriem continentes studeas plenius explicare. Datum ut supra.

CXL.

Abbati s. Michaelis de Peclina, ut episcopum Catharensem ob iniurias fratribus Praedicatoribus illatas ad se personaliter coram pontifice praesentandum citet. Reg. An. I. ep. 125.

Nicolaus episcopus etc. Dilecto filio ... Abbati Monasterii sancti Michaelis de Peclina Ragusine diocesis, salutem etc. Petitio dilectorum filiorum ... Prioris et fratrum ordinis Predicatorum Catharensium nobis oxhibita continobat, quod cum ipsi ac quondam Urbanus, tunc eorum prior, dudum in ecclesia sancti Bartholomei Catharensis, eis a Venerabili fratre nostro Dompnio Episcopo Catharensi do voluntate ac assensu eiusdem ecclesie patronorum pro loco ipsorum, qui alias in Civitate Catharonsi artissimum locum habebant, liberaliter de novo concessa, divina officia celebrarent, et per quendam eorum fratrem presbiterum missarum sollempnia in honore dei et beati Dominici confessoris facorent celebrari, predictus Episcopus conversus in arcum perversum contra factum proprium veniendo, associatis sibi quibusdam presbiteris, ad ecclesiam ipsam et usque ad eius altare, non absque multorum astantium, qui illic convenerant ad sollempnia huiusmodi audienda, scandalo, rabie hostili et ira concitatus accessit, et retrahens manu propria ipsum presbiterum celebrantem, cum iam in huiusmodi sollempniis incepisset dicere Sursum corda, illum sanguine cruentando, ac postmodum dictum Urbanum priorem per caputium suum capiens, adeo ipsum constrinxit fortiter percutiendo eum, iam per ipsum Episcopum prostratum ad terram, usque ad effusionem sanguinis ictibus pugno pluries, quod dictus Urbanus occasione huiusmodi percussionum ei a prefato Episcopo illatarum infirmitatem maximam, et deinde continue egrotando mortem noscitur incurrisse, reliquos fratres afficiendo verberibus et contumeliosis verbis. Nec hiis contentus idem Epus mala malis accumulans emissis in altum vocibus dicere cepit: Venite post me omnes et eiecciamus fratres extra terram, et eorum locum penitus deleamus; sicque cum predictus Episcopus ad hostia ecclesie sancti Pauli Catharensis, ubi dictorum fratrum prior locus habetur, cum presbiteris aliquibus pervenisset, a se modestia episcopali penitus relegata, hostia ipsa violenter aperuit, ac postea hostio cuiusdam domus ipsius loci extra cardinem, fracto ropagulo, temere iam deiecto, fratrem Savinum conversum dicti ordinis, dei timore postposito et amore, atrociter verberavit, alias predictis fratribus dampna et iniurias non modica inferendo, contra eos factis diversis processibus, et contra tenorem privilegiorum suorum apostolicorum diversis excommunicationum sententiis contra iustitiam fulminatis in anime sue periculum, et dictorum prioris et fratrum non modicam iniuriam, preiudicium et gravamen. Nos igitur huiusmodi gravamina predictorum fratrum et iniurias, si veritate nitantur, quantumcumquo foret ipsi Episcopo deferendum, nolentes sub equanimitate transire, ne forte transiret aliis in exemplum, discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus, si tibi per famam vel indaginem constiterit de premissis, eundem Episcopum ex parte nostra peremptorie citare procures, ut infra quatuor menses post citationem tuam personaliter compareat coram nobis, facturus et recepturus super hoc quod iustitia suadebit. Diem vero citationis er formam, et quicquid super hoc duxeris faciendum, nobis per tuas litteras harum seriem continentes studeas fideliter intimare. Datum Reate Nonis Septembris, Pont. nostri Anno Primo.

CXLI.

Episcopo Nonensi eiusque collegis, ut electos Morinenses et alios circa ius eligendi dissentientes ad se coram pontifice repraesentandum citent. Reg. An. I. ep. 218.

Nicolaus episcopus etc. Venerabili fratri ... Episcopo Nonensi, et dilectis filiis ... Abbati Monasterii sancti Grisogoni Iadrensis et ... Archidiacono Spalatensi, salutem etc. Sua nobis dilecti filii Capitulum ecclesie Morinensis in Dalmatia, qui apud ecclesiam Castri Sibenici Morinensis diocesis residere dicuntur, petitione monuerunt, quod olim Civitate Morinensi a scismaticis Grecis destructa, bone memorie Morinensis Episcopus, qui tunc erat, dictique Capitulum et Clerus eiusdem Civitatis se ad predictum Castrum Sibenici, quod propinquum dicte Civitati fuisse dinoscitur, transtulerunt, ubi dictum Capitulum fuerunt per longa temporum spatia commorati, et adhuc permanere noscuntur, dictusque Episcopus ad quoddam monasterium positum in villa, que Tragurium nuncupatur, accessit, ac in ea-

dem villa diem clausit extremum: sed cum dicta ecclesia Morinensis post prefati Episcopi obitum pastore multo tempore vacuisset, prefatis Capitulo ipsi ecclesie providere non curantibus de prelato, clerici prefate ville Traguriensis pretendentes ius ad se eligendi successorem dicti Episcopi pertinere, ac si Traguriensis ecclesia existeret Cathedralis, quendam in Traguriensem, ut dicebant, Episcopum elegerunt. Demum autem diversis temporibus successive diversi a memoratis Morinensi Capitulo electi fuerunt, et super confirmationibus electionum huinsmodi varie a sede apostolica littere impetrate, in quibus ipsi se Capitulum prefate Sibinicensis ecclesie nominabant, dicentes, quod in eadem Sibinicensi ecclesia, pastore vacante, dicte electiones ab eis fuerant celebrate, licet nulla electionum ipsarum, variis intervenientibus casibus, extitorit confirmata. Ille quidem, qui penultimo fuit a Capitulo predictis electus, electionem suam per Metropolitanum loci obtinuit confirmari, et per aliquod temporis spatium pacifice administrationem Morinensis Episcopatus gessit. Prefatis clericis dicte ville Traguriensis per prescripta tempora quosdam alios eligere presumentibus, qui ab eis vocabantur Tragurienses electi, quorum electiones dictus Metropolitanus de facto dicitur confirmasse, et consecrationis munus eorum aliquibus impendisse. Demum autem dicti Capitulum Morinense se memorate Sibinicensis ecclesie nominantes, dilectum filium Leonardum Faletro plebanum ecclesie s. Angeli de Venetiis, virum providum et honestum, ac in spiritualibus et temporalibus circumspectum, in Sibinicensem Episcopum concorditer elegerunt: sed Gregorius, qui ultimo fuit a clericis memoratis electus, et per prefatum Metropolitanum confirmatus et consecratus, administrationi dicti Episcopatus temere se ingessit, et ingerere non veretur. Occasione vero contentionis, que super huiusmodi iure eligendi Episcopum inter prefatos Capitulum et clericos est taliter habita, inter habitatores dictorum locorum Sibinicensis et Traguriensis adeo gravis discordia est exorta, quod ex ea strages hominum et alia multa pericula provenisse dicuntur. Quare memorati Capitulum nobis humiliter supplicarunt, ut finem huiusmodi questionibus imponentes, predictum ius eligendi Moriensem Episcopum declarari ad ipsos Capitulum pertinere, dictisque clericis imponi perpetuum silentium super illo, ot alias in huiusmodi procedi negotio, prout ius exigit, faceremus. Nos itaque attendentes, quod causa huiusmodi de maioribus causis oxistit, quarum examinatio et decisio ad Romanum pontificem noscitur specialiter pertinere, ac per hoc volentes causam ipsam tractari apud sedem apostolicam et fine canonico terminari, discretioni vestre per apostolica scripta monemus, quatinus vos vel duo aut unus vestrum per vos, vel per alium seu alios tam eosdem Gregorium et Leonardum, quam clericos prefate ville Traguriensis predictos, ot quoslibet alios, qui sua crediderint interesse, ex parte nostra peremptorie citare curetis, ut infra sex mensium spatium post citationem huiusmodi per se, vel per procuratores ydoneos cum omnibus actis, iuribus et munimentis suis dictam causam contingentibus apostolice se conspectui representent, facturi et recepturi super premissis, quod ordo dictaverit rationis. Diem vero citationis et formam, et quicquid inde feceritis, nobis per vestras litteras harum seriem continentes fideliter intimetis. Datum Reate VI. Kal. Octobris, Pont. nostri Anno Primo.

CXLII.

Archiepiscopo Ragusino, ut se Pataviam conferens potestatem et alios quosdam statuta clero contraria revocando inducat vel compellat. Reg. An. I. ep. 213.

Nicolaus episcopus etc. Venerabili fratri ... Archiepiscopo Ragusino, salutem etc. Movet animum mentemque sollicitat commissa nobis a domino super custodiam gregis sui cura sollicitudinis generalis, ut de dilectorum filiorum ... Potestatis, Antianorum, Consiliariorum et Communis Paduanorum, ac Civitatis ipsorum statum prospero sempor refovendo successu patris more benivoli sedulo cogitantes, eos quorum profectus salutares exquirimus, ab hiis, per que divina maiestas offenditur, sollicite revocomus, et ad laudabilium exercitium actionum, quibus gratia celestis acquiritur, summopere inducamus. Ab olim siquidem, dum nos minor status haberet, audivimus, et postquam etiam domino disponente conscendimus gradum apostolice dignitatis, nostris est auribus inculcatum, quod in Civitate predicta nonnulla statuta, nedum iniqua, quinimmo nefanda et horrenda quamplurimum crudelibus studiis observantur, quorum protextu clerus Civitatis et diocesis Paduanorum multimodis offensis impetitur, lacescitur iniuriis, afficitur contumeliis, et periculis exponitur dire mortis, ipsa facti evidentia super hiis testimonium perhibente. Quia igitur tante horribilis tamque execrabilis abhominationis statuta nolumus, sicuti nec debemus, urgente conscientia mentem, aliquatenus tolerare, cum deo displiceant, turbent ecclesiam, ecclesiastice preiudicent libertati, animarum ot corporum dispendia generent, cedant in iuris iniuriam, et fidelium animos scandalizent, predictos Potestatem, Antianos, Consiliarios et Commune per alias nostras

sub certa forma litteras monemus, rogamus et hortamur attente, per apostolica eis scripta mandantes, ut advertentes sollicite, quod per nephariam eorundem observantiam statutorum Potestatis, Antianorum, Consiliariorum et Communis ac Civitatis predictorum fama laudabilis quamplurimum denigratur, et grave immo gravissimum salutis eorum profectibus ingeritur detrimentum, statuta omnia Civitatis eiusdem publica vel secreta, ordinationes, scripturas, quacunque forma verborum scripte sunt, seu quocunque nomine censeantur, sive specialiter nominentur ab ipsis sive cognominentur generali vocabulo statutorum, que in quantum contra libertatem ecclesie et rerum ecclesiasticarum et personarum sunt, prout de facto procedunt, duximus irritanda, et declaramus nullius foro momenti, ac nullius prorsus existere firmitatis, sublato cuiuslibet difficultatis obstaculo, de Capitularibus seu statutariis suis aut quibusque libris vel cartis infra quindecim dies, a receptione predictarum litterarum nostrarum directarum eisdem computandos, ubicumque sunt scripta, curent penitus abolere, illa vel similia nullo umquam tempore resumpturi vel etiam servaturi, ac nichilominus super hiis per Syndicum snum ad hoc specialiter constitutum coram te prestent publice instrumentum, sic mandatis nostris in hoc efficaciter parituri, ut devotionis sue sinceritas digne commendationis titulum mereatur. Quocirca fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenus ad Civitatem predictam te personaliter conferens, Potestatem, Antianos, Consiliarios et Commune prefatos ex parte nostra moncas et inducas, ut infra predictum terminum huiusmodi monitis, precibus, exhortationibus et mandatis nostris humiliter et efficaciter obedire procurent. Alioquin extunc in Potestatem, Antianos et Consiliarios predictos, et officiales eorum, et alios quoslibet, per quos Civitas regitur supradicta, excommunicationis sententiam promulgare, dictumque Potestatem, ac eos etiam prorsus inhabiles reddere ad dignitates seculares et officia quelibet et honores, et insuper Potestatem, Antianos, Consiliarios et Commune predictos generaliter et specialiter fendis omnibus, que a quibuscumque ecclesiis et monasteriis ac personis ecclesiasticis secularibus vel religiosis tenent communiter vel divisim, Civitatem quoque predictam Studii dignitate, privilegiis et indulgentiis omnibus ipsis et eidem Civitati super Studio ipso ab apostolica sede concessis, necnon et potestaria, capitaneatu, honore ac dignitate qualibet seculari, ita quod nullus in ipsius Civitatis Potestatem, Capitaneum seu Rectorem, aut Consulem vel Officialem possit eligi vel assumi, sive ad aliquod in ea officium exercendum, et si quis aliquod ex illis recipere fortasse presumpserit, eo ipso sententiam excommunicationis incurrat, nec possit ulterius ad alterius Civitatis vel loci regimen exequendum assumi, privaro omnino auctoritate nostra procures. Universos quoque magistros et scolares alienigenas de Civitate predicta prorsus expellore non postponas, ita quod ad eam absque speciali sedis predicte licentia nullatenus revertantur, et si secus attemptare presumpserint, et obtentis beneficiis omnino priventur, et reddantur inhabiles ad alia obtinenda, et alias etiam tu contra predictos Potestatem etc. et Civitatem eandem spiritualiter et temporaliter, prout facti qualitas suggeret et videris expedire, procedas, Contradictores per censuras ecclesiasticas, appellatione postposita, compescendo. Datum Reate Kalendis Octobris, Pontificatus nostri Anno Primo.

CXLIII.

Lambertus ex ord. fratrum Minorum ecclesiae Veglensi praeficitur in episcopum. Reg. An. III. ep. 65.

Nicolaus episcopus etc. Venerabili fratri Lamberto Episcopo Veglensi, salutem etc. Vacante dudum Veglensi ecclesia per obitum bone memorie Marini Veglensis Episcopi, due fuerunt electiones a Canonicis ipsius ecclesie, una videlicet de fratre Iohanne de Vogla Minorum et altera de fratre Zacharia Predicatorum fratrum ordinum, in discordia celebrate. Huiusmodi vero electionum negotio ad sedem apostolicam devolnto, cum dicti Electi infra tempus a iure statutum, et etiam post ad eandem sedem accedere non curarent pro huiusmodi electionum suarum negotio prosequendo, nos ipsos in audientia publica citari fecimus, ut ad proscqnondum ius, si quod eis in electionibus huiusmodi competebat, certo termino comparerent: et demum cum nullus illorum ad hec comparere curarot, pronuntiavimus ipsos a iure, si quod eis competebat ex eisdem electionibus, cecidisse. Deinde vero, ne dicta ecclesia ulterius viduitatis incommoda deploraret, ei de pastore ydoneo providere volentes, ad personam tuam, morum honestate decoram, litterarum scientia preditam, in spiritualibus providam, in temporalibus circumspectam ac aliis virtutum donis multipliciter commendatam, direximus oculos nostre mentis, illam fore perutilem ad ipsius ecclesie regimen arbitrantes. Eapropter te ordinem fratrum Minorum professum de fratrum nostrorum consilio eidem ecclesie in Episcopum prefecimus et pastorem, (tibi) curam et administrationem ipsius Veglensis ecclesie spiritualiter et temporaliter committendo, firma de te con-

cepta fiducia, quod dirigente domino actus tuos inibi cultus divinus augebitur, et eadem ecclesia per tue circumspectionis industriam in spiritualibus et temporalibus prospere dirigotur, et salubria, dante domino, suscipiet incrementa. Reverenter igitur suscipe iugum domini et suavi eius oneri humiliter colla flecte, manumque mittens ad fortia ipsius Veglensis ecclesie administrationem exequi studeas diligenter, et gregis tibi in ea commissi custodiam prosequaris sollicite ac prudenter, ut laudabili de ipso in die iudicii reddita ratione una cum eis eterni patris regnum ab origine mundi preparatum electis merearis acciporo, ac dilecta domini tabernacula possidere. Datum Rome apud Sanctam Mariam Maiorem VIII. Idus Martii, Pontificatus nostri Anno Tertio.

In e. m. Capitulo ecclesie Veglensis, Clero et Populo Civitatis et diocesis Veglensis.

CXLIV.

Episcopo Polensi super proficiendo fr. Leone monacho s. Michaelis in abbatem. Reg. An. III. ep. 422.

NICOLAUS EPISCOPUS etc. Venerabili fratri ... Episcopo Polensi, salutem etc. Habet assertio fratris Leonis monachi Monasterii sancti Michaelis ordinis sancti Benedicti tuo diocesis, quod olim monasterio ipso Abbatis regiminis destituto quidam eiusdem Leonis affines, consanguinei et amici, de ipsius tamen voluntate ac beneplacito prefati monasterii monachis certam se daturos eisdem quantitatem pecunie promiserunt, si predictum Leonem in Abbatem eligerent monasterii memorati. Sicque dictus Leo huiusmodi promissione secuta in Abbatem ipsius monasterii electus extitit a monachis supradictis, et tandem electionis sue confirmatione obtenta in spiritualibus et temporalibus regimen monasterii prelibati exercuit, et divina officia celebrando ministravit etiam in eodem. Quare prefatus Leo nobis humiliter supplicavit, ut cum ipse in hac parte magis ex simplicitate et iuris ignorantia, quam ex deliberatione seu malitia deliquisse noscatur, providere super hoc de benignitate sedis apostolice dignaremur. Nos itaque sollicite attendentes, quod in hac parte scire poteris plenius veritatem, ac de circumspectione tua plonam in domino fiduciam obtinentes, fraternitati tue, ut libera administrationis ipsius monasterii ab eodem Leone per te resignatione recepta, ipsum si alias ad hoc ydoneum et utilem dicto monasterio secundum deum esse putavoris, eidom monasterio auctoritate nostra de novo preficias in Abbatem, et oi munus benedictionis impendas, plenam concedimus auctoritate presentium potestatem. Datum apud Urbemveterem Idus Augusti, Pontificatus nostri Anno Tortio.

CXLV.

Episcopo Veglensi, ut nonnullos clericos propter certos excessus omnuris pioctos absolvat. Reg. An. III. ep. 424.

NICOLAUS EPISCOPUS otc. Venerabili fratri Lamberto Episcopo Veglensi, salutem etc. Ex parte tua fuit propositum coram nobis, quod nonnulli clerici tue civitatis et diocesis, pro eo quod ipsi arma portare, concubinas ot filios in propriis domibus publice retinere, in tabornis vel circa tabernas bibere, ad taxillos vel tegulas, aut tabulas vel ad hec similia, sive ad choreas muliorum ludere tomere presumpserunt, latas in tales in provincialibus Conciliis Gradensibus et Synodis per Patriarchas Gradenses et Veglenses Episcopos propter hoc, et quia constitutiones alias in Conciliis et Synodis predictis non servarunt, excommunicationum sententias incurrerunt, quorum aliqui per simplicitatem et iuris ignorantiam receperunt ordines sic ligati, et ministrarunt etiam in eisdom: Quare de talium salute sollicitus a nobis suppliciter postulasti eis per sedem apostolicam de absolutionis beneficio provideri. Nos igitur, qui salutem quorimns singulorum, absolvendi tales a predictis excommunicationum sententiis per te, vel per alium iuxta formam ecclesie vice nostra, et dispensandi cum eis et eorum quolibet super irregularitate, si quam exinde contraxerunt, iniuncto eis et ipsorum cuilibet, quod propter hoc ipsis de iure fuerit iniungendum, fraternitati tue auctoritate presentium concedimus facultatem, proviso ut iidem concubinarii prorsus a so abiiciant concubinas, et de hiis vel aliis minime resumendis prestent ydoneam cautionem. Nolumus tamon, ut tales concubinas ipsas abiurare compellas. Datum apud Urbemveterem II. Nonas Septembris, Pontificatus nostri Anno Tertio.

CXLVI.

Archiepiscopo Antibarensi, ut cum Matheo de Dulcinio diacono, de cuius natalibus dubitatur, ad presbyteratum et beneficium obtinendum dispenset. Reg. An. III. ep. 614.

NICOLAUS EPISCOPUS etc. Venerabili fratri ... Archiepiscopo Antibarensi, salutem etc. Ex parte tua fuit propositum coram nobis, quod cum olim Matheus de Dulcinio diaconus adhuc infans ante fores

ecclesie sancti Iohannis Dulcinensis expositus extitisset, tandem quedam matrina ipsum educari fecit intuitu pietatis, qui postmodum ad annos discretionis perveniens se ipsius ecclesie obsequiis deputavit, et in ea cum aliis eiusdem ecclesie clericis est laudabiliter conversatus. Sed quia de suis natalibus dubitatur, tu, qui eius metropolitanus existis, nobis humiliter supplicasti, ut ei, quod hoc non obstante in susceptis ministrare ordinibus et in presbiterum promoveri, ac obtinere possit beneficium ecclesiasticum, etiam si curam habeat animarum, dispensare de benignitate apostolica curaremus. Nos itaque de circumspectione tua plenam in domino fiduciam obtinentes, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenus, si est ita, cum in benignorem partem sit in dubiis declinandum, eidem Matheo tamquam legitimo auctoritate nostra concedas, ut obtinere valeat postulata. Datum apud Urbemveterem Idus Decembris, Pontificatus nostri Anno Tertio.

CXLVII.

Iosanni ordinis Minorum professorem ecclesiae Iadrensi praeficitur in archiepiscopum. Reg. An. III. ep. 687.

Nicolaus episcopus etc. Venerabili fratri Iohanni Archiepiscopo Iadrensi, salutem etc. Ad universalis ecclesie regimen divina dispositione vocati circa statum cuiuslibet aciem sollicite considerationis extendimus, pastoralis partes officii vigilantius adhibentes, ut ecclesie singule a pastoribus gubernantur ydoneis, et Rectoribus utilibus disponantur. Dudum siquidem Iadrensi Ecclesia per obitum bone memorie L. Iadrensis Archiopiscopi pastoris solatio destituta, Capitulum ipsius ecclesie pro futuri substitutione pastoris convenerunt in unum, et cum tandem nonnulli ex dictis Capitulo magistrum Andream Capsoni Canonicum ecclesie Paduane in Iadrensem Archiepiscopum elegissent, reliqui ad Venerabilem fratrem nostrum ... Gradensem Patriarcham loci superiorem ab electione huiusmodi appellarunt: coram quo aliquandiu negotio huiusmodi ventilato, nos in eo, postmodum per appellationem ad sedem apostolicam legitime devoluto, dilectum filium nostrum I. tituli sancte Cecilie presbiterum Cardinalem concessimus partibus Auditorem. Verum postea idem magister Andreas cupiens sue providere quieti, iuri, si quod sibi in electione huiusmodi extiterat acquisitum, in nostris manibus renuntiavit expresse. Nos itaque huiusmodi renuntiatione recepta ad provisionem ipsius ecclesie salutarem debita solertia consurgentes, ut ipsam avertamus a dispendiis, que solent ecclesiis ex vacatione diutina provenire, in te professorem ordinis fratrum Minorum, quem, ut fidedignorum testimonio laudabili accepimus, virtuosum predicant fluenta virtutum ac titulo multe circumspectionis extollunt, oculos direximus nostre mentis. Quapropter sperantes in domino, quod per ministerium tue virtutis in multis expertum et experientia comprobatum prefata ecclesia in prosperitatem consurget optatam, et brachio tue consolationis subnixa in spiritualibus et temporalibus, auctore domino, gratis proficiet incrementis, te ipsi ecclesie de fratrum nostrorum consilio prefecimus in Archiepiscopum et pastorem, tue prudentie curam et administrationem ipsius temporaliter et spiritualiter committendo, postmodum tibi de nostris manibus munere consecrationis impenso. Rogamus itaque fraternitatem tuam et hortamur in domino, per apostolica tibi scripta mandantes, quatenus curam et administrationem ipsius ecclesie tue fidolitati commissas devoteque susceptas sic prudenter studeas gerere, ipsarumque onus prudentius supportare, quod in grege tibi tradito fructus multiplices illi bono pastori accoptos, qui dat affluenter et non improperat, quique actus sibi placidos dirigit in viam salutis eterne, id sic efficaciter supernis adiutus auxiliis impleturus, quod proinde una cum tuis subditis morearis cum olectis in districto examine in dexteram collocari, sempiterne letitie dulcedine fruiturus. Datum apud Urbomveterem u. Idus Februarii, Pont. nostri Anno Tertio.

In e. m. Capitulo ecclesie Iadrensis, Clero Civitatis et diocesis Iadronsis, nobili viro ... Comiti, Consiliariis et populo Civitatis et diocesis Iadrensis, universis Suffraganeis ecclesie Iadrensis, et nobili viro Duci Venetorum.

CXLVIII.

Archiepiscopo Antibarensi, ut ecclesiae Sardanensi [Sardensi] de episcopo hac vice providest. Reg. An. IV. ep. 70.

Nicolaus episcopus etc. Venerabili fratri ... Archiepiscopo Antibarensi, salutem etc. Tua nobis fraternitas intimavit, quod ecclesia Sardanensis ecclesie Antibarensi subiecta tanto tempore iam vacavit, quod eius provisio est ad sedem apostolicam legitime devoluta, quamquam postmodum ipsius ecclesie Sardanensis Capitulum dilectum filium Tanusium Archipresbiterum ecclesie Dyocliensis in suum et eiusdem ecclesie Episcopum et pastorem concorditer duxerint eligendum. Quare suppliciter postulabas a nobis, ut cum predicta Sardanensis ecclesia inter nationes perversas posita dinoscatur, et prefatum Ca-

pitulum propter loci distantiam, viarum discrimina et onera paupertatis, quibus noscitur pregravari, non possit propter hoc ad sedem se conferre predictam, circa statum ipsius ecclesie, ne pastoris destituta regimine dampnorum perferat detrimenta, dignaremur de solite benignitatis clementia providere. Nolentes igitur, ut predicta ecclesia Sardanensis ex defectu Rectoris incommoda patiatur, et de tue probitatis industria plenam in domino fiduciam obtinentes, tibi providendi hac vice de consilio et assensu dilectorum filiorum .. Prioris Predicatorum et .. Guardiani Minorum fratrum ordinum regularium ipsius ecclesie Sardanensis de persona ydonea, que tanto congruat oneri et honori, super quo tuam intendimus conscientiam onerare, ac faciendi ei a suis subditis obedientiam et roverentiam debitam exhibere, et contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendi plenam et liberam auctoritate presentium concedimus potestatem. Per hoc autem eidem electo super iure, si quod sibi ratione electionis huiusmodi de se facte in eadem ecclesia competit, aut prefato Sardanensi Capitulo, quin ad electionem Sardanensis Episcopi, cum ecclesiam ipsam vacare contigerit, libere possit procedere, sicut prius, nolumus aliquod preiudicium generari. Datum apud Urbemveterem Kalendis Martii, Pontificatus nostri Anno Quarto.

CXLIX.

Episcopo Abaarensi, ut cum Matheo et Draga de matrimonio contracto dispenset. Reg. An. IV. ep. 95.

NICOLAUS EPISCOPUS etc. Venerabili fratri ... Episcopo Ausarensi, salutem etc. Petitio dilecti filii Mathei quondam Budi, et dilecte in Christo filie Drage nate quondam Andree Civinn Ausarensium nobis exposita continebat, quod ipsi olim ignari, quod aliqua esset consanguinitas inter eos, que matrimonium impediret, publice in facie ecclesie matrimonium insimul contraxerunt, et carnali tandem inter eos copula subsecuta prolem etiam procrearunt. Verum quia postmodum ad eorum pervenit notitiam, quod quarto consanguinitatis gradu ad invicem se contingunt, ipsi super hoc apostolice sedis misericordiam implorarunt, et asserentes quod ex huiusmodi matrimonii separatione, si fieret, gravia possent in illis partibus scandala generari, aliaque pericula evenire, nobis humiliter supplicarunt, ut providere ipsis de oportuno disponsationis beneficio misericorditer dignaremur. Nos igitur, qui salutem querimus singulorum et libenter Christifidelibus quietis commoda procuramus, volentes predictis scandalis et periculis obviare, et predictorum Mathei et Drage animarum saluti paterna in hac parte diligentia consulere intendentes, gerentes quoque de circumspectione tua fiduciam in domino pleniorem, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenus si per diligentom inquisitionem super hoc a te faciendam tibi constiterit de premissis, super quibus tuam intendimus conscientiam onerare, cum prefatis Matheo et Draga, quod impedimento consanguinitatis huiusmodi non obstante possint in dicto matrimonio licite remanere, auctoritate nostra dispenses, prolem susceptam et suscipiendam ex eis legitimam nuntiando. Datum apud Urbemveterem VII. Kal. Aprilis, Pont. nostri Anno Quarto.

CL.

Eidem, ut cum Drasingone de Chersio et Gruba de Arbe de matrimonio contracto dispenset. Reg. An. IV. ep. 96.

NICOLAUS EPISCOPUS etc. Venerabili fratri ... Episcopo Ausarensi, salutem etc. Petitio dilecti filii Drasingonis de Chorsio laici, et dilecte filie Grube de Arbo tue diocesis nobis exposita continebat, quod ipsi olim ignari, quod aliqua esset affinitas inter eos, que matrimonium impediret, publico in facie ecclesie matrimonium insimul contraxerunt, ac tandem inter eos carnali copula subsecuta filios procrearunt. Quia vero postmodum ad eorum pervenit notitiam, quod quondam Silvester Iohannis loci eiusdem laicus eiusdem Grube maritus eidem Drusingoni tortio et quarto consanguinitatis gradu, dum viveret, attinebat, ipsi super hoc apostolice sedis misericordiam implorarunt etc. ut supra mutatis mutandis usque nuntiando. Datum apud Urbemveterem X. Kal. Aprilis, Pont. nostri Anno Quarto.

CLI.

Marino Petro Czare conceditur, ut cum archidiaconia Antibarensi ecclesiam s. Marci tenere valeat. Reg. An. IV. ep. 119.

NICOLAUS EPISCOPUS etc. Dilecto filio Marino Petro Czare Archidiacono Antibarensi, salutem etc. Licet, ne quis plures ecclesias vel ecclesiasticas dignitates habeat, sacri Concilii Constitutio interdicat, illos tamen nonnumquam apostolica sedes ampliori prosequitur gratia, quos meritis novit potioribus adiuvari. Hinc est, quod nos attendentes tue merita probitatis, ac volentes tibi propter hoc, necnon consideratione Carissime in Christo filie nostre Elene Regine Servie illustris, cuius clericus et nuntius

existis, gratiam facere specialem, tecum ut Archidiaconatum Antibarensem sine cura animarum, et ecclesiam sancti Marci extra muros Antibarenses cum cura huiusmodi, quos obtines, libere retinere valeas, generalis Concilii seu qualibet alia constitutione contraria non obstante, auctoritate apostolica dispensamus: proviso quod Archidiaconia et ecclesia predicti debitis obsequiis non fraudentur, et in prefata ecclesia sancti Marci animarum cura nullatenus negligatur. Nulli ergo etc. nostre dispensationis etc. Datum apud Urbemveterem II. Kal. Aprilis, Pontificatus nostri Anno Quarto.

CLII.

Archiepiscopo Antibarensi, ut de neocleto in civitate Savae destructa inquirens, eum confirmare et consecrare possit. Reg. An. IV. ep. 281.

NICOLAUS EPISCOPUS etc. Venerabili fratri ... Archiepiscopo Antibarensi, salutem etc. Per tuas et etiam Carissime in Christo filie nostre Elene Regine Servie illustris litteras nuper nobis transmissas accepimus, quod in Albanie partibus iuxta Sclavos quedam habetur Civitas, Sava nomine, que iam longi temporis spatio destructioni succubuit, eius incolis per diversa loca dispersis, sed de novo in Civitate predicta quamplures viri catholici de incolarum ipsorum progenie, ut dicitur, exsistentes, et alii etiam diversarum partium convenerunt, moramque in illa continuam contrahunt, Episcopum cum instantia postulantes, propter quod predicte Civitatis clerici ad electionem procedentes Epi quendam presbiterum, Petrum nomine, virum utique catholicum et fidelem, in suum et eiusdem Civitatis elegerunt Episcopum et pastorem, petendo a te utpote Metropolitano ipsorum humiliter et instanter, ut electionem huiusmodi auctoritate tibi tradita confirmares: sed petitioni eorum annuere noluisti, nisi prius super hoc a nobis licentiam obtineres. Quare tu et prefata Regina a nobis supplicastis humiliter, ut super hoc providere de benignitate solita dignaremur. Nos igitur ad augmentum catholice fidei sollicitis studiis intendentes, et volentes, ut expedit, salubriter et mature procedere, ac tuis et ipsius Regine desideriis benigne annuere in hac parte, gerentes quoque de tue circumspectionis industria fiduciam in domino specialem, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenus si, inquisita de modo electionis, eligentium studiis et electi meritis diligentius veritate, dictam electionem canonicam et de persona ydonea inveneris canonice celebratam, ipsam de consilio dilectorum filiorum ... Prioris Predicatorum et ... Guardiani Minorum fratrum ordinum de Ragusio auctoritate nostra confirmare procures, ac eidem electo munus consecrationis impendas, faciens sibi a suis subditis obedientiam et reverentiam debitam exhiberi. Alioquin, electione predicta rite cassata, eisdem clericis de aliqua persona catholica ydonea et apostolice sedi devota, que tanto congruat oneri et honori, hac vice auctoritate predicta, de ipsorum tamen Prioris et Guardiani consilio, providere non differas in Episcopum et pastorem, Contradictores etc. Datum apud Urbemveterem III. Idus Iunii, Pontificatus nostri Anno Quarto.

CLIII.

Eidem, ut ecclesiae Sardanensi hac vice de episcopo provideat (vide supra Nr. CXLVIII.) Reg. An. IV. ep. 811.

NICOLAUS EPISCOPUS etc. Venerabili fratri ... Archiepiscopo Antibarensi, salutem etc. Pridem nobis tua fraternitas intimavit, quod ecclesia Sardanensis ecclesie Antibarensi subiecta tanto tempore iam vacavit, quod eius provisio est ad sedem apostolicam legitime devoluta: quare suppliciter postulabas a nobis, ut cum predicta Sardanensis ecclesia inter nationes perversas posita dinoscatur, circa statum ipsius, ne pastoris destituta regimine ulterius dampnorum perferat detrimenta, dignaremur de solita benignitatis clementia providere. Nolentes igitur, ut predicta ecclesia de cetero vacationis incommoda patiatur, et de tue probitatis industria plenam in domino fiduciam obtinentes, fraternitati tue providendi hac vice de consilio et assensu dilectorum filiorum ... Prioris Predicatorum, et ... Guardiani Minorum fratrum ordinum Ragusinorum ipsi ecclesie Sardanensi de persona ydonea, que tanto congruat oneri et honori, super quo tuam intendimus conscientiam onerare, ac faciendi ei a suis subditis obedientiam et reverentiam debitam exhiberi, et contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendi plenam et liberam auctoritate presentium concedimus potestatem. Per hoc autem Capitulo eiusdem ecclesie nolumus aliquod preiudicium generari, quin ad electionem Sardanensis Episcopi, cum ecclesiam ipsam vacare contigerit, libere possit procedere sicut prius. Quod autem super hoc et etiam super concessione Episcopi Civitati Save facienda, pro qua tibi nostras litteras mittimus, feceris, nobis per tuas litteras intimare procures. Datum apud Urbemveterem V. Kalendas Iulii, Pontificatus nostri Anno Quarto.

EPISTOLAE BONIFACII PP. VIII.

CLIV.

Ioanni archiepo Iadrensi, ut ecclesiae Absarensi de aliquo fratre Minore provideat in episcopum. Reg. An. I. ep. 407.

BONIFACIUS EPISCOPUS etc. Venerabili fratri Iohanni Archiepiscopo Iadrensi, salutem etc. Debitum officii nostri requirit, ut inter sollicitudines alias, quibus assidue premimur, specialiter circa ecclesias sollertiam adhibentes ipsarum utilitatibus intendimus, in eo maxime ut viduatis, ne longe vacationis dispendia patiantur, celeriter nostre diligentie studio de illorum provideatur substitutione pastorum, per quos spiritualiter et temporaliter, actore domino, continuum suscipere valeant incrementum. In nostra siquidem presentia retulisti, quod olim Cathedrali ecclesia Absarensi, metropolitico tibi iure subiecta, per obitum bone memorie Iacobi Episcopi Absarensis pastoris regimine destituta, Capitulum eiusdem ecclesie personam indignam, videlicet Thomam Archipresbiterum ipsius ecclesie, defectum litterarum evidentem et intollerabilem patientem scienter in Absarensem Episcopum elegerunt, tibique decreto electionis huiusmodi presentato a te petierunt instanter, ut eandem electionem auctoritate metropolitica confirmares. Tu vero tam processu ipsius electionis quam persona dicti Archipresbiteri examinatis iuxta officii tui debitum diligenter, quia plene constitit, predictos Capitulum prefatum Archipresbiterum ob memoratum defectum omnino indignum scienter ad ecclesie memorate regimen elegisse, quod etiam in iuditio coram te confessus extitit se nunquam audivisse Donatum, prefatam electionem utpote contra formam Canonum attentatam sententialiter reprobans, pronuntiasti dictos Capitulum eligendi hac vice potestate ipso iure fore privatos, provisionem ipsius ecclesie ad sedem apostolicam remittendo. Nos igitur, quod super hoc a te factum est, ratum et gratum habentes, ac gerentes de tue circumspectionis industria in domino fiduciam pleniorem, fraternitati tue preficiendi auctoritate nostra oidem ecclesie aliquem virum ydoneum do ordine fratrum Minorum, qui tanto congruat oneri ot honori, super quo tuam intendimus conscientiam onerare, ac faciendi ei, postquam ipsum ecclesie predicte prefeceris, a prefato Capitulo et clero ac populo civitatis et diocesis Absarensis tanquam patri et pastori animarum suarum hobediri humiliter ac intendi, sibique consecrationis munus, ascitis tibi duobus vel tribus episcopis, impendendi, necnon et contradictores super hoc per censuras ecclesiasticas, appellatione postosita, compescendi plenam et liberam coucedimus tenore presentium potestatem. Datum Anagnie VI. Nonas Octobris, Pontificatus nostri Anno Primo.

CLV.

Lamberto episcopo Veglensi vicarius papae in Urbe constituitur. Reg. An. II. ep. 85.(750.) fol. 177.

BONIFACIUS EPISCOPUS etc. Venerabili fratri Lamberto Episcopo Veglensi, salutem etc. Ecclesiarum omnium cura (et) universalis populi Christiani regimen ad vigilantiam nos inducunt, Romana tamen Urbs inclita, quam caput orbis divina clementia stabilivit, et ubi Petri sedem celestis dispositio statuit ot firmavit, et eiusdem Urbis noster peculiaris populus suis dignis prerogativis nos sollicitant, et inducunt de ipsorum statu prospero et salubri attentius et diligentius cogitare, ut spiritualiter et temporaliter de bono in melius recipiant incrementum. Igitur de tua vita laudabili, religione probata, scientia et circumspectione confisi, te in Urbe prefata auctoritate apostolica Vicarium nostrum duximus statuendum, tibi in spiritualibus casibus visitandi, corrigendi et reformandi ecclesias, et eas ac cimiteria reconciliandi, consecrandi altaria, necnon benedicendi et crismandi, ac etiam conferendi ordines personis ydoneis de Urbe, quas tibi contigerit canonice presentari, audiendi quoque confessiones et imponendi salutarem penitentiam pro commissis potestatem plenariam concedentes. Tu itaque sicut filius benedictionis et gratie huiusmodi officium humiliter et devote suscipias, et illud secundum prudentiam, quam tibi dominus ministrabit, studeas exercere, ita quod a deo exinde premium, nostram et apostolice sedis

gratiam et ab hominibus bonam famam merito consequaris. Datum Anagnie XII. Kalendas Augusti, Pontificatus nostri Anno Secundo.

CLVI.

Petrus ex ordine Minorum ecclesiae Spalatensi in archiepiscopum praeficitur. Reg. An. III. ep. 202. fol. 241.

BONIFACIUS EPISCOPUS etc. Dilecto filio fratri Petro Electo Spalatensi, salutem etc. Cum ecclesiarum omnium Romana, domino disponente, sit mater, sic eam preesse oportet in sollicitudine universis, presertim illis que possent ex diutinis vacationibus gravia incurrere detrimenta, quod distributis affectibus pro varietate causarum specialiter intendat per credite dispensationis officium commodis singularum, ne per aliquos divine domus inobseratos aditus in gregis perniciem lupi pro pastoribus, aut in pestem domesticam hostes pro hospitibus inducantur. Sane Spalatensi ecclesia dudum viduata pastore, licet in ea de dilecto filio Iacobo Archidiacono ipsius ecclesie fuerit electio celebrata, quia tamen infra tempus a iure statutum idem Archidiaconus non fuit negotium electionis huiusmodi prosecutus, dicta electio iuribus, si que habuit, extitit vacuata: et nichilominus postmodum idem Archidiaconus ius, si quod sibi ex electione huiusmodi competebat, in manibus Venerabilis fratris nostri G. Episcopi Sabinensis de mandato nostro resignationem suam recipientis libere resignavit. Nos igitur, qui circa viduatas ecclesias continue attentionis oculis vigilamus, volentes eidem ecclesie, ne dampna ex longa vacatione subiret, salubriter providere, te fratrum ordinis Minorum professorem, Capellanum Carissime in Christo filie nostre Marie Regine Sicilie Illustris, cui de vite mundicia, religionis zelo, disciplina morum, circumspectione provida et providentia circumspecta laudabile testimonium perhibetur, de fratrum nostrorum consilio et apostolice plenitudine potestatis eidem ecclesie Spalatensi in Archiepiscopum preficimus et pastorem, sperantes firmiter ex laudabilibus testimoniis, que de te commendabiliter predicantur, quod eadem ecclesia sub tuo regimine grata suscipiet, deo propitio, in spiritualibus et temporalibus incrementa. Reverenter itaque suscipe iugum domini et suavi eius oneri humiliter colla submitte, manumque mittens ad fortia ipsius administrationem Spalatensis ecclesie prudenter exequi, et gregis tibi commissi custodiam prosequi diligenter studeas, et constanter oppositurus te murum pro domo domini ascendentibus ex adverso, ut laudabili de ipso reddita in die districti examinis ratione, regnum patris eterni ab origine mundi paratum electis accipias, in dilecta domini tabernacula letabundus introeas, et eundem tibi commissum gregem ad uberioris retributionis cumulum introducas. Datum Rome apud Sanctum Petrum VI. Idus Maii, Pontificatus nostri Anno Tertio.

In e. m. Archipresbitero et Capitulo ecclesie Spalatensis, Clero civitatis et diocesis Spalatensis, Venerabilibus fratribus universis Suffraganeis ecclesie Spalatensis, Potestati, Consilio et Comuni Spalatensibus et universis filiis ecclesie Spalatensis.

CLVII.

Eidem electo Spalatensi conceditur, ut ab archiepiscopo Neapolitano vel a quocumque alio episcopo catholico consecrationis munus accipere possit. Reg. An. III. ep. 203. fol. 141.

BONIFACIUS EPISCOPUS etc. Dilecto filio fratri Petro Electo Spalatensi, salutem etc. Cum nuper Spalatensi ecclesie tunc vacanti propter tuorum exhigentiam meritorum de persona tua duxerimus providendum: Nos volentes tuis et ecclesie tue parcere laboribus et expensis, quas te oporteret subire veniendo, morando et redeundo, ad sedem apostolicam pro consecrationis tue munere obtinendo, recipiendi a Venerabili fratre nostro... Archiepiscopo Neapolitano, vel a quocumque malueris alio Archiepiscopo, vel Episcopo catholico gratiam et communionem apostolice sedis habente consecrationis munus huiusmodi iuxta formam, que in Episcoporum consecrationibus observatur, liberam tibi concedimus auctoritate presentium facultatem. Datum Rome apud Sanctum Petrum XII. Kalendas Iunii, Pontificatus nostri Anno Tertio.

CLVIII.

Ioannes archiepiscopus quondam Iadrensis transfertur ad ecclesiam Tranensem. Reg. An. III. ep. 219.

BONIFACIUS EPISCOPUS etc. Venerabili fratri Iohanni Archiepiscopo quondam Iadrensi, in Archiepiscopum Tranensem Electo, salutem etc. Romani pontificis etc. Sane dudum Tranensi ecclesia per obitum bone memorie Philippi Archiepiscopi Tranensis pastoris regimine destituta, nos provisionem faciendam ipsi ecclesie de prelato sedi apostolice duximus reservandam, decernentes extunc irritum

et inane, si secus super hoc scienter vel ignoranter contingeret attemptari. De ipsius igitur ecclesie ordinatione solicite cogitantes, ne prolixioris vacationis exposita incommodis remaneret, post diligentiam, quam ad proficiendum eidem ecclesie ydoneam et approbatam personam adhibimus vigilanter, in te tunc Archiepiscopum Iadrensem, quem sciontia littorali (litterarum) preditum, virum quoque vite laudabilis, conversationis placide, morum honestate decorum, discretionis et consilii maturitate conspicuum novimus, noster animus requievit. Intendentes itaque tam gregi dominico quam ecclesie predicte salubriter providere, de fratrum nostrorum consilio et apostolice plenitudine potestatis te a vinculo, quo tenebaris Iadrensi ecclesie, absolventes ad predictam Tranensem ecclesiam te transferimus, et concedimus te ipsi Tranensi ecclesie in Archiepiscopum et pastorem, liberam tibi dantes licentiam ad eandem Tranensem ecclesiam transeundi. Quocirca fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenus impositum tibi onus a dño suscipiens reverenter, curam et administrationem eiusdem Tranensis ecclesie sic diligenter geras et sollicite prosequaris, quod ipsa gubernatori circumspecto ac fructuoso administratori gaudeat se commissam, ac bone fame tue odor ex laudabilibus tuis actibus latius defundatur, et preter benedictionis eterne premium benivolentie nostre gratiam exinde plenius consequaris. Datum apud Urbemveterem xv. Kal. Iulii, Pontificatus nostri Anno Tertio.

In e. m. Universis Suffraganeis ecclesie Tranensis, ... Archidiacono et Capitulo ecclesie Tranensis, Clero et populo civitatis et diocesis Tranensis et universis Vassallis ecclosie Tranensis.

CLIX.

Henricus de Tuderto ord. Min. ecclesiae Iadrensi in archiepiscopum praeficitur. Reg. An. III. ep. 372. fol. 223.

BONIFACIUS EPISCOPUS etc. Dilecto filio fratri Henrico de Tuderto ordinis fratrum Minorum professori, Electo Iadrensi, salutem etc. Romani pontificis, quam celestis pastor et opiscopus animarum, potestatis sibi plenitudine tradita, ecclesiis pretulit universis, plena curis et onusta vigiliis sollicitudo requirit, ut circa cuiuslibet statum ecclesie sic ipse solerter invigilet, prudenter excogitet ac prospiciat diligenter, ut per eius circumspectionem providam et providentiam circumspectam ecclesiis singulis pastor accedat ydoneus et Rector providus deputetur, quatenus ipse superni favoris opitulante clementia letis foveantur eventibus, et votive prosperitatis successibus gratulentur. Sane Iadrensi ecclesia per translationem Venerabilis fratris nostri Iohannis Tranensis, tunc Iadrensis Archiepiscopi, ad Tranensem ecclesiam per nos factam nuper solatio destituta pastoris, Nos ad eiusdem Iadrensis ecclesie quietum statum et prosporum paterne sollicitudinis studio intendentes, ordinationem et dispositionem ipsius hac vice provisioni sedis apostolice duximus reservandam, decernentes ex tunc irritum et inane, si secus super hoc scienter vel ignoranter per quemcumque seu quoscumque contingeret attemptari. Volentes igitur, prout ad nostrum spectat officium, obviare dispendiis, que possent ex prolixe vacationis instantia eidem Iadrensi ecclesie imminere, considerantes etiam probitatis merita grandia et virtutum dotes multiplices, quibus dono superni numinis nosceris insignitus, et propterea spem gerentes indubiam firmamque fiduciam obtinentes, quod per tue laudabilis circumspectionis industriam, cum te celebris fame preconium referat, quod multorum relatio fidedigna confirmat, in spiritualibus et temporalibus circumspectum, prefata Iadrensis ecclesia, deo favente, proficiet in utrisque, deliberatione cum fratribus nostris super hoc habita diligenti, te ordinis fratrum Minorum professorem iam dicte Iadrensi ecclesio de fratrum predictorum consilio, et apostolice plenitudine potestatis proficimus in Archiepiscopum et pastorem, curam et administrationem ipsius tibi in spiritualibus et temporalibus committentes, firma concepta fiducia, quod dirigente domino actus tuos eidem Iadrensi ecclesie per tuam curiosam solertiam, tuumque ministerium studiosum honoris et prosperitatis multiplicis, deo propitio, desiderata provenient incrementa. Idooque discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus nostris et apostolice sedis beneplacitis sub prompte humilitatis officio te coaptans, et reverenter suscipiens impositum a domino tibi onus eiusdem Iadrensis ecclesie curam sollicitam gonere studeas, eiusque vacare profectibus non omittas, gregem dominicum tue in illa discretioni commissum doctrina verbi et operis informando, ita quod ecclesia ipsa por tuo diligentie studium laudabilibus in spiritualibus et temporalibus ad divini nominis gloriam proficiat incrementis. Datum apud Urbemveterem XIII. Kalendas Iulii, Pontificatus nostri Anno Tertio.

In e. m. Patriarche Gradensi, universis Iadrensis ecclesie Suffraganeis, Capitulo ecclesie Iadrensis, Clero et populo civitatis et diocesis Iadrensis, Nobili viro Duci Venetorum, et universis Iadrensis ecclesie Vassallis.

CLX.

Primicerio s. Marci de Venetiis, ut Marinum Baduarium rectorem Venetum in civitate Iustinopolitana a vinculo excommunicationis absolvat. Reg. An. III. ep. 191.

BONIFACIUS EPISCOPUS etc. Dilecto filio ... Primicerio ecclesie sancti Marchi de Venetiis Castellane diocesis, salutem etc. Sincere devotionis affectus, qua dilectus filius nobilis vir Petrus Grandonici Dux Venetiarum sedem apostolicam reveretur, exposcit, ut tam ipse quam sui eius attentu sedem eandem sibi reperiantur favorabilem et benignam. Ex parte siquidem ipsius Ducis fuit expositum coram nobis, quod pridem nobilis vir Marinus Baduarius de Venetiis, genor ipsius Ducis, miles Castellane diocesis, tunc Rector existens Civitatis Iustinopolitane, in quemdam conversum Monasterii sancti Georgii Maioris eiusdem loci de Venetiis manus violentas usque ad sanguinis effusionem iniecit, Vitalem quoque dictum de Iustinopoli presbiterum beneficiatum ecclesie Iustinopolitane pro eo, quod in Civitatem predictam quosdam ab eadem Civitate pro suis excessibus forbannitos clam noctis tempore armata manu proditionaliter introduxerat, capi fecit et carceri mancipari, Iacobum insuper scolasticum, Varnerum et Iohannem de Villana, Iacobum Engelerii, Iohanninum de Procardo et Octonellum Facine Mugii clericos eiusdem ecclesie, quos ei constitit huiusmodi proditionis conscios, culpabiles et participes extitisse, de voluntate et consensu eiusdem ecclesie Capituli tunc pastore carentis ad evitandum scandala, que videbantur ex hoc, si clerici predicti inibi remansissent, verisimiliter provenire, de Civitate licentiavit eadem, eosque ab ea exulare coegit. Quare dictus Dux nobis humiliter supplicavit, ut cum idem miles, pront asserit, sit paratus super hiis ecclesie parere mandatis, quamvis circa relaxationem dicti presbiteri, qui adhuc in carcere detinetur, et revocationem dictorum clericorum adhuc exulantium taliter non possit aliquid operari, pro eo quod tempus regiminis ipsius militis est in eadem Civitate finitum, sitque dicto militi propter viarum discrimina et alia incommoda valde grave adire sedem apostolicam pro premissis, eiusdem militis super hoc providere saluti de benignitate sedis apostolice dignaremur. Nos igitur predicti Ducis, quem benivolentia prosequimur, supplicationibus inclinati, discretioni tue, de qua fiduciam gerimus in domino specialem, per apostolica scripta mandamus, quatenus eundem militem ab excommunicationis sententia, quam propter premissa noscitur incurrisse, absolvas iuxta formam ecclesie vice nostra, iniuncto sibi, quod de iure fuerit iniungendum, eique imposita pro modo culpe penitentia salutari, prout anime sue saluti videris expedire. Datum apud Urbemveterem XII. Kal. Iulii, Pontificatus nostri Anno Tertio.

CLXI.

Henrico archiepiscopo Iadrensi, ut pallio sibi tradito infra ecclesiam suam utatur. Reg. An. III. ep. 201.

BONIFACIUS EPISCOPUS etc. Venerabili fratri Henrico Archiepiscopo Iadrensi, salutem etc. Nuper te fratrum Minorum ordinis professorem de fratrum nostrorum consilio et apostolice plenitudine potestatis ecclesie Iadrensi prefecimus in Archiepum et pastorem, et postmodum per Venerabilem fratrem nostrum M. Portuensem Episcopum tibi munus consecrationis impendi, ac deinde palleum, quod est insigne pontificalis officii, cum ea, qua decet, instantia postulatum, de corpore beati Petri sumptum ad nomen et usum eiusdem Iadrensis ecclesie per dilectum filium nostrum M. sancte Marie in Portica diaconum Cardinalem fecimus assignari, et a te per eum recipi nostro et ecclesie Romane nomine fidelitatis solite iuramentum. Tu vero palleo infra eandem Iadrensem ecclesiam illis diebus utaris, qui expressi in ipsius ecclesie privilegiis continentur. Ut igitur signum non discrepet a signato, sed quod geris exterius, illud serves in mente, fraternitatem tuam monemus et hortamur attente, per apostolica tibi scripta mandantes, quatenus humilitatem et iustitiam, dante domino, qui dat munera et premia elargitur, observare studeas, que suum servant et promovent servatorem, et predictam Iadrensem ecclesiam sponsam tuam cures sollicite, divina favente clementia, in spiritualibus et temporalibus augmentare. Datum apud Urbemveterem XV. Kalendas Novembris, Pontificatus nostri Anno Tertio.

CLXII.

Petro electo Spalatensi conceditur pallium. Reg. An. IV. ep. 192.

BONIFACIUS EPISCOPUS etc. Dilecto filio fratri Petro Electo Spalatensi, salutem etc. Cum palleum, insigne videlicet pontificalis officii, ex parte tua fuisset a nobis per dilectum filium Gregorium canonicum Spalatensem, nuntium tuum, cum ea qua decet instantia postulatum, vestris supplicationibus annuentes

ipsum de corpore beati Petri sumptum per Venerabiles fratres nostros ... Tragurien sem et ... Pharensem Episcopos, suffraganeos tuos, assignandum tibi per eundem nuntium duximus transmittendum, ut illud tibi assignent sub forma, quam eis sub bulla nostra mittimus interclusam, et a te nostro et ecclesie Romane nomine sub forma, quam sub eadem bulla dirigimus, fidelitatis recipiant iuramentum. Tu autem illo infra ecclesiam tuam illis diebus utaris, qui expressi in ipsius ecclesie privilegiis. Ut igitur signum non discrepet etc. fraternitatem tuam monemus etc., quatenus humilitatem et iustitiam, dante domino, qui dat munera et premia elargitur, observare studeas, que suum servant et promovent servatorem, et Spalatensem ecclesiam sponsam tuam cures sollicite, auctore domino, spiritualiter et temporaliter augmentare. Datum Rome apud Sanctum Petrum XV. Kalendas Iunii, Pont. nostri Anno Quarto.

CLXIII.

Tragurien si et Pharensi episcopis, ut pallium archiepiscopo Spalatensi assignent. Reg. An IV. ep. 193.

BONIFACIUS EPISCOPUS etc. Venerabilibus fratribus ... Tragurien si ot ... Pharensi Episcopis, salutem etc. Cum palleum etc. transmittendum. Quocirca fraternitati vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus vos vel alter vestrum palleum ipsum iuxta premissam formam sibi assignare curetis, et ab ipso nomine nostro et ecclesie Romane sub forma, quam vobis sub eadem bulla dirigimus, fidelitatis recipere iuramentum. Formam autem iuramenti, quod ipse prestabit, de verbo ad verbum nobis per eiusdem electi patentes litteras suo sigillo signatas per proprium nuntium studeatis quamtotius destinare. Datum ut supra.

CLXIV.

Iacobus ord. Minorum professor ecclesiae Iadrensi in archiepiscopum praeficitur. Reg. An. V. ep. 241. fol. 188.

BONIFACIUS EPISCOPUS etc. Venerabili fratri Iacobo Archiepiscopo Iadrensi, salutem etc. Pastoralis officii cura etc. Sane Iadrensi ecclesia per obitum bone memorie Henrici Iadrensis Archiepiscopi, qui nuper apud sedem apostolicam diem clausit extremum, pastoris solatio destituta, Nos ad eiusdem ecclesie quietum statum et prosperum paterne sollicitudinis studio intendentes, ordinationem et dispositionem ipsius ecclesie hac vice provisioni sedis apostolice duximus reservandam, decernentes extunc irritum et inane, si secus super hoc scienter vel ignoranter per quemcumque seu quoscumque contingeret attemptari. Volentes igitur, prout ad nostrum spectat officium, obviare dispendiis, que possent ex prolixe vacationis instantia eidem Iadrensi ecclesie imminere, considerantes etiam probitatis merita grandia et virtutum dotes multiplices, quibus dono superni numinis nosceris insignitus, et propterea spem gerentes indubiam firmamque fiduciam obtinentes, quod per tue laudabilis circumspectionis industriam, cum celebris fame preconium, quod multorum relatio fidedigna confirmat, te referat in spiritualibus et temporalibus circumspectum, prefata Iadrensis ecclesia, deo favente, proficiat in utrisque, deliberatione cum fratribus nostris super hoc habita diligenti, te ordinis Minorum professorem dicte Iadrensi ecclesie de fratrum ipsorum consilio et apostolice plenitudine potestatis preficimus in Archiepiscopum et pastorem, curam et administrationem ipsius tibi in spiritualibus et temporalibus committentes, tibique facientes per Venerabilem fratrum nostrum M. Epum Portuensem munus consecrationis impendi, firma concepta fiducia, quod dirigente domino actus tuos eidem Iadrensi ecclesie per tuam curiosam solertiam tuumque ministerium studiosum honoris et prosperitatis multiplicis, deo propitio, desiderata proveniant incrementa. Ideoque fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenus nostris et apostolice sedis beneplacitis sub prompte humilitatis officio te coaptans, ot roverenter suscipens impositum a domino tibi onus eiusdem Iadrensis ecclesie curam sollicitam gerere studeas, eiusque vacare profectibus non omittas, gregem dominicum tue in illa discretioni commissum doctrina verbi et opis informando, ita quod ecclesia ipsa per tue diligentie studium laudabilibus in spiritualibus et temporalibus ad divini nominis gloriam consurgat augmentis. Dat. Anagnie XVII. Kal. Iulii, Anno Quinto.

In o. m. Capitulo ecclesie Iadrensis, Clero et populo civitatis et diocesis Iadrensis, Vassallis et universis Suffraganeis ecclesie Iadrensis.

CLXV.

Eidem pallium conceditur. Reg. An. V. ep. 242. fol. 189.

BONIFACIUS EPISCOPUS etc. Venerabili fratri Iacobo Archiepiscopo Iadrensi, salutem etc. Cum palleum, insigne videlicet pontificalis officii, a nobis cum ea, qua decuit, instantia postulasses, Nos

tuis supplicationibus annuentes, ipsum de corpore beati Petri sumptum tibi per dilectos filios nostros Matheum sancte Marie in Porticu, Neapoleonem sancti Adriani, Petrum sancte Marie Nove et Richardum sancti Eustachii diaconos Cardinales duximus assignandum, prestito a te nostre et ecclesie Romane nomine fidelitatis solite iuramento, ut illo intra ecclesiam tuam illis diebus utaris, qui expressi in ipsius ecclesie privilegiis continentur. Ut signum igitur non discrepet a signato, sed quod geris exterius, intus serves in mente, fraternitatem tuam monemus attentius et hortamur, quatenus humilitatem et iustitiam, dante domino, qui dat munera et premia elargitur, observare studeas, que suum servant et promovent servatorem, et Iadrensem ecclesiam sponsam tuam cures sollicite, actore domino, incrementis in spiritualibus et temporalibus ampliare. Datum Anagnie Kalendis Iulii, Pontificatus nostri Anno Quinto.

CLXVI.

Eidem, ut nonnullos clericos et laicos censuris incursis absolvere possit. Reg. An. V. ep. 248. fol. 120.

BONIFACIUS EPISCOPUS etc. Venerabili fratri ... Archiepiscopo Iadrensi, salutem etc. Exposuit nobis tua fraternitas, quod nonnulli prelati ecclesiasticeque persone regulares et seculares tue Civitatis et diocesis in reparatione murorum Civitatis eiusdem, qui olim distructi fuerant, de proventibus et bonis ecclesiasticis sub adiutorii vel doni nomine officialibus et aliis laicis dicte Civitatis certas persolverunt pecunie quantitates, iidemque officiales et laici exegerunt et receperunt dictas quantitates pecunie ab eisdem, ac nichilominus Universitas Civitatis eiusdem culpabilis extitit in premissis contra Constitutionem nostram super hoc editam temere veniendo, propter quod iidem prelati, ecclesiastice persone, officiales et laici excommunicationis, dictaque Universitas interdicti sententias iuxta tenorem Constitutionis huiusmodi incurrerunt, ac dicti prelati et persone ecclesiastice non abstinendo postmodum a divinis, notam irregularitatis contraxisse noscuntur. Quare nobis humiliter supplicasti, ut eorum providere saluti misericorditer curaremus. Nos itaque tuis supplicationibus inclinati, absolvendi huiusmodi excommunicatos ab eadem excommunicationis sententia, et interdictum huiusmodi iuxta formam ecclesie relaxandi et dispensandi hac vice cum talibus, dummodo in contemptum clavium non immiscuerunt se divinis, super irregularitate, quam exinde contraxerunt, plenam tibi auctoritate presentium concedimus facultatem, iniunctis eis propter hoc, quod de iure fuerit iniungendum. Datum Anagnie v. Nonas Iulii, Pontificatus nostri Anno Quinto.

CLXVII.

Eidem conceditur, ut ab universo suae dioecesis clero ad ecclesiae suae onera relevanda moderatum subsidium exigere possit. Reg. An. V. ep. 149. fol. 191.

BONIFACIUS EPISCOPUS etc. Venerabili fratri ... Archiepiscopo Iadrensi, salutem etc. Magne devotionis affectus, quam ad nos et Romanam ecclesiam habere dinosceris, promeretur, ut ad ea, que consonent votis tuis, apostolice benignitatis gratiam extendamus. Cum itaque, sicut asseris, Iadrensis ecclesia gravibus prematur oneribus debitorum, Nos tuis supplicationibus inclinati, fraternitati tue compellendi auctoritate nostra per te, vel per alium seu alios prelatos et personas quaslibet ecclesiasticas religiosas vel seculares, cuiuscumque ordinis vel conditionis existant, cathedralis et aliarum ecclesiarum, monasteriorum, hospitalium et domorum exemptorum et non exemptorum Iadrensis Civitatis et diocesis per censuram ecclesiasticam, appellatione remota, ad exhibendum tibi moderatum subsidium pro huiusmodi oneribus relevandis, Non obstantibus quibuscumque privilegiis et indulgentiis apostolicis, per que prelati et persone predicti possent in hac parte quomodolibet se tueri, de quibus quorumque totis tenoribus de verbo ad verbum habenda esset in nostris litteris mentio specialis, plenam auctoritate presentium concedimus potestatem. Datum Anagnie v. Nonas Iulii, Pont. nostri Anno Quinto.

CLXVIII.

Martinus electus in archiepiscopum Antibarensem a pontifice confirmatur. Reg. An. VII. ep. 108.

BONIFACIUS EPISCOPUS etc. Venerabili fratri Martino Archiepiscopo Antibarensi, salutem etc. Ad regimen universalis ecclesie, disponente domino, evocati de universis orbis ecclesiis iuxta pastoralis officii debitum cogitamus: sed earum nos angit sollicitudo propensior, que propriis destitute pastoribus viduitatis subiacent detrimentis, ut eis per nostre sollicitudinis studium de salubris provisionis remedio succurratur, ne, quod absit, earum provisione dilata, lupus rapax gregem dominicum pastore carentem

invadat, oves rapiat et dispergat. Dudum siquidem Antibarensi ecclesia per obitum bone memorie Michaelis Archiepiscopi Antibarensia pastoris solatio destituta, dilecti filii ... Archipresbiter et Capitulum ipsius ecclesie, vocatis omnibus qui voluerunt, debuerunt et potuerunt commode interesse, die ad eligendum prefixa, ut moris est, pro futuri substitutione pastoris insimul convenerunt, et spiritus sancti gratia invocata, in te tunc eiusdem ecclesie Archidiaconum vota sua quasi per inspirationem divinam concorditer direxerunt, to in suum et eiusdem ecclesie Archiepiscopum unanimiter eligendo. Et licet tu postmodum huiusmodi electioni de te celebrate infra debitum tempus tuum prebuisses assensum, ac legitimo impedimento detentus infra tempus a iure statutum pro confirmationis beneficio obtinendo ad sedem apostolicam accedere nequivisses, tamen postmodum eodem impedimento cessante, quamcito potuisti commode ad eandem sedem personaliter accessisti: et demum tam tu per te ipsum, quam Archipresbiter et Capitulum supradicti per procuratores eorum ad hoc specialiter constitutos, presentato nobis huiusmodi electionis decreto, instanter et suppliciter petiistis, ut electionem ipsam confirmare auctoritate apostolica dignaremur. Nos autem huiusmodi electionis decreto discusso, quia electionem ipsam invenimus canonicam et de persona ydonea concorditer celebratam, eam auctoritate apostolica de fratrum nostrorum consilio confirmamus, preficientes te ipsi ecclesie in Archiepiscopum et pastorem, curam et administrationem illius tibi in spiritualibus et temporalibus committendo, tibique per Venerabilem fratrem nostrum Nicolaum Ostiensem Episcopum munus consecrationis impendi, ac postmodum per dilectos filios nostros Matheum sancte Marie in Porticu et Landulfum sancti Angeli, ac Lucam sancte Marie in Via Lata diaconum Cardinales palleum de corpore beati Petri sumptum, plenitudinem videlicet pontificalis officii, a te cum ea, qua decuit, instantia postulatum fecimus exhiberi, firmam spem fiduciamque tenentes, quod cum sis vir litterarum scientia preditus, munditie vita decorus, gravitate morum et discretionis conspicuus ac aliis donis virtutum multipliciter predotatus, ecclesia ipsa per tuam solertam industriam et providentiam circumspectam preservabitur a noxiis et adversis, et alias spiritualiter et temporaliter, deo actore, incrementa suscipiet commodi et honoris, et tam clerus quam populus tuo commissus regimini tua salubri doctrina, et pie actionis exemplo ad salutem edificabitur animarum. Reverenter itaque suscipe iugum domini, et tua eius oneri humiliter colla submitte, manumque viriliter mittens ad fortia curam et administrationem eiusdem ecclesie Antibarensis prudenter exequi studeas, et gregis tibi commissi custodiam prosequi diligenter, solerter et constanter oppositurus te murum pro domo domini ascendentibus ex adverso, ut laudabili de grege ipso coram deo reddita ratione regnum eius ab origine mundi paratum cum electis acquirere valeas, letabundus in dilecta domini tabernacula moraturus (introituras). Datum Anagnie XI. Kalendas Iulii, Pontificatus nostri Anno Septimo.

In c. m. Archipresbitero et Capitulo et universis Suffraganeis ecclesie Antibarensis, et Carissime in Christo filie Helene Regine Servie Illustri. Ad fovendum etc.

CLXIX.

Episcopo Tergestino, ut propter iniurias monialibus ord. s. Clare et fratribus Minoribus Tergestinis illatas coram pontifice comparet. Reg. An. VIII. ep. 46.

BONIFACIUS EPISCOPUS etc. Venerbili fratri ... Episcopo Tergestino, salutem etc. Felicis record. Urbanus papa IIII., predecessor noster, certam formam et regulam universis Abbatissis et Sororibus ordinis sancte Clare apostolica olim auctoritate concessit, quam vocari voluit regulam ordinis dicte sancte: in qua inter ceteras continetur, quomodo et qui ac de cuius licentia ingredi possint clausuram intrinsecam monasteriorum ordinis memorati. Idem quoque predecessor, ne ipsas Abbatissas ac Sorores pro defectu certi regiminis recedere ab observatione regule predicte contingeret, aut sub diversorum magisterio vivendi modos incurrere differentes, curam et regimen omnium monasteriorum dicti ordinis, necnon et personarum degentium in eisdem, scilicet Capellanorum, conversorum et famularium, plene commisit Cardinali sancte Romane ecclesie, qui pro tempore foret gubernator, protector atque corrector fratrum ordinis Minorum a sede apostolica deputatus, statuens quod sub eius obedientia, cura et regimine permanerent, ac tenerentur ei firmiter obedire. Demum autem dilectus filius noster Matheus sancte Marie in Porticu diaconus Cardinalis gubernator, protector et corrector predicti ordinis fratrum Minorum secundum regulam, quam gloriosus Confessor beatus Franciscus instituit, a sede ipsa oxtitit deputatus, qui monasteriorum Abbatissarum, Sororum et conversorum et personarum predicti ordinis sancte Clare gubernator, protector et corrector existit, sine cuius licentia tibi vel aliis preter illos, quibus est ex regula predicta permissum vel a sede perdicta concessum, non licuit

neque licet predicti ordinis sancte Clare monasteria introire. Nos insuper fratres predicti ordinis Minorum et ipsum ordinem ab omnium et singulorum prelatorum et personarum ecclesiasticarum omnimoda potestate ac iurisdictione prorsus eximimus, et decrevimus eos immediate ipsi sedi et soli dumtaxat Romano pontifici subiacere, ac ecclesias, domos et loca, que per fratres ipsos tenebantur et habitabantur tempore exemptionis huiusmodi, ac tenerentur et habitarentur imposterum, exempta prorsus existere, nulloque medio sedi subesse predicte. Universis etiam Abbatissis, Conventibus et Sororibus prelibati ordinis sancte Clare apostolica auctoritate concessimus, ut tam Abbatisse, Conventus et Sorores iidem, quam omnia et singula monasteria eiusdem ordinis tam exemptionis privilegio, quam omnibus immunitatibus, libertatibus et indulgentiis ac aliis privilegiis quibuscumque uterentur et gauderent, ac uti et gaudere possent, que prefato fratrum Minorum ordini ac eius fratribus et personis erant ab eadem sede concessa et concederentur imposterum, quatenus eis competerent vel competere possent, et quatenus forent vel esse possent capacia eorumdem. Nuper autem non sine turbatione percepimus, quod tu, qui non debebas nec crederis esse premissorum ignarus, asserens monasterium sancte Marie de Celle Tergestin. predicti ordinis sancte Clare, et Abbatissam et Sorores in eo degentes professas regulam predictam editam a predecessore prefato tibi subesse debere, quamvis essent in possessione exemptionis, libertatis, privilegiorum et iuris concessionis huiusmodi, nec tibi parerent, cum ad id minime tenerentur, et cum nonnullis clericis et laicis ad monasterium ipsum accedens, illud per violentiam introisti, fracto etiam muro Capelle ipsius monasterii, eandem intravisti Capellam, et fecisti celebrari missam in ea, evulsa insuper quadam sera, que erat interius in ostio inferiori ipsius monasterii, per quod in ipsum monasterium intrabatur, illam ex parte exteriori ipsius ostii poni fecisti, et expulsis fratribus predicti ordinis Minorum, qui ad obsequium ipsarum Abbatisse et Sororum, prout licite poterant, ad ipsius monasterii clausuram exteriorem accesserant, seculares clericos ad eiusdem monasterium custodiam posuisti, sicque predicti fratres ordinis Minorum non sunt extunc ad idem monasterium ire permissi, neque in eo divina officia celebrare, dictique clerici seculares interiorem monasterii predicti clausuram intrare possunt pro eorum libito voluntatis. Quare fuit nobis humiliter supplicatum, ut providere super hiis de oportuno remedio dignaremur. Nos igitur predictis Abbatisse ac Sororibus monasterii prelibati, quibus maxime propter fragilitatem feminei sexus compatimur, super premissis providere volentes, ac precavere, ne litigiorum anfractibus involvantur, fraternitati tue per apostolica scripta in virtute obedientie, ac sub suspensionis et depositionis aliisque spiritualibus et temporalibus penis iuxta nostrum arbitrium inferendis districte precipiendo mandamus, quatenus easdem Abbatissam et Sorores monasterii prelibati, dictumque monasterii contra huiusmodi concessionis nostre tenorem de cetero non impetas, nec perturbes per te vel alium, nec contra ipsam facias aliquam noxiam novitatem: quin potius premissa iniurias et gravamina, et quicquid per te vel de mandato tuo adversus ea contra concessionem predictam, quam te in dubium revocare nolumus, facta vel attemptata noscuntur, absque more dispendio provide revoces cum effectu. Ceterum ne tua in premissis temeritas remaneat impunita, volumus et tibi sub penis predictis iniungimus, ut infra duorum mensium spatium a presentatione presentium computandum, quod tibi pro peremptorio termino assignamus, per te vel procuratorem ydoneum ad hoc specialiter constitutum cum sufficienti mandato compareas coram nobis, tuam super premissis et ea contingentibus innocentiam, si poteris, ostensurus, nostrisque pariturus beneplacitis et mandatis. Si qua vero tibi et ecclesie Tergestine iura competere proposueris in memorato monasterio, illa si tua et ipsius ecclesie interesse putaveris, prosequi poteris coram nobis: parati enim sumus tibi et ei exhibere super hoc iustitie complementum. Datum Laterani II. Kalendas Februarii, Pontificatus nostri Anno Octavo.

EPISTOLAE BENEDICTI PP. XI.

CLXX.

Marino archiepiscopo Antibarensi, ut resignationem Stephani episcopi Scutarensis recipiat. Reg. Au. I. ep. 196.

Benedictus episcopus etc. Venerabili fratri Marino Archiepiscopo Antibarensi, salutem etc. Cum, sicut accepimus, Venerabilis frater noster Stephanus Episcopus Scutarensis, Suffraganeus tuus, cupiat certis ex causis ecclesie sue regimen resignare: nos de circumspectione tua, qui de causis huiusmodi et aliis circumstantiis habere poteris notitiam pleniorem, specialem in domino fiduciam obtinentes, fraternitati tue recipiendi resignationem huiusmodi a predicto Episcopo, cum super hoc ab eo fueris requisitus, dummodo rationabilis causa subsit, tuque alias ipsius ecclesie utilitati, pensatis eius conditionibus, noveris expedire, plenam concedimus auctoritate presentium facultatem. Datum Laterani xiiii. Kal. Decembris, Pontificatus nostri Anno Primo.

CLXXI.

Priori fratrum Praedicatorum in Hungaria de mittendis fratribus ad Albaniam et alias provincias. Reg. Au. I. ep. 668.

Benedictus episcopus etc. Dilecto filio ... Priori fratrum Predicatorum in Ungaria, salutem etc. Cum hora undecima sit diei hominibus, ut exeant ad opus usque ad mundi vesperam deputati, et illud apocalipsis elogium cito credatur cum matris ecclesie consolatione complendum, videlicet oporteret viros spirituales vite munditiam et intelligentie gratiam cum Iohanne sortitos populis et gentibus, linguis Regibusque multis denuo prophetare, quia non sequitur reliquiarum Ierusalem per Esaiam prophetam salvatio, nisi iuxta Paulum apostolum prius introeat gentium plenitudo. Nos licet immeriti super apostolice sedis speculam constituti, fideliter ac prudenter dispensandis dei ministeriis et operibus coadunandis intendimus, si vergente plenitudine temporis, post pia priorum studia in vineam dñi Sabaoth novos et pene novissimos, qui sapientiam longum didicere per otium, operarios mittere procuramus. Quia igitur quasdam amplas et populosas provincias, Albaniam, Cumaniam et Polatum ac Duratium prope Ungariam sitas esse percepimus, in quibus aliqui Episcopi ac plurimi sacerdotes et clerici sub Grecorum dominio constituti habitant, qui ritum sancte Romane ecclesie sincera mente diligunt, et pro viribus libenter observant, quas etiam tempore felicis recordationis Innocentii pape IIII. predecessoris nostri auctoritate eiusdem vestri fratres adierunt, et in verbo dei efficaciter instruxerunt: Nos pie memorie Alexandri pape IIII. predecessoris nostri vestigiis inherendo, discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus aliquos ex fratribus tibi commissis, qui sunt probate conversationis et vite, ac potentes in opere et sermone, mittas ad terras memoratas, in quibus verbum dei proponatur, quos tibi amovere liceat, aliosque substituere, cum videris expedire, quibus vice nostra in peccatorum omnium remissionem iniungas, ut seminari super aquas multas, in illo tantum, qui mundum dixit se vicisse, confisi, ad illuminationem cece multitudinis et exterminium heretice falsitatis, ad confirmandum nutantium animos et fidelium confirmandos in luce sermonis, et certitudine operis propositum sibi iter sine offensione percurrant. Ut autem ministerium ipsorum honoretur plenius et honorabilius impleatur, eisdem fratribus, quos ad hoc miseris, presentium auctoritate concedimus, ut ipsis clericis et laicis de ipsis terris oriundis vel ibidem constitutis, qui virtutem et obediontiam sedis apostolice fideliter amplectentes sunt parati satisfacere de commissis, reconciliationis, et si aliqua excommunicatione tenentur, absolutionis beneficium iuxta formam ecclesie largiantur, proviso ut si huiusmodi excommunicatio ab ordinariis locorum Epis fuerit rationabiliter promulgata, iuxta formam eandem cum eorum consilio relaxetur, et cum clericis ex predictis, super eo quod excommunicati celebravcrunt divina, necnon cum illis, qui ab Episcopis Grecis aut iuxta ritum Grecorum ordines infra ctatem legitimam vel temporibus indebitis, aut qui omnes eadem die, vel superiores pretermissis inforioribus, aut etiam soluto aliquo pretio

secundum ritum eundem recipere presumpserunt, valeant dispensare. Sit etiam eisdem fratribus licitum omnium fidelium in terris predictis confessiones audire, ac ipsis iniungere penitentias salutares, et excommunicatos a canone iuxta formam ecclesie absolvere, dummodo iniuriam et dampna passis satisfaciant competenter. Cum regularibus autem partium earumdem in casibus, quibus solent Legati sedis apostolice dispensare, ac etiam cum clericis ipsarum partium defectum natalium, dummodo non sint de adulterio vel incestu, aut de regularibus procreati, sit fratribus predictis dispensandi facultas: quam circa illos similiter habeant, qui ab unitate catholice ecclesie seu religione vel clericali ordine discesserunt, si humiliter redire voluerint et digne satisfacere de commissis, ita quod ipsi religiosi ad sua loca salva disciplina ordinis resumantur: et illos ex iamdictis, qui excommunicationis vinculo sunt astricti, iuxta premissam formam et predicte satisfactionis modum absolvere valeant, et cum regularibus ex eisdem, sicut est expressum superius, dispensare. De causis matrimonialibus, quas in partibus illis ad audientiam ipsorum deferri contigerit, legitime cognoscendi, ac discordantes inter se adinvicem, quod ad pacem et concordiam redeant, necnon quod inordinate viventes de suis excessibus, sicut iustum fuerit, satisfactionem exhibeant, compellendi per censuram ecclesiasticam, Episcoporum suorum scandalo evitato, ipsis fratribus libera sit facultas. Insuper in locis, in quibus eos hospitari contigerit, vel in locis partium earundem, in quibus residentiam facient, missam et cetera divina celebrare officia, et constitutis ibidem, non obstante si aliqua sunt excommunicatione ligati, in verbis et cibo ac aliis secure communicare, et ipsos seu etiam alios converti ad unitatem fidei christiane cupientes recipere, baptizare et aggregare ecclesie filiis valeant, ac dare indulgentias, commutare vota, ultramarino et continentie votis dumtaxat exceptis, liberam licentiam et plenam habeant facultatem. Ceterum fratribus prefatis concedimus, quod a catholicis Patriarchis, Archiepiscopis et Episcopi possint ordines et alia ecclesiastica sacramenta suscipere, ac vestes sacerdotales, altaris pallas, corporalia per eos, qui ex fratribus ipsis sunt presbiteri, cum necesse fuerit, benedicere, ubi catholicorum Episcoporum copia non habetur, et earundem terrarum clericos per litteras suas licentiare, ut a Latinis Epis ordinentur. Ad hec sit memoratis fratribus absolvendi facultas occisores clericorum et religiosarum personarum in predictis partibus constitutos. Et quia ibi habetur prelatorum catholicorum defectus, pro eo quod ecclesie Latine a Grecis Epis detinentur, et secundum eorum ritum Rectores et clerici religiosi et seculares quandoque mediante vitio symonie, quandoque per potentiam secularem instituuntur sepius in eisdem, Nos nolentes, quod propter catholicorum Eporum defectum talia inibi de cetero presumantur, predictis fratribus, qui ad huiusmodi ministerium fuerint deputati, super instituendis et destituendis Rectoribus et clericis in Latinis ecclesiis tam regularibus quam secularibus, que ut premittitur a Grecis Episcopis in eisdem provinciis detinentur, plenam concedimus facultatem. Quod si forsan provinciam Ungarie in plures provincias dividi, prout de aliis aliquando factum extitit, contingat, volumus et presentium auctoritate statuimus, ut Prior illius provincie, in qua Civitas Duracensis exstit, iuxta presentium tenorem procedere valeat in premissis, illa iuxta formam tibi traditam adimplendo. Nulli ergo etc. nostre concessionis, voluntatis et statuti etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum II. Kal. Aprilis, Pontificatus nostri Anno Primo.

CLXXII.

Eidem priori, ut quosdam cives Ragusinos, qui res prohibitas Alexandriam portaverunt, absolvat. Reg. I. An. ep. 689.

BENEDICTUS EPISCOPUS etc. Dilecto filio ... Priori fratrum Predicatorum Ragusinorum, sal. etc. De circumspectione tua plenam in domino fiduciam obtinentes, ac volentes per te saluti consulere animarum, absolvendi hac vice auctoritate nostra Marinum de Gote, Marinum de Grose et Iunium de Wolcaso cives Ragusinos, qui, sicut asseritur, contra prohibitiones apostolice sedis in Alexandriam accedentes, victualia prohibita Sarracenis illarum partium detulerunt, et alias habuerunt cum ipsis Sarracenis commercia, seu consilium et auxilium impenderunt, et alias participarunt eisdem, ad humilem requisitionem ipsorum ab excommunicationum et aliis quibuslibet sententiis atque penis latis seu statutis contra tales per sedem apostolicam, et alias ab homine vel a iure, quas eos propter hoc incurrisse constiterit, iniuncta eis pro culpe modo penitentia salutari, dummodo cives ipsi et quilibet eorum de eo quod ex tam damnato commercio perceperunt, certam partem, de qua tue discretioni videbitur, tibi nomine nostro et ecclesie Romane persolvant, liberam tibi concedimus auctoritate presentium facultatem. Volumus autem, ut totum id quod inde perceperis, convertas et converti facias in prosecutione operis ecclesie tue ac dilectorum filiorum fratrum tui ordinis, que in Civitate Ragusina sumptuoso opere, ut asseritur, est incepta. Datum Rome apud Sanctum Petrum II. Kal. Aprilis, Pontificatus nostri Anno Primo.

CLXXIII.

Indulgentiae ad fabricam ecclesiae s. Dominici Ragusinae perficiendam conceduntur. Reg. Au. I. ep. 694.

BENEDICTUS EPISCOPUS etc. Universis Christifidelibus presentes litteras inspecturis, salutem etc. Ecclesiarum fabricis manum porrigere adiutricem pium apud deum et meritorium reputantes, frequenter Christifideles ad impendendum ecclesiis ipsis huiusmodi auxilium nostris monomus litteris et hortamur: et ut ad id fortius animentur, quo magis ex hoc animarum commodum sperauerint adipisci, nonnumquam pro hiis temporalibus suffragiis spiritualia eis munera, videlicet remissiones et indulgentias elargimur. Et quidem conueniens est et dignum, ut fideles ipsi loca divino deputata cultui devotione congrua venerantes debitum illis honorem exhibeant, et ad eorum decorem sua etiam impendia studiose, ut cooperantibus caritativis eorum subsidiis possint decentius consumatione structure superni Regis laudibus apta reddi. Cum igitur ecclesia dilectorum filiorum ... Prioris et fratrum ordinis Predicatorum Ragusinorum in honorem beati Dominici opere sumptuoso, ut asseritur, sit incepta, ad cuius consumationem operis sunt fidelium auxilia oportuna, Universitatem vestram rogamus, monemus et hortamur in domino, in remissionem vobis peccaminum iniungentes, quatenus attendentes provide, quod inter holocausta virtutum illud deo acceptabilius creditur, quod de pinguedine caritatis offertur, de bonis vobis a deo collatis eisdem Priori et fratribus, vel eorum nuntiis pias elemosinas et grata caritatis subsidia erogetis, ut per subventionem vestram opus huiusmodi valeat consumari, et vos per hec et alia bona, que domino inspirante feceritis, ad eterne possitis felicitatis gaudia pervenire. Nos enim de omnipotentis dei misericordia et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus vere penitentibus et confessis, qui ad hoc eis manum porrexerint adiutricem, unum annum et quadraginta dies de iniunctis sibi penitentiis misericorditer relaxamus. Presentibus post septennium minime valituris, quas mitti per questuarios districtius prohibemus etc. usque decernentes. Datum Rome apud Sanctum Petrum II. Kal. Aprilis, Pontificatus nostri Anno Primo.

CLXXIV.

Episcopis Parentino et Veglensi, ut quosdam canonicos Polenses, instante episcopo, ad comparendum coram pontifice citent. Reg. Au. I. ep. 610. fol. 140.

BENEDICTUS EPISCOPUS etc. Venerabili fratri ... Parentino et ... Veglensi Episcopis, salutem etc. Moleste ferimus quorumlibet insolentias clericorum, scilicet cum in prelatorum suorum, eorum maxime qui pontificali prominent dignitate, contumeliam clerici graviter delinquere non verentur: eo nimirum gravius provocamur, reputantes nobis inferri molestias, quas prelatis ipsis inferunt, quo potius offense huiusmodi in apostolice sedis contemptum cedere dinoscuntur. Sane querelam Venorabilis fratris nostri Oddonis Episcopi Polensis in nostra presentia constituti nuper accepimus continentem, quod cum ipse dudum officii sui debitum diligenter prosequens, in Candium et Odericum diaconos Canonicos ecclesie Polensis propter manifestas offensas et contumacias eorumdem solempniter, et in scriptis excommunicationis sententiam auctoritate ordinaria protulisset, deinde quoque Candium privatum denunciasset Scolastria dicte Polensis ecclesie, pro eo quod postquam ipse Candius plebanatum de Glemona Aquilegensis diocesis curam animarum habentem extitit assecutus, Scolastriam ipsam, que est dignitas in ecclesia supradicta, quam prius adeptus fuerat, una cum predicto plebanatu sine dispensatione sedis apostolice retinere, ac fructus ex eis percipere in anime sue periculum presumebat: predicti Candius et Odericus ex hiis contra eundem Epum sumpto rancore, diabolico spiritu concitati, in festo omnium Sanctorum proxime preterito, dum dictus Episcopus, presente cleri et populi multitudine, in dicta Polensi ecclesia missarum solempnia celebraret, Evangelio iam cantato, associatis sibi multis aliis in hac parte complicibus, armata manu ecclesiam intraverunt candem, et pulpitum ipsius ascendentes ecclesie adversus prefatnm Episcopum quam plurima iniuriosa et contumeliosa verba dicere presumpserunt, et dum dictus Episcopus celebrationi eidem misse insistens, per proprium nuntium, et etiam vive vocis oraculo eisdem Candio et Oderico huiusmodi excommunicatione ligatis mandasset, ut de predicta exirent ecclesia, ne divinum officium impedirent, iidem excommunicati parere mandato huiusmodi contempserint, quinimo minas et terrores intulerunt eidem impediendo ipsum, quominus posset missam huiusmodi complere: sicquo profatus Episcopus videns se non posse prefatos excommunicatos ab huiusmodi temeritate compescere, eorum presentiam ac minas eorum merito perhorrescens, pontificali quo indutus erat deposite apparatu, predictam exivit ecclesiam, prefatis excommunicatis remanentibus in eadem, qui in altum pulpitum ipsius ecclesie conscendentes, iterato contra eundem Episcopum in verba insania et

iniuriosa nequiter proruperunt, dictusque Candius Episcopum ipsum nulla excommunicatione ligatum, et in quem nullam iurisdictionem habebat, nedum ordinariam, sed nec etiam delegatam, in eius gravem iniuriam, infamiam et contemptum, pulsatis campanis, excommunicatum publice nuntiavit: et nichilominus idem Candius calicem in predicta missa super altare paratum ac vestes sacras et alia ornamenta ipsius ecclesie cum predictis eius sequacibus de altari et manibus cuiusdam sacerdotis, qui custodiebat ea, rapuit violenter et clausit eiusdem ecclesie sacristiam, ita quod post recessum eorum de dicta ecclesia Episcopus ipse rediens ad eandem, ex defectu paramentorum et calicis nequivit missam perficere inchoatam. Quemdam etiam nepotem Episcopi prelibati iamdicti Candius et Odericus per consanguineos et satellites suos per lutum trahi fecerunt, et acriter verberari. Cumque post hec predictus Episcopus ad sedem apostolicam accessisset pro hiis et aliis suis negotiis promovendis, dictus Candius domos Episcopales Polenses intravit, portans ensem evaginatum in manu et quendam equum ipsius Episcopi, electo de ipso quodam clerico, qui erat super eum, exinde violenter abduxit, et demum Vicario ipsius Episcopi se intervenienti opponens, eumque multipliciter et iniuriose prosequens ipsum nequiter impedit et impediebat, quominus possit impositum ei Vicariatus officium exercere, et alia plura enormia commiserit, que apostolicam et nostram correctionem exposcunt. Quare prefatus Episcopus nobis humiliter supplicavit, ut providere sibi super hiis de oportuno remedio dignaremur. Nos igitur nolentes, sicuti nec debemus, tam gravia et enormia, si vera sint, conniventibus oculis pertransire, fraternitati vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus vos vel alter vestrum per vos, vel per alium seu alios predictos Candium et Odericum ex parte nostra peremptorie citare curetis, ut infra unius mensis spatium post citationem huiusmodi compareant personaliter coram nobis, recepturi pro meritis, nostrisque mandatis et beneplacitis parituri. Diem vero citationis et formam, et quicquid in hac parte feceritis etc. usque intimare. Datum Rome apud Sanctum Petrum II. Nonis Aprilis, Pontificatus nostri Anno Primo.

EPISTOLAE CLEMENTIS PP. V.

CLXXV.

Andreas ord. Minor. professor ecclesiae Antibarensi in archiepiscopum praeficitur. Reg. An. II. ep. 105.

Clemens episcopus etc. Venerabili fratri Andree Archiepiscopo Antibarensi, salutem etc. Ad exequendum pastoralis officii debitum etc. Sane vacante dudum Antibarensi ecclesia per obitum bone mem. Marini Antibarensis Archiepiscopi, dilecti filii... Archidiaconus et Capitulum dicte ecclesie, prout moris est, convenientes in unum pro futuri facienda substitutione pastoris, tandem post deliberationem super hoc habitam provisionem faciendam ea vice dicte ecclesie de pastore ad sedem apostolicam remiserunt, potestatem, quam super hoc habebant, in dictam sedem per viam compromissi totaliter transferendo. Et licet fr. Gregorius, tunc Episcopus Suacinensis, postmodum se a nonnullis ecclesie predicte Canonicis in Antibarensem Archiepiscopum postulari de facto, cum id de iure fieri nequivit, procuravit, qui tamen fr. Gregorius tam Episcopatui Suacinensi, quam omni iuri, si quod sibi ex tali postulatione fuisset forsitan acquisitum, in manibus Venerabilis fratris P. Epi Sabinensis et dilecti filii nostrorum I. tit. sanctorum Marcellini et Petri presbiteri Cardinalis, de mandato nostro renuntiationem huiusmodi admittentium, renuntiavit libere et expresse. Nos igitur attendentes, quam sit onusta dispendiis, quot et quanta pericula secum trahat ecclesiarum vacatio diuturna, et de ipsius ecclesie ordinatione celeri, ne vacationis exposita remaneret incomodis, attentius cogitantes, post vigilem, quam ad preficiendum ibidem approbatam et fidedignam personam apposuimus, diligentiam ad te ordinem fratrum Minorum professum, olim lectorem fratrum eiusdem ordinis Conventus Iadrensis, quem litterarum scientia preditum, nobilitate conspicuum, fama preclarum, conversationis et morum honestate decorum, discretione

et consilii maturitate dotatum, in spiritualibus providum et temporalibus circumspectum, aliisque virtutum donis divinitus tibi traditis multipliciter insignitum novimus, direximus oculos nostre mentis. Quibus omnibus in considerationem adductis, tam gregi dominico quam dicte ecclesie volentes salubriter providere, te de fratrum nostrorum consilio et apostolice plenitudine potestatis eidem Antibarensi ecclesie in Archiepiscopum preficimus et pastorem, curam et administrationem ipsius tibi in spiritualibus et temporalibus committentes, tibique postmodum fecimus per Venerabilem fratrem L. Episcopum Albanensem munus consecrationis impendi, ac deinde per dilectum filium nostros Landulfum sancti Angeli diaconum Cardinalem palleum de corpore beati Petri sumptum, insigne videlicet pontificalis officii, a te cum ea qua decuit postulatum instantia exhiberi, in illo, qui dat gratias et largitur premia, confidentes, quod ecclesia supradicta per tuam industriam a noxiis preservabitur et adversis, ac optate prosperitatis augmenta spiritualiter et temporaliter consequetur. Reverenter itaque supportans impositum a domino tibi onus ipsius ecclesie sollicitam curam geras, gregem dominicum in illa tue vigilantie creditum doctrina verbi et operis informando, ita quod ecclesia ipsa tue diligentie studio multiplicibus gaudere comodis, ot oporante clementia summi Regis, optatis consurgere valeat incrementis. Datum apud Pessacum prope Burdegalas v. Kal. Martii, Pontificatus nostri Anno Secundo.

In eundem modum, verbis competenter mutatis, Dilectis filiis ... Archidiacono et Capitulo ecclesie Antibarensis. Ad exequendum etc. ut supra usque consequetur. Quocirca Universitati vestre mandamus, quatenus eidem Archiepo tanquam patri et pastori animarum vestrarum plene et humiliter intendentes, obedientiam et reverentiam debitam sibi exhibere curetis: Alioquin sententiam, quam ipse propter hoc rite tulerit in rebelles otc. usque observari. Datum ut supra.

CLXXVI.

Urosio regi Serviae Andreas archiepus Antibarensis commendatur. Reg. An. III. ep. 106.

Clemens episcopus etc. Carissimo in Christo filio (sic) Urosio Regi Servie Illustri, salut. etc. Divine retributionis premium et humane laudis preconium tibi acquiritur, si ecclesias et personas ecclesiasticas Regni tui favore benivolo protegas et prosequaris auxiliis oportunis: nosque ad id eo libentius celsitudinem tuam inducimus, quo magis illam in operum executione bonorum speramus promptam et facilem invenire. Sane etc. ut supra usque consequatur. Quocirca magnitudinem tuam rogamus et hortamur attente, quatenus predictum Archiepiscopum et eandem ecclesiam habons pro apostolice sedis et nostra reverencia propensius commendatos, sic eidem Archiepo in prosecutione huiusmodi sibi commisse cure, ac in recuperandis bonis et iuribus dicte ecclesie multipliciter, prout accepimus, deperditis et distractis oportuni favoris assistas presidio, quod prefatus Archiepus tuo favore suffultus in solicitudine sibi credita possit salubriter prosperari, tuque proinde tibi acquiras apud doum retributionis eterne premium, et apud homines preconium clare fame, ac nos, qui personam tuam sincera complectimur in domino caritate, devotionem tuam possimus exinde merito commendare. Datum ut supra.

CLXXVII.

Petro archidiacono Antibarensi, ut plura beneficia sibi in provincia Antibarensi conferantur. Reg. An. II. ep. 643.

Clemens episcopus etc. Dilecto filio Petro Archidiacono Antibarensi, salutem etc. Tue merita probitatis, de quibus laudabile tibi testimonium perhibetur, exposcunt, ut ad personam tuam apostolice liberalitatis dexteram extendamus. Volentes itaque tibi propter hoc, et obtentu Carissime in Christo filie nostre Helene Regine Rassie Illustris pro te, Cancellario suo, in hac parte humiliter supplicantis gratiam facere specialem, beneficium vel beneficia ecclesiastica unum vel plura cum cura vel sine cura, nulli alii de iure debitum vel debita, ad collationem Venerabilis fratris nostri ... Archiepiscopi Antibarensis vel cuiuscumque alterius pertinens aut pertinentia, cuius vel quorum redditus et proventus triginta florenorum auri valorem annuum non excedant, si in provincia Antibarensi vacant ad presens, cum iuribus et pertinentiis suis apostolica tibi auctoritate conferimus, et do illis etiam providimus. Si vero huiusmodi beneficium vel beneficia nunc non vacant in provincia supradicta, nos huiusmodi beneficium vel beneficia cum cura vel sine cura, que similiter de iure nulli alii debeantur, ad eiusdem Archiepiscopi et cuiuscumque alterius collationem spectantia, et cuius vel quorum proventus valorem non excedant predictum, conferendum vel conferenda tibi, cum vacaverint, donationi apostolice reservamus, decernentes ox nunc irritum et inane, si secus super hoc a quoquam quavis auctoritate contingeret attemptari. Non obstantibus quibuscumque statutis et consuetudinibus contrariis ecclesie vel

ecclesiarum, in qua vel quibus huiusmodi beneficium seu beneficia fuerint, iuramento, confirmatione sedis apostolice vel quacumque firmitate alia roboratis, seu si super provisione aliquibus facienda de beneficiis ecclesiasticis in illis partibus generales aut specialos dicte sedis, quibus per hoc nullum preiudicium generetur, vel legatorum eius littere sint directe, seu si dicto Archiepiscopo vel eius Suffraganeis, aut quibuscumque aliis ab eadem sit sede indultum, quod quo ad receptionem vel provisionem alicuius minime tenoantur, et ad id compelli non possint, quodque de beneficiis ecclesiasticis ad eorum collationem vel aliam dispositionem spectantibus nulli valeat provideri per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, et qualibet alia prefate sedis indulgentia generali vel speciali cuiuscumque tenoris existat, per quam presentibus non expressam vel totam non insertam effectus huiusmodi nostre gratie impediri valeat quomodolibet vel differri, et de qua cuiusque toto tenore habenda sit in nostris litteris mentio specialis; aut quod in maiori Archidiaconatum, qui nonnullos habet redditus temporales, et in sancti Petri et sancti Stephani ecclesiis Antibarensibus Canonicatus et beneficia, quorum proventus duodecim florenorum auri valorem annuum non excedunt, nosceris obtinere, seu defectu, quem pateris in etate, cum in XXII. anno tuo etatis vel circa illum constitutum esse noscaris. Nos enim tecum, quod huiusmodi beneficium vel beneficia per nos tibi collatum seu collata, reservatum seu reservata, postquam illud vel illa fueris assecutus, una cum Archidiaconatu, Canonicatibus et prebendis predictis retinere licite valeas, defectu predicto seu generalis Concilii vel alia quavis constitutione contraria non obstantibus, do uberioris dono gratie dispensamus: proviso quod dicti Archidiaconatus, Canonicatus et prebende, ac huiusmodi beneficium vel beneficia, cum illud vel illa fueris assecutus, debitis obsequiis non fraudentur, et animarum cura in eis, quibus illa imminet, nullatenus negligatur. Nulli ergo etc. nostre collationis, provisionis, reservationis, constitutionis et dispensationis etc. Datum Pictavis XVII. Kal. Octobris, P. n. Anno Secundo.

In e. m. ... Archiepiscopo Thebano, et Natali Belcici maioris ac Francisco Mathei sancti Petri Antibarensium Canonicis ecclesiarum, ut praedictas litteras exequendas curent etc.

CLXXVIII.

Patriarchae Gradensi et episcopo Castellano, ut contra quosdam canonicos (vide supra Nr. CLXXIV.) et magistratum Polenses, qui eorum episcopo iniurias etc. irrogarunt, rigorose procedant. Reg. An. II. ep. 619.

CLEMENS EPISCOPUS etc. Venerabilibus fratribus ... Patriarche Gradensi et Episcopo Castellano, salutem etc. Querelam Venerabilis fratris nostri O. Episcopi Polensis accepimus continentem, quod ipso dudum in Ecclesia Polensi in festo omnium Sanctorum, presente cleri et populi multitudine copiosa, missam solenniter celebrante, Nicolaus, Pax, Candius, Amadeus et Odericus Canonici maioris, ac Pascalinus Rector sancte Marie supra portam Polensem ecclesiarum spiritu imbuti nequitie, et contra ipsum ex eo concepto rancore, quod idem Episcopus processerat contra illos, et ex iustis causis protulerat excommunicationis sententiam in eosdem, nonnullis sibi associatis in hac parte complicibus, intraverunt armata manu ecclesiam supradictam, et impotum contra dictum Episcopum faciontes ei multa intulerunt obprobria, multasque contumelias irrogarunt, et nichilominus prefatus Candius unacum quibusdam aliis suis in hac parte sequacibus supra pulpitum ipsius ecclesie furibundus ascendens prefatum Episcopum, qui nulla erat excommunicatione ligatus, excommunicatum mendaciter publice nuntiavit: et licet sepedictus Episcopus memoratis Canonicis et Rectori, qui erant sententia maioris excommunicationis astricti, per se ot alios mandavisset, ut exirent ecclesiam supradictam, ne divinum officium perturbarent, ipsi tamen nedum quod prefatam ecclesiam exire voluerunt, sed potius clamantes et inferentes ipsi Epo terrores et minas compulerunt dictum Episcopum vestes sacras exuere, et ecclesiam supradictam exire, ac missam per ipsum inceptam, in qua usque ad decantationem Evangelii iam processum extiterat, relinquere imperfectam: et quod nephandius est auditu, prefati Canonici et sequaces in eadem ecclesia remanentes, calicem et vestes predictas super altare ipsius Episcopi dimissas per Episcopum memoratum contra voluntatem Capellani sui, qui custodiebat illa, per violentiam asportarunt, ea in sacristia ecclesie supradicte firmatis illius hostiis recludentes pro eorum libito voluntatis. Demum vero, predictis Canonicis et Rectore, complicibus ac sequacibus de ecclesia recedentibus supradicta, prefatus Episcopus ad ecclesiam rediit supradictam voleus missam resumere et perficere memoratam, sed propter calicis, vestium et ornamentorum predictorum defectum id adimplere nequivit. Cumque postmodum sepedictus Episcopus ibidem suo dimisso Vicario ad sedem apostolicam accessisset, prefati Canonici eundem Vicarium, quominus Vicarie officium sibi commissum oxercere libere posset, impediri noquiter presu-

mentes et graves iniurias inferentes eidem, illum exinde turpiter eiecerunt, alium constituentes in eadem ecclesia Polensi Vicarium, cui obedire clerum et populum temeritate propria compulerunt. Prebendam quoque, quam idem Episcopus sicut unus ex Canonicis Polensibus in eadem ecclesia percipere consuevit, per violentiam subtrahentes eidem auxerunt in eadem ecclesia Canonicorum numerum contra ipsius ecclesie statuta et canonicas sanctiones, eodem Episcopo minime requisito: prebendas vero ipsius ecclesie, et nonnullas ecclesias Polensis diocesis apud sedem predictam vacantes de facto, cum de iure nequiverint, contulerunt. Ac ipsi et sequaces et complices supradicti, et consanguinei eorumdem . . . Potestatem, Consules et Commune Civitatis Polensis adeo contra dictum Episcopum pravis eorum suggestionibus concitarunt, quod nonnulla bona eiusdem Episcopatus mobilia et immobilia, ac privilegia fructusque, redditus et proventus ad Episcopum et ecclesiam supradictos spectantes nequiter occupantes, quedam etiam saisiverunt, et illorum aliqua in proprie salutis dispendium, ot ipsorum Episcopi et ecclesie grave preiudicium dampnabiliter occupata et saisita detinere presumunt: diversa insuper statuta ac proclamationes facere contra ecclesiasticam libertatem, multaque alia gravia tam predicti quam alii singuli Canonici et Capitulum ecclesie supradicte ac Rector, sequaces, Potestas et Consules memorati contra dictos Episcopum et ecclesiam committere sunt conati, et adhuc inferre non desistunt eisdem, que in divine maiestatis offensam et contemptum apostolice sedis redundare noscuntur. Propter que dictus Episcopus et Iohannes de Fidelibus, tunc eiusdem Vicarius, in eosdem Canonicos, Rectorem, complices, sequaces, Potestatem et Consules excommunicationis, in dictum vero Capitulum suspensionis, et Universitatem prefatam interdicti sententias protulerunt iustitia exigente: et quia prefati Capitulum et nonnulle ecclesiastice persone exempte et non exempte civitatis et diocesis Polensis servare interdictum huiusmodi contempserunt, prefatus Epus singulares de ipso Capitulo et alias personas huiusmodi prebendis et beneficiis, que tunc temporis obtinebant, processu legitimo servato privavit: quas quidem sententias Canonici, Rector, Capitulum, complices et sequaces, Potestas, Consules et Universitas supradicti sustinuerunt per annum et amplius, et adhuc sustinent animis induratis. Quia vero tante temeritatis excessus nolumus, prout etiam nec debemus, sub dissimulatione transire, fraternitati vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus vos vel alter vestrum per vos, vel per alium seu alios Venetiis Castellane diocesis, vel alibi in districtu Venetiarum, vocatis qui fuerint evocandi, super premissis tam ex officio quam alias, prout vobis iustum videbitur, ac summarie, de plano, sine strepitu et figura iudicii procedentes, eos, quos inveneritis dictorum excessuum notorios patratores, sicut pro notoriis puniatis: super aliis vero diligentius inquirentes illos, quos reperitis in premissis fore culpabiles, vel interdictum huiusmodi non servantes, pena debita percellatis iuxta canonicas sanctiones. Excommunicationis vero, suspensionis et interdicti ac privationis sententias supradictas, si eas inveneritis rite latas, faciatis auctoritate nostra per censuram ecclesiasticam, appellatione remota, usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Et nichilominus ea, que de bonis ad mensem ipsius Epi spectantibus premissorum occasione, vel quocumque modo alienata inveneritis illicite vel distracta, ad ius et proprietatem eiusdem mense, et insuper quicquid inveneritis in ipsius Episcopi preiudicium temere attemptatum, postquam idem Episcopus iter arripuit ad sedem veniendi predictam, in statum debitum legitime revocare curetis, Contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo. Non obstantibus constitutionibus tam felicis recordationis Bonifacii pape VIII. predecessoris nostri, qua cavetur, ne quis ultra unam dietam a finibus sue diocesis ad iudicium evocetur, quam de duabus dietis edita in concilio generali, dummodo quis ultra terciam vel quartam dietam extra suam diocesim auctoritate presentium ad iudicium non trahatur. Datum Pictavis Kalendis Novembris, Pontificatus nostri Anno Secundo.

CLXXIX.

Benedictus, Gregorio episcopo resignanto, ecclesiae Suacinensi praeficitur in episcopum. Reg. An. III. ep. 232.

Clemens episcopus etc. Venerabili fratri Benedicto Episcopo Suacinensi, salutem etc. Apostolatus officium etc. Dudum siquidem Suacinensi ecclesia per liberam resignationem dilecti filii fratris Gregorii ordinis Minorum, tunc Suacinensis Episcopi, factam in manibus Venerabilis fratris P. Episcopi Sabinensis et dilecti filii nostrorum Iohannis tituli sanctorum Marcellini et Petri presbiteri Cardinalis, de mandato nostro resignationem huiusmodi recipientium, pastoris solatio destituta, Nos provisionem feciendam dicte ecclesie de prelato ea vice dispositioni nostre et sedis apostolice reservantes, decrevimus ex tunc irritum et inane, si secus super hiis contingeret attemptari. Et postmodum de ipsius

ecclesie ordinatione, ne prolixioris vacationis exposita maneret incommodis, cogitantes attento, ad te tunc Canonicum Antibarensem, virum quoque vite laudabilis, sufficientis scientie, discretionis et consilii maturitate conspicuum, nostre considerationis intuitum duximus dirigendum. Proinde igitur tam gregi dominico quam dicte ecclesie intendentes salubriter providero, te do predictorum Episcopi ot Cardinalis ac aliorum fratrum nostrorum consensu et apostolice plenitudine potestatis ipsi ecclesie in Episcopum preficimus et pastorem, curam et administrationem eiusdom ecclesie tibi in spiritualibus et temporalibus committendo, et subsequonter tibi fecimus per Venerabilem fratrom nostrum L. Episcopum Albanensem munus consecrationis impendi, in illo, qui dat gratias et largitur premia, confidentes, quod prefata ecclesia per tue industriam providencie a noxiis preservabitur et adversis, optate quoque prosperitatis spiritualiter et temporaliter proficiet incrementis. Quocirca fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenus impositum tibi onus a domino supportans humiliter, curam et administrationem predictas sic diligenter geras ac solicite prosequaris, quod ipsa gubernatori circumspecto ac fructuoso administratori gaudeat so commissam, et bone fame tue odor ex laudabilibus tuis actibus latius diffundatur, ac preter benedictionis eterne premium benivolentio nostre gratiam exinde plenius consequaris. Datum Pictavis VIII. Kal. Iannarii, Pontificatus nostri Anno Tertio.

In e. m. Dilectis filiis ... Archipresbitero ac Capitulo ecclesie Suacinensis.

CLXXX.

Hugo episcopus Arborensis ad ecclesiam Polensem transfertur. Reg. An. III. ep. 484.

CLEMENS EPISCOPUS etc. Venerabili fratri Hugoni Episcopo Polensi, salutem etc. Romani Pontificis etc. Nuper siquidem ecclesia Polensi, pro eo quod nos Venerabilem fratrem nostrum Oddonem Archiepiscopum Arborensem, tunc Episcopum Polensem, ad Arborensem ecclesiam, a cuius vinculo te tunc ei presidentem absolveramus, duximus transferendum, pastoris solatio destituta, Nos provisionem faciendam eidem Polensi ecclesie de prelato ea vice dispositioni nostre ot sedis apostolice duximus reservandam, decernentes ex tunc irritum et inane, si secus super hoc a quoquam scienter vel ignoranter contingeret attemptari. Et demum ad salubrem ipsius ecclesie provisionem, ne diutine vacationis experiretur incommoda, debitis vigiliis intendentes, et cupientes ei de tali providere pastore, qui illam gubernet utiliter et perservet a noxiis, ac votiva letitia consoletur, post deliberationem, quam super hoc habuimus diligentem, in te olim Episcopum Biblensem, tunc electum Arborensem, virum utique iuxta cor nostrum ydoneum, litterarum scientia preditum, morum gravitate decorum, religione conspicuum, in spiritualibus providum et temporalibus circumspectum, direximus oculos nostre mentis, sperantes in domino, quod per tuam circumspectionem providam et providentiam circumspectam eadem ecclesia votivis proficiet incrementis. Quibus omnibus diligenti meditatione pensatis, te a vinculo dicte Arborensis ecclesie, ut premittitur, absolutum de fratrum nostrorum consilio et apostolice plenitudine potestatis ad prefatam ecclesiam Polensem transferimus, ipsique preficimus in Episcopum et pastorem, curam et administrationem illius tibi in spiritualibus et temporalibus committendo, tibique dando plenam licentiam ad eandem Polensem ecclesiam libere transeundi, in illo, qui dat gratias et largitur premia, confidentes, quod ecclesia ipsa per tue circumspectionis industriam et providentiam circumspectam preservatur diligenter a noxiis et adversis, ac salubribus directa consiliis utilibus extolletur augmentis. Quocirca fraternitati tue por apostolica scripta mandamus, quatenus ad predictam Polensem ecclesiam sponsam tuam cum nostro gratia benedictionis accedens illius sollicitam curam geras, gregem dominicum in ea tibi commissum doctrina verbi et operis informando, ita quod eadem ecclesia diligentie tue studio laudabilibus, auctore domino, in spiritualibus et temporalibus proficiet incrementis, tuque nostram et dicte sedis gratiam uberius consequaris. Datum Pictavis XIIII. Kal. Aprilis, Pontificatus nostri Anno Tertio.

In e. m. Capitulo ecclesie Polensis et populo Civitatis et diocesis Polensis.

CLXXXI.

Urosio regi Rassie unionis causa cum ecclesia Latina ineundae symbolum fidei catholicae etc. pontifex transmittit, petitque, ut benigne recipiat et audiat nuntios apostolicos. Reg. An. III. epist. 1038.

CLEMENS EPISCOPUS etc. Magnifico viro Urosio Regi Rassie Illustri, gratiam in presenti, que perdncat ad gloriam in futuro. Benedictus deus et pater domini nostri Ihesu Christi, pater misericordiarum et deus totius consolationis, qui ubi vult spirat, sic novissime hiis diebus oculos tue mentis

aperuit radio nove lucis, ut excussa inde tenebrarum caligine in votis habeas sacrosancte Romane ecclesie matri fidelium et magistre in fidei veritate ac unitate coniungi. Multum quippe toneris deo, Princeps Karme, qui sic te oculo sue pietatis respiciens ad cognitionem et claritatem vere fidei clementer adducit, ex quo magnitudo tua promovebitur ad salutem, et solium tuum stabili vallabitur firmitate. Multum etiam letari debet mater ecclesia, et nos profecto multiplici alacritate perfundimur, quod diebus nostris tam nobilis ovis, tantusque populus ad ovile reducatur dominicum, et scismate aliisque pulsis erroribus, Christi corporis, quod ecclesia est, membrum effeoti in eo lucesant, perficiantur et vivant. Sane, Serenissime Princeps, tu pridem Spiritus sancti gratia illnstratus viros providos et discretos Marchum Lucari et Tufonem Michaelis, magnificentie tne nuntios, cum litteris Regiis ad nostram presentiam destinasti, qui huius tui propositi laudabile desiderium coram nobis et fratribus nostris prudenter et fideliter exponentes, a nobis inter alia supplicitor postularunt, ut te tamquam devotum filium ad gremium dicte ecclesie, et sub protectione ipsius benigne recipere dignaremur, tibique aliquos viros ydoneos apostolice sedis nuntios mitteremus, per quos tu et illi de Regno tuo in fide catholica et in via mandatorum domini possitis salubriter informari. Unde nos, qui Christi Vicarius et Petri Apostolorum Principis effecti, disponente domino, licet immeriti successores, ad ea precipue nostre cure prorogamus affectum, ac diligenti studio et studiosa diligentia sedulo vigilamus, ut errantes ad viam veritatis adducere, omnesque lucrifacere deo, sua nobis gratia suffraganto, possimus, habita super hiis, que iidem tui postularunt nuntii, cum predictis fratribus nostris discussione solenni, de ipsorum consensu pie decrevimus huiusmodi votis tuis libenter annuere, ipsasque petitiones tuas, quantum cum deo possumus, favorabiliter exaudire, si quod ore profers, corde crodas, et quod corde credis, opere compleas evidenter, tibi nichilominus tenore presentium declarantes, quid tibi ac ceteris sub tua ditione degentibus faciendum incumbit, ut ad sinum eiusdem ecclesie sano fretus consilio venias reverenter. Que si inspirante dño feceris, ipsa ecclesia mater piissima filio redeunti sinum largissime pietatis aperiens in tuos leta properabit amplexus.

Fides autem catholica, quam te, clerum et populum Regni tui profiteri, et a vobis recipi ac acceptari volumus, hec est. Credimus sanctam Trinitatem patrem et filium et spiritum sanctum unum deum omnipotentem, totamque in trinitate deitatem coessentialem et consubstantialem, coeternam et coomnipotentem, unius voluntatis et potestatis et maiestatis, creatorem omnium creaturarum, a quo omnia, per quem omnia, et in quo omnia, que sunt in celo et in terra visibilia et invisibilia, corporalia et spiritualia. Credimus singulam quamque in sancta trinitate personam unum verum deum, plenum et perfectum. Credimus ipsum filium dei verbum dei eternaliter natum de patre, consubstantialem, coomnipotentem et coequalem per omnia patri in divinitate, temporaliter natum de spiritu sancto ex Maria semper Virgine cum anima rationali, duas habentem nativitates, unam ex patre eternam, alteram ex matre temporalem, deum verum et hominem verum, proprium in utraque natura atque perfectum, non adoptivum nequo fantasmaticum, sed unum et unicum filium dei in duabus et ex duabus, divina scilicet et humana naturis, sed in unius persone singularitate, impassibilem et immortalem divinitate, sed in humanitate pro nobis et pro salute nostra passum, vera carnis passione mortuum et sepultum, et descendisse ad inferos, ac tertia die resurrexisse a mortuis vera carnis resurrectione, die quadragesimo post resurrectionem cum carne, qua resurrexit, et anima ascendisse in celum et sedere ad dexteram dei patris, inde venturum iudicare vivos et mortuos, et redditurum uniquique secundum opera sua, sive bona fuerint sive mala. Credimus etiam spiritum sanctum plenum et perfectum verumque deum ex patre et filio procedentem, coequalem et coessentialem, et coomnipotentem et coeternum per omnia patri et filio. Credimus hanc sanctam trinitatem non tres deos, sed unum deum omnipotentem, eternum, invisibilem et incommutabilem. Credimus sanctam catholicam et apostolicam unam esse veram ecclesiam, in qua unum datur baptisma, et vera omnium remissio peccatorum. Credimus etiam veram resurrectionem eiusdem carnis, quam nunc gestamus, et vitam eternam. Credimus etiam novi et veteris testamenti legis et prophetarum et apostolorum unum esse auctorem deum et dominum omnipotentem. Hec est vera fides catholica, hanc super dictis articulis tenet et predicat sacrosancta Romana ecclesia. Sed et propter diversos errores a quibusdam ex ignorantia, et ab aliis ex malitia introductos dicit et predicat eos, qui post baptismum in penam labuntur, non rebaptizandos, sed per veram penitentiam suorum posse consequi veniam peccatorum. Quod si vero penitentes in caritate decesserint, antequam dignis penitentie fructibus satisfecerint do commissis ot omissis, eorum animas penis purgatoriis post mortem purgari, et ad penas huiusmodi relevandas prodesse fidelium vivorum suffragia, missarum scilicet sacrificia, ora-

tiones et elemosinas, et alia pietatis officia, que a fidelibus pro aliis fidelibus fieri consueverunt secundum ecclesie instituta. Illorum igitur animas, que post sanctum baptisma susceptum nullam omnino peccati maculam, vel in suis manentes corporibus vel eisdem exute, prout superius dictum est, sunt purgate, in celum mox recipi; illorum autem animas, qui in peccato mortali, vel cum solo originali decedunt, mox in infernum descendere penis tantum disparibus puniendas eadem sancta Romana ecclesia credit et firmiter asseverat, et quod nichilominus in dio iudicii omnes homines ante tribunal Christi cum suis corporibus comparebunt, reddituri de factis propriis rationem. Tenet etiam et docet eadem Romana ecclesia septem esse ecclesiastica sacramenta, unum videlicet baptisma, de quo dictum est superius; aliud est sacramentum confirmationis, quod per manus impositionem soli Episcopi conferunt crismando renatos; aliud est penitentia; aliud est Eucharistia; aliud est sacramentum ordinis; aliud est matrimonium, aliud est extrema unctio, que secundum doctrinam beati Iacobi iufirmantibus exhibetur. Sacramentum Eucharistie ex azimo conficit eadem Romana ecclesia, tenens et docens, quod in azimis verum confici corpus Christi, quod te, clerum et populum tuum profitori volumus credere et tenore, et quod in ipso sacramento virtute divina panis transubstantiatur in corpus, et vinum in sanguinem domini Ihesu Christi. De matrimonio vero tenet, quod nec unus vir simul plures uxores, nec una mulier simul habere permittitur plures viros. Soluta vero lego matrimonii per mortem alterius coniugum secundas et tertias, et deinceps successivas nuptias licitas esse dicit, si impedimentum canonicum ex causa alia non obsistat. Ipsa quoque sacrosancta Romana ecclesia summum ot plenum primatum et principatum super universam catholicam ecclesiam obtinens, quem se ab ipso domino in beato Petro Apostolorum Principe, cuius Romanus Pontifex est successor, cum potestatis plenitudine recepisse veraciter et humiliter recognoscit, sicut pre ceteris tenetur fidei veritatem defendore, sic et si que de fide suborte fuerint questiones, suo debet iudicio diffiniro, ad quam potest gravatus quilibet in negotiis ad forum ecclesiasticum pertinentibus appellare. Sed et in omnibus causis ad examen (al. forum) ecclesiasticum spectantibus ad ipsius potest recurri iudicium, et eidem omnes ecclesie sunt subiecte, ipsarumque prelati obedientiam et reverentiam sibi debent: apud quam sic potestatis plenitudo consistit, quod ecclesias ceteras ad sollicitudinis partem admittit, quarum multas et patriarchales precipue diversis privilegiis eadem Romana ecclesia honoravit, sua tamen prerogativa tam in generalibus conciliis quam in aliis semper salva.

Que vero circa reditum tuum ad unionem sancte Romane ecclesie ac scisma eminus profugandum exigimus, inferius annotantur. In primis quod Symbolum Niceni concilii Credo in unum deum in ecclesiis Regni tui et terrarum tibi subiectarum in ea parte, ubi do spiritus sancti processione in eo agitur, cantetur publice, dum missarum solennia celebrantur, et sic etiam doceatur populus: Et in spiritum sanctum dominum et vivificantem, qui ex patre filioque procedit. Et quod tu, prelati clerus, Callogeri et populus dicti Regni tui profiteamini Romanum Pontificem esse Christi Vicarium et beati Petri apostoli successorem, eandemque potestatem habere ligandi atque solvendi, quam idem apostolus noscitur habuisse, ac ipsam etiam Romanam ecclesiam super omnes obtinere primatum et etiam principatum. Quodque tu pro te et pro populo tuo obedientiam et reverentiam eidem promittas ecclesio, ac prelati eiusdem Regni pro se et clero suo hac prima vice eadem ipsa iurent, omni scismate primitus abiurato. Et quod Archiepiscopi, Episcopi, Abbates, Archimandrite Regni tui per electionem canonicam eligantur, sive etiam postulentur: ita quod inferiores prelati suarum electionum confirmationes a superioribus suis recipiant, Epi vero a Metropolitanis suis confirmationem et consecrationem; Metropolitani autem has et palleum, in quo Pontificalis plenitudo designatur officii, sine preiudicio Constantinopolitane sedis et Patriarcharum, qui erunt ibidem, gratiam et communionem apostolice sedis habentium, si forsitan Regnum tuum vel aliqua eius pars de patriarchatu dicte Constantinopolitane sedis existat, suscipiant ab apostolica sede predicta, regali potestate et qualibet alia laicali nichil sibi in hiis quomodolibet vendicante. Latinorum ecclesias in Regno tuo positas per te vel alium occupatas dimittas libere, et ab aliis facias omnino dimitti. Latinos in honorem habeas et precipue sacerdotes: eorum a te et hominibus Regni tui non declinentur misse neque sacrificia, sed pro loco et tempore cum omni reverentia audiantur.

Verum ut tante salutis opus ac tanti boni felix auspicium optatum, favente deo, sortiantur effectum, ecce Venerabilem fratrem nostrum Egidium Patriarcham Gradcnsem, et dilectos filios fratres Lapum Predicatorum et Artinisium Minorum fratrum ordinum procuratores in Romana curia generales, latores presentium, viros utique vita et religione conspicuos, honestate decoros, sacre scripture scientia preditos, ac nobis et dictis fratribus nostris acceptos, pro hiis exequendis ad tuam magnitudinem

tanquam salutis et pacis angelos iuxta tue petitionis instantiam destinamus, quorum salutaribus eruditionibus, faciente illo, in cuius manu Regum corda consistunt, ipsum dominum Ihesum Christum perfecte cognosces, et sunm gloriosum nomen catholice fidei observatione colere non postpones, ac status tuus super firmam petram ecclesie apostolice solidatus spiritualibus et temporalibus proficiet incrementis, tuque demum coronam perennis glorie consequeris. Rogamus itaque Serenitatem Regiam, monemus et hortamur attente, per aspersionem pretiosi Christi Sanguinis obsecrantes, quatenus de tua tuique populi salute cogitans, prefatos nostros nuntios propter hoc ad tuam excellentiam accedentes ob reverentiam apostolice sedis et nostram benigne recipias, et honorificentia condigna pertractes, ac sic attente prebeas ipsorum salutaribus monitis aures tuas, ut verba, que ex parte tua predicti tui retulerunt nuntii, per oxhibitionem operum compleantur, et spes, quam de tua laudabili intentione concepimus, fructus nobis ot ipsi ecclesie afferat concupitos, tuque preter divine retributionis premium nostram et dicte sedis gratiam uberius merearis. Datum Pictavis Kal. Aprilis, Pont. nostri Anno Tertio.

In e. m. Venerabili fratri Egidio Patriarche Gradensi, ot dilectis filiis fratribus Lapo Predicatorum et Artinisio Minorum fratrum ordinum procuratoribus in Romana curia generalibus.

CLXXXII.

Gregorio de Cataro et Henrico de Arimino ex ord. Minor. et Praedicat. indulgetur, ut cum sociis morari possint apud praedictum regem Rassiae. Reg. An. III. ep. 22.(1039.) fol. 226.

Clemens episcopus etc. Dilecto filio fratri Gregorio de Cataro ordinis fratrum Minorum, salutem etc. Cum magnificus vir Urosius Rex Rassie Illustris, ut regnet in celis, in votis habeat sacrosancte Romane ecclesie matri fidelium ot magistri in fidei veritate ac unitate coniungi, cupiatque, sicut asserit, fratrum tui ordinis uti consortio, eorumque consiliis et instructionibus in hiis, que dei sunt, plenius informari: Nos laudabile suum in hac parte propositum dignis in domino laudibus commendantes, et gerentes de circumspetione ac sinceritate tua fiduciam pleniorem, tibi et socio tuo dicti ordinis, quem Minister tuus provincialis tibi deputandum duxerit, morandi cum eodem Rege usque ad nostrum et apostolice sedis beneplacitum in locis decentibus, demum postquam illa, que tam circa catholicam fidem, quam circa cetera in aliis nostris dicto Regi directis litteris comprehensa per eundem Regem fuerint sine simulatione completa, et eundi extra terram dicti Regis, cum necessitas id exegerit, pro exequendis negotiis eiusdem Regis et Regni, prout secundum deum anime sue saluti et predicti Regni utilitatibus expedire cognoveris, quotiens ab eodem Rege te mitti contigerit, auctoritate presentium indulgemus. Volumus tamen, quod tu propterea ab obedientia tui superioris et ordinis nullatenus in aliis eximaris. Nulli ergo etc. nostre concessionis etc. Datum Pictavis Kal. Aprilis, Pont. nostri Anno Tertio.

In e. m. Dilecto filio fratri Henrico de Arimino ordinis Predicatorum. Datum ut supra.

Item ... Patriarche Aquilegensi necnon et ... Archiepo Iadrensi etc. ut predictos benigne recipientes et honeste tractantes de securo conductu etc. provideant.

CLXXXIII.

Archiepiscopo Iadrensi committitur, ut Banum et populum Croatiae a quadam excommunicationis sententia absolvat. Reg. An. VI. ep. 489. fol. 122.

Clemens episcopus etc. Venerabili fratri ... Archiepiscopo Iadrensi, salutem etc. Oblata nobis pro parte dilecti filii nobilis viri Bani Pauli Chroatorum Bosneque domini potitio continebat, quod cum ipse Banus, filii, gentes et subditi sui vendendo, emendo et participando cum Venetis excommunicationis incurrerint sententias per nos generaliter promulgatas contra ipsos Venetos, ementes et participantes cum eis, occasione generalis rebellionis per Venetos ipsos contra nos et sanctam Romanam ecclesiam in occupatione civitatis Ferarie, et precipue Castri Thebaldi, Burgi, Pontis et Turris, iuxta ipsum pontem dicte civitatis olim temere attentate, prout in processibus et sententiis nostris exinde plenius continentur, dictusque Banus, filii, gentes et subditi eorum recognoscentes reatum ulterius cum Venetis, quatenus habere commercia non intendant, ot de habitis doleant, debitaque penitentia astringantur, nobis supplicari fecerunt humiliter, ut providere eis super hoc de absolutionis beneficio misericorditer dignaremur. Nos itaque attendentes, quod ipsa mater ecclesia nunquam claudit gremium redeunti, ac volentes mite et misericorditer agere cum eisdem, fraternitati tue presentium auctoritate commictimus et mandamus, quatenus per te vel alium, quom ad hoc duxeris deputandum, ipsos Banum, filios, gentes et subditos a dicta excommunicationis sententia absolvas auctoritato nostra iuxta formam

ecclesie consuetam, imposita eis propter hoc penitentia salutari. Volumus autem et presentium tenore decernimus, ut prenominati Banus, filii, gentes et subditi nulla ulterius comercia habeant cum Venetis antedictis, sed integraliter processus observent habitos contra eos, donec Veneti ipsi de rebellionibus, inobedientiis et aliis per eos occasione predicta habitis nostram moruerint et apostolice sedis gratiam obtinere. Quod si secus fecerint, eo ipso in eamdem excommunicationis sententiam relabantur. Datum in Prioratu de Grausello prope Malausanam Vasionensis diocesis x. Kal. Iulii, Pont. nostri Anno Sexto.

CLXXXIV.

Bartholomeus diaconus Tranensis ecclesie Ragusine in archiepum praefcitur. Reg. An. VII. ep. 740. fol. 153.

CLEMENS EPISCOPUS etc. Venerabili fratri Bartholomeo Electo Ragusino, salutem etc. Celestis dispositione consilii, per quod in mundi machina ordinationem suscipiunt universa, supreme dignitatis fastigio licet immeriti presidentes etc. Dudum siquidem Ragusina ecclesia per obitum bone memorie Bonaventure Archiepiscopi Ragusini solatio destituta pastoris, dilecti filii Capitulum ipsius ecclesie dilectum filium Iacobum Archidiaconum Barensem in Ragusinum Archiepiscopum per viam scrutinii concorditer elegerunt: sed eodem Archidiacono huiusmodi electioni de se facte presentate sibi ex parte dictorum Capituli renuente pro sue voluntatis libito consentire, memorati Capitulum, vocatis omnibus qui voluerunt, debuerunt et potuerunt commode interesse, die ad eligendum prefixa, ut moris est, convenientes in unum, post varios et diversos tractatus, qui sortiti effectum aliquem non fuerunt, te Canonicum Tranensem in diaconatus ordine constitutum per viam etiam scrutinii in Ragusinum Archiepiscopum unanimiter elegerunt: tuque postmodum ad instantiam dictorum Capituli huiusmodi electioni de te facte consentiens, propter hoc ad sedem apostolicam personaliter accessisti. Et demum tam tu per te ipsum, quam iidem Capitulum per eorum certos procuratores et nuntios ad nos propter hoc specialiter destinatos, presentato nobis dicte electionis decreto, a nobis suppliciter postulastis, ut confirmare electionem huiusmodi dignaremur, in premissis omnibus statutis a iure temporibus observatis. Nos igitur huiusmodi tuam electionem non tamen persone tue vitio, sed certis aliis de causis de fratrum nostrorum consilio decrevimus irritam et inanem. Postmodum autem attenta meditatione pensantes dispendia, dampna et incommoda, que proveniunt ex vacatione longinqua ecclesiis pastoribus viduatis, et volentes dictam ecclesiam, prout tenemur, iuxta officii nostri debitum ab huiusmodi dispendiis et incommodis preservare; attendentes quoque tam concordem dictorum Capituli voluntatem, quam in huiusmodi electione de te habita habuisse dicuntur, quam litterarum scientiam, honestatem morum et vite, aliaque multiplicia tue merita probitatis, quibus esse diceris multipliciter insignitus, per que firma ducti fiducia presumimus verisimiliter et tenemus, quod eadem ecclesia Ragusina in suis poterit manuteneri iuribus, ac etiam defensari, post vigilem, quam ad preficiendum eidem ecclesie Ragusine apposuimus, diligentiam ad te nostre considerationis intuitum duximus dirigendum. Quapropter volentes eidem ecclesie Ragusine salubriter providere, te de dictorum fratrum consilio et apostolice plenitudine potestatis eidem ecclesie in Archiepiscopum preficimus et pastorem, curam et administrationem eiusdem ecclesie tibi in spiritualibus et temporalibus committendo, firma spe fiduciaque concepta, quod dirigente domino actus tuos eadem Ragusina ecclesia per tue circumspectionis industriam prospere dirigetur, et salubria, dante domino, suscipiat incrementa. Quocirca discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatonus impositum tibi onus a domino suscipiens reverenter, te in ipsius ecclesie ampliandis honoribus et profectibus procurandis sic reddas sine intermissione sollicitum, gregem dominicum in illa vigilantie tue commissum doctrina verbi et operis informando, ut exinde apud remotos et proximos tua fama clareat per effectum, et in delectationem nobis veniat te oportuno tempore gratiose prosequi, ac tuis desideriis favorem benivolum impertiri. Datum in Prioratu de Grausello prope Malausanam Vasionensis diocesis Nonis Iulii, Pontificatus nostri Anno Septimo.

In e. m. Capitulo ecclesie Ragusine, Clero et populo Civitatis et diocesis Ragusine, universis Vassallis ecclesie Ragusine et universis Suffraganeis ecclesie Ragusine.

CLXXXV.

Nicolaus ex ord. Praedicat. ecclesiae Iadrensi in archiepiscopum praefcitur. Reg. An. VII. ep. 786.

CLEMENS EPISCOPUS etc. Dilecto filio Nicolao Electo Iadrensi, salutem etc. Debitum pastoralis officii etc. Olim siquidum ecclesia Iadrensi per obitum bone memorie Iacobi Archiepiscopi Iadrensis pastoris solatio destituta, dilecti filii Capitulum eiusdem ecclesie dilectum filium Alexandrum ordinis

Predicatorum in eorum Archiepiscopum elegerunt: ac postmodum huiusmodi electionis negotio ad audientiam nostram deducto, nos electionem ipsam et quicquid ex ea vel ob ipsam secutum forsan extitit, non vitio persone dicti Alexandri, sed certis aliis de causis auctoritate apostolica duximus mutandam. Ac demum ad provisionem ipsius ecclesie Iadrensis, ne prolixe vacationis remaneret detrimentis exposita, cepimus intendere diligenter, et post deliberationem quam super hoc cum fratribus nostris habuimus studiosam, tandem ad te ordinem antedictum professum, in sacerdotio constitutum, litterarum utique scientia preditum, Regularis observantie firmitate laudabilem, morum ac vite honestate decorum, discretionis et alias virtutis multiplicis gravitate conspicuum, direximus aciem nostre mentis: quibus omnibus diligenti meditatione discussis, de persona tua nobis et eisdem fratribus tuorum exigentia meritorum accepta predicte Iadrensi ecclesie duximus providendum, teque ipsi ecclesie de ipsorum fratrum consilio et apostolice potestatis plenitudine in Archiepiscopum prefecimus et pastorem, curam et administrationem eiusdem ecclesie Iadrensis in spiritualibus et temporalibus tibi plenarie committentes, subsequenter tibi munus consecrationis nostris manibus impendendo, in eo qui dat gratias et largitur premia confidentes, quod dicta ecclesia sub tuo felici regimino, doxtera domini tibi assistente propitia, regetur salubriter et prospere dirigetur. Quocirca discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus impositum tibi onus a domino suscipiens reverenter, curam ot administrationem huiusmodi sic geras fideliter et sollicite prosequaris, quod prelibata ecclesia Iadrensis per tue vigilantie studium votivis, auctore domino, amplietur commodis et felicibus proficiat incrementis, tuque preter eterne retributionis premium nostram et sedis apostolice benedictionem et gratiam consequi uberius merearis. Datum in Prioratu de Grausello prope Malausanam Vasionensis diocesis II. Kal. Augusti, Pontificatus nostri Anno Septimo.

In e. m. Dilectis filiis Capitulo Ecclesie Iadrensis, Clero et populo Civitatis et diocesis Iadrensis, et Venerabilibus fratribus Suffraganeis ecclesie Iadrensis.

CLXXXVI.

Bartholomaeo electo Ragusino indulgetur, ut presbiteratum et munus consecrationis a quocumque maluerit antistite catholico recipere possit. Reg. An. VII. ep. 701.

CLEMENS EPISCOPUS etc. Venerabili fratri Bartholomeo electo Ragusino, salutem etc. Cum nuper Ragusine ecclesie tunc vacanti de te, tunc Canonico Tranensi in diaconatus ordine constituto, de fratrum nostrorum consilio duximus providendum, preficiendo te illi in Archiepiscopum et pastorem, tibique curam et administrationem ipsius ecclesie in spiritualibus ot temporalibus committendo, prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur: Nos ad ea, que ad tue commoditatis augmentum cedere valeant, favorabiliter annuentes, tuis supplicationibus inclinati, ut Venerabilis frater noster Archiepiscopus Tranensis, vel quivis alius Antistes catholicus gratiam et communionem apostolice sedis habens presbiteratus ordinem conferre, ac demum ascitis secum duobus vel tribus aliis Episcopis catholicis similem gratiam et communionem habentibus, quas malueris, munus consecrationis impendere tibi possit, tuque ab eo huiusmodi ordinem atque munus recipere valeas, sibi et tibi auctoritate presentium indulgemus. Datum in Prioratu de Grausello prope Malausanam Vasionensis diocesis XIIII. Kal. Septembris, Pontificatus nostri Anno Septimo.

CLXXXVII.

Nicolao archiepiscopo Iadrensi pallium conceditur. Reg. An. VII. ep. 884.

CLEMENS EPISCOPUS etc. Venerabili fratri Nicolao Archiepiscopo Iadrensi, salutem etc. Nuper Iadrensi ecclesie tunc vacanti de persona tua duximus providendum, perficiendo te illi in Archiepum et pastorem, ac curam et administrationem ipsius ecclesie tibi in spiritualibus et temporalibus committendo, tibique postmodum consecrationis munus nostris manibus duximus impendendum. Cumque demum palleum, insigne videlicet Pontificalis officii, a nobis cum ea qua decuit instantia postulasses, Nos tuis supplicationibus annuentes, illud de corpore beati Petri sumptum per dilectos filios nostros Landulfum sancti Angeli et Guillelmum sancti Nicolai in Carcere Tulliano diaconos Cardinalis tibi fecimus exhiberi. Tu autem illo intra ecclesiam tuam illis diebus dumtaxat utaris, qui expressi in ipsius ecclesie privilegiis continentur. Ut igitur signum non discrepet a signato, sed quod geris exterius, intus serves in mente, fraternitatem tuam monemus etc. usque augmentar. Datum in Prioratu Grausello prope Malausanam Vasionensis diocesis v. Kalendas Septembris, Pontificatus nostri Anno Septimo.

EPISTOLAE IOANNIS PP. XXII.

CLXXXVIII.

Benedictus episcopus Suacinensis ad ecclesiam Ragusinam transfertur. Reg. An. I. part. 4. ep. 3365.

IOHANNES EPISCOPUS etc. Venerabili fratri Benedicto Archiepiscopo Ragusino, salutem etc. Quam sit onusta dispendiis, quam plena periculis quantaque discrimina secum trahat diutina ecclesiarum vacatio, sollicite considerationis indagine perscrutantes etc. Nuper siquidem ecclesia Ragusina ex eo pastoris regimine destituta, quod nos Venerabilem fratrem nostrum Bartholomenm Tranensem tunc Ragusinum Archiepiscopum a vinculo, quo tenebatur dicte ecclesie Ragusine, cui tunc preerat, absolventes ipsum ad Tranensem ecclesiam tunc pastore carentem duximus transferendum, proficiendo eum ipsi ecclesie Tranensi in Archiepiscopum et pastorem. Postmodum vero de provisione ipsius ecclesie Ragusine, ne vocationis dispendia prolixa (incurrat), sollicite cogitantes, post deliberationem, quam de proficiendo eidem ecclesio Ragusino personam ydoneam, que sibi preesset salubriter et prodesset, cum nostris fratribus habuimns diligenter, ad te tunc Episcopum Suacinensem, consideratis muneribus gratiarum, quibus personam tuam dominus multipliciter insignivit, quodque tu eo iugiter de virtute proficisceris ardentius in virtutem, quo ex mutatione illius ad altiora noveris te promotum, direximus oculos mentis nostre: quibus omnibus debita meditatione pensatis, te a vinculo, quo tenebaris ecclesie Suacinensi predicte, cui tunc proeras, absolvimus, et ad prefatam ecclesiam Ragusinam transtulimus de fratrum nostrorum consilio et apostolico plenitudine potestatis, proficiendo te ipsi ecclesie Ragusine in Archiepum et Pastorem, liberam tibi concedendo licentiam ad prefatam Ragusinam ecclesiam transeundi, curamque et administrationem ipsius tibi in spiritualibus et temporalibus committendo, et deinde palleum de corpore beati Petri sumptum, insigne videlicet Pontificalis officii, a te cum ea qua decuit instantia postulatum per dilectum filium nostrum Napoleonem sancti Adriani diaconi Cardinalis tibi fecimus exhiberi, firma spe fiduciaque tenentes, quod cum sis vir vite laudabilis et conversationis honeste, litterarum scientia preditus, morum honestate decorus, in spiritualibus providus et in temporalibus circumspectus, eadem Ragusina ecclesia sub tuo felici regimine, gratia tibi suffragante divina, salubriter et prospere dirigetur. Quocirca fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenus impositum tibi honus a domino devote supportans, sic curam et administrationem predictam diligenter gerere studeas et utiliter prosequaris, quod eadem ecclesia Ragusina sub tua vigilantia votivis iugiter amplietur commodis et felicibus proficiat incrementis, tuque proinde vestram et dicte sedis gratiam tanquam benedictionis filius uberius consequi merearis. Datum Avinione VIII. Idus Iulii, Pontificatus nostri Anno Primo.

In e. m. Dilectis filiis Capitulo ecclesie Ragusine, et populo Civitatis et diocesis Ragusine.

CLXXXIX.

Petrus ex ord. Praedicat. ecclesiae Ragusinae in archiepiscopum praeficitur. Reg. An. II. part. 1. ep. 380.

IOHANNES EPISCOPUS etc. Venerabili fratri Petro Archiepiscopo Ragusino, salutem etc. Universalis ecclesie regimini nos quamquam immeriti disponente domino presidentes, ad statum ecclesiarum omnium, quantum nobis ex alto conceditur, feliciter dirigendum aciem nostre considerationis extendimus, super illis vigilamus assiduo, operamque circa statum huiusmodi curamus impendere studiosam: sed presertim eccleaiis, quas suis propriis pastoribus destitutas fore conspicimus, eo bonignins consulimus et celerius subvenimus, quo manere periculosius viduate graviusque perferre prolixe vocationis incommoda dinoscuntur. Vacante siquidem ecclesia Ragusina per obitum bone memorie Benedicti Archiepi Ragusini, qui nuper apud sedem apostolicam debitum nature persolvit, Nos attendentes, quod nullus preter nos de ordinatione ipsius ecclesie se hac vice intromittere poterat, pro eo quod nos dudum ante vacationem hniusmodi provisiones omnium ecclesiarum tam Cathedralium quam aliarum, quas apud sedem

eandem vacare contingeret, dispositioni nostre duximus auctoritate apostolica reservandas, decernendo extunc irritum et inane, si secus super hiis a quoquam scienter vel ignoranter contingeret attemptari, de preficiendo ipsi eccelesie personam utilem ac etiam fructuosam sollicite cepimus cogitare, ac post deliberationem, quam exinde cum fratribus nostris attentam habuimus, demum in te ordinem fratrum Predicatorum expresse professum, in sacerdotio constitutum, cui de religione zelo, litterarum scientia, vite munditia, honestate morum, aliisque virtutum donis fidedigna testimonia perhibentur, intuitum direximus nostre mentis, ac de porsona tua nobis et eisdem fratribus premissis consideratis accepta,, eidem ecclesie Ragusine de fratrum ipsorum consilio et apostolico potestatis plenitudine duximus providendum, teque illi proficimus in Archiepiscopum et pastorem, curam et administrationem eiusdem ecclesie tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, et deinde munus consecrationis tibi per Venerabilem fratrem nostrum Nicolaum Episcopum Ostiensem impendi, tibique subsequenter palleum de corpore beati Petri sumptum, plenitudo videlicet pontificalis officii, a te cum ea qua decuit instantia postulatum, per dilectos filios nostros Neapoleonem sancti Adriani et Iacobum sancti Georgii ad Velum aureum, ac Iohannem sancti Theodori diaconos Cardinales fecimus exhiberi, in eo qui bonorum largitor est omnium confidentes, quod dictam ecclesiam more boni pastoris gubernabis et reges utiliter et et prudonter, eamque, deo propitio, fideliter conservabis in suis iuribus et pro viribus, favente domino, adaugebis. Quocirca fraternitatis tue per apostolica scripta mandamus, quatenus impositum tibi onus a domino devote supportans, curam et administrationem prodictas sic circumspecte geras et sollicite prosequaris, gregem dominicum in ea tuc oure commissum salubriter conformando, et regendo etiam salutariter temetipsum, quod inibi verbo proficias pariter et exemplo, et ipsa ecclesia per tue diligencie studium honoribus et commodis augeatur, ac exinde preter eterne retributionis premium nostre et eiusdem sedis benedictionis et gratio mnnero somper te susceptibilem constituas atque dignum. Datum Avinione XIII. Kal. Decembris, Pontificatus nostri Anno Socundo.

In e. m. Dilectis filiis Capitulo Ragusino, et Clero Civitatis et diocesis Ragusine.

CXC.

Zacharias ex ord. Praedicat. ecclesiae Suacinensi in episcopum praeficitur. Reg. Aa. II. par. 2. ep. 1735.

IOHANNES EPISCOPUS etc. Venerabili fratri Zacharie Episcopo Suacinensi, salutem etc. Cum pastoralis officii nobis super ounctis orbis ecclesias superna dispositione commissi sollicitat mentem nostram, ut de ipsis eccleaiis pro statu earum salubri et prospero sollicite cogitemus: sed de illis precipue, quas intuemnr vacacionnm dispendiis subiacere, attencius cogitamus, ut eis, cum expedit, per nostre providencie studium preficiantur pastores ydonei, qui sciant et possint eisdem ecclesiis preesse utiliter et prodesse. Dudum siquidem vacante ecclesia Suacinensi per translacionem per nos factam de bono memorio Benedicto Archiepiscopo Ragusino, olim Suacinensi Episcopo, tunc apud sedem apostolicam personaliter constituto, ad ecclesiam Ragusinam tunc pastore carentem, nos attendentes, quod nullus preter nos de provisione ipsius ecclesie Suacinensis ea vice se intromittere poterat, pro eo quod nos diu ante vacacionem huiusmodi omnes Cathedrales et alias ecclesias tunc apud sedem ipsam vacantes, et in antea vacaturas dispositioni nostre duximus reservandas, decernendo ex tunc irritum et inane, si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari, de preficiendo eidem ecclesie Suacinensi personam iuxta cor nostrum ydoneam cogitare cepimus diligenter: et post deliberationem, quam exinde cum fratribus nostris attentam habuimus, tandem in te ordinem fratrum Predicatorum professorem, in sacerdotio constitutum, cui sacre religionis zelus, vite mundicia, morum gravitas, litterarum sciontia aliaquo virtutum insignium dona suffragari noscuntur, intuitum direximus nostre mentis: ac de te premissis in persona tua debita meditatione pensatis dicte Suacinensi ecclesie de fratrum predictorum consilio auctoritate apostolica providimus, teque ipsi ecclesie Suacinensi prefecimus in Episcopum et pastorem, curam et administrationem illius tibi tam in spiritualibus quam in temporalibus plenarie committendo, et deinde per Venerabilem fratrem nostrum Nicolaum Episcopum Ostiensem munus tibi fecimus consecrationis impendi, in eo qui dat gratias et largitur premia confidentes, quod eandem ecclesiam Suacinensem, dextera domini tibi assistente propitia, laudabiliter gubernabis, ipsaque per tuam industriam et doctrinam salutis et prosperitatis, auctore domino, suscipiet incrementa. Iugum itaque dominicum tam leve collis humilibus quam suave tuis impositum humeris supportans humiliter, curam et administracionem predictas exerceas fideliter sollicite ac prudenter, ita quod de villicacione tibi credita dignam domino possis reddere racionem, et a nobis et sede predicta

uberem benedictionem et graciam ampliorem percipere mereris. Datum Avinione XVII. Kal. Augusti, Pontificatus nostri Anno Secundo.

CXCI.

Iudicibus, ut de concessione cuiusdam monasterii fratribus Minoribus Traguriensibus facta se informent et pontifici referant. Reg. An. II. par. 2. ep. 2065.

IOHANNES EPISCOPUS etc. Venerabili fratri ... Episcopo Farensi, et dilecto filio ... Plebano ecclesie sancti Petri novi Iadrensis, salutem etc. Dilectus filius frater Michael Minister generalis fratrum ordinis Minorum in nostra proposuit presentia constitutus, quod cum Mladinus Princeps Croatie et Bosne in provincia Sclavonie pararet se cum exercitu suo tam per mare quam per terram ad veniendum contra civitatem Traguriensem, Cives Traguriensis timentes, ne per locum fratrum Minorum situm extra dictam civitatem, sed vicinum tamen menibus civitatis eiusdem, dicta civitas expugnaretur facilius, et etiam caperetur, locum ipsum occasione huiusmodi funditus destruxerunt: ad quorum Civium preces Venerabilis frater noster ... Episcopus Traguriensis de consilio et assensu Capituli sui locum Monasterii sancti Iohannis Traguriensis olim ordinis sancti Benedicti (et) quondam ... Abbatis et Conventus eiusdem Monasterii, qui dictum Monasterium volebant dimittere, sicut postmodum dimiserunt, qui siquidem Abbas et Conventus se ad quoddam alind cis concessum Monasterium se transtulisse dicuntur, duxit auctoritate ordinaria concedendum, pront in instrumento publico inde confecto plenius dicitur contineri. Nos igitur volentes super premissis plenius informari, ac de circumspectione vestra plenam in domino fiduciam obtinentes, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus vos vel alter vestrum, vocatis qui fuerint evocandi, de premissis omnibus et singulis simpliciter et de plano, absque strepitu et figura iudicii vos plenius informetis, et quicquid super hiis inveneritis, nobis per vestras patentes litteras harum seriem continentes fideliter intimetis, ut ex relatione vestra instructi, quid super hiis faciendum fuerit, secnrius agere valeamus. Datum Avinione XIII. Kalendas Septembris, P. n. Anno Secundo.

CXCII.

Cum Stephano quondam Stephani bani Bosnensis et filia comitis de Ortenburg de matrimonio incundo dispensatur. Reg. An. III. Com. ep. 703. fol. 224.

IOHANNES EPISCOPUS etc. Dilecto filio Nobili viro Stephano nato quondam Stephani Bani Bosnensis, salutem etc. Apostolice sedis prudencia circumscripta rigorem nonnunquam mansuetudine temperans, quod negat iuris severitas, de gracia benignitatis indulget, prout personarum, locorum et temporum condicione pensata id in deo conspicit salubriter expedire. Peticio siquidem dilecti filii Mladini Bani nobis exhibita continebat, quod tu fervore fidei et devotionis accensus ad exterminium pravitatis heretice, que in Bosnensi patria a multo iam tempore dampnabiliter pululavit, aspiras, et ut id eo efficacius exercere valeas, quo maiorum illarum partium potencia fueris et favore suffultus, desideras dilecte in Christo filie Nobili muliori ... nate Nobilis Menhardi Comitis de Orthenborch, cuius potenciam et suorum utpote magnatum partium predictarum ad hoc tibi asseris plurimum oportunam, matrimonialiter copnlari. Verum quia dicta Nobilis est tibi quarto gradu consanguinitatis coniuncta, idem Mladinus nobis humiliter supplicavit, tibi dicteque Nobili super hoc de apostolice dispensationis gracia provideri. Nos igitur premissa debita meditatione pensantes, et ingenti desiderio affectantes, ut in partibus predictis et ubicumque locorum dicte pravitatis erroribus extirpatis plenitudo prefate fidei vigeat, et Maiestas eius, cuius insufficientibus meritis vices in terris gerimus, indefessis landum preconiis veneretur, horum considerationc inducti, dictique Mladini snpplicationibus inclinati, ut tu dictaque Nobilis matrimonium invicem contrahere licite valeatis, impedimento, quod ex iam dicta consanguinitate provenit, non obstante, vobiscum auctoritate apostolica dispensamus. Nulli ergo etc. nostre dispensationis etc. Datum Avinione XV. Kal. Augusti, Pontificatus nostri Anno Tercio.

CXCIII.

Archiepiscopo Ragusino eiusque collegis, ut archiepiscopum Antibarensem ad comparendum coram pontifice citent. Reg. An. IV. ep. 477. fol. 247.

IOHANNES EPISCOPUS etc. Venerabili fratri ... Archiepiscopo Ragusino, et dilectis filiis ... Archidiacono Catharensi ac ... Gardiano fratrum ordinis Minorum Ragusinorum, salutem etc. Que sacrorum canonum reverencie detrahunt et alias canonicis obviant institutis, merito debet Romani Pontificis

auctoritas detestari, taliumque presumptores, et presertim cum pontificali dignitate preeminent, canonice ulcionis virga percellere, ne in exempli perniciem transeant aliorum. Sane dilecti filii Capitulum ecclesie Antibarensis per dilectum filium Iohannem Zaulini eiusdem ecclesie Canonicum, dictorumque Capituli procuratorem ad hoc specialiter destinatum, in nostra et fratrum nostrorum presencia fecere proponi, quod Venerabilis frater noster Andreas Archiepiscopus Antibarensis, si ei veneracionis denominacio debeatur, tam propria salute neglecta quam ipsorum auctoritate canonum vilipensa, sensum datus in reprobum palleum, insigne videlicet pontificalis officii, quod ab ecclesia Romana receperat, pignoris nomine obligavit, aliud adulterinum palleum fabricari fecit, ipsoque adulterino uti sub specie veri pallei non veretur; quodque non attento quod Antistitum depositio soli est Romano Pontifici reservata, Venerabilem fratrem nostrum Michaelem Epum Abbanensem(sic) Suffraganeum suum propria temeritate deposuit, et loco ipsius Michaelis de facto quendam Abbatem illarum partium in Episcopum subrogavit; et quod inulta alia enormia commisit et committere non cessabat in sue salutis dispendium, perniciosum exemplum et scandalum plurimorum, quodque super premissis apud bonos et graves erat publice diffamatus. Volentes itaque super hoc et in aliis morem laudabilis gravitatis predecessorum nostrorum Romanorum Pontificum observare, non facile huiusmodi propositis fidem curavimus adhibere, sed dilecto filio nostro Iacobo sancti Georgii ad Velum aureum diacono Cardinali duximus commictendum, ut apud sedem prefatam, an idem Archiepiscopus super huiusmodi propositis infamia laboraret, inquireret per indaginem non sollempnem. Verum quia per deposiciones quorumdam fidedignorum testium per dictum Cardinalem super hiis apud sedem receptorum eandem compertum extitit, prout idem Cardinalis retulit fideliter coram nobis nostrisque fratribus supradictis, eundem Archiepiscopum fore apud bonos et graves publice diffamatum; quod ipse Archiepiscopus prelibatum palleum, quod a dicta ecclesia Romana receperat, pignoris nomine obligarat, et alio adulterino palleo, quod fabricari fecerat, patenter in illis partibus utebatur; quamvis non ad plenum probatum extiterit, quod idem Archiepiscopus diffamatus foret, quod ipse presumpcione propria supradictum Michaelem ab episcopatu deposnerit Abbanensi, et loco eius Abbatem Monasterii sancti Alexandri diocesis Abbanensis, Lazarum nomine, in Episcopum subrogavit. Nos intendentes, quod excessus huiusmodi non remaneant incorrecti, discretioni vestre sub excommunicationis pena, quam eo ipso, si secus feceritis, incurratis, per apostolica scripta mandamus, quatenus vos vel duo aut unus vestrum per vos, vel per alium seu alios sepedictum Archiepiscopum ex parte nostra perhemptorie citare curetis, ut infra trium mensium spacium post citationem vestram conspectui apostolico personaliter se presentet, suam super predictis, si poterit, innocentiam ostensurus, et alias mandatis seu beneplacitis nostris humiliter pariturus. Si vero memoratus Archiepiscopus nequiverit personaliter inveniri, huiusmodi citacionis edictum iuxta premissam formam contra eum apud ecclesiam Antibarensem publice proponatur, Non obstante indulgencia, qua, fili Gardiane, ordini tuo dicitur esse concessum, quod ipsius ordinis fratres non teneantur se intromittere de quibuscumque negociis, que ipsis per eiusdem sedis litteras committentur, nisi in eis de concessione huiusmodi plena et expressa mentio habeatur. Diem voro citationis ipsins vel huiusmodi proposicionis edicti, et quicquid super premissis duxeritis faciendum, nobis per vestras litteras harum seriem continentes studeatis quantocius fideliter intimare. Datum Avinione XIII. Kal. Octobris, Pontificatus nostri Anno Quarto.

CXCIV.

Liber computi Rufini de Civinio collectoris in Hungaria fructuum primi anni beneficiorum vacantium, et residuum procurationum quondam Gentili cardinali legato debitarum, A. D. 1317-1320. Collectoria Hungariae fol. 13-27.

In nomine domini Amen. Notum fit omnibus, quod ego Rufinus de Civinio, olim Archidiaconus Tollensis in ecclesia Quinqueecclesiensi, Nuntius a Sanctissimo patre et domino nostro domino Iohanne divina providencia papa XXII. ad partes Regni Ungarie, pro collectione fructuum primi anni beneficiorum vacantium in Strigoniensi et Colloconsi Civitatibus, diocesibus et provinciis intra triennium per ipsum dominum nostrum Camere sue reservatorum, et pro recuperatione certarum pecunie quantitatum bone memorie domino fratri Gentili tituli sancti Martini in Montibus presbitero Cardinalis, dudum in partibus illis apostolice sedis Legato, pro suis procurationibus debitarum specialiter destinatus, recedens de Avinione intravi dictum Regnum Ungarie die XXII. mensis Octobris apud Zamber Zagrabiensis diocesis, Anno Nativitatis domini Millesimo trecentesimo decimo septimo, et dictum Regnum exivi die XII. mensis Martii presentis anni Millesimi trecentesimi vicesimi. Et cum in dictis Civitatibus et diocesibus ac provinciis non essent beneficia taxata ad decimam, dictus dominus noster post primam

commissionem ... Archiepiscopis et ... Episcopis ac michi in Civitatibus, diocesibus et provinciis factam super recollectione fructuum predictorum, novam commissionem fecit Archiepiscopis et Episcopis ac michi predictis, videlicet quod mediotatem fructuum beneficiorum vacantium ultra sex Marchas argenti valentium annuatim pro Camora sua recuperemus, et aliam beneficiatis dimitteremus pro ipsorum beneficiorum oneribus supportandis. Unde ego, quam melius potui, executus fui mandatum domini pape predicti, et hic inforius scripsi omnia beneficia vacantia, quorum notitiam habere potui, que ibidem intra dictum triennium vacaverunt, et extimationes fructuum beneficiorum ipsorum, ac solutiones per me receptas de fructibus supradictis.

In primis sciendum est, quod .... Archiepiscopus Strigoniensis habet Suffraganeos, videlicet: Iauriensem, Vesprimiensem, Quinqueecclesiensem, Agriensem, Vaciensem et Nitriensem Episcopos.

Item ... Archiepiscopus Colocensis habet sex alios Suffraganeos tantum, videlicet: Transilvanensem, Varadiensem, Cenadiensem, Zagrabiensem, Boxinensem et De Ku Episcopos.

Infrascripta beneficia vacaverunt IN CIVITATE ET DIOCESI STRIGONIENSI, videlicet:

Cantoria ecclesie Scipiensis Strigoniensis dioccsis, que vacavit semel intra dictum triennium, cuius fructus, diligenti inquisitione facta de ipsis, ascendebant dumtaxat ad aummam 10. marcharum fini argenti ad pondus Budense, de quibus elegi medietatem pro domino nostro, videlicet 5. marchas fini argenti, quarum quelibet valet 4. florenos auri.

Quas quidem 5. marchas dominus Henricus Prepositus dicte ecclesie pro dño Christoforo Cantore ipsius Cantorie promisit solvere intra octabas Purificationis beate Virginis anni nativitatis domini Millesimi CCCXVIII. Et quas Nicolaus Demetrii famulus dicti Prepositi pro ipso Preposito anno domini Millesimo CCCXIX. die III. mensis Februarii solvit michi Rufino. Summa 20. floreni auri.

Item vacavit semel Plebes de Scnizbanca dicte diocesis, cuius fructus ascendebant in universo ad 48. marchas fini argenti ad dictum pondus, de quibus pro domino nostro elegi medietatem, videlicet 24. marchas fini argenti, quarum quelibet valet 4. florenos auri.

Quas quidem 24. marchas dominus Nicolaus Plebanus dicte Plebis die III. Iulii anno domini Millesimo CCCXVIII. promisit solvere medietatem, videlicet intra festum Omnium Sanctorum tunc proxime futurum, et residuum intra festum Resurrectionis domini: et quia non solvit in ipsis terminis, fuit denuntiatus excommunicatus. Et tandem anno domini MCCCIX. die ultima mensis Aprilis presbiter Nicolaus Rector ecclesie de Stupis solvit michi Rufino de dicta summa marcharum 8. marchas.

Item postea anno domini MCCCXX. die IX. Ianuarii Iacobus Ramadonis civis Budensis solvit michi predicto Rufino residuas 16. marchas. Summa 24. marche valentes 96. florenos auri.

Item vacavit semel Plebes de Ghelnesbanea dicte diocesis, cuius fructus ascendebant in universo ad aummam 28. marcharum fini argenti ad dictum pondus, de quibus pro domino nostro elegi mediatem, videlicet 24. marchas, quarum quelibet valet 4. florenos auri.

Quas precepi domino Sibotto Plebano dicte plebis die III. Ianuarii anni domini MCCCXIX. ut solveret intra quindenam beati Georgii tunc proxime futuram: et quia non solvit dicto termino, fuit denuntiatus excommunicatus. Et demum eodem anno die VI. Iunii presbiter Petrus Rector ecclesie de Pempach pro dicto domino Plebano de dicta summa solvit michi Rufino 5. marchas fini argenti.

Item postea eodem anno die XXIII. Augusti Henricus Marsilii de Sceniz pro dicto Plebano solvit michi predicto Rufino residuas 9. marchas argenti. Summa 14. marche valentes 56. florenos auri.

Item vacavit ecclesia de Poton dicte diocesis, cuius fructus ascendebant in universo ad summam 7. marcharum argenti, de quibus pro domino nostro elegi medietatem, videlicet 3. marchas et dimidiam Viennensium ad 400. Viennenses pro marcha, quarum quelibet valet 3. florenos et dimidium auri.

Quas die X. Maii anni MCCCXIX. precepi Emerico Rectori dicte ecclesie, ut solveret intra octabas beati Iohannis Baptiste extunc proxime futuras. Postea Magister Stephanus, Mariscalcus et famulus dñi T. Archiepi Strigoniensis, anno dñi MCCCXIX. die VIII. Sept. pro dicto Rectore solvit michi Rufino dictas 3. marchas et dimidiam dicti argenti valentes 12. florenos et quartam partem unius floreni auri.

Item vacavit semel Plebes de Cibinio dicte diocesis, cuius fructus ascendebant in universo ad summam 36. marcharum fini argenti ad dictum pondus Budense, de quibus pro domino nostro elegi medietatem videlicet, 18. marchas, quarum quelibet valet 4. florenos auri.

Quam quidem Archiepiscopus Strigoniensis et ego accensavimus die XXIX. Octobris anni domini MCCCXVIII. pro dictis 18. marchis domino Hermanno plebano ecclesie de Valle sancte Agnetis, et electo

in plebanum dicte plebis de Cibinio, quarum medietatem promisit solvere intra octabas Resurrectionis domini, et residuum intra festum Assumptionis beate Virginis: postmodum vero anno domini MCCCXIX. die XXVI. Novembris dictus dominus Hermannus solvit michi dicto Rufino dictas 18. marchas fini argenti valentes 72. florenos auri.

Item vacavit semel ecclesia de Montecivinii prepositure Cibiniensis dicte diocesis, cuius fructus ascendebant in universo ad summam 12. marcharum fini argenti, de quibus pro domino sic elegi medietatem, videlicet 6. marchas, quarum quelibet valet 4. florenos auri. Quas 6. marchas dominus Hermannus electus in plebanum plebis de Cibinio pro dño Mathia Rectore dicte ecclesie anno nativitatis domini MCCCXIX. die XXVIII. Novembris solvit michi Rufino, que valent 24. florenos auri.

Item vacavit semel ecclesia sancte Marie de Wert dicte prepositure Cibiniensis eiusdem diocesis, cuius fructus ascendebant in universo ad summam 6. marcharum fini argenti, de quibus pro domino nostro elegi medietatem, videlicet 3. marchas, quarum quelibet valet 4. florenos auri. Quas quidem 3. marchas dominus Iohannes Rector dicte ecclesie anno domini MCCCXIX. die XXVIII. Novembris solvit michi Rufino, et sic valent 12. florenos auri.

Item vacavit ecclesia de Holzmenia dicte prepositure Cibiniensis predicte diocesis, cuius fructus ascendebant in universo ad summam 10. marcharum banalium illius contrate, computatis 176. banalibus pro marcha, de quibus pro domino nostro elegi medietatem, videlicet 5. marchas banalium, quarum quelibet valet 3. florenos auri. Quas quidem 5. marchas dominus Henricus Rector dicte ecclesie anno dñi MCCCXIX. die XXVIII. Novembris solvit michi Rufino, et sic valent 15. florenos auri.

Item vacavit semel ecclesia de Bocholz dicte prepositure Cibiniensis prefate diocesis, cuius fructus ascendebant in universo ad summam 8. marcharum banalium, 176. banalibus pro marcha qualibet compntatis, de quibus pro domino nostro elegi medietatem, videlicet 4. marchas, quarum quelibet valet 3. florenos auri. Quas die XXVIII. mensis Novembris anni MCCCXIX. precepi Henrico de Bothalit patri presbiteri Herbordi Rectoris dicte ecclesie, ut solveret intra tertiam feriam extunc proxime futuram per totam diem. Postea vero eodem anno, die VI. Decembris Iohannes de Polonia pro dicto Herbordo solvit michi Rufino dictas 4. marchas banalium valentes 12. florenos auri.

Item vacavit semel ecclesia de Fornod dicte diocesis, cuius fructus ascendebant in universo ad summam 6. marcharum et 2. fertones Viennensium, prout Iacobus Cantor Strigoniensis Subcollector in Civitate et diocesi Strigoniensi retulit, de quibus assigravit michi anno domini MCCCXX. die XXI. Februarii 3. marchas et unum fertonem Viennensium, computatis 400. Viennensibus pro qualibet marcha, quarum quelibet valet 3. flor. et dimidium, et sic est summa 11. flor. et 6. boemini grossi de argento.

Item vacavit semel ecclesia de Ultravag dicte diocesis, de cuius fructibus dictus Subcollector solvit michi pro domino nostro, nomine domini Laudislay Rectoris dicte ecclesie, anno domini MCCCXX. die XXI. Februarii 2. marchas Viennensium, computatis pro qualibet marcha 400. Viennensibus, quarum quelibet valet 3. florenos auri et dimidium, et sic est summa 7. floreni auri.

Item vacavit semel plebes seu ecclesia de Tirna dicte diocesis, de cuius fructibus dictus Subcollector anno, mense et die proxime scriptis assignavit michi pro dicto domino nostro 10. marchas boeminorum, computatis 62. boeminis grossis pro qualibet marcha, quarum quelibet valet 4. florenos auri minus 2. boeminis grossis, et sic est summa 28. floreni auri et 12. boemini grossi.

Item vacavit semel Prepositura sancti Antonii de Scips dicte diocesis, cuius fructus ascendebant in universo ad summam 12. marcharum fini argenti, de quibus elegi pro domino nostro medietatem, videlicet 6. marchas, quarum quelibet valet 4. florenos. Quas quidem 6. marchas frater Guido preceptor dicte preceptorie promisit solvere, et non solvit, sed fuit denuntiatus excommunicatus: iniunxi tamen Archiepiscopo Strigoniensi, quod exigeret easdem 6. marchas et mitteret ad Curiam. Non sunt solute dicte 6. marche.

Item vacavit semel ecclesie de Bat dicte diocesis, cuius fructus ascendebant in universo ad summam 4. marcharum Viennensium, de quibus pro domino nostro elegi medietatem, videlicet 2. marchas Viennensium. Quas dominus Gerardus Rector ipsius ecclesie promisit solvere, et quia non solvit, fuit excommunicatus: iniunxi tamen Archiepiscopo, quod exigeret eas et mitteret ad Curiam. Non sunt solute.

Item vacavit ecclesia de Sancto Georgio dicte diocesis, de cuius fructibus valorem scire nequivi, quia vacavit iuxta finem triennii: audivi tamen dici, quod valebant ultra 6. marchas fini argenti ad pondus Budense. (Non fuit facta compositio.)

Item vacavit ecclesia de Basin dicte diocesis, item vacavit ecclesia de Bosna dicte diocesis, quarum valorem scire nequivi, quia vacaverunt circa finem trieunii: iniunxi tamen Archiepiscopo, quod exigat medietatem fructuum earumdem et mittat ad Cnriam, quia dicebatur, quod quelibet earumdem valebat ultra 6. marchas fini argenti. (Non fuit facta compositio.)

Item dicebatur quod vacaverat Prepositura Posoniensis dicte diocesis, cuius fructuum valorem scire nequivi, quia vacavit circa finem triennii et in recesen meo: audivi tamen quum alias fui ibi, quod poterat valere annuatim 100. marchas, propter quod iniunxi Archiepiscopo, quod exigeret medietatem et mitteret ad Curiam. (Non fuit facta compositio.)

Summa marcharum fini argenti ad pondus Budense receptarum in dictis Civitate et diocesi Strigoniensi 70. marche, qnarum quelibet valet 4. florenos auri, que valent in summa 280. florenos auri.

Summa marcharum argenti Banalium receptarum in Civitate et diocesi supradictis 9. marche, 176. banalibus pro qualibet marcha computatis, quarnm qnelibet valet 3. florenos auri, valent in summa 27. florenos auri.

Summa marcharum argenti Viennensium receptarum ibidem, videlicet in Civitate et diocesi supradictis, 8. et dimidia marche et unus fertonus, 400. Viennensibus pro marcha qualibet computatis, valent in summa 30. florenos auri et dimidium, et unus octavus unius floreni auri.

Summa marcharum Boeminorum receptarum in Civitate et diocesi supradictis 10. marche, 62. boeminis grossis pro qualibet marcha computatis, quorum boeminorum 64. faciunt unam marcham fini argenti, que valet 4. florenos auri. Et sic valent 38. florenos auri 212. boeminos grossos.

Summa summarum omnium predictorum marcharum receptarum in dictis Civitate et diocesi reductarum ad florenos auri 376. floreni auri et 6. boemini grossi.

Summa marcharum Civitatis et diocesis predictarum, que restant solvende, 8. marche, qnarum 6. sunt fini argenti qnarnmqne qnelibet valet 4. florenos, et relique due sunt Viennenses, quarum qnelibet valet 3. florenos et dimidium, valent in universo 31. florenos auri.

Civitatis et diocesis Quinquecclesiensis.

In primis vacavit semel Prepositura Quinquecclesiensis ecclesie, cuius fructus ascendebant in universo ad summam 34. marcharum argenti banalium, computatis 240. banalibus pro qualibet marcha, de quibus pro domino nostro elegi medietatem, videlicet 17. marchas, quarum quelibet valet 3. fl. auri.

Quas die XXII. Iunii anno domini MCCCXVIII. mandavi domino Egidio Preposito ipsius ecclesie, ut solveret intra octabas Purificationis beate Virginis extunc proxime futuras: qui postea eodem anno domini MCCCXVIII. die XXIIII. Iunii solvit michi Rufino de dicta summa 2. marchas argenti predicti.

Item postmodnm anno nativitatis domini MCCCXIX. die XXVII. Aprilis dominus Thomas Prepositus de Hanta solvit michi residuas 15. marchas, que restabant solvende de summa predicta. Et sic aunt in universo dicte 17. marche valentes 51. florenos auri.

Item pro fructibus Archidiaconatus de Vulgo in dicta ecclesia Quinquecclesiensi, qui ascendebant in universo ad summam 16. marcharum banalium, 240. banalibus pro marcha qualibet computatis, elegi pro domino nostro medietatem, videlicet 8. marchas, quarum qnelibet valet 3. florenos auri.

Quas 8. marchas die XXII. Innii anni MCCCXVIII. precepi domino Andree Archidiacono dicti Archidiaconatus, nt solveret intra octabas Purificationis beati Virginis extunc proxime futuras. Et demum dominus Thomas Prepositus de Hanta Vesprimiensis diocesis pro dicto Archidiacono anno dñi MCCCXIX. die III. Martii solvit michi Rufino dictas 8. marchas, valentes 24. florenos auri.

Item pro fructibus Archidiaconatus dicte ecclesie Quinquecclesiensis, qui vacavit semel, cuiusque fructus ascendebant in universo ad summam 12. marcharum argenti banalium, 240. banalibus pro marcha qualibet computatis, elegi pro domino nostro medietatem, videlicet 6. marchas argenti banalium, quarum qnelibet valet 3. florenos auri. Quas die XXII. Iunii anni MCCCXVIII. precepi domino Stephano Archidiacono dicti Archidiaconatus, ut solveret intra quindenam Purificationis beate Virginis extunc proxime futuram. Et demum anno dñi MCCCXIX. die VI. Martii dominis Thomas Prepositus de Hanta pro dicto Archidiacono solvit michi Rufino easdem 6. marchas valentes 18. florenos auri.

Item de fructibus Archidiaconatus Tolnensis in dicta ecclesia Quinquecclesiensis, quia ascendebant ad summam 20. marcharum argenti banalium in universo, 240. banalibus pro marcha qualibet computatis, elegi medietatem pro domino nostro, videlicet 10. marchas argenti banalium, que valent 7. marchas et dimidiam communis argenti et 4. boeminos grossos, computatis 56. boeminis grossis pro

marcha communis argenti, quarum quelibet velet 3. florenos et dimidium auri, et sic valent in universo 30. florenos auri. Quas dñus Thomas Prepositus do Hanta Vesprimiensis diocesis pro dño Laurentio Epo Quinqueecclesiensi, qui pro ipsis solvendis se obligarat, et pro domino Dionisio Archidiaeono Tolnensi predicto, anno nativitatis domini MCCCIX. die XV. mensis Octobris solvit michi Rufino dicta 10. marcha argenti.

Summa omnium marcharum argenti banalium de Quinqueecclesiis receptarum in Civitas et diocesi Quinqueecclesiensi predictis 41. marche, 240. banalibus de Quinqueecclesiis pro marcha qualibet computatis, quarum quelibet valet 3. florenos auri, sunt in summa 123. floreni auri.

CIVITATIS ET DIOCESIS VESPRIMIENSIS.

In primis pro fructibus Plebis de Buda Vesprimiensis diocesis, que vacavit semel, cuiusque fructus ascendebant in universo ad summam 48. marcharum fini argenti ad pondus Budense, quarum quelibet valet 4. fl. auri. Quas quidem 24. marchas d. Petrus Plebanus dicte Plebis a. d. MCCCXVIII. die XXIX. Maii promisit solvere medietatem, videlicet intra festum Omnium Sanctorum tunc proxime futurum, et residuum intra festum Resurrectionis domini: de quibus quidem 24. marchis idem Plebanus anno domini MCCCXIX. die XVIII. Ianuarii solvit michi Rufino 14. marchas, quarum quelibet valet 4. florenos.

Item postea anno domini MCCCXX. die XI. Februarii idem Plebanus soluit michi residuas 10. marchas. Item postea de fructibus tertie partis quorumdam reddituum dicte Plebis spectantium ad moniales Monasterii sancte Margarite de Insula Budensi, qui ascendebant in universo ad summam 19. marcharum et unius fertonis eiusdem fini argenti, elegi medietatem, videlicet 9. marchas et dimidiam et dimidium fertonem, quarum quelibet valet 4. florenos. Et demum anno, mense et die proxime scriptis idem Plebanus soluit michi dictas 9. marchas et dimidiam et dimidium fertonem. Et sic sunt in universo 34. marche et dimidia et dimidius fertonns(sic) valentes 134. florenos et dimidium.

Item vacavit semel Archidiaconatus sancti Andree in dicta ecclesia Vesprimiensi, verum tamen valorem fructuum ipsius seire nequivi, quia vacaverat circa finem triennii et in recessu meo: tamen quia valet ultra 6. marchas cadit sub reservatione, propter quod commisi ... Episcopo Vesprimiensi, quod exigat medietatem dictorum fructuum et mittat ad Cnriam. (Non est facta compositio.)

Summa omnium marcharum receptarum per me predictum Rufinum in Civitate et diocesi Vesprimiensi predictis 33. marche et dimidia et dimidius fertonus fini argenti ad pondus Budense, quarum quelibet valet 4. florenos auri, valentes in universo 134. florenos et dimidium auri.

CIVITATIS ET DIOCESIS LAURIENSIS.

In primis vacavit semel Prepositura de Castroferreo Iauriensis diocesis, cuius fructus ascendebant in universo ad summam 32. marcharum fini argenti ad pondus Budense, de quibus pro domino nostro elegi medietatem, videlicet 16. marchas fini argenti ad dictum pondus, quarum quelibet valent 4. florenos. Quas precepi .... Episcopo Iauriensi fratri domini Andree prepositi dicte prepositure, ut solveret medietatem intra festum Omnium Sanctorum, et residuum intra primam dominicam quadragesime anni dñi MCCCXIX. Et postea eodem anno die VI. Maii Iohannes Canonicus Iauriensis familiaris dicti Episcopi pro dictis Episcopo et Preposito solvit michi de dicta summa marcharum 13. marchas et dimidiam. Item postmodum anno dñi MCCCXX. die XV. Februarii idem Episcopus pro dicto Preposito solvit michi residuas 2. marchas et dimidiam. Et sic sunt 16. marche valentes 64. florenos auri.

Item vacavit semel Plebes de Suppronio dicte diocesis, cuius fructus ascendebant in universo ad summam 30. marcharum communis argenti boeminorum, 56. boeminis grossis computatis pro marcha, de quibus elegi pro domino nostro medietatem, videlicet 16. marchas, quarum quelibet valet 3. flor. et dimidium auri. Quas quidem 16. marchas presbiter Iohannes Plebanus dicte plebis anno dñi MCCCXVIII. die V. Augusti promisit solvere medietatem, videlicet intra festum Omnium Sanctorum, et residuum intra primam dominicam quadragesime extunc proxime futuram. Postea anno domini MCCCXIX. die I. Iunii idem Plebanus solvit michi dictas 15. marchas valentes 52. florenos et dimidium auri.

Item vacavit semel Lectoria Iauriensis, cuius fructus ascendebant in universo ad summam 16. marcharum communis argenti boeminorum, 56. boeminis grossis computatis pro qualibet marcha, de quibus elegi pro domino nostro medietatem, videlicet 8. marchas eiusdem communis argenti, quarum quelibet valet 3. florenos et dimidium auri. Quas dio XIII. Augusti anni MCCCXVIII. precepi dño Mathie Lectori dicte Lectorie, ut solveret dictas 8. marchas, medietatem videlicet intra festum omnium San-

ctorum, et residuum intra primam dominicam quadragesime extunc proxime futuram: de quibus postea idem dominus Mathias anno dñi MCCCXX. die XXVI Ianuarii solvit michi Rufino 6. marchas et dimidiam. Item eisdem anno, monse et die dñus Georgius Canonicus Iauriensis pro eodem Lectore solvit michi dicto Rufino residuas unam marcham et dimidiam. Et sic sunt 8. marche communis argenti valentes 28. florenos auri.

Summa marcharum fini argenti ad pondus Budense receptarum in Civitate et diocesi supradictis, quarum quelibet valet 4. florenos auri, 16. marcho valentes 64. floronos auri.

Summa marcharum argenti communis receptarum ibidem 23. marche, 56. boeminis grossis pro marcha qualibet computatis, quarum quelibet valet 3. florenos ot dimidium valent, in summa 80. florenos et dimidium auri.

Summa summarum omnium predictarum marcharum receptarum in dictis Civitate et diocesi Iauriensi, reductarum ad florenos auri, 144. floreni et dimidius auri.

Civitatis et diocesis Vaciensis.

In primis vacavit semel Plebos de Peste Vaciensis diocesis, cuius fructus ascendebant in universo ad summam 24. marcharum fini argenti ad pondus Budense, de quibus elegi medietatem pro dño nostro, videlicet 12. marchas fini argenti, quarum quelibet valet 4. florenos auri.

Quas precepi domino Concilino Plebano dicte plebis anno domini Millesimo CCCXVIII. die VIII. Februarii, ut solveret medietatem intra dominicam proximam per totum diem, et residuum intra (festum) omnium Sanctorum ex tunc proxime futurum: de quibus quidem 12. marchis idem Plebanus eodem anno die XII. Februarii solvit michi Rufino 6. marchas dicti argenti. Item postmodum anno domini MCCCXIX. die penultima dicti mensis Februarii idem Plebanus solvit michi residuas 6. marchas dicti argenti, et sic 12. marche valentes 48. florenos.

Item vacavit semel Prepositura Vaciensis. Item vacavit semel Archidiaconatus Vaciensis. Item vacavit similiter Cantoria Vaciensis. Item vacavit similiter ecclesia de Scord dicte diocesis. De quorum quidem beneficiorum fructibus valorem scire nequivi, quia vacaverant circa finem triennii, et diocesanus loci noluit super hoc vacare mecum, et michi non obediebatur sine eodem diocesano: monui tamen eundem diocesanum, ut faceret recolligi medietatem dictorum fructuum et mitteret ad curiam.

Summa marcharum fini argenti ad pondus Budense receptarum in dictis Civitate et diocesi Vaciensi per me Rufinum predictum 12. marche, quarum quelibet valet 4. florenos auri, et sic valent in universo 48. florenos auri.

Civitatis et diocesis Agriensis.

In primis vacavit semel Prepositura Agriensis, cuius fructus ascendebant in universo ad 9. marchas Viennensium dumtaxat, 400. denariis Viennensibus pro qualibet marcha computatis, de quibus elegi pro domino nostro medietatem, videlicet 4. marchas et dimidiam, quarum quelibet valet 3. florenos et dimidium. Precipiens die XII. Maii anni domini MCCCXIX. dño P. Preposito, ut solveret intra festum Assumptionis beate Virginis extunc proxime futurum. Et demum anno predicto die XXVII. Augusti Comes Iohannes de Agria, civis Budensis, pro dicto Preposito solvit michi predicto Rufino dictas 4. marchas et dimidiam valentes 15. florenos auri et tres quartas partes unius floreni.

Item vacavit semel Archidiaconatus Agriensis, cuius fructus ascendebant ad summam 7. marcharum Viennensium in universo, 400. denariis Viennensibus pro marcha qualibet computatis, de quibus pro domino nostro elegi medietatem, videlicet 3. marchas et dimidiam, quarum quelibet valet 3. florenos et dimidium. Quas prescriptis die et termino mandavi dño Petro Archidiacono Agriensi, ut solveret. Et demum anno domini MCCCXIX. die XXVII. Augusti dictus Comes Iohannes de Agria, pro dicto Archidiacono, solvit michi predicto Rufino dictas 3. marchas et dimidiam valentes 12. florenos et quartam partem unius floreni.

Item vacavit semel ecclesia de Villa Gallica dicte diocesis, cuius fructus ascendebant in universo ad summam 10. marcharum argenti Viennensium, 400. denariis Viennensibus pro marcha qualibet computatis, de quibus pro domino nostro elegi medietatem, videlicet 5. marchas, quarum quelibet valet 3. florenos et dimidium auri. Quas prescripto die mandavi Habrahe Rectori dicte ecclesie, ut solveret termino suprascripto. Et demum idem Iohannes de Agria prescripta XXVII. die Augusti pro dicto Rectore solvit michi Rufino dictas 5. marchas valentes 17. florenos et dimidium auri.

Item vacavit Plebes de Eperies dicte diocesis, cuius fructus ascendebant in universo ad summam 15. marcharum Viennensium, 400. denariis Viennensibus pro marcha qualibet computatis, de quibus pro domino nostro elegi medietatem, videlicet 7. marchas et dimidiam, quarum quelibet valet 3. florenos et dimidium. Mandans domino Henrico plebano dicte plebis, ut solveret: qui solvere recusavit, et propter hoc fuit denuntiatus excommunicatus. Et insuper monui ... Episcopum Agriensem, ut exigeret eas et mitteret ad Curiam. (Non solvit.)

Summa marcharum receptarum in dictis Civitate et diocesi Agriensi per me Rufinum sepedictum 13. marche argenti Viennensium, 400. denariis Viennensibus pro marcha qualibet computatis, quarum quelibet valet 3. florenos auri et dimidium, valent in universo 45. florenos et dimidium auri.

Summa debitorum in Civitate et diocesi Agriensi predictis, prout apparet superius, 7. marchas et dimidiam Viennensium.

In Civitate et diocesi Nitriensi nichil vacavit, quod valeat ultra 6. marchas, facta pluries super hoc diligenti inquisitione, prout melius potni.

Summa summarum omnium marcharum receptarum in Civitate diocesi ac provincia Strigoniensi: In primis fini argenti 131. et dimidia marche et dimidius fertonus, quarum quelibet valet 4. flor. auri.

Item argenti Viennensium 21. et dimidia marche et dimidius fertonus, 400. Viennensibus pro marcha qualibet computatis, quarum quelibet valet 3. florenos et dimidium auri.

Item argenti banalium, 176. banalibus pro marcha qualibet computatis, 9. marche, quarum quelibet valet 3. florenos auri.

Item argenti banalium de Quinqueecclesiis, 240. banalibus pro marcha qualibet computatis, 41. marche, quarum quelibet valet 3. florenos auri.

Item argenti boeminorum 10. marche, 62. boeminis grossis pro marcha qualibet computatis, quorum boeminorum 64. valent 1. marcham fini argenti, que valet 4. florenos auri.

Item argenti communis 23. marche, 56. boeminis grossis pro marcha qualibet computatis, quarum quelibet valeat 3. et dimidium florenos.

Summa summarum omuinm marcharum receptarum in dictis Civitate et diocesi ac provincia diversorum generum, manierorum et ponderum predictorum, prout superius continetur, 236. marche et unus fertonus, que valent reducte ad florenos 871. florenos et dimidium et 6. boeminos grossos.

Civitatis et diocesis Colocensis Metropolitane.

In primis vacavit semel Prepositura Baciensis Colocensis diocesis, cuius fructus ascendebant in universo ad summam 30. marcharum fini argenti ad pondus Budense, de quibus elegi medietatem pro domino nostro, videlicet 15. marchas, quarum quelibet valet 4. florenos auri.

De quibus 15. marchis dominus Thomas Prepositus Budensis pro domino Iacobo Preposito Baciensi anno domini MCCCXIX. die XXIII. Octobris solvit michi Rufino 6. marchas. Item postea eodem anno die VII. Novembris idem Prepositus solvit de dicta summa 3. marchas, et sic sunt 9. marche valentes 36. florenos auri. Restant solvende 6. marche.

Item vacavit semel Archidiaconatus Baciensis dicte diocesis, cuius fructus ascendebant in universo ad summam 16. marcharum fini argenti ad dictum pondus Budense, de quibus pro domino nostro elegi medietatem, videlicet 8. marchas, quarum quelibet valet 4. florenos anri.

De quibus quidem 8. marchis dominus Iohannes Archidiaconus Baciensis anno domini MCCCXIX. die VII. Novembris solvit michi predicto Rufino 4. marchas valentes 16. florenos auri. Restat debere 4. marchas, pro quibus est excommunicatus.

Summa marcharum receptarum per me Rufinum in Civitate et diocesi Colocensi predictis 13. marche fini argenti ad pondus Budense, quorum quelibet valet 4. florenos, et sic valent in universo 52. florenos auri.

Summa restarum que restant in Civitate et diocesi supradictis, prout superius apparet, 10. marche fini argenti.

Civitatis et diocesis Varadiensis.

In primis vacavit semel Prepositura Varadiensis, cuius fructus ascendebant in universo ad summam 50. marcharum fini argenti ad pondus Budense, de quibus pro domino nostro elegi medietatem, videlicet 25. marchas fini argenti, quarum quelibet valet 4. florenos auri.

Precipiens domino Cenadino Preposito Varadiensi die III. Octobris anni domini MCCCXVIII. ut solveret intra primam dominicam Quadragesime extunc proxime futuram: quas quidem 25. marchas anno domini MCCCXIX. die II. Februarii idem Preposito solvit michi Rufino, que valent in summa 100. flor. auri.

Item semel vacavit Lectoria Varadiensis, cuius fructus ascendebant in universo ad summam 18. marcharum fini argenti ad dictum pondus, de quibus pro domino nostro elegi medietatem, videlicet 9. marchas, quarum quelibet valet 4. florenos auri.

Precipiens domino Iohanni Lectori Varadiensi di V. Octobris anno domini MCCCXVIII. ut solveret intra terminum proxime scriptum. Et demum die II. Februarii anni domini MCCCXIX. dictus Prepositus Varadiensis pro dicto Lectore solvit michi Rufino dictas 9. marchas valentes 36. florenos auri.

Item vacavit in ecclesia Varadiensi quidam Canonicatus, quem obtinuit postea dominus Mauritius Canonicus Varadiensis, cuius fructus ascendebant in universo ad summam 16. marcharum fini argenti ad dictum pondus, de quibus pro domino nostro elegi medietatem, videlicet 8. marchas, quarum quelibet valet 4. florenos auri.

Precipiens die VII. dicti mensis Octobris eiusdem anni MCCCXVIII. eidem domino Mauritio, ut solveret termino suprascripto. Et demum dictus Prepositus pro eodem domino Mauritio die II. Februarii anni MCCCXIX. solvit michi Rufino dictas 8. marchas valentes 32. florenos auri.

Item vacavit Cantoria Varadiensis, cuius fructus ascendebant in universo ad summam 8. marcharum fini argenti ad dictum pondus, de quibus pro dño nostro elegi medietatem, videlicet 4. marchas, quarum quelibet valet 4. florenos auri.

Precipiens die VI. dicti mensis Octobris eiusdem anni MCCCXVIII. dño Iacobo Cantori Varadiensi, ut solveret termino suprascripto. Et demum idem Prepositus Varadiensis pro dicto Cantore die II. Februarii anni MCCCXIX. solvit michi Rufino dictas 4. marchas valentes 16. florenos auri.

Item vacavit semel Archidiaconatus de Kolosciar in dicta ecclesia Varadiensi, cuius fructus ascendebant in universo ad summam 5. marcharum fini argenti ad dictum pondus, de quibus pro dño nostro elegi medietatem, videlicet 2. marchas et dimidiam, quarum quelibet valet 4. florenos auri.

Precipiens die VI. predictis mensis Octobris eiusdem anni MCCCXVIII. domino Stephano Archidiacono Varadiensi, ut solveret supradicto termino. Et demum die XIIII. Februarii eiusdem anni MCCCXIX. Nicolaus Prebendarius dicte occlesie Varadiensis pro dicto Archidiacono solvit michi Rufino dictas 2. marchas ot dimidiam valentes 10. florenos auri.

Item vacavit quidam Canonicatus in dicta ecclesia Varadiensi, quem habuit dominus Stephanus Archidiaconus, cuius fructus ascendebant in universo ad summam 16. marcharum fini argenti ad dictum pondus, de quibus pro domino nostro elegi medietatem, videlicet 8. marchas, quarum quelibet valet 4. flor. auri. Precipiens eidem dño Stephano die VI. dicti mensis Octobris, ut solveret termino suprascripto. Et demum die XIIII. Februarii anni domini MCCCXIX. predictus Nicolaus Prebendarius pro predicto dño Stephano solvit michi Rufino dictas 8. marchas valentes 32. florenos auri.

Item vacavit ibidem quidam alius Canonicatus, quam postmodum habuit dominus Demetrius Canonicus Varadiensis, cuius fructus ascendebant in universo ad summam 16. marcharum fini argenti ad dictum pondus, de quibus pro domino nostro elegi medietatem, videlicet 8. marchas, quarum quelibet valet 4. flor. auri. Precipiens dño ... Epõo Varadiensi pro dicto dño Demetrio die VI. predicti mensis Octobris, ut solveret termino supradicto. Et demum dictus Nicolaus Prebendarius predicta die XIII. Februarii eiusdem anni MCCCXIX. pro dictis Episcopo et Canonico solvit michi Rufino dictas 8. marchas valentes 32. florenos auri.

Item vacavit semel Archidiaconatus de Bihor in dicta ecclesia Varadiensi, cuius fructus ascendebant in universo ad summam 19. marcharum fini argenti ad dictum pondus, de quibus pro domino nostro elegi medietatem, videlicet 9. marchas et dimidiam, quarum quelibet valet 4. florenos auri.

Et demum dicta die XIIII. Februarii eiusdem anni MCCCXIX. dictus Nicolaus Prebendarius pro dicto Archidiacono solvit michi Rufino dictas 9. marchas et dimidiam valentes 33. florenos auri.

Item vacavit quidam alius Canonicatus in eadem ecclesia Varadiensi, quem postmodum obtinuit dominus Iohannes Nobilis, cuius fructus ascendebant in universo ad summam 8. marcharum fini argenti ad dictum pondus, de quibus pro domino nostro eligi medietatem, videlicet 4. marchas, quarum quelibet valet 4. florenos auri.

Et demum die VI. Novembris eiusdem anni MCCCXIX. dñus Iuanka Epus Varadiensis pro dicto domino Iohanne Nobili solvit michi Rufino dictas 4. marchas valentes 16. florenos auri.

Item vacavit semel quedam alia Cantoria in eadem ecclesia, quam postea obtinuit dominus Andreas Cantor Varadiensis, cuius fructus ascendebant ad summam 6. marcharum fini argenti ad dictum pondus, de quibus pro domino nostro elegi medietatem, videlicet 3. marchas, quarum quelibet valet 4. florenos auri. Et demum prescriptis anno et die idem Episcopus pro dicto Cantore Varadiensi solvit michi Rufino 3. marchas valentes 12. florenos auri.

Summa omnium marcharum receptarum per me Rufinum in dictis Civitate et diocesi Varadiensi 81. marche fini argenti ad pondus Budense, quarum quelibet valet 4. florenos auri, et sic reducte ad florenos valent in universo 324. florenos auri.

Civitatis et diocesis Cenadiensis.

In primis vacavit semel Archidiaconatus Transmoriginus in ecclesia Cenadiensi, cuius fructus ascendebant in universo ad summam 10. marcharum fini argenti ad pondus Budense, de quibus pro domino nostro elegi medietatem, videlicet 5. marchas, quarum quelibet valet 4. florenos auri. Quas quidem 5. marchas dñus Benedictus Epus Cenadiensis pro dño Nicolao Archidiacono dicti Archidiaconatus anno dñi MCCCXIX. die VII. Nov. solvit michi Rufino, et sic valent in universo 20. florenos auri.

Summa omnium marcharum receptarum per me predictum Rufinum in Civitate et diocesi Cenadiensi predictis 5. marche fini argenti ad pondus Budense, valentes in universo 20. florenos auri.

Civitatis et diocesis Transilvanensis.

In primis vacavit semel Archidiaconatus de Tilegd in ecclesia Transilvanensi, de cuius fructibus dominus Conradus Plebanus de Varasio Transilvanensis diocesis, Subcollector in Civitate et diocesi supradictis per... Episcopum Transilvanensem specialiter deputatus, pro medietate spectante ad Cameram domini nostri exegit 20. marchas fini argenti ad pondus Budense, in quibus erat extimata dicta medietas per dictum dominum Episcopum, ut ipse Episcopus et Subcollector dixerunt michi. Postque anno nativitatis domini MCCCXIX. die VI. Septembris dictus Subcollector pro magistro Benedicto Archidiacono dicti Archidiaconatus solvit michi predicto Rufino dictas 20. marchas, quarum quelibet valet 4. florenos, et sic sunt in summa 80. floreni auri.

Item vacavit semel Archidiaconatus de Ozd in eadem ecclesia Transilvanensi, de cuius fructibus pro medietate spectante ad dominum nostrum idem Subcollector exegit 10. marchas fini argenti ad dictum pondus, quarum quelibet valet 4. florenos auri, in quibus erat extimata dicta medietas, prout idem Episcopus et Subcollector dixerunt michi. Postque dictus Subcollector pro domino Iohanne Archidiacono dicti Archidiaconatus die VI. Septembris anni MCCCXIX. solvit michi Rufino dictas 10. marchas, valentes in universo 40. florenos auri, qualibet computata ut supra proxime.

Item vacavit Plebes de Sceps sivo de Mulunak dicte diocesis, de cuius fructibus dictus Subcollector pro medietate spectante ad dominum nostrum exegit 20. marchas fini argenti, quarum quelibet valet 4. florenos auri, in quibus dicta medietas erat extimata, prout idem Epus et Subcollector dixerunt michi. Postque anno nativitatis domini MCCCXIX. die VI. Septembris, dictus Subcollector pro domino Daniele Plebano dicte plebis solvit michi Rufino dictas 20. marchas argenti, valentes in universo 80. florenos auri, qualibet computata ut supra.

Item vacavit semel Plebes de Kelnek dicte diocesis, de cuius fructibus dictus Subcollector pro medietate spectante ad dominum nostrum exegit 20. marchas fini argenti, quarum quelibet valet 4. florenos auri, in quibus dicta medietas erat extimata per eundem Episcopum, prout ipse et dictus Subcollector dixerunt michi. Postque anno nativitatis domini MCCCXIX. die VI. Septembris dictus Subcollector pro domino Michaele Plebano dicte plebis solvit michi Rufino dictas 20. marchas argenti, valentes in universo 80. florenos auri, qualibet marcha computata ut supra.

Item vacavit bis Plebes seu ecclesia de Villa Petri dicte diocesis, de cuius fructibus semel dictus Subcollector pro medietate spectante ad dominum nostrum exegit 14. marchas fini argenti ad dictum pondus, quarum quelibet valet 4. florenos auri, in quibus dicta medietas erat extimata per dictum Episcopum, ut ipse et dictus Subcollector dixerunt michi. Postque anno, mense et die proxime scriptis Subcollector pro domino Iacobo Plebano dicte plebis solvit michi Rufino dictas 14. marchas, valentes in universo 56. florenos auri, qualibet computata ut supra.

Item vacavit semel Plebes seu ecclesia de Subcastro Petri dicte diocesis, de cuius fructibus dictus Subcollector pro medietate spectante ad dñum nostrum exegit 6. marchas fini argenti ad dictum

pondus, in quibus dicta medietas erat extimata, prout idem Episcopus et Subcollector dixerunt michi. Postque anno, mense et die supradictis idem Subcollector pro domino Nicolao Plebano dicte plebis solvit michi predicto Rufino dictas 6. marchas, valentes 24. florenos auri, qualibet computata ut supra.

Item vacavit semel Plebes de Riho dicte diocesis, de cuius fructibus dictus Subcollector pro medietate spectante ad dominum nostrum exegit 7. marchas fini argenti ad dictum pondus, in quibus dicta medietas erat extimata per dictum Episcopum, ut ipse et dictus Subcollector dixerunt. Postque anno, mense et die suprascriptis dictus Subcollector pro ... Plebano dicte plebis solvit michi Rufino dictas 7. marchas, valentes in universo 28. florenos auri, qualibet computata ut supra.

Item vacavit semel Plebes de Nosna dicte diocesis, de cuius fructibus dictus Subcollector pro medietate spectante ad dominum nostrum exegit 10. marchas fini argenti, in quibus dicta medietas erat extimata per eundem Episcopum, prout ipse et dictus Subcollector dixerunt michi. Postque anno, mense et die prescriptis idem Subcollector pro domino Nicolao Plebano dicte plebis solvit michi Rufino dictas 10. marchas, valentes in universo 40. florenos auri, qualibet computata ut supra.

Item vacavit semel Plebes seu ecclesia de Villa Demetrii dicte diocesis, de cuius fructibus dictus Subcollector pro medietate spectante ad dominum nostrum exegit 6. marchas fini argenti ad dictum pondus, in quibus dicta medietas per dictum Episcopum erat extimata, pront ipse et dictus Subcollector dixerunt michi. Postque anno, mense et die predictis idem Subcollector pro domino Nicolao Plebano dicte plebis solvit michi Rufino dictas 6. marchas, valentes in universo 24. flor. auri.

Item vacavit semel quidam Canonicatus in dicta ecclesia Transilvanensi, quem postea obtinuit Petrus Ruffus Canonicus Transilvanensis, de cuius fructibus dictus Subcollector pro medietate spectante ad dominum nostrum exegit 8. marchas fini argenti ad dictum pondus, in quibus dicta medietas fuerat extimata per dictum Episcopum, ut ipse et dictus Subcollector dixerunt michi. Postque anno, mense et die suprascriptis idem Subcollector pro dicto domino Petro Ruffo, de dicta summa 8. marcharum fini argenti, solvit michi Rufino 5. marchas valentes 20. florenos auri.

Demum anno nativitatis domini MCCCXX. die XIII. Ianuarii frater Michael Budensis ordinis Predicatorum, conventus sancti Nicolai Budensis, de argento penes eum per dictum Subcollectorem deposito pro dicto domino Petro Ruffo solvit michi Rufino residuas 3. marchas, que restabant solvende de dictis 8. marchis. Et sic sunt in universo 8. marche valentes 32. florenos auri.

Item vacavit quidam Canonicatus in ecclesia Transilvanensi, quem postea obtinuit Petrus Tartarus Canonicus Transilvanensis, de cuius fructibus pro medietate spectante ad dñum nostrum exegit 8. marchas fini argenti ad dictum pondus, in quibus per dictum Epūm fuerat eadem medietas extimata, prout idem Episcopus et Subcollector dixerunt. Postque anno nativitatis domini MCCCXX. die XIII. Ianuarii predictus frater Michael de argento deposito penes eum per dictum Subcollectorem pro dicto Petro Tartaro solvit michi predicto Rufino dictas 8. marchas, valentes in universo 32. florenos auri.

Item vacavit quidam alius Canonicatus in dicta ecclesia Transilvanensi, quem postea obtinuit Iohannes Mauritii Canonicus Transilvanensis, de cuius fructibus dictus Subcollector pro medietate spectante ad dominum nostrum exegit 8. marchas fini argenti ad dictum pondus, in quibus dicta medietas per dictum Episcopum fuerat extimata, prout ipse et dictus Subcollector dixerunt michi. Postque anno nativitatis domini MCCCXX. die VIII. Ianuarii dictus frater Michael de argento penes eum deposito per Subcollectorem predictum pro dicto Iohanne Mauritii solvit michi Rufino dictas 8. marchas, valentes in universo 32. florenos auri.

Item vacavit semel Archidiaconatus de Cucullo dicte diocesis, cuius fructuum medietatem dictus Episcopus Transilvanensis extimavit pro domino nostro 35. marchas fini argenti ad pondus Transilvanense, de quibus dictus Subcollector, ut dixit, exegit tantum 30. marchas: de quibus quidem 30. marchis idem Subcollector semel solvit michi predicto Rufino 3. marchas argenti.

Postea vero anno nativitatis domini MCCCXX. die XIII. Ianuarii supradictis frater Michael nomine dicti Subcollectoris solvit michi sepedicto Rufino 26. marchas penes eum per dictum Subcollectorem depositas. Et sic licet idem Subcollector recipit 30. marchas, ipse tamen non solvit, nec solvi stat nisi tantum 29. que reducte ad pondus Budense, valent 24. marchas et 3. uncias, et tertiam partem unius uncie et duas 57. partes unius uncie ad dictum pondus Budense, quarum quelibet valet 4. florenos: et sic sunt in summa ad dictum pondus Budense 24. marche et 3. uncie, et tertia pars unius uncie et due 57. partes unius nncie, valentes 97. florenos et 11. boeminos.

Restant 6. marche solvende.

Item circa finem triennii ot post obitum ... Episcopi Transilvanensis vacaverunt in dicta diocesi infrascripta beneficia, de quorum fructibus debetur medietas domino nostro pro uno anno: de quibus quidem beneficiis et ipsorum valore inquisivi prout potui diligenter, et id quod debetur eidem domino nostro de ipsis, inferius describetur. Et quia eadem ecclesia pastore vacabat, et michi soli sine diocesano non credebatur, ipsorum fructuum medietatem exigere non potui: tamen negotium beneficiorum ipsorum recommendavi diligenter Capitulo ecclesie sepedicte. Et hec sunt beneficia supradicta, videlicet:

In primis pro fructibus ecclesie de Cogner dicte diocesis, qui ascendabant in universo ad valorem 12. marcharum, debentur eidem domino nostro 6. marche fini argenti.

Item pro fructibus ecclesie Ville Petri, que vacavit secundo, qui ascendebant ad summam 40. marcharum, licet pro prima vacacione habite fuerant tantum 14. marche, iuxta extimationem diocesani debentur domino nostro 20. marche fini argenti.

Item pro fructibus ecclesie de Burperg dicte diocesis, qui ascendunt annuatim ad summam 30. marcharum vel circa, debentur domino nostro 15. marche fini argenti.

Item pro fructibus ecclesie de Egundino dicte diocesis, qui ascendunt annuatim a summam 20. marcharum vel circa, debentur domino nostro 10. marche fini argenti.

Item pro fructibus ecclesie de Barbantina dicte diocesis, que ascendunt annuatim ad summam 12. marcharum vel circa, debentur domino nostro 6. marche fini argenti.

Item pro fructibus ecclesie de Sancto Georgio dicte diocesis, qui ascendunt ad summam annuatim 20. marcharum et ultra, debentur domino nostro 10. marche fini argenti et ultra.

Item pro fructibus ecclesie de Aplodia dicte diocesis, qui ascendunt annuatim ad summam 40. marcharum vel circa, debentur domino nostro 20. marche fini argenti.

Item de fructibus ecclesie de Albliarak dicte diocesis et ipsorum valore veritatem invenire nequivi, licet super hoc inquisiverim, quia Episcopus Transilvanensis decesserat, et michi non obediebatur sine diocesano: audivi tamen, quod cadit sub reservatione.

Item de valore fructuum Canonicatus, quem obtinet dñus Nicolaus in ecclesia Transilvanensi veritatem scire non potui: tamen alius Canonicatus dicte ecclesie Transilvanensis fuit extimatus per ... Episcopum Transilvanensem in 8. marchis fini argenti ad pondus Budense.

Summa omnium marcharum fini argenti ad pondus Budense receptas per me Rufinum in Civitate et diocesi Transilvanensi predictis 137. marche, quarum quelibet valet 4. florenos auri, que reducte ad florenos valent in universo 548. flor. auri.

Summa omnium marcharum fini argenti ad pondus Transilvanense receptarum per me prefatum Rufinum in Civitate et diocesi sepedictis, prout superius continetur, 29. marche, que valent 24. marchas et 3. uncias et 3. partem unius uncie, et duas 57. partes unius uncie ad pondus Budense, quarum quelibet valet 4. florenos auri, que valent in universo 96. florenos auri et 11. boeminos grossos.

Summa summarum omnium marcharum predictarum receptarum per me predictum Rufinum in Civitate et diocesi sepedictis, reductarum ad florenos auri, secundum quod superius continetur, 645. floreni auri et 11. boemini grossi.

Summa restarum dictarum Civitatis et diocesis 6. marche fini argenti ad pondus Transilvanense (preter supradicta beneficia, de quibus non extitit concordatum).

Civitatis et diocesis Zagrabiensis.

In Civitate et diocesi Zagrabiensi dominus Episcopus fecit quemdam Subcollectorem et ego consensi. Postea idem Episcopus venit ad partes istas et nunc est ibi, ego tamen non potui redire Zagrabiam: intellexi tamen, quod aliqua beneficia vacaverunt ibi, et dictus Subcollector exigit partem debitam domino nostro, prout accepi: unde viderotur michi, quod mitteretur pro dicto Episcopo et preciporetur sibi, quod quicquid collectum est de fructibus supradictis in dicta diocesi faceret ad Curiam deportari. Ego enim locutus fui sibi et interrogavi eum, si sciebat beneficia, que vacaverunt ibidem, et valorem ipsorum, qui dixit, quod nesciebat: tamen si precipiatur sibi, ut predixi, ipse illud, quod debetur in eadem diocesi sua, poterit ad Cameram domini nostri facere deportari.

In Civitate et diocesi Boxinensi.

Nichil vacavit, quod ascenderet ultra 6. marchas, facta super hoc pluries inquisitione diligenti, quia illa Civitas et diocesis eius sunt prope Scismaticos et sunt quasi destructe.

In Civitate et diocesi de Ku.

Similiter nichil vacavit, quod ascenderet ultra 6. marchas, facta super hoc pluries inquisitione diligenti, quia ipse Civitas et diocesis eius sunt prope Scismaticos, et sunt quasi destructe.

Summa summarum omnium marcharum receptarum in Civitate et diocesi ac provincia Colocensis predictis. In primis videlicet fini argenti ad poudus Budenso 236. marche, quarum quelibet valet 4. flor. auri. Item fiui argenti ad pondus Trausilvanense 29. marche, valeutes 24. marchas et 3. uncias et tertiam partem unius uncie et duas 57. partes unius uncie, quarum quelibet valet 4. florenos auri.

Summa summarum omnium marcharum fini argenti receptarum per me Rufinum sepedictum in Strigoniensi et Colocensi Civitatibus et diocesibus, ac provinciis sepedictis ad pondus Budeuse 367. marche et dimidia et dimidius fertonus, quarum quelibet valet 4. florenos auri.

Item summa summarum omnium marcharum banalium, 176. banalibus pro marcha qualibet computatis, 9. marche, quarum quelibet valet 3. florenos auri.

Item summa summarum omnium marcharum argenti Vieunensium, 400. Viennensibus pro marcha qualibet computatis, 21. marche et dimidia et dimidius fertonus, quarum quelibet valet 3. floreuos et dimidium.

Item summa summarum omnium marcharum argenti boeminorum, 62. boeminis pro marcha qualibet computatis, qnorum 64. boemini faciunt unam marcham argenti, que valet 4. florenos auri quelibet, 10. marche.

Item summa summarum omuium marcharum argenti banalium de Quinqueecclesiis, 240. banalibus de Quiuqueecclesiis pro marcha qualibet computatis, 41. marche, quarum quelibet valet 3. flor. auri.

Item summa summarum omnium marcharum argenti communis boeminorum, 56. grossis boeminis pro qualibet marcha computatis, 23. marche, quarum quelibet valet 3. florenos et dimidium auri.

Item summa summarum omnium marcharum argenti ad pondus Transilvanense 29. marche, que valent 24. marchas et 3. uncias, et tertiam partem unius uncie et duas quinquagesimas septimas partes unius uncie ad poudus Budense, quarum quelibet valet 4. florenos auri.

Et sic sunt in summa 501. marche et nuus fertonus argenti diversorum ponderum et diversarum mauerierum, que reducte ad florenos auri secundum valorem ipsarum superius expressum valeut in universo 1913. florenos auri et 9. boemiuos grossos.

De quibus mille nongeutis et tredecim florenos auri, et novem boeminis grossis de argento deducuntur 1172. floreni auri, et due tertie partes unius floreni pro duabus partibus stipeudiorum michi Rufino debitorum pro octiugeutis septuaginta duobus diebus, quibus steti infra legatiouem michi commissam, ad rationem duorum florenorum auri pro qualibet die per dominum nostrum dñum papam michi assignatorum, prout de hiis stipendiis per ipsius domini litteras apparet. Et reliqua tertia pars stipendiorum predictorum deducitur de procurationibus bone memorie supradicti domini fratris Gentilis Cardiualis, pro quibus etiam ivi. Et sic remanent michi Rufiuo de supradictis fructibus beneficiorum vacantium 750. floreni auri et 14. boemini grossi et tertia pars unius boemiui.

De quibus 750. florenis auri et 14. boeminis grossis et tertia parte unius boemini existens Florentie, timens maris pericula, feci cambium cum sociis Societatis Bardorum, quod solvereut hic in Curia michi vel Camere dicti domini nostri domini pape 732. florenos auri et quartam partem unius floreni.

Computum Magistri Rufini de Civinio super quibusdam procurationibus bone memorie fratri Gentili tit. sancti Martini in Montibus presbitero Cardinali olim apostolice sedis Legato in Regno Ungarie debitis.

In nomine domini, amen. Notum sit omnibus, quod ego Rufinus de Civinio, olim Archidiaconus Tollensis in ecclesia Quinqueecclesiensi, nuntius ad partes Regni Ungarie per Sanctissimum patrem dominum nostrum, domiuum Iohanuem divina provideutia papam XXII. tam pro recolligendis fructibus primi anni beneficiorum vacantium in Strigoniensi et Colocensi Civitatibus, diocesibus et proviuciis, iutra triennium per dictum dominum nostrum Camere sue pro suis necessitatibus reservatis, quam etiam pro exigendis a Reverendis patribus dominis ... Strigoniensi Archiepiscopo, et ... Transilvanensi, ... Quiuqueecclesiensi ac ... Vesprimieusi Epīs, videlicet ab eodem Archiepo 603. et dimidiam, et a Transilvanensi 953. et a Quiuqueecclesieusi 30. et dimid., ac a Vesprimiensi Epis 124. marchas argenti ad pondus Budeuse, in quibus dicti Archiepus et Epi boue mem. fratri Gentili tit. s. Martiui in Montibus presbitero Cardinali, in partibus illis apostolice sedis Legato, dum adhuc viveret, pro suarum procuratiouum residuo

tenebantur, seu ab Hamboctone de Posonio, dudum ipsius Cardinalis hospite, et ab Octone Conradi de Eslarno de Vienna, laicis Strigoniensis et Pataviensis diocesum, procuratoribus ipsius dñi Cardinalis ad hoc specialiter constitutis, et ab aliis quibuscunque qui eas recepissent specialiter destinatis, recedens de Avinione intravi dictum Regnum Ungarie die XXII. mensis Octobris apud Zambor Zagrabiensis diocesis, anno Nativitatis dñi MCCCXVII. et dictum Regnum exivi die XII. mensis Martii presentis anni MCCCXX. Quicquid autem de dictis procurationibus inveni, et quicquid etiam de eisdem procurationibus michi Rufino predicto eiusdem domini nostri nomine extitit persolutum, hic inferius continetur.

In primis de supradictis 603. ac dimidia marchis argenti, quas dictus Archiepiscopus Strigoniensis solvere tenebatur, Magister Nicolaus Archidiaconus Nitriensis in ecclesia Strigoniensi pro domino Thoma Archiepiscopo Strigoniensi, et ecclesia ac Capitulo et clero Strigoniensi, et eius subditis anno Nativitatis domini Millesimo CCCXX. die III. mensis Februarii solvit michi Rufino, nomine domini nostri domini pape et apostolice sedis recipienti, 22. marchas fini argenti ad pondus Budense, quarum quelibet valet 4. florenos auri, et sic in summa valent 88. florenos auri, prout apparet per publicum Instrumentum scriptum manu Dionisii Bindi de Calenzano apostolica et Imperiali auctoritate notarii.

Residuum autem dictarum 603. et dimidie marcharum argenti, quod est 581. et dimidia marche argenti, dictus Archiepus solvit, seu solvi fecit supradicto Hambocloni de Posonio procuratori dicti domini Cardinalis, prout ipse Hambocto sponte confessus fuit se habuisse. Positum infra ad memoriale quod dictus Hambocto eas habuerit.

De supradictis 953. marchis argenti, quas dictus Episcopus Transilvanensis solvere tenebatur, Magister Iohannes Nobilis Archidiaconus Albensis in ecclesia Transilvanensi nomine domini Episcopi et ecclesie Transilvanensis anno domini Millesimo CCCXVIII. die XX. Septembris solvit michi Rufino, nomine domini nostri domini pape et apostolice sedis recipienti, 44. marchas et dimidiam, et 7. pondera et dimidium pondus fini argenti ad pondus Budense, quarum quelibet marcha valet 4. florenos auri, prout constat per publicum Instrumentum scriptum manu Dionisii Bindi de Calenzano notarii.

Item eodem anno die XXV. Octobris dictus dominus Episcopus Transilvanensis de supradicta quantitate marcharum quo supra nomine solvit michi predicto Rufino, eiusdem domini pape et ecclesie Romane recipienti, duas marchas et quatuor pondera et dimidium pondus argenti ad pondus Budense, prout constat per aliud publicum Instrumentum scriptum manu dicti Dionisii notarii: et sic valent in universo 46. marchas et 3. fertonos, que valent reducte ad florenos 187. florenos.

Item Anno Nativ. domini Millesimo CCCXX. die XIII. Ianuarii frater Michael Budensis, ordinis Predicatorum conventus sancti Nicolai Budensis, pro dictis domino Episcopo et ecclesia Transilvanensi solvit michi Rufino nomine quo supra recipienti 43. marchas argenti ad pondus Budense, penes eum depositas pro parte dicti Episcopi et solvendas michi Rufino, videlicet 37. marchas pro decimo retento per Hamboctonem de Posonio procuratorem dicti domini Cardinalis, eidem Hambocloni debito pro expensis faciendis pro mictendo Venetias 370. marchas, eidem Hamboctoni procuratori dicti domini Cardinalis per dictum Episcopum de dictis 953. marchis solutas, et alias 6. marchas pro expensis faciendis pro mictendo Venetias 47. marchas et unum fertonem michi in Ungaria solutas. Quod quidem argentum, licet ego receperim pro fino argento de Buda, tamen revera dictum argentum non fuit finum argentum, sed pro fino argento recepi, quia sic depositum erat penes dictum fratrem, et dictus frater nolebat ipsum dare nisi pro fino argento: unde ego considerans, quod dictus Episcopus erat mortuus, et quod dictum argentum poterat perdi, pro meliori recepi ipsum pro fino argento, et si fuisset finum argentum, habuissem de qualibet marcha 4. florenos auri et ascendisset ad summam 172. florenos auri: sed quia non fuit finum argentum, habui 24. florenos auri minus de totali summa, et sic restat quod de dictis 43. marchis habui 148. florenos auri.

De residuo autem supradictarum 953. marcharum, quas dictus Episcopus solvere tenebatur, dominus Petrus Archidiaconus de Zonico et Canonicus Transilvanensis, nuntius dicti domini Episcopi, nomine ipsius Episcopi et pro eo obtulit et coram me produxit quasdam litteras dicti domini Cardinalis eius sigillo ut prima facie apparebat sigillatas continentes, quod dictus dñus Episcopus solverat eidem domino Cardinali 520. marchas cum dimidia de quadam quantitate marcharum, in qua sibi tenebatur ratione procurationum primi, secundi et tertii anni sue legationis: quarum litterarum tenor per omnia talis est.

Nos frater Gentilis miseratione divina tit. sancti Martini in Montibus presbiter Cardinalis, apostolice sedis Legatus, notum facimus universis presentes litteras inspecturis, quod recepimus per manus

Francisci Lapi Rocchetti mercatoris nostri a Venerabili in Christo patre... dei gracia Episcopo Transilvanensi, dante et solvente pro se et nomine suo, ac Capituli et cleri excmpti et non exempti Civitatis et dioceasis Transilvanensis 520. marchas cum dimidia pro parte 938. marcharum cum dimidia, in quibus nobis tenebatur ratione procurationum nostrarum primi, secundi et tertii anni legationis nostre, boni et fini et puri argenti ad pondus Budense, de quibus 520. marchis cum dimidia prefatis Episcopo, Capitulo et clero quietationem plenariam facimus per presentes, absolventes eum auctoritate qua fungimur a penis et sententiis nostris, quas incurrerit procurationem ipsam in statutis sibi non solvendo terminis, ac dispensantes cum eo auctoritate apostolica nobis specialiter in hac parte concessa auper irregularitate, siquam contraxerit se divinis officiis immiscendo sic ligatus, de 418. marchis nobis adhuc debitis pro eisdem annis usque ad Pascha Resurrectionis proxime futurum sibi de gratia terminum prorogamus: ita tamen quod Hamboctoni civi Posoniensi cum expensis nobis mictendis, vel mercatoribus de Societate Perucciorum Venetiis suo periculo et expensis procurationem ipsam plenarie nobis solvat, alioquin penas et sententias nostras eundem Episcopum incurrere volumus ipso facto. Datum in Nova Civitate n. Idus Septembris, Pontificatus domini Clementis pp. V. Anno Sexto.

Item dictus dominus Petrus Nuntius nomine dicti domini Episcopi coram me produxit et michi ostendit quasdam alias litteras Hamboctonis civis Posoniensis procuratoris dicti domini Cardinalis continentes, quod dictus Hambocto procurator dicti dñi Cardinalis habuit a dicto Episcopo Transilvanensi per manus Iohannis dicti Nobilis Cancellarii sui 370. marchas et 3. fertones boni et fini argenti ad pondus Budense, de procurationibus dicti domini Cardinalis pro termino solutionis primi, secundi et tertii anni legationis eiusdem domini Cardinalis, quas dictus Hambocto sponte etiam confessus fuit se habuisse, et propterea posite infra ad memoriale eorum que dictus Hambocto procurator habuit de dictis procurationibus.

Item dictus Episcopus Transilvanensis produxit quasdam litteras dicti domini Cardinalis eius sigillo ut prima facie apparebat sigillatas continentes, quod dominus B. Electus Transilvanensis solvit eidem domino Cardinali 15. marchas pro parte procurationum dicti domini Cardinalis, fini argenti ad pondus Budense: quarum litterarum tenor per omnia talis est.

Nos frater Gentilis miseratione divina tit. sancti Martini in Montibus presbiter Cardinalis, apostolice sedis Legatus, notum facimus universis presentes litteras inspecturis, quod recepimus per manus Francisci Lapi Rocchetti mercatoris nostri a dilecto in Christo filio B. Electo Transilvano 15. march. pro parte procurationum nostraram boni, fini et puri argenti ad pondus Budense: de quibus 15. marchis eidem Electo quietationem facimus per presentes, quas in testimonium fieri fecimus et nostri sigilli munimine roborari. Datum Posonii XVIII. Kal. Ianuarii, Pontificatus dñi Clementis pp. V. Anno Sexto.

Memoriale quod supradictus Hambocto de Posonio procurator dicti domini Cardinalis de procurationibus dicti domini Cardinalis habuit ab Archiepo Strigoniensi, ut supra narratum est, 581. marchas et dimidiam fini argenti ad pondus Budense de 603. et dimidia marchi argenti, quas pro residuo procurationum dicti dñi Cardinalis idem Archiepus solvere tenebatur.

Item memoriale quod supradictus Hambocto procurator dicti domini Cardinalis habuit ab Episcopo Transilvanensi, ut supra narratum est, 370. marchas et 3. fertones fini argenti ad pondum Budense de 953. marchis fini argenti ad pondus Budense, quas pro residuo procurationum dicti dñi Cardinalis idem Episcopus solvere tenebatur.

Anno Nativ. domini Millesimo CCCXX. die X. Martii supradictus Hambocto olim procurator dicti domini Cardinalis solvit michi Rufino, nomine nostri dñi pape et apostolice sedis recipienti, 3. marchas et unum fertonem fini argenti ad pondus Budense, quarum quelibet valet 4. florenos auri, de eo quod receperat de procurationibus dicti domini Cardinalis, prout constat per publicum Instrumentum scriptum manu Dionisii Bindi de Zalenzano (Calenzano) notarii publici.

Item dictus Hambocto ostendit et coram me produxit quasdam litteras dicti domini Cardinalis eius sigillo ut prima facie apparebat sigillatas continentes, quod dictus Hambocto solvit dicto domino Cardinali 431. marchas fini argenti, ad pondus Budense de 603. et dimidia marchis argenti dicti ponderis, quas ... Archiepus Strigoniensis eidem domino Cardinali de residuo procurationum suarum dare et solvere tenebatur: quarum litterarum tenor per omnia talis est.

Nos frater Gentilis miseratione divina tit. sancti Martini in Montibus presbiter Cardinalis, apostolice sedis Legatus, notum facimus universis presentes litteras inspecturis, quod recepimus per manus Francisci Lapi Rocchetti, mercatoris nostri, a dilecto in Christo filio Hamboctone cive Posoniensi, dante

et solvente pro Venerabili in Christo patre Thoma dei gratia Archiepo Strigoniensi, de 603. marchis cum dimidia nobis debitis pro remanenti procurationum nostrarum primi, secundi et tertii anni nostre legationis, 431. marchas cum dimidia boni, fini et puri argenti ad pondus Budense: de quibus 431. marchis cum dimidia prefato Hamboctoni predicti Archiepiscopi nomine quietationem plenariam facimus per presentes, quas in testimoninm fidei fecimus et nostri sigilli munimine roborari. Datum in Nova Civitate Salzburgensis diocesis II. Idus Septembris, Pontificatus dñi Clementis pp. V. Anno Sexto.

Item dictus Hambocto ostendit et coram me produxit duo publica Instrumenta, ut prima facie apparebat, scripta manu Guidonis Blasii notarii de Bononia in anno Nativitatis domini Millesimo CCCXII. Indictione X. die VI. Septembris continentia unum, quod Iacobus quondam Deperti de Posonio nuntius ipsius Hamboctonis nomine ipsius Hamboctonis solvit Venetiis Bartholino Salimbenis, procuratori Sociorum Societatis de Spinis, in una parte marchas 272. cum dimidia fini argenti ad pondus Budense, et aliud Instrumentum 150. marchas fini argenti dicti ponderis in alia parte de procurationibus dicti dñi Cardinalis, quas dictus Hambocto receperat. Positum est infra ad memoriale, quod dictus Bartholinus procurator dicte Societatis dictas 422. et dimidiam marchas fini argenti ad pondus Budense habnerit. (Ista solutio continet summam 422. et dimidie marcharum ad pondus Budense, posita infra ad memoriale, quod Bartholinus Salimbenis procurator Societatis de Spinis eas habnerit.)

Item dixit et por Instrumentum sue procurationis ostendit dictus Hambocto se potuisse et posse retinere decimum eius, quod recipiobat, pro expensis faciendis in mictendo Venetias, illud quod recipiebat: quod quidem decimum dixit esse residuum eius, quod receperat, quod residuum est 95. marche fini argenti ad pondus Budonse.

Memoriale quod dominus Archiepiscopus Strigoniensis dixit se dedisse supradicto Hamboctoni 15. marchas argenti ad pondus Budense pro mittendo Venetias 150. marchas argenti, quas postea non misit, et dictus Hambocto eas confessus fuit se habuisse.

Item memoriale quod dictus Archiepus debebat solvere duas marchas argenti pro expensis faciendis in mictendo Venetias 22. marchas, quas michi in Ungaria solvit, ut supra dictum est.

Item memoriale, quod de supradictis 17. marchis ego Rufinus conveni onm supradicto Hamboctone, quod ipse deberet securare me et familiam meam cum bonis et rebus, que habebamus, de Posonio usque Viennam de Austria suo periculo et fortuna, et quod de ipsis 17. marchis ipse et dominus Archiepiscopus essent quiti, prout constat per publicum Instrumentnm scriptnm manu Dionisii Bindi de Calenzano notarii pnblici, anno Nativitatis domini Millesimo CCCXX. die X. Martii, qnod postea fecit et propterea debent esse quiti et absoluti.

Memoriale, quod Bartholinus Salimbenis procurator Societatis de Spinis habuit a Iacobo quondam Deperti de Posonio, nuntio Hamboctonis de Posonio olim procuratoris dicti domini Cardinalis, solvente nomine dicti Hamboctonis 422. et dimidiam marchas fini argenti ad pondus Budense in duabus solntionibus, de procurationibus dicti dñi Cardinalis ad manus dicti Hamboctonis perventis, prout constat per publicum Instrumenta scripta manu Guidonis Blasii notarii de Bononia in anno Nativ. dñi Millesimo CCCXII. Indict. X. die VI. Septembris.

Episcopi Vesprimiensis.

De supradictis 124. marchis fini argenti ad pondus Budense, quas ... Episcopus Vesprimiensis supradictus tenebatur de procurationibus dicti domini Cardinalis, solvit michi Rufino, prout inferius continetur.

In primis anno Nativ. domini Millesimo CCCXVIII. die XVI. Febr. dominus Stephanus Episcopus Vesprimiensis nomine suo et Capituli, ac cleri sui exempti et non exempti Civitatis et diocesis Vesprimiensis solvit michi Rufino, nomine domini pape et apostolice sedis recipienti, 24. marchas fini argenti ad pondus Budensem de supradictis 124. marchas per dictum Epm dicto dño Cardinali debitis.

Item eodem anno die XIII. Augusti dictus Epus nomine quo supra solvit michi Rufino nomine quo supra recipienti de supradictis 124. marchis per eum debitis 20. marchis communis argenti.

Item eodem anno ultima Novombris dictus Episcopus nomine quo supra solvit michi Rufino nomine quo supra recipienti 124. marchis per eum debitis 40. marchas communis argenti.

Item anno Nativ. domini Millesimo CCCXIX. die X. Febr. dictus Episcopus nomine qno supra solvit michi Rufino, quo supra nomino recipienti, de supradictis 124. marchis per eum debitis 35. marchas fini argenti ad pondus Budense.

Item eodem anno die XVII. Maii dictus Episcopus nomine quo supra solvit michi Rufino, quo supra nomine recipienti, de supradictis 124. marcbis per eum debitis 12. marcbas cum dimidia fini argenti ad pondus Rudense de residuo procurationum predictarum, videlicet 5. pro complemento numeri 124. marcharum, et 7. et dimidiam marcbas pro suppletione et restauratione defectus 60. marcharum communis argenti, quas supradictus Magister Rufinus a dicto Episcopo in duabus solutionibus receperam, cum dicte 60. marche de fino argento esse debeant.

De omnibus solutionibus suprascriptis factis per... Episcopum Vesprimiensem supradictum constat per publica Instrumenta scripta manu Dionisii Bindi de Calenzano notarii publici.

EPISCOPI QUINQUEECCLESIENSIS.

De supradictis 30. et dimidia marchis fini argenti ad pondus Budense, quas... Episcopus Quinqueecclesiensis supradictus solvere tenebatur de procurationibus dicti domini Cardinalis, idem Episcopus solvit michi quantitates, que inferius continentur.

In primis anno Nativ. domini Millesimo CCCXIX. die IIII. Martii dominus Thomas Prepositus de Hanta Vesprimiensis diocesis nomine domini Laudislai Episcopi Quinqueecclesiensis et ecclesie suc, et Capituli et cleri exempti et non exempti Civitatis et diocesis Quinqueecclesiensis et pro eis solvit michi Rufino, nomine domini pape et apostolice sedis recipienti, de supradicta quantitate 30. et dimidie marcharum argenti ad pondus Budense per dictum dñum Epum debitis 20. et dimidiam marchas fini argenti ad dictum pondus Budense.

Item eodem anno die XXVIII. Aprilis dictus Prepositus nomine quo supra solvit michi Rufino, recipienti quo supra nomine, pro supplemento solutionis dictarum 30. et dimidie marcharum argenti per dictum Episcopum debitarum 10. marcbas fini argenti ad dictum pondus. De quibus quidem solutionibus apparet per publica Instrumenta scripta manu dicti Dionisii Bindi de Calenzano publici notarii.

Summa summarum omnium marcbarum quas ego Rufinus recepi ab Archiepiscopo Strigoniensi et... Transilvanensi,... Vesprimiensi et... Quinqueecclesiensi Episcopis, et ab Hamboctone de Posonio procuratore dicti dñi Cardinalis de procurationibus ipsius dñi Cardinalis 269. marche et dimidia, computatis 43. marchis que non fuerunt fini argenti, et computatis 131. marcbis cum dimidia tam fini quam communis argenti receptis ab Episcopo Vesprimiensi pro 124. marchis fini argenti, quas solvere tenebatur, et computata qualibet marcba fini argenti 4. florenos auri, et dictis 43. marchis, prout valuerunt, secundum quod superius dictum est. Que quidem 269. marche et dimidia valent in universo iuxta valorem dictum superius 1054. florenos anri.

De quibus 1054. florenis auri doducentur 581. floreni auri et tertia pars unius floreni pro tertia parte stipendiorum michi Rufino debitorum pro 872. diebus, quibus steti infra legationem michi commissam, ad rationem duorum florenorum auri pro qualibet die per dominum nostrum dominum papam michi assignatorum, prout de huiusmodi stipendiis per ipsius domini pape litteras apparet, et reliqne due partes stipendiorum meorum deducnntur de fructibus beneficiorum vacantium pro quibus etiam ivi. Et sic michi Rufino remanent de supradictis procurationibus 472. floreni auri et due tertie partes unius floreni.

De quibus 472. florenis auri et duabus tertiis partibus unius floreni existens Florentie, timens maris pericula, feci cambium cum sociis societatis Bardorum de Florentia, quod solverent hic in Curia michi vel Camere domini nostri domini pape 461. florenos auri et qnartam partem unius floreni.

CXCV.

Cum Nicolao de Mentio et Rosa Martii Lucari civibus Ragusinis dispensatur super matrimonio in quarto consanguinitatis gradu contrahendo. Reg. An. V. part. 1. ep. 587.

IOHANNES EPISCOPUS etc. Dilecto filio Nicolao nato quondam Mathie do Mentio, et dilecte in Christo filie Rose nate dilecti filii Martii Lucari, civibus Ragusinis, salutem etc. Etsi coniunctio copule coniugalis quarto consanguinitatis gradu sacris sit canonibus interdicta, apostolice tamen sedis copiosa benignitas nonnunquam horum rigorem mansuetudine temperans super hiis, prout ex alto sibi permittitur, dispensat interdum, et quod iuris negat severitas, de gratia pietatis indulget, prout personarum, locorum et temporum qualitate pensata, id in deo conspicit salubriter expedire. Petitio siquidem vestra nobis exhibita continebat, quod vos ad sedandum graves guerras et inimicicias periculosas et odia, que ab antiquo inter parentes, consanguineos et amicos utriusque vestrum fuisse noscuntur, ac periculis animarum et corporum, que ex eis verisimiliter provenire poterant, obviandum, parentum,

consanguineorum et amicorum ipsorum interveniente consensu, affectatis ad invicem matrimonialiter copulari: verum quod quarto consanguinitatis gradu, quo mutuo vos contingitis, obsistente id efficere legitime non potestis, pro parte vestra fuit nobis humiliter supplicatum, ut providere vobis super hoc de oportune dispensationis beneficio dignaremur. Nos igitur, qui libenter Christi fidelibus quietis et pacis commoda procuramus, votis vestris benigne annuere in hac parte volentes, vestris supplicationibus inclinati vobiscum, quod impedimento consanguinitatis huiusmodi non obstante, matrimonium insimul contrahere valeatis, auctoritate apostolica de speciali gratia dispensamus. Nulli ergo etc. nostre dispensationis etc. Datum Avinione x. Kalendas Aprilis, Pontificatus nostri Anno Quinto.

CXCVI.

Laurentius ord. Minorum professor ecclesiæ Ragusinæ in archiepiscopum præficitur. Reg. An. VI. ep. 1271.

IOHANNES EPISCOPUS etc. Dilecto filio Laurentio Electo Ragusino, salutem etc. Romana ecclesia, que super universas alias orbis ecclesias obtinet divina institutione primatum, circa singulas materne diligencie cura sedula vigilans earum profectibus velud solicita mater ardenter intendat, studens, ut per sue prudencie (providencie) ministerium ecclesiis, ipsis presertim Cathedralibus, proficiantur viri idonei in pastores, qui eas in spiritualibus et temporalibus possint et sciant salubriter gubernare. Olim siquidem bone memorie Petro Archiepiscopo Ragusino ecclesie Ragusine regimini presidente, Nos intendentes eidem ecclesie Ragusine, cum vacaret, de persona idonea providere, provisionem faciendam ea vice dicte ecclesie de prelato, quam cito eam contingeret pastore carere, dispositioni nostre certis de causis duximus specialiter reservandam, decernentes extunc irritum et inane, si secus super hiis per quoscumque scienter vel ignoranter contingeret attemptari. Postmodum autem dicto Archiepiscopo viam universe carnis ingresso, Nos de ipsius ecclesie Ragusine ordinatione solicite cogitantes, ne prolixioris vacationis incommodis exposita remaneret, post vigilem, quam ad perficiendum eidem ecclesie Ragusine idoneam approbatamque personam adhibuimus, diligenciam ad te ordinis fratrum Minorum professorem, in sacerdotio constitutum, virum utique, prout fidedignorum habet assertio, vite laudabilis, conversationis placide, morum honestate decorum, discretionis et consilii maturitate conspicuum, in spiritualibus providum et temporalibus circumspectum, direximus oculos nostre mentis: quibus omnibus debita meditatione pensatis, intendentes tam gregi dominico quam dicte Ragusine ecclesie salubriter providere, de persona tua ipsi Ragusine ecclesie de fratrum nostrorum consilio auctoritate apostolica providimus, teque illi in Archiepiscopum proficimus et pastorem, curamque et administrationem ipsius tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, firma concepta fiducia, quod dirigente domino actus tuos prefata Ragusina ecclesia per tue circumspectionis industriam prospere dirigetur, sibique, divina favente clementia, salubria provenient incrementa. Tolle igitur iugum domini tam leve collis humilibus quam suave, et in dilectione domini pascendum suscipe gregem eius, super quo noctis vigilias diligens custodi, ut liber non pateat aditus invasori, et dominus in suspicabili hora venturus, si te invenerit sic agentem, cursu consumato, qui tuo labori preponitur, et horum fide servata, que tue solicitudini committuntur, te fidelem compertum in modico super multa constituat et in dilecta gaudiorum suorum tabernacula introducat. Datum Avinione III. Idus Ianuarii, Pont. nostri Anno Sexto.

In e. m. Capitulo Ragusine ecclesie, Clero civitatis et diocesis Ragusine et universis Suffraganeis ecclesie Ragusine.

CXCVII.

Ioanni electo Iadrensi, examinata eius electione etc., pallium pontifex concedit. Reg. An. VI. ep. 797.

IOHANNES EPISCOPUS etc. Dilecto filio Iohanni electo Iadrensi, salutem etc. Dudum ecclesia Iadrensi per obitum bone memorie Nicolai Archiepiscopi Iadrensis pastoris solatio destituta, dilecti filii Capitulum eiusdem ecclesie te, tunc Plebanum Plebis sancti Mathei Iadrensis, per formam scrutinii concorditer elegerunt, duobus ex eis dumtaxat exceptis, qui nec consensum, nec dissensum electioni huiusmodi prestiterunt, tuque electioni huiusmodi consentiens illamque a Venerabili fratre nostro ... Patriarcha Gradensi, in cuius Patriarchatu eadem ecclesia consistit, et eidem Patriarche immediate subiecta metropolitico iure, obtinens confirmari, demum fuisti per eundem Patriarcham in Iadrensem Archiepiscopum consecratus. Cumque postmodum palleum, insigne videlicet plenitudinem Pontificalis officii, ex parte tua fuisset a nobis per dilectum filium Martinum Abbatem monasterii sancti Michaelis de Monte ordinis sancti Benedicti Iadrensis diocesis, Nuncium tuum ad hoc specialiter deputatum, cum ea qua

decuit instantia postulatum, nos dilecto filio nostro Neapoleoni sancti Adriani diacono Cardinali commisimus oraculo vive vocis, ut de modo et forma electionis et confirmationis ac consecrationis huiusmodi plenius se informans nobis referre curaret, quicquid eum super hiis contingeret invenire. Cum autem idem Cardinalis huiusmodi informatione recepta nobis in fratrum nostrorum presencia retulisset, quod tam circa electionem quam etiam circa confirmationem et consecrationem huiusmodi omnia rite processerant iuxta canonicas sanctiones: pro parte dilecti filii Romani de Setia clerici Terracinensis diocesis illico fuit propositum coram nobis, quod ipse nomine quorumdam de Civitate Iadrensi, quorum se procuratorem fore dicebat, contra tuam et electorum tuorum personas maioris excommunicationis sentenciam et nonnulla crimina obicere intendebat. Nos vero dilecto filio nostro Petro tituli sancti Stephani in Celiomonte presbitero Cardinali, sancte Romane ecclesie Vicecancellario, negotium huiusmodi audiendum vive vocis oraculo commisimus nobis per eum postmodum referendum: coram quo comparentibus Abbate procuratore tuo et Romano predictis, idem Romanus licet protulisset coram prefato Vicecancellario, te et electores tuos fuisse tempore electionis prefate et adhuc esse maioris excommunicationis vinculo innodatos et nonnullis criminibus irretitos, qui tamen nullum mandatum nec alias ydoneum super hoc in prefixo ei peremptorio termino competenti per Cardinalem eundem se exhibuit, idem Cardinalis Romanum predictum tamquam personam ad heo propterea minus legitimam et eius oppositiones repulit memoratas: et quamvis postmodum dictus Vicecancellarius prefatum Romanum se velle suo nomine proprio contra te, et dictos electores tuos oppositiones huiusmodi prosequi asserentem ad hoc de mandato nostro duxerit admittendum, nichil tamen idem Romanus super predictis contra te, vel electores predictos probasse dinoscitur infra terminum peremptorium ad hoc ei per dictum Vicecancellarium assignatum, per que assignationem huiusmodi pallei posset quomodolibet impedire. Facta autem nobis postmodum super hiis per eundom Vicecancellarium relatione plenaria et fideli, quia per ea, que in dicto negotio acta sunt coram eo, nobis constitit, quod assignatio dicti pallei non erat aliquatenus deneganda, nec etiam retardanda, nos tuis supplicationibus annuentes, palleum ipsum de corporc beati Petri sumptum per dictum Abbatem Venerabilibus fratribus nostris ... Segniensi et ... Nonensi Episcopis tradendum tibi per eos, vel eorum alterum de fratrum nostrorum consilio duximus destinandum, ut illud tibi assignent iuxta formam, quam eis sub bulla nostra mittimus inclusam, et a te nostro et ecclesie Romane nomine sub forma, quam sub eadem bulla dirigimus, fidelitatis solite recipiant iuramentum. Tu autem illo intra ecclesiam tuam illis diebus dumtaxat utaris, que expressi in ipsius ecclesie privilegiis continentur. Ut igitur signum non discrepet a signato, sed quod geris exterius, intus serves in mente, discretionem tuam monemus et hortamur attente per apostolica tibi scripta mandantes, quatenus humilitatem et iusticiam, dante domino, qui dat premia et munera elargitur, observare studeas, que suum servant et promovent servatorem, et Iadrensem ecclesiam sponsam tuam cures solicite, auctore domino, spiritualiter et temporaliter augmentare. Datum Avinione XVI. Kal. Aprilis, Pont. nostri Anno Sexto.

CXCVIII.

Segniensi et Nonensi episcopis committitur, ut pallium assignent eidem archiepiscopo Iadrensi, et ab eo solitum iuramentum recipiant. Reg. An. VI. ep. 796.

IOHANNES EPISCOPUS etc. Venerabilibus fratribus ... Segniensi et ... Nononsi Episcopis, sal. etc. Dudum ecclesia Iadrensi per obitum bone memorie Nicolai Archiepi Iadrensis pastoris solatio destituta, dilecti filii Capitulum eiusdem ecclesie dilectum filium Iohannem Electum Iadrensom, tunc Plebanum plebis sancti Mathei Iadrensis, in Archiepiscopum Iadrensem concorditer, duobus dumtaxat exceptis, elegerunt, idemque electus huiusmodi electioni consentiens illamque a Venerabili fratre nostro ... Patriarcha Gradensi, in cuius Patriarchatu esclesia ipsa consistit, et eidem Patriarche immediate subiecta metropolitico iure, obtinens confirmari, dsmum fuit per eundem Patriarcham in Iadrensem Archiepum consecratus. Cumque postmodum palleum, insigne videlicet plenitudinis Pontificalis officii, ex parte eiusdem electi fuisset a nobis per dilectum filium Martinum Abbatem monasterii sancti Michaelis de Monte ordinis sancti Benedicti Iadrensis diocesis, Nuncium suum ad hoc specialiter deputatum, cum ea qua decuit insticia postulatum, nos ipsius Electi supplicationibus annuentes, palleum ipsum de corpore beati Petri sumptum per dictum Abbatem vobis, ut vos vel alter vestrum illud assignetis eidem iuxta formam, quam vobis sub bulla nostra mittimus interclusam, duximus destinandum. Quocirca fraternitati vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus vos vel alter vestrum eidem Electo palleum ipsum iuxta premissam formam assignare curetis, et ab ipso nomine nostro et ecclesie Romane sub

forma, quam sub eadem bulla dirigimus, fidelitatis recipere iuramentum. Formam autem iuramenti, quod dictus electus prestabit, nobis de verbo ad verbum per eius patentes litteras suo sigillo signatas per proprium nuncium quamtocius destinare curetis. Datum Avinione XVI. Kalendas Aprilis, Pontificatus nostri Anno Sexto.

CXCIX.

Laurentio electo Ragusino conceditur, ut a quocumque malueris antistite catholico consecrationis munus recipere valeat.
Reg. An. VII. part. 1. ep. 42.

IOHANNES EPISCOPUS etc. Dilecto filio Laurentio in Archiepiscopum Ragusinum electo, salutem etc. Cum nuper Ragusine ecclesie tunc vacanti de te de fratrum nostrorum consilio duxerimus providendum, preficiendo te illi in Archiepiscopum et pastorem, prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur: Nos ad ea, que ad tue commoditatis augmentum cedere valeant, favorabiliter intendentes, tuis supplicationibus inclinati tibi, ut a quocumque malueris catholico Antistite gratiam et communionem apostolice sedis habente, ascitis et in hoc sibi assistentibus duobus vel tribus aliis catholicis Episcopis eandem gratiam et communionem habentibus, consecrationis munus recipere valeas, ac eidem Antistiti, ut munus predictum impendere tibi possit, plenam et liberam concedimus tenore presentium facultatem. Volumus autem, quod idem Antistes, qui tibi munus impendet predictum, a te nostro et ecclesie Romane nomine iuxta formam, quam tibi sub bulla nostra mittimus interclusam, fidelitatis recipiat solitum iuramentum, ac formam iuramenti, quod te prestare contigerit, nobis de verbo ad verbum per eius patentes litteras tuo sigillo signatas per proprium nuncium quantocius destinare procuret. Datum Avinione III. Nonas Octobris, Pontificatus nostri Anno Septimo.

CC.

Nicolaus ord. Heremitarum professor ecclesiae Drivastensi in episcopum praeficitur. Reg. An. VII. par. 1. ep. 558.

IOHANNES EPISCOPUS etc. Dilecto filio Nicolao electo Drivastensi, salutem etc. Cum pastoralis officii etc. Dudum siquidem ecclesia Drivastensi per obitum bone memorie Dominici Episcopi Drivastensis, qui fuit in illis partibus viam universe carnis ingressus, pastoris solatio destituta, cum dilecti filii Capitulum ipsius ecclesie ad electionem, vel postulationem de futuro eorum Episcopo procedere infra tempus debitum neglexissent, Venerabilis frater noster Andreas Archiepiscopus Antibarensis loci metropolitanus, asserens potestatem providendi ea vice ipsi ecclesie de pastore fuisse iuxta generalis statuta Concilii ad se legitime devolutam, ex potestate huiusmodi sibi competentis, ut dicebat, de te ordinis fratrum Heremitarum professore, in sacerdotio constituto, ecclesie prefate providit, preficiendo te illi in Epum et pastorem, tuque apud sedem apostolicam constitutus provisioni huiusmodi, obtenta super hoc a tuo superiore licencia, infra tempus legitimum consensisti. Demum vero, antequam te administrationi eiusdem ecclesie ingessisses, huiusmodi provisionis negotio pro parte tua coram nobis et fratribus nostris exposito, nos in ipsorum fratrum presencia eodem examinato negotio ex certis causis legitimis cassavimus et irritavimus, quicquid super hoc actum extitit per Archiepiscopum prelibatum. Et subsequenter intendentes ecclesie predicte de persona ydonea, que ipsi ecclesie preesse ac prodesse salubriter valeat, providere, post deliberationem, quam cum eisdem fratribus super hoc habuimus diligentem, tandem in te, cui religionis zelum, vite munditiam, honestatem morum, litterarum scienciam, circumspectionis industriam et aliarum virtutum merita ex fidedignis testimoniis suffragari percepimus, intuitum direximus nostre mentis: quibus omnibus debita meditatione discussis, de persona tua eidem ecclesie Drivastensi de fratrum predictorum consilio providemus, teque ipsi preficimus in Episcopum et pastorem, curam et administrationem illius tam in spiritualibus quam in temporalibus plenarie commictendo, firma concepta fiducia, quod dirigente domino actus tuas dicta ecclesia salutis et prosperitatis votiva suscipiet incrementa. Quocirca discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus impositum tibi onus a domino subportans humiliter, curam et administrationem predictas gerere studeas fideliter et prudenter, proficiendo tibi per vite meritum et aliis per exemplum, ita quod eadem ecclesia pastori utili et fructuoso administratori gaudeat se commissam, tuque preter eterne retributionis premium a nobis et eadem sede continuum benedictionis et gracie propterea merearis percipere incrementum. Datum Avinione II. Kal. Marcii, Pontificatus nostri Anno Septimo.

In e. m. Dilectis filiis Capitulo ecclesie Drivastensis, Clero et populo Civitatis et diocesis Drivastensis, universis Vassallis ecclesie Drivastensis et Venerabili fratri ... Archiepiscopo Antibarensi.

CCI.

Eidem Nicolao episcopo conceditur licentia a curia recedendi. Reg. An. VII. part. 1. ep. 559.

IOHANNES EPISCOPUS etc. Venerabili fratri Nicolao Episcopo Drivastensi, salutem etc. Pridem Drivastensi ecclesia solatio destituta pastoris, nos ad personam tuam religionis zelo, vite mundicia, litterarum sciencia aliisque virtutum titulis insignatam nostre mentis aciem dirigentes, te de fratrum nostrorum consilio eidem in Epum prefecimus et pastorem, curam et administrationem ipsius tibi in spiritualibus et temporalibus committentes. Cum autem per Venerabilem fratrem nostrum Berengarium Episcopum Portuensem tibi postmodum fecerimus munus consecrationis impendi, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenus apostolice sedis beneplacitis te conformans ad predictam Drivastensem ecclesiam cum nostre benedictionis gratia te conferre procures, sic to in administratione ipsius diligenter et sollicite habiturus, ut utilis administratoris industrie non immerito gaudeat se commissam, ac fame laudabilis tue odor ex tuis probabilibus actibus latius diffundatur, et preter retributionis eterne premium nostre benivolentie gratiam et favorem exinde plenius consequaris. Datum Avinione XV. Kal. Aprilis, Pontificatus nostri Anno Septimo.

CCII.

Archiepiscopi Antibarensis et Ragusinus et episcopus Tragurieusis conservatores Dompnio Catharensi episcopo dantur. Reg. An. VIII. Com. par. 1. ep. 650. fol. 211.

IOHANNES EPISCOPUS etc. Venerabilibus fratribus ... Antibarensi et ... Ragusino Archiepiscopis ac ... Episcopo Tragurieusi, salutem etc. Ad hoc nos deus pretulit in familiam domus sue, ut oportuna singulis provisionis auxilia fidelis servitutis iniuncte prudencia pro tempore dispensantes, eorum presertim necessitatibus intendamus, occurramus dispendiis, ipsosque ab oppressionibus relevemus, qui assumpti in partem sollicitudinis potioris sunt dignitatis titulo insigniti. Sane Venerabilis fratris nostri Dompnii Catharensis Episcopi conquestione percepimus, quod nonnulli clerici et ecclesiastice persone tam religiose quam seculares in dignitatibus et personatibus constitute, necnon Duces, Barones, Marchionis, Comites, Nobiles, Milites, Universitates Castrorum, Villarum et locorum Catharensis Civitatis ot diocesis ac partium vicinarum occupaverunt, et occupari fecerunt Castra, Villas, casalia, terras, possessiones, vassallos, homines, iura, iurisdictiones, et nonnulla alia bona mobilia et immobilia ad mensam snam Episcopalem Catharensem spectantia, et ea detinent occupata, sen huiusmodi detinentibns prestant auxilium, consilium vel favorem. Nonnullo quoquo alie persone ecclesiastice seculares et regulares, Duces, Comites, Barones et Nobiles ac Universitates et singulares persone Castrorum, Villarum et locorum Civitatis et diocesis ac partium predictarum de redditibus, proventibus, censibus, iuribus et rebus aliis ad dictam mensam spectantibus eidem Episcopo, vel eius Vicariis seu procuratoribus nolunt aliquatenus respondere. Nonnulli etiam Civitatis et diocesis et partium predictarum, qui nomen domini in vacuum recipere non formidant, eidem Episcopo in Castris, Villis, casalibus, terris, possessionibus, vassallis, hominibus, libertatibus, immunitatibus, iurisdictionibus, inribus, bonis et rebus aliis ad mensam predictam spectantibus multiplices molestias inferunt et iacturas. Quare dictus Epus nobis humiliter supplicavit, ut cum valde difficile reddatur eidem pro singulis querelis ad apostolicam sedem habere recursum, providere sibi super hoc paterna diligencia dignaremur. Nos igitur adversus occupatores, molestatores ot iniuriatores huiusmodi illo volentes ei remedio subvenire, per quod ipsorum compescatur temeritas, et aliis aditus commictendi similia precludatur, fraternitati vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus vos vel duo aut unus vestrum per vos vel alium seu alios, etiam si sint extra loca, in quibus deputati estis, conservatores et iudices prefato Episcopo efficacis defensionis presidio assistentes non permittatis eum super premissis ab eisdem, vel quibuscumque aliis occupatoribus, detentoribus, molestatoribus et inininatoribus indebite molestari, vel sibi gravamina seu dampna vel iniurias irrogari, facturi dicto Episcopo, cum ab eo vel Vicariis ant procuratoribus suis vel eorum aliquo fueritis requisiti, et predictis et aliis personis quibuslibet super restitutione dictorum Castrorum, Villarum, casalium, terrarum, possessionum, vassallorum, hominum, iurium, iurisdictionum ac bonorum immobilium, reddituum quoque ac proventuum, censuum et aliorum quorumcumque bonorum suorum, necnon de quibuslibet molestiis, iniuriis atque dampnis presentibus et futuris, in illis videlicet que iudicialem requirunt indaginem, de plano sine strepitu et figura iudicii, in aliis vero, prout qualitas ipsorum exegerit, iusticie complementum, occupatores seu detentores, molestatores seu iniuriatores huiusmodi, nec non contradictores quoslibet et rebelles, cuiuscumque dignitatis, status, ordinis vel conditionis extite-

rint, quantumcumque et quocienscumque expedierit, per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo, invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis, Non obstantibus tam felicis recordationis Bonifacii pp. VIII. predecessoris nostri, qua cavetur, ne iudices et conservatores a sede deputati predicta extra Civitatem et diocesim, in quibus deputati fuerint, contra quoscumque procedere, sive alii vel aliis vices suas committere, aut aliquos ultra unam dietam a fine diocesis eorumdem trahere presumant, seu quod de aliis quam de manifestis iniuriis et molestiis et aliis, que iudicialem indaginem exigunt, penis in eos, si secus egerint, et in id procurantes adiectis, conservatores se nullatenus intromictant, quam aliis quibuscumque constitutionibus a predecessoribus nostris Romanis Pontificibus tam de iudicibus delegatis quam conservatoribus aut aliis editis, que vestre possent in hac parte iurisdictioni aut potestati eiusque libero exercitio quomodolibet obviare, dummodo ultra duas dietas aliquis extra suam Civitatem et diocesim auctoritate presentium non trahatur; seu si aliquibus communiter vel divisim a predicta sit sede indultum, quod excommunicari, suspendi vel interdici, seu extra vel ultra certa loca ad iudicium evocari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi ac eorum personis, locis et ordinibus et nominibus propriis mentionem, et qualibet alia indulgencia dicte sedis generali vel speciali, cuiuscumque tenoris existat, per quam presentibus non expressam vel totaliter non insertam vestre iurisdictionis explicatio in hac parte valeat quomodolibet impediri, et de qua cuiusque toto tenore do verbo ad verbum in nostris litteris habenda sit mentio specialis. Ceterum volumus et apostolica auctoritate decernimus, quod quilibet vestrum prosequi valeat articulum etiam per alium inchoatum, quamvis idem inchoans nullo fuerit impedimento canonico impeditus, quodque a data presentium sit vobis et unicuique vestrum in premissis omnibus et eorum singulis ceptis et non ceptis presentibus et futuris perpetuata potestas et iurisdictio attributa, ut eo vigore eaque firmitate possitis in premissis omnibus coptis et non ceptis presentibus et futuris et pro predictis procedere, ac si predicta omnia et singula coram vobis cepta fuissent, et iurisdictio vestra et cuiuslibet vestrum in predictis omnibus et singulis per citationem vel modum alium perpetuata legitimum extitisset, Constitutione predicta super Conservatoribus et alia qualibet in contrarium edita non obstante. Presentibus post quinquennium minime valituris. Datum Avinione II. Kalendas Februarii, Pontificatus nostri Anno Octavo.

CCIII.

Thomae canonicus Esculanus ecclesiae Ragusinae in archiepum praedicitur. Reg. An. VIII. par. 2. ep. 1535.

IOHANNES EPISCOPUS etc. Dilecto filio Thome Electo Ragusino, salutem etc. Regimini universalis ecclesie etc. Dudum siquidem Ragusina ecclesia per obitum bone memorie Laurentii Archiepiscopi Ragusini, qui in partibus illis diem clausit extremum, pastoris solatio destituta, Nos vacatione ipsius ecclesio fidedignis relatibus intellecta, cupientes regimini eiusdem ecclesie personam utilem per nostre solicitudinis studium presidere, provisionem ipsius ecclesie ea vice disposicioni nostre ac sedis apostolice duximus specialiter reservandam, decernentes extunc irritum et inane, si secus super hiis per quoscunque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari. Postmodum autem dilecti filii Capitulum eiusdem ecclesie, huiusmodi nostre reservationis forsitan ignari, dilectum filium Marinum de Martonsio Canonicum Ragusinum in Ragusinum Archiepiscopum elegerunt: huiusmodi autem electionis negotio ad noticiam nostram deducto, nos electionem ipsam, utpote post et contra reservationem et decretum huiusmodi attemptatam, irritam, prout erat, decrevimus et inanem, ac deinde de ipsius ecclesie ordinatione celeri, ne prolixe vacacionis subiaceret incommodis, solicite cogitantes, et talem illi preesse pontificem cupientes, per quem posset dicta Ragusina ecclesia utiliter dirigi et salubriter gubernari, post deliberacionem, quam super hoc cum fratribus nostris habuimus diligentem, demum ad te Canonicum Esculanum, in sacerdocio constitutum, litterarum sciencia preditum, morum et vite honestate decorum, et multiplicium aliarum virtutum dotibus, prout ex testimoniis fidedignorum accepimus, insignitum, direximus aciem nostre mentis. Intendentes igitur tam dicte Ragusine ecclesie, quam gregi dominico eiusdem salubriter ot utiliter providere, et sperantes in domino, quod per tuum ministerium studiosum eadem Ragusina ecclesia poterit salubriter regi et utiliter gubernari, de persona tua nobis et eisdom fratribus accepta de dictorum fratrum consilio eidem ecclesie Ragusine auctoritate apostolica providomus, teque ipsi in Archiepiscopum preficimus et pastorem, curam et administrationem illius tibi tam in spiritualibus quam in temporalibus plenarie commictendo, firma concepta fiducia, quod eadem Ragusina ecclesia sub tuo felici regimine, dextera domini tibi assistente propicia, salubriter et prospere

dirigetur, et grata spiritualiter et temporaliter suscipiet incrementa. Quocirca discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus impositum tibi onus a domino suscipiens reverenter in ipsius Ragusine ecclesie ampliandis honoribus et profectibus promovendis sic te reddas sine intermissione solicitum, gregem dominicum in illa vigilancie tue commissum doctrina verbi et operis informando, ut exinde apud remotos et proximos tui fama clareat per effectum, et in delectationem nobis veniat oportuno tempore gratiose te prosequi, et tuis desideriis favorem benivolum impertiri. Datum Avinione XVII. Kal. Iunii, Pontificatus nostri Anno Octavo.

In e. m. Venerabilibus fratribus universis Suffraganeis et dilectis filiis Capitulo ecclesie Ragusine, Clero et populo Civitatis et diocesis Ragusine, necnon universis Vassallis ecclesie Ragusine.

CCIV.

Episcopo Castellanensi, ut duos canonicos Tergestinos et eorum sequaces propter excessus in inquisitorem haereticae pravitatis commissos ad comparendum coram pontifice citet. Reg. An. VIII. Secret. ep. 181.

IOHANNES EPISCOPUS etc. Venerabili fratri Episcopo Castellanensi, salutem etc. Verbum dei, cultum catholice fidei et reverentiam apostolice sedis ab hiis prohdolor! qui aliis esse debent sacre veneracionis exemplum, venisse nuper audivimus in contemptum. Habet enim odiosa nobis et plurimum infesta relatio dilecti filii Fabiani de ordine fratrum Minorum, Inquisitor heretice pravitatis in provincia Sclavonie, quod dudum ipse pridem in ecclesia Tergestina personaliter constitutus vellet, sicut predixerat, Tergestine predicare populo Civitatis, ut successive quasdam ibi apostolicas litteras promulgaret, ac pulpitum propterea ipsius ecclesie niteretur ascendere, factus est velut in propria veniens, et a suis ut decuit non receptus, dum Raymundus de Cremona et Michael de Padua Canonici eiusdem ecclesie, et nonnulli alii iniquitatis filii sequaces eorum assumpto protervie spiritu, conscitatis clamoribus, pulsatis campanis ad sturmum populoque turbato, circumdederunt Inquisitorem ipsum, et in eum pluries manibus violentis iniectis hunc de ascensu ipsius pulpiti traxere deorsum, percusserunt pugnis, et eodem astante populo sic plectibiliter tractaverunt, quod idem Inquisitor nec predicationis verbum proponere potuit, nec promulgare litteras memoratas, quas violenter huiusmodi temerarii de ipsius manibus abstulerunt, ut dicitur, et lacerassent illas, nisi eis potentia ipsius astantis populi restitisset. Ne igitur tantus excessus in gravem divine maiestatis offensam, iniuriam et contumeliam pariter nostram et sedis eiusdem perniciosis exemplis pretereatur impunis, fraternitati tue per apostolica scripta commictimus et mandamus, quatenus de premissis simpliciter, summarie et de plano, sine strepitu et figura iudicii diligenter et fideliter te informans, si rem inveneris ita esse, prefatos Raymundum et Michaelem et sequaces ipsorum, illos videlicet, de quibus premisso modo specialiter tibi constiterit, nominatim, alios vero generaliter excommunicatos denuncies et denunciari publice facias in locis, de quibus expedire videris, et mandes ab omnibus artius evitari, donec a predicta sede absolutionis beneficium mereantur: nichilominus predictos Canonicos et ceteros ex culpabilibus ipsis, qui clerici fuerint, interim suspendas ab officiis et beneficiis eorumdem, ac demum tam Canonicos ipsos et clericos sub pena privationis omnium beneficiorum et officiorum suorum huinsmodi, quam laycos, quos per informationem ipsam specialiter eorum fuisse repereris nominatim in hac parte sequaces, ex parte nostra peremptorie citare procures, ut infra certum et competentem terminum, quem eis prefixeris personaliter, in presentia nostra compareant, super hiis pro meritis recepturi. Diem vero eiusdem citationis et formam, et quicquid super premissis faciendum duxeris, per tuas patentes litteras vel instrumentum publicum harum seriem continens nobis scribas. Datum Avinione III. Nonas Iunii, Pontificatus nostri Anno Octavo.

CCV.

Gregorio episcopo Feltrensi committitur administratio ecclesiae Tergestinae. Reg. An. VIII. par. 2. ep. 1506.

IOHANNES EPISCOPUS etc. Venerabili fratri Gregorio Episcopo Feltrensi et Bellunensi, Administratori in spiritualibus et temporalibus ecclesie Tergestine, salutem etc. Inter ceteras sollicitudinis nostre curas, quibus assidue premimur, illud potissime continua nos pulsat instantia, angitque propensius mentem nostram, ut circa omnium ecclesiarum et ministrorum dei, presertim pontificali dignitate fulgentium, statum sic vigili ac sollerti solicitudine intendamus, ut ipsi ecclesie et ministri nostre cooperationis studio, eorum utilitate et necessitate pensatis, quantum nobis ex alto permittitur, tranquillis et votivis successibus gratulentur. Sane dudum ecclesia Tergestina per obitum bone memorie Radulphi Episcopi Tergestini in illis partibus decedentis pastoris solatio destituta, due fuerunt in ea electiones,

una videlicet de dilectis filiis Iusto Archidiacono Tergestino, et alia de Guidone de Villalta Canonico Aquilegensi, a dilectis filiis Capitulo eiusdem ecclesie Tergestine in discordia celebrate. Orta igitur inter eosdem Archidiaconum et Canonicum occasione electionum huiusmodi coram Venerabili fratre nostro ... Patriarcha Aquilegensi loci Metropolitano auctoritate metropolitica materia questionis, tandem huiusmodi negotio post nonnullos processus coram eodem Patriarcha habitos per appellationem ipsius Iusti ad sedem apostolicam legitime devoluto, et negotio ipso in consistorio exposito coram nobis, nos causam appellationis huiusmodi et negotii principalis bone memorie Berengario Episcopo Portuensi tunc viventi primo, et eo postmodum rebus humanis exempto, dilectis filiis nostris Petro tituli sancti Stephani in Celiomonte presbitero, ac deinde ex certa sciencia Iohanni sancti Theodori diacono Cardinalibus duximus commictendam, coram quibus successive fuit huiusmodi negotium ventilatum, et adhuc coram eodem Iohanne Cardinali remansit et remanet indecisum, propter quod eadem ecclesia Tergestina dampna non modica et incommoda est perpessa. Nos itaque volentes ecclesiam ipsam ab huiusmodi dampnis et incommodis inantea preservare, et attendentes quod tu possessionem bonorum et iurium ad tuam Episcopalem Feltrensem et Bellunensem mensam spectantium, ex eo quod per Gorgiam Decanum ecclesie Feltrensis tenentur indebite occupata, adipisci nequis, nec ad ea tutum habere potes accessum, sicque non habeas unde valeas iuxta tui status decentiam commode sustentari, et habentes propter hoc ad personam tuam paterne compassionis affectum, digneque volentes tam tibi, quod necessitates tue per apostolici favoris auxilium releventur, ne intollerabilis necessariorum defectus te in tanta preminencia dignitatis in opprobrium generalis ecclesie inhonoret, quam eidem ecclesie Tergestine, que dampna et incommoda ex diuturna vacacione spiritualiter et temporaliter verisimiliter posset incurrere, ut utilis gubernatoris presidio fulciatur, iuxta officii nostri debitum salubriter providere, dictam ecclesiam Tergestinam de fratrum nostrorum consilio tibi aucteritate apostolica commendamus, per te usque ad dicte sedis beneplacitum gubernandam, curam et administrationem ipsius plenam et liberam tibi in spiritualibus et temporalibus commictendo, ut eandem Tergestinam ecclesiam tue gubernationi et administrationi commissam spiritualiter et temporaliter iuxta datam a deo tibi prudentiam amplifices et augmentes, ac de fructibus, redditibus, proventibus, iuribus et obventionibus universis ad Episcopalem mensam Tergestinam spectantibus ordines et disponas, prout tuis et eiusdem ecclesie Tergestine commodis videris salubriter expedire, alienatione quorumcunque bonorum immobilium eiusdem Tergestine ecclesie tibi penitus interdicta. Tu itaque circa ipsius ecclesie Tergestine regimen salubriter exercendum sic te exhibeas studiosum, quod ipsa Tergestina ecclesia, divina tibi assistente clementia, sub tua gubernatione salubri votivis continuo amplietur commodis et salutaribus proficiat incrementis. Datum Avinione Nonis Iulii, Pontificatus nostri Anno Octavo.

In e. m. Venerabili fratri ... Patriarche Aquilegensi, et dilectis filiis Capitulo ecclesie Tergestine, universis Vassallis eiusdem ecclesie, necnon Clero et populo Civitatis et diocesis Tergestine, verbis competenter mutatis. Datum ut supra.

CCVI.

Thome electo Ragusino conceditur, ut munus consecrationis a quocumque maluerit antistite catholico recipere possit. Reg. An. VIII. par. 2. ep. 1536.

IOHANNES EPISCOPUS etc. Dilecto filio Thome Electo Ragusino, salutem etc. Cum nuper Ragusine ecclesie tunc vacanti de persona tua de fratrum nostrorum consilio duxerimus providendum, proficiendo te illi in Archiepiscopum et pastorem, pront in nostris inde confectis litteris plenius continetur: Nos ad ea, que ad tue commoditatis augmentum cedere valeant, favorabiliter intendentes, tuis supplicacionibus inclinati tibi, ut a quocunque malueris catholico Antistite gratiam et communionem apostolice sedis habente, ascitis et in hoc sibi assistentibus duobus vel tribus aliis catholicis Epis eandem gratiam et communionem habentibus, consecracionis munus recipere valeas, ac huiusmodi Antistiti, ut munus predictum impendere tibi possit, plenam et liberam concedimus facultatem. Datum Avinione XV. Kal. Augusti, Pontificatus nostri Anno Octavo.

CCVII.

Guilelmus olim episcopus Soltaniensis ecclesiae Antibarensi in archiepiscopum praeficitur. Reg. An. IX. part. 1. ep. 350.

IOHANNES EPISCOPUS etc. Venerabili fratri Guillelmo olim Episcopo Saltaniensi in Archiepiscopum Antibarensem electo, salutem etc. In dispositione ministrorum ecclesie dei nobis credita potissimum

considerare nos expedit tempus, causam, locum et personam, secundum que pro emergentibus negociis interdum nova sunt consilia capienda, et prout temporis necessitas vel cause sive loci deposcit utilitas, nunc per provisionem salubrem, nunc vero per translationem providam a sede apostolica solicitudines sunt imponende personis et locis personarum ministeria deputanda, ut ex personarum ipsarum industria locorum crescat utilitas, et ex oportunitate locorum succedat fructificatio personarum. Nuper siquidem Venerabili fratre nostro Andrea Episcopo, tunc Archiepiscopo Antibarensi, regimini Antibarensis ecclesie dumtaxat certis ex causis in nostris manibus sponte cedente, nos cessionem huiusmodi admittentes et ad provisionem ipsius Antibarensis ecclesie utilem et salubrem, ne prolixe vacationis exponeretur incommodis, solicite intendentes, cum nullus preter nos hac vice de provisione ipsius Antibarensis ecclesie se intromittere possit, pro eo quod nos diu ante cessionem huiusmodi provisiones omnium ecclesiarum tam Cathedralium, quam etiam aliarum tunc apud predictam sedem quomodocumque vacantium et vacaturarum imposterum apnd eam dispositioni nostre duximus reservandas, decernendo ex tunc irritum et inane, si secus super hiis per quoscumqne qnavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari; et cupientes tam dicte ecclesie Antibarensi qnam gregi dominico eiusdem salubriter et utiliter providere, post deliberationem, quam super hoc habuimus cum nostris fratribus diligentem, in te tunc Episcopum Soltaniensem consideratis donis virtutum tibi desnper concessarum intuitum direximus nostre mentis: quibus debita meditatione pensatis, te a vinculo, quo Soltaniensi ecclesie, cui preeras, tenebaris, de fratrum eorundem consilio et apostolice plenitudine potestatis absolventes, te ad dictam Antibarensem ecclesiam [de plenitudine et consilio predictis] transferimus, teque ipsi in Archiepiscopum preficimus et pastorem, curam et administrationem illius tibi tam in spiritualibus, quam in temporalibus plenarie commictendo, liberamque tibi licenciam tribnendo ad eamdem Antibarensem ecclesiam transeundi, firma concepta fiducia, quod dirigente dño actus tuos prefata Antibarensis ecclesia per tunm ministerium studiosum multiplicia honoris et commodi snscipiet incrementa. Quocirca fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenus ad predictam Antibarensem ecclesiam cum gratia nostre benedictionis accedens, et gerens solicite curam eius, gregem dominicum in illa tibi commissum doctrina verbi et operis studeas informare, ita qnod eadem Antibarensis ecclesia per tue cooperationis ministerium votivis iugiter proficiat commodis, et snccessibus prosperis augeatur, tuque proinde divinam, apostolice sedis et nostram benedictionem et gratiam nberius consequi merearis. Datum Avinione VII. Kal. Novembris, Pontificatus nostri Anno Nono.

In e. m. Capitulo ecclesie Antibarensis, Clero et populo Civitatis diocesis Antibarensis, universis Vassallis et universis Suffraganeis ecclesie Antibarcnsis.

CCVIII.

Eidem archiepiscopo Antibarensi conceditur pallium. Reg. An. IX. part. 1. ep. 654.

IOHANNES EPISCOPUS etc. Venerabili fratri Guillelmo Archiepiscopo Antibarensi, salutem etc. Nnper te a vinculo, qno tenebaris Soltanicnsi ecclesie, cui tunc preeras, absolventes et ad Antibarensem ecclesiam tunc vacantem de fratrum nostrorum consilio et apostolice potestatis plenitudine transferentes, te ipsi Antibarensi ecclesie in Archiepiscopum prefecimus et pastorem, curam et administrationem ipsius Antibarensis ecclesie tibi in spiritualibus et temporalibus commictendo, liberamque tibi dando licenciam ad predictam Antibarensem ecclesiam transeundi, prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur. Cum antem tu postmodum palleum, insigne videlicet pontificalis officii, a nobis cum ea qua decuit instancia postulasses, nos tuis supplicationibus annuentes, ipsum de corpore beati Petri sumptum per dilectos filios nostros Neapoleonem sancti Adriani, Iacobum sancti Georgii ad Velum aureum, Raymundum sancte Marie Nove et Iohannem sancti Theodori diaconos Cardinales tibi fecimus assignari. Tu autem illo intra ecclesiam tuam illis diebus dumtaxat utaris, qui expressi in ipsius ecclesie privilegiis continentur. Ut igitur signum non discrepet a signato etc. usque in spiritualibus et temporalibus augmentare. Datum Avinione XV. Kal. Februarii, Pontificatus nostri Anno Nono.

CCIX.

Cum Thome electo Ragusino dispensatur, quia infra tempus a iure statutum se consecrari non fecerit, et conceditur, ut a quocumque maluerit antistite contholico consecrari possit. Reg. An. IX. part. 1. ep. 1165.

IOHANNES EPISCOPUS etc. Dilecto filio Thome electo Ragusino, salutem etc. Tua et tuorum sincera devotio, qua nos et Romanam ecclesiam reveremini, fama qnoque tua laudabilis aliaque virtutum dona

multiplicium, quibus personam tuam iuvari percepimus, non indigne merentur, ut in tuis oportunitatibus te gaudeas nos et dictam ecclesiam propitios et favorabiles invenisse. Dudum siquidem ecclesia Ragusina solatio destituta pastoris, nos ad personam tuam paterne considerationis aciem dirigentes, te de fratrum nostrorum consilio eidem ecclesie in Archiepiscopum prefecimus et pastorem, curam et administrationem ipsius ecclesie tam in spiritualibus quam in temporalibus tibi plenarie committentes, et deinde ut a quocumque catholico Antistite gratiam ot communionem apostolice sedis habente, ascitis sibi et in hoc assistentibus duobus vel tribus Episcopis similem gratiam et communionem habentibus, munus consecrationis recipere posses, tibi recipiendi et eidem Antistiti impendendi tibi munus huiusmodi plenam et liberam per nostras corti tonoris litteras concessimus facultatem. Vorum dilectus filius nobilis vir Nicolucius de Esculo Miles, familiaris nostor germanusque tuus, sicut ex serie per eum adhuc apud sedem apostolicam constitutum nobis exhibite petitionis accepimus, sperans a tempore concessionis dictarum litterarum de die in diem ad partes illas personaliter se transferre, secumque litteras tibi deferre predictas, ne forte transmisse per alium in itinero perderentur, litteras ipsas penes se retinuit semestri tempore et amplius iam elapso, propter quod tu infra tempus de consecrandis Epis a canonibus diffinitum munus tue consecrationis huiusmodi, sino culpa tamen tua, cum predictas litteras non haberes, minime recipere potuisti: quare prefatus Nicolucius nobis humiliter supplicavit, ut providere tibi et statui tuo super hoc de oportunis remediis misericorditer dignaremur. Nos igitur attendentes sincere devotionis et fidei constanciam, quibus tu dictusque Nicolucius frator tuus et nostri erga nos et Romanam ecclesiam viguistis hactenus et vigetis, volentesque propter hoc et alia premissa tuarum virtutum dona te in hac parte gratia et favore prosequi oportunis, tuis dictique fratris tui devotis supplicationibus inclinati apostolica auctoritate decernimus, quod propter causam premissam ex lapsu dicti temporis nullum tibi preiudicium generetur, et nichilominus ampliori te prosequi gratia intendentes tibi, ut a quocumque malueris Antistite gratiam et communionem prefate sedis habente, ascitis sibi et in hoc assistentibus duobus vel tribus Episcopis similem gratiam et communionem habentibus, huiusmodi consecrationis tue munus recipere valeas, eidemque Antistiti, ut illud auctoritate apostolica impendere tibi possit, plenam et liberam concedimus tenore presentium facultatem. Volumus tamen, quod donec munus huiusmodi receperis, ut prefertur, taliter de administratione dicte ecclesie Ragusine provideas, quod ipsa interim propteres in spiritualibus non fraudetur, nec paciatur in temporalibus detrimentum. Datum Avinione Kal. Marcii, Pontificatus nostri Anno Nono.

CCX.

Nicolao de Casocto providetur de primiceriatu maioris ecclesiae Traguriensis et de ecclesiis beatae Mariae de Platea Traguriensi, et sancti Ioannis de Campobiag Traguriensis dioceseos sine cura vacantibus. Reg. An. IX. par. 2. ep. 1419.

IOHANNES EPISCOPUS etc. Dilecto filio Nicolao nato dilecti filii Donati de Casocto civis Traguriensis, Canonico et Primicerio ecclesio Traguriensis, salutem etc. Laudabile testimonium, quod tibi de honestate morum et vite et aliis probitatis ac virtutum meritis perhibetur, rationabiliter nos inducit, ut personam tuam munificencia sedis apostolice prosequamur. Cum itaque primiceriatus maioris ecclesie Traguriensis ac beate Marie de Platea Traguriensi, et sancti Iohannis de Campobiag antiquitus sancte Marthe vocata Traguriensis diocesis ecclesie sine cura, quos Venerabilis frater noster Lampredius Epus Traguriensis, olim primicerius eiusdem maioris ac rector predictarum ecclesiarum, promotionis sue tempore per nos facte de ipso ad eandem Traguriensem ecclesiam tunc vacantem obtinuit, per promotionem ipsius et consecrationis munus per eum apud apostolicam sedem de mandato nostro susceptum apud eandem sedem vacare noscantur ad presens, nulluque do illis preter nos hac vice disponere possit, pro eo quod nos diu ante vacationem huiusmodi omnes dignitates, personatus, officia et ecclesias, ceteraque beneficia ecclesiastica tunc apud dictam sedem vacantia, et inantea vacatura collationi et dispositioni nostre specialiter reservantes, decrevimus extunc irritum et inano, si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari: nos volentes personam tuam premissorum intuitu in eadem maiori ecclesia, cuius existis Canonicus, amplius honorare, primiceriatum et beate Marie de Platea, et sancti Iohannis de Campobiag ecclesias predictos sic vacantes cum omnibus iuribus et pertinenciis eorundem apostolica tibi auctoritate conferimus, et de illis etiam providemus, decernentes, prout est, irritum et inane, si secus de illis per quoscumquo quavis auctoritate scienter vel ignoranter attemptatum forsitan est hactenus, vel contigerit imposterum attemptari, non obstantibus quibuscumque statutis et consuetudinibus ipsius ecclesie maioris contrariis iuramento, confirmatione apostolica vel

quacumque alia firmitate vallatis, aut si aliqui super provisionibus sibi faciendis de dignitatibus, personatibus vel officiis in dicta maiori ecclesia speciales, vel de beneficiis ecclesiasticis in illis partibus generales sedis apostolice vel logatorum eius litteras impetrarint, otiam si per eas ad inhibitionem, reservationem et decretum, vel alias quomodolibet sit processum, quibus omnibus in assecutione primiceriatus et ecclesiarum predictorum te volumus antefcrri, sed nullum por hoc eis quo ad assecutionem dignitatum, personatuum et officiorum, ac ecclesiarum et beneficiorum aliorum preiudicium generari, seu si Episcopo, qui est pro tempore, et dilectis filiis Capitulo Traguriensibus vel quibusvis aliis communiter vel divisim ab eadem sit sede indultum, quod ad receptionem vel provisionem alicuius minime teneantur, et ad id compelli non possint, quodque de dignitatibus, personatibus et officiis ac beneficiis ecclesiasticis ad eorum collationem, provisionem seu quamcumque aliam dispositionem coniunctim vel separatim spectantibus nulli valeat provideri per litteras apostolicas non facientes plenam et expressum, ac de verbo ad verbum de indulto huinsmodi mentionem, et qualibet alia dicte sedis indulgencia generali vel speciali cuinscumque tenoris existat, per quam presentibus non expressam vel totaliter non insertam effectus huiusmodi nostre gracie impediri valeat quomodolibet vel differri, et de qua cuiusque toto tenore habenda sit in nostris litteris mentio specialis, seu si presens non fueris ad prestandum de observandis statutis et consuetudinibus eiusdem maioris ecclesie ratione primiceriatus predicti solitum iuramentum, dummodo in absencia per procuratorem ydoneum, et cum ad ecclesiam ipsam accesseris, corporaliter illud prestes, aut quod in eadem maiori et Zagrabiensi ecclesiis Canonicatus et prebendas, et ecclesiam sancti Stephani Traguriensis et quartam partem ecclesie sancti Georgii de Camposestino Traguriensis diocesis, quibus cura non imminet animarum, quorum omnium tam obtentorum quam tibi ancturitate presentium noviter collatorum redditus et proventus centum et trigenta florenorum auri valorem annnum, sicnt asseris, non excednnt, nosceris obtinere. Nulli etc. nostre collationis, provisionis et constitutionis infringere etc. Datum Aviniono im. Idns Maii, Pontificatus nostri Anno Nono.

In e. m. Archiepiscopo Spalatensi, Abbati monasterii sancti Iohannis Traguriensis et magistro Iohanni de Regio Preposito ecclesie Parmensis, Camere nostre clerico, ut predictas litteras exequendas curent etc.

CCXI.

Iudicibus mandatur, ut Stephanum episcopum Farensem spoliatum restituant ad administrationem, et audiant eius causam. Reg. An. IX. part. 2. ep. 1646.

Iohannes episcopus etc. Venerabilibus fratribns ... Corzorcnsi et ... Scardonensi ac ... Tiniensi Episcopis, salutem etc. Significavit nobis Venerabilis frater nostcr Stephanus Episcopus Farensis, quod dudum ecclesia Farcnsi per obitum bono momorie Gregorii Farensis Episcopi pastoris solatio destituta, due in ea, una videlicet de dilecto filio Stephano de Sloradis plebano plebis sancti Mathei Iadrensis, altera vero de dicto Episcopo, tunc primicerio occlesie Spalatensis, electiones fuerunt in discordia celebrate, quibus electionibus bone memorie Petro Archiepiscopo Spalatensi loci Metropolitano tunc viventi ab oisdem electis post consensum dictis electionibus prestitum ab eisdem presentatis, demum idem Archiepiscopus de modo ipsarum electionum, ac electorum et eligentium meritis metropolitica auctoritate cognoscens et iuris ordino observato, quod elcctionem do dicto Stephano plebano invenit fuisse de persona multis laborante viciis temere celobratam, ipsa cassata ot cassa et irrita nunciata, electionem ipsius Stephani Episcopi, quam canonicam reperit et de persona ydonea celobratam, auctoritate predicta confirmare curavit, sibique munus consecrationis impondit, dictusque Stephanus Episcopus extunc bonorum ipsius ecclesie administrationem adeptus, Episcopatum Farensem tamquam verus Episcopus aliquamdiu possedit per gentes suas pacifice et quiete: quodque postmodum quidam iniquitatis filii clerici et laici Farensis Civitatis et diocesis enndom Stephanum Episcopum possessione eiusdem Farensis ecclesie, ac iurium ipsius nequiter spoliarunt, ac nichilominus frater Lucas Abbas monasterii sanctorum Cosme et Damiani ordinis sancti Benedicti Iadrensis diocesis falso pretendens se in Epum Farensem fuisse electum, confirmatum et etiam consecratum per Venerabilem fratrem nostrum Lampredinm Traguriensem Episcopum, ad quem id facere nec de consuetudine, nec de iure potuerat pertinere, in dictam ecclesiam dampnabiliter se intrusit, eamque detinet in anime sue perniciem et eiusdem Stephani Episcopi preiudicium, ac multarum animarum dispendium occnpatam, propter quod idem Stephanus Epus *ad* nos supor hiis devote recurrens, nobis humiliter supplicavit, ut providere sibi super hoc de oportuno remedio dignaremur. Quocirca fraternitati vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus

vocatis qui fuerint evocandi, si de premissis summarie et de plano, sine strepitu ac figura iudicii vobis constiterit, eodem Stephano Episcopo ad possessionem eiusdem Farensis ecclesie ac iurium et pertinenciarum ipsius, sicut iustum fuerit, restituto sibique de fructibus medio tempore perceptis ex Episcopatu predicto, et qui percipi poterunt, a suis spoliatoribus satisfacto, audiatis causam et appellatione remota fine debito decidatis, facientes quod decreveritis per censuram ecclesiasticam firmiter observari. Testes autem, qui fuerint nominati, si se gratia, odio vel timore subtraxerint, censura simili, appellatione cessante, cogatis veritate testimonium prohibere. Quod si non omnes hiis exequendis potueritis interesse, duo vestrum ea nichilominus exequantur. Datum Avinione VIII. Kalendas Iulii, Pontificatus nostri Anno Nono.

CCXII.

Thomae electo Ragusino mittitur pallium. Reg. An. X. part. 1. ep. 405.

IOHANNES EPISCOPUS etc. Dilecto filio Thome Electo Ragusino, salutem etc. Cum palleum, insigne plenitudinis videlicet pontificalis officii, ex parte tua fuisset a nobis per dilectos filios Abbatem Monasterii sancti Eutitii Valliscastoriane de Nursia ordinis sancti Benedicti Spoletane diocesis, et Comitem Archipresbiterum ecclesie Auximane, procuratores et nuncios a te super hoc specialiter constitutos, cum ea qua decuit instantia postulatum: Nos tuis supplicacionibus annuentes, ipsum de corpore beati Petri sumptum per Venerabiles fratres nostros ... Tribuniensem et ... Caterensem Epos assignandum tibi per eosdem procuratores et nuncios duximus destinandum, ut illud tibi assignent sub forma, quam eis sub bulla nostra mittimus interclusam, et a te nostro et ecclesie Romane nomine sub forma, quam sub eadem bulla dirigimus, fidelitatis solite recipiant iuramentum. Tu autem illo intra ecclesiam tuam illis diebus utaris, qui expressi in ipsius ecclesie privilegiis continentur. Ut igitur signum non discrepet a signato, sed quod geris exterius, interius serves in mente, discretionem tuam monemus et hortamur attente per apostolica tibi scripta mandantes, quatenus humilitatem et iusticiam, dante domino, qui dat munera et premia elargitur, observare studeas, qne suum servant et promovent servatorem, et Ragusinam ecclesiam sponsam tuam cures sollicite, actore domino, spiritualiter et temporaliter augmentare. Datum Avinione XII. Kal. Ianuarii, Pontificatus nostri Anno Decimo.

CCXIII.

Tribuniensi et Catharensi episcopis, ut assignent pallium praedicto electo Ragusino.
Reg. An. X. part. 1. ep. 406.

IOHANNES EPISCOPUS etc. Venerabili fratribus ... Tribuniensi et ... Caterensi Episcopis, sal. etc. Cum palleum, insigne plenitudinis videlicet pontificalis officii, ex parte dilecti filii Thome electi Ragusini fuisset a nobis per dilectos filios ... Abbatem Monasterii sancti Eutitii Valliscastoriane de Nursia ordinis sancti Benedicti Spoletane diocesis, et Comitem Archipresbiterum ecclesie Auximane nuncios suos fuerit a nobis cum ea qua decuit instantia postulatum: Nos ipsius electi precibus annuentes palleum ipsum de corpore beati Petri sumptum per vos, sen vestrum alterum assignandum sibi secundum formam, quam vobis sub bulla nostra mittimus interclusam, per eosdem nuncios duximus destinandum, Quocirca fraternitati vestre per apostolica scripta mandamus, quatenns vos vel alter vestrum iuxta premissam formam palleum ipsum eidem Thome assignare curetis, et ab ipso nostro et ecclesie Romane nomine sub forma, quam vobis sub eadem bulla dirigimus, fidelitatis solite recipere iuramentum. Formam autem iuramenti, quod ipse prestabit, de verbo ad verbum nobis per eiusdem electi patentes litteras suo sigillo signatas per proprium nuncinm quantocius destinari curetis. Datum Avinione XII. Kal. Ianuarii, Pontificatus nostri Anno Decimo.

CCXIV.

Andreae cantor ecclesiae Agriensis ecclesiae Scardonensi in episcopum praeficitur. Reg. An. X. par. 2. ep. 2650.

IOHANNES EPISCOPUS etc. Venerabili fratri Andree Episcopo Scardonensi, salutem etc. Pastoralis officii etc. Dndum siquidem bone memorie Paulo Episcopo Scardonensi regimini Scardonensis ecclesie presidente, Nos cupientes eidem ecclesie, cum ipsam per eiusdem Pauli obitum vel alio quovis modo vacare contingeret, personam utilem solicitudinis apostolice ministerio depntare, provisionem faciendam eidem ecclesie de pastore, cum ut premittitur vacaret, dispositioni nostre et sedis apostolice ea vice duximus specialiter reservandam, decernentes extunc irritum et inane, si secus super hiis per quoscun-

que scienter vel ignoranter quavis auctoritate contingeret attemptari. Postmodum vero dicto Paulo in partibus illis viam universe carnis ingresso, dilecti filii Capitulum eiusdem ecclesie, huiusmodi nostre reservationis forsan ignari, dilectum filium Vitum Luce de Spingarolo Canonicum Scardonensem de facto in Scardonensem Episcopum, ut dicitur, elegerunt, qui presentato sibi huiusmodi electionis decreto, ignarus etiam, ut asseritur, reservationis eiusdem, ad instanciam dictorum Capituli electioni predicte consensit: huiusmodi vero electionis negocio ad nostram perlato noticiam, Nos attendentes electionem ipsam, utpote post et contra reservacionem et decretum huiusmodi factam, irritam et inanem existere, prout erat, ac deinde de ipsius ecclesie ordinacione celeri, ne prolixe vacacionis subiaceret incomodis, solicite cogitantes, cum nullus preter nos hac vice de ipsius ecclesie ordinacione se intromittere potuit, reservacione ac decreto obstantibus prelibatis, post deliberacionem, quam de preficiendo eidem ecclesie personam utilem cum fratribus nostris habuimus diligentem, demum ad te tunc Cantorem ecclesie Agriensis, in sacerdocio constitutum, conversacione placida, vite mundicia et morum honestate decorum, in spiritualibus providum et temporalibus circumspectum, aliisque virtutum meritis, prout testimonio fidedignorum accepimus, insignitum, oculos convertimus nostre mentis. Quibus omnibus debita meditacione pensatis, de persona tua eidem Scardonensi ecclesie de predictorum fratrum nostrorum consilio auctoritate apostolica duximus providendum, teque illi in Episcopum prefecimus et pastorem, curam et administracionem ipsius ecclesie tibi tam in spiritualibus quam in temporalibus plenarie commictendo, ac deinde per Venerabilem fratrem nostrum Bertrandum Episcopum Tusculanum tibi fecimus munus consecracionis impendi, firma concepta fiducia, quod dirigente domino actus tuos, prelibata ecclesia per tue circumspeccionis industriam prospere dirigetur, et salubria, dante domino, suscipiet incrementa. Quocirca fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenus ad prefatam ecclesiam Scardonensem cum gracia nostre benediccionis accedens, in ipsius ecclesie Scardonensis ampliandis honoribus et profectibus promovendis sic te reddas sine intermissione solicitum, gregem dominicum in illa vigilancie tue commissum doctrina verbi et operis informando, ut exinde apud remotos et proximos tua fama clareat per effectum, et in delectacionem nobis voniat oportuno tempore graciose te prosequi, et tuis desideriis favorem benivolum impertiri. Datum Avinione Nonis Iulii, Pontificatus nostri Anno Docimo.

In e. m. Venerabili fratri ... Archiepiscopo Spalatensi, Carissimo in Christo filio ... Regi Ungarie Illustri, dilectis filiis Nobilibus viris ... Duci Veneciarum nocnon ... Comitibus de Berberio Scardonensis diocesis, Capitulo ecclesie Sardonensis, ... Comiti, Iudicibus, Clero et populo Civitatis et diocesis Scardonensis. Datum ut supra.

CCXV.

Bonoiohanni episcopo Veglensi administratori in spiritualibus et temporalibus, ac abbati, qui erit pro tempore, et conventui monasterii Farfensis Sabinensis diocesis mandatur, ut Angelo et Romano Ricardi de Iaquinto clericis de Urbe certas terras sub censu consueto concedant. Reg. An. XI. par. 3. ep. 2282.

IOHANNES EPISCOPUS etc. Venerabili fratri Boniohanni Episcopo Veglensi, administratori in spiritualibus et temporalibus per sedem apostolicam deputato, ac Abbati, qui erit pro tempore, et dilectis filiis Conventui monasterii Farfensis ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis sancti Benedicti Sabinensis diocesis, salutem etc. Devotionis merita dilectorum filiorum Angeli et Romani Riccardi de Iaquinto clericorum de Urbe exigunt et exposcunt, ut eos, quantum cum deo possumus, prerogativa favoris precipui prosequamnr. Sane ipsorum petitio nobis exhibita continebat, quod quidem vassalli eorum de Castro Podii de Mortetis Sabinensis diocesis quasdam possessiones ad monasterium vestrum spectantes, sitas in territorio castrorum Buctiniani et Montisopuli eiusdem diocesis, solitas sub annuo censu concedi a vobis usque ad certum tempus sub annuo censu tenent: que quidem possessiones post lapsum dicti temporis sub eodem censu venient aliis concedendi, quare dicti clerici nobis humiliter supplicarunt, ut post lapsum temporis prelibati dicte possessiones eisdem, qui eas sub predicto annuo censu recipere sunt parati, sub eodem censu ac modo et forma, quibus solite sunt concedi, pre aliis concedantur. Nos autem propter premissa ipsorum morita eorum supplicationibus inclinati, devotioni vestre presentium tenore mandamus, quatenus cum dicte possessiones ad manus vestras seu dicti monasterii, ut premittitur, revertentur, eisdem Angelo et Romano pre aliis sub censu, sub qno alii seu aliis alias concedentur, a vobis possessiones predictas libere concedatis, eos aliis in concessione huiusmodi preferentes. Datum Avinione Nonis Iulii, Pontificatus nostri Anno Undecimo.

CCXVI.

Guillelmus episcopus Sagonensis ad ecclesiam Tergestinam transfertur. Reg. An. XII. par. 1. ep. 186.

IOHANNES EPISCOPUS etc. Venerabili fratri Guillelmo Episcopo Tergestino, salutem etc. Romani Pontificis etc. Dudum siquidem ecclesia Tergestina per obitum bone memorie Radulphi Episcopi Tergestini, qui debitum in illis partibus nature persolvit, pastoris solatio destituta, duas in ea electiones, unam videlicet de dilectis filiis Iusto Archidiacono Tergestino, et aliam de Guidone de Villalta Canonico Aquilegensi, per dilectos filios Capitulum eiusdem ecclesie contigit in discordia celebrari, ac inter eosdem Archidiaconum et Canonicum super ipsis electionibus coram Venerabili fratre nostro... Patriarcha Aquilegensi loci Mctropolitano auctoritate metropolitica materia questionis exorta, et negotio huiusmodi post nonnullos processus coram eodem Patriarcha in illo habitos per appellationem dicti Iusti ad sedem apostolicam legitime devoluto, ipsoque negotio in Consistorio coram nobis exposito, nos causam appellationis huiusmodi et negotii principalis bone memorie Berengario Epo Portuensi primo, et eo sublato de medio Petro tit. sancti Stephani in Celiomonte presbitero tunc viventibus, et postea dilectis filiis nostris Iohanni sancti Theoderi ac demum Galhardo sancte Lucie in Silico diaconis Cardinalibus ex certis causis duximus committendam, coram qnibus successive prefato Archidiacono dictum negotium prosequente in contumaciam eiusdem Canonici, qui pro ipsius negotii prosecutione ad dictam sedem personaliter veniro, vel mittere iuxta iuris exigenciam non curavit, diversi processus habiti extiterunt: interim autem coram dicto Iohanne pendente negotio antedicto, volentes dictam ecclesiam a dispendiis, que incurrerat ex vacatione huiusmodi, preservare, prefatam ecclesiam bone memorie Gregorio Feltrensi ac Bellunensi Episcopo ex causa legitima duximus committendam usque ad beneplacitum dicto sedis, curam et administrationem ipsius plenam et liberam sibi tam in spiritualibus quam in temporalibus committendo, quas cum ipse aliquandiu exercuisset, rebns extitit humanis exemptus, dictusque Archidiaconus medio tempore sine licencia nostra de Curia Romana recessit, nondum finito negotio memorato. Nos igitur attendentes, quod tam dictus Canonicus, pro eo quod ad dictam sedem non venit, nec misit, omni iure, si quod ei per electionem huiusmodi suam competebat, si qua fuerat, eo ipso privatus existit, quam electio predicta ipsius Archidiaconi, ex eo quod ipse sine dicta licencia de Curia ipsa recessit, huiusmodi negotio non finito, prout superius est expressum, de iure ipso facto est viribus, si quas habebat, penitus vacuata; ac volentes ne predicta ecclesia detrimenta ob ulteriorem cius vacationem incurreret, ut sub umbra gubernetur sui sponsi proprii et letetur, post deliberationem, quam cum fratribus nostris super hoc habuimus diligentem, in te tunc Episcopum Sagonensem, consideratis virtutum mcritis et donis etiam gratiarum, quibus personam tuam divina bonitas, prout testimoniis fidedignis accepimus, insignivit, intuitum direximus nostre mentis, speque concepta in domino, quod tu, qui ecclesie Sagonensi diu laudabiliter profuisti, eandem ecclesiam Tergestinam utiliter et salubriter gubernabis, te a vinculo, quo eidem ecclesie Sagonensi, cui tunc preeras, de dictorum fratrum consilio et apostolice potestatis plenitudine absolventes, te ad dictam ecclesiam Tergestinam de plenitudine et consilio predictis transferimus, teque ipsi proficimus in Episcopum et pastorem, curam et administrationem illius tibi tam in spiritualibus, quam in temporalibus plenarie committendo, liberamque tibi tribuendo licenciam ad eandom Tergestinam ecclesiam transoundi, in eo qui bonorum largitor est omnium confidentes, quod dextera domini tibi assistente propicia, predicta ecclesia Tergestina sub felicis regiminis tui cura optata honoris et commodi suscipiet incrementa. Quocirca fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenus ad eandem ecclesiam Tergestinam cum gratia nostre benedictionis accedens, in eius ampliandis honoribus et profectibus te gerere satagas solicitum et fidelem, proficiendo etiam inibi tibi per vite meritum et aliis per exemplum, ita quod ipsa ecclesia Tergestina pastori utili et fructuoso administratori evidenter et efficaciter gaudeat se commissam, tuque preter eterne retributionis premium a nobis et eadem sede continuum benedictionis et gratie mererris percipere incrementum. Datum Avinione VII. Kal. Octobris, Pontificatus nostri Anno Dudecimo.

In e. m. Venerabili fratri... Patriarche Aquilegensi, dilectis filiis Capitulo ecclesie Tergestino, Cloro et populo Civitatis et diocesis Tergestine, necnon universis Vassallis ecclesie Tergestine.

CCXVII.

Eidem Guillelmo licentia datur quingentos florenos auri mutuum contrahendi. Reg. An. XII. par. 3. ep. 2767.

IOHANNES EPISCOPUS etc. Venerabili fratri Guillelmo Episcopo Tergestino, salutem etc. Cum, sicut in nostra proposuisti presencia constitutus, tam pro tuis expensis necessariis, quam pro ecclesie tue

Tergestine negotiis apud sedem apostolicam expediendis utiliter te subire oporteat magna onera expensarum, nobis humiliter supplicasti, ut usque ad summam Quingentorum florenorum auri mutuum contrahendi sub modis et formis infrascriptis, sine quibus creditores te putas invenire non posse, tibi largiri licenciam dignaremur. Nos igitur de tua tam in hiis, quam in aliis circa eadem tua et ipsius ecclesie negotia utiliter promovenda et expedienda circumspectione et diligencia plenius in domino confidentes, ac nolentes quod propter expensarum ipsarum defectum indigenciam paciaris, vel quod eadem negotia incxpedita remanere contingat, tuis supplicationibns inclinati, fraternitati tue contrahendi mutuum propter hoc usque ad predictam summam Quingentorum florenorum auri dumtaxat nomine tuo et ipsius ecclesie Tergestine, ac te ipsum et successores tuos et ecclesiam predictam, ac tua et eorumdem successorum et ecclesie bona mobilia et immobilia, presentia et futura, usque ad summam huiusmodi propterea dictis creditoribus, usuris omnino cessantibus, obligandi, et renunciandi de duabus dictis edite in concilio generali, ac felicis recordationis Bonifacii pape VIII. predecessoris nostri, qua cavetur, ne quis extra suam Civitatem et diocesim, nisi in certis exceptis casibus, et in illis non ultra unam dietam a fine sue diocesis ad iudicium evocetur, et quibuscunque aliis constitutionibus a predecessoribus nostris Romanis pontificibus super hoc editis, et beneficio restitutionis in integrum, ac omnibus litteris et indulgenciis apostolicis impetratis et etiam impetrandis, et omni iuris Canonici et civilis auxilio, et conventioni locorum et Iudicum, si eorumdem creditorum nomine contigerit super hiis apostolicas litteras impetrari, necnon omnibus aliis exceptionibus, per quas contra creditores eosdem tu dictique tui successores possetis imposterum vos tueri, plenam auctoritate presentium concedimus facultatem. Volumus insuper et concedimus iuxta quod tu postulasti a nobis, quod tu et dicti successores creditoribus ipsis huiusmodi pecuniam de bonis ipsius ecclesie solvere, ac dampna et expensas et interesse reficere teneamini, si in termino, qui ad hoc do tuo et ipsorum creditorum consensu fuerit constitutus, eadem pecunia non fuerit persoluta, quodque eisdem creditoribus pretextu alicuius constitutionis canonice vel civilis, aut cuiuscunque privilegii vel iudulgencie sedis apostolice, do quibus in nostris litteris plenam et [liberam] expressam ac de verbo ad verbum oporteat fieri mentionem, et per que tu dictique successores valeatis imposterum vos tueri, dictam pecuniam in iamdicte ecclesie utilitatem conversam fore probandi necessitas non incumbat, sed sola tui hoc facientis confessio in instrumentis publicis conficiendis super mutuo huinsmodi quantitatis inserta sufficiens, plena et efficax probatio irrefragabiliter habeatur. Ceterum ne in hoc vorago sibi locum vendicat usurarum, nostre intentionis existit et volumus, quod tu et dicti successores ac prefata Tergestina ecclesia, tua seu sua vel ipsorum bona per has nostras litteras per cuiuspiam fraudis vel calliditatis astuciam sub quovis pallio seu colore verborum ad usuras obligari nullatenus valeatis, easdem litteras, concessiones, cautiones, recognitiones seu promissiones per eas vel earum auctoritate seu occasione factas quo ad obligationem usurarum huiusmodi decernentes irritas et inanes, et nullius penitus existere firmitatis, eis nichilominus quo ad premissa omnia, que usurariam pravitatem non sapiant, in suo robore duraturis, nec usurarum pretextu malitiose aliquatenus impugnandis. Volumus autem, quod eadem ecclesia Tergestina ac bona ipsius pretextu nostre concessionis huinsmodi ultra biennium, a tempore huiusmodi contracti debiti computandum, nullatenus remaneant obligata, has nostras litteras et earum effectum, si secus actum fuerit, quo ad ecclesiam ipsam et bona ipsius omnino carere viribus decernentes. Datum Avinione II. Kalendas Augusti, Pontificatus nostri Anno Duodecimo.

CCXVIII.

Sergius canonicus Catharensis praeficitur ecclesiae Catharensi in episcopum. Reg. An. XIII. part. 1. ep. 193.

IOHANNES EPISCOPUS etc. Venerabili fratri Sergio Episcopo Catharensi, salutem etc. Dum ad universas orbis Ecclesias iuxta pastoralis officii debitum apostolice diffundimus considerationis intuitum, illarum nimirum propensior sollicitudo nos angit, quas propriis destitutas pastoribus subiacere dispendiose vacationis conspicimus detrimentis, ut per nostre providencie ministerium preficiantur illis viri ydonei in pastores, sub quorum regimine eedem Ecclesie tam in spiritualibus quam temporalibus iugiter prosperentur. Dudum siquidem bone memorie Dompnio Episcopo Catharensi regimini Catharensis Ecclesie presidente, Nos cupientes eidem Ecclesie Catharensi, cum vacaret, personam utilem ac etiam fructuosam per apostolice sedis providenciam presidere, provisionem ipsius Ecclesie Catharensis, quam primum eam quovismodo et ubicumque vacare contingeret, dispositioni nostre et sedis apostolice ea vice duximus reservandam, decernendo ex tunc irritum et inane, si secus super hiis per quoscumque

quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari. Postmodum autem eadem Ecclesia Catharensi per obitum dicti Dompnii Episcopi, qui in illis partibus diem clausit extremum, pastoris regimine destituta, Nos attendentes, quod nullus preter nos hac vice de ordinatione ipsius Ecclesie se intromittere potest, reservatione et decreto obsistentibus supradictis, post deliberationem, quam de preficiendo eidem Ecclesie personam utilem, per quam dicta Ecclesia preservari valeret a noxiis et in prosperis feliciter adaugeri, habuimus cum nostris fratribus diligentem, demum ad te tunc Canonicum ipsius Ecclesie, in sacerdotio constitutum, vita laudabilem, litterarum sciencia preditum, morum honestate decorum, in spiritualibus providum et temporalibus circumspectum, aliisque virtutum donis, prout ex fidedignorum testimoniis percepimus, laudabiliter insignitum, direximus oculos nostre mentis. Intendentes igitur tam dicte Ecclesie, quam eius gregi dominico salubriter et utiliter providere, de persona tua ipsi Ecclesie Catharensi de ipsorum fratrum consilio auctoritate apostolica duximus providendum, teque illi in Epum prefecimus et pastorem, curam et administrationem ipsius tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committentes, ac facientes tibi postmodum per Venerabilem fratrem nostrum Gaucelinum Episcopum Albanensem munus consecrationis impendi, firma concepta fiducia, quod eadem Ecclesia per tue circumspectionis industriam et providenciam circumspectam sub tuo felici regimine, dextera domini tibi assistente propicia, salutaria recipiet incrementa. Iugum itaque domini tuis impositum humeris prompta devotione supportans et ferens humiliter, curam et administrationem predictas sic exercere studeas solicite, fideliter et prudenter, gregem dominicum in eadem Ecclesia tibi creditum doctrina verbi et operis iuxta datam tibi ex alto prudenciam informando, quod eadem Ecclesia Catharensis per tue circumspectionis industriam votivis iugiter proficiat commodis et successibus prosperis augeatur, ac prinde divinam, apostolice sedis et nostram benedictionem et gratiam uberius consequi mereatis. Datum Avinione VI. Idus Octobris, Pontificatus nostri Anno Tertiodecimo.

In e. m. Capitulo Ecclesie Catharensis, Clero et populo Civitatis et diocesis Catharensis, Venerabili fratri ... Archiepiscopo Barensi et Carissimo in Christo filio Urosio Regi Rasie Illustri.

CCXIX.

Dominico archiepiscopo Spalatensi conceditur, ut in sua Spalatensi ecclesia alicui idoneo canonicatum cum prebenda hac vice conferre possit. Reg. An. XIII. par. 2. ep. 1941.

IOHANNES EPISCOPUS etc. Venerabili fratri Dominico Archiepiscopo Spalatensi, salutem etc. Personam tuam nobis et apostolice sedi devotam paterna benivolencia prosequentes, illam tibi graciam libenter impendimus, per quam te alii reddere valeas graciosum. Hinc est, quod nos tuis supplicationibus inclinati, fraternitati tue faciendi recipi hac vice auctoritate apostolica in tua Spalatensi ecclesia unam personam ydoneam, quam duxeris eligendam, in Canonicum et in fratrem, stallo sibi in choro et loco in Capitulo eiusdem ecclesie cum plenitudine iuris Canonici assignatis, reservandi quoque pro ea prebendam nulli alii de iure debitam, si qua in dicta ecclesia tunc vacabit vel cum vacaverit, quam dicta persona per se vel procuratorem suum ad hoc legitime constitutum infra unius mensis spatium, postquam sibi vel eidem procuratori vocatio illius innotuerit, duxerit acceptandam, ac inhibendi Archiepis successoribus tuis, qui erunt pro tempore, et dilectis filiis Capitulo Spalatensibus, seu illi vel illis, ad quem vel ad quos in eadem ecclesia prebendarum collatio, provisio seu quevis alia dispositio communiter vel divisim pertinet, ne de dicta prebenda interim etiam ante acceptationem huiusmodi, nisi postquam eis constiterit, quod dicta persona vel idem procurator pro ea illam noluerint acceptare, disponere quoquomodo presumant, ac conferendi eidem persone vel dicto procuratori pro ipsa prefatam prebendam post acceptationem huiusmodi cum omnibus iuribus et pertinenciis suis, ac providendi etiam de eadem, necnon inducendi prefatam personam vel dictum procuratorem pro ea per te vel alium seu alios in corporalem possessionem prebende, iurium et pertinenciarum predictorum, et defendendi inductam, ac faciendi sibi de ipsorum Canonicatus et prebende fructibus, redditibus, proventibus, iuribus et obvencionibus universis integre responderi, Contradictores per censuram apostolicam, appellatione postposita, compescendo, Non obstantibus de certo Canonicorum numero et quibuslibet aliis statutis et consuetudinibus ipsius ecclesie contrariis iuramento, confirmatione apostolica vel quacumque firmitate alia roboratis, aut si aliqui apostolica vel alia quavis auctoritate in eadem ecclesia in Canonicos sint recepti, vel ut recipiantur, insistant, seu si super provisionibus sibi faciendis de Canonicatibus et prebendis in dicta ecclesia speciales, vel de beneficiis ecclesiasticis in illis partibus generales dicte sedis vel legatorum eius litteras impetrarint, etiam si per eas ad inhibitionem, reservatione et decretum, vel alias

quomodolibet sit processum, quibus omnibus preterquam auctoritate nostra in ecclesia ipsa receptis, seu prebendas expectantibus in eadem prefatam personam in assecutione dictorum Canonicatus et prebende volumus anteferri, sed nullum per hoc eis quo ad assecutionem prebendarum ac beneficiorum aliorum preiudicium generari, Aut si Archiopiscopo Spalatensi, qui est pro tempore, et eisdem Capitulo vel quibusvis aliis communiter vel divisim ab eadem sit sede indultum, quod ad receptionem vel provisionem alicuius minime teneantur, et ad id compelli, aut quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint, quodque de Canonicatibus et prebendis ipsius ecclesie, vel aliis beneficiis ecclesiasticis ad eorum collationem, provisionem vel quamcumque aliam dispositionem coniunctim vel separatim spectantibus nulli valeat provideri per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, et qualibet alia dicte sedis indulgencia generali vel speciali cuiuscumque tenoris existat, per quam presentibus non expressam vel totaliter non insertam effectus huiusmodi gracie impediri valeat quomodolibet vel differri, et de qua cuiusque toto tenore debeat in nostris litteris fieri mentio specialis, Aut si dicta persona presens non fuerit ad prestandum de observandis statutis et consuetudinibus ipsius ecclesie solitum iuramontum, dummodo in absencia sua per procuratorem ydoneum, et cum ad ecclesiam ipsam accesserit, corporaliter illud prestet, seu quod dicta persona unum, duo vel plura beneficia ecclesiastica obtinere noscatur, plenam tenore presentium concedimus facultatem. Nos enim irritum decernimus et inane, si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari. Datum Avinione XI. Kalendas Decembris, Pontificatus nostri Anno Tertiodecimo.

CCXX.

Eidem conceditur, ut omnia beneficia, quae obtinebat ante suam promotionem, aliquibus idoneis possit conferre.
Reg. An. XIII. part. 2. ep. 1942.

IOHANNES EPISCOPUS etc. Venerabili fratri Dominico Archiepiscopo Spalatensi, salutem etc. Personam tuam etc. usque generosum. Cum itaque beneficia ecclesiastica, que tu tempore promotionis per nos de te facte ad Spalatensem ecclesiam tunc vacantem obtinebas in illis partibus, per huiusmodi promotionem et consecrationis munus a te apud apostolicam sedem de mandato nostro susceptum apud eandem sedem vacare noscantur ad presens, nullusque de illis preter nos hac vice disponere possit, pro eo quod nos din ante vacationem huiusmodi omnes dignitates, personatus et officia ceteraque omnia beneficia ecclesiastica tunc apud dictam sedem vacantia, et inantea vacatura collationi et dispositioni nostre specialiter reservantes, decrevimus extunc irritum et inane, si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari: Nos volentes tuam in hac parte honorare personam et per honorem tibi exhibitum aliis providere, fraternitati tue conferendi hac vice auctoritate nostra prefata beneficia sic vacantia, etiam si eorum aliquod dignitas vel personatus existat, quorum omnium redditus et proventus centum florenorum auri valorem annuum, ut asseris, non attingunt, etiam ipsorum beneficiorum, quorum singulorum proventus fore dicis tenues et exiles, duo vel tria singulis personis ydoneis, quas duxeris eligendas, etiam duo aut plura beneficia ecclesiastica, quorum alterum sit personatus vel dignitas, obtinentibus et providendi etiam de eisdem, dummodo beneficia huiusmodi, que obtinent, se compatiantur cum illis, que auctoritate presentium eis duxeris conferenda, Inducendi quoque easdem personas vel procuratores suos nomine earumdem per te vel alium seu alios in corporalem possessionem beneficiorum, iurium et pertinenciarum predictorum, et defendendi inductos, amotis quibuslibet detentoribus ab eisdem, ac faciendi personam, cui huiusmodi beneficium, si quod personatus vel dignitas existit, contuleris, ad illum vel illam, ut est moris, admitti, ac eisdem personis de ipsorum beneficiorum fructibus, redditibus, proventibus, iuribus et obventionibus universis integre responderi, Contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendi, Non obstantibus quibuscumque statutis et consuetudinibus ecclesie, in qua forsan huiusmodi beneficium, si quod sit personatus vel dignitas existat, contrariis iuramento, confirmatione apostolica vel quacumque firmitate alia roboratis, aut si aliqui super provisionibus sibi faciendis de huiusmodi vel aliis beneficiis ecclesiasticis in illis partibus speciales vel generales dicte sedis, vel legatorum eius litteras impotrarint, otiam si per eas ad inhibitionem, reservationem et decretum vel alias quomodolibet sit processum, quibus omnibus dictas personas in eorumdem beneficiorum assecutione volumus anteferri, sed nullum per hoc eis quoad assecutionem aliorum beneficiorum preiudicium generari, Aut si dilectis filiis Capitulo dicte ecclesie, in qua huiusmodi beneficium, si quod sit, ut predicitur, personatus vel dignitas existat, seu si aliquibus

aliis communiter vel divisim ab eadem sit sede indultum, quod ad receptionem vel provisionem alicuius minime teneantur, et ad id compelli, aut quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint, quodque de huiusmodi vel aliis beneficiis ecclesiasticis ad eorum collationem, provisionem vel quamcumque aliam dispositionem coniunctim vel separatim spectantibus nulli valeat provideri per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, et qualibet alia dicte sedis indulgencia generali vel speciali cuinscumque tenoris existat, per quam presentibus non expressam vel totaliter non insertam, effectus huiusmodi nostre gratie impediri valeat quomodolibet vel differri, et de qua cuinsque toto tenore habenda sit in nostris litteris mentio specialis, sen si dicta persona, cui de huiusmodi beneficio, si quod sit personatus vel dignitas, ut premittitur, dnxeris providendum, presens non fuerit ad prestandum de observandis statutis et consuetudinibus dicte ecclesie solitum iuramentum, dummodo in absencia sua per procuratorem ydoneum, et cum ad ecclesiam ipsam accesserit, corporalitor illud prestet, plenam et liberam concedimus anctoritate presentium facultatem. Volumus autem, quod persona, cui de beneficio, si quod sit personatus vel dignitas, duxeris, ut premittitur, providendum, postquam ipsius beneficii possessionem pacificam fuerit assecutus, alium personatum vel aliam dignitatem, seu alind beneficium ecclesiasticum, qnod se non compatiatur cum huinsmodi personatu vel dignitate, de quo vel qua, nt prefertur, duxeris providendum, quem vel quam sen quod extunc vacare decernimus, omnino dimittere teneatur. Nos enim, pront est, irritum decernimus et inane, si secus de dictis beneficiis a quoquam quavis anctoritate scienter vel ignoranter attemptatum forsan est hactonus, vel contigerit imposterum attemptari. Datum Avinione XI. Kal. Decembris, Pontificatus nostri Anno Tertiodecimo.

CCXXI.

Eidem conceditur, ut de ecclesia sancti Mauri de Insulabove Traguriensis diocesis vacante possit alicui idoneo providere. Reg. An. XIII. part. 2. ep. 1171.

IOHANNES EPISCOPUS etc. Venerabili fratri Dominico Archiepiscopo Spalatensi, salutem etc. Tne devotionis merita promerentur, nt illa te gratia favorabiliter prosequamur, per quam aliis te reddere valeas gratiosum. Cum itaque ecclesia sancti Mauri de Insulabove, cui, ut asseris, cura non imminet animarum, Traguriensis diocesis, quam Venerabilis frater noster Lampredius Episcopus Traguriensis, olim Rector eiusdem ecclesie, promotionis sne tempore per nos facte de ipso ad Traguriensem ecclesiam tunc vacantem obtinebat, per huiusmodi promotionem et consecrationis munus ab eo apud apostolicam sedem de mandato nostro susceptum apud eandem sedem vacare noscatur ad presens, nullusque de illa preter nos hac vice disponere possit, pro eo quod nos diu ante vacationem huiusmodi omnes ecclesias ceteraque beneficia ecclesiastica tunc apnd eandem sedem vacantia, et in antea vacatnra collationi et dispositioni nostre specialiter reservantes, decrevimus ex tunc irritum et inane, si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari. Nos volentes tuam in hac parte honorare personam, fraternitati tue conferendi hac vice auctoritate nostra eandem ecclesiam sancti Mauri sic vacantem, cuius redditus et proventus octo florenorum auri valorem annuum, ut asseris, non excedunt, cum omnibus inribus et pertinenciis suis alicui persone ydonee, qnam duxeris eligendam, etiam duo beneficia ecclesiastica obtinenti, et providendi etiam de eadem, dummodo se compatiatur cum beneficiis, que dicta persona obtinet, cui providebis de illa, Inducendi qnoque eandem personam vel procuratorem snum eius nomine per te vel alium seu alios in corporalem possessionem ecclesie, iurium et pertinenciarum predictorum, et defendendi indnctam, amoto ab ea quolibet detentore, ac faciendi eidem persone de ipsius ecclesie fructibus, redditibus, proventibus, iuribus et obventionibus universis integre responderi, Contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo, Non obstantibus si aliqui super provisionibus sibi faciendis de huinsmodi ecclesiis vel aliis beneficiis ecclesiasticis in eadem diocesi speciales vel in illis partibus generales nostras, vel predecessorum nostrorum Romanorum Pontificum aut Legatorum dicte sedis litteras impetrarint, etiamsi per eas ad inhibitionem, reservationem et decretum, vel alias quomodolibet sit processum, quibus omnibus eandem personam, cui dictam ecclesiam, ut premittitur, contuleris, in assecutione ipsius ecclesie volumus anteferri, sed nullum per hoc eis quoad assecutionem ecclesiarum et beneficiorum aliorum preiudicium generari, Aut si eidem Episcopo vel quibusvis aliis communiter vel divisim ab eadem sit sede indultum, quod ad receptionem vel provisionem alicuius minime teneantur, et ad id compelli, aut qnod interdici, snspendi vel excommunicari non possint, quodque de huiusmodi ecclesiis vel aliis beneficiis

ecclesiasticis ad eorum collationem, provisionem vel quamcumque aliam dispositionem coniunctim vel separatim spectantibus nulli valeat provideri pro litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, et qualibet alia dicte sedis indulgencia generali vel speciali, cuiuscumque tenoris existat, per quam presentibus non expressam vel totaliter non insertam effectus huiusmodi gratie impediri valeat quomodolibet vel differri, et de qua cuiusque toto tenore habenda sit in nostris litteris mentio specialis, plenam et liberam concedimus auctoritate presentium facultatem. Nos enim irritum, prout est, discernimus et inane, si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter attemptatum forsan est hactenus, vel contigerit imposterum attemptari. Datum Avinione XI. Kal. Decembris, Pontificatus nostri Anno Tertiodecimo.

CCXXII.

Eidem licentia testamentum condendi conceditur. Reg. An. XIII. par. 2. ep. 1156.

IOHANNES EPISCOPUS etc. Venerabili fratri Dominico Archiepiscopo Spalatensi, salutem etc. Quia presentis vite conditio statum habet instabilem, et ea que visibilem habent essentiam, tendunt visibiliter ad non esse: tu hoc salubri meditatione premeditans, diem tue peregrinationis extremum dispositione testamentaria desideras prevenire. Nos itaque tuis supplicationibus inclinati, ut de bonis tuis undecumque non per ecclesiam seu ecclesias tibi commissas, alias tamen licite acquisitis, que ad te pertinere omnimode dinoscuntur, libere testari valeas, ac de bonis mobilibus ecclesiasticis tue dispositioni seu administrationi commissis, que tamen non fuerint altaris seu altarium ecclesiarum tibi commissarum ministerio, seu alicui speciali earumdem ecclesiarum divino cultui seu usui deputata, necnon et quibuscumque bonis mobilibus a te per ecclesiam seu ecclesias licite acquisitis pro decentibus et honestis expensis tui funeris, et pro remuneratione illorum, qui tibi viventi servierunt, sive sint consanguinei sive alii, iuxta servitii meritum moderate tamen disponere ac erogare possis, et alias prius de ipsis earumdem ecclesiarum ere alieno detento, ut eedem ecclesie non remaneant debitis obligate, in pios ac licitos usus committere possis, plenam et liberam fraternitati tue auctoritate presentium concedimus facultatem. Volumus autem, ut in eorumdem ecclesiasticorum dispositione bonorum iuxta quantitatem residui erga ecclesias, a quibus eadem percepisti, te liberalem exhibeas, prout conscientia tibi dictaverit, et anime tue saluti videris expedire. Datum Avinione XI. Kalendas Decembris, Pontificatus nostri Anno Tertiodecimo.

CCXXIII.

Eidem conceditur, ut confessor semel in mortis periculo possit ei dare plenam omnium peccatorum absolutionem. Reg. An. XIII. par. 2. ep. 1157. fol. 98.

IOHANNES EPISCOPUS etc. Venerabili fratri Dominico Archiepiscopo Spalatensi, salutem etc. Illas libenter devotionis tue preces ad gratiam exauditionis admittimus, que tue mentis expiationem sapiant et iter tibi prebeant hereditatis eterne. Hinc est, quod nos tuis supplicationibus inclinati, ut confessor tuus, quem duxeris eligendum, semel tantum in mortis periculo tibi omnium peccatorum tuorum, de quibus corde contritus et ore confessus extiteris, eam plenam indulgencie veniam, quam Romani Pontifices consueverunt interdum per speciale privilegium aliquibus impertiri, et quatenus clavcs ecclesie se extendunt et gratum in oculis divine Maiestatis extiterit, concedere tibi valeat, auctoritate tibi presentium indulgemus, sic tamen quod idem confessor de hiis, de quibus fuerit alteri satisfactio impendenda, eam tibi per te, si supervixeris, vel per heredes tuos, si tunc forte transieris, faciendam iniungat, quam tu vel illi facere teneamini, ut prefertur. Nulli ergo etc. nostre concessionis et voluntatis infringere etc. Datum Avinione XI. Kal. Decembris, Pontificatus nostri Anno Tertiodecimo.

CCXXIV.

Guido abbas s. Mariae Vangadicensis ecclesiae Polensi in episcopum praeficitur. Reg. An. XIII. par. 2. ep. 1390.

IOHANNES EPISCOPUS etc. Dilecto filio Guidoni Electo Polensi, sal. etc. Apostolatus officium etc. Olim siquidem ex certis causis rationabilibus provisiones omnium ecclesiarum Cathedralium in Patriarchatu Aquilegensi consistentium et vacantium, et quotiens eas quocumque modo et ubicumque vacare contingeret, dispositioni nostre ac sedis apostolice usque ad nostrum et dicte sedis beneplacitum duximus reservandas, decernendo extunc irritum et inane, si secus super hiis per quoscumque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari. Postmodum autem ecclesia Polensi in eodem

Patriarchatu consistente per obitum bone memorie Antonii Episcopi Polensis, qui in partibus illis diem clausit extremum, pastoris solatio destituta, Nos attendentes, quod nullus preter nos de ordinatione ipsius ecclesie se hac vice intromittere potest, decreto et reservatione huiusmodi obsistentibus, de preficiendo eidem ecclesie, ne longe vacationis exponeretur incommodis, personam utilem ac etiam fructuosam, cuius industria in suis valeret manuteneri iuribus ac etiam adaugeri, cepimus intendere diligenter. Et demum post deliberationem, quam super hoc cum fratribus nostris habuimus diligentem, ad te tunc Abbatem Monasterii sancte Marie Vangadiciensis ordinis Camaldulensis Adriensis diocesis, cui religionis zelum, litterarum scienciam, vite mundiciam, morum honestatem et alia multiplicium dona virtutum suffragari ex testimoniis fidedignis accepimus, direximus aciem nostre mentis: quibus omnibus diligenti meditatione discussis, de persona tua, nobis et eisdem fratribus ob huiusmodi tuorum exigenciam meritorum accepta, eidem ecclesie de ipsorum fratrum consilio auctoritate apostolica providemus, tequo illi in Episcopum preficimus et pastorem, curam et administrationem ipsius ecclesie tibi tam in spiritualibus quam in temporalibus plenarie committendo, in illo qui dat gratias et largitur premia confidentes, quod clemencia tibi assistente divina prefata ecclesia per tue industrie et circumspectionis studium fructuosum preservabitur a noxiis et adversis, ot salutaribus spiritualiter et temporaliter proficiet incrementis. Quocirca discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus impositum tibi onus a domino suscipiens reverenter et suavi eius iugo humiliter colla submittens, curam et administrationem predictas sic fideliter geras et solicite prosequaris, quod ecclesia ipsa gubernatori provido ac fructuoso administratori gaudeat se commissam, tuque proinde preter retributionis eterne premium nostram et apostolice sedis benedictionem et gratiam uberius consequi mereatis. Datum Avinione III. Nonas Decembris, Pontificatus nostri Anno Tertiodecimo.

In e. m. Capitulo et universis Vassallis ecclesie Polensis, Clero et populo Civitatis et ecclesie Polensis et Patriarche Aquilegensi.

CCXXV.

Sergio episcopo Catharensi conceditur, ut archidiaconatum Catharensem et alia beneficia ecclesiastica, quae suae promotionis tempore obtinebat, quibusdam idoneis possit conferre. Reg. An. XIII. par. I. ep. 646.

IOHANNES EPISCOPUS etc. Venerabili fratri Sergio Episcopo Catharensi, salutem etc. Personam tuam nobis et apostolice sedi devotam congruo prosequentes honore illa te libenter gratia prevenimus, per quam possis aliis existere generosus. Cum itaque Archidiaconatus Catharensis ot beneficia ecclesiastica sancte Sophye et sancti Laurentii ecclesiarum sine cura tue diocesis, que promotionis tue tempore per nos facte ad dictam Catharensem ecclesiam, tunc pastore carentem, in eisdem Catharensi ecclesia et diocesi obtinebas, quorum fructus, redditus et proventus vigintiquinque florenorum auri valorem annuum, ut asseris, non attingunt, per huiusmodi promotionem et muneris consecrationis susceptionem de mandato nostro apud apostolicam sedem tibi impensi apud eandem sedem vacare noscantur ad presens, nullusque preter nos de dictis Archidiaconatu et beneficiis hac vice disponero possit, pro eo quod nos diu ante vacationem huiusmodi omnes dignitates, personatus et officia ceteraque beneficia ecclesiastica tunc apud eandem sedem vacantia, et inantea vacatura collationi et dispositioni nostre specialiter reservantes, decrevimus extunc irritum et inane, si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari. Nos personam tuam in hac parte honorare volentes, et per honorem tibi exhibitum aliis providere, fraternitati tue dilectis filiis Petro Saranni dicte ecclesie Catharensis Canonico Archidiaconatum, ac Sergio de Gonni Archipresbitero ipsius ecclesie beneficia sine cura predicta sic vacantia cum omnibus iuribus et pertinenciis suis, si sint ydonei, auctoritate nostra conferendi, ac inducendi per te vol per alium seu alios Petrum vidolicet in Archidiaconatus et Sergium predictos, vel procuratores eorum in beneficiorum predictorum ac iurium et pertinenciarum ipsorum corporalem possessionem, et defendendi inductos, amotis quibuslibet detentoribus ab eisdem, ac faciendi dictum Petrum vel procuratorem suum predictum eius nomine ad eundem Archidiaconatum in dicta Catharensi ecclesia, ut est moris, admitti, necnon Petro do Archidiaconatus et Sergio predictis de beneficiorum ipsorum fructibus, redditibus, proventibus, iuribus et obventionibus universis integre responderi, Contradictores auctoritate nostra, appellatione postposita, compescendo, Non obstantibus quibuscumque statutis et consuetudinibus dictarum ecclesiarum contrariis iuramento, confirmatione apostolica seu quacumque alia firmitate vallatis, seu si aliqui super provisionibus sibi faciendis de dignitatibus vel personatibus seu officiis in eisdem ecclesiis speciales, vel de beneficiis ecclesiasticis in illis partibus

generales dicte sedis vel Legatorum eius litteras impetrarint, etiam si per eas ad inhibitionem, reservationem et decretum, vel alias quomodolibet sit processum, quibus omnibus Petrum in Archidiaconatu et Sergium prefatos in predictorum beneficiorum assecutione volumus anteferri, sed nullum per hoc eis quo ad assecutionem dignitatum vel personatuum seu officiorum ac beneficiorum aliorum preiudicium generari; seu si Episcopo Catharensi, qui est pro tempore, et dilectis filiis Capitulo dicte ecclesie Catharensis vel quibusvis aliis communiter vel divisim ab eadem sit sede indultum, quod ad receptionem vel provisionem alicuius minime teneantur, et ad id compelli, seu quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint, quodque de dignitatibus vel personatibus seu officiis aut beneficiis ecclesiasticis huiusmodi ad eorum collationem, provisionem vel quamcumque aliam dispositionem coniunctim vel separatim spectantibus nulli valeat provideri per litteras apostolicas non facientes plenam ex expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, et qualibet alia dicte sedis indulgencia generali vel speciali cuiuscumque tenoris existat, per quam presentibus non expressam vel totaliter non insertam effectus huiusmodi nostre gratie impediri valeat quomodolibet vel differri, et de qua cuiusque toto tenore habenda sit in nostris litteris mentio specialis, aut si presens non fuerit ad prestandum de observandis statutis et consuetudinibus eiusdem ecclesie Catharensis ratione dicti Archidiaconatus solitum iuramentum, dummodo in absencia sua per procuratorem ydoneum, et cum ad ecclesiam accesserit, corporaliter illud prestet, plenam et liberam tenore presentium concedimus facultatem. Nos enim, prout est, irritum decernimus et inane, si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter attemptatum forsan est hactenus, vel imposterum contigerit attemptari. Datum Avinione II. Idus Decembris, Pontificatus nostri Anno Tertiodecimo.

CCXXVI.

Idem Sergius vita sua durante et ecclesia Catharensis a iurisdictione archiepiscopi et capituli Barensium eorumque officialium eximuntur. Reg. Au. XIII. part. 1. ep. 647.

IOHANNES EPISCOPUS etc. Venerabili fratri Sergio Episcopo Catharensi, salutem etc. Pure devotionis sinceritas, qnam ad apostolicam sedem et nos habere dinosceris, necnon multiplicia tue merita probitatis mentem nostram non indigne solicitant, ut in hiis, que persone tue pacem ac quietem et commodum ecclesie tue Catharensis respiciunt, nos reddamur tibi favorabiles et benigni. Sane, sicut petitio tua nobis exhibita continebat, licet dudum bone memorie Dampnio Episcopo Catharensi regimini Catharensis ecclesie presidente, nos provisionem eiusdem ecclesie, cum per ipsius Dompnii obitum vel alio quocumque modo eam vacare contingeret, dnxissemus specialiter reservandam, ac postmodum prefata ecclesia per obitum dicti Dompnii, qui in illis partibus diem clausit extremum, vacante, nos vacatione huiusmodi fidedignis relatibus intellecta, de persona tua eidem ecclesie duxerimus providendum proficientes te illi in Episcopum et pastorem, ac subsequenter tibi fecerimus munus consecrationis impendi: tamen Venerabilis frater noster Landulfus Archiepiscopus Barensis reservationis huiusmodi non ignarus, cum tempore debito huiusmodi reservatio sibi fuisset legitime intimata, in apostolice sedis contemptum, tuumque preiudicium et gravamen Iohannem de Viterbio apostatam eidem ecclesie temere de facto prefecit in Episcopum et pastorem, immo verius in dicta ecclesia intrusit eundem, sibi curam et administrationem eiusdem ecclesie in spiritualibus et temporalibus committendo, qui huiusmodi intrusionis pretextu eiusdem Archiepiscopi fultus potencia dictam ecclesiam detinet occupatam: quare nobis humiliter supplicasti, ut cum dicta Catharensis ecclesia fuerit hactenus per dictum Archiepum ciusque Capitulum plurimum devastata, ac timeas et dubites per eundem Archiepiscopum eandem ecclesiam ulterius devastari, te et ecclesiam tuam predictam ad vitam tuam de speciali gratia eximere dignarcmur. Nos igitur premissorum considerationc volentes te illius favoris presidio prosequi, per quod quieti tue et indempnitatibus eiusdem ecclesie consulatur, tuis supplicationibus inclinati personam tuam et ecclesiam Catharensem predictas ab omni iurisdictione, dominio et potestate predicti Archiepiscopi et successorum suorum Archiepiscoporum Barensium, qui erunt pro tempore, ac dilectorum filiorum Capituli Barensis ecclesie, quibus tn et Catharensis ecclesia estis Metropliticn iure subiecti, necnon Vicariorum et quorumlibet aliorum officialium suorum auctoritate apostolica ad vitam tuam tenore presentium prorsus eximimus de gracia speciali. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre exemptionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum. Datum Avinione II. Idus Decembris, Pontificatus nostri Anno Tertiodecimo.

CCXXVII.

Archiepiscopi Antibarensis et Ragusinus et episcopus Farensis dantur conservatores eidem Sergio super exemptione ipsi concessa a iurisdictione archiepiscopi et capituli Barensium. Reg. An. XIII. part. 1. ep. 696.

IOHANNES EPISCOPUS etc. Venerabilibus fratribus ... Antibarensi et ... Ragusino Archiepiscopis et ... Episcopo Farensi, salutem etc. Pure devotionis sinceritas, quam Venerabilis frater noster Sergius Episcopus Catharensis ad apostolicam sedem et nos habere dinoscitur, necnou multiplicia sue merita probitatis montem nostram non indigne solicitant, ut iu hiis, que persone sue pacem ac quietem et commodum ecclesie sue Catharensis respiciunt, nos reddamur sibi favorabilos et benigni. Sane, sicut petitio eiusdem Episcopi nobis exhibita continebat, licet dudum bone memorie Dompnio Episcopo Catharensi regimini Catharensis ecclesie presidente, nos provisionem eiusdem ecclesie, cum per ipsius Dompnii obitum vel alio quocumque modo eam vacare contingeret, duxissemus specialiter reservandam, ac postmodum prefata ecclesia per obitum dicti Dompnii, qui in illis partibus diem clausit extremum, vacante, nos vacatione huiusmodi fidedignis relatibus intellecta de persona prefati Sergii Epi eidem ecclesie duxerimus providendum preficientes ipsum illi in Epum et pastorem, ac subsequenter prefato Sergio Epo fecerimus munus consecrationis impendi: tamen Venerabilis frater noster Landulphus Archiepus Barensis reservationis huiusmodi non ignarus, cum tempore debito huiusmodi reservatio sibi fuisset legitime intimata, in apostolice sedis contemptum prelibatique Epi preiudicium et gravamen Iohannem de Viterbio apostatam eidem ecclesie temere de facto prefecit in Epum et pastorem, immo verius in dicta ecclesia intrusit eundem, sibi curam et admiuistrationem eiusdem ecclesie in spiritualibus et temporalibus committendo, qui huiusmodi intrusionis pretextu eiusdem Archiepiscopi fultus potencia dictam ecclesiam detinet occupatam: quare nobis memoratus Sergius humiliter supplicavit, ut cum dicta ecclesia Catharensis fuerit hactenus per dictum Archiepiscopum eiusque Capitulum plurimum devastata, ac timeat et dubitet per eundem Arciopiscopum eandem occlosiam ulterius devastari, ipsum Sergium et ecclesiam suam predictam ad vitam suam de speciali gratia eximere dignaremur. Nos igitur premissorum consideratione volentes prefatum Epum illius favoris presidio prosequi, per quod quieti sue et indempnitati eiusdem ecclesie consulatur, ipsius supplicationibus inclinati personam suam et ecclesiam Catharensem predictas ab omui iurisdictione, dominio et potestate predicti Archiepiscopi et successorum suorum Archiepiscoporum Barensium, qui erunt pro tempore, ac dilectorum filiorum Capituli Barensis ecclesie, quibus Episcopus et Catharensis ecclesia prefati sunt Metropolitico iure subiecti, necnou Vicariorum et quorumlibet aliorum officialium suorum auctoritate apostolica ad vitam suam tenore litterarum nostrarum prorsus eximimus de gratia speciali. Quocirca fraternitati vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus vos vel duo aut unus vestrum per vos vel alium seu alios prefatos Epum et ecclesiam Catharensem nou permittatis contra tenorem exemptionis nostre huiusmodi ab eisdem Archiepo, Capitulo, Vicariis seu officialibus aut quibusvis aliis aliquatenus molestari, Molestatores huiusmodi auctoritate uostra, appellatione postposita, compescendo, Non obstante si eisdem Archiepiscopo et Capitulo vel quibusvis aliis communiter vel divisim a sede apostolica sit indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Datum Avinione II. Idus Decembris, Pontificatus nostri Anno Tertiodecimo.

CCXXVIII.

Stephano olim episcopo Farensi committitur administratio monasterii sancti Petri extra muros Arbenses, quod in patriarchatu Gradensi consistit. Reg. An. XIII. par. 2. ep. 1943.

IOHANNES EPISCOPUS etc. Venerabili fratri Stephano Episcopo olim Farensi, Administratori in spiritualibus et temporalibus Monasterii sancti Petri extra muros Arbenses ordinis sancti Benedicti, salutem etc. Inter solicitudines varias, quibus assidue premimur, illud potissime continua uos pulsat instancia angitque propensius mentem nostram, ut circa monasteriorum omnium et ministrorum dei, presertim officio Pontificali fungentium statum, sic vigili et solerti solicitudine intendamus, ut ipsorum monasteriorum utilitatibus et eorumdem ministrorum necessitatibus, quantum nobis ex alto permittitur, per apostolice sedis providenciam salubriter consulatur. Cum itaque tu dudum oneri regiminis ecclesie Farensis, cui tunc preeras, ex certis rationabilibus causis per procuratorem tuum ad hoc legitime constitutum in nostris manibus cesseris tua sponte, nosque cessionem huiusmodi auctoritate apostolica admittentes, te a vinculo, quo eidem tenebaris ecclesie, duxerimus de apostolice potestatis plenitudine absolvendum, nos attendentes, quod tu non habes iuxta episcopalis status et persone tue decenciam, unde possis commode susten-

tari, ac propter hoc necnon tuarum grandium virtutum merita, quibus personam tuam dñus insignivit, ad te compassionis animum convertentes; ac attendentes, quod monasterium sancti Petri extra muros Arbenses ordinis sancti Benedicti, quod in Patriarchatu Gradensi consistit, et adhuc quod Abbates, qui ei prefuerunt pro tempore, consueverunt per electionem assumi, per obitum ultimi ipsius monasterii Abbatis, qui in partibus illis diem clausit extremum, vacat ad presens, de cuius ordinatione nullus preter nos se hac vice intromittere potest, pro eo quod nos diu ante vacationem huiusmodi provisiones omuium monasteriorum in Patriarchatu Gradensi consistentium, ad quorum regimina Abbates, qui eis prefuerunt pro tempore, consueverunt per electionem assumi, tunc vacantium et vacaturorum inantea ordinationi et dispositioni nostre et sedis apostolice usque ad nostrum et ipsius sedis beneplacitum duximus specialiter reservandas, decernentes extunc irritum et inane, si secus de illis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari; volentes quoque tam tuis necessitatibus, ne in Pontificalis dignitatis obprobrium egere cogaris, quam eidem monasterio, ut utilis gubernatoris presidio fulciatur, iuxta officii nostri debitum salubriter et utiliter providere, monasterium ipsum cum omnibus iuribus et pertinenciis suis in spiritualibus et temporalibus usque ad eiusdem sedis beneplacitum de fratrum nostrorum consilio tibi auctoritate apostolica commendamus, administrationem plenam et liberam dicti monasterii et bonorum ipsius, necnon curam et gubernationem eiusdem ac membrorum, ecclesiarum et locorum omnium iurisdictionum et iurium eiusdem monasterii in eisdem spiritualibus et temporalibus per te vel alium exercendas et gerendas tibi tenore presentium committentes, ita quod de fructibus, redditibus et proventibus eiusdem monasterii ordines et disponas, ac si verus Abbas monasterii existeres prelibati, alienationem tamen bonorum immobilium dicti monasterii tibi penitus interdicta. Quocirca fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenus curam et administrationem ac gubernationem huiusmodi sic geras solicite et prudenter, circa recuperationem et defensionem iurium monasterii, ecclesiarum et locorum ipsorum studium attente solicitudinis adhibendo, quod a retributore bonorum omnium eterne retributionis preminm assequi mereatis, nosque devotionem tuam possimus propter hoc dignis in domino laudibus commendare. Datum Avinione XIII. Kalendas Aprilis, Pontificatus nosti Anno Tertiodecimo.

In e. m. Conventui monasterii sancti Petri extra muros Arbenses ordinis sancti Benedicti, universis vassallis eiusdem monasterii, ... Comiti et Communi Civitatis Arbensis et ... Episcopo Arbensi.

CCXXIX.

Executoribus mandatur, ut Bartholomaeo de Cadubrio, clerico Aquilcicnsis dioccesis, providcant de canonicatu et praebenda ac custodia ecclesiae Tergestinae vacantibus. Reg. Au. XIV. part. 1. ep. 175.

IOHANNES EPISCOPUS etc. Dilectis filiis ... Decano Aquilegensis et Petro de Meunaco Caturcensis ac Bertrando Rotundi Vivariensis ecclesiarum Canonicis, salutem etc. Laudabilia merita probitatis, quibus personam dilecti filii Bartholomei nati quondam Odorici de Cadubrio, clerici Aquilegensis diocesis, fidedignorum testimonio invari percepimus, nos inducunt, ut ipsum prerogativa specialis gratie prosequamur. Dudum siquidem intendentes de Canonicatibus et prebendis, ac dignitatibus, personatibus vel officiis ac beneficiis, que bone memorie Petrus sancti Angeli diaconus Cardinalis ex provisione seu concessione sedis apostolice, dum viveret, obtinebat, cum illa per eius obitum vacare contingeret, per eiusdem sedis providenciam ordinari, Canonicatus et prebendas, ac dignitates, personatus et officia ac beneficia supradicta, in quibuscunque ecclesiis sive locis existerent, dnm adhuc idem Cardinalis ageret in humanis, non obstante si forte in apostolicis litteris, quarum auctoritate Canonicatus et prebendas, ac dignitates, personatus, officia et beneficia supradicta idem Cardinalis fnerat assecntus, caveretur expresse, vel alias per sedem eandem existeret ordinatum, quod eo cedente vel decedente Canonicatus et prebende, ac dignitates, personatus, officia ac beneficia prelibata ad pristinum statum redirent, nec apnd sedem intelligerentur vacare eandem, collationi et dispositioni nostre specialiter dnximus reservanda, decernentes extunc irritum et inane, si secus super hiis per quoscunque qnavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari. Cum itaque, sicnt accepimus, dictus Cardinalis nonnullos Canonicatus et prebendas ac Custodiam, cui, ut dicitur, cura imminet animarum, in ecclesia Tergestina ex collatione sen concessione apostolica, dum viveret, obtinebat, qui postmodum per ipsius obitum vacaverunt, et vocant ad presens, Nos attendentes, quod premissis veris existentibus nullus de dictis Canonicatibus et prebendis ac Custodia preter nos hac vice disponere potuit neque potest, reservatione et decreto obsistentibus supradictis, ac volentes eundem Bartholomenm premissorum meritorum suorum

intuitu prerogativa prosequi gratie specialis, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus vos vel duo aut unus vestrum per vos vel alium seu alios, si est ita, unum Canonicatum et unam prebendam ex dictis Canonicatibus et prebendis, quos idem Bartholomeus per se vel procuratorem suum ad hoc legitime constitutum duxerit acceptandos, post acceptationem huiusmodi, necnon eandem Custodiam sic vacantem prefato Bartholomeo vel procuratori euo eius nomine cum plenitudine iuris canonici, ac omnibus iuribus et pertinenciis suis auctoritate nostra conferre et assignare curetis, Inducentes eum vel dictum procuratorem pro ipso in corporalem possessionem Canonicatus et prebende, ac Custodie, iurium et pertinenciarum predictorum, et defendentes inductum, amotis quibuslibet detentoribus ab eisdem, ac facientes eum vel dictum procuratorem pro eo ad eandam prebendam in Canonicum eiusdem ecclesie Tergestine recipi et in fratrem, stallo sibi in choro et loco in Capitulo ipsius ecclesie cum plenitudine inris canonici assignatis, et ad dictam Custodiam, ut est moris, admitti, sibique de ipsorum Canonicatus et prebende ac Custodie fructibus, redditibus, proventibus, iuribus et obventionibus universis integre responderi, Contradictores auctoritate nostra, appellatione postposita, compescendo, Non obstantibus quibuscumque statutis et consuetudinibus eiusdem ecclesie Tergestine contrariis iuramento, confirmatione apostolica vel quacumque firmitate alia roboratis, Aut si aliqui apostolica vel alia quavis auctoritate in eadem ecclesia in Canonicos sint recepti, vel ut recipiantur, insistant, seu si super provisionibus sibi faciendis de Canonicatibus et prebendis, ac dignitatibus, personatibus seu officiis in dicta ecclesia speciales, vel de beneficiis ecclesiasticis in illis partibus generales dicte sedis vel Legatorum eins litteras impetrarint, etiam si per eas ad inhibitionem, reservationem et decretum vel alias quomodolibet sit processum, quibus omnibus, si est ita, eumdem Bartholomeum in assecutione dictorum Canonicatus et prebende ac Custodie volumus anteferri, sed nullum per hoc eis quo ad assecutionem Canonicatuum et prebendarum, ac dignitatum et personatuum, seu officiorum aut beneficiorum aliorum preiudicium generari, Aut si Venerabili fratri nostro ... Episcopo et dilectis filiis Capitulo Tergestinis, vel quibusvis aliis communiter vel divisim ab eadem sit sede indultum, quod ad receptionem vel provisionem alicuius minime teneantur, et ad id compelli, aut quod interdici, suspendi vel excommnnicari non possint, quodque de Canonicatibus et prebendis, ac dignitatibus, personatibus seu officiis eiusdem ecclesie, vel aliis beneficiis ecclesiasticis ad eorum collationem, provisionem vel quamcumque aliam dispositionem coniunctim vel separatim spectantibus nulli valeat provideri per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, et qualibet alia dicte sedis indulgentia generali vel speciali, cuiuscumque tenoris existat, per quam presentibus non expressam vel totaliter non insertam effectus huiusmodi gratie impediri valeat quomodolibet vel differri, et de qua cuiusque toto tenore habenda sit in nostris litteris mentio specialis, Aut si dictus Bartholomeus presens non fuerit ad prestandum de observandis statutis et consuetudinibus eiusdem ecclesie solitum iuramentum, dummodo in absentia sua per procuratorem ydoneum, et cum ad ecclesiam ipsam accesserit, corporaliter illud prestet. Nos enim, si est ita, irritum, prout est, decernimus et inane, si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter attemptatum forsan est hactenus, vel contigerit imposterum attemptari. Datum Avinione VIII. Kalendas Novembris, Pontificatus nostri Anno Quartodecimo.

CCXXX.

Episcopo Ostiensi sedis apostolicae legato, ut inquirat in archiepiscopum Iadrensem, qui ab inquisitione haereticae pravitatis Martinum abbatem et Franciscum monachum monasterii ss. Cosmae et Damiani tamquam de haeresi suspectos captos violenter abstulerit. Reg. An. XIV. Secret. ep. 1102.

IOHANNES EPISCOPUS etc. Venerabili fratri Bertrando Episcopo Ostiensi, Legato Lombardie etc. salutem etc. Exposuit nobis dilectus filius Fabianus de ordine fratrum Minorum, Inquisitor heretice pravitatis in provincia Sclavonie auctoritate apostolica deputatus, quod cum ipse dudum inquisitionis predicte sibi commissum officium exequendo adversus Martinum Abbatem Monasterii sanctorum Cosme et Damiani ordinis sancti Benedicti Iadrensis diocesis, et Franciscum dicti Monasterii Monachum super crimine heresis delatos sibi graviter et vehementer suspectos vellet procedere iusticia exigente, Venerabilis frater noster Iohannes Archiepiscopus Iadrensis, officium Inquisitionis huiusmodi non sine magna temeritate impediens et perturbans, prefatos Abbatem et Monachum de manibus gentium et ministrorum Inquisitoris eiusdem rapuit violenter, ipsos ad domum suam, ubi eos defendere satagit, adducendo. et hiis non contentus mala malis cumulans, in eundem Inquisitorem, status pontificalis spreta modestia

et maturitate calcata, manus presumpsit mittere violentas. Cum autem premissa, que moleste non indigne, si eis suffragetur veritas, ferimus, remanere non debeant incorrecta, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatinus per te vel alium seu alios summarie, simpliciter et de plano super premissis et ea tangentibus te informans, informationem et quicquid inde feceris nobis mittere fideliter non postponas. Datum Avinione decimo Kalendas Decembris, Pontificatus nostri Anno Decimoquarto.

CCXXXI.

Eidem, ut Francischinum de Papia compellat ad restituendos predicto inquisitori libros, pecunias et alia bona ablata. Reg. An. XIV. Secret. ep. 1103.

IOHANNES EPISCOPUS etc. Venerabili fratri Bertrando Episcopo Ostiensi Legato Lombardie etc., salutem etc. Sua nobis dilectus filius Fabianus de ordine Minorum, Inquisitor heretice pravitatis in partibus Sclavonie auctoritate apostolica deputatus, gravi conquestione monstravit, quod ipse dudum in itinere veniendi ad sedem apostolicam constitutus per Francischinum de Papia de Gregoriis de Castro de Fortunaga ... diocesis, equis, libris, pecunia et nonnullis bonis suis, ac processibus et scripturis etiam officium Inquisitionis predicte tangentibus extitit violenter et nequiter spoliatus. Nos autem volentes eidem Inquisitori bona sibi sic ablata restitui, et alias super predictis iusticiam exhiberi, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatinus si summarie, simpliciter et de plano ac sine strepitu et figura iudicii tibi constiterit de premissis, prefatum Francischinum ad restituendum dicto Inquisitori ablata huiusmodi, sibique de iniuriis et offensis illatis satisfaciendum, prout iuris equitas suadebit, monitione premissa, compellere per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, non omittas, invocato ad hoc si necesse fuerit auxilio brachii secularis. Datum Avinione x. Kal. Decembris, Pontificatus nostri Anno Decimoquarto.

CCXXXII.

Imperatori Trepesundarum et aliis regibus et principibus illarum partium, ut ipsi et eorum subditi se convertant ad fidem catholicam, et fratres Predicatores ac Minores, et presertim fratrem Bernardum de Gardiola episcopum Diagorganensem habeant recommendatos. Reg. An. XIV. part. I. ep. 335.

IOHANNES EPISCOPUS etc. Magnifico viro ... Imperatori Trepesundarum, gratiam in presenti, que perducat ad gloriam in futuro. Licet votis zelemur ardentibus, ut cunctis mortalibus, quos dei filius Ihesus Christus suo sanguine pretioso redemit, celestis gratie radius illucescat, et salus votiva proveniat animarum, ut hostis antiqui semper querentis, ut noceat, elusa nequitia, superne beatitudinis gloria, quam non sufficit capere intellectus humanus, quamque Salvator noster, a quo universorum carismatum dona manant, se diligentibus repromittit, in suavitatis fecunde dulcedine perfruantur: hoc tamen profundius perpeti cura revolvimus, hoc sitimus ardentius, hoc in solide caritatis ardore crebris orationibus postulamus, ut inter omnes, quos regeneravit unda baptismatis, cesset scissure divisio, cessent errorum nebule, fidei claritas rutilet, et mentales oculos in Christo credentium temerate fidei perfidia non obducat, unaque sancta Catholica et universalis ecclesia in unitate vere fidei sub uno pastore, et unius ovilis intemerata et solida unione ad conquirendam eiusdem beatitudinis gloriam gratis successionibus fecundetur. Ideoque excellentiam tuam rogamus, monemus et hortamur attente, te in domino Ihesu Christo per aspersionem sui pretiosi sanguinis obsecrantes, quatenus diligenter attendens, quod tibi crescet ad meritum, accedet ad gloriam atque famam, si datum tibi desuper fuerit, ut tu et populus tue ditioni commissus discretionis tue studio ad unitatem eiusdem Catholice et universalis ecclesie revertamini, extra quam non est gratia neque salus, te et predictum populum habitare et reducere studeas ad eiusdem Catholice et sacrosancte Romane ecclesie perpetuam et inviolabilem unionem, ac dilectos filios fratres Predicatorum et Minorum ordinum ad partes ipsas venientes, per illas transitum faciendo caritative recipias et benigne pertractes, et maxime Venerabilem fratrem nostrum Bernardum de Gardiola Episcopum Diagorganensem, quem ad laudem dei et gloriam, et pascendum gregem fidelium in partibus illis predicationis verbo pariter et exemplo ecclesie Diagorganensi prefecimus in pastorem, quemque ad partes ipsas providimus destinandum, pro divina et apostolice sedis reverencia habeas commendatum, ut in retributione iustorum ab eterno retributore, qui nullum bonum sine remuneratione relinquit, *mercedem* condignam et eterne beatitudinis premia consequaris. Datum Avinione Kalendis Decembris, Pontificatus nostri Anno Quartodecimo.

In e. m. Magnificis viris ... Regi Rassie, ... Regi Thefilicensi Georgianie, ... Regi Choraticensi, Nobilibus viris ... Principi Golagay Thefilicensi, ... Principi de Carpi (maioris Armeniae), Misserquis Principi Thefilicensi, ... et Principi de Aliquis, gratiam in prescnti etc. Datum ut supra.

CCXXXIII.

Universis christianis habitantibus in montibus Caspiis per Bernardum de Gardiola episcopum Diagorganensem et fratres Predicatores fidem catholicam pontifex mittit. Reg. An. XIV. part. 3. ep. 1019.

IOHANNES EPISCOPUS etc. Universis Christianis habitantibus in Montibus Caspiis, gratiam in presenti, que perducat ad gloriam in futuro. Patri luminum et perempnis glorie largitori corde devoto gratiarum referimus quantas possumus actiones, qui, sicut cum ingenti mentis exultatione percepimus, vobis dudum in tenebris ambulantibus revelavit vere catholice fidei lucem magnam, et de nebula gentilis erroris eductos ad veritatem catholicam misericorditer evocavit, et traxit in agnitionem filii sui domini nostri Ihesu Christi, qui per lavacrum regenerationis abluti et mundati ab inquinamentis pristine vetustatis in novitate vite domino complacetis parati, sicut letanter audivimus, doctrina vere catholice fidei, quam tenet, docet et predicat sancta Romana ecclesia, doceri et instrui, si vobis magistri et directores in fide ab eadem sacrosancta Romana ecclesia destinentur. Ecce igitur vestris in hac parte desideriis annuentes, vosque gerentes in visceribus caritatis, ac confidentes, quod qui cepit in vobis opus bonum, perficiet usque in diem domini nostri Ihesu Christi, Venerabilem fratrem nostrum Bernardum de Gardiola Episcopum Diagorganensem, et dilectos filios fratres ordinis Predicatorum, viros utique magne religionis et vite et in lege domini eruditos, ad vos providimus destinandos, rogantes et obsecrantes vos in eodem domino nostro Ihesu Christo, quatenus attendentes, quod per tam longas maris terreque distancias prefatus Episcopus et fratres non absque magnis laboribus et periculis pro sola cooperatione et promotione dictorum obsequiorum ad partes ipsas accedunt, eos ob divinam et apostolice sedis reverenciam benigne recipere, gratanter complecti, instructionem eorum in fide et evangelice eruditionis doctrinam aure mentis audire, eorumque predicationibus firma credulitate impendere fidem, audita et credita veris operibus comprobare, gratia dei vos preveniente et subsequente, efficaciter studeatis. Ut autem ipsius fidei series vobis plenius innotescat, eam vobis annotatam presentibus destinamus, que talis est. Credimus sanctam Trinitatem, patrem et filium et spiritum sanctum etc. ut supra Nro. CLXXXI. pag. 128. usque semper salva.

Ideoque Universitatem vestram rogamus et hortamur attente, quatenus meditatione sedula cogitantes, quod fragilis est et caduca humane nature conditio, plena periculis, exposita casibus, instabilis statutis eius, considerantes etiam, quod a lege mortis mordentis omnia nullus excluditur, prompti assurgere, presto vos offerre et parati sitis accedere ad cognitionem Christiane fidei, et suscipiendum baptismatis sacramentum ad laudem divini nominis vestreque salutis profectum et augmentum fidei supradicte, ut lucis sue radio illustrati vos solerter exerceatis ad eius fines laudabiliter ampliandos, ut post vite presentis excursum a parte inferi liberati eius diros excruciatus penasque gravisaimas evitetis, eterne beatitudinis premia perpetuis duratura temporibus adepturi. Datum Avinione Kal. Decembris, Pontificatus nostri Anno Quartodecimo.

CCXXXIV.

Omnes ad fidem catholicam conversi et catholici christiani habitantes inter infideles et schismaticas nationes in partibus Aquilonis et etiam Orientis monentur et rogantur, ut Bernardum de Gardiola episcopum Diagorganensem, et fratres Praedicatores benigne recipiant et audiant. Reg. An. XIV. par. 3. ep. 1021.

IOHANNES EPISCOPUS etc. Dilectis filiis omnibus Conversis ad fidem Catholicam et Catholicis Christianis habitantibus inter Infideles et Scismaticas nationes in partibus Aquilonis et etiam Orientis, salutem etc. Gracias agimus deo nostro, quia, sicut grata et exultabili relatione percepimus, gracia dei illuminati estis divites facti in revelatione domini nostri Ihesu Christi, qui et confirmabit vos usque in finem ambulare in semitis mandatorum ipsius: fecit enim dominus in cordibus vestris lucem splendescere ad illuminationem sciencie claritatis sue, ut habeatis thesaurum spirituale in vasis fictilibus, ut sciatis, quod licet is, qui foris est, noster homo corrumpatur, tamen is, qui intus est, renovatur de die in diem, quoniam id quod in presenti est momentaneum et leve tribulationis humane, super modum in sublimitate eternum glorie pondus operatur in vobis non contemplantibus temporalia, que videntur, sed que non videntur eterna amplectentes: ita quod tempus acceptabile vocationis vestre ad

catholicam veritatem nemini dantes ullam offensionem, in omnibus exhibeatis vosmet ipsos sicut dei ministros in multa paciencia et castitate, in caritate non ficta, in verbo veritatis, in virtute dei per arma iusticie a dextris et a sinistris non ducentes iugum cum infidelibus eorum imitando errores, sed impietates de ipsorum cordibus studeatis evellere, illuminantes eos in agnitionem catholice veritatis. Que enim participatio iusticie cum iniquitate, aut que societas lucis ad tenebras, aut que conventio Christi ad Belial, ant que pars fidelis cum infideli? Studeatis ergo vos esse templum dei vivi, mundantes vos ab omni inquinamento carnis et spiritus, proficientes sanctificationem in timore dei, perseverantes in bono usque in finem. Ceterum Venerabilem fratrem nostrum Bernardum de Gardiola Episcopum Diagorganensem, et dilectos filios fratres ordinis Predicatorum utpote viros magne religionis et vite, et in lege domini eruditos ad partes ipsas providimus destinandos, rogantes et obsecrantes vos in eodem domino nostro Ihesu Christo, quatenus attendentes, quod per tam longas maris terreque distancias prefati Episcopus et fratres non absque magnis laboribus et periculis pro sola cooperatione et promotione dictorum obsequiorum ad partes ipsas accedunt, eos ob divinam et apostolice sedis reverenciam benigne suscipiatis, mentales aures eorum sanctis exhortationibus exhibentes, ut fides vestra bonis habnndet operibus et vos radicati et fundati in fide tandem eterne beatitndinis gloriam et celestis vite premia consequi valeatis. Datum Avinione Kal. Decembris, Pont. nostri Anno Quartodecimo.

CCXXXV.

Pax de Vedano ex ord. Praedicatorum ecclesiae Tergestinae in episcopum praedicitur. Reg. An. XIV. part. 2. ep. 3665.

IOHANNES EPISCOPUS etc. Dilecto filio Paci de Vedano Electo Tergestino, salutem etc. Ad exequendum Pastoralis officii debitum vigilantibus studiis intendentes, circa statum ecclesiarum vacantium aciem attente considerationis solerter extendimus, et de ipsarum profectibus solicite cogitamns, opem et operam, prout utilius fore perpendimus, diligentius impendentes, ut per Rectorcs providos eedem ecclesie gubernentur, ac in spiritualibus fulgeant et temporalibus augeantur. Dudum siqnidem ex certis rationabilibns cansis omnes et singulas Cathedrales ecclesias consistentes in provincia Aquilegensi per bienninm primo, ac deinde tempus huinsmodi biennale diversis successive vicibus de biennio in bienninm prorogando usque ad Kalendas Aprilis Pontificatus nostri anni tertiidecimi provisioni nostre, et sedis apostolice auctoritate apostolica duximus raservandas, decernentes in singulis reservationibns huinsmodi extunc irritum et inane, si secns super hiis per quoscunque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari. Ac deinde cum finis huiusmodi nostre prorogationis instaret, Nos similibus causis inducti reservationem et decretum predicta nsque ad duos annos, ab eisdem Kalendis Aprilis in antea computandos, auctoritate predicta modo et forma expressis superius extendenda duximus, et eciam proroganda. Interim vero Tergestina ecclesia, qne in provincia predicta consistit, per obitum bone memorie Guillelmi Episcopi Tergestini, qui in partibus illis diem clausit extremum, pastoris solatio destituta, Nos attendentes, qnod nullns preter nos se hac vice de ipsins ecclesie ordinatione intromittere potest, reservatione, decreto necnon extensione ac prorogatione predictis obstantibus, et cupientes talem eidem ecclesie, ne longe vacationis deploraret incommoda, preese personam, que sciret, vellet et posset eam in spiritualibns et temporalibus utiliter regere ac salubriter gubernare, post deliberationem, quam super hiis cum fratribus nostris habuimus diligentem, demum ad te ordinis fratrum Predicatorum professorem, in sacerdotio constitutum, cni de religionis zelo, litterarum scientia, honestate morum et vite, providencia spiritualium aliisque multiplicium virtutum meritis apnd nos fidedigna testimonia perhibentur, direximus oculos nostre mentis: quibus omnibus debita meditatione pensatis, do persona tua, nobis et eisdem fratribus ob huiusmodi tuorum exigenciam meritorum accepta, prefate Tergestine ecclesie de ipsorum fratrum consilio auctoritate apostolica providemus, teqne illi preficimus in Episcopum et pastorem, curam et administrationem ipsius ecclesie Tergestine tibi tam in spiritualibns quam in temporalibus plenarie committendo, firma concepta fiducia, quod, dirigente domino actus tuos tuaqne studia prosequento, prefata ecclesia Tergestina per tue provide circumspectionis industriam et providenciam circumspectam in utrisqne feliciter et prospere dirigetur. Iugum igitur domini tuis impositum humeris suscipiens reverenter, et suavi eius oneri humiliter colla flectens, curam et administrationem predictas sic exercere fideliter et prudenter, ac gregis dominici in eadem ecclesia tibi commissi custodiam attente prosequi studeas, eum doctrina verbi et operis informando, quod laudabili de ipso in die districti examinis reddita ratione, una cum eo Regnum dei preparatum electis percipere valeas, et nos solicitudinem tuam dignis possimus in domino laudibus commendare. Datum Avinione XV. Kal. Iunii, Anno XIV.

In e. m. Capitulo ecclesie Tergestine, Clero et populo Civitatis et diocesis Tergestine, universis Vassallis ecclesie Tergestine et ... Patriarche Aquilegensi.

CCXXXVI.

Iudicibus, ut universitatem civitatis Catharensis ac capitulum Catharense in causa Sergii episcopi interdictos et excommunicatos denuntient et denuntiari faciant, nisi infra certum tempus mandatis apostolicis curaverint obedire. Reg. An. XIV. part. 2. ep. 715.

Iohannes episcopus etc. Venerabilibus fratribus ... Patriarche Gradensi et ... Episcopo Stagnensi, ac dilecto filio ... Archidiacono Parmensi, salutem etc. Dudum bone memorie Dompnio Episcopo Catharensi regimini Catharensis ecclesie presidente, nos cupientes eidem ecclesie, cum vacaret, personam providam ac etiam fructuosam per apostolice sedis providenciam presidere, provisionem dicte ecclesie, cum eam quovis modo vacare contigerit, dispositioni nostre ac sedis predicte ea vice duximus specialiter reservandam, decernendo ex tunc irritum et inane, si secus super hiis per quoscumque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari. Deinde dicta ecclesia per obitum dicti Dompnii, qui in illis partibus diem clausit extremum, pastoris regimine destituta, nos attendentes, quod nullus preter nos ea vice de ordinatione eiusdem ecclesie se intromittere poterat, reservatione et decreto obsistentibus supradictis, post deliberationem cum fratribus nostris super hoc prehabitam diligentem demum ad Venerabilem fratrem nostrum Sergium Epum Catharensem, tunc Canonicum ipsius ecclesie, in sacerdotio constitutum, vita laudabilem, litterarum scentia preditum, morum honestate decorum multisque virtutibus, sicut fidedignorum percepimus testimonio, laudabiliter insignitum, direximus oculos nostre mentis, ac de persona ipsius dicte ecclesie Catharensi de ipsorum fratrum consilio duximus providendum, prefficientes eum dicte sic vacanti ecclesie in Episcopum et pastorem, curam et administrationem ipsius sibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, ac ipsi postmodum fecimus munus consecrationis impendi, sibique postea cum benedictionis nostre gratia ad dictam ecclesiam accedendi concessimus licentiam specialem. Verum, sicut eiusdem Sergii Episcopi lacrimabili insinuatione percepimus, dilecti filii Universitas Civitatis Catharensis cuidam iniquo statuto per eos, sicut asseritur, edito contra libertatem ecclesiasticam minus provide innitentes, in quo, sicut dicitur, continetur, quod nullus oriundus de Civitate predicta prefici possit in Episcopum Catharensem, dictum Sergium Episcopum de Civitate prefata oriundum ad Civitatem ipsam personaliter accedentem recipere temerarie et contumacitor recusarunt: quinimo Iohanni de Viterbio apostasie, ut dicitur, nota resperso, qui post reservationem et decretum nostra huiusmodi se in Episcopum Catharensem procuravit intrudi, eiusque Vicario in apostolice sedis iniuriam et contemptum, eiusdem Sergii Episcopi preiudicium et animarum ipsorum pericula obediverunt hactenus et otiam obediunt, ac nichilominus consanguineos et nopotes ac fratrem et Vicarium eiusdem Sergii Episcopi dicti statuti pretextu coperunt, et per Karissimum in Christo filium nostrum Urosium Regem Rasie illustrem in carcere faciunt detineri, ac insuper bona patrimonialia Sergii Epi ac fratris predictorum tota occuparunt: propter quod prefatus Sergius Episcopus personaliter super hoc ad apostolicam sedem recurrens nobis humiliter supplicavit, ut providere sibi super premissis de oportuno remedio dignaremur. Propter quod nos Universitatem predictam per litteras nostras requirendam duximus et rogandam, eis nichilominus sub excommunicationis in singulares personas dicte Universitatis, ac Iudicum, Consulum et Consiliariorum suorum, et interdicti in Universitatem et Civitatem predictas penis, quas eos necnon Universitatem et Civitatem predictas incurrore volumus ipso facto, nisi mandatis nostris huiusmodi efficaciter obedirent, districtius iniungentes, ut dictum statutum, ut prefertur, contra ecclesiasticam libertatem infra unius mensis spacium post receptionem dictarum litterarum sine qualibet dilatione penitus revocare, ac de libris et capitularibus suis abradere studeant, aliud simile imposterum nullatenus edere presumpturi: ac nichilominus eundom Sergium tanquam verum presulem et pastorem animarum suarum in suum et eiusdem Catharensis ecclesie Episcopum, quantum in eis est, devote suscipiant et admittant, eidem Episcopo de omnibus iuribus episcopalibus integre respondentes, ac devote parontes eius salubribus monitis et mandatis, (et) fratrem, consanguineos et nepotes predictos restituant seu restitui procurent pristine libortati, eis nichilominus dictis bonis patrimonialibus integraliter restitutis, dictum intrusum ab occupatione et possessione dicti Episcopatus Catharensis penitus expellendo. Ac insuper dilectos filios Capitulum eiusdem ecclesie per alias nostras litteras speciales requirimus et rogamus attente, eis nichilominus in virtute sancte obediencie et sub excommunicationis in personas eorum, ot suspensionis in Capitulum ac interdicti in ecclesiam prelibatos penis, quas eos incurrere volumus

ipso facto, ubi mandatis nostris in hac parte non paruerint cum effectu, districtius iniungentes, ut penes dictam Universitatem solicite et diligenter instant, ut eadem Universitas dictis nostris requisitionibus, precibus et mandatis efficaciter parcant et intendant: ac nichilominus prefati Capitulum, dicto intrusu a predicto Episcopatu prorsus excluso, eundem Sergium tanquam verum Episcopum et pastorem eorum et eiusdem ecclesie Catharensis devote recipiant et benigne pertractent, eiusque salubribns monitis et mandatis efficaciter intendere et obedire procurent. Quocirca discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus vos vel duo aut unus vestrum per vos vel per alium seu alios, nisi prefata Universitas infra predictum mensem post receptionem dictarum litterarum eis directarum dictum statutum penitus revocare, ac de libris et capitularibus suis abradere studuerint cum effectu, aliud simile imposterum nullatenus edere presumpturi, ac nichilominus tam ipsi quam prefati Capitulum eundem Sergium tanquam verum presulem et pastorem animarum suarum in eorum, et eiusdem Catharensis ecclesie Episcopum devote recipiant et admittant, ei de omnibus iuribus spiritualibus integre respondentes, ac devote parentes eius salubribus monitis et mandatis, dictaque Universitas fratrem, consanguineos et nepotes eiusdem Sergii Episcopi restituant seu restitui procurent pristine libertati, eis predictis bonis patrimonialibus integraliter restitutis, dictumque intrusum ab occupatione et possessione eiusdem Episcopatus Catharensis expellant, dictique Capitulum finaliter ab omni obediencia eiusdem intrusi, quantum in eis est, resilere studeant, et eidem Sergio tanquam vero eorum presuli devote et humiliter obedire, Capitulum et Universitatem predictos et prefatas singulares personas ipsorum denunciatis, et tandiu denunciari per alios auctoritate nostra in omnibus locis, ubi expedire videritis, faciatis predictas penas et sentencias incurrisse, donec super premissis requisitionibus, monitis et mandatis nostris huiusmodi plene parnerint et absolutionis meruerint beneficium obtinere, Contradictores per censuram ecclesiasticam etc. Datum Avinione Kal. Iunii, Pontificatus nostri Anno Quartodecimo.

CCXXXVII.

Universitati civitatis Catharensis mandatur sub poenis excommunicationis et interdicti, ut Sergium in eorum episcopum admittant, et dictum statutum annullent. Reg. An. XIV. part. 2. ep. 716.

IOHANNES EPISCOPUS etc. Dilectis filiis Universitati Civitatis Catbarensis, salntem etc. A vestra solicite vitari debet industria, quod prorsus indecens fore dinoscitur, et in nostram et apostolice sedis ininriam animarumque vestrarum periculum non est dubium redundare. Dudum siquidem bone memorie Dompnio Episcopo Catharensi regimini Catharensis ecclesie presidente, nos cupientes etc. ut supra usque concessimns licentiam specialem. Verum, sicut eiusdem Sergii Episcopi lacrimabili insinuatione percepimus, vos cuidam iniquo statnto per vos, sicut asseritur, edito contra libertatem ecclesiasticam minus provide innitentes, in quo, sicut dicitur, continetur, quod nullus oriundus de Civitate predicta prefici possit in Episcopum Catharensem, dictum Sergium Episcopum de Civitate prefata oriundum ad Civitatem ipsam personaliter accedentem recipere temerarie et contumaciter recussstis: quinimo Iohanni de Viterbio apostasie, ut dicitur, nota resperso, qui post reservationem et decretum nostrum huiusmodi se in Epum Catharensem procuravit intrudi, eiusque Vicario in apostolice sedis iniuriam et contemptum, eiusdem Sergii Episcopi preiudicium et animarum vestrarum periculum obedivistis hactenus et etiam obeditis: ac nichilominus consanguineos et nepotes ac fratrem et Vicarinm eiusdem Sergii dicti statuti pretextu cepistis, et per Carissimum in Christo filium nostrum Urosium Regem Rasie in carcere facitis detinere, ac insuper bona patrimonialia Sergii Episcopi ac fratris predictorum totaliter occupastis: propter quod prefatus Sergius Episcopus personaliter super hoc ad apostolicam sedem recurrens nobis humiliter supplicavit, ut providere sibi super premissis de oportuno remedio dignaremur. Quocirca vos requirimus et rogamus attente, vobis sub excommunicationis in singulares personas vestras, ac Iudicum, officialium et consiliariorum vestrorum, quorum consilio Civitas vestra regitur, et interdicti in Universitatem vestram et Civitatem predictam penis, quas vos et ipsos ac Civitatem predictos incurrere volumus ipso facto, nisi mandatis nostris huiusmodi obediveritis cum effectu, districtius iniungentes, quatenus infra unum mensem post receptionem presentium dictum statutum editum, ut premittitur, contra ecclesiasticam libertatem sine qualibet dilatione penitus revocsre, ac de libris et capitularibus vestris abradere studeatis, quod nos etiam irritamus, cassamus et annullamus, ac cassum et irritum nunciamus de apostolice plenitudine potestatis, aliud simile imposterum edere nullatenus presumpturi: ac nichilominus eundem Sergium tanquam verum presulem et pastorem animarum vestrarum et eiusdem ecclesie Catharensis Epum recipiatis devote et etiam admittatis, sibi de omnibus iuribus episcopalibus integre respondentes, ac

devote parentes eius salubribus monitis et mandatis, ac predictos fratrem et consanguineos et nepotes eiusdem Episcopi restituentes seu restitui procurantes pristine libertati, eis nichilominus predictis bonis patrimonialibus integraliter restitutis, dictum intrusum ab occupatione et possessione dicti Episcopatus Catharensis nichilominus expellendo, sic vos in premissis habentes, quod predictas excommunicationis et interdicti sentencias vos incurrere non contingat, nec expediat super hoc aliud remedium adhiberi. Datum Avinione Kal. Iunii, Pontificatus nostri Anno Quartodecimo.

CCXXXVIII.

Capitulo ecclesie Catharensis id ipsum mandatur sub pena excommunicationis in singulares, suspensionis in capitulum et interdicti in ecclesiam. Reg. An. XIV. par. 2. ep. 717.

IOHANNES EPISCOPUS etc. Dilectis filiis Capitulo ecclesie Catharensis, salutem etc. Illa vos credimus discretione vigere, quod in hiis, que animarum vestrarum salutem respiciunt, tranquillitatem pariant et quietem, et per que fame dispendium et rerum pericula evitantur, vos promptis affectibus nostris et apostolice sedis beneplacitis coaptetis. Dudum siquidem bone memorie Dompnio Epo Catharensi regimini Catharensis ecclesie presidente, nos cupientes otc. ut supra usque licentiam specialem. Verum, sicut prefati Sergii Episcopi lacrimabili insinuatione percepimus, dilecti filii Universitas et cives Civitatis Catharensis cuidam iniquo statuto per eos, ut dicitur, edito contra libertatem ecclesiasticam minus provide innitentes, in quo, sicut asseritur, continetur, quod nullus oriundus de Civitate predicta prefici possit in Episcopum Catharensem, dictum Sergium Episcopum de Civitate prefata oriundum ad Civitatem ipsam personaliter accedentom recipere temerarie et contumaciter recusarunt: quinimo Iohanni de Viterbio apostasie, ut dicitur, nota resperso, qui post reservationem et decretum nostrum huiusmodi se in Episcopum Catharensem procuravit intrudi, eiusque Vicario in apostolico sedis iniuriam et contemptum, eiusdem Sergii Epi preiudicium et animarum suarum periculum obediverunt hactenus, et adhuc etiam obedire presumunt: ac nichilominus consanguineos ot nepotes ac fratrem et Vicarium eiusdem Sergii dicti statuti pretextu ceperunt, et per Carissimum in Christo filium nostrum Urosium Regem Rasie Illustrem in carcere faciunt detineri, ac insuper bona patrinonialia Sergii Episcopi et fratris predictorum totaliter occuparunt: propter quod prefatus Sergius Episcopus personaliter super hoc ad apostolicam sedem recurrens nobis humiliter supplicavit, ut providere sibi super premissis do oportuno remedio dignaremur. Propter quod nos Universitatem eandem per litteras nostras requirendam duximus et rogandam, ois nichilominus sub excommunicationis in singulares ipsius Universitatis, ac Iudicum et officialium ot consiliariorum suorum personas, ot interdicti in Universitatem ot Civitatem predictas penis, quas eas incurrere volumus ipso facto, nisi mandatis nostris huiusmodi efficaciter obedirent, districtius iniungentes, ut dictum statutum editum, ut premittitur, contra ecclesiasticam libertatem infra nnum mensem post receptionem dictarum litterarum nostrarum sine qualibet dilatione penitus revocare, et de libris ac capitularibus suis abradere studerent, aliud simile imposterum edere nullatenus presumpturi: ac nichilominus oundem Sergium tanquam verum presulem et pastorem animarum suarum in suum et ecclesie ac Civitatis Catharensis Episcopum reciperent ot admitterent, ac ei de omnibus iuribus episcopalibus integraliter responderent, eius salubribus monitis ot mandatis devote et humiliter intendendo, dictosque fratrem et consanguineos et nepotes restituerent pristine libertati, ac predictis bonis patrimonialibus ipsis integraliter restitutis, (et) dictum intrusum ab occupatione et possessione Episcopatus Catharensis nichilominus expellendo. Quia igitur tanto obedientius et efficacius vos decet super premissis apostolicis beneplacitis coaptare, quanto reprehonsibilior in vobis reatus contemptus et inobediencie censeretur, Universitatem vestram requirimus et rogamus attente, vobis nichilominus in virtute sancte obediencie et sub excommunicationis in personas, ac suspensionis in Capitulum et interdicti in ecclesiam vestram penis, quas vos incurrere volumus ipso facto, nisi mandatis huiusmodi parueritis cum effectu, districtius iniungentes, quatenus penes Universitatem Civitatis eiusdem diligenter et solicite insistatis, ut predictis nostris requisitionibus, precibus et mandatis efficaciter pareant et intendant, vosque, dicto intruso a predicto Episcopatu prorsus excluso, eundem Sergium tanquam verum Episcopum et pastorem vestrum ac eiusdem ecclesie Catharensis devote recipientes et benigne tractantes, eius salubribus monitis et mandatis efficaciter intendere et obedire curetis, ita quod ipse in vobis devotionis filios invenisse letetur, vosque in eo patrem habere benivolum gaudeatis, nec propter inobediencie culpam predictas penas vos contingat incurrere, nosque validioribus uti remediis oporteat in premissis. Datum Avinione Kal. Iunii, Pontificatus nostri Anno Quartodecimo.

CCXXXIX.

Urosius rex Rasiae rogatur, ut dictum Sergium in episcopum ecclesiae Catharensis recipi faciat.
Reg. Ao. XIV. par. 2. ep. 718.

IOHANNES EPISCOPUS SERVUS SERVORUM DEI. Carissimo in Christo filio Urosio Regi Rasie Illustri, gratiam in presenti et gloriam in futuro. Firmam gerimus de tua circumspectione fiduciam, quod in hiis, que divinam reverenciam et ecclesiasticam libertatem et anime tue salutem respiciunt, precibus nostris promptius affectibus obsecundes, et votis apostolicis efficaciter te coaptes. Sane nuper Venerabilis fratris nostri Sergii Episcopi Catharensis gravem querolam recepimus continentem, quod Universitas et cives Civitatis Catharensis quoddam iniquum statutum adversus ecclesiasticam libertatem de facto edere presumpserunt, in quo, sicut asseritur, continetur, quod nullus oriundus de Civitate predicta prefici possit in Episcopum Catharensem, per hoc, quantum in eis est, non solum dilectis filiis Capitulo ecclesie Catharensis facultatem liberam eligendi personam ydoneam de gremio eiusdem ecclesie ipsius Civitatis indigenam, sed et sedi apostolice de proficienda eidem ecclesia persona oxtranea necessitatem quodammodo imponere molientes, dictique statuti pretextu eundem Sergium Episcopum de dicta Civitate oriundum, quem propter suorum exigenciam meritorum eidem ecclesie tunc vacanti, cuius provisionem, dum adhuc viveret bone memorie Dompnius Episcopus Catharensis, ordinationi et dispositioni apostolice duxeramns specialiter reservandam, decernentes ex tunc irritum et inane, si secus super hiis per quoscumque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari, iamdudum in Episcopum prefecimus et pastorem, de Romana Curia regredientem ad Civitatem predictam non solum recipere temerarie et contumaciter recusarunt, sed cuidam Iohanni de Viterbio apostasie nota resperso, qui post reservationem et decretum predicta se procuravit intrudi in Episcopum ecclesie memorate, eiusque intrusi Vicario obediverunt hactenus, et obediunt in nostram et eiusdem sedis iniuriam, dictique Sergii Episcopi preiudicium et suarum perniciem animarum; nec predicto excessu contenti, sed alios superaddentes excessus, fratrem et Vicarium necnon consanguineos eiusdom Sergii ceperunt et per officiales tuos in carcere faciunt detineri, bona insuper patrimonialia eorumdem totaliter occupparunt: propter quod prefatus Sergius a suo Episcopatu depulsus, bonis omnibus spoliatus, in fratris et Vicarii et aliorum consanguineorum suorum carceratione afflictus, ad apostolicam sedem non absque magnis laboribus et expensis recurrere est coactus, nobis humiliter supplicans, ut providere sibi super premissis de oportuno remedio dignaremur. Licet igitur Universitatem Civitatis eiusdem nostris litteris exhortemur, eis sub certis spiritualibus penis auctoritate apostolica iniungentes, ut predictum iniquum statutum de libris et capitularibus suis debeant totaliter abolere, aliud consimile imposterum edere nullatenus presumpturi, quia tamen decot celsitudinem tuam in dicta Civitate et aliis locis tibi subiectis ecclesiarum prelatos, et alios dei ministros eius obsequiis specialiter deputatos deffendere, et tueri potentor ecclesiasticam libertatem, nec equanimiter pati, quod ad conculcationem ipsius cuiuspiam improvisa temeritas insolescat, Serenitatem regiam affectuose requirimus et rogamus, tibi in remissionem peccatorum iniungentes, quatenus ob apostolice sedis reverenciam et nostram eundem Sergium Epum habens propensius commendatum, enm in Episcopatu suo tanquam verum presulem ecclesie Catharensis recipi facias et admitti, inducens Capitulum et Universitatem predictam, et etiam Universitatem ipsam decenti districtione compellens, ut predicto statuto iniquo de libris ct capitularibus suis deleto eidem Sergio tanquam patri et pastori animarum suarum devote pareant et intendant, eique ac fratri et consanguineis predictis patrimonialia bona restituant supradicta, ac de fructibus medio temporo porceptis ex eis et dampnis, que dictus Episcopus eiusque frater et consanguinei incurrerunt, plenariam satisfactionem impendant, tuque, fili, fratrem et alios consanguineos, qui in tuis carceribus detinentur, plena restituas libertati, preces nostras ad exauditionis effectum sic efficaciter et celeriter admissurus, quod exindo eterne retributionis preminm ac humane laudis preconium consequi merearis, nosque tue devotionis promptitndinem in hac parte dignis possimus in domino laudibus commendare. Datum Avinione Kal. Iunii, Pontificatus nostri Anno Quartodecimo.

CCXL.

Nicolao nato Mikeli bani totius Sclavoniae de canonicatu in ecclesia Agriensi et praebenda vacaturis providetur.
Reg. Ao. XV. par. 2. ep. 444.

IOHANNES EPISCOPUS etc. Dilecto filio Nicolao nato dilecti filii Nobilis viri Mikeli Bani tocius Sclavonie, Canonico Agriensi, salutem etc. Personam tuam, quam nobilitas generis, vite ac morum

honestas aliaque laudabilium virtutum merita, prout fidedignorum habet assercio, decorare dicuntur, libenter prosequimur prerogativa gratie specialis. Volentes itaque tibi premissorum intuitu, necnon consideratione Venerabilis fratris nostri Bertrandi Ostiensis Episcopi, apostolice sedis Legati, nobis pro te in hac parte humiliter supplicantis, gratiam facere specialem, Canonicatum ecclesie Agriensis cum plenitudine iuris Canonici apostolica tibi auctoritate conferimus, et de illo etiam providemus, prebendam vero, siqua in dicta ecclesia vacat ad presens, vel proximo vacaturam, quam per te vel procuratorem tuum ad hoc legitime constitutum infra unius mensis spatium, postquam tibi vel eidem procuratori de illius vacatione constiterit, duxeris acceptandam, conferendam tibi post acceptationem huiusmodi cum omnibus iuribus et pertinenciis suis donationi apostolice reservamus, districtius inhibentes Venerabili fratri nostro ... Episcopo et dilectis filiis Capitulo Agriensibus, ac illi vel illis, ad quem vel ad quos in eadem ecclesia prebendarum collatio, provisio seu quevis alia dispositio pertinet communiter vel divisim, ne de huiusmodi prebenda interim, etiam ante acceptationem huiusmodi, nisi postquam eis constiterit, quod tu vel procurator predictus illam nolueritis acceptare, disponere quoquomodo presumant, ac decernentes exnunc irritum et inane, si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari, Non obstantibus de certo Canonicorum numero, et quibuslibet aliis eiusdem ecclesie statutis et consuetudinibus contrariis iuramento, confirmatione dicte sedis vel quacunque firmitate alia roboratis, Aut si aliqui apostolica vel alia quavis auctoritate in eadem ecclesia in Canonicos sint recepti, vel ut recipiantur, insistant, seu si super provisionibus sibi faciendis de Canonicatibus et prebendis in dicta ecclesia speciales, vel de beneficiis ecclesiasticis in illis partibus generales dicte sedis vel Legatorum eius litteras impetrarint, etiam si per eas ad inhibitionem, reservationem et decretum, vel alias quomodolibet sit processum, quibus omnibus, preterquam auctoritate nostra in ipsa ecclesia receptis vel prebendas expectantibus in eadem, te in ipsius prebende assecutione volumus anteferri, sed nullum per hoc eis quo ad assecutionem aliarum prebendarum et beneficiorum preiudicium gensrari, Seu si eisdem Episcopo et Capitulo vel quibusvis aliis communiter vel divisim ab eadem sit sedo indultum, quod ad receptionem vel provisionem alicuius minime teneantur, et ad id compelli non possint, quodque de Canonicatibus et prebendis ipsius ecclesie aliisque beneficiis ecclesiasticis ad eorum collationem, provisionem vel quamvis aliam dispositionem coniunctim vel separatim spectantibus nulli valeat provideri per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, et qualibet alia dicte sedis indulgencia generali vel speciali, cuiuscunque tenoris existat, per quam presentibus non expressam vel totaliter non inscrtam effectus huiusmodi nostrs gratis impediri valeat quomodolibet vel differri, et de qua cuiusque toto tenore habenda sit in nostris litteris mentio specialis, Aut si presens non fueris ad prestandum de observandis statutis et consuetudinibus eiusdem ecclesie solitum iuramentum, dummodo in absencia tua per procuratorem ydoneum, et cum ad ecclesiam ipsam accesseris, corporaliter illud prestes. Nulli ergo etc. nostre collationis, provisionis, reservationis, inhibitionis et constitutionis infringere. Datum Avinione III. Idus Ianuarii, Pontificatus nostri Anno Quintodecimo.

In e. m. Venerabilibus fratribus ... Archiepiscopo Strigoniensi et ... Episcopo Vesprimiensi, ac dilecto filio ... Preposito ecclesie Albensis Vesprimiensis diocesis, ut predictas litteras exequendas curent etc.

CCXLI.

Nicolao quondam Donati de Tragurio canonicatus et prebenda in ecclesia Traguriensi, quos Lampedus episcopus tempore suse promotionis habebat, conferuntur. Reg. An. XV. part. 1. ep. 355.

IOHANNES EPISCOPUS etc. Dilecto filio Nicolao nato quondam Donati de Tragurio Canonico Traguriensi, salutem etc. Circumspecta sedis apostolice benignitas provide[re] pensans merita singulorum, illos libenter provisionibus ecclesiasticis honorare consuevit, qui adiuti virtutum meritis se favoris apostolici gratia dignos reddunt. Cum itaque Canonicatus et prebenda ecclesie Traguriensis, quos Venerabilis frater noster Lampredus Episcopus Traguriensis, olim Canonicus ipsius ecclesie, promotionis sue tempore per nos facte de ipso ad eamdem ecclesiam Traguriensem tunc vacantem in eadem ecclesia obtinebat, per huiusmodi promotionem ipsius ot consecrationis munus de mandato nostro in partibus illis impensum eidem vacare noscantur ad presens, nullusque de ipsis preter nos hac vice disponere possit, pro eo quod nos diu ante vacationem huiusmodi omnes Canonicatus et prebendas, ceteraque beneficia ecclesiastica per promotiones quorumcumque prelatorum per nos ad Episcopales dignitates tunc

promotorum, et in antea promovendorum, et consecrationis munus nostra auctoritate ubicumque impensum eisdem tunc vacantia, et in antea vacatura apud sedem intelligerentur vacare predictam, illa collationi et dispositioni nostre specialiter reservantes, decrevimus ex tunc irritum ct inane, si secus super hiis a quoqnam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari: Nos volentes personam tuam tuorum meritorum obtentu, super quibus apud nos fidedignorum testimonio commendaris, favore prosequi gratioso, dictos Canonicatum et prebendam sic vacantes cum plenitudine iuris canonici, ac omnibus iuribus et pertinenciis suis apostolica titi auctoritato conferimus, et de illis etiam providemus, decernentes, prout est, irritum et inane, si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter attemptatnm forsan est hactenns, vel contigerit impostcrum attemptari, Non obstantibus quibuscumque statutis et consuetudinibus ipsius ecclesie contrariis iuramento, confirmatione apostolica vel quacumque firmitate alia roboratis, Seu si aliqui apostolica vel alia quavis auctoritate in ipsa ecclesia in Canonicos sint recepti, vel ut recipiantur, insistant, seu si super provisionibus sibi faciendis de Canonicatibus et prebendis in ipsa ecclesia speciales, vel de beneficiis ecclesiasticis in illis partibus generales predicte sedis vel legatorum eius litteras impetrarint, etiam si per eas ad inhibitionem, reservationem et decretum vel alias quomodolibet sit processum, quibus omnibus in assecutione dictorum Canonicatus ot prebende te volumus anteferri, sed nullum per hoc eis quoad assecutionem Canonicatuum et prebendarum ac beneficiorum aliorum preiudicium generari, Seu si Venerabili fratri nostro ... Eþo et dilectis filiis Capitulo Traguriensibus, vel quibusvis aliis communiter vel divisim ab eadem sit sede indultum, quod ad receptionem vel provisionem alicuius minime teneantur, et ad id compelli non possint, qnodque de Canonicatibus et prebendis ipsius ecclesie aliisquo beneficiis ecclesiasticis ad eorum collationem, provisionem seu quamvis aliam dispositionem coninnctim vel separatim specialiter nulli valeat provideri per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, et quavis alia dicte sedis indulgencia generali vel speciali cuiuscumque tenoris existat, per quam presentibus non expressam vel totaliter non insertam effectus huiusmodi nostre gratie impediri valeat quomodolibet vel differri, et de qua cuiusque toto tenore habenda sit in nostris litteris mentio specialis, ant si presens non fuerit ad prestandum de observancia statntorum et consuetudinnm eiusdem ecclesie solitum iuramontum, dummodo in absencia tua per procuratorem ydoneum, ot cum ad ecclesiam ipsam accesseris, corporaliter illud prestes, aut quod in dicta Traguriensi Primiceriatum et in Zagabriensi ecclesiis Canonicatum et prebendam, et ecclesiam sancti Stephani, quinque (sic) sancte Marie Traguriensis et quartam sancti Georgii Traguriensis diocesis ecclesiarum Slavonie partes, ac ecclesiam sancte Marie dicte diocesis, quibus cura non imminet animarum, quorumque beneficiorum omnium obtentorum preter dictos Canonicatnm et prebendam predicte Zagabriensis ecclesie valor reddituum et proventuum annuatim summa septuaginta florenorum, ut asseris, non excedit, nec etiam de Canonicatu et prebenda predictis eiusdem ecclesie Zagabriensis nichil percipis, quia ibidem non resides, nosceris obtinere, quod hodie de Canonicatu ecclesie Quinqueecclesiensis tibi per alias nostras litteras contulimus prebendam et dignitatem, vel personatum seu officium cum cura vel sine cura, si que vel si qui aut si qua in dicta ecclesia vacabunt, vel cum simul aut successive vacarunt, conferendas vel conferendos sen conferenda tibi donationi apostolice reservando. Nulli ergo etc. nostre collationis, provisionis et constitutionis infringere etc. Datum Avinione II. Kal. Maii, Pontificatus nostri Anno Quintodecimo.

In e. m. ... Abbati Monasterii s. Iohannis Baptiste Traguriensis, ... Preposito Iannensis (Ianriensis) ac Archidiacono Sibinicensis ecclesiarum, ut predictas litteras exequendas curent etc.

CCXLII.

Sergius episcopus ab ecclesia Catharensi ad ecclesiam Polensem transfertur. Reg. An. XV. part. 3. ep. 1212.

IOHANNES EPISCOPUS etc. Venerabili fratri Sergio Episcopo Polensi, salutem etc. Angit nos cnra propensior multipharie multisqne modis ab intimis excitamur, ut circa cuiuslibet statum ecclesie sic attente prospicere etc. Nuper siqnidem vacante Polensi ecclesia, pro eo quod nos Ven. fratrem nostrum Guidonem Concordiensem, tunc Polensem, Eþum licet absentem a vinculo, quo tenebatur eidem ecclesie Polensi, cui tunc preerat, de fratrum nostrorum consilio et apost. potestatis plenitudine absolventes, ipsum ad Concordiensem ecclesiam tunc vacantem duximus transferendum, proficiondo eum dicte Concordiensi ecclesie in Eþum et pastorem: Nos volentes eidem Polensi ecclesie, ne dispendia prolixo vacationis incurreret, paterna solicitudine precavere, cum nullus preter nos hac vice de ipsius Polensis ecclesie ordi-

natione se intromittere possit, pro eo quod nos diu ante vacationem huiusmodi eiusdem ecclesie Polensis omnes ecclesias Cathedrales tunc vacantes, et vacaturas inantes per translationes per nos factas et imposterum faciendas de prelatis earum ubilibet constitutis ad alias ecclesias tunc vacantes, et inantea vacaturas apud sedem apostolicam vacare intelleximus et volumus, earumque provisiones ordinationi nostre duximus reservandas, decernendo extunc irritum et inane, si secus super hiis per quoscumque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari, ac ad provisionem ipsius ecclesie Polensis celerem ot felicem solicitis studiis intendentes, et cupientes talem eidem Polensi ecclesie pastorem preesse, qui sciret, vellet et posset eam in suis conservare iuribus, et etiam adaugere, post deliberationem, quam super hiis cum eisdem fratribus habuimus diligentem, demum ad te, tunc Catharensem Episcopum, consideratis grandium virtutum meritis, quibus personam tuam dominus insignivit, et quod tu propter diligencie tuarumque virtutum studia dictam Polensem ecclesiam scies et poteris salubriter gubernaro, direximus oculos nostre mentis. Intendontes itaque tam grogi dominico quam eidem Polensi ecclesie utiliter providere, (te) a vinculo, quo tonebaris profate ecclesio Catharensi, cui tunc preeras, de dictorum fratrum consilio et apostolice potestatis plenitudine absolventes, to ad predictam Polenscm ecclesiam transferimus, teque illi preficimus in Epum et pastorem, curam et administrationem ipsius ecclesie Polensis tibi tam in spiritualibus quam in temporalibus plenarie committendo, liberamque tibi dando licenciam ad prefatam Polensem ecclesiam transeundi, firma spo fiduciaque conceptis, quod dextera domini tibi assistente propitia, prefata Polensis ecclesia per tue industrie fructuosum studium regetur utiliter et prospere dirigetur. Quocirca fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenus ad prefatam Polensem ecclesiam cum gratia nostre benedictionis accedens curam et administrationem predictas sic diligenter geras, et solicite prosequaris, quod eadem Polensis ecclesia gubernatori circumspecto et fructuoso administratori gaudeat se commissam, ac bone fame tue odor ex laudabilibus tuis actibus latius diffundatur, tuque preter retributionis eterne premium nostre benedictionis augmentum, ac dicte sedis gratiam exinde uberius consequi merearis. Datum Avinione XVII. Kal. Maii, Pontificatus nostri Anno Quintodecimo.

In e. m. Capitulo et universis Vassallis ecclesie Polensis, Clero et populo Civitatis et diocesis Polensis et ... Patriarche Aquilegensi.

CCXLIII.

Raymundo Agouti de Clareto ecclesiae Catharensi praeficitur in episcopum. Reg. An. XV. part. 3. ep. 1182.

IOHANNES EPISCOPUS etc. Dilecto filio Raymundo Agouti de Clareto electo Catharensi, sal. etc. Pastoralis officii debitum etc. Nuper siquidem vacante ecclesia Catharensi, pro eo quod nos Venerabilem fratrem nostrum Sergium Polensem, tunc Catharensem, Episcopum licet absentem a vinculo, quo ipse Catharensi ecclesie, cui tunc precrat, tenebatur, de fratrum nostrorum consilio et apostolice potestatis plenitudine absolventes, ipsum ad Polensem ecclesiam tunc vacantem duximus transferendum, preficiendo eum illi in Epum et pastorem: Nos volentes eidem ecclesie Catharensi, ne dispendia prolixe vacationis incurreret, paterna solicitudine providere, cum nullus preter nos hac vice de provisione ipsius Catharensis ecclesie se intromittere possit, pro eo quod nos diu ante vacationem ipsius ecclesie Catharensis omnes ecclesias Cathedrales per translationes per nos tunc factas, et imposterum faciendas de prelatis earum ubilibet constitutis ad alias Cathedrales ecclesias tunc vacantes, et imposterum vacaturas apud sedem apostolicam vacare intelleximus et etiam volumus, et earum provisiones dispositioni et ordinationi nostre duximus reservandas, decernendo extunc irritum et inane, si secus super hiis per quoscumque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari, post deliberationem, quam de preficiendo eidem ecclesie personam utilem ac etiam fructuosam habuimus cum eisdem nostris fratribus diligentem, demum ad te ordinis fratrum sancte Marie de Monte Carmeli professorem et in sacerdotio constitutum, virum utique de religionis zelo, litterarum sciencia, aliisque virtutum meritis nobis et dictis fratribus fidedignis testimoniis multipliciter commendatum, direximus oculos nostre mentis: quibus omnibus debita meditatione pensatis, de persona tua ipsi Catharensi ecclesie auctoritate apostolica providemus, toque illi in Epum preficimus et pastorem, curam et administrationem ipsius tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, in illo qui dat gratias et largitur premia confidentes, quod eadem Catharensis ecclesia per tue circumspectionis industriam et providenciam circumspectam sub tuo felici regimine, dextera domini tibi assistente propitia, salutaria recipiet incrementa. Iugum itaque domini tuis impositum humeris prompta devotione suscipiens, et reverenter suavi eius oneri

collum submittens, curam et administrationem predictas sic exercere studeas solicite, fideliter et prudenter, gregem dominicum in eadem ecclesia tibi creditum doctrina verbi et operis iuxta datam tibi ex alto prudenciam informando, quod ipsa ecclesia Catharensis per tue circumspectionis industriam votivis iugiter proficiat commodis et successibus prosperis augeatur, ac tu proinde divinam et apostolice sedis et nostram benedictionem et graciam uberius consoqui morearis. Datum Avinione XVII. Kalendas Maii, Pontificatus nostri Anno Quintodecimo.

In e. m. Capitulo ecclesie Catharensis, Clero et populo Civitatis et diocesis Catharensium et Archiepiscopo Barensi.

CCXLIV.

Eidem electo Catharensi conceditur, ut a quocumque malucrit antistite catholico consecrationis munus recipere valeat. Reg. An. XV. part. 3. ep. 1189.

IOHANNES EPISCOPUS etc. Dilecto filio Raymundo Electo Catharensi, salutem etc. Cum pridem ecclesie Catharensi tunc pastoris solatio destitute de persona tua, nobis et fratribus nostris ob tuorum meritorum exigenciam accepta, de ipsorum fratrum consilio auctoritate apostolica duxerimus providendum, preficiendo te ipsi ecclesie in Episcopum et pastorem, pront in nostris inde confectis litteris plenius continetur: Nos ad ea, que ad tue commoditatis augmentum cedere valeant, favorabiliter intendentes, tuis supplicationibus inclinati tibi, ut a quocumque malueris catholico Antistite gratiam et communionem apostolice sedis habente, ascitis et in hoc sibi assistontibus duobus vel tribus catholicis Episcopis similem gratiam et communionem habentibus, munus consecrationis percipere valeas, et eidem Antistiti, ut huiusmodi munus auctoritate nostra libere tibi possit impendere, plenam et liberam concedimus tenore presentium facultatem. Volumus autem, quod idem Antistes, qui tibi predictum munus impendet, postquam illud impenderit, a te nostro et Ecclesie Romane nomine recipiat iuxta formam, quam tibi sub bulla nostra mittimus inclusam, fidelitatis debite solitum iuramentum, et formam iuramenti, quod tu prestabis, de verbo ad verbum per tuas patentes litteras tuo sigillo signatas per proprium nuntium nobis quamtotius destinare procuret: quodque per hoc Venerabili fratri nostro Archiepiscopo Barensi, cui prefata ecclesia metropolitico iure subesse dinoscitur, nullum preiudicium imposterum generetur. Datum Avinione II. Kalendas Iunii, Pontificatus nostri Anno Quintodecimo.

CCXLV.

Ioanni s. Theodori cardinali apost. sedis legato, ut universitatem et clerum civitatis Catharensis absolvat a sententiis in eos latis, instante Sergio nunc Polensi olim Catharensi episcopo. Reg. An. XV. part. 3. ep. 1218.

IOHANNES EPISCOPUS etc. Dilecto filio Iohanni sancti Theodori diacono Cardinali, apostolice sedis legato, salutem etc. Dudum de persona Venerabilis fratris nostri Sergii Polensis, olim Catharensis, Epi Catharensi ecclesie tunc vacanti de fratrum nostrorum consilio auctoritate apostolica duximus providendum, preficientes ipsum eidem ecclesie in Episcopum et pastorem, sibique post munus consecrationis apud sedem apostolicam de mandato nostro impensum, eidem accedendi ad dictam ecclesiam cum benedictionis nostre gracia licenciam concessimus specialem. Ac subsequenter ad audienciam apostolatus nostri eiusdem Sergii insinuatione deducto, quod Universitas Civitatis Catharensis cuidam statuto edito per eos contra ecclesiasticam libertatem minus provide innitentes, in quo, sicut dicitur, cavebatur, quod nullus orinndus de Civitate prefata posset prefici in Episcopum Catharensem, dictum Sergium Epum de Civitate prefata oriundum ad Civitatem ipsam personaliter accedentem recipere temorarie et contumaciter recusarunt: quinimo cuidam Iohanni de Viterbio apostasie, ut dicebatur, nota resperso, qui post et contra reservationem nostram, quam foceramus do ecclesia supradicta, dccernendo irritum et inane, quicquid contra reservationem predictam contingeret attemptari, se procuraverat in Catharansem Epum intrudi, eiusque Vicario obedire temerarie presumebant; ac nichilominus consanguinccos et nepotes ac fratrem et Vicarium eiusdem Sergii dicti statuti pretextu ceperant, et per Carissimum in Christo filium nostrum Urosum Regem Rasie detineri in carcere faciebant, dictoque Sergio Episcopo super premissis ad eandem sedem personaliter recurrente, sibique super hiis humiliter supplicante de oportuno remedio provideri: Nos Universitati prefate sub excommunicationis in singulares personas eorum, ac Iudicum, officialium et consiliariorum suorum, qnorum consilio dicta Civitas regebatur, et interdicti in Universitatem ipsorum et Civitatem predictam penis, quas singulares personas ac Universitatem et Civitatem predictas incurrere volumus ipso facto, nisi mandatis nostris huiusmodi efficaciter obediretur, per nostras

litteras districtius duximus iniungendum, ut infra unum mensem post receptionem dictarum litterarum dictum statutum penitus revocare ac de libris et capitularibus suis abradere studerent, quod nos eciam irritavimus et cassavimus ac cassum et irritum nuntiavimus de apostolice plenitudine potestatis, dictum Sergium tanquam verum presulem et pastorem eorum in suum et eiusdem ecclesie Catharensis Epum devote reciperent, sibi de omnibus iuribus Episcopalibus integre respondentes, ac devote parentes eius salubribus monitis et mandatis, dictosque fratrem, consanguineos et nepotes eiusdem Epi restituentes seu restitui facientes pristine libertati, dictum intrusum ab occupatione et possessione dicti Episcopatus Catharensis nichilominus expellendo. Insuper Capitule eiusdem ecclesie Catharensis in virtute sancte obediencie et sub excommunicationis in singulares personas eorum, ac suspensionis in ipsum Capitulum et interdicti in prefatam ecclesiam penis, quas eos incurrere volumus ipso facto, nisi parerent mandatis hiusmodi cum effectu, districtius per alias nostras litteras duximus iniungendum, ut penes dictam Universitatem Civitatis eiusdem solicite et diligenter instarent, ut predictis mandatis nostris intenderent efficaciter et parerent, dictique Capitulum, prefato intruso a prefato Episcopatu prorsus excluso, eundem Sergium tanquam verum Episcopum et pastorem eorum ac eiusdem ecclesie Catharensis devote recipere et benigne tractare, eiusque salubribus monitis et mandatis intendere et obedire curarent, prout in eisdem litteris plenius continetur. Cum autem postmodum prefatum Sergium a vinculo, quo dicte Catharensi ecclesie tenebatur, de fratrum nostrorum consilio et apostolice potestatis plenitudine absolventes, de persona ipsius Polensi ecclesie tunc vacanti de dictorum fratrum consilio duxerimus providendum, preficientes eundem dicte Polensi ecclesie in Episcopum et pastorem: Nos ex certis rationabilibus causis, que per procuratores et nuncios eiusdem Universitatis Civitatis prefate propter hoc ad presenciam nostram specialiter destinatos fuerunt proposite coram nobis, moti pariter et inducti, discretioni tue per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus omnes singulares personas Capituli et Universitatis predictorum, que ex causis premissis excommunicationis et suspensionis ac interdicti sentencias, per processus per dictas litteras nostras, et alios quoscunque quavis auctoritate factos et habitos ad instanciam eiusdem Sergii Episcopi premissorum occasione vel causa contra dictos Capitulum, ac clerum et singulares personas eorum et ecclesiam, Iudices quoque, consiliarios, officiales, Universitatem et Civitatem Catharenses, forsan incurrerunt, ab eisdem sentenciis, si ab eis humiliter pecierint se absolvi, dummodo tibi prius constitcrit, quod prefatus Sergius Episcopus ad dictam ecclesiam Polensem, ut prefertur, translatus possessionem Episcopatus et administrationem bonorum eiusdem ecclesie Polensis pacificum fuerit assecutus, et quod fratcr eiusdem Sergii, qui per dictum Regem Rasie in odium dicti Sergii dumtaxat absque alia causa rationabili in carcere dicitur detineri, a prefato carcere fuerit liberatus, per te vel per alium seu alios auctoritate nostra iuxta ecclesie formam absolvas, ac eciam interdictum in prefatos Capitulum, clerum et ecclesiam ac Universitatem et Civitatem predictos simul vel separatim, communiter vel divisim promulgatum auctoritate predicta studeas relaxare; ac nichilominus cum personis ecclesiasticis singularibus dictorum Capituli sive cleri, si que predictis ligate sentenciis per simplicitatem et iuris ignoranciam divina officia celebrarunt, vel se ingesserunt eisdem, super irregularitate, quam propterea contraxisse noscuntur, auctoritate predicta dispenses, iniungens eisdem super premissis penitenciam salutarem et alia, que de iure fuerint iniungenda. Ceterum nostre intentionis nequaquam existit per commissionem et mandatum huiusmodi et alia contenta presentibus statutum approbare predictum, sed dictum statutum, prout est, cassum et irritum fore decernimus et mandamus, prout eciam decrevimus in litteris supradictis: quodque prefati Universitas et officiales ipsius mandato nostro super revocatione et irritatione statuti predicti per dictas litteras cis facto, si non paruerunt, parere efficaciter tencantur, illud deinceps nullatenus servaturi, nec tale vel simile ullo unquam tempore edituri. Datum Avinione II. Idus Iunii, Pontificatus nostri Anno Quintodecimo.

CCXLVI.

Thomas ord. Praedicatorum ecclesiae Dulcinensi praeficitur in episcopum. Reg. An. XVI. part. 3. ep. 13.

IOHANNES EPISCOPUS etc. Venerabili fratri Thome Episcopo Dulcinensi, salutem etc. Inter cetera, que superna dispositione nobis imminet peragenda, ad id nimirum soliciti reddimur, ut viduatis ecclesiis tales preficiamus pastores, per quorum industriam et solicitudinem circumspectam indempnitati earum provideatur salubriter, ac spiritualibus et temporalibus votivis proficere valeant incrementis. Dudum siquidem ecclesia Dulcinensi per obitum bone memorie Mirosligi Episcopi Dulcinensis, qui extra Romanam curiam debitum nature persolvit, pastoris solacio destituta, dilecti filii Capitulum eiusdem ecclesie,

vocatis omnibus qui debuerunt, voluerunt et potuerunt commode interesse, die ad eligendum prefixa pro futuri substitutione Episcopi inibi celebranda, ut moris est, convenientes in unum, dilectum filium Petrum Archidiaconum Antibarensem in eorum Episcopum concorditer elegerunt, qui electioni huiusmodi, illius sibi presentato decreto, expresse renuit consentire, dictique Capitulum electionem aliam celebrare, iusto impedimento cessante, infra tempus debitum neglexerunt, et cum ea vice potestas eligendi per huiusmodi negligenciam fuisset ad Venerabilem fratrem nostrum ... Archiepiscopum Antibarensem loci metropolitanum legitime devoluta, idemque Archiepiscopus apud apostolicam sedem constitutus, nolens se de huiusmodi negocio aliquatenus intromittere, nobis supplicasset attente, quod ecclesie de pastore provideremus eidem: Nos volentes dicte Dulcinensi ecclesie, ne prolixe vacationis inourreret incommoda, celeriter et utiliter providere, post deliberationem, quam de preficiendo ibidem personam utilem ac eciam fructuosam habuimus cum nostris fratribus diligentem, demum ad te ordinis fratrum Predicatorum, ordinem ipsum expresse professum et in sacerdocio constitutum, cui de litterarum sciencia, honestate morum, Religionis observancia et aliarum virtntum meritie laudabilia testimonia perhibentur, direximus aciem mentis nostre, quibus omnibus debita meditatione pensatis, de persona tua ipsi Dulcinensi ecclesie de ipsorum fratrum nostrorum consilio auctoritate apostolica duximus providendum, teque illi prefecimus in Episcopum et pastorem, curam et administrationem ipsius Dulcineneis ecclesie tibi in spiritualibus et temporalibue plenarie committendo, et subsequenter per Venerabilem fratrem nostrum Bertrandum Episcopum Tusculanum tibi fecimus munus consecrationie impendi, firma de te concepta fiducia, quod eadem Dulcinensis ecclesia per tue circumspectionis industriam et providenciam circumspectam snb tuo felici regimine, dextera domini tibi assistente propicia, grata suecipiet incrementa. Quocirca fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenue ad prefatam Dulcinensem ecclesiam cum gracia nostre benedictionie accedens, curam et administrationem predictas sic exercere etudeas solicite, fideliter et prudenter, quod ipea eccleeia gubernatori provido et fructuoso administratori gaudeat se commissam, tuque preter eterne retributionis premium benivolencie nostre graciam exinde plenine consequaris. Datum Avinione VIII. Kal. Octobrie, Pontificatus nostri Anno Sextodecimo.

In e. m. Capitulo ecclesie Dulcinensis, Clero et populo Civitatis et diocesis Dulcinensis et ... Archiepiscopo Antibarensi.

CCXLVII.

Bonifacius ex ord. Minorum (episcopus Sulcitanus) constituitur episcopus Corbaviensis. Reg. An. XVI. par. 3. ep. 21.

IOHANNES EPISCOPUS etc. Venerabili fratri Bonifacio Episcopo Corbaviensi, salntem etc. Apostolatus officium etc. Olim siquidem ecclesia Sulcitana per obitum bone memorie Comite Epi Sulcitani, qui in partibus illie diem clausit extremum, pastoris solacio destituta, nos vacatione huiusmodi fidedignie relatibus intellecta provisionem ipsius eccleeie Sulcitane ea vice dispositioni nostre duximne specialiter reservandam, decernentes extunc irritum et inane, ei secus super hiis per quoscunque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari. Deinde vero dilecti filii Capitulum eiusdem ecclesie huiusmodi reservationis et decreti forsan ignari te in sacerdocio constitutum, ordinem fratrum Minorum expresse professum, in Sulcitanum Episcopum quamvis de facto concorditer elegerunt, tuque huiusmodi electioni de te facte ad Capituli predictorum inetanciam ignarus, ut asseris, reservationis et decreti huiusmodi consensisti, dictaque tua electio metropolitica auctoritate quamvis de facto etiam extitit confirmata, tibique snbsequenter munus consecrationis impensum, in hiis omnibus aliis statutis a iure temporibus observatis: ac huiusmodi electionie, confirmationis et consecrationis negocio nobis exposito, nos electionem et confirmationem easdem, utpote post et contra reservationem et decretum prefata attemptatas irritas et inanes decernentes, aliam personam ipsi Sulcitane ecclesie prefecimus in Episcopum et pastorem, sicque tu Episcopus nulliue ecclesie remansisti. Cumque iam dudum ex certis racionabilibus causis omnee et singulas cathedrales et collegiales ecclesiae in provincia Gradensi tunc vacantes, et inantea vacaturas per biennium primo, et deinde tempus huiusmodi biennale diversis successive vicibus de biennio in biennium prorogando ueque ad Kalendas Aprilie Pontificatue nostri anni quintidecimi provisioni noetre, ac sedie apostolice auctoritate apostolica duxerimus reservandas, decernentes extunc irritnm et inane etc. Et deinde cum finis huiusmodi ultime nostre prorogationie instaret, nos similibns causis indncti reservationem et decretum predicta usque ad dnos annos, ab eisdem Kal. Aprilis inantea computandos, auctoritate predicta per nostras litteras modo et forma expressis superius extendenda duximus et proroganda, ac interim eccleeia Corbaviensi, que de dicta provincia exietit, per

obitum bone memorie Petri Episcopi Corbaviensis, qui in partibus Anglie diem clausit extremum, pastoris solacio destituta fuisset, nos vacatione huiusmodi eiusdem ecclesie Corbaviensis fidedignis relatibus intellecta de provisione ipsius ecclesie Corbaviensis celeri et felici, de qua nullus preter nos hac vice se intromittere potest, reservatione, voluntate, decreto, extensione et prorogatione huiusmodi obsistentibus, ne prefata Corbaviensis ecclesia longe vacationis exponeretur incommodis, cogitare cepimus diligenter, et demum post deliberationem, quam ad preficiendum eidem ecclesie Corbaviensi personam utilem ac etiam fructuosam cum fratribus nostris habuimus diligentem, demum consideratis virtutum donis, quibus personam tuam dominus, caritatis largitor, multipliciter illustravit, ad te, ne in opprobrium episcopalis dignitatis langueas pro tedio egestatis, direximus aciem nostre mentis: quibus omnibus debita meditatione pensatis, de persona tua eidem Corbaviensi ecclesie de ipsorum fratrum consilio auctoritate apostolica providemus, teque illi in Episcopum preficimus et pastorem, curam et administrationem ipsius tibi tam in spiritualibus quam in temporalibus plenarie committendo, in illo qui dat gratias et largitur promia confidentes, quod ipsius tibi assistente clemencia dicta Corbaviensis ecclesia per tue industrie studium fructuosum preservabitur a noxiis et adversis, ac in utrisque, auctore domino, multiplicibus proficiet incrementis. Quocirca fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenus ad prefatam Corbaviensem ecclesiam cum gratia nostre benedictionis accedens curam et administrationem predictas sic gerere studeas solicite, fideliter et prudenter, quod ipsa ecclesia gubernatori provido et fructuoso administratori gaudeat se commissam, tuque proinde preter retributionis eterne premium nostro ac sedis apostolice benedictionis et gratie mereatis percipere incrementum. Datum Avinione iii. Nonas Iunii, Pontificatus nostri Anno Decimosexto.

In e. m. Capitulo Corbavionsi, populo Civitatis et diocesis Corbaviensis, universis Vassallis ecclesie Corbavionsis, ... Archiepo Spalatensi et Carolo Regi Ungarie.

CCXLVIII.

Nicolaus de Mathafaris canonicus Varadiensis ecclesiae Iadrensi in archiepum praeficitur. Reg. An. XVIII. par. 2. ep. 2.

IOHANNES EPISCOPUS etc. Dilecto filio Nicolao de Mathafaris Electo Iadrensi, salutem etc. Dum, quantis sit onusta dispendiis, quot et quanta pericula secum trahat ecclesiarum vacatio diutina, debita meditatione pensamus, vigilancia reddimur attenta soliciti, ac opem et operam, quantum nobis ex alto permittitur, libenter impendimus, ut ecclesiis viduatis per cooperationis nostre ministerium do celeris et salubris provisionis remedio succurratur, ne contingat eas ex vacatione longeva subire spiritualium aut temporalium detrimenta. Dudum siquidem ex certis rationabilibus causis omnes et singulas cathedrales ecclesias provincie Gradensis tunc vacantes, et inantea vacaturas per biennium primo, et deinde tempus huiusmodi biennale diversis successive vicibus de biennio in biennium prorogando usque ad Kalendas Aprilis proximo preteriti provisioni nostro, ac sedis apostolice auctoritate apostolica per nostras diversas litteras duximus reservandas, decernentes in singulis huiusmodi nostris reservationibus irritum et inane, si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignorantor contigerit attemptari. Ac deinde cum finis huiusmodi nostre ultime reservationis instaret, nos prefatis moti considerationibus et inducti reservationem et decretum predicta usquo ad duos annos, ab eisdom Kalendis Aprilis inantea computandos, auctoritate predicta per alias nostras litteras certi tenoris modo et forma expressis superius extendenda duximus et etiam proroganda. Interim vero ecclesia Iadrensi, que in provincia predicta consistit, per obitum bone momorie Iohannis Archiepiscopi Iadrensis, qui in partibus illis diem clausit extremum, pastoris solatio destituta, nos vacatione huiusmodi ipsius ecclesie fidedignis relatibus intellecta, ad provisionem eiusdom ecclesie, ne prolixe vacationis incurreret detrimenta, solicitis studiis intendentes, cum nullus preter nos hac vice de provisione ipsius ecclesie Iadrensis se intromittere possit, reservatione et decreto, extensione ac prorogatione obsistentibus supradictis, post deliberationem, quam de preficiendo ipsi ecclesie personam utilem ac etiam fructuosam habuimus cum nostris fratribus diligentem, demum ad te Canonicum Varadiensem, decretorum doctorem, cui de honestate morum et vite, prudencia spiritualium et providencia temporalium, aliarumque virtutum donis laudabilia testimonia perhibentur, direximus aciom nostre mentis: quibus omnibus diligenti meditatione pensatis, de persona tua ipsi Iadrensi ecclesie do predictorum fratrum nostrorum consilio auctoritate apostolica providemus, teque illi in Archiepiscopum preficimus et pastorem, curam et administrationem ipsius Iadrensis ecclesie tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, in illo qui dat gratias et largitur promia confidentes, quod eadem Iadrensis ecclesia per tue circumspectionis industriam et providenciam circumspe-

ctam sub tuo felici regimine, dextera domini tibi assistente propitia, salubriter et prospere dirigetur. Iugum itaque domini tuis impositum humeris prompta devotione suscipiens, et reverenter eius suavi oneri collum flectens, curam et administrationem predictas sic exercere studeas solerter, fideliter et prudenter, quod ipsa ecclesia gubernatori provido et fructuoso administratori gaudeat se commissam, tuque preter retribntionis eterne premium benivolencie nostre gratiam exinde plenius consequaris. Datum Avinione IIII. Idus Septembris, Pontificatus nostri Anno Decimooctavo.

In e. m. Dilectis filiis Capitulo ecclesie Iadrensis, Clero et populo Civitatis et diocesis Iadrensis, et Venerabilibus fratribus universis Episcopis Suffraganeis ecclesie Iadrensis.

CCXLIX.

Eidem Nicolao conceditur, ut provisio de ipso facta ad archiepiscopatum Iadrensem, non obstante defectu ordinum, habeat robur ac firmitatem etc. Reg. An. XVIII. par. 2. ep. 784.

IOHANNES EPISCOPUS etc. Dilecto filio Nicolao Electo Iadrensi, salutem etc. Nuper considerantes litterarum scienciam, honestatem morum et vite, et alia grandium virtutum merita, quibus, prout fidedigno testimonio percepimus, te dominus insignivit, de persona tua Iadrensi ecclesie tunc vacanti de fratrum nostrorum consilio auctoritate apostolica duximus providendum, preficientes te eidem ecclesie in Archiepiscopum et pastorem, prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur. Verum quia de deffectu ordinum, quem tempore provisionis et prefectionis huiusmodi patiebaris, sicut adhuc pateris, cum non esses, nec sis in sacris, videlicet in minoribus dumtaxat, ordinibus constitutus, in eisdem litteris nulla mentio facta fuit, nobis humiliter supplicasti, ut providere tibi super hoc paterna diligencia curaremus. Nos igitur premissorum tuarum virtutum merita attendentes, tuis supplicationibus inclinati volumus et apostolica auctoritate decernimus, provisionem et prefectionem huiusmodi de te factas ad regimen ecclesie supradicte, quacunque constitutione contraria nequaquam obstante, perinde plenum robur ac firmitatem habere, ac si in eisdem litteris de huiusmodi deffectu ordinum plena et expressa mentio habita extitisset, tecumque fuisset super eo auctoritate apostolica dispensatum. Nulli ergo etc. nostre voluntatis et constitutionis infringere etc. Datum Avinione Idus Septembris, Pontificatus nostri Anno Decimooctavo.

CCL.

Thomas episcopus Dulcinensis transfertur ad ecclesiam Catharensem. Reg. An. XVIII. part. 2. ep. 39.

IOHANNES EPISCOPUS etc. Venerabili fratri Thome Epo Catharensi, salutem etc. Romani pontificis etc. Nuper siquidem ecclesia Catharensi ex eo vacante, quod nos Venerabilem fratrem nostrum Agotum Venusinum, tunc Catharensem, Episcopum apud sedem apostolicam constitutum, a vinculo, quo ipsi Catharensi ecclesie, cui tunc preerat, tenebatur. de fratrum nostrorum consilio et apostolice sedis potestatis plenitudine absolventes, ipsum ad Venusinam ecclesiam tunc vacantem duximus transferendum, preficiendo eum illi in Episcopum et pastorem, nos attendentes, quod nullus preter nos hac vice de ordinatione ipsius Catharensis ecclesie se intromittere potest, pro eo quod nos diu ante vacationem huiusmodi provisiones omnium ecclesiarum Cathedralium tunc apud dictam sedem quocumque modo vacantium, et vacaturarum imposterum apud eam dispositioni nostre reservantes, decrevimus extunc irritum et inane, si secus super hiis per quoscunque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari, ac cupientes eidem Catharensi ecclesie, ne ex vacatione diutina paciatur in spiritualibus et temporalibus detrimentum, ydoneam presidere personam, post deliberationem, quam super hoc cum eisdem fratribus habuimus diligentem, demum ad te, tunc Episcopum Dulcinensem, consideratis muneribus gratiarum, quibus personam tuam dominus, earum largitor, multipliciter illustravit, et quod prefata Catharensis ecclesia per te, qui eidem Dulcinensi ecclesie laudabiliter diceris prefuisse, poterit in eisdem spiritualibus et temporalibus dirigi et in suis manuteneri iuribus et etiam adaugeri, direximus oculos nostre mentis. Intendentes igitur tam eidem Catharensi ecclesie, quam eius gregi dominico salubriter et utiliter providere, te a vinculo, quo eidem Dulcinensi ecclesie, cui tunc preeras, tenebaris, de dictorum fratrum consilio et apostolice potestatis plenitudine absolventes, te ad prefatam Catharensem ecclesiam transferimus, teque illi preficimus in Episcopum et pastorem, curam et administrationem ipsius tibi in dictis spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, ac liberam tibi tribuendi licenciam ad dictam Catharensem ecclesiam transeundi, firma spe fiduciaque conceptis, quod prefata Catharensis ecclesia per tue circumspectionis et industrie fructuosum studium, gratia tibi assistente divina,

regetur utiliter et prospere dirigotur, grataque in eisdem spiritualibus et temporalibus, auctore domino, suscipiet incrementa. Quocirca fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenus ad predictam Catharensem ecclesiam cum gratia nostre benedictionis accedens, curam et administrationem predictas sic exercere studeas solicite, fideliter et prudenter, quod eadem ecclesia gubernatori provido et fructuoso administratori gaudeat se commissam, tuque proinde preter eterne retributionis premium nostram et eiusdem sedis benedictionem et gratiam uberius consequi merearis. Datum Avinione XVI. Kal. Septembris, Pontificatus nostri Anno Decimooctavo.

In. e. m. Dilectis filiis Capitulo ecclesie Catharensis, populo Civitatis et diocesis Catharensis, et Venerabili fratri ... Archiepiscopo Barensi.

CCLI.

Gratias de Aquila ex ordine Minorum ecclesias Dulcinensi in episcopum praeficitur. Reg. An. XVIII. part. 1. ep. 1127.

IOHANNES EPISCOPUS etc. Dilecto filio Gratie do Aquila Electo Dulchinensi, salutem etc. Apostolatus officium etc. Vacante siquidem nuper ecclesia Dulchinensi, pro eo quod nos Venerabilem fratrem nostrum Thomam Catharensem, tunc Dulchinensem, Episcopum apud sedem apostolicam constitutum a vinculo, quo ipsi ecclesie Dulchinensi, cui tunc preerat, tenebatur, de fratrum nostrorum consilio et apostolice potestatis plenitudine absolventes, ipsum ad ecclesiam Catharensem tunc vacantem duximus transferendum, proficiendo enm illi in Episcopum et pastorem, Nos attendentes, quod nullus preter nos de ordinatione ipsius ecclesio Dulchinensis se hac vice intromittere potest, pro eo quod diu ante huiusmodi vacationem eiusdem ecclesie Dulchinensis provisiones omnium ecclesiarum tam cathedralium, quam etiam aliarum tunc apud dictam sedem quovis modo vacantium, et vacaturarum in antea apud eam dispositioni nostre duximus reservandas, decernentes extunc irritum et inane, si secus super hiis per quoscunque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari, de proficiendo eidem ecclesie Dulchinensi personam utilem, ne ulterioris vacationis subiaceret incommodis, cogitare cepimus diligenter, et post deliberationem, quam de proficiendo prefate ecclesie Dulchinensi personam talem cum eisdem fratribus attentam habuimus, demum in te ordinis fratrum Minorum professorem, in sacerdotio constitutum, cui religionis zelus, vite mundicia, morum honestas, litterarum sciencia, et alia virtutum merita, prout ex testimoniis fidedignis accepimus, laudabiliter suffragantur, direximus oculos nostre mentis: quibus omnibus debita meditatione pensatis, de persona tua predicte Dulchinensi ecclesie de fratrum eorumdem consilio auctoritate apostolica providemus, teque illi preficimus in Episcopum et pastorem, curam et administrationem eiusdom tibi tam in spiritualibus quam in temporalibus plenarie committendo, in eo qui bonorum largitor est omnium confidentes, quod dextera domini tibi assistente propitia prelibata ecclesia Dulchinensis per tuum ministerium studiosum regetur salubriter et prospere dirigetur. Iugum itaque tam leve collis humilibus quam suave humeris tuis divinitus impositum prompta devotione suscipiens et supportans humiliter, curam et administrationem predictas sic geras fideliter et solicite prosequaris, quod ipsa ecclesia Dulchinensis, cooperante domino, sub tuo felici regimine continne prosperetur, tuque proter eterne rotributionis premium nostram ac eiusdem sedis benedictionem et gratiam iugiter percipere morearis. Datum Avinione XVI. Kalendas Septembris, Pontificatus nostri Anno Decimooctavo.

In e. m. Capitulo ecclesie Dulchinensis, Clero et populo Civitatis et diocesis Dulchinensis, ... Archiepiscopo Antibarensi, et Magnifico Principi Stephano Regi Rassie Illustri.

CCLII.

Eidem Gratias datur licentia ad dictam ecclesiam Dulcinensem se conferendi. Reg. An. XIX. par. 1. ep. 1926.

IOHANNES EPISCOPUS etc. Venorabili fratri Gratie Episcopo Dulcinensi, salutem etc. Pridem ecclesia Dulcinensi solatio destituta pastoris, nos ad personam tuam claris virtutum titulis insignitam nostre mentis aciem dirigentes, te de fratrum nostrorum consilio eidom ecclesie in Episcopum prefecimus et pastorem, curam et administrationem ipsius tibi tam in spiritualibus quam in temporalibus plenarie committentes. Cum autem postmodum per Venerabilem fratrem nostrum Anibaldum Episcopum Tusculanum tibi fecerimus munus consecrationis impendi, fraternitati tue por apostolica scripta mandamus, quatenus apostolice sedis beneplacitis te conformans, ad predictam Dulcinensem ecclesiam cum nostre benedictionis gratia te personaliter conferens, sic te in administratione ipsius diligenter et solicite gerere studeas, ut utilis administratoris industrie non immerito gaudeat se commissam, ac fame

laudabilis tue odor ex tuis probabilibus actibus latius diffundatur, et preter retributionis eterne premium nostre benivolencie graciam et favorem uberius assequaris. Datum Avinione v. Idus Septembris, Pontificatus nostri Anno Decimonono.

EPISTOLAE BENEDICTI PP. XII.

CCLIII.

Episcopo Traguriensi, ut cum Barone Silvestri cive Traguriensi et Margareta muliere Spalatensi super matrimonio contracto dispenset. Reg. An. II. ep. 354.

Benedictus episcopus etc. Venerabili fratri ... Episcopo Traguriensi, salutem etc. Intenta salutis operibus apostolice sedis benignitas nonnunquam rigorem iusticie mansuetudine temperans, quod negat iuris severitas, do gratie benignitate indulget, cum id secundum deum conspicit salubriter expedire. Sane petitio pro parte dilecti filii Baroni Silvestri Civis Traguriensis, et dilecte in Christo filie Margarete Mulieris Spalatensis nobis exhibita continebat, quod ipsi olim ignorantes aliquod impedimentum inter eos existere, propter quod posset contrahendum inter ipsos matrimonium impediri, matrimonium in faciem ecclesie bannis primo editis in ecclesia alias legitime contraxerunt, nullo se opponente, quare id non deberet fieri vel non posset, et ex tunc insimul ut coniuges habitantes prolem ex huiusmodi matrimonio procrearunt. Demum ut ad ipsius Baroni provenit notitiam, quod dicta Margareta cuidam mulieri, quam idem Baronus ante contractum matrimonium huiusmodi cognoverat carnaliter, in tertio et quarto consanguinitatis gradibus attinebat, propter quod ipsi Baronus et Margareta non possunt in dicto matrimonio absque dispensatione apostolica remanere. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, si divortium fieret inter eos et delictum huiusmodi, quod occultum extitit, in publicum deveniret, multa possent inde scandala et pericula suborriri: nobis ex parte ipsorum Baroni et Margarete extitit humiliter supplicatum, ut providere eis super hoc de oportune dispensationis beneficio misericorditer dignaremur. Nos igitur, qui salutem et pacem querimus singulorum, volentes huiusmodi scandalis et periculis, quantum cum Deo possumus, obviare, huiusmodi supplicationibus inclinati fraternitati tue per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus si est ita cum eisdem Barono et Margareta, quod impedimento consanguinitatis huiusmodi non obstanto in huiusmodi matrimonio licite remanere valeant, auctoritate nostra dispenses, prolem susceptam et suscipiendam ex huiusmodi matrimonio legitimam decernendo. Datum Avinione quarto Idus Februarii, Pontificatus nostri Anno Secundo.

CCLIV.

Iudicibus committitur, ut de questione (vide supra pag. 178-181 et 185.), que vertitur inter Marinum Domanha et civitatem officialesque Catharenses, faciant iustitiae complementum. Reg. An. II. par. 2. ep. 508.

Benedictus episcopus etc. Venerabilibus fratribus ... Archiepiscopo Spalatensi et ... Episcopo Traguriensi, et dilecto filio Clementi de Gangulis Canonico Ragusino, salutem etc. Officii nostri debitum exigit, ut nos, qui sumus omnibus in iusticia debitores, cunctis eam poscentibus faciamus eius plenitudinem ministrari. Sane dilecti filii Marini Domanha de Bualicha civis Catharensis querelosa nobis exposito patefecit, quod olim ecclesia Catharensi per obitum bone memorie Domanhe Epi Catharensis, qui in partibus illis diem clausit extremum, vacante, felicis record. Iohannes papa XXII. predecessor noster, qui provisionem eiusdem ecclesie illa vice ante dicti Domanhe obitum provisioni sue specialiter reservaret, Venerabilem fratrem nostrum Sergium Polensem Episcopum, tunc Canonicum et civem Catharensem, eiusdem Marini germanum, prefecit ipsi Catharensi ecclesie in Episcopum et pastorem: et quod cum idem Sergius de mandato dicti predecessoris apud apostolicam sedem in Epum consecratus ad dictam Catharensem ecclesiam, prout tenebatur, ex sui officii debito accessisset, Iudices, officiales ac Universitas Civitatis Catharensis cuidam statuto per eos contra ecclesiasticam libertatem edito, quo,

sicut dicitur, cavebatur, quod nullus oriundus de Civitate prefata prefici posset in Epum Catharensem, minus provide innitentes dictum Sergium in Episcopum Catharensem recipere contumaciter denegarunt, et nichilominus dictum Marinum et quosdam consanguineos et nepotes eiusdem Sergii ceperunt, et de speciali mandato condam Urosii tunc Regis Rascie diris carceribus detineri fecerunt, omnique bona mobilia et immobilia Sergii ac Marini predictorum ceperunt et distraxerunt pro libito voluntatis, asserentes Sergium et Marinum predictos statuti predicti pretextu ad solvendum Regi prefato duomilia perperorum, et certis officialibus, videlicet Casnczo mille, Sevesto Crarorum quingentos, Wrinode quingentos, Iudici ducentos, Celiuto magno ducentos, Stanilozo ducentos, Communitati Catharensi mille ot unicuique Civium dicte Civitatis quingentos perperos pro pena tenori et dobere compelli: super quibus omnibus per eundem Sergium coram dicto predecessore querela exposita, idem predecessor Universitati Civitatis predicte sub excommunicationis in singulares personas eorum, ac Iudicum, officialium et consiliariorum, quorum consilio dicta Civitas regebatur, ot interdicti in Civitatem et Universitatem predictas penis et sentenciis, quas eos et eas ac eorum quemlibet incurrere voluit ipso facto, nisi mandatis eius in hac parte efficaciter obedirent, duxit per suas litteras iniungendum, ut infra mensem post receptionem dictarum litterarum dictum statutum penitus revocare, illudque de libris et capitularibus eorum abradere ac abolere studerent, quod eciam statutum idem predecesor irritavit et cassavit, ac casuum ct irritum nunciavit de apostolice plonitudine potestatis, et nichilominus eundem Sergium tanquam eorum verum Episcopum recipcrent, dictosque Marinum, consanguineos et nepotes restituerent et restitui facerent pristine libertati, eisque bona redderent supradicta. Postmodum vero prefato Sergio de dicta Catharensi ecclesia ad ecclesiam Polensem per eundem predecessorem translato, idem predecessor ad nunciorum Universitatis predictorum instanciam bone memorie Iohanni sancti Theodori diacono Cardinali, tunc in partibus Tuscie apostolice sedia legato, suis dedit litteris in mandatis, ut singulares personas et Universitatem predictas, que prefatas sentencias incurrerant, dummode prius constaret eidem, quod dictus Marinus esset a dicto carcere relaxatus, et sub certis aliis conditionibus a dictis sentenciis, si ab eis petorent humiliter se absolvi, per se vel alium seu alios auctoritate apostolica absolveret, ipsasque sentencias relaxaret, iniunctis eis omnibus que de iure existerent iniungenda, decornena nichilominus statutum predictum irritum et inane, prout eciam decreverat in prioribus litteris supradictis, quodque prefati Universitas et officiales ipsius mandato apostolico suo super revocatione et irritatione dicti statuti per easdem priores litteras eia facto parere efficaciter tencrentur: dictusque Cardinalis ad instanciam procuratorum Universitatis eorumdem Venerabili fratri nostro ... Episcopo Scutarensi commisit in hac parte totaliter vices suas, qui quidem Episcopus Scutarensis ex abrupto et de facto dicto Marino, tunc adhuc diro carceri et crudeli detento, nec ad bona sua predicta restituto, nec vocato, sed absente, non per contumaciam idque penitus ignorante, prefatas sentencias pro sue voluntatis libito pretextu litterarum et commissionis huiusmodi relaxavit. Quare prefatus Marinus super hiis ad nos devote recurrens nobis humiliter supplicavit, ut eum relaxatio sentenciarum huiusmodi utpote contra formam litterarum dicti predecessoris eidem Cardinali directarum facta iuribus non subsistat, ac Universitas et singulares persone prediete dicta bona Sergii et Marini predictorum partim vendiderint, partimque inter se absque legitima causa diviserint, et ca detincant taliter occupata, relaxationem sentenciarum huiusmodi per dictum Epiacopum Scutarensem sic de facto prosumptam denunciari nullam, ipsosque Universitatem, officiales ot singulares personas, et quoslibet alios bonorum huiusmodi detentores ad restitutionem bonorum ipsorum cum fructibus medio tempore perceptis ex eis, necnon dampnis et expensis prefatis Marino et Sergio faciendam compelli por discretum aliquem mandaremus. Nos igitur de premissis certam noticiam non habentes, ac attendentes, quod premissa, si veritas suffragetur eisdem, in gravem exempli periuciem redundare noscuntur, et propterea volentes super hiis iustioie debitum exhiberi, discretioni vestre per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus vos vel duo aut unus vestrum per vos vel alium seu alios, vocatis qui fuerint evocandi, faciatis super premissis omnibus et singulis summarie et de plano sine strepitu et figura iudicii iusticie complementum. Testes autem, qui fuerint nominati, si se gratis, odio vel timore subtraxerint, per censuram ecclesiasticam, appellatione cessante, cogatis veritati testimonium perhibere, Contradictores eadem censura, appellatione postposita, compescendo. Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii pape VIII. predecessoris nostri, quibus cavetur, ne aliquis extra suam Civitatem et diocesim nisi in certis exceptis casibus, et in illis ultra unam dietam a fine sue diocesis ad iudicium evocetur, et tam de duabus dictis in Concilio generali, quam aliis quibuscumque Constitutionibus a predecessoribus nostris Romanis Pontificibus tam de Iudicibus delegatis, quam

personis ultra certum numerum ad iudicium non vocandis, aut aliis editis, que vestre possent in hac parte iurisdictioni aut potestati eiusque libero exercitio quomodolibet obviare, seu si aliquibus communiter vel divisim a sede apostolica sit indultum, quod interdici vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Datum apud Pontem Sorgio Avinionensis diocesis XVI. Kal. Septembris, Pont. nostri Anno Secundo.

CCLV.

Universis Christifidelibus visitantibus ecclesiam Iustinopolitanam indulgentia conceditur. Reg. An. II. par. I. ep. 571.

BENEDICTUS EPISCOPUS etc. Universis Christifidelibus presentes litteras inspecturis, salutem etc. Virgo venustissima et omninm virtutum aromatibus insignita, Virgo dei genitrix gloriosa, cuius pulchritudinem sol et luna mirantur, cuiusque precibus iuvatur populus christianus, florem pretiossimum immarcessibilem et eternum dominum Ihesum Christum, humani generis redemptorem, ineffabili sancti spiritus cooperatione produxit, pro cuius reverencia Virginis loca ipsius vocabulo insignita sunt a Christifidelibus merito venerando, ut eius piis adiuti suffragiis eterne retributionis premia consequi mereamur. Cupientes igitur, ut ecclesia Iustinopolitana, que vocabulo eiusdem gloriose Virginis insignita dinoscitur, congruis honoribus frequentetur, et ut Christifideles eo libentius causa devotionis confluant ad eandem, quo ibidem uberius dono celestis gracie conspexerint se refectos, de omnipotentis dei misericordia et beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi omnibus vere penitentibus et confessis, qui in festo Assumptionis eiusdem Virginis gloriose dictam ecclesiam devote visitaverint annuatim, centum dies de iniunctis eis penitenciis misericorditer relaxamus. Datum Avinione III. Idus Decembris, Pontificatus nostri Anno Secundo.

CCLVI.

Episcopo Iustinopolitano, ut Guidoni nato Leonardi Nixe canonicatum in ecclesia s. Georgii de Pirano suae dioecesis conferat. Reg. An. III. par. 2. ep. 13.

BENEDICTUS EPISCOPUS etc. Venerabili fratri ... Episcopo Iustinopolitano, salutem etc. Dignum et congruum arbitramur, ut illis se reddat sedes apostolica gratiosam, quibus ad id propria virtutum merita laudabiliter suffragantur. Cum itaque Canonicatus et prebenda plebis sancti Georgii de Pirano Iustinopolitane diocesis, quorum fructus, redditus et proventus quindecim florenorum auri valorem annuum, sicut asseritur, non excedunt, quos dudum Venerabilis frater noster Franciscus Archiepiscopus Ravennas, tunc eiusdem plebis Canonicus, tempore promotionis per nos facte de ipso ad Ravennatensem ecclesiam tunc vacantem obtinebat, per promotionem huiusmodi et munus consecrationis de mandato nostro apud apostolicam sedem impensum eidem apud eandem sedem vacare noscuntur ad presens, nullusque preter nos de ipsis possit hac vice disponere, pro eo quod nos dudum ante vacationem huiusmodi omnes canonicatus et prebendas ceteraque beneficia ecclesiastica tunc apud dictam sedem vacantia, et in antea vacatura dispositioni nostre specialiter reservantes, decrevimus ex tunc irritum et inane, si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari: Nos volentes dilectum filium Guidonem natum dilecti filii Leonardi Nixe de Pirano, clericum dicte diocesis, qui in sextodecimo etatis sue anno vel circa fore dicitur constitutus, quique de premissis et aliis virtutum suarum meritis apud nos fidedignorum testimonio commendatur, favoribus prosequi gratiosis, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenus si simpliciter et de plano ipsum Guidonem ydoneum esse repereris, predictos Canonicatum et prebendam sic vacantes cum plenitudine iuris canonici, ac omnibus iuribus et pertinenciis suis eidem Guidoni auctoritate nostra conferre et assignare procures, inducens eum per te vel alium seu alios in corporalem possessionem Canonicatus et prebende ac iurium et pertinenciarum predictorum, et defendens inductum, ac faciens ipsum vel dictum procuratorem pro eo ad dictam prebendam in eadem ecclesia in Canonicum recipi et in fratrem, stallo sibi in choro et loco in Capitulo ipsius ecclesie cum dicti iuris plenitudine assignatis, sibique de ipsorum Canonicatus et prebende fructibus, redditibus, proventibus, iuribus et obventionibus universis integre responderi, Contradictores auctoritate nostra, appellatione postposita, compescendo, Non obstantibus quibuscumque statutis et consuetudinibus eiusdem ecclesie contrariis, iuramento et confirmatione dicte sedis vel quacumque firmitate alia roboratis, Aut si aliqui apostolica vel alia quavis auctoritate in eadem ecclesia in Canonicos sint recepti, vel ut recipiantur, insistant, seu si super provisionibus sibi faciendis de canonicatibus et prebendis in ipsa ecclesia speciales, vel de beneficiis ecclesiasticis in illis partibus

generales dicte sedis vel Legatorum eius litteras impetrarint, etiam si per eos ad inhibitionem reservationem et decretum vel alias quomodolibet sit processum, quibus omnibus in assecutione dictorum canonicatus et prebende ipsum Guidonem volumus anteferri, sed nullum per hoc eis quo ad assecutionem canonicatuum et prebendarum ac beneficiorum aliorum preiudicium generari, seu si Epo Iustinopolitano, qui est pro tempore, vel quibusvis aliis communiter vel divisim a predicta sit sede indultum, quod ad receptionem vel provisionem alicuius minime teneantur, et ad id compelli, aut quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint, vel quod de canonicatibus et prebendis ipsius ecclesie ac aliis beneficiis ecclesiasticis ad eorum collationem, provisionem, presentationem, aut quamvis aliam dispositionem coniunctim vel separatim spectantibus nulli valeat provideri per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, et qualibet alia dicte sedis indulgencia generali vel speciali cuiuscumque tenoris existat, per quam presentibus non expressam vel totaliter non insertam effectus huiusmodi nostre gratie impediri valeat quomodolibet vel differri, et de qua cuiusque toto tenore habenda sit in nostris litteris mentio specialis, aut si dictus Guido presens non fuerit ad prestandum de observandis statutis et consuetudinibus eiusdem ecclesie solitum iuramentum, dummodo in absentia sua per procuratorem ydonenm, et cum ad ecclesiam ipsam accesserit, corporaliter illud prestet. Nos enim, si dictus Guido ydonens ad hoc per te repertus fuerit, ut prefertur, perinde irritum, prout est, decernimus et inane, si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter attemptatum forsan est hactenus, vel contigerit imposterum attemptari, ac si nos dictum canonicatum et prebendam eidem Guidoni cum interpositione decreti duxissemus specialiter conferendos. Datum Avinione III. Idus Ianuarii, Pontificatus nostri Anno Tertio.

CCLVII.

Episcopo Scardonensi, ut cum Ioanne de Briberio et Catharina sorore Mladini comitis Clisiae super matrimonio contrahendo dispenset. Reg. An. III. par. 2. ep. 11.

BENEDICTUS EPISCOPUS etc. Venerabili fratri ... Epi Scardonensi, salutem etc. Petitio dilectorum filiorum nobilium virorum Iohannis Georgii de Briberio ot Mladini Clisie et Scardone Comitum tue diocesis nobis exhibita continebat, quod ad sedandum graves guerras et inimicitias, que inter eos ac eorum communes consanguineos et amicos, pacis emulo procurante, vigere noscuntur, ex quibus Villarum et et Castrorum subvorsio, homicidia et alia mala plurima sunt secuta, necnon ad pacem et concordiam inter eos, actore domino, reformandam utriusque partis amicis procurantibus habitus est tractatus, ut idem Iohannes Georgii Comes et Catharina soror dicti Comitis Mladini matrimonialiter copulentur: sed quia dicti Iohannes et Catherina quarto consanguinitatis gradu invicem se contingunt, matrimonium huiusmodi contrahere nequeunt, dispensatione super hoc apostolica non obtenta: quare predicti Iohannes et Catherina nobis humiliter supplicarunt, ut cum eis, quod impedimento huiusmodi non obstante huiusmodi matrimonium licite contrahere valeant, dispensare misericorditer dignaremur. Nos igitur, qui salutem querimus singulorum et libenter Christifidelibus quietis et pacis commoda procuramus, huiusmodi pacem et concordiam inter dictos nobiles reformari sopitis discordiis cupientes, eorum supplicationibus inclinati fraternitati tue per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus si est ita cum eisdem Iohanne Georgii Comite et Catherina, quod impedimento, quod ex dicta consanguinitate provenit, aliquatenus non obstante possint huiusmodi matrimonium ad invicem licite contrahere, et in eo, postquam contractum fuerit, libere remanere apostolica auctoritate dispenses, prolem suscipiendam ex huiusmodi matrimonio legitimam nuntiando. Datum Avinione XIII. Kalendas Februarii, Pontificatus nostri Anno Tertio.

CCLVIII.

Paci episcopo Tergestino, ut infra certum terminum cum processibus per eum habitis contra Matthaeum de Vicecomitibus de Mediolano et quosdam alios veniat ad apostolicam sedem. Reg. An. III. par. 1. ep. 1.

BENEDICTUS EPISCOPUS etc. Venerabili fratri Paci Episcopo Tergestino, salutem etc. Dudum, sicut accepimus, tu ordinis fratrum Predicatorum, tunc in minori officio constitutus, apostolica auctoritate in provincia superiori Lombardie Inquisitor pravitatis heretice deputatus, una cum Venerabilibus fratribus nostris Aycardo Archiepiscopo Mediolanensi, qui apostolica et ordinaria auctoritate fungebatur, et Iordano Episcopo Bobiensi dicti ordinis, tunc in minori officio constituto et apostolica auctoritate predicta in dicta provincia Inquisitoro similiter deputato, ac quibusdam aliis fratribus eiusdem

ordinis coinquisitoribus vestris super pravitate predicta tunc viventibus, qui diountur de hac luce transiisse, contra dampnate memorie Matheum de Vicecomitibus de Mediolano eiusque filios, necnon adversus nonnullas singulares personas Mediolanenses, Novarienses, Pergamenses, Cremonenses, Cumanos, Vercellenses et quarumdam aliarum Civitatum ac Castrorum, Villarum et locorum aliorum provinciarum vicinarum super fautoria prefatorum Mathei et filiorum eius inquisivisti communiter et divisim, et nonnullos processus super hoc contra ipsos fecisti et condempnationum sentencias promulgasti. Cum itaque de dictis processibus et sentenciis tam per te, quam per inspectionem eorum velimus plenius informari, fraternitati tue precipiendo mandamus, quatenus cum omnibus processibus et sentenciis supradictis, ac scripturis aliis, necnon dispositionibus et attestationibus testium super premissis habitis et receptis, quos et quas per te et alios poteris quomodolibet reperire, infra proximum futurum festum Pentecostes ad nostram studeas presenciam personaliter te conferre: prefatis etiam Archiepiscopo et Episcopo per alias nostras consimiles litteras iniungimus, ut ad nos propterea venire procurent. Datum Avinione x. Kalendas Maii, Pontificatus nostri Anno Tertio.

CCLIX.

Archiepo Iadrensi, ut relaxet interdictum, cui subiaceat monasterium s. Nicolai Iadrensis, et moniales ab excommunicationis sententia in eas propter decimam non solutam lata absolvat. Reg. An. VIII. part. 1. ep. 352.

BENEDICTUS EPISCOPUS etc. Venerabili fratri ... Archiepiscopo Iadrensi, salutem etc. Exhibita nobis Conventus Monasterii sancti Nicolai Iadrensis, ad presens Abbatissa carentis, ordinis sancte Clare petitio continebat, quod licet ipse tanta paupertate graventur, quod de proventibus possessionum suarum vix pro certa parte anni possunt congrue sustentari, quinimmo pro magna parte temporis de elemosinis fidelium, quas petunt et peti faciunt, sustentantur: tamen dilectus filius Bertrandus Rotundi Collector decimarum, per fel. record. Iohannem papam XXII. predecessorem nostrum in partibus ipsis impositarum specialiter deputatus, in dictum monasterium, pro eo quod quondam Francisca Abbatissa dicti Monasterii et Conventus predicte huiusmodi decimas eis impositas in statutis terminis non solverunt, interdicti necnon in Abbatissam eandem et singulas moniales dicti Monasterii excommunicationis sentencias promulgavit, quamquam ipse Abbatissa et Conventus propter ipsarum maximam paupertatem ad solvendum huiusmodi decimas temporum aliorum Romanorum Pontificum compulse non fuerint, nec etiam si ipse Conventus compelleretur, eas possent solvere sine magno eorum incommodo propter maximam inopiam earumdem: quare prefate Conventus, dicta Francisca interim sublata de medio, nobis humiliter supplicarunt, ut statui earum paterne consulere, ac ipsarum necessitatibus providere de consueta sedis apostolice clemencia dignaremur. Nos itaque ipsarum Conventus supplicationibus annuentes, ac prefatas decimas pro tempore preterito eis impositas auctoritate presentium de speciali gratia remittentes eisdem, fraternitati tue per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus prefatas moniales et Conventum ab omnibus sentenciis per dictum Bertrandum, aut Subcollectores suos in eas occasione huiusmodi decime non solute prolatis auctoritate nostra iuxta ecclesie formam absolvere, ac interdictum prefatum studeas relaxare, iniuncto eis super hoc, quod de iure fuerit iniungendum, et nichilominus dictam Franciscam, si apparuerunt signa penitencie in eadem, absolvas a predicta excommunicationis sentencia in eam propterea promulgata. Datum Avinione x. Kalendas Iulii, Pontificatus nostri Anno Tertio.

CCLX.

Iudicibus, ut Ioannem episcopum Signensem in possessionem episcopatus et honorum ipsius inducant, amotis detentoribus quibuscumque, ipsique obedientiam faciant ab eius subditis exhiberi. Reg. An. III. part. 1. ep. 395.

BENEDICTUS EPISCOPUS etc. Venerabilibus fratribus ... Arbensi et ... Ausariensi Episcopis, ac dilecto filio ... Abbati Monasterii sancti Petri Arbensis, salutem etc. Dudum bone memorie Georgio Episcopo Signensi regimini Signensis ecclesie presidente, felicis recordationis Iohannes papa XXII. predecessor noster, dum ageret in humanis, cupiens eidem ecclesie, cum eam ex tunc vacare contingeret, per apostolice sedis providenciam ydoneam presidere personam, provisionem ipsius ecclesie, quam primum illa quovis modo et ubicumque vacaret, dispositioni sue et dicte sedis ea vice specialiter reservavit, decernendo ex tunc irritum et inane, si secus super hiis per quoscumque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari. Postmodum vero dicta ecclesia per obitum dicti Georgii Episcopi, qui in partibus illis diem clausit extremum, pastoris regimine destituta, dictus predecessor

huiusmodi vacatione ipsius fidedignis intellecta relatibus attendens, quod nullus preter eum de ordinatione prefate ecclesie se illa vice intromittere poterat, reservatione ac decreto huiusmodi obsistentibus, post deliberationem, quam de preficiendo ecclesie antedicte personam utilem cum fratribus suis, de quorum numero tunc eramus, habuit diligentem, demum de Venerabili fratre nostro Iohanne Episcopo Signensi, ordinis fratrum Heremitarum sancti Augustini professore, in sacerdotio constituto, cui super religionis zelo, litterarum sciencia, honestate morum et vite aliaque multiplicium virtutum merito suffragabantur testimonia fidedigna, premissis attentis ecclesie prelibate de dictorum fratrum suorum consilio apostolica auctoritate providit, ipsumque illi prefecit in Episcopum et pastorem, curam et administrationem eiusdem sibi tam in spiritualibus quam in temporalibus plenarie committendo, eique deinde per Venerabilem fratrem nostrum Gaucelinum Epum Albanensem munus fecit consecrationis impendi, prout in ipsius predecessoris litteris plenius continetur. Idemque predecessor super receptione ipsius Iohannis Episcopi ad Venerabilem fratrem nostrum Archiepiscopum Spalatensem Metropolitanum suum, necnon ad Capitulum iam dicte Signensis ecclesie et Clerum ac populum Signensis Civitatis et diocesis, aliosque subditos suos iuxta morem ecclesie Romane alias suas litteras destinavit. Pridem namque in nostra et fratrum nostrorum presencia in consistorio propositum oxtitit pro parte Iohannis Episcopi antedicti, quod predicti Capitulum post et contra reservationem et decretum prefata Bernardum, tunc Abbatem Monasterii sancti Georgii ordinis sancti Benedicti prodicte dioccsis, de facto in eorum Epum elegerunt, ipseque Bernardus electionem huiusmodi auctoritate metropolitica confirmari, seque in Signuensem Episcopum consecrari etiam de facto temore procuravit, ac electionis, confirmationis et consecrationis huiusmodi pretextu in Episcopatu Signensi de facto similiter se intrusit, ipsumque dampnabiliter occupavit et detinet occupatum, iam diu fructus percipiens ex eodem. Et dum ipse Iohannes Episcopus ferens litteras supradictas se personaliter contulisset ad partes illas, ubi dictus Episcopatus existat, credens illum tute ac pacifice introire, minatorie ac terribiliter sibi predictum extitit ex parte nobilium virorum Duyni et Bartholomei Comitum Vegle dominantium dicte Civitati Signensi, et Bernardi intrusi, Capituli, Cleri et populi predictorum, quod si dictus Iohannes Episcopus auderet Civitatem et diocesim ingredi prelibatas, periculum incurreret suo mortis. Sicque idem Iohannes Episcopus ex metu verisimili periculi antedicti ad Civitatem Arbensem prefate diocesis vicinam declinare curavit, et ibidem de voluntate ac licencia Venerabilis fratris nostri ... Episcopi Arbensis contra rebelles suos in eodem Episcopatu procedens, auctoritate ordinaria per suas diversas litteras canonico monuit dictum Bernardum intrusum, Iacobum tunc Archidiaconum, Georgium tunc Archipresbiterum et Iohannem tunc Primicerium eiusdem ecclesie Signensis, singulosque Canonicos de dictis Capitulo, et ipsos Capitulum, necnon Michaelem supradicti sancti Georgii et Franciscum sancte Crucis monasteriorum ordinis sancti Benedicti et diocesis predictorum Abbates, dictosque Comites, nobiles viros David Vicecomitem, Iacobum et Guidonem fratres quondam Phylippi Vicecomitis filios Domicellos, cives Signenses, dicte Civitatis Signensis tunc regimini presidentes, Crexolam et Rousam laicos tunc Iudices ipsius Civitatis Signensis, principales fautores ipsius Bernardi intrusi, ac eius in huiusmodi occupatione et detentione fautores, dictoque Iohanni Episcopo notorie contradictores et rebelles, ac impedientes diversimode prefatum Iohannem Epum, quominus huiusmodi iurisdictione sua ordinaria uti libere posset, et generaliter cunctos alios Prelatos seculares et regulares, eorumque Capitula et Conventus, aliosque clericos et laicos dictarum Signensium Civitatis et diocesis prefato Bernardo intruso publice adherentes, dictoque Iohanni Episcopo similiter rebelles, ut Bernardus intrusus ipsi Iohanni Episcopo prefatum Episcopatum liberum et expeditum dimitteret, et Iacobus tunc Archidiaconus, Georgius tunc Archipresbiter et Iohannes tunc Primicerus, Canonici, Capitulum, Michael et Franciscus Abbates, ceterique Prelati, Capitula, Conventus et Clerici supradicti moniti ab eiusdem Bernardi intrusi obediencia penitus resilirent, et dictum Iohannem Episcopum in Episcopum eorum admitterent, sibique obedienciam et reverenciam debitam exhiberent: Comites vero, Domicelli tunc regimini presidentes, Crexola et Rausa tunc Iudices et alii laici dictarum Civitatis et diocesis Signensium ab omni fautoria et adherencia dicti Bernardi intrusi recederent, et in ipsorum pastorem Iohannem Episcopum reciperent memoratum. Et quia prenominati moniti hec efficere, cessante omni causa rationabili, rebelliter denegarunt, predictus Iohannes Episcopus in Bernardum intrusum, Iacobum tunc Archidiaconum, Georgium tunc Archipresbiterum, Iohannem tunc Primicerium, Canonicos, Michaelem et Franciscum Abbates, Comites, Domicellos tunc regimini presidentes, Crexolam et Rousam tunc Iudices specialiter, et in alios monitos prefatos contradictores et rebelles generaliter excommunicacionis sentenciam promulgavit, ac ipsorum monitorum

et excommunicatorum Cleri et populi profatorum contumacia excrescente, Signenses Civitatem et diocesim predictas ecclesiastico supposuit interdicto, ac nominatim excommunicatos taliter ligatos, necnon Signenses Civitatem et diocesim profatas dicto interdicto subesse publice nunciavit et fecit etiam nunciari. Sed quia Iacobus tunc Archidiaconus, Georgius tunc Archipresbiter, Iohannes tunc Primicerius, Michael et Franciscus Abbates predicti amplius indurati dicto Bernardo intruso fortius adherebant et patentius favebant eidem, prelibatus Iohannes Episcopus Iacobum tunc Archidiaconum Archidiaconatu, Georgium tunc Archipresbiterum Archipresbiteratu et Iohannem tunc Primicerium predictos Primiceriatu et quibuscumque aliis beneficiis ecclesiasticis, que in eadem et ab eadem Signensi ecclesia obtinebant, sentencialiter privavit, ipsosque Michaelem et Franciscum Abbates ab administratione spiritualium et temporalium suorum monasteriorum predictorum iusticia suadente suspendit. Et quamvis pro parte Iacobi tunc Archidiaconi, Georgii tunc Archipresbiteri, Iohannis tunc Primicerii et Capituli predictorum ab huiusmodi processibus dicti Iohannis Episcopi, post tempus tamen a iure statutum, ad sedem eandem extitisset, ut dicitur, appellatum, ipsi tamen appellationem huiusmodi non fuerunt, quamquam potuissent, infra tempus debitum prosecuti. Cum autem, sicut asseritur, ipsi excommunicati et interdicti adhuc in eorum obstinacia perseverent, dictusque Bernardus intrusus eundem Episcopatum detineat etiam occupatum, et omnes ipsi processus et sentencias contempnant eosdem, ac persone ecclesiastice et Clerici moniti antedicti divina officia celebrare, immo verius quantum in eis prophanare praesumpserint per triennium et amplius, ac presumant in suarum perniciem animarum et ecclesiastice discipline contemptum, aliis personis laicalibus redire non curantibus ad ecclesie unitatem, in ipsius Iohannis Episcopi preiudicium manifestum et grave scandalum plurimorum: Nos ex parte dicti Iohannis Episcopi, qui ad sedem prefatam propterea laboravit, nobis humiliter supplicato, ut adversus illorum proterviam, et no ipse inane Episcopi nomen gerat, adhibere sibi congruum remedium dignaremur, dilecto filio nostro Petro tituli sancti Clementis presbitero Cardinali commisimus oraculo vive vocis, ut negocium huiusmodi audirot et examinaret, et quod inde inveniret, nobis referre curaret: coram quo predicto Iohanne Episcopo in iudicio comparente, et ab eo productis nonnullis apostolicis et aliis patentibus litteris, publicis instrumentis, iuribus et munimentis suis, dictus Cardinalis huiusmodi producta recipit, diligenter vidit et examinavit, nobisque de illis etiam in Consistorio relationem fecit plenariam et fidelem. Nos igitur tante presumptionis et dampnabilis temeritatis excessus nolentes, prout etiam nec debemus, conniventibus oculis pertransire, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus vos vel duo aut unus vestrum per vos vel alium seu alios eumdem Iohannem Episcopum, vel procuratorem suum eius nomine in corporalem possessionem Episcopatus et ecclesie Signensium predictorum, ac iurium et pertinenciarum ipsorum auctoritate nostra inducatis, et defendatis inductum, amoto ab eis et omnium administratione bonorum Episcopatus et ecclesie Signensium prefatorum supradicto Bernardo, qui in dicta Signensi ecclesia taliter se intrusit, et quolibet alio detentore, facientes eidem Iohanni Episcopo a supradictis Capitulo, ac Clero et populo Civitatis et diocesis Signensium earumdem tamquam vero et legitimo eorumdem Antistiti, ac patri et pastori animarum suarum obediri efficaciter et intendi, et ab universis Vassallis eiusdem ecclesie de consuetis servitiis et iuribus ad eum spectantibus, necnon de fructibus, redditibus, provontibus, iuribus et obventionibus universis Episcopatus et ecclesie predictorum pertinentibus ad eumdem integraliter responderi, et a dicto Bernardo intruso de huiusmodi fructibus, redditibus, proventibus, iuribus et obventionibus medio tempore perceptis ex Episcopatu et ecclesia prelibatis eidem Iohanni Episcopo satisfactionem plenariam exhiberi, contra prefatos etiam intrusum, excommunicatos et interdictos, super eo quod dictas sentencias per triennium et amplius sustinuerunt et adhuc sustinent animis induratis, divina officia celebrantes, immo quantum in eis est propbauantes procedatis iuxta canonicas sanctiones, Contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo, invocato ad premissa omnia et singula, si opus fuerit, auxilio brachii seculoris, Non obstantibus tam de duabus dietis in concilio generali, quam felicis recordacionis Bonifacii pape VIII. predecessoris nostri, qua inter cetera cavetur, ne aliquis extra suam Civitatem vel diocesim nisi in certis exceptis casibus, et in illis ultra unam dietam a fine sue diocesis ad iudicium evocetur, et quibuslibet aliis constitutionibus a predecessoribus nostris Romanis Pontificibus in contrarium editis, per quas tradite vobis potestatis executio et vestre iurisdictionis explicatio super premissis possint quomodolibet impediri, Seu si aliquibus communiter vel divisim a sede sit indultum eadem, quod excommunicari, suspendi vel interdici non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam etc. mentionem. Datum Avinione VIII. Idus Ianuarii, Pontificatus nostri Anno Tercio.

CCLXI.

Archiepiscopo Spalatensi, ut Ioannem episcopum Signensem tanquam suum suffraganeum benigne recipiat et pertractet, ipsique faciat ab omnibus eius subditis debitam reverentiam et obedientiam exhiberi, Bernardo intruso amoto. Reg. An. III. part. I. ep. 28.

BENEDICTUS EPISCOPUS etc. Venerabili fratri ... Archiepiscopo Spalatensi, salutem etc. Percepimus ad tuam noticiam pervenisse, qualiter olim fel. rec. Iohannes papa XXII. predecessor noster, dum ageret in humanis et bone memorie Georgius Episcopus Signensis ecclesie Signensis regimini presideret, ipse predecessor provisionem ipsius ecclesie, quam primum eam quovis modo et ubicumque vacaret, dispositioni sue ac sedis apostolice illa vice decreto interposito reservavit: et ea postea per obitum dicti Georgii Episcopi, qui decessit in illis partibus, vacante, prefatus predecessor, quia nullus preter ipsum de ordinatione ipsius ecclesie se dicta vice intromittere poterat, obstantibus reservatione ac decreto huiusmodi, de Venerabili fratre nostro Iohanne Episcopo Signensi, ordinis fratrum Heremitarum sancti Augustini professore, ecclesie antedicte providit, eum illi preficiendo in Episcopum et pastorem, sibique curam et administrationem in spiritualibus et temporalibus ecclesie prefate plenarie committendo, et ipsum faciendo rite in Episcopum consecrari, apostolicasque ad te Metropolitanum suum et alios iuxta morem ecclesie Romane litteras dirigendo: et qualiter post reservationem et decretum iamdicta, ipso Georgio Episcopo defuncto, Capitulum ecclesie Signensis Bernardum tunc Abbatem monasterii sancti Georgii ordinis sancti Benedicti Signensis diocesis de facto in eorum Episcopum elegerunt, qui confirmationem huiusmodi electionis et consecrationem episcopalem a te, vel auctoritate tua de facto etiam obtinuit, seque intrusit et administravit, prout etiam eum administrare percepimus, velut Signensis Epus electoribus eius et certis sibi subiectis cum aliis subditis suis, et etiam nonnullis in temporalibus inibi dominantibus eidem Iohanni Episcopo rebellibus, et ipsi faventibus intruso in salutis dispendium eorumdem, ac non sine iuris iniuria et contemptu patente sedis eiusdem, et in grande preiudicium Iohannis Episcopi antedicti: qualiterque idem Iohannes Episcopus ex predictis taliter presumptis certos precipuos et inhobedientes et rebelles nominatim auctoritate sua ordinaria rite vinculo excommunicationis astrinxit, et processit canonice ad penas et sentencias spirituales alias contra illos, et adhuc Bernardi intrusi et rebellium eorundem duricia perseveret. Nos intendentes Romane ecclesie sponse nobis date divinitus in hac parte iniuriam propulsare, volentes quoque, ut huiusmodi provisio ipsius predecessoris plenum et debitum sortiatur effectum, fraternitatem tuam requirimus, monemus et hortamur in domino, tibi nichilominus per apostolica scripta districtius iniungentes, quatenus pro dicte sedis observanda reverencia, pro iusticia lacessita et pro hac interventione nostra prefatum Iohannem Episcopum in fratrem, coepiscopum et suffraganeum tuum per operis efficacis et evidentis effectum sincere ac indilate recipias, habere ac tractare procures, et quia Metropolitanus eius existis et temporalis etiam favor tibi suppetere dicitur, ei vel vicario seu officiali, aut procuratori eius nomine suo tui favoris per te vel alium seu alios impendas suffragium oportunum, et dicto Bernardo intruso ab occupatione Signensis Episcopatus auctoritate ac favore tuis penitus amoto, idem Iohannes Episcopus vel ipse vel procurator pro eo in ipsius Episcopatus tam auctoritate apostolica, quam tua predicta in corporalem possesionem eiusdem Episcopatus inducatur et defendatur inductus, faciendo eidem tamquam vero et legitimo Episcopo Signensi ab eius subditis obedienciam et reverenciam debitam exhiberi, Contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo, Non obstanto si aliquibus communiter vel divisim a sede sit indultum eadem, quod excommunicari, suspendi vel interdici non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Datum Avinione VII. Idus Ianuarii, Pontificatus nostri Anno Tertio.

CCLXII.

Mandatur clero et populo civitatis et dioecesis Signensis, ut monitis et mandatis eiusdem Ioannis episcopi obediant, et ab obedientia Bernardi intrusi resiliant. Reg. An. III. part. I. ep. 29.

BENEDICTUS EPISCOPUS etc. Dilectis filiis Capitulo ecclesie Signensis, ac universis Abbatibus, Prioribus, Decanis, Prepositis, Archidiaconis, Archipresbiteris, Plebanis eorumque Capitulis et Conventibus quorumcumque ordinum, Rectoribus et ceteris ecclesiarum Prelatis per Signensem Civitatem et diocesim constitutis, necnon Clero et populo dictarum Civitatis et diocesis, salutem etc. Dudum bone memorie Georgio Episcopo Signensi ecclesie presidente, felicis recordationis Iohannes papa XXII. predecessor noster, dum ageret in humanis, cupiens eidem ecclesie, cum eam extunc vacare contingeret, per apo-

stolice sedis providenciam ydoneam providere personam, provisionem ipsius ecclesie, quam primum illam quovis modo et ubicumque vacaret, dispositioni sue ac dicte sedis ea vice specialiter reservavit, decernendo extunc irritum et inane, si secus super hiis per quoscumque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari. Postmodum vero dicta ecclesia per obitum dicti Georgii Episcopi, qui in partibus illis diem clausit extremum, pastoris regimine destituta, dictus predecessor huiusmodi vacatione ipsius ecclesie fidedignis intellecta relatibus attendens, quod nullus preter eum de ordinatione prefate ecclesie se illa vice intromittere poterat, reservatione ac decreto huiusmodi obsistentibus, post deliberationem, quam de proficiendo ecclesie antedicte personam utilem cum fratribus suis, de quorum numero tunc eramus, habuit diligentem, demum de Venerabili fratre nostro Iohanne Episcopo Signensi, ordinis fratrum Heremitarum sancti Augustini professore, in sacerdotio constituto, cui super religionis zelo, litterarum sciencia, honestate morum et vite aliarumque multiplicium virtutum suffragabantur testimonia fidedigna, premissis attentis, ecclesie prelibate de dictorum fratrum suorum consilio apostolica auctoritate providit, ipsumque illi prefecit in Episcopum et pastorem, curam et administrationem eiusdem sibi tam in spiritualibus quam in temporalibus plenarie committendo, eique deinde per Venerabilem fratrem nostrum Gaucelinum Episcopum Albanensem munus fecit consecrationis impendi, et super receptione ipsius Iohannis Episcopi ad vos, filii Capitulum, Clerum et populum, aliosque iuxta morem ecclesie Romane suas litteras destinavit. Sed, sicut habet querula insinuatio Iohannis Episcopi prefati facta pridem in Consistorio in nostra et fratrum nostrorum presencia, vos predicti Capitulum post et contra reservationem et decretum prefata, ipso Georgio Epo defuncto, Bernardum tunc Abbatem monasterii sancti Georgii ordinis sancti Benedicti Signensis diocesis de facto in vestrum Episcopum elegistis, ipseque Bernardus electionem huiusmodi auctoritate metropolitica confirmari, seque in Signensem Episcopum consecrari etiam de facto temere procuravit, ac electionis, confirmationis et consecrationis huiusmodi pretextu in Episcopatum Signensem de facto similiter se intrusit, ipsumque dampnabiliter occupavit et detinet occupatum. Et cum idem Iohannes Episcopus, postquam ad partes illas accessit, notorie invenorit vos in intrusione, occupatione et detentione huiusmodi Bernardo adherere ac favere iamdicto, ipsumque fovere ac defensare in illis, prefatus Iohannes Episcopus contra certos ex vobis et quosdam alios, quos super hiis precipue inhobedientes et rebelles reperit, auctoritate ordinaria certos processus fecit diversas penas et sontencias continentes, contra quos etiam per nostras certi tenoris litteras mandamus procedi super dictis eorum excessibus iuxta canonicas sanctiones. Cum autem, prout ex dicta insinuatione percepimus, adhuc vobis faventibus et defendentibus, idem Bernardus intrusus incumbat occupationi et detentioni huiusmodi sicut prius, vosque in rebellione huiusmodi etiam perduretis in dicte sedis contemptum et ipsius Iohannis Episcopi preiudicium manifestum: Nos interim experiri volentes, an in vobis reverencie, caritatis et obediencie ad sanctam Romanam ecclesiam, caput quidem cunctorum fidelium, dominam et magistram, dictumque Iohannem Episcopum patrem et pastorem animarum vestrarum scintilla romauserit, que in flammam vestre penitudinis et reconciliationis erumpat, Universitatem vestram attente requirimus, monemus et attentius exhortamur in domino Ihesu Christo, vobis nichilominus per apostolica scripta districtius iniungentes, quatenus ab obediencia prefati Bernardi intrusi realiter indilate ac penitus resilire curetis, quinimo ipsum Bernardum intrusum de occupatione ac detentione predictis, omnique administratione spiritualium et temporalium supradicte Signensis ecclesie omnino et absque mora propellere studeatis, ac eidem Iohanni Episcopo tamquam vero et legitimo pastori vestro plene ac humiliter intendentes, obedienciam et reverenciam debitas, sinceras et efficaces exhibeatis eidem, eiusque salubria monita et mandata suscipiendo devote ac effectualiter adimplendo, ne per nostrum et dicte sedis ministerium contra vos virga erigatur canonice ultionis et depressa in grave periculi vestri dispendium, auctore domino, convertetur. Sic itaque requisitioni, monitioni, exhortationi et iniunctioni huiusmodi reverenter, humiliter et devote acquiescatis per evidenciam operum laudandorum, quod vobis exinde a retributore honorum omnium rependatur, eiusdemque sedis benedictionis et favoris plenitudinem pro vobis decetero redimatis, nostramque benivolenciam adipisci et velut humiles et devoti filii do virtute prompte obedientie dignis in domino commendari laudibus valeatis. Datum Avinione VII. (Idibus) Ianuarii, P. n. Anno Tercio.

CCLXIII.

Iudicibus, ut Lampredium episcopum Tragurienseu ad sedem apostolicam citent. Reg. An. IV. par. 1. ep. 331.

Benedictus episcopus etc. Venerabili fratri ... Episcopo Scardonensi, et dilectis filiis ... Archidiacono Spalatensis ac Stephano Michaelis Canonico Tragurieusis ecclesiarum, salutem etc. Moleste

ferimus nostrorum insolencias subiectorum, sed intimius provocamur, cum ab ecclesiarum prelatis, presertim pontificalis dignitatis titulo insignitis, gravia et enormia perpetrantur, quia cum esse debeant maxime ipsorum subditis speculum atque forma, in se ipsis debent ostendere, qualiter alios in domo domini oporteat conversari. Sane dudum pro parte dilect. fil. Iohannis Petri Canonici et Gausii Scoyse civis Traguriensium, procuratorum et syndicorum dilecti filii nobilis viri Iohannis Mauroceni Comitis, ac Iudicum, Consiliariorum et Universitatis Civitatis Traguriensis tam eorum proprio, quam procuratorio et syndicario nominibus Comitis, Iudicum, Consiliariorum et Universitatis prefatorum in nostra et fratrum nostrorum presencia in consistorio publico proposito, quod Venerabilis frater noster Lampredius Epus Traguriensis, si ei vocationis denominatio debeatur, ad ecclesiam Traguriensem ingressum canonicum nequaquam habuerat et incontinencie vicio laborabat, eratque alienarum nuptiarum publicus violator, et cum vilibus et suspectis mulieribus vitam ducebat enormiter dissolutam, et quod existebat bonorum dilapidator ecclesie antedicte, ac publicus homicida et Bosnensium hereticorum fautor, symonie, periurii et nonnullis aliis gravibus et enormibus criminibus irretitus, et quam plurimis excommunicationum sentenciis innodatus tam ab homine quarum iure: quodque sic ligatus et suspensus ab executione pontificalium et divinis officiis, sibi ingressu ecclesie interdicto, in contemptum clavium multotiens scienter et in pontificalibus huiusmodi officia celebrare, immo verius presumpserat prophanare, quantum in eo fuit, et quod erat super premissis tam in Civitate et diocesi Traguriensi, quam in provincia Spalatensi circumstante apud bonos et graves publice diffamatus: quodque Venerabilis frater noster... Archiepiscopus Spalatensis loci metropolitani, dum olim suis Civitate et diocesi primitus visitatis ad Civitatem et diocesim Tragurienses, ut in illis impenderet, prout impendit, auctoritate metropolitica visitationis officium, pervenisset et invenisset dictum Episcopum super predictis et singulis apud suum Capitulum, necnon clerum et populum dictarum Civitatis et diocesis Traguriensium multipliciter diffamatum, super eisdem auctoritate predicta contra ipsum Episcopum coram se ad Civitatem Spalatensem legitime ac peremptorie citatum, et coram eo comparere contumaciter non curantem ad inquisitionem descenderat, multosque testes super ipsis in contumaciam huiusmodi receperat et examinaverat etiam diligenter, et demum eundem Episcopum ad concilium suum provinciale vocari fecerat, quod duxerat convocandum, visurum publicationem ipsius inquisitionis processus, quem publicare in ipso concilio intendebat: et cum dictus Episcopus comparere in dicto concilio contumaciter contempsisset, predictus Archiepiscopus eum ob huiusmodi contemptum vinculo excommunicationis astrinxerat, et eundem processum publicare curaverat, et dictum Episcopum deinde fuerat excommunicatum publice nuntiari. Sed idem Episcopus presumens contra eundem Archiepiscopum vicem ulcionis assumere, in eum et in omnes prelatos, qui cum ipso in concilio predicto convenerunt, de facto excommunicationis sentenciam fulminarat, ipsosque denuntiarat in sua maiori Traguriensi, et fecerat in aliis ecclesiis ipsius Civitatis Traguriensis diversis vicibus, pulsatis campanis et candelis in aceto (sic) extinctis, excommuniocatos publice nuntiari. Et quod dum prefatus Archiepiscopus premissa omnia Venerabili fratri nostro Bertrando Episcopo Ostiensi, tunc in illis partibus apostolice sedis Legato, intimare sibique dictum processum transmittere curavisset, ut super hoc ipse Legatus provideret, prout conspiceret expedire: dictus Legatus Archiepiscopum et Traguriensem Episcopum prelibatos fecerat ad suam presenciam evocari, et examinato eodem processu, dictum Archiepiscopum ad suam remiserat ecclesiam: prefato autem Episcopo Traguriensi volenti certum profixerat terminum perhemptorium competentem, infra quem fel. record. Iohannis pape XXII. predecessoris nostri, tunc viventis, conspectui se personaliter presentaret, eius mandatis humiliter pariturus. At idem Episcopus Traguriensis ad sedem apostolicam non accesserat, immo ad Civitatem et diocesim Tragurienses redierat, et peiora prioribus committere non expaverat. Ac supplicato nobis pro parte ipsorum procuratorum et syndicorum nominibus supradictis, se coram nobis ad talionis et omnem aliam penam nomine proprio eorum predicto inscribentium, si deficerent in probatione propositorum huiusmodi, ut dignaremur super hiis de oportuno remedio providere, ad effectum citationis personalis et correctionem canonicam Traguriensis Episcopi momorati: Nos dilecto filio nostro Talayrando tituli sancti Petri ad Vincula presbitero Cardinali commisimus oraculo vive vocis, ut huiusmodi eorumdem propositorum negocium audiret, et super illis omnibus et singulis informationem reciperet, et quod exinde inveniret, nobis, ut moris est, referre curaret. Coram quo siquidem Cardinali comparentibus in iudicio dictis procuratoribus et syndicis nominibus prelibstis, et coram eo nonnullis actis, iuribus et munimontis et quam plurimis testibus ad probandum, ipsum Episcopum Traguriensem fore super prenarratis propositis et criminibus publice diffamatum, ab eis productis, missoque sibi per dictum

Episcopum Ostiensom sepedicto processu, ac testibus coram eo, ut prefertur, productis et processu prefatis diligenter examinatis, dictoque Traguriensi Epo coram se ad singulos actus debitos in audiencia publica legitime citato, et comparere per se vel aliquem responsalem non curante, idem Cardinalis de supradictis omnibus et singulis nobis in consistorio relationem fecit plenariam et fidelem, per quam nobis innotuit contra prefatum Episcopum Traguriensem veritatem certorum de supradictis criminibus coram dicto Archiepiscopo fuisse probatam, ac ipsum Epum Traguriensem fore super eis aliisque criminibus et propositis eisdem apud bonos et graves publice diffamatum. Cum igitur non debeamus talia sub dissimulationis pallio preterire, sitque dignum, ut culpa suos corrigat actores, discretioni vestre per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus vos vel duo aut unus vestrum per vos vel alium seu alios eundem Traguriensem Epum ex parte nostra peremptorie ac indilate citare curetis, ut infra trium mensium spatium post citationem huiusmodi cum omnibus actis, iuribus et munimentis suis conspectui apostolico personaliter se presentet, facturus quod iusticia suadebit, ac nostris et apostolicis beneplacitis et mandatis efficaciter pariturus. Diem vero huius citationis et formam, et quicquid super predictis duxoritis faciendum, nobis per vestras litteras vel publicum instrumentum harum seriem continentia studeatis quantocius intimare. Datum Aviniono XVII. Kalendas Maii, Pontificatus nostri Anno Quarto.

CCLXIV.

Ioannes Zaulini canonicus Aquilciensis Antibarensi ecclesiae praeficitur in archiepiscopum. Reg. An. VII. ep. 514.

BENEDICTUS EPISCOPUS etc. Dilecto filio Iohanni Zaulini Electo Antibarensi, salutem etc. Regimini universalis ecclesie etc. Dudum siquidem ecclesia Antibarensi per obitum bone memorie Guillelmi Archiepiscopi Antibarensis, qui extra Romanam Curiam debitum nature persolvit, pastoris solatio destituta, dilecti filii Petrus Archidiaconus maioris et eiusdem ac ceterarum ecclesiarum Collegiatarum Antibarensium Capitula, que quidem Capitula earumdem ecclesiarum Collegiatarum una cum dictis Archidiacono et Capitulo ipsius ecclesie maioris electioni Archiepiscopi Antibarensis, cum pro tempore imminet, facionda se debere asserunt de antiqua et approbata, et hactenus pacifice observata consuetudine interesse, et voces in electione ipsa habere, vocatis omnibus qui debuerunt, voluerunt et potuerunt commode interesse, die ad eligendum prefixa, ut moris est, convenientes in unum et quoad hoc unum Capitulum facientes, ac deliberantes in huiusmodi electionis negotio per formam procedere compromissi, tribus de dicto Capitulo maioris fidedignis, videlicet dicto Petro Archidiacono, Dominico Basilii ipsius maioris et Sergio Marthe sancti Petri Antibarensium ecclesiarum Canonicis, ut sua seorsum primo, et demum singulorum de dictis maioris et Collegiatarum ecclesiarum Capitulis secreto et sigillatim vota diligencius scrutarentur, et illa in scriptis redacta publicarent illico in communi, et facta collatione numeri ad numerum, zoli ad zelum, meriti ad meritum, dictus Petrus Archidiaconus suo et collegarum suorum, ac omnium maioris et Collegiatarum ecclesiarum predictarum Capitulorum nomine illum in Archiepiscopum Antibarensem eligeret, in quom omnes vel maior et sanior pars de dictis Capitulis maioris et Collegiatarum ecclesiarum predictarum dirigerent vota sua, potestatem unanimiter contulerunt, promittentes illum in eorum et Antibarensem Archiepiscopum recipere et tenere, quem idem Archidiaconus iuxta formam huiusmodi duceret eligendum: dictique compromissarii huiusmodi potestate recepta secedentes in partem, suis primo seorsum, et deinde singulorum de dictis Capitulis maioris et Collegiatarum ecclesiarum predictarum votis diligencius perscrutatis, et eis in scriptis redactis, mox in communi vota huiusmodi publicarunt, et collatione zeli et meriti super hiis habita inter eos, compertum extitit in te Canonicum Aquilegensem, in diaconatus ordine et etate legitima constitutum, omnes et singulos de dictis Capitulis maioris et Collegiatarum ecclesiarum predictarum vota sua concorditer direxisse. Ac subsequenter prefatus Archidiaconus vice sua et collegarum suorum, ac de ipsorum et predictarum maioris et Collegiatarum ecclesiarum predictarum Capitulorum mandato et nomine te in Archiepiscopum Antibarensem elegit, et electionem eandem a dictis Capitulis maioris et Collegiatarum ecclesiarum predictarum concorditer acceptam clero et populo solenniter publicavit, tuque post consensum electioni predicte ad instanciam dictorum Capitulorum maioris et Collegiatarum ecclesiarum predictarum a te legitime prestitum ad sedem apostolicam personaliter accessisti, et tam tu per te ipsum quam dicta Capitula maioris et Collegiatarum ecclesiarum predictarum per eorum certos procuratores et nuncios ydoneos, ab eis ad sedom eandem propterea destinatos, confirmari per nos electionem prefatam, ipsius nobis presentato decreto, humiliter postulastis, in hiis omnibus statutis a iure temporibus

observatis. Nos igitur electionem prefatam tueque persone merita per Venerabilem fratrem Petrum Episcopum Penestrinum, et dilectos filios nostros Imbertum basilice XII. Apostolorum presbiterum et Raymundum sancte Marie nove diaconum Cardinales examinari fecimus diligenter, et facta nobis ab eisdem Episcopo et Cardinalibus super hiis relatione plenaria et fideli, quia electionem eandem invenimus de te persona ydonea, cui de litterarum sciencia, honestate morum et vite aliisque virtutum meritis fidedigna testimonia suffragantur, canonice celebratam, eam de fratrum nostrorum consilio auctoritate apostolica confirmamus, teque ipsi Antibarensi ecclesie prefecimus in Archiepiscopum et pastorem, curam et administrationem illius tibi tam in spiritualibus quam in temporalibus plenarie committendo, firma spe fiduciaque conceptis, quod prefata Antibarensis ecclesia per tue diligencie studium tuamque industriam circumspectam, gratia tibi suffragante divina, honoris et commodi suscipiat incrementa. Iugum igitur domini tuis impositum humeris devote suscipiens et suavi eius honeri colla submittens, ipsius Antibarensis ecclesie solicitam curam geras, gregem dominicum in illa tibi commissum doctrina verbi et operis informando, ita quod dicta Antibarensis ecclesia gubernatori circumspecto et administratori fructuoso gaudeat se commissam, tuque preter eterne retributionis premium nostre benedictionis gratiam uberius consequi mereatis. Datum Avinione XVI. Kal. Ianuarii, Pontificatus nostri Anno Septimo.

In e. m. Dilectis filiis ... Capitulo ecclesie Antibarensis, Clero Civitatis et diocesis Antibarensis et Venerabilibus fratribus universis Suffraganeis ecclesie Antibarensis.

CCLXV.

Ioanni archiepiscopo Antibarensi datur licentia se ad suam ecclesiam transferendi. Reg. An. VIII. ep. 40.

BENEDICTUS EPISCOPUS etc. Venerabili fratri Iohanni Archiepiscopi Antibarensi, salutem etc. Pridem ecclesia Antibarensi proprio destituta pastore, dilecti filii ... Archidiaconus eiusdem ac ceterarum Collegiatarum ecclesiarum Antibarensium Capitula te in Antibarensem elegerunt Archiepiscopum et pastorem: nosque deinde electionem huiusmodi de fratrum nostrorum consilio auctoritate apostolica confirmantes, te ipsi Antibarensi ecclesie prefecimus in Archiepiscopum et pastorem, curam et administrationem illius tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie commictendo, prout in nostris litteris inde confectis plenius continetur. Ac deinde per Venerabilem fratrem nostrum Petrum Epum Sabinensem tibi fecimus munus consecrationis impendi, ac subsequenter pallium, insigne plenitudinis videlicet pontificalis officii, pro parte tua a nobis cum ea qua decuit instancia postulatum, de corpore beati Petri sumptum per dilectos filios nostros Raymundum sancte Marie nove, Galhardum sancte Lucie in Silice ac Iohannem sancti Angeli diaconos Cardinales tibi fecimus assignari, ut illo infra ecclesiam illis dumtaxat diebus utaris, qui expressi in ipsius Antibarensis ecclesie privilegiis continentur, recepto per eos a te postmodum nostro et ecclesie Romane nomine fidelitatis solite iuramento. Ut igitur signum non discrepet a signato, sed quod geris exterius, intus serves in mente, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenus apostolice sedis beneplacitis te conformans ad predictam Antibarensem ecclesiam cum nostre benedictionis gratia te personaliter conferens, humilitatem et iusticiam observare studeas, que suum servant et promovent servatorem, sic te in predicte administratione ecclesie diligenter ac solicite habiturum, quod ecclesia ipsa utili administratori et provido non immerito gaudeat se commissam, et favore laudabilis tue odor ex tuis laudabilibus actibus latius diffundatur, et preter retributionis eterne premium nostre benivolencie gratiam et favorem exinde uberius consequaris. Datum Avinione v. Idus Ianuarii, Pontificatus nostri Anno Octavo.

CCLXVI.

Helias de Saracha canonicus Ragusinus ecclesiae Ragusinae praeficitur in archiepiscopum. Reg. An. VIII. ep. 17.

BENEDICTUS EPISCOPUS etc. Dilecto filio Helie de Saracha Electo Ragusino, salutem etc. Pastoralis officii etc. Olim siquidem ecclesia Ragusina per obitum bone memorie Thome Archiepiscopi Ragusini, qui extra Romanam Curiam debitum nature persolvit, pastoris solacio destituta, dilecti filii Capitulum ipsius ecclesie Ragusine, vocatis omnibus qui debuerunt et potuerunt commode interesse, die ad eligendum prefixa, ut moris est, convenientes in unum, Venerabilem fratrem nostrum Graciam Episcopum Dulcinensem in Ragusinum Archiepiscopum concorditer postularunt, idemque Episcopus postulationi huiusmodi de se facte consentiens ad apostolicam sedem accessit, in hiis omnibus statutis a iure temporibus observatis. Negocio igitur postulacionis huiusmodi proposito in consistorio coram nobis, nos postulacionem ipsam ex certis causis rationabilibus duximus repellendam, ac deinde atten-

dentes, quod nullus preter nos de provisione ipsius ecclesie Ragusine se hac vice intromittere potest, pro eo quod nos diu ante vacationem huiusmodi provisiones omnium ecclesiarum Cathedralium tunc vacantium et in antea vacaturarum, cum postulationes de quibuscumque personis tunc factas ad illas et imposterum faciendas per nos repelli contingeret, dispositioni nostre duximus reservandas, decernentes ex tunc irritum et inane, si secus super hiis per quoscumque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari, ac de provisione ipsius ecclesie Ragusine, ne prolixioris vacationis exponeretur incommodis, solicite cogitantes, cupientes quoque eidem ecclesie utilem et ydoneam presidere personam, post deliberationem, quam super hiis cum nostris fratribus habuimus diligentem, ad te Canonicum Ragusinum, in diaconatus ordine constitutum, quem, prout ex testimoniis fidedignis accepimus, morum et vite insignit honestas, litterarum sciencia, prudencia spiritualium et temporalium providencia, multaque alia virtutum dona commendant, convertimus oculos nostre mentis: quibus omnibus debita meditatione pensatis, de persona tua, nobis et eisdem fratribus ob huiusmodi tuorum exigenciam meritorum accepta, eidem Ragusine ecclesie de dictorum fratrum consilio autoritate apostolica providemus, teque illi preficimus in Archiepiscopum ot pastorem, curam et administrationem ipsius tibi tam in spiritualibus quam in temporalibus plenarie committendo, firma spe fiduciaque conceptis ex laudabilibus tuorum fructibus meritorum, quod dextera tibi assistente divina prefata Ragusina ecclesia sub tua gubernacione utili et felici augmenta suscipiet commodi et honoris. Iugum itaque domini tuis impositum humeris prompta devocione suscipiens, ipsius Ragusine ecclesie commissum tibi regimen sic exercere studeas solicite, fideliter et prudenter, quod dicta Ragusina ecclesia sponso utili et gubernatori provido gaudeat se commissam, tuque preter retributionis eterne premium nostre benedictionis augmentum et eiusdem sedis gratiam exinde uberius consequi merearis. Datum Avinione XII. Kal. Marcii, Pontificatus nostri Anno Octavo.

In e. m. Dilectis filiis Capitulo ecclesie Ragusine, Clero et populo Civitatis et diocesis Ragusine, et Venerabilibus fratribus universis Suffraganeis ecclesie Ragusine.

CCLXVII.

Eidem Helie archiepiscopo Ragusino datur licentia ad suam ecclesiam accedendi. Reg. An. VIII. ep. 60.

BENEDICTUS EPISCOPUS etc. Venerabili fratri Helie Archiepiscopo Ragusino, salutem etc. Pridem Ragusina ecclesia solatio destituta pastoris, Nos ad personam tuam claris virtutum titulis insignitam mentis aciem dirigentes, te de fratrum nostrorum consilio eidem ecclesie in Archiepiscopum prefecimus et pastorem, curam et administrationem ipsius tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, pront in nostris inde confectis litteris plenius continetur. Cum autem, postmodum per Venerabilem fratrem nostrum Petrum Episcopum Penestrinum tibi fecerimus munus consecrationis impendi, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenus apostolice sedis beneplacitis te conformans, ad dictam ecclesiam Ragusinam cum nostre benedictionis gratia te personaliter conferens etc. usque consequaris. Datum Avinione XV. Kal. Aprilis, Pontificatus nostri Anno Octavo.

EPISTOLAE CLEMENTIS PP. VI.

CCLXVIII.

Desse Andreae archidiacono Spalatensi committitur administratio in spiritualibus et temporalibus ecclesiae Traguriensis, suspenso prius ab eadem administratione Lampredio episcopo Traguriensi per Talayrandum cardinalem propter contumaciam aliasque transgressiones. Reg. An. I. Com. Tom. 9. ep. 134.

CLEMENS EPISCOPUS etc. Dilecto filio Dese Andree Archidiacono Spalatensi, Administratori in spiritualibus et temporalibus ecclesie Traguriensis, salutem etc. Inter solicitudinis nostre curas, quibus ex apostolice servitutis officio omnium ecclesiarum tenemur invigilare profectibus, illa precipue cordi

nostro noscitur inherere, ut ecclesias ipsas non solum preservemus a noxiis, sed etiam per nostre diligencie studium illas salubriter, auctore domino, dirigamus. Sane dudum pro parte dilectorum filiorum Iohannis Petri Canonici, et Gausii Scoyse civis Traguriensium, procuratorum et sindicorum dilectorum filiorum nobilis viri Iohannis (Mauroceni) tunc Comitis, ac Iudicum, Consiliariorum et Universitatis Civitatis Traguriensis, eorum proprio et sindicario nominibus Iudicum, Consiliariorum et Universitatis prefatorum coram felicis recordacionis Benedicto papa XII. predecessore nostro in consistorio publico proposito, quod Lampredius Episcopus Traguriensis ad ecclesiam Traguriensem ingressum canonicum nequaquam habuerat, et incontinencie vicio laborabat, eratque alienarum nuptiarum publicus violator, et cum vilibus et suspectis mulieribus vitam ducebat enormiter dissolutam, et quod existebat bonorum dilapidator ecclesie antedicte, et publicus homicida et Bosnensium hereticorum fautor, symonie, periurii, et nonnullis aliis gravibus et enormibus criminibus irretitus, et quampluribus excommunicationum sentenciis innodatus tam ab homine quam a iure, quodque sic ligatus et suspensus ab executione pontificalium et divinis officiis, sibi etiam ingressu ecclesie interdicto, in contemptum clavium multocies scienter et in pontificalibus huiusmodi officia celebrare, immo verius prophanare, quantum in eo fuit, presumpserat, et quod erat super premissis tam in Civitate et diocesi Traguriensi, quam in provincia Spalatensi circumstante apud bonos et graves publice diffamatus: quodque Venerabilis frater noster Archiepiscopus Spalatensis, loci metropolitanus, dum olim, suis Civitate et diocesi primitus visitatis, ad Civitatem et diocesim Tragurienses, ut in illis impenderet, prout impendit, auctoritate metropolitica visitationis officium, pervenisset et invenisset dictum Episcopum super predictis et singulis apud Capitulum, necnon Clerum et populum dictarum Civitatis et diocesis Traguriensium multipliciter diffamatum, super hiis de auctoritate predicta coutra ipsum Episcopum coram se ad Civitatem Spalatensem legitime et peremtorie citatum, coram eo comparere contumaciter non curantem, ad inquisitionem descenderat, multosque testes super hiis in contumaciam huiusmodi receperat et examinaverat etiam diligenter, et demum eumdem Episcopum ad concilium suum provinciale vocari fecerat, quod duxerat convocandum, visurum publicationem ipsius inquisitionis processum, quam publicare in ipso concilio intendebat: et cum dictus Episcopus comparere in dicto concilio contumaciter contempsisset, predictus Archiepiscopus eum ob huiusmodi contemptum vinculo excommunicacionis abstrinxerat, et eumdem processum publicare curaverat, et dictum Episcopum deinde fecerat excommunicatum publice nunciari. Sed idem Epus presumens contra eumdem Archiepiscopum vicem ulcionis assumere, in eum et in omnes prelatos, qui cum ipso in concilio predicto convenerant, de facto excommunicacionis sentenciam fulminarat, ipsosque denunciarat in sua maiori Traguriensi, et fecerat in aliis ecclesiis ipsius Civitatis et diocesis Traguriensis diversis vicibus, pulsatis campanis et candelis in aceto extinctis, excommunicatos publice nunciari. Et quod dum prefatus Archiepiscopus premissa omnia Venerabili fratri nostro Bertrando Episcopo Ostiensi, tunc in illis partibus apostolice sedis Legato, intimare sibique dictum processum transmittere curavisset, ut super hoc ipse legatus provideret, prout conspiceret expedire: dictus Legatus Archiepum et Traguriensem Episcopum prelibatos fecerat ad suam presenciam evocari, et examinato eodem processu, dictum Archiepiscopum ad suam remiserat ecclesiam: prefato autem Episcopo Traguriensi volenti certum prefixerat terminum peremptorium competentem, infra quem felicis recordacionis Iohannis pape XXII. predecessoris nostri, tunc viventis, conspectui se personaliter presentaret, eius mandatis humiliter pariturus. Ac idem Episcopus Traguriensis ad sedem apostolicam non accesserat, immo ad Civitatem et diocesim Tragurienses redierat, et peiora prioribus committere non expaverat. Ac suplicato dicto Benedicto predecessori pro parte ipsorum procuratorum et sindicorum nominibus supradictis, se coram eodem predecessore ad talionis et omnem aliam penam nomine eorum predicto inscribentium, si deficerent in probatione propositorum huiusmodi, ut dignarctur super hiis de oportuno remedio providere, ad effectum citationis personalis et correctionem canonicam Traguriensis Episcopi memorati: dictus Benedictus predecessor dilecto filio Talayrando tit. sancti Petri ad Vincula presbitero Carninali commisit oraculo vive vocis, ut huiusmodi eorumdem propositorum negocium audiret, et super illis omnibus et singulis informationem reciperet, et quod exinde inveniret, sibi, ut moris est, referre curaret. Coram quo siquidem Cardinali comparentibus in iudicio dictis procuratoribus et sindicis nominibus prelibatis; et coram eo nonnullis actis, iuribus et munimentis et quamplurimis testibus ad probandum, ipsum Episcopum Traguriensem fore super premissis propositis et criminibus publice diffamatum, ab eis productis, missoque sibi per dictum Episcopum Ostiensem sepedicto processu, ac testibus coram eo, ut predicitur, productis et prefato processu diligenter examinatis, dictoque Traguriensi Episcopo coram se ad

singulos actus debitos in audiencia publica legitime citato, et comparere per se vel aliquem responsalem contumaciter non curante, idem Cardinalis de supradictis omnibus et singulis eidem predecessori in consistorio fecit relationem plenariam et fidelem, per quam sibi innotuit, contra prefatum Episcopum Traguriensem veritatem certorum de supradictis omnibus coram predicto Archiepiscopo fuisse probatam, ac ipsum Episcopum Traguriensem aliis criminibus et propositis eisdem apud bonos et graves publice diffamatum: dictus Benedictus predecessor nolens talia sub dissimulatione transire, Stephano Michaelis Canonico Traguriensi, et duobus aliis eius in hac parte collegis suis sub ea forma dedit litteris in mandatis, ut ipsi vel duo aut unus eorum per se vel alium seu alios eumdem Episcopum Traguriensem ex parte sua peremptorie citare curarent, ut infra trium mensium spacium post citationem eorum huiusmodi apostolico se conspectui personaliter presentaret, facturus et recepturus super hiis, quod iusticia suaderet, et alias apostolicis mandatis ct beneplacitis pariturus. Dictusque Stephanus eumdem Episcopum Traguriensem auctoritate litterarum ipsarum ad eumdem terminum citavit iuxta continenciam earumdem, qui comparere apud sedem ipsam infra ipsum terminum ot post personaliter non curavit. Postmodum vero pro parte Iohannis Petri et Gausi predictorum tam sub suo quam procuratorio nomine Comitis, Consiliariorum et Universitatis earumdem proposito in consistorio coram Bcnedicto predecessore prefato, quod idem Episcopus Traguriensis sic citatus, cessante quolibet impedimento legitimo, apud sedem ipsam in dicto termino et post comparere contempserat, et quod alias de dilapidatione bonorum Traguriensis ecclesie supradicte suspectus merito habeatur, et propter suspicionem dilapidationis huiusmodi ab administratione spiritualium et temporalium eiusdem ecclesie Traguriensis erat rationabiliter suspendendus, ac pro parte dicti Episcopi Traguriensis replicato in eodem consistorio, quod ipse impedimentis legitimis impeditus apud sedem eamdem nequiverat personaliter comparere: idem Benedictus predecessor causam et negocium huiusmodi eidem Talayrando vive vocis oraculo in eodem ultimo consistorio oum potestate suspendendi dictum Episcopum Traguriensem ab administratione predicta causa durante prefata commisit, et sibi postmodum referendum, sibique mandavit, ut procuratores dicti Epi Traguriensis ac dicta proposita necnon poncnda per eos pro parte ipsius Episcopi in hac causa admitteret, prout iusticia suaderet. Coram quo comparentibus in iudicio Iohanne et Gausio supradictis, et magistro Iacobo de Piscario, qui se excusatorem et simplicem responsalem dicti Episcopi Traguriensis constitutum fore dicebat, et per ipsos Iohannem et Gausium quibusdam instrumentis publicis ad probandum suspicionem et infamiam dilapidationis huiusmodi coram eodem Talayrando exhibitis, dicto Iacobo aliquid producere non curante, et tam per eos super infamia et suspicione dilapidationis predicte, quam per Iacobum prefatos snper impedimentis et excusatione dicti Episcopi formatis et traditis nonnullis articulis per quamlibet partium predictarum, et ad probandum suos articulos productis quibusdam testibus, eisque rite receptis et diligenter examinatis, ac ipsorum attestationibus publicatis, et contra producta prefata et attestationes testium dictorum Iohanuis Petri et Gausii per dictum Iacobum datis quibusdam exceptionibus in terminis, ad singulos actus huiusmodi per eumdem Cardinalem ipsis partibus successive et peremptorie assignatis, citatis nichilominus dicto Lampredio Episcopo in audiencia publica de mandato ipsius Cardinalis ad actus et terminos prelibatos et minime comparente, tandem pro parte dicti Episcopi ex quodam confecto gravamine, sibi ab eodem Cardinali, ut falso dicebat, illato, fuit ad sedem apostolicam appellatum. Idem predecessor in causa appellationis huiusmodi dilectum filium nostrum Bertrandum tit. sancti Marci presbiterum Cardinalem prefato Talayrando adiunxit, et cum idem Talayrandus requisitus pro parte dicti Bertrandi, si vellet coguitioni cause huiusmodi appellationis interesse, respondisset, quod sibi placebat, quod ipse solus de appellationis causa cognosceret memorata: idem Bertrandus legitime in huiusmodi appellationis causa procedens, prefatis Iohanni Petri et Gausio ac Iacobo presentibus in iudicio coram eo, visis et diligenter inspectis omnibus et singulis actis coram dicto Talayrando habitis, et coram ipso Bertrando per quamlibet dictarum partium, quatenus pro se et contra reliquam facielant, productis, et intra se et cum peritis super illis deliberatione prehabita diligenti interloquendo pronunciavit, pro parte dicti Episcopi Traguriensis ab eodem Talayrando male et perperam appellatum, et per ipsum Talayrandum legitime processum fuisse et esse, causam et partes ad ipsius Talayrandi remittendo examen. Postmodum voro prefatus Talayrandus Cardinalis, cum idem Iacobus causas excusationis et impedimentorum dicti Lampredii, Episcopi non probavisset in termino ad hoc sibi dato, prefatum Lampredium ad instanciam dicti Iohannis Petri procuratoris Gausii, Comitis, Consiliariorum et Universitatis predictorum, suo et procuratorio nomine eorumdem coram eo in iudicio comparentis, ad dicendum quicquid dicere vellet, quare propter contumaciam commissam per eum

in non comparendo coram dicto Talayrando iuxta citationem de ipso de mandato ipsius Talayrandi factam excommunicari non deberet, citari fecit in eadem audiencia ad certum peremptorium terminum competentem, in quo prefato Iohanne coram eodum Talayrando in iudicio comparente, ac ipsius Lampredii non comparentis contumaciam accusante, ac instanter petente, in eum excommunicationis sententiam promulgari: prefatus Talayrandus Cardinalis, reputans ipsum Lampredium quoad hoc exigente iusticia contumacem, in ipsum Lampredium propter predictam contumaciam in non comparendo coram ipso iuxta citationem de ipso Lamprodic de mandato ipsius Talayrandi factam, excommunicationis sententiam, exigente iusticia, promulgavit. Ac subsequenter, cum idem Lampredius huiusmodi excommunicationis sententiam diucius pertinaciter tolerasset ot toleraret animo indurato, et pro exhibita et probata coram eo per ipsos Iohannem Petri et Gausium appareret de dicta dilapidatione suspectus, idem Talayrandus Cardinalis ad instanciam Iohannis Petri predicti, coram eo quo supra nomine in iudicio constituti, prefatum Lampredium ad proponendum, dicendum et allegandum quicquid dicere et allegare vellet, quare a dicta administratione suspondi non deberet, citari fecit ad certum competentem terminum peremptorium in audiencia prelibata, in quo dicto Iohanne Petri coram eodem Talayrando in iudicio comparente, ac ipsius Lampredii non comparentis contumaciam accusante, petenteque instanter, ipsum ab eadem administratione suspendi: prefatus Talayrandus Cardinalis, reputans eundem Lampredium quoad hoc merito contumacem, in eius contumaciam ipsum, pendente causa huiusmodi inter eum et alios supradictos, quousque causa ipsa terminata foret, ab administratione spiritualium et temporalium ecclesie et Episcopatus Traguriensium, iusticia suadente, suspendit. Volentes igitur, ut prefata Traguriensis ecclesia, ne propter hoc spiritualiter aut temporaliter subire valeat detrimenta, gubernatoris utilis presidio fulciatur, ac de tue probitatis et circumspectionis industria plenam in domino fiduciam obtinentes, curam, administrationem et regimen eorumdem ecclesie et Episcopatus Traguriensium plene in spiritualibus et temporalibus, durante suspensione predicta, tibi auctoritate apostolica committimus per presentes, alienatione bonorum immobilium et mobilium dicte ecclesie ot mense Episcopalis Traguriensium, hiis exceptis, que servando servari non possunt, tibi penitus interdicta, volentes, ut fructus, redditus et proventus ad mensam predictam spectantes, debitis dicte mense supportatis oneribus, colligas, recipias et conserves, et quod de illis ac aliis gestis et administratis per te nobis aut sedi predicte, aut illi, qui ad hoc per nos seu sedem eamdem deputatus fuerit, fidelem et plenariam rationem reddere tenearis. Quocirca discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatinus curam, regimen et administrationem predicta sic gerere studeas fideliter, solicite ac prudenter, quod prefata Traguriensis ecclesia per actus tuorum laudabilium operum votivis continuo amplietur commodis, et spiritualibus ot temporalibus, auctore domino, proficiat incrementis, nosque tue diligencie studium in hac parte commendare per effectum operis valeamus. Datum Avinione II. Kal. Iulii, Pontificatus nostri Anno Primo.

CCLXIX.

Episcopo Paduano mandatur, ut Valentinum episcopum Mucarensem, qui per archiepiscopum Spalatensem castro Almisiensi et aliis locis fuerit spoliatus, ad eadem restituat auctoritate apostolica. Reg. An. I. Com. Tom. 9. ep. 23.

Clemens episcopus etc. Venerabili fratri ... Episcopo Paduano, salutem etc. Gravem Venerabilis fratris nostri Episcopi Mucarensis querelam accepimus continentem, quod licet dudum ecclesia Mucarensis existeret ab ecclesie persecutoribus occupata, bone memorie Petrus Archiepiscopus Spalatensis eiusdem Mucarensis ecclesie Motropolitanus, habens, ut dicebat, a sede apostolica (potestatem) eligendi seu creandi et confirmandi Episcopos in Civitatibus seu locis desolatis sue provincie Episcopos habere consuetis, eundem Valentinum in Episcopum Mucarensem elegisset et confirmasset cum consensu sui Capituli Spalatensis, presente, intelligente et non contradicente Venerabili fratre nostro Dominico Archiepiscopo Spalatensi, tunc Archidiacono ecclesie Spalatensis, et ad petitionem Universitatis Castri Almisiensis Mucarensis diocesis ordinans, quod dictus Valentinus Episcopus in eodem Castro Almisiensi manere deberet, quousque dicta Mucarensis ecclesia esset ipsi Episcopo restituta, ac mandans predictis Universitati et aliis de Mucarensi diocesi, ut ipsi Valentino tanquam eorum vero Episcopo obcdirent, et de fructibus, redditibus et proventibus ad dictum Mucarensem Episcopum pertinentibus responderent; idemque Valentinus Episcopus eiusdem Petri, necnon bone memorie Baliani Archiepiscopi Spalatensis successoris sui temporibus per septem annos continue pacifice et quiete in eodem Castro Almisiensi moram traxerit, et ibidem tanquam verus Episcopus sacramenta ecclesiastica ministravit, fructus, redditus et provontus ad dictum Episcopum spectantibus in eodem Castro Almisionsi, et aliis locis dicte diocesis

a dictis persecutoribus non occupatis percipiendo. Postmodum tamen prefatus Dominicus Archiepiscopus proximius eiusdem Baliani successor minus veraciter asserens predictum Castrum Almisiensem, et alia loca et villas dicte Mucarensis diocesis, que ibidem Mucarensis Episcopus habere, tenere et possidere consueverat, dictis temporibus fore de diocesi Spalatensi, predictum Mucarensem Epum eisdem Castro Almisiensi ac locis et villis penitus spoliavit et denudavit eisdem, ita quod predictus Episcopus in obprobrium pontificalis dignitatis cogitur mendicare: quare prefatus Episcopus nobis humiliter supplicavit, ut providere sibi super hiis de oportuno remedio dignaremur. Quocirca fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatinus vocatis qui fuerint evocandi, si tibi constiterit ita esse, prefatum Valentinum Episcopum ad Castrum Almisiensem et alia loca et villas predicta auctoritate nostra restituas, sicut fuerit rationis, Contradictores auctoritate nostra, appellatione postposita, compescendo, Non obstantibus tam de dnabus dietis edita in concilio generali, quam felicis recordationis Bonifacii pape VIII. predecessoris nostri, qua inter cetera cavetur, ne aliquis ultra unam dietam a fine sue diocesis per litteras apostolicas ad iudicium evocetur, seu si aliquibus communiter vel divisim a sede apostolica sit indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possiut per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Datum Avinione septimo Kalendas Augusti, Pontificatus nostri Anno Primo.

CCLXX.

Gualterius, abbas monasterii s. Laurentii de Monte ordinis s. Benedicti dioecesis Sanctae Agathae, constituitur abbas monasterii s. Michaelis de Monte eiusdem ordinis Polensis dioecesis. Reg. An. I. Tom. I. ep. 116.

Clemens episcopus etc. Dilecto filio Gualterio Abbati Monasterii sancti Michaelis de Monte ordinis sancti Benedicti Polensi diocesis, salutem etc. Circa statum monasteriorum et ecclesiarum vacantium solicite considerationis intuitum, prout pastoralis officii debitum exigit, extendentes, operose solicitudinis studium libenter impendimus, et apostolice sedis partes, prout expedire perpendimus, adhibemus, ut monasteriis et ecclesiis ipsis, ne illa diutius premantur incommodis, afficiantur ininriis et dispendiis pregraventur, vacationis excluso nubilo, quo periculosius involvuntur, accelerate provisionis aurora, ope comite celestis auxilii, apertius illucescat. Sane felicis recordationis Iohannes pape XXII. predecessor noster ex certis rationabilibus causis omnes et singulas collegiatas seculares et regulares ecclesias provincie Aquilegensis tunc vacantes, et inantea vacaturas per biennium primo, et deinde tempns huiusmodi biennalo divorsis successive vicibus de biennio in biennium prorogando, usque ad Kal. Aprilis Pontificatus sui anni decimiseptimi, provisioni sue ac sedis apostolice per suas diversas litteras inde confectas auctoritate apostolica reservavit, decernens extunc in singulis reservationibus et progationibus huiusmodi irritum et inane, si secus super hiis per quoscunque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari. Voluit insuper et decrevit per litteras novissime prorogationis huiusmodi, reservationem et decretum predicta ad seculares et regulares tam Cathedrales quam Abbatiales et alias quascunque collegiatas, preterquam monialium et aliarum religiosarum mulierum ecclesias, exemptas et non exemptas dicte provincie, quibuslibet declarationibus alias por eum factis super hoc nequaquam obstantibus, extendenda. Et subsequonter, cum finis buinsmodi ultime prorogationis instaret, dictus predecessor, similibus causis indnctus, reservationem et dectretum predicta usque ad alios dnos annos, ab eisdem Kalendis Aprilis inantea computandos, per alias suas certi tenoris litteras auctoritate predicta modo et forma expressis superius extenda duxit ac otiam proroganda. Interim autem, extensione et prorogatione huinsmodi durantibus, monasterio sancti Michaelis de Monte ordinis sancti Benedicti Polensis diocesis, in dicta provincia constituto, per obitum quondam Nicolai ipsius monasterii Abbatis, qui debitum in illis partibus nature persolvit, pastoris regimine destituto, et tam ipso Iohanne primo quam pie memorie Benedicto papa XII. predecessore nostro et ipsius Iohannis immediate successore de hac luce subtractis, Nos ad apicem summi apostolatus assumpti, vacatione huiusmodi fidedignis relatibus intellecta, cupientes ipsi monasterio, de quo sic vacante dicti predecessores, dum vixerunt, minime ordinarunt, ne ulterioris vacationis dispendia patiatur, de persona utili providere, cum nullus preter nos de ordinatione ipsius monasterii se hac vice intromittere possit, reservatione, decreto, extensione ac prorogatione prefatis obsistentibus, post deliberationem, quam super hoc cum fratribus nostris habuimus diligentem, demum ad te Abbatem monasterii s. Laurentii de Monte dicti ordinis Sancteagathensis diocesis, quem, prout fidedigna relatione percepimus, religionis zelus ac morum et vite insignit honestas, litterarum sciencia reddit conspicuum, provida spiritualium et temporalium circumspectio aliaque mul-

tiplicia virtutum dona commendant, direximus oculos nostre mentis: quibus omnibus debita meditatione pensatis, de persona tua, nobis et eisdem fratribus ob huiusmodi tuorum exigenciam meritorum accepta, eidem monasterio s. Michaelis auctoritate apostolica de dictorum fratrum consilio providemus, teque ipsi monasterio preficimus in Abbatem, curam et administrationem ipsius monasterii s. Michaelis tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, in illo qui dat gratias et largitur premia confidentes, quod idem monasterium s. Michaelis sub tuo felici regimine, gratia tibi suffragante divina, ad statum reducetur oportunum ac salubriter et prospere dirigetur. Quocirca discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatinus impositum tibi a domino onus devote suscipiens curam et administrationem predictas eiusdem monasterii s. Michaelis sic diligenter geras et solicite prosequaris, quod monasterium ipsum gubernatori circumspecto ac fructuoso administratori gaudeat se commissum, et bonne fame tue odor ex laudabilis tuis actibus latius diffundatur, ac preter benedictionis eterne premium nostre et dicte sedis benivolencie graciam exinde uberius consequi merearis. Datum Avinione II. Idus Maii, Pont. nostri Anno Primo.

In e. m. Dilectis filiis Conventui monasterii s. Michaelis de Monte etc. Venerabili fratri .... Episcopo Polensi etc. quatenus eundem Gualterium Abbatem et sibi commissum monasterium tibi ordinario iure subiectum habens commendatos, in ampliandis et conservandis iuribus suis eum tui favoris presidio prosequaris etc.

CCLXXI.

Sergius canonicus ecclesiae Catharensi praeficitur in episcopum. Reg. An. II. Tom. I. ep. 196.

Clemens episcopus etc. Venerabili fratri Sergio Episcopo Catharensi, salutem etc. Apostolatus officium etc. Nuper siquidem ecclesia Catharensi pro eo vacante, quod Venerabilis frater noster Thomas de Ripatransonis ordinis fratrum Predicatorum, olim Episcopus Catharensis, regimini ac oneri dumtaxat eiusdem ecclesie, cui preerat, in manibus Venerabilis fratris nostri Bertrandi Epi Ostiensis ex certis causis apud sedem apostolicam sponte cessit, idemque Bertrandus ex commissione nostra super hoc vive vocis oraculo sibi facta huiusmodi cessionem apud sedem admisit eandem: Nos considerantes, quod nullus preter nos de provisione ipsius ecclesie se ea vice intromittere poterat, pro eo quod nos diu ante cessionem huiusmodi provisiones omnium ecclesiarum Cathedralium tunc apud dictam sedem vacantium, et vacaturarum imposterum apud eam ordinationi et dispositioni nostre reservantes, decrevimus extunc irritum et inane, si secus super hiis per quoscumque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari, ac ad provisionem ipsius ecclesie celerem et felicem, ne longe vacationis exponeretur incommodis, paternis et sollicitis studiis intendentes, cupientes quoque talem eidem ecclesie secundum cor nostrum presidere personam, que posset eandem in suis manutenere iuribus et etiam adaugere, ipsamque preservare a noxiis et adversis, post deliberationem, quam super hiis cum fratribus nostris habuimus diligentem, demum ad te tunc Canonicum eiusdem ecclesie, in diaconatus ordinine constitutum, cui do litterarum sciencia, vite ac morum honestate, spiritualium et temporalium circumspectione et aliis multiplicium virtutum meritis apud nos fidedigna testimonia perhibentur, convertimus oculos nostre mentis. Quibus omnibus debita meditatione pensatis, de persona tua eidem Catharensi ecclesie de fratrum nostrorum consilio auctoritate apostolica duximus providendum, teque illi prefecimus in Episcopum et pastorem, curam et administrationem ipsius ecclesie Catharensis tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, et subsequenter tibi postmodum in presbiterum rite promoto per Venerabilem fratrem nostrum Petrum Episcopum Penestrinum fecimus munus consecrationis impendi, firma ducti fiducia, quod tuos actus et opera illius, a quo universorum carismatum dona proveniunt, clemencia dirigente, prefata Catharensis ecclesia per tuam curiosam solerciam tuumque ministerium studiosum regetur utiliter et prospere dirigetur. Quocirca fraternitati tue mandamus, quatenus ad dictam ecclesiam Catharensem cum gratia nostre benedictionis accedens, ipsius Catharensis ecclesie solicitam curam geras, gregem dominicum in illa tue vigilancie creditum doctrina verbi et operis informando, ita quod eadem Catharensis ecclesia gubernatori circumspecto et fructuoso administratori gaudeat se commissam, ac bone fame tue odor ex laudabilibus tuis actibus latius diffundatur, tuque proinde preter eterne retributionis premium nostre benedictionis augmentum ac sedis prefate gratiam uberius consequi merearis. Datum Avinione VI. Kalendas Novembris, Pont. nostri Anno Secundo.

In e. m. Capitulo et universis Vassallis ecclesie Catharensis, necnon Clero et populo Civitatis et diocesis Catharensis.

CCLXXII.

Stephano regi Rascie idem episcopus et ecclesia Catharensis commendantur. Reg. An. II. Tom. 1. ep. 197.

Clemens episcopus etc. Carissimo in Christo filio Stephano Regi Rassie Illustri, salutem etc. Gratie divine premium et preconium humane laudis acquiritur, si per seculares Principes ecclesiarum Prelatis, presertim ecclesiarum Cathedralium regimini presidentibus, honor debitus impendatur. Nuper siquidem Catharensis ecclesia etc. usque prospere dirigetur. Cum itaque, fili carissime, sit virtutis opus dei ministros benigno favore prosequi, ac eos verbis et operibus pro Regis eterni gloria venerari: Serenitatem Regiam rogamus et hortamur attente, quatenus eundem Episcopum et prefatam Catharensem ecclesiam sue cure commissam habens pro apostolice sedis et nostra reverencia propensius commendatos, ipsos benigni favoris auxilio prosequaris, ita quod idem Episcopus tue celsitudinis fultus auxilio in commisso sibi cure pastoralis officio possit, deo propitio, prosperari, ac tibi exinde a deo perennis vite premium et a nobis condigna proveniat actio gratiarum. Datum Avinione vi. Kal. Novembris, Pontificatus nostri Anno Secundo.

CCLXXIII.

Patriarcha Aquileiensis et episcopi Concordiensis et Polensis dantur conservatores episcopo Tergestino. Reg. An. II. Tom. 6. ep. 24.

Clemens episcopus etc. Venerabilibus fratribus ... Patriarche Aquilegensi et ... Concordiensi ac ... Polensi Episcopis, salutem etc. Militanti ecclesie licet immeriti disponente domino presidentes, circa curam ecclesiarum et beneficiorum ecclesiasticorum omnium solercia reddimur indefessa soliciti, ut iuxta debitum pastoralis officii eorum occurramus dispendiis, et profectibus, divina cooperante clemencia, salubriter intendamus. Sane Venerabilis fratris nostri ... Episcopi Tergestini conquestione percepimus, quod nonnulli Archiepiscopi et Episcopi, aliique ecclesiarum prelati et clerici ac ecclesiastice persone tam seculares quam religiose, necnon Duces, Marchiones, Comites, Barones, Nobiles, Milites et laici, Communia Civitatum, Universitates Opidorum, Castrorum, Villarum et aliorum locorum, ac alie singulares persone Civitatum et diocesum et aliarum partium diversarum occuparunt, et occupari fecerunt Castra, Villas et alia loca, terras, domos, possessiones, iura et iurisdictiones, necnon decimas, fructus, census, redditus et proventus et nonnulla alia bona mobilia et immobilia, spiritualia et temporalia, ad mensam suam Episcopalem Tergestinam spectantia, et ea detinent indebite occupata, seu ea detinentibus prestant auxilium, consilium vel favorem, nonnulli etiam Civitatum et diocesum et partium predictarum, qui nomen domini in vacuum recipere non formidant, eidem Episcopo super predictis Castris, Villis et locis aliis, terris, domibus, possessionibus, iuribus et iurisdictionibus, decimis, fructibus, censibus, redditibus et proventibus eorumdem et quibuscumque aliis bonis mobilibus et immobilibus, spiritualibus et temporalibus, ac aliis rebus ad mensam predictam spectantibus multiplices molestias et iniurias inferunt ac iacturas: Quare dictus Episcopus nobis humiliter supplicavit, ut cum eidem valde reddatur difficile pro singulis querelis ad apostolicam sedem habere recursum, providere ipsi super hoc paterna diligencia curaremus. Nos igitur adversus occupatores, presumptores, detentores, molestatores et iniuriatores huiusmodi illo volentes eidem Episcopo remedio subvenire, per quod ipsorum compescatur temeritas et aliis aditus committendi similia precludatur, fraternitati vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus vos vel duo aut unus vestrum per vos vel alium seu alios, etiam si sint extra loca, in quibus deputati estis Conservatores et Iudices, prefato Episcopo efficacis defensionis presidio assistentes, non permittatis eundem super hiis et quibuslibet aliis bonis et iuribus ad mensam predictam spectantibus ab eisdem et quibusvis aliis indebite molestari, vel ei gravamina seu dampna aut iniurias irrogari, facturi dicto Episcopo, cum ab eo vel procuratoribus suis aut eorum aliquo fueritis requisiti, de predictis et aliis personis quibuslibet super restitutione huiusmodi Castrorum, Villarum, Terrarum et aliorum locorum, iurium, iurisdictionum et bonorum immobilium et mobilium, reddituum quoque ac proventuum et aliorum quorumcumque bonorum, necnon de quibuslibet molestiis, iniuriis atque dampnis presentibus et futuris, in illis videlicet, que iudicialem requirunt indaginem, summarie, de plano, sine strepitu et figura iudicii, in aliis vero, prout qualitas eorum exegerit, iusticie complementum, occupatores seu detentores, molestatores, presumptores et iniuriatores huiusmodi, necnon contradictores quoslibet et rebelles, cuiuscumque dignitatis, status, ordinis vel conditionis extiterint, quandocumque et quocienscumque expedierit, auctoritate nostra per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo, invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis, Non obstantibus tam fel. rec. Bonifacii pape VIII.

predecessoris nostri, in quibus cavetur, ne aliquis extra suam Civitatem et diocesim nisi in certis exceptis casibus, et in illis ultra unam dietam a fine sue diocesis ad iudicium evocetur, seu ne Iudices et Conservatores a sede deputati predicta extra Civitatem et diocesim, in quibus deputati fuerint, contra quoscumque procedere, sive alii vel aliis vices suas committere, aut aliquos ultra unam dietam a fine diocesis eorumdem trahere prosumant, dummodo ultra duas dietas aliquis auctoritate presentium non trahatur, Seu quod de aliis, quam de manifestis iniuriis et violenciis ac aliis, que iudicialem indaginem exigunt, penis in eos, si secus egerint, et in hoc procurantes adiectis Conservatores se nullatenus intromittant, quam aliis quibuscumque constitutionibus a predecessoribus nostris Romanis Pontificibus tam de Iudicibus delegatis et Conservatoribus, quam personis ultra certum numerum ad iudicium non vocandis aut aliis editis, que vestre possent in hac parte iurisdictioni aut potestati eiusque libero exercicio quomodolibet obviare, Seu si aliquibus communiter vel divisim a predicta sit sede indultum, quod excommunicari, suspendi vel interdici, seu extra vel ultra certa loca ad iudicium evocari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi et eorum personis, locis, ordinibus et nominibus propriis mentionem, et qualibet alia indulgencia dicte sedis generali vel speciali, cuiuscumque tenoris existat, per quam presentibus non expressam vel totaliter non insertam vestre iurisdictionis explicatio in hac parte valeat quomodolibet impediri, et de qua cuiusque toto tenore de verbo ad verbum habenda sit in nostris litteris mentio specialis. Ceterum volumus et apostolica auctoritate decernimus, quod quilibet vestrum prosequi valeat articulum etiam per alium inchoatum, quamvis idem inchoans nullo fuerit impodimento canonico prepeditus, quodque a data presentium sit vobis et unicuique vestrum in premissis omnibus et eorum singulis ceptis et non ceptis, presentibus et futuris perpetuata potestas et iurisdictio attributa, ut eo vigore eaque firmitate possitis in premissis omnibus et eorum singulis ceptis et non ceptis, presentibus et futuris, et pro predictis procedere, ac si predicta omnia et singula coram vobis cepta fuissent, et iurisdictio et cuiuslibet vestrum in predictis omnibus et singulis per citationem vel modum alium perpetuata legitimum extitisset, constitutione predicta super conservatoribus et alia qualibet in contrarium edita non obstantibus. Presentibus post triennium minime valituris. Datum Avinione III. Idus Novembris, Pont. nostri Anno Secundo.

CCLXXIV.

Bonifacius episcopus Tribuniensis ad ecclesiam Sibenicensem transfertur. Reg. An. II. Tom. 5. ep. 45.

Clemens episcopus etc. Venerabili fratri Bonifacio Sibenicensi Episcopo, salutem etc. Romani pontificis etc. Dudum siquidem bone memorie Tolcone Episcopo Sibinicensi ecclesie presidente, nos intendentes eidem ecclesie, cum vacaret, per apostolice sedis providenciam ydoneam preesse personam, provisionem ipsius ecclesie Sibenicensis, cum eam vacare contingeret, dispositioni nostre et sedis apostolice duximus specialiter reservandam, decernentes ex tunc irritum et inane, si secus super hiis per quoscumque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari. Postmodum vero profata ecclesia per obitum eiusdem Tolconis, qui nuper extra Romanam Curiam diem clausit extremum, pastoris solatio destituta, nos, vacatione huiusmodi fidedignis relatibus intellecta, ad provisionem ipsius ecclesie, de qua nullus preter nos hac vice se intromictere potest, reservatione et decreto huiusmodi obsistentibus, ne ipsa Sibenicensis ecclesia longe vacationis incommodis exponeretur, paternis et solicitis studiis intendentes, et cupientes eidem ecclesie talem preesse personam, que sciret, vellet et posset eam preservare a noxiis et adversis, ac in suis manutenere iuribus et etiam adaugere, post deliberationem, quam super hiis cum fratribus nostris habuimus diligentem, demum ad te tunc Episcopum Tribuniensem, consideratis tuarum multiplicium virtutum meritis, quibus personam tuam Altissimum insignivit, et quod oidem Tribunionsi ecclesie laudabiliter prefuisti, direximus oculos nostre mentis. Intendentes igitur tam dicte ecclesio Sibenicensis, quam eius gregi dominico saluberiter et utiliter providere, te a vinculo, quo tenebaris dicte Tribuniensi ecclesie, cui tunc preeras, de dictorum fratrum consilio et apost. potestatis plenitudino absolventes te ad prefatam Sibenicensem ecclesiam transferimus etc. firma spe fiduciaque conceptis, quod dirigente domino actus tuos prefata Sibenicensis ecclesia per tuum ministerium fructuosum multiplicia, dante domino, honoris et commodi suscipiet incrementa. Quocirca fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenus ad dictam Sibenicensem ecclesiam cum gratia nostre benedictionis accedens eiusdem solicitam curam geras, gregem dominicum in illa tibi commissum doctrina verbi et operis informando, ita quod dicta ecclesia Sibenicensis gubernatori circumspecto et fructuoso administratori gaudeat se commissam, ac bone fame tue odor ex laudabilibus tuis actibus

latius diffundatur, tuque preter retributionis eterne premium nostre benivolencie gratiam uberius valeas promereri. Datum Avinione VIII. Idus Februarii, Pont. nostri Anno Secundo.

In e. m. Dilectis filiis Capitulo ecclesie Sibenicensis, Clero et populo Civitatis et diocesis Sibenicensis, et Venerabili fratri ... Archiepiscopo Spalatensi.

CCLXXV.

Ad petitionem Laurentii episcopi Boznensis declaratur, concessionem factam fratribus Minoribus de certis decimis a subditis Stephani bani Boznensis percipiendis ad decimas per Boznenses episcopos recepi solitas non extendi. Reg. An. III. Libr. 2. par. 2. ep. 256.

Clemens episcopus etc. Ad perpetuam rei memoriam. Suscepte servitutis officium, quo sumus universis orbis ecclesiis obligati, pulsat assidue mentem nostram, ut circa ecclesiarum et Prelatorum ipsarum bonum statum, auctore domino, confovendum, et eorum iura etiam conservandum totis studiis intendamus. Sane Venerabilis fratris nostri Laurencii Episcopi Boznensis peticio nuper nobis exhibita continebat, quod licet predecessores sui Epi Boznenses, qui fuerunt pro tempore, decimas ab antiquo a personis terre et diocesis Boznensis subditis dilecti filii nobilis viri Stephani Bani Boznensis et suorum predecessorum Principum Bozne perceperint, et ipse Laurencius Episcopus perciperet, nec unquam inter ipsum Laurencium Episcopum et alias personas fuisset occasione decimarum huiusmodi aliqua questionis materia suscitata, dictusque Episcopus redditus alios valde modicos habeat ultra predictas decimas ad suum statum iuxta pontificalem decenciam sustentandam, et prefatus Stephanus Banus nullas novas decimas ab eisdem suis subditis solvi faceret Episcopo memorato, seu aliis ecclesiarum prelatis terre ac diocesis predictarum: tamen Venerabili fratre nostro Geraldo Patriarcha Antiocheno, tunc generali ministro ordinis fratrum Minorum, et nonnullis aliis fratribus eiusdem ordinis suggerentibus nobis minus veraciter, prefatos subditos seu gentes dicti Stephani ad fidem catholicam et cognicionem ipsius per ipsorum fratrum ministerium noviter fore conversos, et quod idem Stephanus de novo ab ipsis solvi faciebat decimas memoratas, quodque occasione solutionis decimarum ipsarum inter ipsum Laurencium Episcopum ex parte una, et Venerabiles fratres nostros ... Spalatensem et ... Ragusinum Archiepos, ac alios ecclesiarum prelatos et Rectores ex altera erat questionis materia suscitata, et posse propterea conversionem dictarum gentium impediri, si per ipsum Episcopum vel alios prelatos seu Rectores exigerentur decime supradicte, presertim questionibus durantibus antefatis: et quod nos suggestione huiusmodi circumventi dicto Episcopo per nostras litteras duximus prohibendum, ne ipse predictas decimas sic de novo solutas exigere vel petere presumeret, donec per sedem apostolicam super hoc esset aliud ordinatum; sed decime ipse interim in reedificationem et reparationem ecclesiarum olim in illis partibus destructarum, necnon in procurandis et habendis calicibus et aliis ecclesiasticis ordinamentis converterentur utiliter et prudenter, dilecto filio Peregrino de Saxonia eiusdem ordinis Minorum, quem dictus Patriarcha Vicarium suum tempore ministeriatus generalis dicti ordinis in Bozna specialiter deputavit, et Dominico de Tragurio monacho monasterii sanctorum Cosme et Damiani ordinis sancti Benedicti Iadrensis diocesis per nostras litteras committendo, ut per aliquos probos viros dictas decimas colligi facerent et levari, easque in usus dispensare predictos, quousque questiones ipse per sedem eandem terminate existerent et decise: eidem Episcopo nichilominus iniungendo, ut quantum ad eum spectaret, huiusmodi decimas, quas devocio dicti Principis de novo dari faciebat, per collectores ab eisdem Peregrino et Dominico deputandos recipi permitteret et levari, ac in usus converti predictos, dictoque Epo inhibuimus expresse, ne de dictis decimis vel pro ipsis coram quovis alio ecclesiastico vel seculari Iudice, quam coram nobis et sede predicta, quibus cognicionem et ordinacionem dictarum decimarum reservabamus, contendere, litigare vel questionem movere presumeret quoquomodo, sed procuratorem suum de Iure suo instructum ad sedem predictam infra certum terminum destinaret. Quare prefatus Epus, qui propter hoc ad sedem eandem se personaliter contulit, nobis humiliter supplicavit, ut cum nulle decime sibi de novo ab eisdem gentibus et subditis, ut premittitur, persolvantur, sed decime ipse sibi et suis predecessoribus prefatis ab antiquo fuerint persolute, ac ipsi Laurencius et predecessores fuerint in pacifica possessione vel quasi iuris percipiendi decimas antedictas, et idem Peregrinus iurisdictionem ipsius Episcopi spiritualem et temporalem quasi totaliter pretextu commissionis eiusdem, et propter falsas suggestiones huiusmodi usurpavit et usurpet, dictusque Episcopus tam suam Cathedralem Boznensem, quam plures alias ecclesias sue diocesis, quas destitutas ornamentis invenit, in ornamentis ipsis et aliis necessariis restaurandis providere sibi et ecclesie sne super hiis de oportuno remedio dignaremur. Nos

igitur indempnitati Episcopi et ecclesie predictorum, ne contra intentionis nostre prepositum indebite aggraventur, imposterum precavere volentes, ipsius supplicationibus inclinati auctoritate apostolica tenore presentium declaramus, supradicta mandata nostra, concessiones et prohibitiones ad prefatas decimas, quas ipsi Laurencius et predecessores sui Episcopi Boznenses, qui fuerunt pro tempore, percipere consueverunt, et quas ipsi fratres Minores novas appellant, licet sint solite et antique, aliquatenus non extendi: quinimo volumus, quod idem Laurencius et successore sui Episcopi Boznenses, qui fuerint pro tempore, possessione iuris sou quasi et perceptionis dictarum decimarum uti et gaudere valeant, sicut dicti predecessores ab antiquo eis usi et gavisi hactenus extiterunt, decernentes irritum et inane quicquid contra declarationem nostram huiusmodi a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari. Nulli ergo etc. nostre declarationis, voluntatis et constitutionis infringere etc. Datum Avinione Idibus Iunii, Pontificatus nostri Anno Tercio.

In e. m. Venerabili fratri Archiepiscopo Colocensi, et dilectis filiis de Posaga ac Bachiensis Quinquecclesiensis et Colocensis diocesum ecclesiarum Prepositis, dictarum litterarum executoribus etc.

CCLXXVI.

Episcopo Tergestino mandatur, ut duos idoneos, quos Hugo cardinalis s. Laurentii in Damaso duxerit nominandos, unum videlicet in s. Leonis in canonicum, alterum in s. Mansueti extra muros Tullenses monasteriis s. Augustini et s. Benedicti ordinum in monachum recipi faciat et in fratres. Reg. An. III. Divers. Tom. 3. ep. 122.

Clemens episcopus etc. Venerabili fratri ... Episcopo Tergestino, salutem etc. Dum ad personam dilecti filii nostri Hugonis tituli sancti Laurencii in Damaso presbiteri Cardinalis paterne dirigimus considerationis intuitum, et attente prospicimus, quod ipse Romanam ecclesiam, cuius honorabile membrum existit, suorum honorat magnitudine meritorum, decens reputamus et debitum, ut eam sibi reperiat favorabilem et benignam, in illis potissime, per que scrvire desiderantes altissimo eorum in hac parte propositum valeant adimplere. Volentes itaque premissorum intuitu eiusdem Cardinalis honorare personam, et per honorem sibi exhibitum alios in eorum laudabili proposito confovere, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenus per te vel alium seu alios duas personas ydoneas cupientes sub regulari habitu virtutum domino famulari, quas idem Cardinalis tibi duxerit nominandas, unam videlicet in sancti Leonis in Canonicum et alteram in sancti Mansueti extra muros Tullenses monasteriis sancti Augustini et sancti Benedicti ordinum in monachum et in fratres auctoritate nostra recipi facias, dummodo aliquod canonicum (impedimentum) non obsistat, et cuilibet earum iuxta consuetudinem monasterii, in quo ipsam recipi contigerit, regularem habitum exhiberi, ac de communibus eiusdem monasterii proventibus sicut uni ex aliis eiusdom monasterii Canonicis et Monachis integre provideri, ipsosque sancta in domino caritate tractari, Non obstantibus quibuscumque statutis et consuetudinibus monasteriorum, vel quibusvis aliis communiter vel divisim a prefata sit sede indultum, quod ad receptionem vel provisionem alicuius minime teneantur, et ad id compelli, aut quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plonam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, et qualibet alia dicte sedis indulgencia generali vel speciali cuiuscumque tenoris existat, per quam presentibus non expressam vel totaliter non insertam effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri, et de qua cuiusque toto tenore habonda sit in nostris litteris mentio specialis, Contradictores per censuram ecclesiasticam etc. Datum Avinionis Nonis Iulii, Pontificatus nostri Anno Tercio.

CCLXXVII.

Nicolao quondam Donati de Tragurio archid. Tolnensi fructus per eum indebite percepti ex primiceriatu Traguriensi remittuntur, et ut dictum primiceriatum dimittat. Reg. An. III. Divers. Tom. III. ep. 108.

Clemens episcopus etc. Dilecto filio Nicolao nato quondam Donati de Tragurio, Archidiacono Tolnensi in ecclesia Quinquecclesiensi, salutem etc. Vite ac morum honestas et alia merita probitatis, super quibus apud nos fidedigno commendaris testimonio, nos inducunt, ut illa tibi favorabiliter concedamus, que tibi et statui tuo fore conspicimus oportuna. Sane petitio tua nobis exhibita continebat, quod dudum tu primiceriatum ecclesio Traguriensis, qui personatus existit, cuius redditus annui valorem unius Turonensis grossi argenti non excedunt, et quom non personatum, sed simplex officium esse credebas, obtinens fuisti Archidiaconatum Tolnensem in ecclesia Quinquecclesiensi, quem obtines, cui animarum cura imminet, ex collatione canonica pacifice assecutus, illumque una cum dicto Archidiaco-

natu, credens hoc tibi do iure licere, ex tunc tennisti, et adhuc tenes pacifice et quiete, fructus et redditus percipiens ex eodem, quodque relatu quorumdam nuper ad tuam notitiam est deductum, quod dictus primiceriatus personatus sine cura existit: Quare nobis humiliter supplicasti, ut providere tibi et statui tuo super hiis de benignitate apostolica misericorditer dignaremur. Nos itaque huiusmodi supplicationibus inclinati, omnem infamie et inhabilitatis notam, si quam ex premissis incurristi, de apostolice potestatis plenitudine abolemus, teque in integrum restituimus sicut prius, fructusque antedictos per te, ut prefertur, perceptos tibi de uberioris dono gratie remittimus: volumus tamen, quod dictum primiceriatum ex nunc dimittas realiter et omnino. Nulli ergo etc. nostre abolitionis, restitutionis, remissionis, donationis et voluntatis infringere etc. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis VI. Kal. Augusti, Pontificatus nostri Anno Tercio.

CCLXXVIII.

Iudicibus mandatur, ut Martinum abbatem monasterii ss. Cosme et Damiani Iadrensis dioecesis ab episcopatu Sibenicensi auctoritate apostolica amoveant, et Bonifacium episcopum Sibenicensem in eius possessionem inducant.
Reg. An. III. Lib. 2. part. 3. ep. 866.

Clemens episcopus etc. Venerabili fratri ... Episcopo Arbensi, et dilectis filiis ... Abbati Monasterii sancti Nicolai prope Sibenicum, ac Petro Sanctii Canonico Sibenicensi, salutem etc. Ad reprimendum actus nepharios perversorum, qui divini nominis ac amoris obliti ad dignitatem Episcopalem non per institutionem canonicam, sed usurpationis abusum ascendere, ac veros prelatos impedire in suis iuribus molinntur, debet presidentis auctoritas contra tales insurgere, ac prelatis huiusmodi de optimo remedio salubriter providere. Dudum siquidem bone memorie Tolcone Episcopo Sibenicensi regimini Sibenicensis ecclesie presidente, Nos intendentes eidem ecclesie, cum vacaret, per apostolice sedis providenciam ydoneam preesse personam, provisionem ipsius ecclesie Sibenicensis, cum eam vacare contingeret, dispositioni nostre ea vice duximus specialiter reservandam, decernentes ex tunc irritum et inane, si secus super hiis per quoscumqua quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari. Postmodum autem predicta ecclesia per obitum dicti Tolconis, qui extra Romanam Curiam decessit, pastoris regimine destituta, Nos vacacione huiusmodi fidedignis relatibus intellecta ad provisionem ipsius, de qua nullus preter nos ea vice se intromittere poterat, reservacione et decreto obsistentibus supradictis, solicitis studiis intendentes, Venerabilem fratrem nostrum Bonifacium Sibenicensem, tunc Tribuniensem, Episcopum a vinculo, quo Tribuniensi ecclesie, cui tunc preerat, tenebatur, de fratrum nostrorum consilio et apostolice plenitudine potestatis absolventes, ipsum ad prefatam Sibenicensem ecclesiam duximus transferendum, eumque illi prefecimus in Episcopum et pastorem, curam et administrationem ipsins sibi in spiritualibns et temporalibus plenaric committendo, prout in nostris litteris indo confectis plenius continetur. Verum, sicut ex serie peticionis pro parte ipsius Bonifacii nobis oblate percepimus, quod cum ipse cum gracia nostre benedictionis de dicta Tribuniensi ecclesia ad dictam Sibenicensem ecclesiam cum litteris huiusmodi sue provisionis, et aliis litteris dilectis filiis Capitulo ipsius Sibenicensis ecclesie, ac Clero et populo Civitatis et diocesis Sibenicensis, et Venerabili fratri nostro ... Spalatensi Archiepo Metropolitano suo solito more directis, et iam presentatis cisdem, ad Civitatem accessisset eandem, Martinus Abbas Monasterii ss. Cosme et Damiani ordinis s. Benedicti Iadrensis diocesis, qui ad dictam ecclesiam Sibenicensem post reservationem et decretum nostra predicta se de facto eligi et consecrari in Sibenicensem Epum procuravit, dictam Sibenicensem ecclesiam tamquam intrusus detinens occupatam, dictum Bonifacium cum dictis litteris sne provisionis ad ipsam Sibenicensem ecclesiam accedere ac possessionem ipsius apprehendere non permisit, et quod deterius est, tam propter se ipsum, quam propter complices suos cum minis et clamoribus ac feroci multitudine armatorum, fractis copiis et laceratis transumptibus predictarum litterarum apostolicarum, ipsum Bonifacium fugere oportuit de Civitate Sibenicensi predicta: Quare pro parte ipsius Bonifacii Episcopi fuit nobis humiliter supplicatum, ut providere sibi et statni suo et ecclesie Sibenicensi predicte de oportuno remedio dignaremur. Nos igitur volentes, ut prefata provisio debitum sorciatur effectum, discrecioni vestre per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus vos vel duo aut unus vestrum per vos, vel alium seu alios eundem Martinum et suos complices in hac parte ab Episcopatu Sibenicensi predicto, et eius possessione auctoritate nostra penitus amoventes, predictum Bonifacium Episcopnm, vel procuratorem suum eius nomine in corporalem possessionem Sibenicensis Episcopatus, iurium et pertineuciarum eius auctoritate predicta inducatis, et inductum etiam defendatis, facientes sibi a suis subditis obedienciam et reveren-

ciam debitam exhiberi, ac de ipsius Episcopatus fructibus, redditibus, proventibus, iuribus et obvencionibus universis integre responderi, ac de perceptis fructibus per eundem Martinum vel alios eius nomine plenam et debitam satisfactionem impendi, et alias super predictis, quod iusticia suadebit, Contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo, invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis, Non obstantibus si aliquibus communiter vel divisim a prefata sit sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Datum Avinione XIV. Kal. Decembris, Pontificatus nostri Anno Tercio.

CCLXXIX.

Michael abbas monasterio ss. Cosme et Damiani de Monte Iadrensis dioecesis praeficitur in abbatem.
Reg. Au. III. Com. Tom. I. ep. 56. fol. 66.

Clemens episcopus etc. Dilecto filio Michaeli Abbati Monasterii sanctorum Cosme et Damiani de Monte ordinis sancti Benedicti Iadrensis diocesis, salutem etc. Suscepti cura regiminis etc. Dudum siquidem pro parte Venerabilis fratris nostri Martini Episcopi Sibinicensis, tunc se Abbatem Monasterii sanctorum Cosme et Damiani de Monte ordinis sancti Benedicti Iadrensis diocesis asserentis, exposito in Consistorio coram felicis recordacionis Benedicto papa XII. predecessore nostro, quod ipse Martinus ad regimen dicti Monasterii per loci diocesanum de Monasterio sancti Michaelis ordinis et diocesis predictorum, cui tunc precrat, fuerat rite commutatus, et per decem annos se fideliter gesserat in regimine, tenuta et possessione dicti Monasterii sanctorum Cosme et Damiani: quodque cum ipse pro quibusdam suis et dicti Monasterii sanctorum Cosme et Damiani negociis promovendis ad sedem apostolicam accessisset, Venerabilis frater noster Nicolaus Archiepiscopus Iadrensis ipsum sic absentem dicto Monasterio contra iusticiam spoliaverat, et Monasterium ipsum occupari et occupatum detineri fecerat et faciebat, ac eundem Martinum ad partes redeuntem Monasterium predictum ingredi non permiserat; sed monachis ipsius Monasterii sanctorum Cosme et Damiani ad compromittendum in ipsum seductis, te consobrinum suum in eodem Monasterio intruserat: et quod licet Quirinus Archidiaconus Nonensis, auctoritate litterarum dicti predecessoris ad id Iudex delegatus, predicta omnia tamquam attemptata post itor per eundem Martinum arreptum ad veniendum ad sedem predictam ad statum pristinum revocasset per sentenciam, a qua pro parto dicti Archiepiscopi ad dictam sedem extiterat appellatum. Idem tamen Archiepiscopus, no dicto Martino dictum Monasterium restitueretur, indebite impediebat, et ex parte Conventus dicti Monasterii sanctorum Cosme et Damiani coram eodem predecessore in eodom consistorio ex adverso proposito, quod dictus Martinus per bone memorie Iobannem Archiepum Iadrensem in eodem Monasterio sanctorum Cosmo et Damiani fuerat intrusus, idemque Martinus multas villas et bona alia dicti Monasterii tunc expressa impignoraverat et alienaverat sine causa pro sue libito voluntatis, et nonnulla crimina commiserat, etiam tunc expressa, ipsique te tunc Abbatem Monasterii sancti Georgii Serviensis dicti ordinis in Abbatem dicti Monasterii sanctorum Cosme et Damiani per viam compromissi in dictum Nicolaum facti concorditer elegerant, tuquo electionem ipsam ipsius tibi presentato decreto primitus acceptatam per dictum Nicolaum obtinueras canonice confirmari, et in ipsius Monasterii corporalem possessionem induci. Dictus predecessor huiusmodi negocium Venerabili fratri nostro Bertrando Episcopo Ostiensi audiendum commisit, et sibi postmodum referendum. Et tandem post diversos processus tam coram dicto Episcopo Ostiensi, dicto predecessore vivente, quam eodem predecessore rebus humanis exempto, Nobisque ad apicem summi apostolatus assumptis per nonnullos sancte Romane ecclesie Cardinales, auditores a nobis in dicto negocio huiusmodi deputatos, habitos, dicto Martino in Episcopum Sabinicensem electo, sibique per Venerabilem fratrem nostrum ... Archiepiscopum Spalatensem eius Metropolitanum in illis partibus auctoritate metropolitica munere consecrationis impenso, tu volens anfractus litium evitare et indempnitati eiusdem Monasterii precavere, omni iuri, quod tibi ex huiusmodi electione et confirmatione tuis in dicto Monasterio sanctorum Cosme et Damiani competere poterat, apud dictam sedem sponte cessisti in manibus dilecti filii nostri Guillelmi sancte Marie in Cosmedin diaconi Cardinalis, cessionem huiusmodi admittentis de mandato nostro super hoc sibi facto oraculo vive vocis. Nos igitur attendentes, quod de provisione dicti Monasterii sanctorum Cosme et Damiani bac vice nullus preter nos se intromittere potest, pro eo quod nos diu ante cunsecrationem dicti Martini ac cessionem tuam huiusmodi provisiones omnium Monasteriorum tunc apud dictam sedem quocumque modo vacantium et vacaturorum imposterum apud eam, necnon

quorum tunc electos et inantea eligendos ad illa eorum electionibus apud dictam sedem cedere, et ipsorum cessiones per nos seu auctoritate nostra admitti contingeret, specialiter reservantes, decrevimus extunc irritum et inane, si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari, et ad provisionem ipsius Monasterii sanctorum Cosme et Damiani celerem et felicem, ne longioris vacacionis sustineret incommoda, paternis et solicitis studiis intendentes, post deliberationem, quam ad preficiendum eidem Monasterio personam utilem ac etiam fructuosam, cuius industria probitatis in suis valeret manuteneri iuribus et etiam adaugeri, cum fratribus nostris habuimus diligentem, demum ad te, cui de religionis zelo, litterarum sciencia, vite mundicia, regulari observancia et aliis multiplicium virtutum meritis apud nos fidedigna testimonia perhibentur, et pro quo etiam dicti Conventus nobis super hoc cum instancia supplicarunt, convertimus oculos nostre mentis: quibus omnibus diligenti meditatione pensatis, de persona tua dicto Monasterio sanctorum Cosme et Damiani de dictorum fratrum consilio auctoritate apostolica providemus, teque illi preficimus in Abbatem, curam et administrationem ipsius tibi tam in spiritualibus quam in temporalibus plenarie committendo, in illo qui dat gratias et largitur premia confidentes, quod dextera domini tibi assistente propicia prefatum Monasterium sanctorum Cosme et Damiani per tue circumspectionis industriam prospere dirigetur, et salubria, dante domino, suscipiet incrementa. Quocirca discretioni tne per apostolica scripta mandamus, quatenus impositum tibi onus a domino devote suscipiens, curam ot administrationem predictas sic fideliter geras et solicite prosequaris, quod prefatum Monasterium sanctorum Cosme et Damiani administratori studioso gaudeat se commissum, tuque proinde premium eterno retributionis acquiras, ac nostram et dicte sedis graciam et benedictionom consequi uborius merearis. Datum Avinione II. Idus Ianuarii, Pontificatus nostri Anno Tercio.

In e. m. Conventui Monasterii ss. Cosmo et Damiani de Monte et Archiepiscopo Iadrensi.

CCLXXX.

Stephano regi Rasciae, ut Sergio episcopo Catharensi quaedam monasteria, ecclesias, insulas et villas pacifice dimittat.
Reg. An. IV. Tom. 1. ep. 252. fol. 312.

Clemens episcopus etc. Carissimo in Christo filio Stephano Regi Rassie Illustri, salutem etc. Ad fovendum in caritatis visceribus ecclesiarum prelatos, et eos precipue, qui pontificali preeminent dignitate, ac eorum bona et iura eo te facilius nostris precibus invitamus, quo in bonorum operum executione tuum affectum magis promptum et facilem credimus invonire, maximo cum exinde tibi apud deum, cuius prelati huiusmodi sunt ministri, retributionis eterne preminm rependatur in celis, et apud homines laudis preconium acquiratur. Sane Venerabili fratre nostro Sorgio Catharensi, quem nuper suis exigentibus meritis Catharensi ecclesie tunc vacanti prefecimus in Episcopum et pastorem, nobis insinuante percepimus, quod licet sancte Marie Buduanensis, sancti Nicolai de Petraniza, sancti Luce de Chertale, sancti Michaelis de Tombe, sancti Petri de Gradez, sancte Marie de Resson, sancti Petri de Campo et sancti Marci do Pinita monasteria ordinis sancti Benedicti, necnon sancti Triphonis de Zoptat, sancti Martini de Canal, sancte Marie de Prisren, sancti Petri supra Prisren, sancti Triphonis do Beruenich, sancti Triphonis de Gergoniste et nonnulle alie ecclesie Catharensis diocesis Epo Catharensi, qui est pro tempore, tamquam diocesano locorum huiusmodi subesse, et ad eius dispositionem pertinere de iure, ac Buduanensis et sancti Gabrielis, necnon de Malont et quedam alie insule et ville dicte diocesis, qui in tuo Regno consistunt, ad mensam suam Episcopalem spectare noscantur: tamen nonnulli Reges Rassie, predecessores tui, monastoria, ecclesias, insulas ac villas predictas suis temporibus occnparunt, et tu nunc ea occupas ot detines occupata, et de monasteriis, ecclesiis, insulis et villis predictis disponis pro tue libito voluntatis in anime tue periculum, et ipsius Episcopi et ecclesie predicte preiudicium non modicum et scandalum plurimorum. Cum ita, filii Carissime, sit virtutis opus ecclesias et personas ecclesiasticas, presertim pontificali dignitate preditas, benigno favore prosequi, ac eas pro Regis eterni gloria in suis manutenere iuribus et etiam defensare, Serenitatem Regiam rogamus et hortamur attente, quatenus eundem Episcopum et ecclesiam predictam habens pro nostra ot apostolice sedis reverencia propensius commendatos, eidem Episcopo monasteria, ecclesias, insulas ac villas predicta in pace dimittas, sibique in suis oportunitatibus Regia benignitate assistas, ita quod ipse tuo suffultus auxilio de dictis monasteriis, ecclesiis, insulis et villis, prout ad eius spectat officium, ordinare valeat, ut est iuris, ac tibi exinde a deo perennis vite premium et a nobis condigna proveniat actio graciarum. Datum Avinione VIII. Idus Ianuarii, Pontificatus nostri Anno Quarto.

CCLXXXI.

Ludovico regi Hungariae, ut Sergium episcopum Catharensem circa perceptionem decimarum et gubernationem quorumdam castrorum molestet, neque ab aliquo molestari permittat. Reg. An. IV. Tom. 1. ep. 253.

CLEMENS EPISCOPUS etc. Carissimo in Christo filio Ludovico Regi Ungarie, salutem etc. Ad fovendum in caritatis visceribus ecclesiarum prelatos, et eos precipue, qui pontificali preeminent dignitate, ac eorum bona et iura eo te facilius nostris precibus invitamus, quo in otc. nt supra usque acquiratur. Sane Venerabili fratre nostro Sergio Catharensi Episcopo, quem nuper suis exigentibus meritis Catharensi ecclesie tunc vacanti prefecimus in Episcopum et pastorem, nobis insinuante percepimus, quod licet Catharensis et Slavoniensis Episcopus, qui fuit pro tempore, de Mazonia, Golubezi et Albia dicta Relgard Castra seu villas, et nonnulla alia loca ultra fluvium Save, eciam Danubii, versus Rassiam sub tuo dominio consistentia Catharensis diocesis, tamquam ipsorum locorum diocesanus, regere et gubernare consueverit ab antiquo, ac perceptio decimarum provenientium de proventibus terrarum, possessionum et aliorum bonorum in dictis [locis] Castris, villis et locis ac eorum pertinenciis consistentium, ex quo infra parrochias ecclesie seu ecclesiarum parrochialium non existunt, ad Episcopum Catharensem, qui est pro tempore, pertinere noscatur: tamen nonnulli iniquitatis filii, qui cum malefecerint, gloriantur, tuo suffulti favore dictum Episcopum eiusque Vicarios et officiales, quominus dicta Castra, villas et loca regere et gubernare ac decimas percipere valeant, pro eorum libito voluntatis impediverunt hactenus et impedire presumunt in animarum suarum periculum, ac Episcopi et ecclesie predicte non modicum preindicium et scandalum plurimorum. Cum itaque, fili Carissime, sit virtutis opus ecclesias et personas ecclesiasticas, presertim dignitate pontificali preditas, benigno favore prosequi, ac eas pro Regis eterni gloria in suis manutenere iuribus et a malignantium molestiis defensare: Serenitatem Regiam rogamus et hortamur attente, quatenus eundem Episcopum et ecclesiam predictam habens pro nostra et apostolice sedis reverencia propensius commendatos, dictoque Episcopo in regimine et gubernatione dictorum Castrorum, villarum, locorum, et perceptione decimarum huiusmodi et aliis suis oportunitatibus regia benignitate assistens, eum super regimine et gubernatione dictorum Castrorum, villarum et locorum et perceptione decimarum huiusmodi non molestes, nec permittas, pront decet Regiam excellentiam, ab aliquo molestari, ita quod exinde tibi a deo perennis vite premium et a nobis condigna proveniat actio graciarum. Datum Avinione VII. Idus Ianuarii, Pontificatus nostri Anno Quarto.

CCLXXXII.

Stephano bano Bosnensi de eodem argumento. Reg. An. IV. Tom. 1. ep. 254.

CLEMENS EPISCOPUS etc. Dilecto filio Stephano Bano Bosnensi, salutem etc. Ad fovendum etc. Sane Venerabili fratre nostro Sergio Catharensi Episcopo, quem nuper suis exigentibus meritis Catharensi ecclesie tunc vacanti prefecimus in Episcopum et pastorem, nobis insinuante percepimus, quod licet Catharensis Episcopus, qui fuit pro tempore, de Chelmia, de Save, de Lipinch Castra seu villas et nonnulla alia loca ultra fluvium Save et Danubii et Drive versus Rassiam sub tuo dominio consistentia Catharensis diocesis, tamquam locorum ipsorum diocesanus, regere et gubernare consueverit ab antiquo, et perceptio decimarum provenientium de proventibus terrarum et possessionum et aliorum bonorum in dictis Castris, villis et locis et ipsorum pertinenciis consistentium, ex quo infra parrochias ecclesie seu ecclesiarum parrochialium non existunt, ad Episcopum Catharensem, qui est pro tempore, pertinere noscatur: tamen nonnulli iniquitatis filii, qui cum malefecerint, gloriantur, tuo suffulti presidio et favore eundem Episcopum eiusque Vicarios et officiales, quominus loca ipsa regere et gubernare ac decimas ipsas percipere valeant, impediverunt hactenus et eciam impediant in animarum suarum periculum, et ipsius Episcopi et predicte ecclesie preiudicium et scandalum plurimorum. Cum itaque, fili, sit virtutis opus ecclesias et personas ecclesiasticas, presertim pontificali dignitate preditas, benigno favore prosequi, ac eas pro Regis eterni gloria in suis manutenere iuribus et a malignantium molestiis defensare: Nobilitatem tuam rogamus et hortamur attente, quatenus eundem Episcopum et ecclesiam predictam habens pro nostra et apostolice sedis reverencia propensius commendatos, et eidem Episcopo in regimine et gubernatione dictorum Castrorum, villarum et locorum, et perceptione decimarum huiusmodi et aliis suis oportunitatibus tua benignitate assistens, eum super regimine et gubernatione dictorum Castrorum, villarum et locorum ac perceptione decimarum huiusmodi non molestes, nec permittas, quantum in te fuerit, ab aliquo molestari, ita quod oxinde tibi a deo pcrennis vite premium et a nobis condigna proveniat actio graciarum. Datum Avinione VII. Idus Ianuarii, Pontificatus nostri Anno Quarto.

CCLXXXIII.

Patriarchae Aquilelensi mandatur, ut in causa, quae vertitur inter Valentinum episcopum Mucarensem et Dominicum archiepiscopum Spalatensem, faciat iustitiae complementum. Reg. An. V. Lib. 1. par. 2. ep. 1314.

CLEMENS EPISCOPUS etc. Venerabili fratri ... Patriarche Aquilegensi, salutem etc. Gravem dudum Venerabilis fratris Valentini Episcopi Mucarensis querelam recepimus continentem, quod licet olim ecclesia Mucarensi existente ab ecclesie persecutoribus occupata, bone memorie Petrus Archiepiscopus Spalatensis eiusdem Mucarensis ecclesie Metropolitanus habens, ut dicebat, a sede apostolica (potestatem) eligendi, seu creandi Episcopos et confirmandi in Civitatibus seu locis desolatis sue provincie Episcopos habere consuetos, eundem Valentinum in Episcopum Mucarensem elegisset et confirmasset cum consensu sui Capituli Spalatensis, presente, intelligente et non contradicente Venerabili fratre nostro Dominico Archiepiscopo, tunc Archidiacono Spalatensi, et ad petitionem Universitatis Castri Almisiensis Mucarensis diocesis ordinaverit, quod dictus Valentinus Episcopus in eodem Castro Almiensi manere deberet, quousque dicta Mucarensis ecclesia esset ipsi Episcopo restituta, mandans predicte Universitati et aliis dicte Mucarensis diocesis, ut ipsi Valentino tanquam eorum vero Episcopo obedirent, et de fructibus, redditibus et proventibus ad dictum Mucarensem Episcopum pertinentibus responderent, idemque Valentinus Epus eiusdem Petri, necnon bone memorie Baliani Archiepiscopi Spalatensis successoris sui temporibus per septem annos continue pacifice et quiete in eodem Castro Almisiensi moram traxerit, et ibidem tanquam verus Episcopus sacramenta ecclesiastica ministraverit, fructus, redditus et proventus ad ipsum Episcopum spectantes in eodem Castro Almisiensi, et aliis locis dicti diocesis a dictis persecutoribus non occupatis percipiendo: postmodum (vero) prefatus Dominicus Archiepus, proximus eiusdem Baliani successor, minus veraciter asserens predictum Castrum Almisiense et alia loca et villas dicte Mucarensis diocesis, que idem Mucarensis Episcopus habere, tenere et possidere consueverat, dictis temporibus fore de diocesi Spalatensi, predictum Mucarensem Episcopum eisdem Castro Almisiensi ac locis et villis penitus spoliavit et denudavit eisdem, ita quod idem Mucarensis Episcopus in opprobrium pontificalis dignitatis cogebatur, prout etiam cogitur, mendicare: ac pro parte sua humiliter supplicato, ut providere sibi super hiis de oportuno remedio dignaremur, Nos Venerabili fratri nostro ... Episcopo Paduano sub ea forma nostris dedimus litteris in mandatis, ut vocatis qui vocandi forent, si sibi constaret, ut predicitur, ita esse, prefatum Valentinum Episcopum ad Castrum Almisiense et alia loca et villas predicta auctoritate nostra restitueret, sicut existeret rationis, Contradictores auctoritate nostra, appellatione postposita, compescondo, prout in eisdem nostris litteris plenius continetur. Quarum auctoritate, sicut eiusdem Valentini Episcopi peticio continebat, idem Paduanus Episcopus certis impeditus negociis dilecto filio Patrocinio Abbati monasterii sancti Cipriani de Murano Torcellane diocesis, Padue commoranti, et Leonardo Priori secularis ecclesie sancti Lazari prope Paduam, ipsius Paduani Episcopi Vicariis, ac Banfino de Geraldis de Cremona, Canonico Paduano, super premissis commisit, et cuilibet eorum in solidum, non tamen totaliter vices suas, et quod licet iidem Abbas, Prior et Canonicus, pro eo quod auctoritate ipsorum dictus Dominicus Archiepus Spalatensis ad instanciam ipsius Valentini Mucarensis Episcopi citatus legitime in termino peremptorio sibi prefixo comparere contumaciter non curarat, propter huiusmodi suam contumaciam, recepta prius aliquali informatione super libello per ipsum Valentinum Episcopum Mucarensem exhibito in iudicio coram eis, et per ipsum Mucarensem Episcopum de veritate dicenda prestito iuramento, pronunciaverunt per eorum interlocutoriam dictum Valentinum Epum Mucarensem fore mittendum in possessionem ex primo decreto causa rei servando Castri Almisiensis predicti, et terrarum, villarum et locorum in ipsa pronunciatione expressorum, et mandarunt eum poni in possessionem Castri, villarum et locorum predictorum: ipsi tamen postmodum pronunciationem et mandatum huiusmodi in grave preiudicium ipsius Mucarensis Episcopi revocarunt, et quod postmodum dictus Epus Paduanus apud sedem apostolicam constitutus vices predictas ad se revocans, eas dilectis filiis Demetrio de Mathafaris Archidiacono, et condam Marcho Archipresbitero et Chrisogono Primicerio ecclesie Iadrensis comuisit in solidum totaliter vices suas, donec vices huiusmodi duxerit revocandas, dictique Archidiaconus et Primicerius, eodem Archipresbitero rebus humanis exempto, in huiusmodi procedontes negocio ipsum Mucarensem Episcopum similiter propter contumaciam ipsius Dominici Archiepiscopi decreverunt fore mittendum in possessionem Castri, villarum et locorum predictorum causa rei servande. Cum autem, sicut eiusdem Valentini Mucarensis Episcopi peticio subiungebat, dictum Episcopum Paduanum huiusmodi vices suas in dicta Iadrensi Civitate auctoritate dictarum litterarum de iure committere, nec etiam illis, quibus huiusmodi vices commisse fuerunt,

auctoritate commissionis huiusmodi procedere non potuisse asseratur, dictusque Paduanus Episcopus pro certis negociis in remotis partibus agat ad presens, pro parte ipsius Valentini Episcopi Mucarensis, qui, ut asserit, per dictum Dominicum Archiepiscopum Spalatensem et quosdam alios quasi omnibus bonis suis dicti Episcopatus spoliatus extitit, providere sibi et statui suo de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur eidem Valentino Mucarensi Episcopo pio compacientes affectu, fraternitati tue, de qua in hiis et aliis fiduciam gerimus in domino specialem, per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus vocatis qui fuerint evocandi in huiusmodi causa, et etiam contra quoscumque detentores et usurpatores bonorum dicti Episcopatus et ecclesie Mucarensis simpliciter et de plano sine strepitu et figura iudicii, ut iustum fuerit, auctoritate nostra procedas, faciens, quod decreveris, eadem auctoritate firmiter observari, Contradictores auctoritate predicta, appellatione postposita, compescendo. Testes autem, qui fuerint nominati, si se gratia odio vel timore subtraxerint, per censuram ecclesiasticam, appellatione cessante, compellas veritati testimonium perhibere. Non obstantibus premissis, et tam de duabus dietis in concilio generali quam fel. record. Bonifacii pape VIII. etc. usque mentionem. Datum Avinione II. Kal. Augusti, Pontificatus nostri Anno Quinto.

CCLXXXIV.

Marco episcopo Scutarensi ecclesia s. Sergii et medietates s. Abrahe ac s. Stephani ecclesiarum Antibarensium concedunter, quousque bona sui episcopatus recuperaverit. Reg. An. V. Libr. 2. par. 2. ep. 395.

CLEMENS EPISCOPUS etc. Venerabili fratri Marco Episcopo Scutarensi, salutem etc. Personam tuam nobis et apostolice sedi devotam paterna benivolencia prosequentes, illam tibi graciam libenter impendimus, per quam tuis possis necessitatibus providere. Sane petitio tua nobis exhibita continebat, quod tu, quum nuper ecclesie Scutarensi tunc vacanti prefecimus in Episcopum et pastorem, pro eo quod bona ipsius ecclesie pro maiori parte detinentur per aliquos occupata, non habes unde decenter valeas sustentari: quare nobis humiliter supplicasti, ut providere tibi super hoc paterna solicitudine dignaremur. Nos igitur, qui cunctos fideles, et presertim quos dignitas pontificalis attollit, libenter ab eorum indigenciis relevamus, volentes tibi de alicuins subventionis auxilio ac decente substentatione huiusmodi providere, tuis supplicationibus inclinati apostolica tibi auctoritate concedimus, quod ecclesiam sancti Sergii et sancti Abrahe ac sancti Stephani medietates ecclesiarum Antibarensium, quas consecrationis tue tempore obtinebas, quarum ecclesie ac medietatum ecclesiarum redditus decem florenorum auri secundum taxationem decime, prout asseris, valorem annuum non excedunt, donec huiusmodi occupata bona ipsius ecclesie Scutarensis per te recuperata fuerint, licite valeas retinere, Non obstantibus quibuscumque constitutionibus apostolicis, seu quod tu Episcopus Scutarensis existis, aut si aliqui super provisionibus sibi faciendis de huiusmodi, vel aliis ecclesiis seu beneficiis ecclesiasticis in illis partibus speciales vel generales dicte sedis vel legatorum eius litteras impetrarint, etiamsi per eas ad inhibitionem, reservationem et decretum vel alias quomodolibet sit processum, quas litteras et processus habitos per eosdem ad ecclesiam et medietates predictas volumus non extendi, sed nullum per hoc eis quoad assecutionem ecclesiarum et beneficiorum aliorum preiudicium generari, et quibuslibet privilegiis et indulgenciis, ac litteris apostolicis generalibus vel specialibus quorumcumque tenorum existant, per que presentibus non expressa vel totaliter non inserta effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri, et de quibus quorumque totis tenoribus habenda sit in nostris litteris mentio specialis, proviso quod dicte ecclesia et medietates debitis interim obsequiis non fraudentur. Volumus autem, quod tu quamprimum ipsa occupata bona recuperaveris, ut prefertur, dictas ecclesiam et medietates, quas extunc vacare decernimus, omnino dimittere tenearis. Nulli ergo etc. nostre concessionis, voluntatum et constitutionis infringere etc. Datum Avinione XIV. Kal. Ianuarii, Pontificatus nostri Anno Quinto.

CCLXXXV.

Eidem conceditur, ut s. Sergii ecclesiam et s. Abrahe et s. Stephani ecclesiarum medietates presdictas, cum bona sui episcopatus recuperaverit, singulis idoneis valeat conferre. Reg. An. V. Lib. 2. par. 2. ep. 427.

CLEMENS EPISCOPUS etc. Venerabili fratri Marco Episcopo Scutarensi, salutem etc. Personam tuam nobis et apostolice sedi devotam paterna benivolencia prosequentes, illam tibi graciam libenter impendimus, per quam te possis aliis reddere graciosum. Hodie siquidem pro parte tua nobis exposito, quod tu, pro eo quod bona ecclesie tue Scutarensis pro maiori parte detinebantur per aliquos occupata, non habebas unde decenter sustentari valeres, Nos tibi apostolica auctoritate concessimus, quod eccle-

siam sancti Sergii, et sancti Abrahe et sancti Stephani ecclesiarum Antibarensium medietates, quas consecrationis tue tempore obtinebas, et quarum ecclesie ac medietatum redditus decem florenos auri secundum taxationem decime, prout asserebas, minime excedebant, donec huiusmodi occupata bona ipsius ecclesie Scutarensis per te recuperata forent, licite retinere voleres, ac voluimus, quod quamprimum tu occupata bona predicta recuperasses, ecclesiam sancti Sergii et medietates predictas, quas ex tunc vacare decrevimus, omnino dimittere tenereris. Volentes igitur personam tuam ampliori gracia prosequi et favore, tuis supplicationibus inclinati ecclesiam sancti Sergii et medietates predictas, postquam huiusmodi predicta bona occupata ipsius ecclesie Scutarensis per te recuperata fuerint, ut prefertur, personis ydoneis, singulis videlicet earum singulas ecclesiam et medietates predictas auctoritate apostolica conferendi et providendi de illis, ac inducendi per te vel alium seu alios personas easdem in corporalem possessionem ecclesie et medietatum predictarum, et defendendi inductas, sibique faciendi de ipsarum ecclesie ac medietatum fructibus, redditibus, proventibus, iuribus et obventionibus integre responderi, Contradictores auctoritate nostra, appellatione postposita, compescendo, Non obstante si aliqui super provisionibus sibi faciendis etc. preiudicium generari, Seu si Venerabili fratri nostro ... Archiepiscopo Antibarensi, vel quibusvis aliis communiter vel divisim a prefata sit sede indultum, quod ad receptionem vel provisionem alicuius minime teneantur, et ad id compelli non possint, quodque de huiusmodi vel aliis ecclesiis et beneficiis ecclesiasticis ad eorum collationem, provisionem, presentationem seu quamvis aliam dispositionem coniunctim vel separatim spectantibus nulli valeat provideri per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, et qualibet alia dicte sedis indulgencia generali vel speciali cuiuscumque tenoris existat, per quam presentibus non expressam vel totaliter non insertam effectus huiusmodi nostre gratie impediri valeat quomodolibet vel differri, et de qua cuiusque toto tenore habenda sit in nostris litteris mentio specialis, plenam et liberam tibi concedimus auctoritate presentium facultatem. Nos enim irritum decernimus et inane, si secus super hiis per quoscumque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari. Datum Avinione XIV. Kal. Ianuarii, Pontificatus nostri Anno Quinto.

CCLXXXVI.

Fidelibus ecclesiam Scutarensem visitantibus indulgentiae concedantur. Reg. An. V. Libr. 1. par. 2. ep. 1171.

CLEMENS EPISCOPUS etc. Universis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis, sal. etc. Splendor paterne glorie, qui sua mundum illuminat ineffabili claritate, pia vota fidelium de clementissima ipsius maiestate sperantinm tunc precipue benigno favore prosequimur, cum devota ipsorum humilitas sanctorum precibus et meritis adiuvatur. Cupientes igitur, ut ecclesia Scutarensis, que in honorem beati Stephani prothomartiris gloriosi dicitur, et in qua ob honorem ipsius prothomartiris nonnulla miracula Christi fidelibus ad eam confluentibus altissimus operatur, congruis honoribus frequentetur, et ut Christi fideles eo libentius causa devotionis confluant ad eandem, quo ibidem uberius dono celestis gratie conspexerint se refectos, de omnipotentis dei misericordia et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus vere penitentibus et confessis, qui in singulis ejusdem sancti Stephani, unum annum et quadraginta dies, illis vero, qui in Nativitatis, Circumcisionis, Epiphanie, Resurrectionis, Ascensionis domini et Penthecostes, necnon in quatuor principalibus sancte Marie festivitatibus devote prefatam ecclesiam visitaverint annuatim, Centum dies de iniunctis eis penitenciis, singulis videlicet festivitatum ipsarum diebus, quibus ecclesiam ipsam visitaverint, ut prefertur, misericorditer relaxamus. Datum Avinione XI. Kal. Februarii, Pontificatus nostri Anno Quinto.

CCLXXXVII.

Antonio episcopo Dulcinensi committitur, ut cum abbatibus ordinis s. Benedicti in provincia Antibarensi, qui minus legitime fuerint promoti, dispenset etc. Reg. An. V. Lib. 1. par. 2. ep. 1004.

CLEMENS EPISCOPUS etc. Venerabili fratri Antonio Episcopo Dulcinensi, salutem etc. Pastoralis officii assidua nos cura solicitat, ut saluti fidelium, quantum nobis ex alto permittitur, consulamus. Sane petitio pro parte Venerabilis fratris nostri Archiepiscopi Antibarensis, et nonnullorum Abbatuum Monastoriorum ordinis sancti Benedicti provincie Antibarensis nobis exhibita continebat, quod aliqui eorundem Abbatum seculares clerici existentes non propter aliud, nisi ut proficerentur in Abbates, eundem ordinem iuraverunt, cuius Regulam per duos vel tres dies post assumptum per eos monasticum habitum profitentes, per locorum ordinarios alias rite assumpti et benedicti. Nonnulli eciam eorum-

dem de presbiteris vel clericis in sacris ordinibus constituti, ex legitimo tamen matrimonio secundum ritum Orientalis ecclesie, cui vicini sunt, geniti, et aliqui eorum ad monasteria, quorum provisio propter diutinam vacationem ot negligenciam prelatorum ad sedem apostolicam devoluta erat, promoti in Abbates monasteriorum, quibus presunt, alias canonice extitorunt, fructusque perceperunt ex eis, dispensatione super hoc aliqua non obtenta. Quare pro parte Archiepiscopi et Abbatum predictorum fuit nobis humiliter supplicatum, ut providere ipsis Abbatibus super hoc de oportuno remedio misericorditer dignaremur. Quocirca fraternitati tue, de qua in hiis et aliis plenam in domino fiduciam obtinemus, ut cum eisdem Abbatibus, quod premissis et quibuscumque constitutionibus apostolicis ac statutis et consuetudinibus monasteriorum et ordinis ipsorum contrariis nequaquam obstantibus, singuli eorum, dummodo alias ydonei sint et aliud canonicum non obsistat, in singulis monasteriis, quibus presunt, sicut predicitur, Abbates licite remanere valeant, auctoritate nostra dispensare, prout secundum deum expedire cognoveris, super quo tuam conscienciam oneramus, iniuncta eis penitencia salutari, quam saluti animarum ipsorum videris expedire, ac eis huiusmodi fructus ex eisdem monasteriis perceptos remittere valeas, plenam concedimus tenore presentium facultatem. Presentibus post biennium minime valituris. Datum Avinione II. Kal. Februarii, Pontificatus nostri Anno Quinto.

CCLXXXVIII.

Eidem episcopo Dulcinensi reformatio monasteriorum ordinis s. Benedicti in provincia Antibarensi committitur.
Reg. An. V. Lib. 1. part. 2. ep. 1342.

CLEMENS EPISCOPUS etc. Venerabili fratri Antonio Episcopo Dulcinensi, salutem etc. Cupientes, ut in Monasteriis ordinis sancti Benedicti provincie Antibarensis monastici ordinis disciplina vigeat, et si qua ibidem reformanda fuerint, auctore domino, utiliter reformentur, ot de circumspectione tua plenam in domino fiduciam obtinentes, fraternitati tuo per apostolica scripta mandamus, quatenus ad Monasteria ipsa omnia et singula te personaliter conferens, auctoritate nostra visitatoris officium in eis tam in capite quam in membris exerceas diligenter, et quecumque ibidem corrigenda et reformanda ac statuenda fuerint, auctoritate predicta corrigas et reformes ac statuas, prout secundum deum honestati et prospero statui ordinis et Monasteriorum ipsorum videris expedire, Contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo, Non obstante si aliquibus communiter vel divisim a dicta sede indultum existat, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Presentibus post biennium minime valituris. Datum Avinione II. Kal. Februarii, P. n. Anno Quinto.

CCLXXXIX.

Ludovico episcopo Tergestino licentia a curia recedendi et ad suam ecclesiam se conferendi datur.
Reg. An. V. Lib. 2. part. 2. ep. 353.

CLEMENS EPISCOPUS etc. Venerabili fratri Ludovico Episcopo Tergestino, salutem etc. Pridem ecclesia Tergestina solatio destituta pastoris, nos ad personam tuam claris virtutum titulis insignitam nostre mentis aciem dirigentes, te de fratrum nostrorum consilio eidem ecclesie in Episcopum prefecimus et pastorem, curam et administrationem ipsius tibi in spiritualibus ot temporalibus plenarie committentes, prout in nostris inde confectis littoris plenius continetur. Cum autem, postmodum per Venerabilem fratrem nostrum Petrum Episcopum Penostrinum tibi fecerimus munus consecrationis impendi, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenus apostolico sedis beneplacitis te conformans, ad predictam ecclesiam cum nostre benedictionis gratia te personaliter conferens, sic te in administratione ipsius diligenter et solicite gerere studeas, ut utilis administratoris industrie non immerito gaudeat se commissam, ac fame laudabilis tue odor ex tuis probabilibus actibus latius diffundatur, ot preter retributionis eterne premium, nostre benivolencie graciam et favorem exinde uberius consequaris. Datum Avinione II. Idus Marcii, Pontificatus nostri Anno Quinto.

CCXC.

Duci Venetiarum, ut Matthaeo ejo Ausarensi assistat auxilio et favoribus opportunis, ut ad ecclesiam ipsam pacifice admittatur, amoto ab ea quodam intruso. Reg. An. VI. Secret. epist. 1061.

CLEMENS EPISCOPUS etc. Dilecto filio Nobili viro Andree Dandulo Duci Voneciarum, salutem etc. Cum ecclesie Ausarensi tunc pastore carenti de persona Venerabilis fratris nostri Mathei Episcopi Ausa-

rensis duxerimus providendum, preficiendo ipsum eidem ecclesie in Episcopum et pastorem, et quidam Laurencius in eadem ecclesia se intrusisse dicatur: Nobilitatem tuam attente rogamus, quatinus eidem Episcopo, quod ad prefatam ecclesiam admittatur pacifice, amoto ab ea intruso predicto et alio quolibet detentore, pro nostra et apostolice sedis reverencia assistas auxiliis et favoribus oportunis, faciens ei restitui nonnulla privilegia, litteras et scripturas ecclesiam tangentes memoratam, que apud dilectum filium Martinum de Spaleto, civem Spalensem (sic), Veneciis commorantem esse asserit Episcopus memoratus. Datum Avinione Nonis Februarii, Pontificatus nostri Anno Sexto.

CCXCI.

Communi civitatis Tergestinae, ut dominium eiusdem civitatis et castri Mothoni eorum episcopo restituant. Reg. An. VI. Secret. ep. 1138.

Clemens episcopus etc. Dilectis filiis Regiminibus, Consilio et Communi Civitatis Tergestine, salutem etc. Venerabilis fratris nostri Ludovici Episcopi Tergestini habet expositio facta, quod licet Civitas Tergestina et Castrum Mothoni Tergestine diocesis ecclesie Tergestine spiritualiter et temporaliter sint subiecta, et ad eam pertineant pleno iure: vos tamen Civitatis et Castri predictorum dominium, necnon decimas et alia iura in eis ad eandem ecclesiam pertinentia contra iusticiam occupatis, et detinetis indebite occupata in grave Epi et ecclesie predictorum preiudicium et gravamen. Quocirca Universitatem vestram attente rogamus, quatinus attendentes, quod hec, si vera sint, vestrum, quem in eis inreverenter offenditis, provocare possent contra vos graviter creatorem, dominium Civitatis, necnon decimas et alia iura huiusmodi eisdem Episcopo et ecclesie pro nostra et apostolice sedis reverencia, ac vestre quoque consideracione salutis libere ac sine impedimento quolibet dimittatis, ita quod devotionem vestram dignis graciarum actionibus prosequamur. Datum Avinione xiii. Kal. Marcii, Pontificatus nostri Anno Sexto.

CCXCII.

Duci Venetiarum, ut ad castrum Humagii Tergestinae dioecesis, quod commune Venetiarum detinere dicitur, episcopo Tergestino restituendum suas partes interponat. Reg. An. VI. Secret. ep. 1137.

Clemens episcopus etc. Dilecto filio Andree Dandulo Duci Veneciarum, salutem etc. Cum, sicut Venerabilis fratris nostri Ludovici Episcopi Tergestini assertione percepimus, Castrum Humagii Tergestine diocesis, quod dilecti filii Commune Veneciarum detinere dicuntur, ad ecclesiam Tergestinam pertineat pleno iure: Nobilitatem tuam attente rogamus, quatinus, si est ita, penes dictos Commune et alias, prout fuerit oportunum, pro ipsius Castri restitutione prefatis Episcopo et ecclesie facienda sic favoris tui partes pro nostra et apostolice sedis revcrencia efficaciter interponas, quod iura sua illibata predicte serventur ecclesie, ac nos devotionem tuam dignis graciarum actionibus prosequamur. Datum Avinione xiii. Kal. Marcii, Pontificatus nostri Anno Sexto.

CCXCIII.

Matthaeus de Ragusia ordinis fratrum Minorum recipitur in capellanum pontificium. Reg. An. VII. Lib. 5. part. 2. ep. 67.

Clemens episcopus etc. Dilecto filio Matheo de Ragusia ordinis fratrum Minorum, salutem etc. Virtutibus clarens et meritis, sicut apud nos fame laudabilis testimonio commendaris, in nostro et apostolice sedis conspectu graciam meruisti, quod personam tuam benivolencia paterna prosequimur, et etiam libenter attollimus honoris gracia specialis. Ut igitur in effectu percipias, quod suggerit nostre mentis affectus, te promissorum intuitu in nostrum et dicte sedis Cappellanum graciose recipimus, ac nostrorum et ipsius sedis Cappellanorum consortio favorabiliter aggregamus, intendentes, quod per hoc favoris apostolici presidia plenius sorciaris. Sic igitur de bono in melius studiis virtutum intendas, quod ad faciendum tibi pleniorem graciam merito invitemur. Nulli ergo etc. nostre receptionis et aggregationis infringere etc. Datum Avinione viii. Idus Iulii, Pontificatus nostri Anno Septimo.

CCXCIV.

Stephanus canonicus Tragurieusis ecclesiae Farensi in episcopum praeficitur. Reg. An. VII. Tom. 3. epist. 251.

Clemens episcopus etc. Dilecto filio Stephano Michaelis Electo Farensi, salutem etc. Dum ad universas orbis ecclesias iuxta pastoralis officii debitum etc. Dudum siquidem bone memorie Iohanne

Episcopo Farensi regimini Farensis ecclesie presidente, Nos intendentes eidem ecclesie, cum vacaret, per apostolice sedis provideuciam utilem et ydoneam presidere personam, provisionem eiusdem ecclesie provisioni et ordinationi nostre ea vice specialiter reservantes, decrevimus ex tunc irritum et inane, si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari. Postmodum vero dicta ecclesia per obitum ipsius Iohannis Episcopi, qui in partibus illis diem clausit extremum, pastoris solatio destituta, Nos vacatione huiusmodi fidedignis relatibus intellecta ad provisionem ecclesie predicte, de qua nullus preter nos disponere potuit neque potest, reservatione et decreto obsistentibus supradictis, ne longe vacacionis subiaceret incommodis, paternis ot sollicitis studiis intendentes, post deliberationem, quam super hiis habuimus cum nostris fratribus diligentem, demum ad te Canonicum ecclesie Tragurieusis, in diaconatus ordine constitutum, litterarum sciencia preditum, vite ac morum honcstate decorum, in spiritualibus providum et in temporalibus circumspectum, aliisque multiplicium virtutum meritis, prout ex fidedignis accepimus testimoniis, laudabiliter insignitum, direximus oculos nostre mentis: quibus omnibus attenta meditatione pensatis, de persona tua prefate ecclesie Farensi de dictorum fratrum consilio auctoritate apostolica providemus, teque illi preficimus in Episcopum et pastorem, curam et administrationem ipsius tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, in illo qui dat gracias et largitur premia confidentes, quod dicta Farensis ecclesia per tue circumspectionis industriam et prudenciam circumspectam sub tuo felici regimine, gracia tibi assistente divina, salubriter et prospere dirigetur. Iugum itaque domini tuis impositum humeris prompta devocione suscipiens, et suavi eius oneri colla flectens, curam et administrationem predictas sic exercere studeas sollicite, fideliter et prudonter, quod prefata Farensis ecclesia gubernatori provido et fructuoso administratori gaudeat se commissam, ac bone fame tue odor ex laudabilibus actibus tuis latius diffundatur, tuque preter eterne retributionis premium nostram et eiusdem sedis graciam uberius consequi merearis. Datum Avinione v. Nonas Octobris, Pontificatus nostri Anno Septimo.

In e. m. Dilectis filiis Capitulo ecclesie Farensis, Clero et populo Civitatis et diocesis Farensis, universis Vassallis ecclesie Farensis, et Venerabili fratri ... Archiepiscopo Spalatensi.

CCXCV.

Andreae de Tuderto priori s. Augustini de Rossano, apostolicae sedis nuntio, super dispositione bonorum bon. mem. Ioannis archiepiscopi Spalatensis. Reg. An. VII. Secret. ep. 630.

Clemens episcopus etc. Dilecto filio Andree de Tuderto Priori sancti Augustini de Rossano et sancti Pauli ad ortum ordinis eiusdem sancti, apostolice sedis nuncio, salutem etc. Cum dispositionem bonorum mobilium ac debitorum et creditorum bone memorie Iohannis Archiepiscopi Spalatensis, vel que pertinebant ad eum tempore mortis sue, nobis ex cortis causis duxerimus reservandam, velimusque illa, ne pereant vel asportentur, aut devastentur vel consumantur indobite, sed ut de illis per nos possit ordinari utilius ot liberius, sicut expedire videbimus, fideliter et integraliter custodiri, discrecioni tue per apostolica scripta committimus ot mandamut, quatinus por to vol alium seu alios bona, credita et debita supradicta, quecunque sint, et in quibuscunque rebus consistant, ac per quascunque detineantur vel debeantur personas, super quibus simpliciter ot de plano, sine strepitu et figura iudicii, si necesse fuerit, te informes, petere, exigere, recipere ac fideliter conservare procures, Contradictores quoslibet super hiis et rebelles, cniuscunque status, ordinis, dignitatis vel condicionis existant, eciam si pontificali vel quavis alia prefulgeant dignitate, per censuram ecclesiasticam, appellacione postposita compescendo, Non obstante si cis vel eorum aliquibus communiter vel divisim a sede apostolica sit indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de vorbo ad verbum de indulto huiusmodi mencionem. Volumus autem, quod eos, a quibus receperis bona, debita et credita supradicta, possis absolvere plenius et quittare de hiis, que tibi exinde assignanda duxerint, seu eciam super hoc persolvenda, faciendo exinde confici duo consimilia publica instrumenta, quorum uno penes assignantes seu solventes ipsos dimisso, reliquum ad nostram mittere cameram non postponas. Datum Avinione vi. Kalendas Ianuarii, P. n. Anno Septimo.

CCXCVI.

Bartholomaeus episcopus Catharensis ad Tragurienscm ecclesiam transfertur. Reg. An. VII. Tom. 3. ep. 212.

Clemens episcopus etc. Venerabili fratri Bartholomeo Episcopo Tragurieusi, salutem etc. Romani Pontificis etc. Nuper siquidom Tragurieusi ecclesia per obitum bone memorie Lampredii Episcopi Tra-

guriensis, qui apud sedem apostolicam diem clausit extremum, pastoris solatio destituta, Nos ad provisionem ipsius ecclesie, ne prolixe vacationis subiaceret incommodis, paternis et solicitis studiis intendentes, cum nullus preter nos de provisione ipsius ecclesie se hac vice intromittere possit, pro eo quod nos diu ante vacationem huiusmodi omnes provisiones omnium ecclesiarum Cathedralium tunc apud predictam sedem vacantium, et vacaturarum imposterum apud eam ordinationi et dispositioni nostre specialiter reservantes decrevimus ex tunc irritum et inane, si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari, post deliberationem, quam de preficiendo eidem ecclesie personam utilem et etiam fructuosam cum fratribus nostris habuimus deligentem, demum ad te tunc Catherensem Epum, consideratis grandium virtutum meritis, quibus personam tuam divina gratia insignivit, et quod tu, qui regimini Catherensis ecclesie hactenus utiliter prefuisti, dictam Traguriensem ecclesiam scies et poteris, auctore domino, utiliter regere ac feliciter gubernare, nostrum animum duximus dirigendum. Intendentes itaque tam dicte Traguriensi ecclesie, quam eius gregi dominico salubriter providere, a vinculo, quo tenebaris eidem Catherensi ecclesie, cui tu preeras, de dicto fratrum consilio et apostolice potestatis plenitudine absolventes ad dictam Traguriensem ecclesiam te transferimus, teque illi in Episcopum preficimus et pastorem, curam et administrationem dicte Traguriensis ecclesie tibi tam in spiritualibus quam in temporalibus plenarie committendo, liberamque tibi dando licenciam ad eandem Traguriensem ecclesiam transeundi, firma ducti fiducia, quod tuos actus et opera illius clemencia dirigente, a quo Universorum cariamatum dona proveniunt, prelibate Traguriensi ecclesie per tuam curiosam solerciam, tuumque ministerium studiosum honoris et prosperitatis multiplicium votiva provenient incrementa. Quocirca fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenus ad prefatam Traguriensem ecclesiam cum gratia nostre benedictionis accedens, curam et administrationem predictas sic diligenter geras et solicite prosequaris, ut ipsa Traguriensis ecclesia gubernatori circumspecto et fructuoso administratori gaudeat se commissam, ac bone fame tue odor ex laudabilibus tuis actibus latius diffundatur, tuque preter retributionis eterne premium nostre benedictionis augmentum, ac ipsius sedis gratiam uberius consequi merearis. Datum Avinione III. Kalendas Februarii, Pontificatus nostri Anno Septimo.

In e. m. Capitulo ecclesie Traguriensis et Clero ac populo Civitatis et diocesis Traguriensis.

CCXCVII.

Francisco episcopo Iustinopolitano datur licentia ad suam ecclesiam eundi. Reg. An. VII. Lib. 5. par. 2. ep. 596.

Clemens episcopus etc. Venerabili fratri Francisco Episcopo Iustinopolitano, salutem etc. Pridem Iustinopolitana ecclesia solacio destituta pastoris, Nos ad personam tuam claris virtutum titulis insignitam nostre mentis aciem dirigentes, te de fratrum nostrorum consilio eidem ecclesie in Episcopum prefecimus et pastorem, curam et administrationem ipsius tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committentes, prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur. Cum autem postmodum per Venerabilem fratrem nostrum Bernardum Episcopum Hostiensem tibi fecerimus munus consecrationis impendi, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenus apostolice sedis beneplacitis te conformans ad predictam ecclesiam Iustinopolitanam cum nostre benedictionis gratia te personaliter conferens, sic te in administratione ipsius diligenter et solicite gerere studeas, ut utilis administratoris industrie non immerito gaudeat se commissam, ac fame laudabilis tue odor ex tuis probabilibus actibus latius diffundatur, et preter retributionis eterne premium nostre benevolencie graciam et favorem exinde uberius consequaris. Datum Avinione IV. Nonas Maii, Pontificatus nostri Anno Septimo.

CCXCVIII.

Antonius decanus Cretensis ecclesiae Tergestinae in episcopum praeficitur. Reg. An. VII. Tom. 3. ep. 255.

Clemens episcopus etc. Dilecto filio Antonio Electo Trigestino, salutem etc. Credite nobis dispensationis urgemur officio etc. Nuper siquidem Trigestina ecclesia pro eo vacante, quod nos Venerabilem fratrem nostrum Ludovicum Olenensem, tunc Trigestinum, Episcopum a vinculo, quo eidem ecclesie, cui tunc preerat, tenebatur, de fratrum nostrorum consilio et apostolice potestatis plenitudine absolventes, ipsum tunc apud sedem apostolicam constitutum ad Olenensem ecclesiam tunc vacantem duximus transferendum, preficiendo eum ipsi Olenensi ecclesie in Episcopum et pastorem, Nos attendentes, quod nullus preter nos hac vice de ipsius ecclesie Trigestine provisione se intromittere potuit neque potest, pro eo quod nos diu ante huiusmodi vacationem ipsius Trigestine ecclesie provisiones omnium ecclesiarum Cathedralium tunc apud dictam sedem vacantium, et vacaturarum inantea apud

eam ordinationi et dispositioni nostre specialiter reservantes, decrevimus ex tunc irritum et inane, si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari, et ad provisionem ipsius ecclesie Trigestine prosperam et felicem, ne prolixe vacationis detrimenta sentiret, paternis et solicitis studiis intendentes, post deliberationem, quam ad preficiendum ipsi ecclesie Trigestine personam utilem et etiam fructuosam, que sciret, vellet et posset eam preservare a noxiis et adversis, ac in suis manutenere iuribus et etiam adaugere, cum fratribus nostris habuimus diligentem, demum ad te Decanum ecclesie Cretensis, in sacerdotio constitutum, litterarum sciencia preditum, vite ac morum honestate decorum, in spiritualibus providum et in temporalibus circumspectum, ac aliis virtutum meritis, prout testimoniis fidedignis accepimus, insignitum, convertimus oculos nostre mentis: quibus omnibus debita meditatione pensatis, de persona tua, nobis et eisdem fratribus consideratione premissorum accepta, prefate Trigestine ecclesie de fratrum ipsorum consilio auctoritate apostolica providemus, teque illi proficimus in Epum et pastorem, curam et administrationem ipsius ecclesie Trigestine tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, firma ducti fiducia, quod tuos actus et opera illius, a quo Universorum carismatum dona proveniunt, clemencia dirigente, prefata Trigestina ecclesia per tuam curiosam solerciam tuumque ministerium studiosum regatur utiliter et prospere dirigetur. Iugum igitur dominicum humeris tuis impositum suscipiens roverenter et suavi eius oneri humiliter colla submittens, ipsius Trigestine ecclesie solicitam curam geras, gregem dominicum in illa tue vigilancie creditum doctrina verbi et operis informando, ita quod eadem Trigestina ecclesia gubernatori circumspecto et fructuoso administratori gaudeat se commissam, ac bone fame tue odor ex laudabilibus tuis actibus latius diffundatur, tuque proinde preter retributionis eterne premium nostre benedictionis augmentum, ac sedis apostolice gratiam uberius consequi mereearis. Datum Avinione III. Kalend. Aprilis, Pontificatus nostri Anno Septimo.

In o. m. Dilectis filiis Capitulo ecclesie Trigestine, Clero et populo Civitatis et diocesis Trigestine, universis Vassallis ecclesie Trigestine, ot Venerabili fratri . . . Patriarche Aquilegensi.

CCXCIX.

Dominico archiepiscopo Antibarensi datur licentia ad suam ecclesiam recedendi. Reg. An. VII. Lib. 5. par. 2. ep. 547.

CLEMENS EPISCOPUS etc. Venorabili fratri Dominicò Archiepiscopo Antibarensi, salutem etc. Pridem Antibarensi ecclesia pastoris regimine destituta, Nos ad personam tuam claris virtutum titulis insignitam nostre mentis aciem dirigentes, te de fratrum nostrorum consilio eidem ecclesie in Archiepum prefecimus et pastorem, curam et administrationem illius tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur, tibique deinde fecimus per Venerabilem fratrem nostrum Petrum Episcopum Ponestrinum munus consecrationis impendi. Cum autem postmodum palleum, insigne plenitudinis videlicet pontificalis officii, pro parte tua fuisset a nobis cum ea qua docuit instancia postulatum, ipsum de corpore beati Petri sumptum per dilectos filios nostros Galhardum sancte Lucie in Silice et Bernardum sancti Eustachi dyaconos Cardinales tibi fecimus assignari, ut illo infra ecclesiam tuam illis dumtaxat diebus utaris, qui expressi in ipsius ecclesie privilegiis continontur, recepto per eos a te postmodum nostro ot ecclesie Romane nomine fidelitatis debite solito iuramento. Ut igitur signum non discrepat a signato, sed quod geris exterius, intus serves in mente, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenus apostolice sedis beneplacitis te conformans ad predictam ecclesiam cum nostre benedictionis gratia te personaliter conferens, humilitatem et iusticiam observare studeas, quo suum servant et promovent servatorem, sic te in predicte administratione ecclesie diligenter et solicite habiturum, quod ecclesia ipsa utili administratori gaudeat se commissam, ac fame laudabilis tue odor ex tuis probabilibus actibus latius diffundatur, et preter rotributionis eterne premium nostre benevolencie gratiam et favorem exinde uberius consequaris. Datum Avinione IV. Kalondas Maii, Pontificatus nostri Anno Septimo.

CCC.

Hugolino archiepiscopo Spalatensi licentia ad suam ecclesiam accedendi datur. Reg. An. VII. Tom. 3. ep. 1136.

CLEMENS EPISCOPUS etc. Venerabili fratri Hugolino Archiepiscopo Spalatensi, salutem etc. Nos ad personam tuam claris virtutibus insignitam nostre mentis aciem dirigentes, de fratrum nostrorum consilio eidem (sic) ecclesie in Archiepum prefecimus ot pastorem, ouram et administrationem illius tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, prout in nostris inde conofectis litteris plenius

continetur. Cum autem postmodum palleum, insigne videlicet plenitudinis pontificalis officii, pro parte tua fuisset a nobis cum ea qua decuit instancia postulatum, ipsum de corpore beati Petri sumptum per dilectos filios nostros Galhardum sancte Lucie in Silice et Bernardum sancti Eustachii dyaconos Cardinales tibi fecimus assignari, ut illo infra ecclesiam tuam illis dumtaxat diebus utaris, qui expressi in ipsius ecclesie Spalatensis privilegiis continentur, recepto a te postmodum nostro et ecclesie Romane nomine fidelitatis debite solito iuramento. Ut igitur signum non discrepet a signato, sed quod geris exterius, intus serves in mente, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenus apostolice sedis beneplacitis te conformans ad predictam ecclesiam cnm nostre benedictionis gratia te personaliter conferens, humilitatem et iusticiam observare studeas, que suum servant et promovent servatorem, sic te in predicte ecclesie administratione diligenter et solicite habiturum, quod ecclesia ipsa utili administratori et provido non immerito gaudeat se commissam, ac fame laudabilis tue odor ex tuis probabilibus actibus latius diffundatur, et preter retributionis eterne premium nostre benivolencie gratiam et favorem exinde uberius consequaris. Datum Avinione II. Idus Maii, Pontificatus nostri Anno Septimo.

CCCI.

Ioannes abbas s. Satiri Bituricensis dioec. praeficitur in episcopum Scardonensem. Reg. An. IX. Tom. 1. ep. 52.

Clemens episcopus etc. Dilecto filio Iohanni Electo Scardonensi, salutem etc. Angit nos cura pastoralis officii etc. Dudum siquidom bone memorie Andrea Episcopo Scardonensi regimini Scardonensis ecclesie presidente, nos cupientes eidem ecclesie, cum vacaret, ydoneam secnndum cor nostrum presidere personam, provisionem eiusdem ecclesie ea vice dispositioni nostre duximus reservandam, decernentes extunc irritum et inane, si secus super hiis a qnoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari. Postmodum autem dicta ecclesia per obitum dicti Andree, qui extra Romanam Curiam diem clausit extremum, vacante, nos vacationem huiusmodi fidedignis relatibns intellecta ad provisionem ipsius ecclesie, de qua nullus preter nos hac vice se intromittere potest, reservatione et decreto obsistentibus supradictis, ne longe vacationis exponeretur incommodis, paternis et solicitis studiis intendentes, post deliberationem, quam super hiis cum fratribus nostris habuimus diligentem, demum ad te, tunc Abbatem monasteriis sancti Satiri ordinis sancti Augustini Bituricensis dioccesis, virum utique vite laudabilis et conversationis honeste, litterarum sciencia preditum, morum honestate decorum, in spiritualibus providum et temporalibus circumspectum, ac aliis multiplicium virtutum meritis apud nos fidedignorum testimonio commendatum, convertimus oculos nostre mentis: quibus omnibus diligenti meditatione pensatis, de persona tua eidem ecclesie de dictorum fratrum consilio auctoritate apostolica providemus, teque illi preficimus in Episcopnm et pastorem, curam et administrationem ipsius ecclesie tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, in illo qui dat gratias et largitur premia confidentes, quod eius dextera tibi assistente propitia eadem ecclesia per tue circumspectionis industriam prospere dirigetur, et salubria, dante domino, suscipiet incrementa. Quocirca discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus impositum tibi onus a domino devote suscipiens, curam et administrationem predictas sic diligenter gerere studeas, ac salubriter prosequaris, quod eadem Scardonensis ecclesia tue vigilancie studio votivis amplietur commodis et honoribus, (ac) divina cooperante clemencia prospere dirigatur, tuque nostram et dicto sedis gratiam tanquam benedictionis et obediencie filius uberius consequi merearis. Datum Avinione III. Nonas Novembris, Pontificatus nostri Anno Nono.

In e. m. Capitulo ecclesie Scardonensis et Archiepiscopo Spalatensi.

CCCII.

Eidem Ioanni conceditur, ut usque ad annum a quocumque maluerit catholico antistite consecrationis munus valeat recipere. Reg. An. IX. Lib. 3. par. 2. ep. 382.

Clemens episcopus etc. Dilecto filio Iohanni Electo Scardonensi, salutem etc. Sincere devotionis affectus, quem ad nos et Romanam geris ecclesiam, promeretur, ut in hiis, que sunt favoris et gratie, nos tibi promptos gaudeas invenisse. Cum itaque nuper Scardonensi ecclesie tunc vacanti de persona tua, nobis et fratribus nostris ob tuorum exigenciam meritorum accepta, de fratrum eorumdem consilio auctoritate apostolica duxerimus providendum, preficientes te eidem ecclesie in Episcopum et pastorem, prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur. Nos ad ea, que ad tue commoditatis augmentum cedere valeant, favorabiliter intendentes, tuis supplicationibus inclinati tempus recipiendi munus

consecrationis a canonibus diffinitum, infra quod adhuc fore dinoscens, tibi usque ad unum annum a data presentium computandum auctoritate predicta de speciali gratia prorogamus, et nichilominus tibi, ut a quoquam maluerit catholico antistite gratiam et communionem apostolice sedis habente, ascitis et in hoc sibi assistentibus duobus vel tribus catholicis Episcopis similem gratiam et communionem habentibus, munus consecrationis recipere valeas, et eidem Antistiti, ut munus predictum auctoritate nostra impendere libere tibi possit, plenam et liberam concedimus tenore presentium facultatem: proviso quod ecclesia ipsa interim in spiritualibus non ledetur, nec patiatur in temporalibus perinde detrimentum, quodque idem Antistes, qui tibi prefatum munus impendet, postquam tibi illud impenderit, a te nostro et ecclesie Romane nomine fidelitatis debite solitum recipiat iuramentum iuxta formam, quam sub bulla nostra mittimus interclusam, ac formam iuramenti, quod te prestare contigerit, nobis de verbo ad verbum per suas patentes litteras suo sigillo signatas per proprium nuncium quantocius destinare procuret, et quod per hoc Venerabili fratri nostro... Archiepiscopo Spalatensi, cui prefata ecclesia metropolitico iure subesse dinoscitur, nullum imposterum preiudicium generetur. Datum Avinione II. Kalendas Decembris, Pontificatus nostri Anno Nono.

CCCIII.

Maurus archipresbyter Gazchensis ecclesiae Corbaviensi praeficitur in episcopum. Reg. An. IX. Lib. 4. par. I. ep. 61.

CLEMENS EPISCOPUS etc. Dilecto filio Mauro Electo Corbaviensi, salutem etc. Inter cetera, que superna dispositione nobis imminent peragenda, ad id nimirum solliciti reddimur, ut viduatis ecclesiis tales preficiamus in pastores, per quorum industriam et solicitudinem circumspectam indempnitati eorum provideatur salubriter, ac in spiritualibus et temporalibus proficere valeant incrementis. Dudum siquidem bone memorie Lupo Episcopo Corbaviensi regimini Corbaviensi ecclesie presidente, Nos cupientes eidem ecclesie, cum illam vacare contingeret, per apostolice sedis providenciam utilem et ydoneam presidere personam, provisionem ipsius ecclesie ordinationi et dispositioni nostre ea vice duximus specialiter reservandam, decernentes extunc irritum et inane, si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter (...) contingeret attemptari. Postmodum vero dicta ecclesia per obitum Lupi Episcopi supradicti, qui extra Romanam Curiam diem clausit extremum, pastoris solatio destituta, Nos ad provisionem ipsius ecclesie, de qua nullus preter nos hac vice disponere potuit neque potest, reservatione et decreto obsistentibus supradictis, ne longe vacationis subiaceret incommodis, paternis et solicitis studiis intendentes, post deliberationem, quam de preficiendo eidem ecclesie personam utilem et etiam fructuosam habuimus cum nostris fratribus diligentem, demum ad te Archipresbiterum ecclesie Gazchensis Signiensis diocesis, in sacerdotio constitutum, litterarum sciencia preditum, in spiritualibus providum et in temporalibus circumspectum, aliisque multiplicium virtutum meritis, prout ex fidedignorum accepimus testimonio, laudabiliter insignitum, direximus oculos nostre mentis: quibus omnibus attenta meditatione pensatis, de persona tua prefate Corbaviensi ecclesie de dictorum fratrum consilio auctoritate apostolica providemus, teque illi preficimus in Episcopum et pastorem, curam et administrationem ipsius tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, in illo qui dat gratias et largitur premia confidentes, quod dicta Corbaviensis ecclesia per tue circumspectionis industriam sub tuo felici regimine, gratia tibi assistente divina, salubria suscipiet incrementa. Iugum itaque tibi tuis impositum humeris prompta devotione suscipiens et reverenter suavi eius oneri collum flectens, curam et administrationem predictas sic exercere studeas solicite, fideliter et prudenter, gregem dominicum in eadem Corbaviensi ecclesia tibi credita doctrina verbi et operis iuxta datam tibi a deo prudenciam informando, quod eadem Corbaviensis ecclesia per tue circumspectionis industriam votivis iugiter proficiat commodis et successibus prosperis augeatur, ac tu proinde divinam, dicte sedis ac nostram benedictionem et gratiam uberius consequi mereraris. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis X. Kal. Aprilis, Pont. nostri Anno Nono.

In e. m. Clero et populo Civitatis et diocesis Corbaviensis et Archiepiscopo Spalatensi.

CCCIV.

Andreas Citer ord. Minorum professor ecclesiae Balazensi praeficitur in episcopum. Reg. An. X. Tom. I. ep. 22.

CLEMENS EPISCOPUS etc. Dilecto filio Andree Citer Electo Balazensi, salutem etc. Summi dispositione Rectoris ad regimen universalis ecclesie deputati etc. Dudum siquidem bone memorie Gervico Episcopo Balazensi regimini Balazensis ecclesie presidente, Nos cupientes eidem ecclesie, cum vacaret, per apostolice sedis providenciam ydoneam presidere personam, provisionem ipsius ecclesie Balazensis

ea vice dispositioni et ordinationi nostre duximus specialiter reservandam, decernentes ex tunc irritum et inane, si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari. Postmodum vero prefata ecclesia per obitum eiusdem Gervici, qui nuper extra Romanam Curiam diem clausit extremum, pastoris solatio destituta, nos vacatione huiusmodi fidedignis relatibus intellecta, ad provisionem ipsius ecclesie celerem et felicem, de qua nullus preter nos hac vice se intromittere potest, reservatione et decreto obsistentibus supradictis, ne ipsa Balazensis ecclesia longe vacationis exponeretur incommodis, paternis et solicitis studiis intendentes, ac cupientes eidem talem preesse personam, que sciret, vellet et posset eam preservare a noxiis et adversis, et in suis manutenere iuribus et etiam adaugere, post deliberationem, quam de preficiendo eidem ecclesie personam utilem et etiam fructuosam cum fratribus nostris habuimus diligentem, demum ad te ordinis fratrum Minorum professorem, in sacerdotio constitutum, litterarum sciencia preditum, religionis zelo conspicuum, vite ac morum honestate decorum, in spiritualibus providum et temporalibus circumspectum, aliisque multiplicium virtutum meritis, prout etiam fidedignorum testimoniis accepimus, insignitum, pro quo etiam dilecti filii Capitulum dicte ecclesie nobis super hoc humiliter supplicarunt, direximus oculos nostre mentis: quibus omnibus debita meditatione pensatis, de persona tua eidem ecclesie de dictorum fratrum consilio auctoritate apostolica providemus, teque illi preficimus in Episcopum et pastorem, curam et administrationem ipsius tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, in illo qui dat gratias et largitur premia confidentes, quod eadem ecclesia Balazensis sub tuo felici regimine, gratia tibi assistente divina, prospere dirigetur et salubria suscipiet incrementa. Iugum igitur domini tuis impositum humeris suscipiens reverenter, et suavis eius oneri humiliter colla summittens, eiusdem Balazensis ecclesie solicitam curam geras, gregem dominicum in illa tibi commissum doctrina verbi et operis informando, ita quod dicta Balazensis ecclesia gubernatori circumspecto et fructuoso administratori gaudeat se commissam, ac bone fame tue odor ex laudabilibus tuis actibus latius diffundatur, tuque preter eterne retributionis premium nostre benevolencie gratiam valeas uberius promereri. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis Kalendis Iunii, Pontificatus nostri Anno Decimo.

In e. m. Dilectis filiis Capitulo ecclesie Balazensis, populo Civitatis et diocesis Balazensis, et Venerabili fratri... Archiepiscopo Antibarensi.

CCCV.

Duynus episcopus Resinensis ad ecclesiam Catharensem transfertur. Reg. An. XI. Tom. I. op. 13.

Clemens episcopus etc. Venerbili fratri Duyno Episcopo Catharensi, salutem etc. Quam sit onusta dispendiis etc. Dndnm siquidem bone memorie Adam Episcopo Catharensi regimini Catharensis ecclesie presidente, nos cupientes eidem ecclesie, cnm eam vacare contingeret, utilem et fructuosam per apostolice sedis providenciam preesse personam, provisionem eiusdem ecclesie dispositioni nostre ea vice duximus specialiter reservanda, decernendo extunc irritum et inane, si secus super hiis a quoquam quavis anctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari. Postmodum vero dicta ecclesia per obitum ipsius Ade Episcopi, qui extra Romanam curiam debitum nature persolvit, pastoris solatio destituta, nos vacatione huiusmodi fidedignis relatibus intellecta ad provisionem ipsius ecclesie celerem et felicem, de qua nullus preter nos se hac vice intromittere potest, reservacione et decreto obsistentibus supradictis, ne longe vacacionis deploraret incommoda, paternis et sollicitis studiis intendentes, cupientes quoqne ipsi ecclesie Catharensi talem preesse personam, qne sciret, vellet et posset eam preservare a noxiis et adversis, et in suis manutenere iuribus ac etiam adaugere, post deliberationem, quam super hiis cum fratribus nostris habuimus diligentem, demum ad te tunc Episcopum Resinensem, consideratis grandium virtutum tuarum meritis, quibus personam tuam altissimus insignivit, et quod tu Resinensi ecclesie hactenus laudabiliter prefuisti, convertimus oculos nostre mentis. Intendentes itaque tam dicte Catharensi ecclesie quam gregi dominico eiusdem salubriter et utiliter providere, te a vinculo, quo ipsi Resinensi ecclesie, cui tunc preeras, tenebaris, de fratrum ipsorum consilio et apostolice potestatis plenitudine absolventes, te ad prefatam Catharensem ecclesiam transferimus, teque illi preficimus in Episcopum et pastorom, curam et administrationem eiusdem Catharensis ecclesie tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, liberamque tibi dando licenciam ad prefatam Catharensem ecclesiam transeundi, firma spe fiduciaque, quod dirigente domino actus tuos prefata ecclesia Catharensis per tue industrie et circumspectionis fructuosum studium regetur utiliter et prospere dirigetur, grataque in eisdem spiritualibus et temporalibus, auctore domino, suscipiet incrementa. Quocirca

fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenus ad dictam Catharensem ecclesiam cum gratia nostre benedictionis accedens, curam et administrationem predictas sic exercere studeas solicite, fideliter et prudenter, quod ipsa Catharensis ecclesia per tue cooperationis ministerium votivis iugiter proficiat commodis et successibus prosperis augeatur, ac tu proinde divinam, prefate sedis et nostram benedictionem et gratiam uberius consequi merearis. Datum Avinione II. Kalendas Novembris, Pontificatus nostri Anno Undecimo.

In e. m. Dilectis filiis Capitulo ecclesie Catharensis, populo Civitatis et diocesis Catharensis, et Venerabili fratri ... Archiepiscopo Barensi.

EPISTOLAE INNOCENTII PP. VI.

CCCVI.

Archiepiscopo Ragusino, ut episcopo Casinensi ad quedam bona existentia in civitate Ragusina recuperanda faveat.
Reg. An. I. Secret. ep. 217.

INNOCENTIUS EPISCOPUS etc. Venerabili fratri ... Archiepiscopo Ragusino, salutem etc. Venerabilis fratris nostri Francisci Episcopi Casinensis, penitenciarie nostre curam gerentis, habet expositio facta nobis, quod ecclesia Casinensis habet et habuit a tempore, de cuius contrario memoria hominum non existit, in tuis Civitate ac diocesi Ragusina bona quedam valentia ultra trecentos florenos in redditibus annuatim, que nonnullorum effrenis ambitio, diu est, occupavit et detinet occupata in sanctis eorum dispendium et grave preiudicium Episcopi et ecclesie predictorum. Eandem igitur ecclesiam, monastice religionis matrem, pro reverencia beati Benedicti venerabilis confessoris, cuius ecclesia ipsa prima plantatio noscitur et insignitur vocabulo, cuiusque corpus requiescit in illa, et consideratione ipsius Epi, cui nos obsequiorum eius grata prestatio ad rependia obligat, favore apostolico prosequentes, fraternitatem tuam attente rogamus, quatenus procuratori eiusdem Episcopi circa recuperationem bonorum huiusmodi pro nostra et apostolice sedis reverencia et consideracione iusticie sic faveas et assistas, quod quantum apud te precum nostrarum primicie favoris invenerint, effectus operis indicet, ut huiusmodi precibus preceptum mandati strictioris adiicere non sit opus. Datum Avinione XVIII. Kal. Decembris, Pontificatus nostri Anno Primo.

CCCVII.

Blasius episcopus Tiniensis in causa servitiorum communium camerae apostolicae praestandorum ad Romanam curiam suos procuratores mittit. Ex originali.

IN nomine domini, Amen. Anno a Nativitate eiusdem M.CCC.LIV., Indictione VII., die penultima mensis Iulii, Pontificatus sanctissimi in Christo patris et domini nostri, domini Innocentii divina providencia pape VI. anno secundo. In mei notarii publici et testium subscriptorum, ad hoc specialiter vocatorum et rogatorum, presencia constitutus personaliter Reverendus pater dominus Blasius dei et apostolica gracia Episcopus Tiniensis suo nomine et ipsius ecclesie fecit, constituit et ordinavit suos veros et legitimos procuratores, actores, factores ac nuncios speciales Reverendum dominum fratrem Dominicum de Novolaco dictum Ungarum, penitenciarium domini nostri pape, ac discretos viros dños Olenum de Boemia et Iohannem dictum Lombos procuratores in Romana Curia licet absentes tanquam presentes, et quemlibet eorum in solidum, ita quod non sit melior condicio occupantis, sed quod unus eorum incepit, alter valeat prosequi et finire, ad offerendum et solvendum vice et nomine suo et sue ecclesie suum commune servicium domino nostro Summo Pontifici et eius Camere, et eius Collegio Reverendorum dominorum Cardinalium sancte Romane ecclesie, ac quecumque servicia consueta familiarium et officialium eorumdem, et ad promittendum Reverendis patribus dominis Camerariis dicti domini pape et Collegii memorati dictum commune servicium, seu illam summam pro eo, de qua fuerit

ordinatum, et quecumque servicia persolvere eisdem Camere, Collegio et familiaribus, seu ipsis dñis Camerariis recipientibus pro eisdem in loco et termino, seu locis et terminis, quos ipsi domini Camerarii duxerint prefigendos; necnon et ad obligandum et submittendum ipsum Inrisdictioni Camere supradicte et dictorum Camerariorum, et cuiuslibet eorum, ac ipsorum Vicesgerencium, ad prorogandum in ipsum iurisdictionem et potestatem recipiendi precepta, moniciones, sentencias, excommunicaciones, suspensiones et interdicti penas, et aliam quamcumque obligacionem et penarum, quas iidem Camerarii vel ipsorum alter duxerint postulandas, iniungendas et promulgandas; et ad obligandum se nomine quo supra, ac ipsum et ecclesiam suam, et bona sua omnia et ecclesie sue, ac successores suos, et ad promittendum etiam, quod in Romana curia vel alibi ubicumqne dicti domini Camerarii mandabunt, curabit in termino ei prefigendo personaliter comparere, si in solucione defecerit supradicta, et qnod de dicto loco et curia, ubi comparere debebit, sine ipsorum licencia speciali, ac eciam nisi primo satisfecerit de serviciis supradictis non recedet; et ad omnes cautelas, condiciones et pacta consenciendum, que dicti domini Camerarii vel eorum alter in predicta obligacione duxerint apponenda, et ad omnia alia et singula facienda generaliter, que ipsemet facere, submittere, promittere, recipere, obligare, procurare et agere posset et deberet quoquomodo, si presens esset, que in premissis et circa premissa et eorum quolibet necessaria forent ac eciam oportuna; et eciam ad petendum et instanter implorandum et obtinendum vice et nomine suo, et pro ipso simpliciter et ad cautelam beneficium absolucionis a quacumque sentencia excommunicacionis lata vel ferenda contra ipsum per quoscumque et racione quacumque vel causa, eciam super dispensacione irregularitatis, si quocumque modo racione premissorum incurrisset vel incurreret. Volens etiam dictus constituens, quod proinde valeant, que per dictos procuratores vel aliquem eorum dicta, facta seu procurata fuerint, ac si per presens instrumentum attributa foret eisdem, et cuilibet eorum, vel ipsorum alteri specialis et expressa potestas, ac si omnes casus et articuli, in quibus circa predictam promissionem et obligacionem speciale mandatum exigerit ex premissis, hinc forent compositi et nominati; et ad iurandum in animam suam predicta omnia et singula attendere et observare, ac firmiter adimplere. Promittens idem constituens michi Notario publico infrascripto, tamquam persone publice solempniter stipulanti et recipienti vice et nomine omnium et singulorum supradictorum, et aliorum quorum interesit quoquomodo, se ratum, gratum et firmum perpetuo habere et tenere quicquid per dictos procuratores suos, vel eorum alterum actum (et) factum in premissis fuerit et quolibet promissorum, ac eciam ordinatum, sub ypotheca et obligacione omnium bonorum supradictorum presencinm et futurorum. Acta fuerunt hec in Castro Chezyn Tiniensis dyocesis, Anno, Indictione, die, mense et Pontificatu quibus supra, presentibus itaque honorabilibus et discretis viris dominis Petro Archidiacono Traguriensis ecclesie, Iacobo Vanucii clerico Firmane dyocesis, ac Andrea et Petro laicis testibus ad premissa vocatis specialiter et rogatis.

(L. S.) Et ego Iohannes Radozlai Canonicus ecclesie Zagrabiensis, publicus Imperiali auctoritate Notarius, dicte constitucioni procuratorum, et omnibus aliis et singulis, prout supra leguntur, una cum dictis testibus presens fui, eaqne omnia et singula manu propria scripsi, et in hanc publicam formam redegi, ac signo meo solito signavi rogatus et requisitus in testimonium premissorum.

CCCVIII.

Archiepiscopo Ragusino, ut Paulum Rogerii monasterio s. Marie de Rotezo ord. s. Benedicti Antibarensis dioecesis praficiat in abbatem. Reg. An. II. cod. chart. Tom. C. fol. 34.

Innocentius episcopus etc. Venerabili fratri ... Archiepiscopo Ragusino, salutem etc. Summi dispositione Rectoris ad regimen nniversalis ecclesie deputati curis assiduis augimur, ut quantum nobis ex alto permittitur, opem et opera impendamus, quod orbis ecclesie et monasteria universa pastorum destituta regimine per nostre diligencie ministerium viris committantur ydoneis, qui sciant, velint et valeant ecclesias et monasteria eis commissa studiose regere, prudenter dirigere et salubriter gubernare. Dudum siquidem fel. record. Clemens pp. VI. predecessor noster cupiens monasterio s. Marie de Rotezo ordinis sancti Benedicti Antibarensis diocesis, cuius tunc regimini quondam Marchus Abbas eiusdem monasterii presidebat, cum illud vacare contingeret, operationis sue ministerio utilem presidere personam, provisionem eiusdem monasterii ordinacioni et disposicioni sue duxit ea vice specialiter reservandam, decernendo ex tunc irritum et inane, si secus super hiis a qnoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari: et deinde prefato monasterio per ipsius Marchi obitum, qui dicto predecessore in humanis agente extra Romanam curiam diem clausit extremum, Abbatis regimine destituto, dilecti filii conventus dicti monasterii reservationis et decreto predictorum, sicut asseritur, ignari

dilectum filium Paulum Roggerii monachum dicti monasterii, ordinem ipsum expresse professum, et in sacerdotio constitutum, per viam compromissi in eorum et dicti monasterii Abbatem, licet de facto, concorditer elegerunt, idemque Paulus huiusmodi reservacionis et decreti ignarus eidem electioni prestans assensum obtinuit eam, quamvis de facto, a Venerabili fratre nostro ... Archiepo Antibarensi, reservacionem et decretum predicta similiter ignorante, auctoritate ordinaria confirmari, sibique eciam alias tamen rite munus benedictionis impendi, seque administracioni dicti monasterii in spiritualibus et temporalibus per quinquennium et ultra ingessit de facto: et demum huiusmodi reservacione et decreto ad ipsius Pauli deductis noticiam, dictoque predecessore per eum dicto monasterio non proviso de hac luce subtracto, premissa omnia proponi fecit in Consistorio coram nobis. Nos igitur electionem et confirmacionem easdem, utpote post et contra reservacionem et decretum attemptatas predicta, reputantes, prout sunt, irritas et inanes, ac cupientes eidem monasterio de persona utili salubriter provideri, fraternitati tue, de cuius circumspectione gerimus in domino fiduciam specialem, per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus de dicti Pauli meritis diligencius te informans, si eum ad hoc utilem et ydoneum esse reperoris, de ipso, alioquin de alia persona ydonea, que sciat et possit dicto monasterio in spiritualibus et temporalibus preesse utiliter et prodesse, hac vice eidem monasterio sancte Marie auctoritate nostra providere procures, illumque, de quo taliter duxeris providendum eidem monasterio, preficias in Abbatem, curam et administrationem ipsius monasterii eidem in spiritualibus et temporalibus plenarie commictendo, sibique faciendo a suis subditis obedienciam et reverenciam debitam exhiberi, Contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo: et nichilominus omnia per ipsum Paulum circa administrationem predictam, alias tamen rite gesta, si eum dicto monasterio prefeceris, et munoris impensionem premissa auctoritate approbes sepedicta: alioquin eidem alii persone, de qua ipsi monasterio duxeris providendum, munus benedictionis impendas, vel per alium antistitem graciam et communionem apostolice sedis habentem facias, ut est moris, impendi. Volumus autem, quod tu a dicto Paulo, vel tu aut idem antistes ab eadem alia persona, quam ipsi monasterio sancte Marie prefeceris, ut prefertur, nostro et ecclesie Romane nomine recipias vel recipiat fidelitatis debite solitum iuramentum iuxta formam, quam sub bulla nostra mittimus interclusam: formam autem iuramenti, quod ipsa persona prestabit, nobis per eius patentes litteras suo sigillo signatas per proprium nuncium quantocius destinare procures vel procuret. Datum Avinione II. Idus Februarii, Pontificatus nostri Anno Secundo.

CCCIX.

Demetrius episcopus Petinensis ad ecclesiam Nonensem transfertur. Reg. An. II. cod. chart. Tom. 6. fol. 43.

INNOCENTIUS EPISCOPUS etc. Venerabili fratri Demetrio Episcopo Nonensi, salutem etc. Quam sit onusta dispendiis etc. Dudum siquidem bone memorie Iohanne Episcopo Nonensi regimini Nonensis ecclesie presidento, Nos cupientes eidem ecclesie, cum eam vacare contingeret, utilem et fructuosam per apostolice sedis provideniam preesso personam, provisionem eiusdem ordinacioni et dispositioni nostre ea vice duximus specialiter reservandam, decernentes extunc irritum et inane, si secus super hiis per quoscumque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari. Postmodum vero dicta ecclesia per obitum ipsius Iohannis Episcopi, qui extra Romanam curiam debitum nature persolvit, pastoris solacio destituta, nos vacacione huiusmodi fidedignis relatibus intellecta ad provisionem ipsius ecclesie celorem et felicem, de qua nullus preter nos se hac vice intromittere potuit neque potest, reservacione et decreto obsistentibus supradictis, ne dicta ecclesia longa vacationis deploraret incommoda, paternis et solicitis studiis intendentes, cupientes quoque ipsi ecclesie Nonensi talem preesse personam, que sciret, vellet et posset eam preservare a noxiis et adversis, et in suis manutenere iuribus et etiam adaugere, post deliberacionem, quam super hiis cum fratribus nostris habuimus diligentem, demum ad te tunc Episcopum Petinensem, consideratis grandium virtutum tuarum meritis, quibus personam tuam altissimus insignivit, et quod tu Petinensi ecclesie hactenus laudabiliter prefuisti, convertimus oculos nostre mentis. Intendentes itaque tam dicte Nonensi ecclesie quam gregi dominico eiusdem salubriter et utiliter providere, te a vinculo, quo ipsi Petinensi ecclesie, cui tunc preeras, tenebaris, de dictorum fratrum consilio et apostolice potestatis plenitudine absolventes, te ad prefatam Nonensem ecclesiam transferimus, teque illi preficimus in Episcopum et pastorem, curam et administrationem eiusdem Nonensis ecclesie tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, liberamque tibi dando licenciam ad prefatam Nonensem ecclesiam transeundi, firma spe fiduciaque conceptis quod, dirigente divina

clemencia actus tuos, prefata Nonensis ecclesia per tue industrie et circumspectionis fructuosum studium regetur utiliter et prospere dirigetur, grataque in eisdem spiritualibus et temporalibus, auctore domino, suscipiet incrementa. Quocirca fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenus ad dictam Nonensem ecclesiam cum gracia nostre benedictionis accedens, curam et administracionem predictas sic exercere studeas solicite, fideliter et prudenter, quod eadem Nonensis ecclesia per tue cooperacionis ministerium votivis iugiter proficiat commodis, et successibus prosperis augeatur, ac tu proinde divinam, prefate sedis et nostram benedictionem et graciam uberius consequi merearis. Datum Avinione VIIII. Kalendas Marcii, Pontificatus nostri Anno Secundo.

In e. m. Dilectis filiis Capitulo ecclesie Nonensis, Cleri et populo Civitatis et diocesis Nonensis, et Venerabili fratri ... Archiepiscopo Spalatensi.

CCCX.

Nicolaus episcopus Cervicensis ad ecclesiam Petinensem transfertur. Reg. An. II. cod. chart. Tom. 6. fol. 45.

INNOCENTIUS EPISCOPUS etc. Venerabili fratri Nicolao Episcopo Petinensi, salutem etc. Quam sit onusta dispendiis etc. Nuper siquidem ecclesia Petinensi ex eo pastoris solatio destituta, quod nos Venerabilem fratrem nostrum Demetrium Nonensem, tunc Petinensem, Epum extra Romanam curiam existentem a vinculo, quo tenebatur eidem Nonensi ecclesie, cui tunc preerat, de fratrum nostrorum consilio et apostolice potestatis plenitudine absolventes, ipsum ad Nonensem ecclesiam tunc vacantem duximus transferendum, proficiendo eum ipsi Nonensi ecclesie in Episcopum et pastorem: Nos volentes eidem Petinensi ecclesie, ne dispendia longe vacationis incurreret, paterna solicitudine precavere, cum nullus preter nos hac vice de ipsius ecclesie Petinensis ordinatione se intromittere possit, pro eo quod nos diu ante vacationem huiusmodi eiusdem Petinensis ecclesie provisiones omnium Cathedralium ecclesiarum per translationes, per nos tunc inantea faciendas, de prelatis earum ubicumque existentibus tunc vacantium, et imposterum vacaturarum dispositioni nostre duximus reservandas, decernendo extunc irritum et inane, si secus super hiis per quoscunque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari, post deliberationem, quam de proficiendo eidem Petinensi ecclesie personam utilem et etiam fructuosam cum fratribus nostris habuimus diligentem, demum ad te tunc Cervicensem Episcopum, consideratis grandium tuarum virtutum meritis, quibus personam tuam divina gratia insignivit, et quod tu regimini Cervicensis ecclesie hactenus utiliter profuisti, dictam Petinensem ecclesiam scies et poteris, auctore domino, utiliter regere et feliciter gubernare, aciem nostre mentis duximus dirigendam. Intendentes itaque tam dicte Petinensi ecclesie quam eius gregi dominico salubriter providere, te a vinculo, quo tenebaris eidem Cervicensi ecclesie, cui tunc preeras, de dictorum fratrum consilio et apostolice potestatis plenitudine absolventes, te ad dictam Petinensem ecclesiam transferimus, teque illi proficimus in Episcopum et pastorem, curam et administrationem dicte Petinensis ecclesie tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, liberamque tibi dando licenciam ad eandem Petinensem ecclesiam transeundi, firma ducti fiducia, quod tuos actus et opera illius clemencia dirigente, a quo universorum carismatum dona proveniunt, prelibate Petinensi ecclesie per tuam solertem diligenciam, tuumque ministerium studiosum honoris et prosperitatis multiplicium votiva pervenient incrementa. Quocirca fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenus ad prefatam Petinensem ecclesiam cum gratia nostre benedictionis accedens, curam et administrationem predictas sic diligenter geras et solicite prosequaris, quod ipsa Petinensis ecclesia gubernatori circumspecto et fructuoso administratori gaudeat se commissam, ac bone fame tue odor ex laudabilibus actibus latius diffundatur, tuque preter eterne retributionis premium nostre benedictionis augmentum ac ipsius sedis gratiam uberius consequi mereari. Datum Avinione v. Kal. Aprilis, Pontificatus nostris Anno Secundo.

In e. m. Dilectis filiis Clero et populo Civitatis et diocesis Petinensis, Venerabili fratri Patriarche Aquilegensi et Nobili viro Alberto Comiti Goricie et Tirolis.

CCCXI.

Nicolao archiepiscopo Iadrensi, ut Mariottam de Padua praficiat in abbatissam monasterio B. Mariae de Ispia ord. s. Benedicti Paduanae dioecesis. Reg. An. II. cod. chart. Tom. 6. fol. 484.

INNOCENTIUS EPISCOPUS etc. Venerabili fratri Nicolao Archiepiscopo Iadrensi, salutem etc. Licet ex debito pastoralis officii de universis orbis ecclesiis et monasteriis cogitemus, ad illa tamen attentius dirigimus nostre considerationis intuitum, que ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinentia

vacationis incommodis exposita intuemur. Nuper siquidem pro parte dilectarum in Christo filiarum conventus monasterii beate Marie de Ispia, ad dictam Romanam ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis sancti Benedicti Paduane diocesis exposito in consistorio coram nobis, quod olim prefato monasterio per obitum quondam Beatricis Abbatisse dicti monasterii, que in illis partibus diem clausit extremum, vacante, dicte conventus attendentes industriam, mores et prudenciam dilecte in Christo filie Mariocte, nate quondam Boniohannis de Padua, monialis dicti monasterii, utpote provide et discrete etatis legitime ac dictum monasterium in prefato monasterio expresse professe, et in eo per quadraginta annos et ultra laudabiliter conversate, ac moribus et ipsius sancti regula in ipso monasterio hactenus plenarie instructe, docteque in litteratura ot cantu, in ipsam Marioctam direxerunt nnanimiter vota sua, ac pro parte ipsarum nobis humilitor supplicato, ut cum ipsa Mariocta sciat et possit iurisdictionem, iura et honores dicti monasterii defensare, ac moniales et conventum predictas bene regere et eciam gubernare, eisque preesse salubriter et prodesse, cum dicta Mariocta super defectu natalium, quem patitur de soluto genita ot soluta, dispensare, ac de persona ipsius dicto monasterio providere, ipsamque illi in Abbatissam preficere dignaremur: Nos dilecto filio nostro Iohanni sancti Georgii ad Velum aureum diacono Cardinali commissimus oraculo vive vocis, ut se super premissis diligencius informaret, nobis que super hiis inveniret postmodum relaturus. Ac deinde facta nobis per dictum Cardinalem in hac parte relatione fideli, quia per eam seu alias plenam habere nequivimus noticiam de premissis, nos ne propterea provisio dicti monasterii nimium differatur, fraternitati tue, de qua specialem in domino fiduciam gerimus, per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus de ipsius Marioete meritis plenarie te informes, et si per informationem huiusmodi eam alias ydoneam et utilem ad regimen et gubernationem ipsius monasterii esse reporeris, super quo tuam conscienciam onoramus, de persona prefate Mariocte huiusmodi defectu natalium non obstante, super quo secum auctoritate nostra dispenses, prefato monasterio hac vice eadem auctoritate provideas, eamque illi preficias in Abbatissam, curam et administrationem ipsius monasterii sibi in spiritualibus ot temporalibus committendo, sibique faciendo a suis subditis obedienciam et reverenciam debitas exhiberi, ac nichilominus impendas per te, vel per alium Antistitem gratiam et communionem apostolice sedis habentem munus facias benedictionis impendi, Contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo, Non obstantibus si eisdem conventui vel quibusvis aliis communiter etc. usque mentionem. Recepturus postmodum a dicta Mariocta nostro et ecclesie Romane nomine fidelitatis debite solitum iuramentum sub forma, quam sub bulla nostra mittimus interclusam: formam autem iuramenti, quod dicta Mariocta prestabit, nobis de verbo ad verbum per eius patentes litteras suo sigillo signatas per proprium nuncium quantocitius destinare procures. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis VI. Idus Iunii, Pont. nostri Anno Secundo.

CCCXII.

Paschal abbas monasterio s. Georgii de Culfo ord. s. Benedicti Catharensis diocesis praeficitur in abbatem.
Reg. An. II. cod. chart. Tom. 6. fol. 70.

INNOCENTIUS EPISCOPUS etc. Dilecto filio Paschali Abbati monasterii sancti Georgii de Culfo ordinis sancti Benedicti Catharensis diocesis, salutem etc. Inter solicitudines varias etc. Dudum siquidem monasterio sancti Georgii do Culfo ordinis s. Benedicti Catharensis diocesis per obitum quondam Bonaventure Abbatis dicti monasterii, qui extra Romanam curiam diem clausit extremum, vacante, nos, vacatione huiusmodi fidedignis relatibus intellecta, intendentes dicto monasterio per apostolice sedis provideneiam salubriter providori, provisionem ipsius monasterii disposicioni nostre ea vice duximus specialiter reservandam, decernentes ex tunc irritum et inane, si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari, ac ad provisionem ipsius monasterii celerem et felicem, de qua nullus preter nos ea vice post reservacionem ot decretum huiusmodi disponere potuit neque potest, ne longe vacacionis detrimenta subiret, paternis et solicitis studiis intendentes, post deliberacionem, quam de preficiendo eidem monasterio personam utilem et eciam fructuosam cum fratribus nostris habuimus diligentem, demum ad te tunc Abbatem monasterii sancti Pauli dicti ordinis Civitatensis diocesis, consideratis grandium tuarum virtutum meritis, quibus personam tuam fidedignorum testimoniis percepimus insignitam, direximus oculos nostre mentis: quibus omnibus debita meditatione pensatis, de persona tua eidem monasterio sancti Georgii de dictorum fratrum consilio auctoritate apostolica providemus, teque illi preficimus in Abbatem, curam et administrationem ipsius monasterii sancti Georgii tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, ac per Venerabilem fratrem nostrum

Petrum Episcopum Penestrinum apud sedem apostolicam tibi fecimus munus benedictionis impendi, in illo qui dat gracias et largitar premia confidentes, quod dextera domini tibi assistente propitia prefatum monasterium sancti Georgii per tue circumspectionis studium prospere dirigetur, et salubria, dante dño, suscipiet incrementa. Quocirca discrecioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus impositum tibi onus a domino suscipiens reverenter, curam et administracionem predictas sic salubriter geras et solicite prosequaris, quod dictum monasterium sancti Georgii administratori fructuoso gaudeat se commissum, tuque proinde premium eterne retributionis acquiras, ac nostram et dicte sedis gratiam et benedictionem valeas uberius promereri. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis Nonis Iulii, Pontificatus nostri Anno Secundo.

In e. m. Conventui Monasterii sancti Georgii de Culfo et ... Episcopo Catharensi.

CCCXIII.

Petrus lector ecclesiae Bosnensi praeficitur in episcopum. Reg. An. IV. cod. chart. Tom. 12. fol. 53.

Innocentius episcopus etc. Dilecto filio Petro Electo Bosnensi, salutem etc. Pastoralis officii debitum etc. Dudum siquidem bone memorie Peregrino Episcopo Bosnensi regimini Bosnensis ecclesie presidente, Nos cupientes eidem ecclesie, cum eam vacare contingeret, operationis nostre ministerio utilem presidere personam, provisionem eiusdem ecclesie ordinationi et dispositioni nostre ea vice duximus specialiter reservandum, decernentes ex tunc irritum et inane, si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari. Postmodum prefata ecclesia per obitum eiusdem Peregrini Episcopi, qui in partibus illis debitum nature persolvit, pastoris solatio destituta, dilecti filii Capitulum dicte ecclesie, reservationis et decreti predictorum, prout asseritur, ignari, tè Lectorem eiusdem ecclesie, in sacerdotio constitutum, in Episcopum Bosnensem licet de facto concorditer elegerunt, tuque reservationis et decreti predictorum similiter inscius eidem electioni prestitisti assensum: et demum reservatione et decreto predictis ad tuam deductis noticiam, proponi fecisti huiusmodi electionis negocium in consistorio coram nobis. Nos igitur electionem ipsam utpote post et contra reservationem et decretum attemptatam predicta reputantes, prout erat, irritam et inanem, et ad provisionem ipsius ecclesie, de qua nullus preter nos hac vice se intromittere potest, reservatione et decreto obsistentibus supradictis, ne longe vacationis exponeretur incommodis, paternis et solicitis studiis intendentes, post deliberationem, quam de preficiendo eidem ecclesie personam utilem et etiam fructuosam cum fratribus nostris habuimus diligentem, demum ad te, cui de litterarum sciencia, vite ac morum honestate, spiritualium providencia et temporalium circumspectione aliisque virtutum meritis apud nos laudabilia testimonia perhibentur, direximus oculos nostre mentis: quibus omnibus necnon predictorum te eligentium unanimi voluntate debita meditatione pensatis, de persona tua ipsi Bosnensi ecclesie de predictorum fratrum consilio auctoritate apostolica providemus, teque illi preficimus in Episcopum et pastorem, curam et administrationem ipsius ecclesie tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, in illo, qui dat gratias et largitur premia, confidentes, quod eadem ecclesia per tue circumspectionis industriam et providenciam circumspectam sub tuo felici regimine, dextera domini tibi assistente propitia, salubriter et prospere dirigetur. Iugum igitur domini tuis humeris impositum prompta devotione suscipiens, curam et administrationem predictas sic exercere studeas solicite, fideliter et prudenter, quod ipsa ecclesia gubernatori circumspecto et fructuoso administratori gaudeat se commissam, tuque preter retributionis eterne premia nostre benedictionis gratiam uberius consequi merearis. Datum Avinione II. Kalendas Marcii, Pontificatus nostri Anno Quarto.

In e. m. Capitulo ecclesie Bosnensis, Clero et populo ecclesie et diocesis Bosnensis, et Ludovico Regi Ungarie.

CCCXIV.

Priori provinciali fratrum ordinis Praedicatorum in Hungaria mittitur transumptus litterarum Ioannis XXII. de praedicatione crucis contra Transilvanos haereticos et Bosnenses. Reg. An. IV. cod. chart. Tom. 12. fol. 472.

Innocentius episcopus etc. Ad perpetuam rei memoriam. Tenorem quarundam litterarum felicis record. Iohannis pape XXII. predecessoris nostri, in regestro ipsius predecessoris repertum, ad dilecti filii ... Prioris provincialis fratrum ordinis Predicatorum in Ungaria supplicacionis instanciam, pro eo quod, sicut accepimus, predicte originales littere casu fortuito sunt amisse, de regestro ipso de verbo ad verbum transcribi et presentibus annotari fecimus: qui talis est.

Iohannes episcopus servus servorum dei. Dilecto filio ... Priori provinciali fratrum ordinis Predicatorum in Ungaria, Salutem et apostolicam benedictionem. Onerosa pastoralis officii summi dispositione pastoris, qui pro suis ovibus animam posuit, nobis licet immeritis cura commissa solicita pulsat instancia mentem nostram, ut inter cetera, que undique confluunt quasi torrens varia et diversa negocia, quibusve noster animus redditur multiplici varietate distractus, ad augmentum fidei catholice totis desideriis intendamus, ne ambulantis in circuitu lupi rapacis astucia oves gregis dominici rapiat et disperdat, quinimmo de vinea domini radix iniquitatis heretice succidatur, ipsaque, exterminatis inde vulpeculis, que perversis morsibus demoliuntur eandem, fructus afferat catholice puritatis. Ideoque discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus per fratres tuos, quos ad hoc ydoneos deputaveris, contra omnes Transilvanos, Bosnenses et Sclavonie, qui heretici fuerint, per Regnum Ungarie Crucem facias predicari, qui auctoritate nostra illis, qui crucis assumpto caractere se ad hereticorum exterminium accingeriut, indulgenciam concedant, que dari consuevit accedentibus in subsidium terre sancte. Datum Avinione Kalendis Februarii, Pontificatus nostri Anno Undecimo.

Ceterum ut earundem litterarum tenor predictus sic insertus omnimodam rei seu facti certitudinem faciat, apostolica auctoritate decernimus, ut illud idem robur eamque vim, eumdemque vigorem dictus tenor per omnia habeat, quem haberent originales littere supradicte, et eadem prorsus eidem tenori fides adhibeatur, quandocumque et ubicumque sive in iudicio vel alibi ubi fuerit exhibitus vel ostensus, et eidem stetur firmiter in omnibus, sicut eisdem originalibus litteris staretur, si forent exhibite vel ostense. Per hoc autem nullum ius de novo alicui acquiri volumus, sed antiquum tantummodo conservari. Nulli ergo etc. nostre constitutionis et voluntatis infringere etc. Datum Avinione III. Kalendas Aprilis Pontificatus nostri Anno Quarto.

CCCXV.

Episcopo Tragurien̄si mandatur, ut ad presentiam pape se conferat. Reg. An. IV. Tom. 12. fol. 538.

Innocentius episcopus etc. Venerabili fratri Bartholomeo Ep̄o Tragurien̄si, salutem etc. Cupientes super hiis, que per te et Venerabilem fratrem nostrum Episcopum Pactensem, ad apostolicam sedem reversum, circa commissa vobis per nos in Regnis Rassie ac Dalmacie et Sclavonie partibus acta sunt, tuis eciam vive vocis relatibus informari, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenus omni mora et occasione cessantibus ad presenciam nostram studeas quantocius te conferre, ut super agendis ipsis, de quibus te ulterius, nisi aliud a nobis de novo in mandatis habueris, nullatenus intromittas, possumus, auctore domino, consultius providere. Datum Avinione Kalendis Maii, Pontificatus nostri Anno Quarto.

CCCXVI.

Archiepiscopo Ragusino, ut cum Petro de Bocha domicello et Margarita nata Martini de Mense dispenset super matrimonio contrahendo. Reg. An. IV. cod. chart. Tom. 12. fol. 485.

Innocentius episcopus etc. Venerabili fratri ... Archiepiscopo Ragusino, salutem etc. Petitio pro parte dilecti filii Nobilis viri Petri de Bocha domicelli Catharensis, et dilecte in Christo filie Nobilis mulieris Margarite nate quondam Martini de Mense domicelle Ragusine nobis exhibita continebat, quod ipsi ad sedendas graves iniurias, odia et rancores, que inter eorum consanguineos et amicos, operante humani generis inimico, fuerunt hactenus, et ex quibus diversa diversarum personarum et rerum pericula provenerunt, et graviora sperantur (sic) exinde verisimilia eventura, de dictorum suorum consanguineorum et amicorum consilio et assensu desiderant invicem matrimonialiter copulari. Verum quia, prout eadem petitio subiungebat, dicti Petrus et Margarita quarto sunt consanguinitatis gradu coniuncti, matrimonium huiusmodi insimul contrahere licite nequeunt, dispensatione apostolica super hoc non obtenta: Quare pro parte ipsorum Petri et Margarite fuit nobis humiliter supplicatum, ut providere eis super hoc de oportuno dispensationis beneficio misericorditer dignaremur. Nos igitur, qui salutem animarum querimus, singulorum cupientes huiusmodi futuris periculis obviare, huiusmodi supplicacionibus inclinati fraternitati tue per apostolica scripta commictimus et mandamus, quatenus, si est ita, super quo tuam conscienciam oneramus, cum eisdem Petro et Margarita, ut impedimento, quod ex huiusmodi consanguinitate provenit, non obstante matrimonium insimul contrahere libere et licite valeant, auctoritate apostolica dispenses, prolem suscipiendam ex eodem matrimonio legitimam nunciando. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis III. Kal. Iunii, Pontificatus nostri Anno Quarto.

CCCXVII.

Numerus de novo institutus canonicorum et aliarum personarum ac vicariorum in ecclesia Colocensi confirmatur.
Reg. An. IV. cod. chart. Tom. 12. fol. 491.

INNOCENTIUS EPISCOPUS etc. Ad perpetuam rei memoriam. Circa ecclesiarum decorem et statum salubriter confovendum ea decet precipue diligencia provideri, quod ecclesie ipse inxta suarum exigenciam facultatum competenti gaudeant numero ministrorum. Olim siquidem pro parte Venerabilis fratris nostri Hugonis Archiepiscopi, et dilectorum filiorum Capituli Colocensis nobis exposito, quod ipsi attendentes, quod fructus, redditus et proventus ecclesie sue Colocensis adeo erant tenues et exiles, quod Canonici ac persone dignitates, personatus sen officia obtinentes in ea non poterant in eis commode sustentari, ac propterea statutum et abolim observatum in dicta ecclesia certum Canonicorum et aliarum personarum dignitates, personatus et officia obtinentium in eadem numerum minuentes, certum alium inibi minorem Canonicorum et aliarum personarum huiusmodi, necnon perpetuorum vicariorum et aliorum ministrorum in ea duxerunt statuendum: Nos Venerabili fratri nostro Guillelmo Epo, tunc Electo Nisanensi, per nostras certi tenoris litteras dedimus in mandatis, ut de premissis omnibus et singulis et eorum circumstanciis universis se diligencius informare, et quidquid inde per informationem huiusmodi reperiret, nobis quamtocius insinuare curaret, ut super hiis possemus, auctore domino, salubriter providere. Postmodum vero prefatus Episcopus per suas patentes litteras in instrumenti publici formam redactas sub suo sigillo nobis fideliter intimavit, se super hiis diligenti informatione recepta invenisse, quod facultates dicte ecclesie adeo erant tenues et exiles, quod omnes Canonici et persone ipsius ecclesie usque ad priorem numerum inde non poterant, ut premittitur, commode sustentari, et quod si trium Canonicorum et duarum aliarum personarum dignitates, personatus vel prebendas habentium, ac duorum perpetuorum vicariorum et duorum clericorum et nnius matricularii, alias materlerii nuncupati, qui pulsare habeat campanas, numerus de novo per dictos Archiepiscopum et Capitulum ordinatus per sedem apostolicam contingeret confirmari, deserviretur multo melius ecclesie prelibate, prout in predictis ipsius Epi litteris et instrumento publico super dicto nnmero de novo statuto confecto plenius continetur. Quare pro parte Archiepiscopi et Capituli predictorum nobis fuit humiliter supplicatum, ut huinsmodi nnmerum per eos de novo statutum apostolico roborare mnnimine dignaremur. Nos itaque premissa, et quod in dicta ecclesia quatnor persone dignitates habentes et decem Canonici esse consueverunt, attente pensantes, ac diminucionem predictam sic modeste fieri volentes, quod exinde honor et status ipsius Metropolitice ecclesie non remaneat indecorus, que super hiis ab eisdem Archiepiscopo et Capitulo acta snnt, cum hoc tamen moderamine, videlicet qnod in locnm duorum presbiterorum seu perpetuorum vicariorum, de quibus in statuto et relatione predictis fit mentio, dno Canonici, qui sacerdotes et eorum prebende sacerdotales de cetero existant, ultra dictos tres Canonicos et duas dignitates habentes in dictis ecclesia et Capitulo esse debeant, et una cum ipsis tribus Canonicis et dnobus dignitates obtinentibus Capitulum faciant, auctoritate apostolica ex certa sciencia confirmamus et approbamus, tenore presentinm statuentes, quod personis predictis nunc in dicta ecclesia dignitates habentibus, et Canonicis ipsius ecclesie, qui nunc sunt, cedentibus vel decedentibus, aut dignitates, personatus vel prebendas quovis modo dimittentibus, nullus ad dignitates, canonicatus et prebendas huiusmodi in eadem admittatur ecclesia, donec ad prefatnm quinque Canonicorum et dictarum personarum duas ex dictis dignitatibus habentium numerum sit deventum, et aliquis defuerit de eodem. Nulli ergo etc. nostre confirmacionis et approbacionis ac statuti infringere etc. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis x. Kalendas Iulii, Pontificatus nostri Anno Quarto.

CCCXVIII.

Petro electo Boznensi, ut a quocumque antistite catholico malnerit consecrationis munus recipere possit.
Reg. An. IV. cod. chart. Tom. 12. fol. 488.

INNOCENTIUS EPISCOPUS etc. Dilecto filio Petro Electo Boznensi, salutem etc. Cum nos pridem Boznensi ecclesie tunc pastoris regimine destitute de persona tua, nobis et fratribus nostris tuorum exigencia meritorum accepta, de fratrum eorumdem consilio auctoritate apostolica duxerimus providendum, preficiendo te illi in Episcopum et pastorem, pront in nostris inde confectis litteris plenius continetur: Nos ad ea, que in tue commoditatis augmentum cedere valeant, favorabiliter intendentes, tuis supplicacionibus inclinati tibi, ut a qnocnmque malueris catholico Antistite gratiam et communionem apostolice sedis habente, ascitis et in hoc sibi assistentibus duobus vel tribus catholicis Episcopis

similem gratiam et communionem habentibus, munus consecrationis recipere valeas, ac eidem Antitisti, ut munus predictum auctoritate predicta impendere libere tibi possit, plenam et liberam concedimus tenore presentium facultatem. Volumus autem, quod idem Antistes, qui tibi prefatum munus impendet, postquam illud tibi impenderit, a te nostro et ecclesie Romane nomine fidelitatis debite solitum recipiat iuramentum iuxta formam, quam sub bulla nostra mittimus interclusam, ac formam iuramenti, quod te prestare contigerit, nobis de verbo ad verbum per tuas patentes litteras tuo sigillo signatas per proprium nuncium quantocius destinare procures, quodque per hoc Venerabili fratri nostro Archiepo Colocensi, cui prefata ecclesia iure metropolitico subesse dinoscitur, nullum imposterum preiudicium generetur. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis Nonis Iulii, Pontificatus nostri Anno Quarto.

CCCXIX.

Michaeli episcopo Scardonensi conceditur, ut electio de se celebrata ad ecclesiam Scardonensem et confirmatio etc. valeat, reservatione apostolica non obstante. Reg. An. IV. Tom. 12. fol. 484.

Innocentius episcopus etc. Venerabili fratri Michaeli Episcopo Scardonensi, salutem etc. Apostolatus officium etc. Sane petitio pro parte tua nobis exhibita continebat, quod olim Scardonensi ecclesia per obitum bone memorie Andree Scardonensis Episcopi, qui extra Romanam curiam diem clausit extremum, vacante, dilecti filii Capitulum dicte ecclesie pro celebranda electione futuri Scardonensis Episcopi, vocatis omnibus, qui eidem electioni voluerunt, debuerunt et potuerunt commode interesse, die ad eligendum prefixa convenientes in unum, te ordinis fratrum Predicatorum professorem in Scardonensem Episcopum concorditer elegerunt, tuque electioni huiusmodi a superiore tuo dicti ordinis super hoc obtenta licencia prestans assensum, obtinuisti eam per Venerabilem fratem nostrum Hugolinum Spalatensem Archiepiscopum loci Metropolitani auctoritate ordinaria confirmari, tibique munus consecrationis impendi canonice, nisi apostolice reservaciones obstarent, ac deinde regimini et administrationi ipsius ecclesie in spiritualibus et temporalibus prefuisti. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, tu dubites, quod provisio ipsius ecclesie tempore electionis et confirmationis predictarum fuerit dispositioni apostolice reservata, pro parte tua fuit nobis humiliter supplicatum, ut providere tibi super hiis de benignitate apostolica dignaremur. Nos itaque premissa omnia, necnon grandium dona virtutum, quibus personam tuam, sicut testimoniis fidedignis accepimus, altissimus insignivit, benignius attendentes, ac tuo et ipsius ecclesie statui cupientes tam salubriter quam favorabiliter providere, volumus et apostolica tibi auctoritate concedimus, quod electio, confirmatio et eiusdem muneris impensio supradicte, ac omnia et singula per te in regimine et administratione predictis, alias tamen rite gesta, perinde valeant et plenam obtineant roboris firmitatem, ac si de provisione ipsius ecclesie nulla reservatio facta foret. Nulli ergo etc. nostre voluntatis et concessionis infringere etc. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis XVII. Kalendas Iulii, Pontificatus nostri Anno Quarto.

CCCXX.

Andree episcopo Balazensi monasterium s. Ioannis Drivastensis dioecesis in regno Rassiae existens in commendam conceditur. Reg. An. IV. cod. chart. Tom. 12. fol. 71.

Innocentius episcopus etc. Venerabili fratri Andree Episcopo Balazensi, salutem etc. Sicut de cunctis orbis ecclesiis et monasteriis, quorum cura etc. nos oportet assidue cogitare, sic eorum prelatis et presertim pontificali dignitate preditis, dum rerum premuntur inopia, nos decet pietatis studio in suis necessitatibus subvenire. Cum itaque, sicut accepimus, monasterium sancti Iohannis ordinis sancti Benedicti Drivastensis diocesis in Regno Rassie consistens, et ab ipsius Regni scismaticis quasi totaliter dissipatum, per obitum quondam Andree ultimi Abbatis dicti monasterii, qui catholicus extitit et extra Romanam curiam diem clausit extremum, vacet ad presens, et tanto tempore vacaverit, quod eius provisio est ad sedem apostolicam legitime devoluta, tuaque etiam, ut asseris, ecclesia Balazensis in prefato Regno consistens ab eisdem scismaticis sit destructa, suisque redditibus adeo diminuta, quod in ea habere non potes, inde valeas in vite necessariis sustentari: Nos volentes tam ipsi monasterio, quantum locorum et temporum qualitas presentialiter suadet, quam prefatis necessitatibus tuis, ne in pontificalis dignitatis opprobrium mendicare cogaris, de alicuius subventionis auxilio providere, tuis etiam in hac parte supplicationibus inclinati prefatum monasterium, quod ab ecclesia tua Balazensi per quinque dumtaxat, sicut asseritur, milliaria parva distat, sic vacans cum omnibus iuribus et pertinenciis suis per te tenendum, et in spiritualibus et temporalibus gubernandum tibi usque ad biennium a tempore,

quo possessionem administrationis, bonorum et iurium ipsius monasterii pacifice assecutus fueris, computandum auctoritate apostolica commendamus, curam, regimen, gubernationem et administrationem plenam et liberam eiusdem monasterii tibi in eisdem spiritualibus et temporalibus committentes, alienatione tamen bonorum immobilium, necnon vasorum et ornamentorum ecclesiasticorum aliorumque bonorum mobilium ad cultum divinum deputatorum ipsius monasterii tibi penitus interdicta. Volumus autem, quod propter commendam huiusmodi cultus divinus et solitus monachorum et ministrorum numerus in eodem monasterio nullatenus minuatur, quodque debitis et consuetis ipsius monasterii ot eius conventus oneribus supportatis, de residuis fructibus et proventibus eiusdem monasterii libere disponere valeas, sicut potuerunt disponere Abbates dicti monasterii, qui ei pro tempore prefuerunt. Quocirca fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, ut curam, regimen, gubernationem et administrationem huiusmodi dicta commenda durante per te vel alium seu alios sic geras solicite, fideliter et prudonter, quod dictum monasterium utili gubernatori gaudeat se commissum, tuque preter retributionis eterne premium et humane laudis preconium, que perinde mereberis, nostram et dicte sedis benedictionem et gratiam uberius consequaris. Datum Avinione VII. Kalendas Novembris, Pontificatus nostri Anno Quarto.

CCCXXI.

Abbati monasterii s. Nicolai de Drino ordinis s. Benedicti Dulcinensis dioecesis datur licentia a curia Romana recedendi et ad suum eundi monasterium. Reg. An. IV. cod. chart. Tom. 12. fol. 504.

INNOCENTIUS EPISCOPUS etc. Dilecto filio Paulo Abbati monasterii sancti Nicolai de Drino ordinis sancti Benedicti Dulcinensis diocesis, salutem etc. Pridem nos ad personam tuam claris virtutum titulis insignitam nostre mentis aciem dirigentes, te monasterio sancti Nicolai de Drino ordinis sancti Benedicti Dulcinensis diocesis, tunc carenti Abbate, de fratrum nostrorum consilio prefecimus in Abbatem, curam et administrationem ipsius tibi spiritualiter et temporaliter plenarie committendo, prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur. Cum autem postmodum per Venerabilem fratrem nostrum Petrum Episcopum Penestrinum tibi fecerimus apud sedem apostolicam munus benedictionis impendi, discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus ad predictum monasterium cum gratia nostre benedictionis accedens, sic te in administratione ipsius monasterii diligenter et solicite gerere studeas, quod utilis administratoris industrie non immerito gaudeat se commissum, tuque preter retributionis eterne premium nostre benivolencie gratiam et favorem exinde uberius consequaris. Datum Avinione III. Nonas Novembris, Pontificatus nostri Anno Quarto.

CCCXXII.

Valentino episcopo Mucarensi prorogatur terminus, ut in commendam possit retinere monasterium s. Stephani ord. s. Benedicti dioec. Spalatensis. Reg. An. IV. cod. chart. Tom. 12. fol. 507.

INNOCENTIUS EPISCOPUS etc. Venerabili fratri Valentino Episcopo Mucarensi, salutem etc. Etsi sedes apostolica quibuslibet indigentibus consuevit pietatis gremium aperire, illis tamen libencius subvenit, qui pontificali dignitate prediti gravis inopie onero deprimuntur. Dudum siquidem pro parte tua fel. record. Clementi pape VI. predecessori nostro exposito, quod tu olim per bone memorie Dominicum Archiepiscopum Spalatensem Metropolitanum tuum certa parte tui Episcopatus Mucarensis fueras contra iusticiam spoliatus, et reliquam partem ipsius heretici Bosnenses detinebant indebite occupatam, propter quod tuo Mucarensi Episcopatu nudatus nec circa recuperationem ipsius ius tuum prosequi poteras, nec habebas, unde eciam sustentari valeres: Idem predecessor monasterium sancti Stephani ordinis sancti Benedicti Spalatensis diocesis, tunc per obitum quondam Matheoli Abbatis dicti monasterii Abbatis regimine destitutum, et per dictum predecessorem ante ipsius Matheoli obitum dispositioni sue specialiter reservatum, tibi quoad viveres commendavit. Et licet nos postmodum omnes commendas et concessiones de quibuscumque ecclesiis et monasteriis a quibuscumque predecessoribus nostris Romanis pontificibus quibuscumque personis factas, Venerabilibus tamen fratribus nostris sancte Romane ecclesie Cardinalibus et Patriarchis dumtaxat exceptis, auctoritate apostolica duxerimus per nostras certi tenoris litteras revocandas, ac illos, qui premissa eis taliter commendata contra revocationem huiusmodi retinere presumerent quoquomodo, seu alias negligerent in eisdem contenta litteris observare, certas penas incurrere voluerimus ipso facto: Nos tamen tibi, qui tempore nostre revocationis huiusmodi vigore dicte commende prefatum monasterium possidebas, quod monasterium ipsum ut prius in commendam usque ad biennium, non obstantibus ordinatione et revocatione ac penis huiusmodi, quas quidem penas usque

ad dictum biennium quo ad hec citra te apostolica auctoritate suspendimus, seu quod monasterium sancti Andree de Pelago ordinis et diocesis predictorum per dictum Dominicum Archiepiscopum tibi concessum hactenus in commendam, cuius fructus, redditus et proventus viginti florenorum auri valorem annuum non excedebant, obtineres, et aliis, que dictus predecessor suis litteris super dicta commenda confectis voluit non obstare, libere et licite retinere valeres, duximus concedendum. Et deinde, videlicet v. Idus Iulii Pontificatus nostri anno tercio, cum finis dicti biennii in proximis tunc Kalendis Septembris instaret, concessionem tibi ac suspensionem quo ad te similes usque ad alium biennium, a fine ipsius primi biennii computandum, promissis omnibus non obstantibus, auctoritate apostolica duximus faciendas, prout in nostris litteris inde confectis plenius continetur. Cum autem, sicut exhibita nobis pro parte tua peticio continebat, tu adhuc sis, ut asseris, eodem Episcopatu, ut premittitur, spoliatus, pro parte tua nobis extitit humiliter supplicatum, ut ne in opprobrium pontificalis dignitatis mendicare cogaris, concessionem et suspensionem huiusmodi non obstantibus omnibus supradictis ulterius prorogare de benignitate apostolica dignaremur. Nos itaque fraternitati tue benigno compacientes affectu, huiusmodi supplicationibus inclinati, concossionem et suspensionem nostras predictas usque ad unum annum a fine dicti ultimi biennii computandum eadem auctoritate de uberioris dono gratie prorogamus. Nulli ergo etc. nostre prorogationis infringere etc. Si quis autem etc. Datum Avinione II. Idus Novembris, Pontificatus nostri Anno Quarto.

CCCXXIII.

Archiepiscopo Iadrensi, ut monasterio s. Petri Absarensis dioecesis quemdam Grisogonum monachum vel alium preficiat in abbatem. Reg. An. IV. cod. chart. Tom. 12. fol. 72.

INNOCENTIUS EPISCOPUS etc. Venerabili fratri ... Archiepiscopo Iadrensi, salutem etc. Attenta meditatione pensantes dispendia et incommoda, que interdum incurrunt ex vacatione longinqua ecclesie et monasteria gubernatoris presidio destituta, reddimur mente vigiles et solertes, ut eadem ecclesie et monasteria ab incommodis et dispendiis huiusmodi preserventur, et nostre diligencie studio de celeris et utilis provisionis remedio succurratur eisdem. Dudum siquidem monasterio sancti Petri ordinis sancti Benedicti Absarensis diocesis ex eo Abbatis regimine destituto, quod Donatus monachus tunc Abbas dicti monasterii regimine dicti monasterii, suis exigentibus demeritis, auctoritate ordinaria per diffinitivam sentenciam, que nulla provocatione suspensa in rem transierat iudicatam, canonice privatus extiterit: Nos, vacatione huiusmodi fidedignis relatibus intellecta, cupientes eidem monasterio operationis nostre ministerio utilem presidere personam, provisionem ipsius monasterii dispositioni nostre duximus ea vice specialiter reservanda, decernendo extunc irritum et inane, si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari. Postmodum vero, sicut accepimus, Ven. frater noster Matheus Epus Absarensis reservationis et decreti predictorum ignarus attendens, quod propter excessus et culpas ipsius Donati, qui ante privationem predictam et post bona dicti monasterii dilapidaverat et consumpserat, ipsum monasterium collapsum et destructum et in suis edificiis dissipatum erat, et quod nullus alius ipsius monasterii monachus existebat, de provisione ipsius monasterii per dilectos filios Capitulum ecclesie Albsarensis etiam requisitus, eidem monasterio sic vacanti de persona dilecti filii Grisogoni Georgii monachi monasteri s. Georgii dicti ordinis, ac Rectoris parrochialis ecclesie s. Nicolai de Otteza Segniensis dioc. ordinaria auctoritate providit, ipsumque dicto monasterio s. Petri prefecit in Abbatem, dictusque Grisogonus reservationis et decreti predictorum etiam inscius huiusmodi provisioni de se facte consensit, et deinde dubitans, quod monasteria ipsa essent, prout erant, dispositioni apostolice reservata, predicta proponi fecit in Consistorio coram nobis. Nos itaque provisionem et prefectionem de ipso Grisogono, ut premittitur, factas, et quecumque inde secuta utpote post et contra reservationem et decretum predicta attemptata irrita, prout sunt, et inania reputantes, ipsique monasterio, de cuius provisione nullus preter nos hac vice post reservationem eandem se intromittere potuit neque potest, cupientes de persona ydonea, de qua tu propter locorum vicinitatem to poteris tucius et plenius informare, celeriter et utiliter provideri, fraternitati tue, de qua in hiis et aliis gerimus in domino fiduciam specialem, per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus de persona dicti Grisogoni, si eum ad hec ydoneum et utilem esse repereris, alioquin de alia persona ydonea, que sciat, velit et possit dicto monasterio sancti Petri preesse utiliter et prodesse, eidem monasterio sancti Petri auctoritate nostra hac vice providere procures, ipsumque Grisogonum seu aliam personam eidem monasterio preficias in Abbatem, curam et administrationem ipsius monasterii sibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo,

ac illi, quem eidem monasterio sancti Petri prefeceris, ut prefertur, munus benedictionis impendas, vel facias per alium Antistitem graciam et communionem dicte sedis habentem impendi, sibique a suis subditis reverenciam et obedienciam debitas exhiberi, Contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo. Volumus autem, quod tu vel idem Antistes ab illo, quem ipsi monasterio sancti Petri prefeceris, ut prefertur, nostro et ecclesie Romane nomine recipias vel recipiat fidelitatis debite solitum inramentum inxta formam, quam sub bulla nostra mittimus interclusam: formam autem iuramenti, quam sic prefectus prestabit, nobis per eius patentes litteras suo sigillo signatas per proprium nuncium quantocius destinare procures. Datum Avinione II. Kalendas Decembris, Pontificatus nostri Anno Quinto.

CCCXXIV.

Iudicibus, ut electionem de Petro preposito Vesprimiensi factam ad prepositurum ecclesiae beatae Mariae Albaeregalis Vesprimiensis dioecesis apostolica auctoritate confirmare possint. Reg. Au. VIII. Tom. 24. fol. 255.

INNOCENTIUS EPISCOPUS etc. Venerabili fratri ... Archiepiscopo Colocensi, et dilectis filiis Pelisiensis ac sancti Martini de Sacromonte Pannonie Vesprimiensis et Iauriensis diocesum monasteriorum Abbatibus, salutem etc. Landabili testimonio, quod dilecto filio Petro preposito ecclesie Vesprimiensis apud nos de probitatis et virtutum meritis perhibetur, inducimur, ut personam suam favore apostolico prosequamur. Exhibita siquidem nobis pro parte ipsius Petri peticio continebat, quod olim prepositura ecclesie beate Marie Alberegalis, ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinentis, Vesprimiensis diocesis, que quidem prepositura in ipsa ecclesia principalis et curata dignitas existit, per obitum quondam Thactamerii ultimi ipsius ecclesie prepositi extra Romanam curiam defuncti vacante, dilecti filii Capitulum ipsius ecclesie pro celebranda electione futuri prepositi ipsius ecclesie, vocatis omnibus qui electioni huiusmodi debuerunt, voluerunt et potuerunt commode interesse, die ad eligendum prefixa, ut moris est, convenientes in unum, predictum Petrum in prepositum dicte ecclesie Alberegalis per viam compromissi concorditer eligerunt canonice, nisi apostolice reservationes obstarent, ipseque huiusmodi electioni consensit: et demum tam pro sua quam Capituli predictorum parte fuit nobis humiliter supplicatum, ut electum huinsmodi confirmare de benignitate apostolica dignaremur, statutis in hiis a iure temporibus observatis. Nos itaque volentes dictum Petrum premissorum intuitu, necnon consideratione Carissimorum in Christo filiorum nostrorum Ludovici Regis et Elizabet Regine Ungarie Illustrium, asserentium dictum Petrum serviciis ipsorum insistere, et propterea ad sedem apostolicam pro huinsmodi confirmationis gracia accedere nequivisse, nobis super hoc humiliter supplicantium favore prosequi gencroso, quia de dictorum electi et electionis meritis certam noticiam non habemus, discretioni vostre per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus vos vel duo aut unus vestrum per vos vel alium seu alios, si vocatis qui fuerint evocandi, et aliis debitis solempnitatibus observatis, inveneritis electionem predictam de persona ydonea canonice celebratam, et tempore date presentium non esse in dicta prepositura alicui specialiter ius qnesitum, electionem ipsam, etiam si dicta prepositura sit alias dispositioni apostolice reservata, auctoritate nostra confirmetis, inducentes ipsum Petrum vel procuratorem suum eius nomine in corporalem possessionem dicte prepositure ac iuris et pertinenciarum ipsius, amoto exinde quolibet illicito detentore, ac faciatis ipsum vel dictum procuratorem pro eo ad dictam preposituram, ut est moris, admitti, sibique de ipsius prepositure fructibus, redditibus, proventibus et obventionibus universis integre responderi, Contradictores etc. Non obstantibus etc. mentionem, seu qnod idem Petrus canonicatum et prebendam ac preposituram ecclesie Vesprimiensis noscitur obtincre. Volumus autem, quod ipse quam primum vigore presentium dicte prepositure ecclesie beate Marie possessionem fuerit pacificam assecutus, preposituram ecclesie Vesprimiensis predictam, quam, ut prefertur, obtinet, quamque extunc vacare decernimus, omnino dimittere teneatur. Datum Avinione VIII. Kalendas Aprilis, Pont. nostri Anno Octavo.

CCCXXV.

Universis fidelibus capellam beatae Mariae Magdalenae Vesprimiensis dioecesis, quam Nicolaus Kont regni Hungariae palatinus in suo hospitio fundasse dicitur, visitantibus indulgentiae concedantur. Reg. Au. VIII. cod. chart. Tom. 24. fol. 256.

INNOCENTIUS EPISCOPUS etc. Universis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis, salutem etc. Splendor paterne glorie, qui sua mundum illuminat ineffabili claritate, pia vota fidelium de clementis-

sima ipsius maiestate sperantium tunc precipue benigno favore prosequitur, cum devota ipsorum humilitas sanctorum precibus et meritis adiuvatur. Cupientes igitur, ut capella beate Marie Magdalene Wesprimiensis diocesis, quam dilectus filius Nicolaus Kont Regni Ungarie palatinus in suo hospitio sub honore et vocabulo prefate beate Marie Magdalene canonice fundasse, et construxisse dicitur pariter et dotasse, et ut Christi fideles eo libentius causa devotionis confluant ad eandem, quo ibidem uberioris dono celestis gratie conspexerint se refectos, de omnipotentis dei misericordi et beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi omnibus vere penitentibus et confessis, qui in Nativitatis, Circumcisionis, Epiphanie et Resurrectionis domini nostri Ihesu Christi ac Penthecostes, et in quatuor principalibus beate Marie Virginis ac dictorum beatorum Petri et Pauli Apostolorum, ac beate Marie Magdalene festivitatibus prefatam capellam devote visitaverint annuatim, unum annum et quadraginta dies de iniunctis sibi penitenciis, singulis videlicet ipsarum festivitatum diebus, quibus capellam ipsam visitaverint, ut prefertur, in domino misericorditer relaxamus. Datum Avinione XII. Kalendas, Pontificatus nostri Anno Octavo.

CCCXXVI.

Universis Christi fidelibus ecclesiam s. Stephani in oppido Pesthensi Strigoniensis dioecesis certis diebus visitantibus conceduntur indulgentiae. Reg. An. VIII. Tom. 24. fol. 368.

INNOCENTIUS EPISCOPUS etc. Universis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis, salutem etc. Splendor paterne etc. adiuvatur. Cupientes igitur, ut ecclesia, quam dilectus filius nobilis vir Nicolaus Kont Regni Ungarie Palatinus in opido suo, Pesthen vulgariter nuncupato, Strigoniensis diocesis sub honore et vocabulo sancti Stephani confessoris construxisse dicitur noviter et dotasse, congruis honoribus frequentetur, et ut Christi fideles eo libentius causa devotionis confluant ad eandem, quo ibidem uberius dono celestis gratie conspexerint se refectos, de omnipotentis dei misericordia ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi omnibus vere penitentibus et confessis, qui in Nativitatis, Epiphanie, Resurrectionis et Ascensionis domini nostri Ihesu Christi ac Penthecostes, et in quatuor principalibus beate Marie Virginis et beatorum Petri et Pauli, ac in sancti Stephani predictorum et beate Marie Magdalene festivitatibus predictam ecclesiam devote visitaverint annuatim, unum annum et XL. dies de iniunctis eis penitenciis, singulis videlicet festivitatum ipsarum diebus, quibus ecclesiam ipsam devote visitaverint, ut prefertur, misericorditer relaxamus. Datum Avinione XII. Kalendas Maii, Pontificatus nostri Anno Octavo.

CCCXXVII.

Episcopo Boznensi conceditur facultas invocandi ad inquisitionis officium contra haereticam pravitatem exercendum, si opus fuerit, auxilium brachii secularis. Reg. An. VIII. Tom. 24. fol. 255.

INNOCENTIUS EPISCOPUS etc. Venerabili fratri Petro Episcopo Boznensi, salutem etc. Ut inquisitionis officium contra pravitatem hereticam, tibi in tuis Civitate et diocesi Boznensi a iure concessum, eo melius et efficacius exequi valeas, quo maiori fueris auctoritate munitus, invocandi auctoritate nostra pro huiusmodi inquisitionis negocio exercendo, cum opus fuerit, auxilium brachii secularis, ac contradictores quoslibet et rebelles per censuram ecclesiasticam et penas alias, appellatione postposita, compescendi, Non obstante si aliquibus communiter vel divisim a sede apostolica sit indultum, quod suspendi vel excommunicari, aut ipsi vel eorum terre interdicto ecclesiastico supponi non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, fraternitati tue plenam et liberam auctoritate apostolica concedimus tenore presentium facultatem: per hoc tamen quo minus, prout tibi a iure competit, huiusmodi auxilium pro dicto negocio auctoritate ordinaria invocare, et contra non parentes procedere, prout iustum fuerit, valeas, nullum tibi volumus preiudicium generari. Nulli ergo etc. nostre concessionis et voluntatis infringere etc. Datum Avinione VIII. Kalendas Maii, Pontificatus nostri Anno Octavo.

CCCXXVIII.

Universis fidelibus ecclesiam s. Michaelis Hantensis Vesprimiensis dioecesis certis diebus festivis visitantibus indulgentiae conceduntur. Reg. An. VIII. Tom. 24. fol. 270.

INNOCENTIUS EPISCOPUS etc. Universis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis, salutem etc. Splendor paterne glorie etc. Cum igitur, ut ecclesia sancti Michaelis Hantensis Wesprimiensis diocesis

congruis honoribus frequentetur, et ut Christi fideles eo libencius causa devocionis confluant ad eandem, quo ibidem uberius dono celestis gracie conspexerint se refectos, de omnipotentis dei misericordia et beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi omnibus vere penitentibus et confessis, qui in Nativitatis, Epiphanie, Resurrectionis et Ascensionis domini nostri Ihesu Christi et Pentechostes, et quatuor principalibus beate Marie Virginis gloriose ac sancti Michaelis, et beatorum Petri et Pauli Apostolorum predictorum festivitatibus prefatam ecclesiam devote visitaverint annuatim, unum annum et quadraginta dies de iniunctis eis penitenciis, singulis videlicet festivitatum ipsarum diebus, quibus ecclesiam ipsam visitaverint, ut prefertur, misericorditer relaxamus. Datum Avinione III. Kal. Maii, Pontificatus nostri Anno Octavo.

CCCXXIX.

Iudicibus, ut Ioannem abbatem monasterii s. Georgii de Coprina ord. s. Benedicti Nonensis diocesis in corporalem possessionem regiminis dicti monasterii inducant. Reg. An. VIII. Tom. 24. fol. 267.

INNOCENTIUS EPISCOPUS etc. Venerabilibus fratribus ... Spalatensi et ... Iadrensi Archiepis ac ... Episcopo Valvensi, salutem etc. Dudum monasterium sancti Georgii de Coprina ordinis sancti Benedicti Nonensis diocesis per obitum quondam Iohannis, ultimi Abbatis dicti monasterii, qui extra Romanam curiam diem clausit extremum, Abbatis regimine destituto, nos, vacatione huiusmodi fidedignis relatibus intellecta, cupientes eidem monasterio per apostolice sedis providenciam ydoneam presidere personam, provisionem ipsius monasterii ea vice ordinationi et dispositioni nostre duximus specialiter reservandum, decernentes ex tunc irritum et inane, si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari: ac deinde ad provisionem ipsius monasterii celerem et felicem, de qua nullus preter nos ea vice post reservationem et decretum nostra huiusmodi disponere potuerat neque poterat, ne dictum monasterium longe vacationis exponeretur incommodis, paternis et solicitis studiis intendentes, de persona dilecti filii Iohannis Abbatis sancti Georgii predicti, monachi tunc sancti Clementis in Piscaria dicti ordinis Theatine diocesis monasteriorum, de fratrum nostrorum consilio auctoritate apostolica eidem monasterio sancti Georgii duximus providendum, preficiendo eundem ipsi monasterio sancti Georgii in Abbatem, sibique curam et administrationem ipsius monasterii in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, prout in nostris litteris inde confectis plenius continetur. Cum autem, sicut exhibita nobis pro parte ipsius Iohannis Abbatis petitio continebat, prefatum monasterium sancti Georgii per quemdam, qui se in eo intrusit, occupatum fuerit et detineatur indebite occupatum, et propterea timeat se posse super adeptione possessionis dicti monasterii impediri: Nos volentes huiusmodi nostra provisio suum debitum sortiatur effectum, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus vos vel duo ant unus vestrum per vos vel alium seu alios eundem Iohannem Abbatem, vel procuratorem suum eius nomine in corporalem possessionem regiminis et administrationis dicti monasterii sancti Georgii, ac bonorum et iurium eiusdem, amoto exinde quolibet detemptore, inducatis auctoritate nostra, et defendatis inductum, facientes ipsum vel dictum procuratorem pro eo ad regimen et administrationem predicta, ut est moris, admitti, sibique a suis subditis obedienciam et reverenciam debitam exhiberi, Contradictores etc. Non obstantibus etc. Datum Avinione II. Kalendas Maii, Pontificatus nostri Anno Octavo.

CCCXXX.

Archiepiscopo Strigoniensi, et triginta personas suarum civitatis ac diocesis a violenta manuum iniectione in clericos et personas ecclesiasticas absolvere possit. Reg. An. VIII. cod. chart. Tom. 24. fol. 495.

INNOCENTIUS EPISCOPUS etc. Venerabili fratri Nicolao Archiepiscopo Strigoniensi, salutem etc. Personam tuam ob tue devotionis merita honorare volumus, et per honorem tibi exhibitum aliis salubriter providere. Cum itaque, sicut nuper fuit pro parte tua nobis expositum, in tuis ecclesia et diocesi Strigoniensibus sint nonnulle persone, que pro eo, quod in clericos seu ecclesiasticas personas manus iniecerunt temere violentas, excommunicationis sentenciam in tales a canone promulgatam incurrerunt, que ibi pro absolutionis beneficio obtinendo propter viarum discrimina, prout tenentur, grave existit sedem apostolicam personaliter visitare: Nos tuis in hac parte supplicationibus inclinati, absolvendi hac vice auctoritate nostra apostolica iuxta formam ecclesie iuxta ex personis eisdem, quas elegeris, si hoc humiliter petierint et iniuriam passis satisfecerint competenter, dummodo ex iniectione huiusmodi mors seu membri mutilatio non fuerint subsecute, seu in superiorem vel proprium prelatum manus

huiusmodi iniecte non fuerint, ab excommunicationis sentencia huiusmodi, ac dispensandi cum personis eisdem super irregularitatis macula per eas ex eo contracta, quod huiusmodi ligate sentenciis divina non tamen in contemptum clavium celebrarunt seu se immiscuerunt eisdem, imposita eis pro modo culpe penitencia salutari, et aliis que de iure fuerint iniungenda, fraternitati tue auctoritate predicta concedimus tenore presentium facultatem. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis VI. Idus Iunii, Pontificatus nostri Anno Octavo.

CCCXXXI.

Stephanus Nicolai Treutel canonicus Strigoniensis rehabilitatur, et ut prepositurum Chasmensem realiter dimittat. Reg. An. VIII. cod. chart. Tom. 24. fol. 32.

INNOCENTIUS EPISCOPUS etc. Dilecto filio Stephano Nicolai Treutel Canonico Strigoniensi, salutem etc. Sincere devotionis affectus, quem ad nos et Romanam geris ecclesiam, promeretur, ut petitionibus tuis, illis presertim, que status tui decenciam respiciunt, favorabiliter annuamus. Dudum siquidem intendentes dilecto filio Guillelmo Petri de Czaberg Canonico Spirensi gratiam facere specialem, prepositurum ecclesie Chasmensis Zagrabiensis diocesis, que dignitas curata existebat, prout existit, quam Venerabilis frater noster Ladislaus Episcopus, tunc Electus, Wesprimiensis tempore promotionis per nos facte de ipso ad Wesprimiensem ecclesiam tunc vacantem obtinebat, cum illam per promotionem huiusmodi (et) consecrationis munus suscipiendum ab eo, vel alio quovis modo preterquam per ipsius Epi tunc Electi obitum vacare contingeret, conferendam eidem Guillelmo donationi apostolice duximus specialiter reservandam: ac deinde de Canonicatu et prebenda ac prepositura ecclesie Agriensis, tunc per obitum quondam Ladislai Canonici et Prepositi eiusdem ecclesie, qui extra Romanam Curiam diem clausit extremum, vacantibus, et autea dispositioni nostre reservatis, tibi mandamus per nostras certi tenoris litteras provideri. Cum autem, sicut oblate nobis nuper tue petitionis series continebat, licet tibi vigore litterarum ipsarum de Canonicatu et prebenda predictis, provisum fuerit, prepositure tamen predicte eiusdem ecclesie Agriensis non fuisti possessionem assecutus, nec gratiam huiusmodi per nos tibi, ut prefertur, de ipsa factam curasti prosequi, neque curas pro eo, quod timebas magnatum et potentum illarum partium indignitatem incurrere, sciens etiam quod post reservationem et mandatum nostra predicta idem Guillelmus dictam preposituram prefate Agriensis ecclesie occupaverat et pacifice detinebat, unde preposituram predictam dicte Chasmensis ecclesie per consecrationem huiusmodi vacantem fuisti assecutus licet de facto, nulla alia provisione canonica tibi de ipsa facta, ac fructus interim percipisti ex ea: quare nobis humiliter supplicasti, ut providere tibi et statui tuo super hoc de benignitate apostolica dignaremur. Nos itaque volentes votis tuis favorabiliter annuere in hac parte, huiusmodi supplicationibus inclinati, omnem inhabilitatis et infamie maculam sive notam in te premissorum occasione exortam penitus abolemus. Volumus autem, quod preposituram predictam dicte Chasmensis ecclesie realiter et omnino dimittas. Nulli ergo etc. nostre abolitionis et voluntatis infringere etc. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis XVII. Kalendas Septembris, Pontificatus nostri Anno Octavo.

CCCXXXII.

Guillelmo electo Quinqueecclesiensi terminus recipiendi munus consecrationis prorogatur. Reg. An. X. Tom. 28. fol. 487.

INNOCENTIUS EPISCOPUS etc. Dilecto filio Guillelmo Electo Quinqueecclesiensi, salutem etc. Olim ecclesie Quinqueecclesiensi tunc pastore carenti do persona tua licet absente, nobis et fratribus nostris ob tuorum grandium exigenciam meritorum accepta, de dictorum fratrum consilio providimus, preficiendo te ipsi ecclesie in Episcopum et pastorem: et deinde ut a quocumque catholico Antistite graciam et communionem apostolice sedis habente munus consecrationis recipere posses, tibi duximus concedendum, prout in nostris litteris inde confectis plenius continetur. Cum autem, sicut exhibita nobis nuper pro parte tua peticio continebat, tu propter supervenientem post provisionem predictam bone memorie Petri Episcopi Penestrini sancte Romane ecclesie Vicecancellarii, et cuiusdam procuratoris tui prefatas litteras in Romana curia procurantis obitum, et certis aliis causis prefatas litteras nostras super provisione predicta, otiam longe post tempus, infra quod iuxta sacrorum statuta Canonum munus consecrationis recipere debuisti, et sine quibus litteris illud recipere non valebas, habere nequiveris, et propterea munus adhuc non receperis antedictum, idque timeas tibi posse per illos, qui impedimenta et causas huiusmodi ignorarent, ad negligenciam obici vel impingi, fuit nobis pro parte tua humiliter supplicatum, ut ad tuam in hoc consciencium servandam et ora obloquentium obstruendum providere

tibi super hoc de benignitate apostolica dignaremur. Nos itaque personam tuam ob premissa tua merita in hac parte prosequi favorabiliter intendentes, tibique omnes penas, quas propter huiusmodi lapsum temporis, infra quod munus ipsum debuisti recipere, ut prefertur, ex certa sciencia et de apostolice potestatis plenitudine remittentes, volumus et tibi apostolica auctoritate concedimus, quod eodem lapsu temporis et quibuscumque constitutionibus apostolicis contrariis nequaquam obstantibus, provisio et littere supradicte valeant et plenam obtineant roboris firmitatem, tuque ab huiusmodi Antistite huiusmodi munus consecrationis recipere, idemque Antistites illud tibi impendere hinc ad festum Resurrectionis domini proxime futurum libere ac licite valeat iuxta predictarum litterarum nostrarum super dicta concessione, ut premittitur, confectarum seriem et tenorem. Nulli ergo etc. nostre voluntatis et concessionis infringere etc. Datum Avinione III. Kal. Ianuarii, Pontificatus nostri Anno Decimo.

CCCXXXIII.

Nicolao electo Traguriensi conceditur, ut a quocumque maluerit antistite catholico munus consecrationis recipere valeat. Reg. An. X. cod. chart. Tom. 28. fol. 501.

INNOCENTIUS EPISCOPUS etc. Dilecto filio Nicolao Electo Traguriensi, salutem etc. Cum nos pridem ecclesie Traguriensi pastoris regimine destitute de persona tua, nobis et fratribus nostris ob tuorum exigenciam meritorum accepta, de fratrum eorumdem consilio auctoritate apostolica duximus providendum, preficiendo te illi in Episcopum et pastorem, prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur: Nos ad ea, que ad tue commoditatis augmentum cedere valeant, favorabiliter intendentes, tuis supplicationibus inclinati tibi, ut a quocumque maluoris catholico Antistite gratiam et communionem sedis apostolice habente, ascitis et in hoc sibi assistentibus duobus vel tribus catholicis Episcopis similem gratiam et communionem habentibus, munus consecrationis recipere valeas, ac eidem Antistiti, ut munus predictum auctoritate nostra impendere libere tibi possit, plenam et liberam concedimus tenore presentium facultatem. Volumus autem, quod idem Antistes, qui tibi prefatum munus impendet, postquam illud tibi impenderit, a te nostro et ecclesie Romane nomine fidelitatis debite solitum recipiat iuramentum iuxta formam, quam sub bulla nostra mittimus interclusam, ac formam iuramenti, quod te prestare contigerit, nobis de verbo ad verbum per tuas patentes litteras sigillo tuo signatas per proprium nuncium quantocius destinare procuret, quodque per hac Venerabili fratri nostro Archiepiscopo Spalatensi, cui prefata Traguriensis ecclesia iure metropolitico subesse dinoscitur, nullum imposterum preiudicium generetur. Datum Avinione VII. Idus Marcii, Pontificatus nostri Anno Decimo.

CCCXXXIV.

Marinus de Monopolo monachus s. Petri de Rosacio monasterio s. Stephani de Barbaco Arbensis diocesis in abbatem praeficitur. Reg. An. X. cod. chart. Tom. 28. fol. 91.

INNOCENTIUS EPISCOPUS etc. Dilecto filio Marino de Monopolo Abbati monasterii sancti Stephani de Barbaco ordinis sancti Benedicti Arbensis diocesis, salutem etc. Inter solicitudines etc. Dudum siquidem quondam Marino Abbate monasterii sancti Stephani de Barbaco ordinis sancti Benedicti Arbensis diocesis regimini eiusdem monasterii presidente, nos cupientes eidem monasterio, cum vacaret, per apostolice sedis providenciam ydoneam preesse personam, provisionem ipsius monasterii ea vice dispositioni nostre duximus specialiter reservandam, decernentes ex tunc irritum et inane, si secus super hiis per quoscumque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari. Postmodum vero prefato monasterio per obitum dicti Marini, qui extra Romanam curiam diem clausit extremum, Abbatis regimine destituto, nos vacatione huiusmodi fidedignis relatibus intellecta ad provisionem ipsius monasterii celerem et felicem, de qua nullus preter nos hac vice se intromittere potuit noque potest, reservatione et decreto obsistentibus supradictis, ne monasterium ipsum longe vacationis exponeretur incommodis, paternis et solicitis studiis intendentes, post deliberationem, quam de preficiendo eidem monasterio personam utilem et etiam fructuosam cum fratribus nostris habuimus diligentem, demum ad te monachum monasterii sancti Petri de Rosacio eiusdem ordinis Aquilegensis diocesis, ordinem ipsum expresse professum et in sacerdotio constitutum, cui de religionis zelo, litterarum sciencia, vite mundicia, et aliis multiplicium virtutum meritis apud nos fidedigna testimonia perhibentur, convertimus oculos nostre mentis: quibus omnibus attenta meditatione pensatis, de persona tua eidem monasterio sancti Stephani do dictorum fratrum consilio auctoritate apostolica providemus, teque illi preficimus in Abbatem, curam et administrationem ipsius monasterii sancti Stephani tibi in spiritualibus et temporali-

bus plenarie committendo, firma spe fiducinque conceptis, quod dirigente domino actus tuos prefatum monasterium sancti Stephani per tue circumspectionis industriam et studium fructuosum regetur utiliter et prospere dirigetur. Quocirca discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatinus impositum tibi a domino onus regiminis dicti monasterii sancti Stephani suscipiens reverenter, sic te in eo salubriter exercendo exhibeas studiosum, quod idem monasterium fructuoso administratori gaudeat se commissum, tuque proinde preter eterno retributionis premium nostram et dicte sedis benedictionem ot gratiam uberius consequi mereatis. Datum Avinione x. Kal. Aprilis, Pont. nostri Anno Decimo.

In e. m. Dilectis filiis Conventui monasterii sancti Stephani de Barbaco ordinis sancti Benedicti Arbensis diocesis, Venerabili fratri ... Episcopo Arbensi, et Carissimo in Christo filio Ludovico Regi Ungarie Illustri.

CCCXXXV.

Guillelmus de S. Germano monachus Casinensis monasterio s. Mariae de Castellione dioecesis Veglensis in abbatem praeficitur. Reg. An. X. cod. chart. Tom. 28. fol. 122.

INNOCENTIUS EPISCOPUS etc. Dilecto filio Guilielmo de Sancto Germano Abbati monasterii sancte Marie de Castelione (alias Castellione) ordinis sancti Benedicti Veglensis diocesis, salutem etc. Suscepti cura regiminis cor nostrum continua pulsat instancia, ut solicitudinis debitum, ad quod universis orbis ecclesiis et monasteriis nos apostolice servitutis necessitas obligat, eorum singulis, pront nobis ex alto conceditur, exolvamus, in eo potissime, ut illorum regimina, que propriis sunt destituta pastoribus, personis talibus committantur, per quarum solerciam circumspectam et solertem circumspectionem ecclesie et monasteria supradicta in spiritualibus et temporalibus valeant adaugeri. Nuper siquidem monasterio sancte Mario de Castelione ordinis sancti Benedicti Veglensis diocesis vacante, ex eo quod nos dilectum filium Nicolaum sancti Petri de Valle dicti ordinis Arbensis diocesis, olim ipsius sancte Marie de Castellione monasteriorum Abbatem, apud sedem apostolicam constitutum dicto monasterio sancti Petri tunc vacanti prefecimus in Abbatem, Nos attendentes, quod nullus preter nos de ipsius monasterii sancte Marie de Castellione ordinatione hac vice disponere potuit, neque potest, pro eo quod nos diu ante vacationem huiusmodi provisiones omnium monasteriorum tunc apud dictam sedem quocumque modo vacantium, et in antea vacaturorum ordinationi et dispositioni nostre reservantes, decrevimus ex tunc irritum et inane, si secus super hiis per quoscumque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari, ac ad provisionem ipsius monasterii sancte Marie celerem et felicem, ne longe vacationis exponeretur incommodis, paternis et solicitis studiis intendentes, post deliberationem, quam de preficiendo eidem monasterio personam utilem et etiam fructuosam cum fratribus nostris habuimus diligentem, demum ad te monachum ecclesie Casinensis dicti ordinis, ordinem ipsum expresse profcssum et in sacerdotio constitutum, cui de religionis zelo, litterarum sciencia, vite mundicia et aliis multiplicium virtutum meritis apud nos fidedigna testimonia perhibentur, direximus oculos nostre mentis: quibus omnibus diligenti meditatione pensatis, de persona tua dicto monasterio sancte Marie de dictorum fratrum consilio auctoritate apostolica providemus, teque illi preficimus in Abbatem, curam et administrationem ipsius monasterii sancte Marie tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, in illo qui dat gratias et largitur promia confidentes, quod dextera domini tibi assistente propitia prefatum monasterium per tue circumspectionis industriam prospere dirigetur, et salubria, dante domino, suscipiet incrementa. Quocirca discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus impositnm tibi onus dicti monasterii sancte Marie a domino devote suscipiens, curam et administrationem predictas sic fideliter goras et solicite prosequaris, quod prefatum monasterium administratori studioso gandeat se commissum, tuque proinde eterno retributionis premium acquiras, ac nostram et dicte sedis gratiam et benedictionem uberius consequi mereatis. Datum Avinione x. Kalendas Aprilis, P. n. Anno Decimo.

In e. m. Conventui Monasterii sancte Marie de Casalione (Castellione) ordiuis sancti Benedicti Veglensi diocesis, Episcopo Veglensi et Ludovico Regi Ungarie.

CCCXXXVI.

Andreas abbas s. Alexandri monasterio ss. Cosmae et Damiani Iadrensis dioecesis in abbatem praeficitur. Reg. An. X. cod. chart. Tom. 28. fol. 102.

INNOCENTIUS EPISCOPUS etc. Dilecto filio Andree Abbati monasterii sanctorum Cosme et Damiani ordinis sancti Benedicti Iadrensis diocesis, salutem etc. Ex suscopto servitutis officio solicitudine

pulsamur assidua, ut ecclesiarum et monasteriorum omnium, quorum cura nobis imminet generalis, utilitatibus intendentes, illis presertim, que vacationis incommoda deplorare noscuntur, de utilis provisionis remedio celeriter et salubriter consulamus. Dudum siquidem quondam Georgio Abbate monasterii sanctorum Cosme et Damiani ordinis sancti Benedicti Iadrensis diocesis regimini eiusdem monasterii presidente, nos cupientes eidem monasterio, cum vacaret, per apostolice sedis providenciam utilem presese personam, provisionem ipsius monasterii ea vice dispositioni nostre duximus specialiter reservandam, decernendo ex tunc irritum et inane, si secus super hiis por quoscumque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari. Postmodum vero prefato monasterio per obitum dicti Georgii Abbatis, qui extra Romanam Curiam diem clausit extremum, Abbatis regimine destituto, nos vacatione huiusmodi fidedignis relatibus intellecta ad provisionem ipsius monasterii celerem et felicem, de qua nullus preter nos hac vice se intromittere potuit neque potest, reservatione et decreto obsistentibus antedictis, ne ipsum monasterium longe vacationis exponerotur incommodis, paternis et solicitis studiis intendentes, post deliberationem, quam de preficiendo eidem monasterio personam utilem et etiam fructuosam, cum fratribus nostris habuimus diligentem, demum ad te Abbatem monasterii sancti Alexandri eiusdem ordinis Albanensis diocesis, consideratis grandium virtutum meritis, quibus personam tuam altissimus insignivit, et quod tu, qui regimini eiusdem monasterii sancti Alexandri hactenus utiliter prefuisti, dictum monasterium sanctorum Cosme et Damiani scies et poteris, auctore domino, saluhriter regero ac feliciter gubernare, direximus oculos nostre mentis: quibus omnibus debita meditatione pensatis, de persona tua eidem monasterio senctorum Cosme et Damiani de dictorum fratrum consilio auctoritate apostolica providemus, tequo illi preficimus in Abbatem, curam et administrationem ipsius monasterii sanctorum Cosme et Damiani tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, firma spe fiduciaque conceptis, quod dirigente domino actus tuos prefatum monasterium sanctorum Cosme et Damiani per tue circumspectionis industriam et studium fructuosum regetur utiliter et prospere dirigetur. Quocirca discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus impositum tibi a domino onus regiminis dicti monasterii sanctorum Cosme et Damiani devote supportans, sic te in eo salubriter dirigendo oxhibeas studiosum, quod ipsum fructuoso administratori gaudeat se commissum, tuque eterne retributionis premium, nostram et dicte sedis benedictionem et graciam exinde uberius consequi merearis. Datum Avinione III. Idus Maii, Pontificatus nostri Anno Decimo.

In e. m. Dilectis filiis Conventui monasterii sanctorum Cosme et Damiani ordinis sancti Benedicti Iadrensis diocesis, Venerabili fratri ... Archiepiscopo Iadrensi et Carissimo in Christo filio Ludovico Regi Ungarie Illustri.

CCCXXXVII.

Episcopo Catharensi, ut monasterio s. Georgii de Gulfo [al. Culfo] suse dioccesis Nicolaum Benedicti monachum de Croma vel alium preficiat in abbatem. Reg. An. X. cod. chart. Tom. 28. fol. 523.

INNOCENTIUS EPISCOPUS etc. Venerabili fratri ... Episcopo Catharensi, salutem etc. Inter curas multiplices, ex quibus iugiter angimur et meditationis assiduitate pulsamur, illud potissime excitat mentem nostram, ut viduatis ecclesiis et monasteriis provisio, deo auctore, provcniat fructuosa. Dudum siquidem provisiones omnium ecclesiarum et monasteriorum apud apostolicam sedem tunc vacantium, et vacaturorum imposterum apud eam ordinationi et dispositioni nostre reservantes, decrevimus ex tunc irritum et inane, si secus super hiis per quoscumque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari. Postmodnm vero fidedignis relatibus intellecto, quod nuper monasterium sancti Georgii de Gulfo ordinis sancti Benedicti Catharonsis diocesis per obitum qnondam Pasqualis Abbatis eiusdem monasterii, qui apud dictam sedem diem clausit extremum, Abbatis regimino destitutum existebat, ot quod dilectus filius Nicolaus Benedicti monachus monasterii beate Marie de Croma dictis ordinis Ragusine diocesis, ordinem ipsum expresse professus, et in sacerdotio ac etate legitima constitutus, utilis esset ad regimen et gubernationem monasterii sancti Georgii supradicti: Nos cupientes eidem monasterio sancti Georgii, de quo nullus preter nos hac vice se intromittere potnit neque potest, reservatione et decreto obsistentibus supradictis, ne longe vacationis subiaceret detrimentis, utiliter et celeriter providere, quia de ipsius Nicolai meritis certam noticiam non habemus, fraternitati tue, de qua in hiis et aliis gerimus in domino specialem fiduciam, per apostolica scripta committimus et mandamus, quatinus de ipsius Nicolai meritis diligencius te informans, si eum ad hoc utilem et ydoneum esse repereris, de ipso, alioquin de alia persona ydonea, que sciat et possit dictum monasterium in spiritualibus et tempo-

ralibus salubriter regere et feliciter gubernare, super quibus tuam conscienciam oneramus, hac vice auctoritate nostra providere procures, illumque, de quo taliter duxeris providendum eidem monasterio sancti Georgii, preficias in Abbatem, curam et administrationem ipsius monasterii sancti Georgii sibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, eique si et prout est moris munus benedictionis impendas, vel per alium Antistitem gratiam et communionem apostolice sedis habentem impendi facias, et a suis subditis obedienciam et reverenciam debitam exhiberi, Contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo. Volumus autem, quod tu vel idem Antistes ab illo, quem ipsi monasterio sancti Georgii prefeceris, ut prefertur, nostro et ecclesie Romane nomine recipias vel recipiat fidelitatis debite iuramentum iuxta formam, quam sub bulla nostra mittimus interclusam, ac formam iuramenti, quod prestabit, nobis per eius patentes litteras suo sigillo signatus tu vel idem Antiste procures vel procuret per proprium nuncium quantocius destinare. Per hoc autem nullum tibi vel successoribus tuis Episcopis Catharensibus, quibus dictum monasterium est ordinario iure subiectum, intendimus preiudicium generari. Datum Avinione x. Kal. Iunii, Pontificatus nostri Anno Decimo.

EPISTOLAE URBANI PP. V.

CCCXXXVIII.

Michael episcopus Vaciensis ad ecclesiam Agriensem transfertur. Reg. An. I. cod. chart. Tom. VI. fol. 24.

URBANUS EPISCOPUS etc. Venerabili fratri Michaeli Episcopo Agriensi, salutem etc. Quam sit onusta dispendiis, quam plena periculis quauntaque discrimina secum trahat etc. augeantur. Olim siquidem Nicolao Episcopo Agriensi regimini ecclesie Agriensis presidente, felicis record. Innocentius pape VI. predecessor noster cupiens eidem ecclesie, cum vacaret, per apostolice sedis providenciam utilem et ydoneam presidere personam, provisionem ipsius ecclesie ordinationi et dispositioni sue specialiter reservans, decrevit extunc irritum et inane, si secus super hiis per quoscumque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingerot attemptari: et deinde dicta ecclesia per obitum eiusdem Nicolai, qui dicto predecessore adhuc in humanis agente, extra Romanam curiam diem clausit extremum, vacante, ipsoque predecessore per eum dicte ecclesie non proviso, sicut domino placuit, subsequenter sublato de medio, nos divina favente clemencia ad apicem summi apostolatus assumpti, in nostri apostolatus primordiis intellecto, quod dicta ecclesia per obitum eiusdem Nicolai vacabat, intendentes eidem ecclesie per apostolice sedis providenciam utilem et ydoneam presidere personam, provisionem dicte ecclesie ordinationi et dispositioni nostre ea vice cum similis interpositione decreti deximus etiam specialiter reservandam, et ad provisionem ipsius ecclesie celerem et felicem, de qua dicto predecessore vivente suis reservatione et decreto obsistentibus quatenus eum, et post et contra reservationem et decretum nostra huiusmodi nullus preter nos se intromittere potuit neque potest, ne ipsa ecclesia longe vacationis exponeretur incommodis, paternis et solicitis studiis intendentes, post deliberationem, quam super hoc cum fratribus nostris habuimus diligentem, demum ad te Episcopum Vachiensem, consideratis grandium virtutum meritis et muneribus graciarum, quibus personam tuam dominus rerum largitor multipliciter illustravit, et quod eidem ecclesie Vachiensi laudabiliter hactenus prefuisti, direximus oculos nostre mentis. Intendentes igitur tam eidem Agriensi ecclesie quam eius gregi dominico salubriter providere, te a vinculo, quo tenebaris eidem Vachiensi ecclesie, cui tunc preeras, de dictorum fratrum consilio et apostolice potestatis plenitudine absolventes, te ad prefatam Agriensem ecclesiam transferimus, teque illi preficimus in Episcopum et pastorem, curam et administrationem ipsius Agriensis ecclesiae tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, liberamque tibi dando licenciam ad dictam Agriensem ecclesiam transeundi, firma spe fiduciaque conceptis, quod prefata Agriensis ecclesia per tue circumspectionis et industrie studium fructuosum, gracia tibi assistente divina, regetur utiliter et prospere dirigetur, grataque in eisdem spiritualibus et temporalibus suscipiet incrementa. Quocirca

fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenus ad prefatam ecclesiam Agriensem cum gratia nostre benedictionis accedens eius solicitam curam geras, gregem dominicum in illa tibi commissum doctrina verbi et operis informando, ita quod ipsa Agriensis ecclesia gubernatori provido et fructuoso gaudeat se commissam, ac bone fame tue odor ex laudabilibus tuis actibus latius diffundatur, tuque preter eterne retributionis premium nostre ac sedis predicte benedictionem et gratie exinde merearis percipere incrementum. Datum Avinione III. Kal. Decembris, Pontificatus nostri Anno Primo.

In e. m. Capitulo ecclesie Agriensis, Clero et populo Civitatis et diocesis Agriensis, Archiepiscopo Strigoniensi et Ludovico Regi Ungarie.

CCCXXXIX.

Grisogonus Dumina ecclesiae Arbensi praeficitur in episcopum. Reg. An. I. cod. chart. Tom. VI. fol. 94.

URBANUS EPISCOPUS etc. Dilecto filio Grisogono Dumine Electo Arbensi, salutem etc. Apostolice solicitudinis studium circa diversa, que agenda nostris incumbunt humeris, est illud potissimum, ut circa ecclesiarum omnium statum, et maxime que pastorum suorum sunt regimine destitute, sic solicita diligencia intendamus, quod ecclesie ipse, nostre operationis studio suffragante, preseventur a noxiis et prosperitatis votive successibus gratulentur. Nuper siquidem ecclesia Arbensi per obitum bone mem. Gregorii Episcopi Arbensis, qui extra Romanam curiam decessit, pastoris solatio destituta, nos vacatione huiusmodi fidedignis relatibus intellecta ad provisionem ipsius ecclesie celerem et felicem, ne longe vacationis exponeretur incommodis, paternis et solicitis studiis intendentes, post deliberationem, quam de preficiendo eidem ecclesie personam utilem et otiam ydoneam cum fratribus nostris habuimus dilgentem, demum ad te Canonicum dicte ecclesie, clericali caractere dumtaxat insignitum, litterarum sciencia preditum, vite ac morum honestate decorum, in spiritualibus providum et in temporalibus circumspectum et aliis virtutum meritis, prout ex fidedignorum assertione percepimus, multipliciter insignitum, pro quo etiam maior pars dilectorum filiorum Capituli dicte ecclesie nobis super hoc humiliter supplicavit, direximus oculos nostre mentis: quibus omnibus debita meditatione pensatis, de persona tua eidem ecclesie de dictorum fratrum consilio auctoritate apostolica providemus, teque illi preficimus in Episcopum et pastorem, curam et administrationem ipsius ecclesie tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, in illo, qui dat gratias et largitur premia, confidentes, quod, dirigente domino actus tuos, ecclesia ipsa sub tuo felici regimine prospere dirigetur et salubria suscipiet incrementa. Iugum igitur dñi tuis impositum humeris suscipiens reverenter, et suavi eius oneri humiliter colla submittens, sic eiusdem ecclesie solicitam curam geras, gregem dominicum in illa tibi commissum doctrina verbi et operis informando, quod eadem ecclesia Arbensis gubernatori circumspecto et fructuoso administratori gaudeat se commissam, ac bone fame tue odor ex laudabilibus tuis actibus latius diffundatur, tuque proinde preter eterne retributionis premium nostre benivolencie gratiam uberius consequi merearis. Datum Avinione VII. Idus Iunii, Pontificatus nostri Anno Primo.

In e. m. Capitulo ecclesie Arbensis et Ludovico Regi Ungarie.

CCCXL.

Ioannes ord. Praedicat. ecclesiae Antibarensi in archiepiscopum praeficitur. Reg. An. I. cod. chart. Tom. VI. fol. 82.

URBANUS EPISCOPUS etc. Dilecto filio Iohanni Electo Antibarensi, salutem etc. Apostolice solicitudinis studium etc. Nuper siquidem bone memorie Stephano Archiepiscopo Antibarensi regimini Antibarensis ecclesie presidente, nos cupientes eidem ecclesie, cum vacaret, per apostolice sedis providenciam ydoneam presidere personam, provisionem ipsius ecclesie ordinationi et dispositioni nostre ea vice duximus specialiter reservandam, decernendo ex tunc irritum et inane, si secus super hiis per quoscumque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari. Postmodum vero dicta ecclesia per obitum eiusdem Stephani Archiepiscopi, qui extra Romanam curiam diem clausit extremum, pastoris solatio destituta, Nos vacatione huiusmodi fidedignis relatibus intellecta ad provisionem ipsius ecclesie celerem et felicem, de qua nullus preter nos hac vice se intromittere potuit neque potest, reservatione et decreto obsistentibus supradictis, ne dicta ecclesia longe vacationis exponeretur incommodis, paternis et solicitis studiis intendentes, post deliberationem, quam de preficiendo eidem ecclesie personam utilem et etiam fructuosam, que scirct, vellet et posset eam preservare a noxiis et adversis et in suis manutenere iuribus et etiam adaugere, cum fratribus nostris habuimus diligentem, demum ad te Priorem fratrum ordinis Predicatorum Ragusinorum, ordinem ipsum expresse professum, in sacerdotio constitutum,

religionis zelo conspicuum, litterarum sciencia preditum, vite ac morum honestate decorum, in spiritualibus providum et temporalibus circumspectum ot aliis virtutum meritis, prout ex fidedignorum assercione percepimus, multipliciter insignitum, et pro quo dilecti filii Capitulum ipsius ecclesie nobis super hoc humiliter supplicarunt, direximus oculos nostre mentis: quibus omnibus debita meditatione pensatis, de persona tua eidem ecclesie Antibarensi de dictorum fratrum nostrorum consilio auctoritate apostolica providemus, teque illi preficimus in Archiepiscopum et pastorem, curam et administrationem ipsius ecclesie tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, in illo, qui dat gracias et largitur premia, confidentes, quod ecclesia ipsa sub tuo felici regimine, gratia tibi assistente divina, prospere dirigetur et salubria suscipiet incrementa. Iugum igitur domini tuis impositum humeris suscipiens reverenter, et suavi eius oneri humiliter colla submittens, sic eiusdem ecclesie solicitam curam geras, gregem dominicum in illa tibi commissum doctrina verbi et operis informando, quod eadem ecclesia Antibarensi gubernatori circumspecto et fructuoso administratori gaudeat se commissam, ac bone fame tue odor ex laudabilibus tuis actibus latius diffundatur, tuque preter eterne retributionis premium nostre benivolencie graciam exinde uberius consequi merearis. Datum Avinione II. Idus Iunii, Pontificatus nostri Anno Primo.

In e. m. Capitulo, Vasallis et universis Suffraganeis ecclesie Antibarensis, Clero et populo Civitatis et diocesis Antibarensis.

CCCXLI.

Monachi s. Martini de Sacromonte Pannonie a summo pontifice per procuratores petunt confirmationem abbatis ab ipsis electi. Ex originali.

In nomine domini Amen, Anno a Nativitato eiusdem M.CCC.LX.quinto, Indictione tertia, penultima die mensis Aprilis hora terciarum vel quasi, Pontificatus sanctissimi in Christo patris et dñi, dñi Urbani divina providencia pape V. anno tercio, in loco Capitulari Monasterii sancti Martini de Sacromonte Pannonie, ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis sancti Benedicti Iauriensis diocesis, In mei notarii publici et testium subscriptorum ad hoc vocatorum specialiter et rogatorum presencia personaliter constituti, Venerabilis et religiosus vir dominus Ladizlaus Abbas Monasterii sancti Salvatoris de Saxardia ad Strigonionsem ecclesiam immediate pertinentis, ordinis iam predicti, Quinqueecclesionsis diocesis, ad abbaciam prefati Monasterii sancti Martini per mortem bone memorie dñi Suffridi olim Abbatis sui nuper, vocante deo, defuncti vacantem per Conventum ipsius Monasterii concorditer electus, necnon fratres Iacobus Prior Claustralis, Conradus Prepositus, Iohannes Sacrista et Clemens Cantor, et totus Conventus eiusdem Monasterii sancti Martini voluntate unanimi et consensu fecerunt, constituerunt et ordinaverunt suos veros et legitimos procuratores, sindicos, negotiorum gestores et nuncios speciales fratres Iohannem olim Abbatem de Almad et Clementem Cantorem monachos de gremio predicti Monasterii sancti Martini, presentes et ipsam procuracionem in se sponte suscipientes, et quemlibet eorum in solidum, ita quod non sit melior condicio occupantis, sed quod unus eorum inceperit, alter prosequi valeat et finire, ad comparendum et presentandum se vice ipsorum electi et Conventus coram predicto domino Sumuo Pontifice, seu quibuscumque iudicibus vel auditoribus deputatis aut deputandis ab eo, necnon ad petendum confirmacionem predicte eleccionis, et ad instruendum prefatum dominum papam seu eius auditores, vel iudices deputatos vel deputandos ab eo de eleccione premissa, et de omnibus que ipsius eleccionis concernunt negocium, Dantes et concedentes eisdem expressam, plenam, generalem et liberam potestatem agendi, defendendi, petendi, respondendi, excipiendi et replicandi, et cuiuslibet generis iuramentum in animas ipsorum prestandi, sententiam vel sentencias vel procepta audiendi, appellandi, appellacionem seu appellaciones prosequendi, necnon obiciendi et probandi, beneficium restitucionis in integrum, dispensacionis et absolucionis simpliciter et ad cautelam, totiens quotiens opus fuerit, priucipalitor vel incidenter petendum vel optinendum, privilegia et litteras quaslibet tam simplices quam legoudas, graciam et iusticiam continentes, in Romana Curia impetrandi, satisdandi, necnon Camcris dicti dñi pape et sacri Collegii dominorum Cardinalium ipsos, si opus extiterit, obligandi, alium vel alios procnratorem seu procuratores substituendi, et eosdem revocandi, quande et quociens sibi visum fuerit expedire, et generaliter omnia alia et singula faciendi, que in premissis et circa premissa ac premissorum singula fuerint oportuna, eciam si mandatum exigant speciale, et que veri et legitimi procuratoros facere possunt et debent, et que ipsimet facerent et facere possent, si personaliter interessent, et eciam si maiora essent quam in presenti mandato continentur, Promittentes se

ratum perpetuo habituros et firmum ac gratum, quicquid per predictos ipsorum procuratores, vel eorum alterum, aut substituendum vel substitutos ab eis vel eorum altero actum, gestum vel ordinatum fuerit in premissis et circa premissa ac quodlibet premissorum, Et volentes iidem constituentes dictos procuratores suos et eorum quemlibet, ac substitutum vel substitutos ab eis vel eorum altero ab omni satisdacionis onere relevare, promiserunt michi notario infrascripto, ut persone publice legitime stipulanti vice et nomine omnium quorum interest vel intererit, iudicio sisti et iudicatum solvi, cum omnibus suis clausulis oportunis, sub ypoteca et obligacione omnium bonorum et rerum tam mobilium quam immobilium, spiritualium et temporalium predicti Monasterii sancti Martini, [° Non omisso quod preter supradicta dederunt eciam dicti constituentes ipsis procuratoribus suis potestatem consimilem, et mandatum speciale sub omnibus condicionibus antelatis ad allegandum, et proponendum causas absencia predicti electi ad Romanam Curiam pro nunc personaliter accedere non valentis, et causas ipsas probandi, et omnia et singula alia exequendi, que in premissis eorumque quolibet fuerint oportuna. Acta sunt hec et facta anno, mense, sic, hora, loco, Indictione et Pontificatu quibus supra, Presentibus viris honorabilibus et discretis dñis Nicolao lectore et Paulo succentore Canonicis ecclesie Iauriensis, Dominico de Olsuk, Iacobo de Nilka, Thoma sancti Emerici et Michaele Ronazd ecclesiarum plebanis Iauriensis diocesis, aliisque quam pluribus testibus fidedignis ad premissa vocatis specialiter et rogatis.

(L.S.) Et Ego Iohannes Chueckonis de Hrastoucha, presbiter Zagrabiensis diocesis, publicus Imperiali auctoritate notarius, predicte constitucioni procuratorum ac singulis predictorum unacum prenominatis testibus presens interfui, eaque fieri vidi et audivi, et propria manu mea conscribendo in hanc publicam formam redegi, signoque et nomine meis solitis appositis consignavi requisitus et rogatus in testimonium omnium premissorum. Constat nichilominus michi notario iamprescripto de clausula Non omisso sub hoc signo [° superius comprehensa et suis subsequenciis per totum, quod non sit de eisdem aliquatenus dubitandum.

CCCXLII.

Episcopus Iustinopolitanus summum pontificem certiorem reddit, prius consecrationis munere recepto in manus episcopi Civitatis Novae solitum fidelitatis iuramentum se praestiturum. Ex originali.

Sanctissimo ac beatissimo in Christo patri et dño, dño Urbano sacrosancte ac Universalis Ecclesie Summo Pontifici. Ludovicus dei et vestra Apostolica gracia Episcopus Iustinopolitanus ad pedum oscula beatorum. Sanctitati vestre tenore mearum presencium literarum facio manifestum, quod Reverendo in Christo patri et dño Dominico Gaffaro dei gracia Episcopo Civitatisnove Catholico graciam et communionem sedis Apostolice habenti, quem in consecratorem iuxta Sanctitatis vestre literarum formam et tenorem eligere procuravi, prius ab eo consecrationis munere recepto, vestro et ecclesie Romane nomine recipienti fidelitatis debite iuxta formam per Sanctitatem vestram sub bulla vestra interclusam transmissam solitum prestiti iuramentum. Forma autem iuramenti in dictis vestris Apostolicis literis contenti talis est.

Ego Ludovicus Epus Iustinopolitanus ab hac hora inantea fidelis et obediens ero beato Petro, sancteque Apostolice Romane Ecclesie, ac domino meo, domino Urbano pape V., suisque successoribus canonice intrantibus: non ero in consilio aut consensu vel facto, ut vitam perdant aut membrum vel capiantur mala captione. Consilium vero, quod michi crediturі sunt per se, aut nuncios sive literas, ad eorum dampnum me sciente nemini pandam. Papatum Romanum ot regalia sancti Petri adiutor eis ero ad retinendum et deffendendum, salvo meo ordine, contra omnem hominem. Legatum Apostolice Sedis in eundo et redeundo honorifice tractabo, et in suis necessitatibus adiuvabo. Vocatus ad Sinodum veniam, nisi prepeditus fuero canonica prepeditione. Apostolorum Limina, Romana curia existente citra vel ultra montes, singulis bienniis aut per me aut per meum nuncium visitabo, nisi Apostolica absolvar licencia. Possessiones vero ad mensam mei Episcopatus pertinentes non vendam, neque donabo, neque impignorabo, neque de novo infeudabo, vel aliquo modo alienabo inconsulto Romano Pontifice. Sic me deus adiuvet et hec sancta dei evangelia. Datum ot actum Castelli in ecclesia maiori Castellana, presentibus Reverendo in Christo patre et dño, dño fratro Gerardo dei et Apostolice Sedis gracia Episcopo Ariensi, Venerabilibus viris dñis Iohanne Lauretani Primicerio S. Marci, Stephano Pianigo Archipresbitero, Victore Mauroceni, Iohanne Agadi, Dominico Tirapele Canonicis dicte Ecclesie Castellane testibus ad hec adhibitis et rogatis et aliis pluribus, Anno dominico nativitatis Millesimo Trecentesime Sexagesimoquinto, Indictione tercia, die dominico vigesimo septimo mensis Iulii. In quorum omnium testimonium presentes literas mei sigilli feci appensione muniri. (L.S.)

CCCXLIII.

Episcopus Civitatis Novae pontifici attestatur se ab episcopo Iustinopolitano solitum iuramentum recepisse. Ex originali.

Sanctissimo ac beatissimo in Christo patri et dño, dño Urbano sacrosancto ac universalis ecclesie Summo Pontifici. Dominicus dei et apostolice sedis gracia Episcopus Civitatisnove ad pedum oscula beatorum. Sanctitati vestre tenore presencium facio manifestum, quod Reverendo in Christo patri et dño Ludovico Episcopo Iustinopolitano iuxta tenorem et formam vestre Sanctitatis litterarum munus consecrationis impendi, assistentibus Reverendis patribus dominis fratribus Luca Cardicensi et Iohanne Emonensi Episcopis, quos una mecum dictus dñus Ludovicus Episcopus antedictus in consecratorem et assistentes elegit et assumpsit, Recepto ab ipso vestro et successorum vestrorum ac ecclesie Romane nomine fidelitatis debite iuxta formam per Sanctitatem vestram sub bulla vestra interclusam transmissam solitum iuramentum. Formam autem iuramenti in dictis vestris apostolicis litteris contempti de verbo ad verbum per suas patentes litteras sub sigillo pendenti bullatas dictus Reverendus dominus L. Episcopus Iustinopolitanus predictus Sanctitati vestre per suum proprium nuncium destinavit. Datum Veneciis die XVII. mensis Augusti, Indictione tercia.

CCCXLIV.

Stephanus episcopus Nitriensis ad ecclesiam Colocensem transfertur. Reg. An. V. cod. chart. Tom. 15. fol. 59.

URBANUS EPISCOPUS etc. Venerabili fratri Stephano Episcopo olim Nitriensi in Archiepiscopum Colocensem Electo, salutem etc. Romani pontificis, quem pastor ille celestis et Ꝑus animarum, potestatis sibi plenitudine tradita, ecclesiis pretulit universis etc. Dudum siquidem provisiones omnium ecclesiarum Cathedralium, extunc inantea vacaturarum per translationes de prelatis earum ubilibet constitutis per nos faciendas impostorum ad alias ecclesias Cathedrales tunc vacantes, et inantea vacaturas ordinationi et dispositioni nostre duximus reservandas, decernentes extunc irritum et inane, si secus super hiis per quoscunque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari. Postmodum vero ecclesia Colocensi ex eo pastoris solutio destituta, quod nos Venerabilem fratrem nostrum Strigoniensem tunc Colocensem Archiepiscopum, licet absentem a vinculo, quo eidem ecclesie Colocensi, cui tunc preerat, tenebatur, de fratrum nostrorum consilio et apostolice potestatis plenitudine absolventes, ipsum ad ecclesiam Strigonicnsem tunc vacantem auctoritate apostolica duximus transferendum, preficiendo eum dicte Strigoniensi ecclesie in Archiepiscopum et pastorem, nos ad provisionem ipsius Colocensis ecclesie celerem et felicem, de qua nullus preter nos hac vice se intromittere potuit neque potest, reservatione et decreto obsistentibus supradictis, ne ipsa Colocensis ecclesia diutine vacationis subiaceret incommodis, paternis et solicitis studiis intendentes, post deliberationem, quam super hiis cum fratribus nostris habuimus diligentem, demum ad te Episcopum Nitriensem, consideratis grandium virtutum meritis, quibus personam tuam, prout fidedignorum percepimus testimonio, altissimus insignivit, quodque tu, qui regimini ecclesie Nitriensis hactenus laudabiliter prefuisti, prefatam Colocensem ecclesiam scies et poteris, auctore domino, salubriter gubernare, direximus oculos nostre mentis. Intendentes igitur tam dicte ecclesie Colocensi, quam eius gregi dominico salubriter providere, te a vinculo, quo dicte ecclesie Nitriensi, cui tunc preeras, tenebaris, de ipsorum fratrum consilio et apostolice potestatis plenitudine absolventes, te ad prefatam ecclesiam Colocensem transferimus, teque illi preficimus in Archiepiscopum et pastorem, curam et administrationem ipsius Colocensis ecclesie tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, liberamque tibi tribuendo licenciam ad eandem ecclesiam Colocensem transeundi, firma spe fiduciaque conceptis, quod dirigente domino actus tuos prefata ecclesia Colocensis per tue industrie et circumspectionis fructnosum studium regetur utiliter, et prospere dirigetur, grataque suscipiet in eisdem spiritualibus et temporalibus incrementa. Quocirca fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenus impositum tibi a domino onus regiminis dicte Colocensis ecclesie devote siscipiens, sic ipsius regimen solicite studeas exercere, gregem dominicum in ea tibi creditum doctrina verbi et operis iuxta datam tibi a deo prudenciam informando, quod dicta Colocensis ecclesia per tue cooperationis ministerium fructuosum votivis iugiter commodis et successibus prosperis augeatur, ac tu proinde divinam ac dicte sedis et nostram benedictionem et graciam uberius consequi merearis. Datum apud Montempessulanum Magalonensis diocesis III. Idus Februarii, Pontificatus nostri Anno Quinto.

In e. m. Venerabilibus fratribus universis Suffraganeis ecclesie Colocensis, dilectis filiis Capitulo et univcrsis Vassallis eiusdem ecclesie, Clero et populo Civitatis et diocesis Colocensis, necnon Carissimo in Christo filio Ludovico Regi Ungarie Illustri, verbis competenter mutatis. Datum ut supra.

CCCXLV.

Thomas archiepiscopus Colocensis ad ecclesiam Strigoniensem transfertur. Reg. An. V. cod. chart. Tom. 15. fol. 45.

URBANUS EPISCOPUS etc. Venerabili fratri Thome Episcopo, olim Archiepiscopo Colocensi, in Archiepicopos Strigoniensem Electo, salutem etc. Romani pontificis etc. Dudum siquidem bone memorie Nicolao Archiepiscopo Strigoniensi regimini Strigoniensis ecclesie presidente, nos cupientes eidem ecclesie, cum eam vacare contingeret, per operationis nostre ministerium utilem presidere personam, provisionem eiusdem ecclesie ordinationi et dispositioni nostre ea vice duximus specialiter reservandam, decernendo ex tunc irritum et inane, si secus super hiis per quoscunque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari. Postmodum vero prefata Strigoniensi ecclesia per eiusdem Nicolay Archiepiscopi obitum, qui extra Romanam Curiam diem clausit extremum, vacante, nos vacatione huiusmodi fidedignis relatibus intellecta ad provisionem ipsius ecclesie celerem et felicem, de qua nullus preter nos hac vice se intromittere potuit, neque potest, reservatione et decreto obsistentibus supradictis, ne ecclesia ipsa longe vacationis exponeretur incommodis, paternis et solicitis studiis intendentes, post deliberationem, quam de preficiendo eidem ecclesie personam utilem et etiam fructuosam cum fratribus nostris habuimus diligentem, demum ad te Archiepiscopum Colocensem, considcratis grandium virtutum tuarum meritis, quibus personam tuam, sicut testimoniis fidedignis accepimus, divina gratia multipliciter insignivit, et quod tu, qui regimini Colocensis ecclesie hactenus laudabiliter prefuisti, dictam Strigoniensem ecclesiam scies et poteris, auctore domino, utiliter regere et feliciter gubernare, nostrum animum duximus dirigendum. Intendentes igitur tam dicte Strigoniensi ecclesie quam eius gregi dominico salubriter providere, te a vinculo, quo eidem Colocensi ecclesie, cui tunc preeras, tenebaris, de dictorum fratrum consilio et apostolice potestatis plenitudine absolventes, te ad dictam Strigoniensem ecclesiam transferimus, teque illi preficimus in Archiepum et pastorem, curam et administrationem dicte Strigoniensis ecclesie tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, liberamque tibi dando licenciam ed eandem Strigoniensem ecclesiam transeundi, firma ducti fiducia, quod tuos actus actus et opera illius clemencia dirigente, a quo universorum carismatum dona proveniunt, prelibata Stigoniensis ecclesia per tuam diligentem solerciam tuumque ministerium curiosum honoris et prosperitatis multiplicium votiva suscipiet incrementa. Quocirca fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenus impositum tibi onus ipsius Strigoniensis ecclesie a domino devote suscipiens, curam et administrationem predictas sic diligenter geras et solicite prosequaris, quod ipsa Strigoniensis ecclesia gubernatori circumspecto et fructuoso administratori gaudeat se commissam, ac bone fame tue odor ex laudabilibus tuis actibus latins diffundatur, tuque preter retributionis eterne premium nostre benedictionis augmentum, ac ipsius sedis gratiam exinde uberins conscqui merearis. Datum apud Montempessulanum Magalonensis diocesis III. Idus Februarii, Pontificatus nostri Anno Quinto.

In e. m. Venerabilibus fratribus universis Suffragancis ecclesie Strigoniensis, dilectis filiis Capitulo et universis Vassallis eiusdem ecclesie, populo Civitatis et diocesis Strigoniensis, necnon Carissimo in Christo filio Ludovico Regi Ungarie Illustri, verbis competenter mutatis. Datum ut supra.

CCCXLVI.

Archiepo Ragusino committitur, ut Petrum de Pinu monachum aut alium praeficiat in abbatem monasterio s. Michaelis de Peclina. Reg. An. V. cod. chart. Tom. 15. fol. 80.

URBANUS EPISCOPUS etc. Venerabili fratri ... Archiepiscopo Ragusino, salutem etc. Ex suscepte servitutis officio vigiliis assiduis angimur et meditationis assiduitate pulsamur, ut ecclesiis et monasteriis universis, presertim que suis sunt destituta pastoribus, de celeris provisionis remedio utiliter et salubriter consultnr. Dudum siquidem quondam Iohanne Abbate monasterii sancti Michaelis de Peclina ordinis sancti Benedicti tue diocesis regimini ipsius monasterii presidente, nos cupientes eidem monasterio, cum vacaret, per apostolice sedis providenciam ydoneam preesse personam, provisionem ipsius monasterii ordinationi et dispositioni nostre duximus ea vice specialiter reservandam, decernentes extunc irritum et in inane, si secus super hiis per quoscunque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari. Postmodum vero dicto monasterio per obitum eiusdem Iohanuis Abbatis, qui extra Romanam Curiam decessit, vacante, ac exposito in consistorio coram nobis, quod dilectus filius Petrus de Pinu monachus monasterii sancti Iacobi ordinis et diocesis predictorum, ordinem ipsum expresse professus et in sacerdotio constitutus, ad ipsius monasterii regimen utilis et ydoneus existeret, nos cupientes eidem monasterio, de cuius provisione nullus preter nos hac vice se intromittere potuit neque

potest, reservatione et decreto obsistentibus supradictis, ne longe vacationis exponatur incommodis, de persona idonea provideri, ac de ipsius Petri meritis et ydoneitate plenam noticiam non habentes, fraternitati tue, de qua in hiis plenam in domino fiduciam obtinemus, per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus de persona ipsius Petri, si eum ydoneum et utilem ad regimen ipsius monasterii esse repperoris, alioquin de alia persona dicti ordinis ad hoc utili et ydonea, super quo tuam conscienciam oneramus, dicto monasterio hac vice auctoritate nostra provideas, ac huiusmodi personam, de qua providebis, ut prefertur, eidem monasterio preficias in Abbatem, curam et administrationem ipsius sibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, ac eidem persone facias a suis subditis obedienciam et reverenciam debitas exhiberi, Contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo, et nichilominus eidem persone, de qua ipsi monasterio provideri contingerit, munus benedictionis impendas, vel per alium Antistitem gratiam et communionem apostolice sedis habentem impendi facias et procures. Volumus autem, quod tu vel idem Antistes, qui eidem persone, de qua ipsi monasterio, ut promittitur, providebis, prefatum munus impendet, nostro et ecclesie Romane nomine fidelitatis debite solitum recipias seu recipiat iuramentum iuxta formam, quam sub bulla nostra mittimus interclusam: formam autem iuramenti, quod eadem persona prestabit, nobis de verbo ad verbum per ipsius persono patentes littoras suo sigillo signatas per proprium nuntium procures seu procuret quantocius destinare. Datum apud Montempessulanum Magalonensis diocesis VII. Kalendas Marcii, Pontificatus nostri Anno Quinto.

CCCXLVII.

Ladislaus praepositus Colocensis ecclesiae Nitriensi praeficitur in episcopum. Reg. An. V. Tom. 13. fol. 46.

URBANUS EPISCOPUS etc. Dilecto filio Ladizlao Electo Nitriensi, sal. etc. Apostolatus officium etc. Sane ecclesia Nitriensi ex eo pastoris solatio destituta, quod nos nuper Venerabilem fratrem nostrum Stephanum Episcopum olim Nitriensem in Archiepiscopum Colocensem electum, licet absentem a vinculo, quo ipsi Nitriensi ecclesie, cui tunc preerat, tenebatur, de fratrum nostrorum consilio et apostolice potestatis plenitudine absolventes, eum ad ecclesiam Colocensem tunc vacantem duximus auctoritate apostolica transferendum, preficiendo eum eidem Colocensi ecclesie in Archiepiscopum et pastorem, nos ad provisionem ipsius Nitriensis ecclesie celerem et felicem, ne longe vacationis exponeretur incommodis, paternis et solicitis studiis intendentes, post deliberationem, quam de preficiendo eidem Nitriensi ecclesie personam utilem et etiam fructuosam cum dictis fratribus habuimus diligentem, demum ad te Prepositum dicte ecclesie Colocensis, in subdiaconatus ordine constitutum, litterarum sciencia preditum, vite ac morum honestate decorum, in spiritualibus providum et in temporalibus circumspectum, et aliis multiplicium virtutum meritis, prout fidedignorum assertione percepimus, insignitum direximus oculos nostre mentis: quibus omnibus diligenti meditatione pensatis, de persona tua eidem Nitriensi ecclesie de dictorum fratrum consilio auctoritate apostolica providemus, teque illi preficimus in Episcopum et pastorem, curam et administrationem eiusdem Nitriensis ecclesie tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, in illo, qui dat gracias et largitur premia, confidentes, quod eadem Nitriensis ecclesia sub tuo felici regimine, gracia tibi assistente divina, prospere dirigetur et salubria, dante domino, suscipiet incrementa. Iugum igitur domini tuis impositum humeris suscipiens reverenter, et suavi eius oneri humiliter colla summittens, eiusdem Nitriensis ecclesio solicitam curam geras, gregem dominicum in illa tibi commissum doctrina verbi et operis informando, ita quod dicta Nitriensis ecclesia gubernatori circumspecto et fructuoso administratori gaudeat se commissam, ac bone fame tue odor ex laudabilibus tuis actibus latius diffundatur, tuque preter eterne retributionis premium nostre benivolencie graciam uberius valeas promereri. Datum apud Montempessulanum Magalonensis diocesis III. Kal. Marcii, Pontificatus nostri Anno Quinto.

In e. m. . . . Archiepiscopo Strigoniensi, Capitulo et universis Vassalis ecclesie Nitriensis, Clero et populo Civitatis et diocesis Nitriensis, necnon Ludovico Regi Ungarie.

CCCXLVIII.

Executoribus, ut sententias pro Ludovico epo Tergestino contra quosdam cives Iustinopolitanos de castro Siparii latas exequantur. Reg. An. V. cod. chart. Tom. 13. fol. 353.

URBANUS EPISCOPUS etc. Venerabilibus fratribus ... Patriarche Aquilegensi et ... Epo Concordiensi, ac dilecto filio Archipresbitero ecclesie sancti Desiderii Avinionensis, salutem etc. Exhibita nobis pro

parte Venerabilis fratris nostri Antonii Episcopi Tergestini peticio continebat, quod licet Castrum de Sipario Tergestine diocesis cum omnibus pertinenciis suis ad mensam episcopalem Tergestinam solum et insolidum pleno iure pertineret, et tam Venerabilis frater noster Ludovicus Olonensis olim Tergestinus Episcopus, quam predecessores sui Episcopi Tergestini, qui fuerunt pro tempore, dictum Castrum cum iuribus et pertinenciis supradictis pacifice possedissent, et in eorum possessione pacifica a tempore, cuius contrarii memoria non existebat, dictusque etiam Ludovicus ipsum Castrum possideret, tamen quondam Gregorius Fantinus de Baractis civis Iustinopolitanus eumdem Ludovicum Episcopum, prefati Antonii predecessorem, et dictam mensam castro ac iuribus et pertinenciis supradictis contra iusticiam spoliavit, dictumque Castrum cum iuribus et portinenciis supradictis occupavit, et detinuit indebite occupatum, fructus percipiendo ex eo: ortaque propterea inter eosdem Antonium et Gregorium Fantinum super castro ac iuribus et pertinenciis supradictis materia questionis, felicis recordacionis Innocentius papa VI. predecessor noster causam huiusmodi, cum partes ipso in Romana curia presentes existerent, Venerabili fratri nostro Wilhelmo Episcopo Cicestreusi, tunc Capellano sedis apostolice et Auditori causarum palacii apostolici, ad instanciam dicti Antonii audiendam commisit et fine debito terminandam, qui ad instanciam dicti Antonii Episcopi coram eo in iudicio comparentis, dilectum filium Magistrum Neapoleonem de Ponterolis do Forlivio procuratorem dicti Gregorii Fantini, prout eidem Wilhelmo tunc Auditori apud acta cause legitime constabat, ad dandum et recipiendum libellum in huiusmodi causa per quendam cursorem dicte sedis citari fecit ad certum terminum peremptorium competentem, in quo dictus Antonius Episcopus coram prefato Wilhelmo Auditore in iudicio comparens predicti Neapoleonis non comparentis contumaciam accusavit, et in eius contumaciam quendam in huiusmodi causa pro parte sua dedit libellum solum possessorium continentem. Postmodum vero Antonio Episcopo et Neapoleone predictis coram Wilhelmo tunc Auditore in iudicio comparentibus, et per eos lite in huiusmodi causa legitime contestata, ac de calumpnia et de veritate dicenda in huiusmodi causa in ipsius Wilhelmi tunc Auditoris presencia prestatis iuramontis, ac traditis quibusdam positionibus et articulis in huiusmodi causa in terminis ad hoc statutis, tandem idem predecessor causam huiusmodi dilecto filio Magistro Gaufrido Fabri Canonico Baiocensi, Capellano nostro, sedis et Auditori causarum palacii predictorum ex certis causis audiendam commisit et fine debito terminandam. Et deinde dicto predecessore, sicut domino placuit, viam universe carnis ingresso, nos divina favente clemencia ad apicem summi apostolatus assumpti, omnibus Auditoribus dicti palacii commisimus, ut causas, quas ex commissione dicti predecessoris audiebant, in eo statu, in quo tempore obitus dicti predecessoris remanserant, coram eis reassumerent, easque audirent et fine debito terminarent iuxta tenores commissionum factarum eisdem: idemque Gaufridus Auditor ad instanciam dicti Antonii Episcopi coram eo in iudicio comparentis predictum Neapoleonem ad respondendum dictis positionibus, et dicendum contra eosdem articulos quicquid vellet, necnon ad producendum et produci videndum omnia iura et munimenta, quibus partes ipse vellent in huiusmodi causa uti, per quosdam cursores nostros successive citari fecit ad certos terminos peremptorios competentes, in quibus dominus Antonius Episcopus coram prefato Gaufrido Auditore in iudicio comparens predicti Neapoleonis non comparentis contumaciam accusavit, et in eius contumaciam nonnulla iura et munimenta, quibus pars sua in huiusmodi causa uti voluit, produxit. Postmodum vero Antonio Episcopo et Neapoleone predictis coram prefato Gaufrido Auditore in iudicio comparentibus, et per ipsum Neapoleonem contra producta predicta datis nonnullis exceptionibus in termino ad hoc statuto, demum prefatus Gaufridus Auditor ad instanciam dicti Antonii Episcopi predictum Neapoleonem ad concludendum et concludi videndum in huiusmodi causa, vel dicendum causam rationabilem, quare in ea contendi non deberet, per quendam cursorem nostrum citari fecit ad certum terminum peremptorium competentem, in quo dicto Antonio Episcopo coram eodem Gaufrido Auditore in iudicio comparente, et predicti Neapoleonis non comparentis contumaciam accusante, et in eius contumaciam in huiusmodi causa concludi petente, prefatus Gaufridus Auditor reputans eumdem Neapoleonem quo ad actum huiusmodi, prout erat, exigente iusticia, contumacem, in eius contumaciam in huiusmodi causa cum dicto Antonio Episcopo in causa concludente conclusit et habuit pro conclusa, et ad ipsius Antonii Episcopi instanciam predictum Neapoleonem, ad suam in huiusmodi causa diffinitivam sentenciam audiendam, per quondam cursorem nostrum citari fecit ad certum terminum peremptorium competentem: in quo dicto Antonio Episcopo coram eodem Gaufrido Auditore in iudicio comparente, et predicti Neapoleonis non comparentis contumaciam accusante, et in eius contumaciam sententiam ipsam petente, prefatus Gaufridus Auditor reputans eumdem Neapoleonem quoad actum huiusmodi,

prout erat, exigente iusticia, contumacem, in eius contumaciam, visis et diligenter inspectis omnibus et singulis actis, actitatis, habitis et productis in causa huiusmodi, eisque omni diligencia recensitis et examinatis, ac facta super hiis omnibus Cosuditoribus suis dicti palacii relatione plenaria et fideli, de ipsorum Coauditorum consilio et assensu per suam diffinitivam sentenciam pronunciavit, decrevit et declaravit, prout hec omnia in dicto libello petita fuerant, dictum Episcopum Tergestinum ad dictum Castrum de Sipario et pertinencias ipsius, eamque possessionem reintegrandum et restituendum fore, ipsumque restituit et reintegravit, prefatumque Gregorium Fantinum ab occupatione et detentione predictis amovendum fore et amovit, ipsique Gregorio Fantino super occupatione et detentione predictis perpotuum silencium imponendum fore et imposuit, ac eumdem Gregorium Fantinum in fructibus ex dicto Castro et eius pertinenciis perceptis a tempore mote litis, ac in expensis in huiusmodi causa factis condempnavit, ipsarum expensarum taxatione sibi imposterum reservata. A qua quidem sentencia pro parte dicti Gregorii Fantini fuit ad sedem apostolicam appellatum. Nosque causam appellationis huiusmodi a dicta sentencia ipsius Gaufridi Auditoris interiecte Venerabili fratri nostri Bernardo Archiepiscopo Neapolitano, tunc Capellano nostro et Auditori causarum palacii supradicti, prius, et deinde, postquam coram eo ad nonnullos actus in causa huiusmodi inter partes ipsas processum fuerat, dilecto filio Magistro Petro de Sorcenaco, Decano ecclesie sancti Felicis de Caramanno Tholosane diocesis, Capellano nostro et Auditori causarum palacii supradicti audiendam commisimus ot fine debito terminandam, qui ad instanciam dicti Antonii Episcopi, asserentis huiusmodi appellationem pro parte dicti Gregorii Fantini ab eadem sentencia dicti Gaufridi Auditoris interiectam fuisse et esse desertam, prefatum Neapoleonem ad docendum de diligencia prosecutionis appellationis huiusmodi per quendam cursorem nostrum citari fecit ad certum terminum peremptorium competentem: in quo dicto Antonio Epo coram prefato Auditore in iudicio comparente, et prefati Neapoleonis non comparentis contumaciam accusante, tandem memoratus Petrus Auditor ad instanciam dicti Antonii Episcopi predictum Neapoleonem, ad audiendum sentenciam suam in causa huiusmodi, per quendam cursorem nostrum citari fecit ad certum terminum peremptorium competentem, in quo dicto Antonio coram eodem Petro Auditore in iudicio comparento, et predicti Neapoleonis non comparentis contumaciam accusante, et in eius contumaciam dictam appellationem pro parte dicti Gregorii Fantini, ut premittitur, interpositam fuisse et esse desertam, ao ipsam desertam pronunciari et sentenciam huiusmodi ferri petente, memoratus Petrus Auditor reputans eumdem Neapoleonem quoad actum huiusmodi, prout erat, exigente iusticia contumacem, in eius contumaciam, visis et diligenter inspectis omnibus et singulis actis et habitis in causa huiusmodi, de consilio ot assensu Coauditorum suorum dicti palacii, quibus super hoc relationem fecit fidelem, per suam sentenciam pronunciavit, decrevit et declaravit prefatam appellationem pro parte dicti Gregorii Fantini a dicta diffinitiva sentencia per prefatum Gaufridum Auditorem latam interpositam fuisse et esse desertam, ipsamque sentenciam in rem transivisse iudicatam, dictumque Gregorium Fantinum in expensis in hac causa legitimo factis condempnavit, ipsarum expensarum taxatione sibi in posterum reservata. Et subsequenter dictus Petrus Auditor, cui nos commisimus, ut etiam expensas coram dicto Gaufrido Auditore factas taxarst, coram dicto Gaufrido Auditore in quadraginta, et coram se factas expensas huiusmodi in quinque florenos auri in contumaciam dicti Neapoleonis de mandato eiusdom Petri Anditoris, ad videndum taxari expensas huiusmodi coram eis factas per quosdam cursores nostros ad cortos terminos poremptorios competentes, ad instanciam dicti Antonii Epi, successive citati et non curantis comparere, dicto Antonio Episcopo coram dicto Petro Auditore in dictis terminis successive in iudicio romparente, et predicti Neapoleonis non comparentis contumaciam accusante, et in eius contumaciam expensas ipsas taxari petente, successive providis moderationibus taxavit, ipsius Antonii Epi super eisdem expensis iuramentis secutis, prout in instrumontis publicis inde confectis ipsorum Gaufridi et Petri Auditorum sigillis munitis dicitur plenius contineri. Postmodum vero dicto Gregorio Fantino vita functo, dilecti filii Iohannes, Almericus, Sader et Principallus ipsius Gregorii Fantini nati et heredes, cives Iustinopolitani, eidem Gregorio Fantino scienter succedentes in vicium predictum Castrum et eius pertinencias predictas occuparunt et detinuerunt, prout detinent indsbite occupata, fructus percipiendo ex eis. Nos itaque ipsius Antonii Episcopi supplicationibus inclinati, que super hiis ab eisdem Gaufrido et Petro Auditoribus provide facta sunt, rata et grata habentes, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus vos vel duo aut unus vestrum per vos vel alium seu alios premissa executioni debite demandantes, dictamqus sentenciam solempniter publicantes, auctoritate nostra eumdem Antonium Episcopum vel procuratorem suum eius nomine ad corporalem possessionem

Castri, pertinenciarum et iurium ipsorum, amotis exinde dictis Iohanne, Almerico, Sadere et Princivallo, auctoritate nostra restituatur et reintegretur, ipsumque restitutum et reintegratum dofendatis, facientes sibi de ipsius Castri fructibus, redditibus, proventibus et iuribus universis integre responderi, et de predictis perceptis fructibus et florenorum summis pro dictis exponsis iuxta predictorum instrumentorum earumdem condempnationis et taxationis tenores plenam et debitam satisfactionem impendi, Contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo. Datum Avinione v. Kalendas Aprilis, Pontificatus nostri Anno Quinto.

CCCXLIX.

Alexius de Arbano monachus monasterio s. Marise de Rocez in abbatem praeficitur. Reg. Au. V. Tom. 15. fol. 80.

URBANUS EPISCOPUS etc. Dilecto filio Alexio de Arbano Abbati Monasterii beate Marie de Rocez ordinis sancti Benedicti Antibarensis diocesis, salutem etc. Attenta meditatione pensantes dispendia et incommoda, que interdum incurrunt ex vacatione diutina ecclesie ot monasteria universa gubernatorum presidio destituta, mente reddimur vigiles et solertes, ut ecclesie et monasteria ipsa a dispendiis et incommodis huiusmodi preserventur, et nostre diligencie studio de celeris provisionis remedio succuratur eisdem. Cum itaque monasterium beate Marie de Rocez ordinis sancti Benedicti Antibarensis diocesis per obitum quondam Pauli ultimi ipsius monasterii Abbatis, qui extra Romanam Curiam diem clausit extremum, vacet ad presens, et tanto tempore vacaverit, quod eiusdem monasterii provisio secundum statuta generalis concilii est ad sedem apostolicam legitime devoluta, nos vacatione huiusmodi fidedignis relatibus intellecta volentes eidem monasterio, ne prolixioris vacationis subiret incommoda, salubriter provideri, post deliberationem, quam de preficiendo eidem monasterio personam utilem et eciam fructuosam cum nostris fratribus habuimus diligentem, domum ad te monachum monasterii s. Alexandri de Monte ordinis et diocesis predictorum, ordinem ipsum expresse professum et in sacerdotio constitutum, cui de religionis zelo, litterarum sciencia, vite mundicia, honestate morum aliisque multiplicium virtutum donis apud nos fidedigna testimonia perhibentur, direximus oculos nostre mentis: quibus omnibus debita meditatione pensatis, de persona tua, nobis et eisdem fratribus ob tuorum oxigenciam meritorum accepta, de eorundem fratrum consilio eidem monasterio beate Marie auctoritate apostolica providemus, teque illi preficimus in Abbatem, curam et administrationem eiusdem monasterii tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, in illo qui dat gracias et largitus premia confidentes, quod dextera domini tibi assistente propitia, prefatum monasterium per tue industrie et circumspectionis studium fructuosum regetur utiliter et prospere dirigetur, grataque in eisdem spiritualibus et temporalibus suscipiet incrementa. Quocirca discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus impositum tibi a domino onus regiminis dicti monasterii beate Marie suscipiens reverenter, sic te in eius cura salubriter exercenda fidelem exhibeas et eciam fructuosum, quod idem monasterium per laudabile tue diligencie studium gubernatori provido et fructuoso administratori gaudeat se commissum, tuque preter eterne retributionis premium nostram et dicte sedis benedictionem et graciam uberius consequi merearis. Datum Avinione XII. Kal. Maii, Pontificatus nostri Anno Quinto.

In e. m. Venerabili fratri ... Archiepiscopo Antibarensi, et dilectis filiis Conventui Monasterii beate Marie de Rocez ordinis sancti Benedicti Antibarensis diocesis.

CCCL.

Nicolaus episcopus Philadelphiensis ad ecclesiam Polatensem transfertur. Reg. Au. V. cod. chart. Tom. 15. fol. 56.

URBANUS EPISCOPUS etc. Venerabili fratri Nicolao Episcopo Polatensi, salutem etc. Credite nobis dispensationis etc. Nuper siquidem bono memorie Petro Episcopo Polatensi regimini Polatensis ecclesie presidente, nos cupientes eidem ecclesie, cum vacaret, per apostolice sedis providenciam ydoneam presidere personam, provisionem eiusdem ecclesie ordinationi et dispositioni nostre ea vice duximus specialiter reservandam, decernendo ex tunc irritum et inane, si secus super hiis per quoscumque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingoret attemptari. Postmodum vero dicta ecclesia per obitum eiusdem Petri Episcopi, qui extra Romanam Curiam diem clausit extremum, pastoris solatio destituta, nos vacatione huiusmodi fidedignis relatibus intellecta ad provisionem ipsius ecclesie celerem et felicem, de qua nullus preter nos hac vice se intromittere potuit neque potest, reservatione et decreto obsistentibus supradictis, ne dicta ecclesia longe vacationis exponeretur incommodis, paternis et solicitis studiis intendentes, post deliberationem, quam de preficiendo oidem ecclesie personam utilem et eciam fructuo-

sam cum fratribus nostris habuimus diligentem, demum ad te Episcopum Philadeffiensem, consideratis grandium virtutum meritis et muneribus graciarum, quibus personam tuam dominus earum largitor multipliciter insignivit, et quod Philadeffiensi ecclesie laudabiliter hactenus prefuisti, direximus oculos nostre mentis. Intendentes igitur tam eidem Polatensi ecclesie, quam eius gregi dominico salubriter et utiliter providere, te a vinculo, quo tenebaris eidem ecclesie Philadeffiensi, cui tunc preeras, de predictorum fratrum consilio et apostolice potestatis plenitudine absolventes, te ad prefatam Polatensem ecclesiam auctoritate apostolica transferimus, teque illi preficimus in Episcopum et pastorem, curam et administrationem ipsius Polatensis ecclesie tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, liberamque tibi dando licenciam ad dictam Polatensem ecclesiam transeundi, firma spe fiduciaque conceptis, quod prefata Polatensis ecclesia, gracia tibi assistente divina, regetur utiliter et prospere dirigetur, grataque in eisdem spiritualibus et temporalibus suscipiet incrementa. Quocirca fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenus ad dictam Polatensem ecclesiam cum gracia nostre benedictionis accedens, curam et administrationem predictas sic exercere studeas solicite, fideliter et prudenter, gregem predictum cure vigilancie tue commissum doctrina verbi et operis informando, quod ipsa Polatensis ecclesia gubernatori provido et fructuoso administratori gaudeat se commissam, tuque preter eterne retributionis premium nostram et dicte sedis benedictionem et graciam uberius consequi merearis. Datum Avinione XI. Kal. Maii, Pontificatus nostri Anno Quinto.

In e. m. Venerabili fratri ... Archiepiscopo Antibarensi, dilectis filiis Capitulo ecclesie Polatensis, et Clero ac populo Civitatis et diocesis Polatensis.

CCCLI.

Andruino card. legato committitur, ut Nicolaum abbatem monasterii s. Marie de Locrumna, aut alium idoneum monasterio s. Ioannis Baptistae Traguriensi preficiat in abbatem. Reg. An. V. Tom. 15. fol. 77.

URBANUS EPISCOPUS etc. Dilecto filio Andruino tituli sancti Marcelli presbitero Cardinali, apostolice sedis Legato, salutem etc. Licet ex debito pastoralis officii de universis ecclesiis et monasteriis cogitemus, ad illa tamen attentius dirigimus nostre considerationis intuitum, que diutine vacationis detrimentis exposita intuemur. Dudum siquidem quondam Dominico Abbate monasterii s. Iohannis Baptiste Traguriensis ordinis sancti Benedicti regimini dicti monasterii presidente, nos cupientes eidem monasterio, cum vacaret, per apostolice sedis providenciam utilem et ydoneam presidere personam, provisionem ipsius monasterii ordinationi et dispositioni nostre duximus ea vice specialiter reservandam, ac decrevimus ex tunc irritum et inane, si secus super hiis per quoscumque quavis auctoritate contingeret attemptari. Postmodum vero dicto monasterio per obitum dicti dominici Abbatis, qui extra Romanam Curiam decessit, vacante, ac exposito in consistorio coram nobis, quod dilectus filius Nicolaus Abbas monasterii s. Marie de Locrumna dicti ordinis Ragusine dioc. utilis et ydoneus ad regimen dicti monasterii s. Iohannis existeret, nos cupientes eidem monasterio s. Iohannis, de cuius provisione nullus preter nos hac vice se intromittere potuit, neque potest, reservatione et decreto obsistentibus supradictis, ne ulterioris vacationis exponeretur incommodis, de persona ydonea celeriter provideri, ac de ipsius Nicolai meritis et ydoneitate plenam noticiam non habentes, circumspectioni tue, de qua in hiis et aliis gerimus in dño fiduciam specialem, per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus de persona dicti Nicolai, si eum ydoneum et utilem ad regimen ipsius monasterii s. Iohannis esse reppereris, alioquin de alia persona dicti ordinis ad hoc utili et ydonea, super quo tuam conscienciam oneramus, dicto monasterio s. Iohannis hac vice auctoritate nostra provideas, eundemque Nicolaum sen personam prefatam eidem monasterio s. Iohannis preficias in Abbatem, curam et administrationem ipsius monasterii sancti Iohannis sibi, vel eidem persone in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, prefatoque Nicolao vel eidem persone facias a suis subditis obedienciam ot reverenciam debitas exhiberi, Contradictores auctoritate nostra per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo. Et nichilominus si prefato monasterio sancti Iohannis de alia quam dicti Nicolai persona per te provideri contigerit, prefate persone per aliquem catholicum Antistitem graciam et communionem apostolice sedis habentem munus facias benedictionis impendi. Volumus autem, quod tu a dicto Nicolao, vel idem Antistes, qui prefate persone, quam eidem monasterio sancti Iohannis in Abbatem prefeceris, ut profertur, munus benedictionis impendet, nostro et ecclesie Romane nomine fidelitatis debite solitum recipias seu recipiat iuramentum iuxta formam, quam sub bulla nostra mittimus interclusam: ac formam iuramenti, quod idem Nicolaus vel prefata persona prestabit, nobis de verbo ad verbum per eiusdem Nicolai vel ipsius persone patentes

litteras suo sigillo signatas per proprium nuncium quantocius destinare procuret. Per hec autem Venerabili fratri nostro Episcopo Tragurien si, cui dictum monasterium sancti Iohannis iura ordinario subesse dinoscitur, nullum volumus imposterum preiudicium generari. Datum Avinione XI. Kal. Maii, Pontificatus nostri Anno Quinto.

CCCLII.

Antonius de Saluciis ordinis Praedicatorum professor ecclesiae Scutarensi in episcopum praeficitur.
Reg. An. V. cod. chart. Tom. 15. fol. 55.

URBANUS EPISCOPUS etc. Dilecto filio Antonio de Saluciis Electo Scutarensi, salutem etc. Apostolatus officium etc. Dudum siquidem felicis recordacionis Innocentius papa VI. predecessor noster cupiens ecclesie Scutarensi, cuius tunc regimini bone memorie Marinus Episcopus Scutarensis presidebat, cum ipsam vacare contingeret, per apostolice sedis providenciam ydoneam presidere personam, provisionem eiusdem ecclesie ordinationi et dispositioni sue ea vice specialiter reservavit, decernens ex tunc irritum et inane, si secus super hiis per quoscumque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari. Postmodum vero predicta ecclesia per obitum dicti Marini, qui extra Romanam Curiam diem clausit extremum, pastoris solatio destituta, dictoque predecessore, per eum dicte ecclesie non proviso, sicut domino placuit, sublato de medio, nos vacatione huiusmodi fidedignis relatibus intellecta ad ipsius ecclesie provisionem celerem et felicem, de qua nullus preter Romanum pontificem ea vice se intromittere potuit, neque potest, reservatione et decreto obsistentibus supradictis, ne ecclesia ipsa ulterioris vacationis detrimenta subiret, paternis et solicitis studiis intendentes, post deliberationem, quam de preficiendo eidem ecclesie personam utilem et eciam fructuosam cum fratribus nostris habuimus diligentem, demum ad te ordinis fratrum Predicatorum professorem, in sacerdotio constitutum, religionis zelo conspicuum, litterarum sciencia preditum, vite ac morum honestate decorum, in spiritualibus providum et in temporalibus circumspectum, et aliis multiplicium virtutum meritis, prout fidedignis testimoniis accepimus, insignitum direximus oculos nostre mentis: quibus omnibus debita meditatione pensatis, de persona tua, nobis et eisdem fratribus nostris ob dictorum tuorum exigenciam meritorum accepta, eidem ecclesie de ipsorum fratrum nostrorum consilio auctoritate apostolica providemus, teque illi preficimus in Episcopum et pastorem, curam et administrationem ipsius ecclesie tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, in illo, qui dat gracias et largitur premia, confidentes, quod dextera domini tibi assistente propitia, prefata ecclesia sub tuo felici regimo prospere et salubriter dirigetur, ac grata suscipiet in eisdem spiritualibus et temporalibus incrementa. Iugum igitur domini tuis imposuit humeris prompta devotione suscipiens, curam et administrationem predictas sic exorcere studeas solicite, fideliter et prudenter, quod ipsa ecclesia gubernatori provido et fructuoso administratori gaudeat se commissam, tuque proinde eterne retributionis premium, et benivolencie nostre ac sedis predicte benedictionem et graciam uberius consequi merearis. Datum Avinione VIII. Kalendas Maii, Pontificatus nostri Anno Quinto.

In e. m. Venerabili fratri ... Archiepo Antibarensi, dilectis filiis Capitulo ecclesie Scutarensis, et Clero ac populo Civitatis et diocesis Scutarensis.

CCCLIII.

Gibertus Zorzo de Venetiis ord. Praed. ecclesiae Parentinae praeficitur in episcopum. Reg. An. V. Tom. 15. fol. 54.

URBANUS EPISCOPUS etc. Dilecto filio Giberto Zorzo de Veneciis Electo Parentino, salutem etc. Apostolatus officium etc. Dudum siquidem bone memorie Iohanne Episcopo Parentino regimini ecclesie Parentine presidente, nos cupientes eidem ecclesie, cum ipsam vacare contingeret, utilem et ydoneam per apostolice sedis providenciam preesse personam, provisionem eiusdem ecclesie ordinationi et dispositioni nostre duximus ea vice specialiter reservandam, decernendo ex tunc irritum et inane, si secus super hiis per quoscumque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari. Postmodum vero ecclesia ipsa per obitum dicti Iohannis Episcopi, qui extra Romanam Curiam diem clausit extremum, vacante, nos vacatione huiusmodi fidedignis relatibus intellecta ad eiusdem ecclesie provisionem celerem et felicem, do qua nullus preter nos hac vice se intromittere potuit, nequo potest, reservatione et decreto obsistentibus supradictis, ne ecclesia ipsa longe vacationis subiaceret incommodis, paternis et solicitis studiis intendentes, post deliberationem, quam super hiis cum fratribus nostris habuimus diligentem, demum ad te ordinis fratrum Predicatorum professorem, in sacerdotio constitutum, religionis

zelo conspicuum, litterarum sciencia preditum, vite ac morum honestate decorum, in spiritualibus providum et in temporalibus circumspectum, aliisque multiplicium virtutum meritis, prout ex fidedignis testimoniis accepimus, insignitum direximus oculos nostre mentis: quibus omnibus debita meditatione pensatis, de persona tua, nobis et eisdem fratribus nostris ob dictorum tuorum exigenciam meritorum accepta, eidem Parentine ecclesie de ipsorum fratrum nostrorum consilio auctoritate apostolica providemus, teque illi preficimus in Episcopum et pastorem, curam et administrationem ipsius Parentine ecclesie tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, in illo, qui dat gracias et largitur premia, confidentes, quod dextera domini tibi assistente propitia, prefata Parentina ecclesia sub tua felici regimine prospere et salubriter dirigetur, ac grata in eisdem spiritualibus et temporalibus suscipiet incrementa. Iugum igitur domini tuis impositum humeris prompta devotione suscipiens, curam et administrationem predictas sic exercere studeas (solicite,) fideliter et prudenter, quod ipsa Parentina ecclesia gubernatori provido et fructuoso administratori gaudeat se commissam, tuque proinde eterne retributionis premium, et benivolencie nostre ac sedis predicte benedictionem et graciam uberius consequi merearis. Datum Viterbii VI. Nonas Iulii, Pontificatus nostri Anno Quinto.

In e. m. Venerabili fratri . . . Patriarche Aquilegensi, dilectis filiis Capitulo et universis Vassallis ecclesie Parentine, et Clero ac populo Civitatis et diocesis Parentine.

CCCLIV.

Doctores, magistri et scholares Studii litterarum Quinquecclesiensis eximuntur a residentia, et ut fructus beneficiorum in absentia usque ad quinquennium percipere possint. Reg. An. V. cod. chart. Tom. 15. fol. 502.

URBANUS EPISCOPUS etc. Dilectis filiis universis Doctoribus, Magistris et Scolaribus Studii Quinqueecclesiensis, salutem etc. Litterarum studio insistentes ac honestatis et sciencie meritis placere studentes libenter prosequimur apostolice gracie munificencia speciali, ut dum votiva perceptione bonorum conspexerint se refectos, virtutum adiectione continua se reddere studeant insignitos. Hinc est, quod Carissimi in Christo filii nostri Ludovici Regis Ungarie Illustris supplicationibus inclinati, Universitati vestre tenore presentium indulgemus, ut vos et quilibet vestrum usque ad quinquennium a data presentium computandum Quinqueecclesiensi Studio insistendo fructus, redditus et proventus vestrorum beneficiorum ecclesiasticorum, que in quibusvis ecclesiis sive locis obtinetis, et infra dictum quinquennium vos et vestrum singulos obtinere contingat, cum ea integritate, cotidianis distributionibus dumtaxat exceptis, libere percipere valeatis, cum qua illos perciperetis, si in eisdem ecclesiis sive locis personaliter residenciam faceretis, et ad residendum interim in ecclesiis sive locis ipsis minime teneamini, nec ad id a quoquam inviti coartari possitis, Non obstantibus si aliqui vel aliquis vestrum in eisdem ecclesiis sive locis non feceritis primam persolvere residenciam, necnon quibuscumque statutis et consuetudinibus earumdem ecclesiarum contrariis, iuramento, confirmatione apostolica vel quacumque firmitate alia roboratis, etiam si de illis servandis et non impetrandis litteris apostolicis contra ea, et ipsis litteris non utendo, eciam ab alio seu aliis impetratis per vos vel procuratores vestros prestiteritis, vel imposterum prestari contingat forsitan iuramentum, seu si locorum ordinariis a sede apostolica sit concessum, vel imposterum concedi contingat, quod Canonicos, personas in ecclesiis ipsis obtinentes beneficia per subtractionem suorum proventuuum ecclesiasticorum, vel alias compellere possint ad residendum personaliter in eisdem, aut si prefatis ordinariis vel dilectis filiis Capitulis earumdem ecclesiarum, vel quibusvis aliis communiter vel divisim a prefata sit sede indultum, vel imposterum indulgeri contingat, quod Canonicis et personis earumdem ecclesiarum non residentibus in eisdem fructus, redditus et proventus beneficiorum suorum ecclesiasticorum ministrare minime teneantur, et ad id compelli non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, et de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, et quibuslibet privilegiis et indulgenciis ac litteris apostolicis generalibus vel specialibus, quorumcumque tenorum existant, per que effectus presentium impediri valeat quomodolibet vel differri, et de quibus quorumque totis tenoribus habenda sit in nostris litteris mentio specialis, Proviso quod beneficia huiusmodi debitis interim non fraudentur obsequiis, et animarum cura in eis, quibus illa imminet, nullatenus negligatur, sed per bonos et sufficientes Vicarios, quibus de beneficiorum ipsorum proventibus necessaria congrue ministrentur, exerceatur et deseriatur inibi laudabili in divinis. Nulli ergo omnino etc. nostre concessionis infringere etc. Datum Viterbii II. Idus Septembris, Pont. nostri Anno Quinto.

In e. m. Episcopo Quinqueecclesiensi et Abbati monasterii Peczwaradinensis Quinqueecclesiensis diocesis ac Cantori ecclesie Quinqueecclesiensis, ut predictas litteras exequendas curent etc.

CCCLV.

Ragusinis, Iadrensibus, Apulis et Duracensibus, ut civibus Catharensibus contra hereticos et schismaticos Albanise et Rasciae faveant et auxilium ferant. Reg. An. VI. Secret. fol. 6.

URBANUS EPISCOPUS etc. Dilectis filiis Communi Civitatis Ragusine, salutem etc. Dilectorum filiorum civium et Communis Civitatis Catharensis piam querelam audivimus cum amaritudine mentis nostre continentem, quod licet ipsi sint inter hereticos et scismaticos Albanie et Rascie constituti, tamen prout notorium est, sunt catholici in unitate et obediencia sancte Romane ecclesie persistentes, quodque nonnulli nobiles et alii ex dictis hereticis et scismaticis eos subiugare, et ad dampnabilem ipsorum ritum abducere hostilibus aggressibus moliuntur, et quod nisi a vobis et aliis Christifidelibus adiuventur, sunt in maximo animarum et corporum ac rerum periculo constituti: quare super hoc apostolici favoris presidium a nobis humiliter implorarunt. Nos igitur eisdem civibus et Communi paterno compacientes affectu, Universitatem vestram requirimus, rogamus et hortamur attente, per apostolica vobis scripta mandantes, quatinus cum vos et ipsi cives sitis fratres in Christo, et frater fratrem in necessitate debeat adiuvare, ab omni auxilio et favore dictorum hereticorum et scismaticorum per terram ac mare in navigiis, et alias quomodolibet eis contra dictos cives et Commune dando penitus abstinentes, et per vestros cives et subditos abstineri penitus facientes, ipsos cives et Commune pro eorum defensione ab huiusmodi hostibus facienda ob reverenciam dei sueque fidei, ac apostolice sedis et nostram in tante necessitatis articulo fraternis et caritativis auxiliis et favoribus adiuvetis, proinde a deo premium et a nobis dictaque sede pleniorem benivolenciam obtenturi. Datum Rome apud Sanctum Petrum VIII. Kal. Decembris, Pontificatus nostri Anno Sexto.

Eod. mo. Dilectis filiis Commni Civitatis Iadrensis et universis Nobilibus aliisque incolis Ducatus Apulie, et Communi Civitatis Duracensis.

CCCLVI.

Duci Venetiarum, ut praedictis civibus Catharensibus faveat, et suis subditis prohibeat, ne dictis hereticis et schismaticis favorem praebeant. Reg. An. VI. Secret. fol. 7.

URBANUS EPISCOPUS etc. Dilecto filio nobili viro Marco Cornaro Duci Veneciarum, salutem etc. Dilectorum filiorum civium et Communis Civitatis Catharensis piam querelam audivimus cum amaritudine nostre mentis continentem, quod licet ipsi sint inter hereticos et scismaticos Albanie et Rascie constituti, tamen prout notorium est, sunt catholici in unitate et obediencia sancte Romane ecclesie persistentes, quodque nonnulli nobiles et alii et ex dictis hereticis et scismaticis eos subiugare, et ad dampnabilem ipsorum ritum abducere hostilibus aggressibus moliuntur, et quod nisi a te et aliis Christifidelibus adiuventur, sunt in maximo animarum et corporum ac rerum periculo constituti: quare super hoc apostolici favoris presidium a nobis humiliter implorarunt. Nos igitur, eisdem civibus et Communi paterno compacientes affectu, Nobilitatem tuam devotam requirimus, rogamus et hortamur attente, quatinus omnibus subditis tuis districte precipias, ne prefatis hereticis et scismaticis per mare vel terram contra iamdictos cives et Commune prebeant aliquod auxilium vel favorem, quinimmo ipsos cives et Commune pro eorum defensione ab huiusmodi hostilibus facienda velis ob reverenciam dei sueque fidei, ac apostolice sedis et nostram in tante necessitatis articulo caritativis auxiliis et favoribus, de quibus eis commode subvenire poteris, adiuvare, proinde a deo premium et a nobis dictaque sede pleniorem benivolenciam obtenturus. Datum Rome apud Sanctum Petrum VIII. Kalendas Decembris, Pontificatus nostri Anno Sexto.

CCCLVII.

Communibus Iadrensi et Nonensi, ut Bertrandum Ebrardi certis negotiis camerae apostolicae in Sclavoniam missum habeant commendatum. Reg. An. VI. Secret. fol. 66.

URBANUS EPISCOPUS etc. Dilectis filiis Commni Civitatis Iadrensis, salutem etc. Cum dilectum filium Bertrandum Ebrardi Rectorem parrochialis ecclesie de Lomberiis Albiensis diocesis, Baccallarium in decretis, latorem presentium ad partes Sclavonie pro certis Camere nostre negociis presencialiter destinemus, circumspectionem vestram rogamus attente, quatinus eumdem Bertrandum in promovendis eisdem negociis nostri et apostolice sedis intuitu favoribus vestris habere velitis efficaciter commendatum. Datum Rome apud Sanctum Petrum II. Kal. Februarii, Pontificatus nostri Anno Sexto.

In e. m. Dilectis filiis Communi Civitatis Nonensis.

CCCLVIII.

Duci Venetiarum, ut eumdem Bertrandum Ebrardi ad partes Venetiarum et Sclavonie missum commendatum habeat. Reg. An. VI. Secret. fol. 56.

URBANUS EPISCOPUS etc. Dilecto filio nobili viro ... Duci Veneciarum, salutem etc. Cum dilectum filium Bertrandum Ebrardi Rectorem parrochialis ecclesie de Lomberiis Albiensis diocesis, Baccallarium in decretis, latorem presentium ad partes Veneciarum et Sclavonie pro certis Camere nostre negociis preconcialiter destinemus, nobilitatem tuam rogamus attente, quatinus eumdem Bertrandum in promovendis eisdem negociis nostri et apostolice sedis intuitu tuis favoribus habere velis efficaciter commendatum. Datum Rome apud Sanctum Petrum II. Kal. Februarii, Pontificatus nostri Anno Sexto.

CCCLIX.

Bertrando Ebrardi nuntio in Sclavoniam misso, ut nomine camerae apost. bona Demetrii epi Nonensis publicet, vel cum eo ea de causa componat. Reg. An. VI. de Curia fol. 127.

URBANUS EPISCOPUS etc. Dilecto filio Bertrando Ebrardi Rectori parrochialis ecclesie de Lomberiis Albiensis diocesis, Baccallario in decretis, salutem etc. Cum Demetrius Episcopus Nonensis ex certis causis in magnis pecuniarum quantitatibus apostolice Camere teneatur, pro quibus olim existens in Romana Curia cum gentibus Camere nostre componere voluit pro summa decem milium florenorum seu ducatorum auri; sed postmodum nostra licencia non obtenta, de ipsa Curia clam recessit, et profugus vadit hinc inde, sua Nonensi ecclesia derelicta: nos indempnitati dicte Camere oportunis remediis providere volentes, de tuaque fide ac discrecione gerentes in domino fiduciam pleniorem, tibi nomine nostro et dicte Camere petendi, exigendi ac recipiendi, ot ad manum tuam ponendi quecumque bona mobilia et immobilia ac credita eiusdem Episcopi, ubicumque et apud quoscumque consistant, eaque vendendi et alienandi et precia recipiendi usque ad summam sexdecim milium florenorum auri, et insuper cum ipso Episcopo, vel eius procuratore ad hoc ab eo mandatum habente de hiis, in quibus tenetur prefate Camere, pro summa, de qua tibi vidobitur, dummodo saltem ascendat ad summam docem milium florenorum auri, componendi, et quoscumque solventes de receptis quitandi, et alia faciendi, que in hiis fuerint oportuna, ac insuper contradictores quoslibet et rebelles, cuiuscunque status, ordinis, sexus vel condicionis existant, eciam si pontificali vel alia qualibet prefulgeant dignitate, auctoritate nostra per censuram ecclesiasticam, appellacione postposita, compescendo, et invocandi ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis, Non obstantibus tam felicis recordacionis Bonifacii pape VIII. predecessoris nostri, qua cavetur, ne iudices a sede apostolica deputati aliquem seu aliquos extra suam Civitatem et diocesim nisi in certis exceptis casibus, et in illis ultra unam dietam a fine sue diocesis auctoritate litterarum dicte sedis trahore quoquomodo presumant, et de duabus dietis in concilio generali, quam aliis quibuscumque constitucionibus apostolicis contrariis, per quas tue iurisdictionis explicacio in hac parte valeat quomodolibet impediri, Seu si eidem Episcopo ac quibuscumque personis dicta bona et credita detinentibus, vel quibusvis aliis communiter vel divisim a sede predicta sit indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari, aut extra vel ultra certa loca ad iudicium evocari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mencioncm, plenam concedimus tenore presencium facultatem. Datum apud Montemfiasconem Balneoregensis diocesis III. Idus Iunii, Pontificatus nostri Anno Sexto.

CCCLX.

Duci Venetiarum, ut castrum Siparii restitui faciat episcopo Tergestino. Reg. An. VI. Secret. fol. 117.

URBANUS EPISCOPUS etc. Dilecto filio Nobili viro Andree Contareno Duci Veneciarum, sal. etc. Dudum cum Venerabilis frater noster Antonius Episcopus Tergestinus recuperacionem nonnullorum occupatorum bonorum et iurium sue ecclesie Tergestine, prout tenobatur ac tenetur, in Romana Curia persequendo super Castro Siparii Tergestine diocesis spectantis ad dictam ecclesiam, ac eins pertinenciis et fructibus occupatis pluribus annis preteritis contra ... Potestatem et Commune, ceterosque singulares cives Civitatis Iustinopolitane sub tuo regimini consistentis obtinuisset in palacio apostolico quamplures sentencias, que in rem transiverant iudicatam, et litteras apostolicas executorias super eis: quondam Marcum Cornarium Ducem Veneciarum predecessorem tuum attonte rogavimus, quod consideracione iusticie, ac ob reverenciam apostolice sedis et nostram execucionem dictarum sentenciarum nullatenus impedirot seu permitteret impediri, quinimo sentenciis ipsis et procesibus faciendis super

eis faceret efficaciter obediri. Cum autem ex relacione dicti Epi audivimus, quod per te seu quoddam Consilium Veneciarum, quod dicitur Quadraginta, deliberatum existat, quod eum tuo favore detur dicti Castri possessio Episcopo prelibato, dum tamen ipse prius illud locet cum pertinenciis suis alicui civi tuo, quod ipse Episcopus per talem modum non habet, nec habere debet acceptum, quia realem, plenam et liberam possessionem eiusdem Castri non videretur habere, ex quo dicte sue ecclesie posset preiudicium generari: nobilitatem tuam rogamus et hortamur attente, quatenus ob iusticie debitum ac reverenciam apostolice sedis et nostram huiusmodi possessionem realem, liberam et expeditam absque predicta vel alia condicione prefato Episcopo vel suis procuratoribus, sicut iusticia postulat, facias assignari, ne ipse Episcopus super hoc aures nostras molestet ulterius, vel super execucione dictarum sentenciarum contra detentores Castri prefati per viam iusticie procedi faciat, ut tenetur, quod in vestri famosi nominis cederet detrimentum. Dat. apud Montemflasconem Balneoreg. dioc. Id. Iunii, Anno VI.

CCCLXI.

Abbati monasterii de Plysio Strigon. dioc. ut Iacobum de Hotwas, qui Hermannum abbatem de Candelis spoliaverat, excommunicatum nuntiet, et eumdem Hermannum in abbatem confirmet. Reg. An. VII. cod. chart. Tom. 21. fol. 42.

Urbanus episcopus etc. Dilecto filio ... Abbati monasterii de Plysio Strigoniensis diocesis, salutem etc. Exhibita nobis nuper pro parte dilecti filii Hermanni Abbatis monasterii de Candelis Cisterciensis ordinis Strigoniensis diocesis peticio continebat, quod licet olim ipse in Abbatem dicti monasterii tunc ex eo vacantis, quod dilectus filius Alardus Abbas de Egris dicti ordinis Cenadiensis diocesis (et) pater Abbas dicti de Candelis monasteriorum, cum ad patrem Abbatem dicti monasterii de Candelis ipsius monasterii Abbatis depositio et privatio tam ex institutis dicti ordinis per sedem apostolicam ex certa sciencia approbatis, quam eciam de antiqua et approbata et hactenus pacifice observata consuetudine pertineret, dilectum filium Iohannem de Flandria monachum, tunc Abbatem dicti monasterii de Candelis, ipso monasterio, cui tunc preerat, suis demeritis exigentibus per diffinitivam sentenciam, que nulla provocatione suspensa in rem transiverat iudicatam, privaverat, per dilectos filios Conventum eiusdem monasterii canonice electus fuisset, ac huiusmodi electio per ipsum patrem Abbatem, cum ad patrem Abbatem dicti monasterii de Egris pro tempore existentem, confirmatio electionis Abbatis ipsius monasterii de Candelis tam ex institutis huiusmodi, quam de similis consuetudine pertineret, canonice confirmata fuisset: tamen postmodum prefatus Iohannes eundem Hermannum coram Carissimo in Christo filio nostro Ludovico Rege Ungarie Illustri de facto fecit ad iudicium evocari, ac Iacobus de Hotwas laicus dicte Strigoniensis diocesis, ipso Iohanne procurante, eundem Hermannum nonnullis litteris autenticis, instrumentis publicis et aliis iuribus et monumentis, necnon equis, vestibus et aliis bonis suis non absque manuum iniectione in eum, dei timore postposito temere, violenta spoliavit, ac eum per unam noctem cathenis ferreis vinctum detinere presumpsit: quare pro parte dicti Hermanni nobis fuit humiliter supplicatum, ut providere ei super premissis de benignitate apostolica dignaremur. Nos itaque huiusmodi supplicationibus inclinati, discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus si tibi de huiusmodi manuum iniectione et detentione constiterit, dictum Iacobum sacrilegum tamdiu, appellatione remota, excommunicatum publice nuncies, et facias ab omnibus arcius evitari, donec super hiis congrue satisfeccrit, et cum tuarum testimonio litterarum ad sedem venerit apostolicam absolvendus. Et nichilominus si privationem, electionem et confirmationem predictas alias fore canonicas, et dictum Hermannum ad regimen dicti monasterii de Candelis utilem et ydoneum, super quo tuam conscienciam oneramus, esse repereris, eidem Hermanno auctoritate apostolica concedas, quod electio et confirmatio predicte perinde a data presentium valeant et plenam obtineant roboris firmitatem, ac si de dicto monasterio de Candelis nulla per sedem apostolicam reservatio facta foret. Super aliis vero vocatis, qui fuerint evocandi, et auditis hinc inde propositis, quod iustum fucrit, appellatione remota, decernas, faciens, quod decreveris, per censuram ecclesiasticam firmiter observari. Non obstantibus etc. usque mentionem. Datum Rome apud S. Petrum xi. Kal. Iunuarii, P. n. Anno VII.

CCCLXII.

Professio fidei catholicae et abiuratio schismatis potentum virorum dominorum Stracimiri, Georgii et Balsae fratrum Zupanorum et dominorum provinciae Zentae in regno Rasciae, qui dicunt esse de genere regio. Ex originali.

Sanctissimo in Christo Patri et domino, domino Urbano Sacrosancte ac Universalis ecclesie Summo Pontifici, Stracimirus et Georgius ac Balsa fratres Zupani Zente, sc ipsos ad pedum oscula

beatorum. A sanctitate vestra per Venerabilem Petrum Epum Suacinensem reverencia, qua debuimus, recepimus litteras, vera vestra bulla bullatas foras, professionis fidei orthodaxe, tenoris et continencie infrascripte.

Urbanus Episcopus servus servorum dei. Nobilibus viris Stracimiro et Georgio ac Balse fratribus Zupanis Zente, graciam in presenti, per quam obtineant gloriam in futurum. Spiritus noster exultavit in domino, qui, sicut ex relatione Venerabilis fratris nostri Petri Episcopi Suacinensis, latoris presentium, per vos super hoc ad nostram presenciam destinati percepimus, misericorditer dignatus est vobis tribuere intellectum, ut relictis scismatibus et errorum tenebris et umbra mortis eterne, in quibus hucusque mansistis, incipiatis animabus vestris et subditorum vestrorum prudenter consulere et lumen agnoscere veritatis, intendentes ad obedienciam et devotionem sacrosancte Romane ecclesie, matris et magistre cunctorum fidelium, reverenter et cordibus sinceris accedere, in eisque perpetuo remanere, ac a nobis, qui licet immeriti sumus Christi Vicarius, instrui qualiter debeatis in via mandatorum dñi ambulare. De hiis igitur laudandis principiis deo, qui vos sua gracia prevenit, et si pura intentio in vestris mentibus vigeat, sequatur indubie, devotas gracias agimus, et vos plurimum commendamus, intendentes vos, si mandatis dicte ecclesie devote parebitis, in filios spirituales recipere et tenere, ac prosequi favoribus oportunis. Ut autem mercamini ad graciam reconciliationis admitti, ac optinere apostolice sedis benivolenciam et favores, a molestiis ecclesiarum et personarum ecclesiasticarum, aliorumque catholicorum obedientium dicte Romane ecclesie, presertim civitatis Catharensis, quam iamdiu a vobis seu te, Georgi, hostiliter molestari percepimus, ouretis ponitus abstinere, ut in hiis et aliis vestram intentionem fore purissimam ostendatis: super quibus et aliis per vos agendis in dicte vestre relaxationis negocio prefatum Episcopum duximus informandum, cui super hiis, que vobis ex parte nostra retulerit, velitis fidem indubiam adhibere. Datum apud Montemflasconem Balneoregensis diocesis octavo Kalendas Iunii, Pontificatus nostri Anno Sexto.

Sequitur forma professionis. Credimus sanctam Trinitatem, patrem, et filium, et spiritum sanctum unum deum omnipotententem etc. ut supra pag. 128. usque semper salva.

Ego Stracimirus Zupanus Zente suprascriptam fidei veritatem, prout plene lecta est et fideliter exposita, veram, sanctam et orthodoxam fidem esse cognosco, eam accepto et corde ac ore profiteor, ipsamque, prout eam veraciter tenet et fideliter docet et predicat sacrosancta Romana ecclesia, me inviolabiliter servaturum et in ea omni tempore perseveraturum, nec ab ea ullo unquam tempore recessurum quoquomodo, deviaturum vel discrepaturum promitto. Primatum quoque ipsius sacrosancte Romane ecclesie, prout in premissa serie continetur, ad ipsius ecclesie obedienciam spontaneus veniens fateor et recognosco, accepto ac sponte suscipio, et me omnia premissa tam circa fidei veritatem, quam circa eiusdem ecclesie Romane primatum et ipsorum recognitionem, acceptationem, susceptionem, observanciam ac perseveranciam servaturum prestito corporaliter iuramento promitto et confirmo. Sic me deus adiuvet, et hec sancta dei evangelia. Quod si contra hec aliquid sentire, confiteri, aut alias agere presumpsero, me scismaticum et anatematizatum eo ipso recognosco, ac severitati sacrorum Canonum subiacere. Huic autem scripto de mea recognitione, acceptatione, professione, susceptione, promissione ac iuramenti prestatione sponte mea facto, lecto et plecto sponte subscripsi, et sigillum commune nostrorum trium fratrum, cum proprium non habeam, apponi feci.

Ego Stracimirus Zupanus Zente omne scisma prorsus abiuro, et suprascriptam fidei veritatem, prout plene lecta est et fideliter exposita, veram, sanctam, catholicam et orthodoxam fidem esse cognosco, eam accepto et corde et ore profiteor, ipsamque, prout eam veraciter tenet, fideliter docet et predicat sacrosancta Romana ecclesia, me inviolabiliter servaturum, nec ab ea ullo unquam tempore recessurum vel quoquo modo deviaturum vel discrepaturum promitto. Primatum quoque ipsius sacrosancte Romane ecclesie, prout in premissa serie continetur, ad ipsius ecclesie obedienciam spontaneus veniens fateor, recognosco, accepto ac sponte suscipio, et omnia premissa tam circa fidei veritatem, quam circa eiusdem ecclesie primatum et ipsorum recognitionem, acceptationem, susceptionem, observanciam ac perseveranciam servaturum prestito in animam meam corporaliter iuramento promitto et confirmo. Sic me deus adiuvet, et hec sancta dei evangelia.

Similem professionem, iuramentum et abiurationem facimus nos Georgius et Balsa fratres predicti Stracimiri in presencia Venerabilium Episcoporum Petri Suacinensis et Iohannis Drivastensis, ac Religiosi fratris Petri ordinis Predicatorum, et Nobilis viri Peruosii civis Dulcinensis, a predictis Stracimiro et fratribus eius vocatorum ad testimonium premissarum professionis, iuramenti et abiurationis

per sepe dictos fratres factarum, et ad maiorem roboris firmitatem propria manu predicti Iohannis dei et apostolice sedis gracia Epi Drivastensis fecerunt scribi, suique communis sigilli appensione muniri. Actum et scriptum apud Scutarum principale eorum domicilium anno domini Millesimo trecentesimo sexagesimo nono, die vicesimo nono mensis Ianuarii, Pontificatus Sanctissimi in Christo patris et dñi nostri, domini Urbani divina providencia pape Quinti Anno Septimo. Post acta eis visum fuit, et rogaverunt predictos Episcopos Suacinensem et Drivastensem, et ad eorum rogamina sua pontificalia sigilla presentibus appendi fecerunt. (L. S.) (L. S.) (L. S.)

CCCLXIII.

Otto de Coppernot monachus monasterio B. Marie de Clusmonstre Strigon. dioec. in abbatem praeficitur. Reg. An. VII. cod. chart. Tom. 21. fol. 163.

Urbanus episcopus etc. Dilecto filio Ottoni Gherardi de Coppernot Abbati monasterii beate Marie de Clusmonstre ordinis sancti Benedicti Strigonicnsis diocesis, salutem etc. Suscepta cura regiminis cor nostrum continua pulsat instancia, ut solicitudinis debitum, ad quod universis orbis ecclesiis et monasteriis nos apostolice servitutis necessitas obligat, eorum singulis, prout nobis ex alto conceditur, exolvamus, in eo potissime, ut illorum regimina, que propriis sunt destituta pastoribus, personis talibus committantur, per quarum solerciam circumspectam ecclesie et monasteria ipsa in spiritualibus et temporalibus valeant adaugeri. Dudum siquidem quondam Brixio Abbate monasterii beate Marie de Clusmonstre ordinis sancti Benedicti Strigoniensis diocesis regimini dicti monasterii presidente, Nos cupientes ipsi monasterio, cum vacaret, per apostolice sedis providenciam utilem et ydoneam presidere personam, provisionem ipsius monasterii ordinationi et dispositioni nostre ea vice duximus specialiter reservandam, decernentes extunc irritum et inane, si secus super hiis per quoscumque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari. Postmodum vero dicto monasterio per obitum dicti Brixii Abbatis, qui extra Romanam Curiam diem clausit extremum, vacante, Nos vacatione huiusmodi fidedignis relatibus intellecta ad provisionem ipsius monasterii eclerem et felicem, de qua nullus preter nos hac vice se intromittere potuit neque potest, reservatione et decreto obsistentibus supradictis, ne monasterium ipsum longe vacationis exponentur incommodis, paternis et solicitis studiis intendentes, post deliberationem, quam de preficiendo eidem monasterio personam utilem et eciam fructuosam cum fratribus nostris habuimus diligentem, demum ad te monachum monasterii sancti Benedicti de Potzenwardino dicti ordinis Quinqueecclesiensis diocesis, ordinem ipsius expresso professum et in sacerdotio constitutum, cui de religionis zelo, litterarum sciencia, vite mundicia, honestate morum aliisque multiplicium virtutum donis apud nos fidedigna perhibentur testimonia, direximus oculos nostre mentis: quibus omnibus debita meditatione pensatis, de persona tua, nobis et eisdem fratribus ob tuorum exigenciam meritorum accepta, de eorumdem fratrum consilio eidem monasterio beate Marie auctoritate apostolica providemus, toque illi preficimus in Abbatem, curam et administrationem ipsius monasterii tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie commictendo, in illo qui dat gracias et lagitur premia confidentes, quod dirigente domino actus tuos prefatum monasterium beato Marie per tue industrie et circumspectionis studium fructuosum regetur utiliter et prospere dirigotur, ac grata in eisdem spiritualibus et temporalibus suscipiet incrementa. Quocirca discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus impositum tibi a domino onus regiminis dicti monasterii recipiens reverenter, sio te in eius cura salubriter exercendo fidelem exhibeas et eciam fructuosum, quod idem monasterium per tue laudabile diligencie studium gubernatori provido et fructuoso administratori gaudeat se commissum, tuque preter eterne retributionis premium nostram et dicte sedis benedictionem ot graciam exinde uberius consequi merearis. Datum apud Montemflasconem VI. Nonas Maii, Pontificatus nostri Anno Septimo.

In e. m. Conventui monasterii beate Marie Clusmonstre ordinis sancti Benedicti Strigoniensis diocesis, Archiepiscopo Strigoniensi et Ludovico Regi Ungarie.

CCCLXIV.

Archiepiscopo Antibarensi, ut testes in causa, quae inter Marinum Trifonis et Nicolaum episcopum Dulcinensem vertitur, audiat et vicecancellario s. Romanae ecclesiae referat. Reg. An. VII. Tom. 21. fol. 65.

Urbanus episcopus etc. Venerabili fratri ... Archiepiscopo Antibarensi, salutem etc. Exhibita nobis pro parte Venerabilis fratris nostri Nicolai Episcopi Dulcinensis peticio continebat, quod licet olim ipse, fel. record. Innocentio papa VI. predecessoro nostro tunc in humanis agente, ad ecclesiam Du-

cinensem tunc vacantem per obitum bone memorie Iohannis Episcopi Dulcinensis extra Romanam curiam defuncti electus fuisset, eiusque electio confirmata extitisset canonice: tamen postmodum dilecto filio Marino Trifonis, qui se gerit pro presbitero Catarinensi, falso suggerente nobis predictam ecclesiam per obitum dicti Iohannis Episcopi vacare, ac pretendente eius provisionem fore dispositioni apostolice per dictum predecessorem reservatam, nos suggestione huiusmodi circumventi de persona dicti Marini ecclesie Dulcinensi auctoritate apostolica duximus providendum. Postmodum vero inter ipsos Nicolaum et Marinum super dicta ecclesia materia questionis exorta, et causa huiusmodi coram dilecto filio nostro Petro sancte Marie nove diacono Cardinali ex commissione nostra diucius ventilata, tandem idem Petrus Cardinalis in causa ipsa procedens prefatum Nicolaum ab instancia huiusmodi iudicii absolvit. Et cum prefatus Marinus litteras super huiusmodi provisione sua predicta, lite tunc pendente et de ea penitus tacito, per cancellariam nostram experiri facere vellet, et de valore fructuum, reddituum ac proventuum ad mensam Episcopalem Dulcinensem spectantium, qui, ut idem Nicolaus asserit, centum florenorum auri annuatim non valent, de quo quidem valore in Romana curia docere debebat, docere non posset, dilectus filius noster Petrus tituli sancte Anastasie presbiter Cardinalis, sancte Romane ecclesie Vicecancellarius, tibi suis dedit litteris in mandatis, ut testes et alias probaciones legitimas, quas dictus Marinus seu eius procurator pro eo coram to super dicto valore producere vellet, reciperes et admitteres, et quicquid super premissis reperires eidem Vicecancellario referre curares. Cum autem, sicut eadem peticio subiungebat, prefatus Nicolaus testes prefati Marini productos et eciam producendos per alios testes legitimos reprobare intendat, pro parte dicti Nicolai nobis fuit humiliter supplicatum, ut providere ei super premissis de benignitate apostolica dignaremur. Nos itaque huiusmodi supplicacionibus inclinati, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenus testes legitimos, quos prefatus Nicolaus ad reprobandum testes dicti Marini coram te duxerit producendos iufra duos menses prudenter recipere, ac testes ipsos secundum interrogatoriam a parte altera exhibenda, si ea exhibere voluerit, alioquin iuxta tue discrecionis arbitrium diligenter examinare procures, Testes, qui se gracia, odio vel timore subtraxerint, per censuram ecclesiasticam, appellacione cessante, ut veritati testimonium perhibeant, compellendo, ac deposiciones testium ipsorum fideliter in scriptis redactas, et quicquid in premissis peregeris, per tuas litteras in publicam formam redactas tuo sigillo signatas harum seriem continentes eidem Vicecancellario quantocius referre non postponas. Datum Viterbii II. Kal. Septembris, Pontificatus nostri Anno Septimo.

CCCLXV.

Abbati monasterii s. Benedicti prope Kunksperch Strigon. dioc. ut Nicolaum rectorem ecclesiae de Boynicz propter iniurias Deotrico rectori ecclesiae de Progno irrogatas excommunicatum nuntiet. Reg. An. VII. cod. chart. Tom. 21. fol. 62.

URBANUS EPISCOPUS etc. Dilecto filio ... Abbati Monasterii sancti Benedicti prope Kunksperch Strigoniensis diocesis, salutem etc. Exhibita nobis pro parte dilecti filii Deotrici dicti Mitti Rectoris parrochialis ecclesie de Progno Strigoniensis diocesis petitio continebat, quod olim Nicolaus Rector ecclesie de Boynicz dicte diocesis manus iniceat in eum, dei timore postposito temere, violentas, ipsumque ausu sacrilego cepit et carceri mancipavit, et aliquandiu detinuit eidem carceri mancipatum, ac eum quodam molendino et aliis iuribus et rebus ad eum ratione dicte ecclesie spectantibus spoliavit, et detinuit prout detinet indebite spoliatum, et insuper super administrandis sacramentis ecclesiasticis parrochianis ipsius ecclesie de Progno, sepulturis ac aliis iuribus prefate ecclesie ipsum Deotricum indebite et iniuste impedit, et perturbat in ipsius Deotrici et parrochianorum predictorum maximum preiudicium et gravamen: Quare prefatus Deotricus nobis humiliter supplicavit, ut providere sibi super hoc de benignitate apostolica dignaremur. Nos itaque huiusmodi supplicationibus inclinati discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus si de huiusmodi manuum iniectione, carceris mancipatione et detentione tibi constiterit, prefatum Nicolaum sacrilegum tamdiu, appellatione remota, excommunicatum publice nuncies et facias ab omnibus arcius evitari, donec passo iniuriam satisfecerit competenter, et eum tuarum testimonio litterarum ad sedem venerit apostolicam absolvendus. Super aliis vero partibus convocatis audias causam et appellatione remota debito fine decidas, faciens quod decrevimus per censuram ecclesiasticam observari, Non obstante si eidem Nicolao, vel quibusvis aliis communiter vel divisim a sede apostolica sit indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Datum Rome apud Sanctum Petrum VII. Kalendas Novembris, Pont. nostri Anno Septimo.

CCCLXVI.

Spalatensi et Ragusino archiepiscopis eorumque suffraganeis, ut receptatores hereticorum Bosnensium excommunicatos declarent, et suis subditis commercium cum iisdem hereticis prohibeant. Reg. An. VIII. Secret. fol. 3.

URBANUS EPISCOPUS etc. Venerabilibus fratribus ... Spalatensi et ... Ragusino Archiepis eorumque Suffraganeis, salutem etc. Ad orthodoxe fidei et christiane religionis augmentum tanto magis ecclesiarum prelatos attenta convenit solicitudine vigilare, quanto regimini animarum prepositi salutem earum ex cure pastoralis officio preceteris procurare tenentur, videlicet cum non sit deo acceptabile obsequium sine fide, ad incrementum ipsius potissime inter alia, que ipsis incumbunt, debent iugem diligenciam adhibere. Sane nuper ad nostrum non sine mentis turbacione fidedigna relacione pervenit auditum, quod in partibus Bosne a vestris civitatibus et diocesibus non remotis quam plures heretici commorantur, et a multis citra temporibus sunt morati, et quod licet id in eisdem vestris civitatibus et diocesibus existat notorium, ac illi, qui scienter in domo vel terra sua hereticos receptare vel fovere presumunt, excommunicacionis sentencia in tales a canone lata sint ligati, et prohibitum sit, ne catholici et fideles cum hereticis negociacionem seu commercium exercere presumant: tamen iidem heretici de partibus prelibatis et alii volentes ad eas accedere, per vestras civitates et dioceses libere transeant, mercimonia deferant, et cum vestris subditis, in quorum simplicibus mentibus heresenm(sic) semen pestiferum sepe spargunt, negociaciones exercent, sicque in eorum perversitatibus confoventur, et seducunt alios dampnabili dogmate heretice pravitatis, quod nos moleste ferentes ac vestre negligencie, qui superintendentes dicimini, et debetis super greges vobis commissos vigilare attencius, imputantes, fraternitati vestre per apostolica scripta districte precipiendo mandamus, quatenus omnibus et singulis subditis in subiectis vobis ecclesiis et locis publicis, de quibus vobis videbitur, per vos vel alium seu alios districtius inhibeatis sub pena excommunicacionis, quam contra huiusmodi inhibicionem facientes, qui alias a canone forsan excommunicati non erant, incurrant eo ipso, ne hereticos huiusmodi scienter in domibus vel terris eorum receptare vel fovere, aut cum eis negociacionem seu commercium exercere presumant, ac omnes et singulos, qui contra huiusmodi inhibicionem fecerint, excommunicatos fore, prout iustum fuerit, declaretis. Et ne a fidei unitate precisi sub pretextu fidelium in eisdem Bosne partibus commorantium, qui tales perfidos inter se morari permittunt, ac fovent sepius et defendunt, ac se ipsos cum eis in precipicium dampnacionis immergunt, taliter foveantur, sub dicti anathematis pena publice in eisdem ecclesiis perhibeatur, ne quis ad dictas partes Bosne, ubi dicti heretici notorie confoventur, quecumque res seu mercimonia audeat mittere vel portare, in contrarium facientes similem sentenciam proferentes, et eos, quos sentenciam ipsam ineurrisse repereritis, de quibus simpliciter et de plano ac sine strepitu et figura indicii ex vestro officio vos informetis, denuncietis dicti anathematis sentencie irretitos, ac ita vitetis et mandetis ab aliis evitari, Ad captionem vero hereticorum huiusmodi, cum ad vestras civitates et dioceses declinaverint, et ad ministrandam iusticiam de eisdem, prout ad vestrum spectat officium, solicite procedatis, et si opus fuerit, invocetis brachium seculare, Contradictores quoslibet et rebelles per censuram ecclesiasticam, appellacione postposita, compescendo, Non obstante si aliquibus communiter vel divisim a sede apostolica sit indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mencionem. Per hoc autem aliis inquisitoribus heretice pravitatis auctoritate apostolica in eisdem partibus deputatis, quominus inquisicionem et officium super labe predicta contra predictos et alios, prout volunt canonice sanctiones, valeant exercere, nullum volumus preiudicium generari. Datum Rome apud Sanctum Petrum Idus Novembris, Pont. nostri Anno Octavo.

CCCLXVII.

Preposito Zagrabiensi eiusque collegis, ut Gallo Valentini canonico rectorium hospitalis s. Bartholomaei Quinqueecclesiensis conferendam curent. Reg. An. VIII. cod. chart. Tom. 22. fol. 79.

URBANUS EPISCOPUS etc. Dilectis filiis ... Vaciensis et ... Zagrabiensis Prepositis, ac ... Cantori eiusdem Zagrabiensis ecclesiarum, salutem etc. Laudabilia pietatis et virtutum merita, super quibus dilectus filius Gallus Valentini Canonicus Quinqueecclesiensis apud nos fidedigno commendatur testimonio, nos inducunt, ut sibi reddamur ad graciam liberales. Cum itaque, sicut accepimus, magistratus, Rectoria nuncupatus, hospitalis panperum sancti Bartholomei Quinqueecclesiensis, qui quidem magistratus, prout in eius fundacione extitit canonice ordinatum, in beneficium ecclesiasticum confertur, et cuius bona sunt pro magistro ipsius hospitalis et non pro pauperibus ordinata, queque dictus Gallus olim

ipsius hospitalis magister tunc temporis obtinebat, per liberam resignacionem per dictum Gallum de ipso magistratu in manibus Venerabilis fratris nostri Guillelmi Episcopi Quinqueecclesiensis extra Romanam Curiam sponte factam, et per eundem Episcopum extra dictam Curiam auctoritate ordinaria admissam vacaverit, et vacet ad presens, licet dictus Episcopus prefatum magistratum teneat ad presens, et fructus percipiat ex eodem: nos volentes dictum Gallum premissorum meritorum suorum intuitu, necnon consideracione Carissimorum in Christo filiorum nostrorum Ludovici Regis et Elizabet senioris Regine Ungarie, asserentium dictum Gallum ipsius Regis dilectum Capellanum et familiarem, continuum commensalem, et eciam eius curie notarium, ipsumque dudum ad nos cum certis aliis Ambassiatoribus pro parte dicti Regis destinatum fuisse, nobis super hiis humiliter supplicantium favore prosequi gracie specialis, discrecioni vestro per apostolica scripta mandamus, quatenus vos vel duo aut unus vestrum per vos vel alium seu alios, si vocatis dicto Episcopo et aliis, qui fuerint evocandi, premissa inveneritis veritate fulciri, dictum magistratum, qui simplex officium existit, et por Canonicos Quinqueecclesiensis ecclesie regi consuevit, eiusque fructus, redditus et proventus, eius supportatis oneribus, Quingentorum florenorum auri secundum communem extimacionem valorem annuum, ut asseritur, non excedunt, dummodo tempore date presentium non sit in dicto magistratu alicui specialiter ius quesitum, cum omnibus iuribus et pertinenciis suis eidem Gallo, eciam si magistratus ipse sit dispositioni apostolice specialiter vel generaliter reservatus, et eciam si eius collacio secundum statuta Lateranensis concilii ad sedem apostolicam devoluta existat, conferre et assignare curetis, Inducentes eundem Gallum vel procuratorem suum eius nomine in corporalem possessionem magistratus, iuriumque et pertinenciarum predictorum, et defendentes inductum, amoto exinde dicto Episcopo et alio quolibet illicito detentore, ac facientes ipsum Gallum vel dictum procuratorem pro eo ad dictum magistratum, ut est moris, admitti, sibique de ipsius magistratus, fructibus, redditibus, proventibus, iuribus et obvencionibus universis integre responderi, Contradictores auctoritate nostra, appellacione postposita, compescendo, Non obstantibus quibuscumque statutis et consuetudiuibus ipsius ecclesie contrariis iuramento, confirmacione apostolica vel quacumque alia roboratis, aut si aliqui super provisionibus sibi faciendis de huiusmodi officiis aut aliis beneficiis ecclesiasticis in illis partibus specialos, vel generales apostolice sedis vel legatorum eius litteras impetrarint, eciam si per eas ad inhibicionem, reservacionem et decretum vel alias quomodolibet sit processum, quibus omnibus eundem Gallum in assecucione dicti magistratus volumus anteferri, sed nullum per hoc eis quo ad assecucionem huiusmodi officiorum aut beneficiorum aliorum preiudicium generari, seu si Episcopo Quinqueecclesiensi, qui est pro tempore, vel quibusvis aliis communiter vel divisim a dicta sit sede indultum, quod ad receptionem vel provisionem alicuius minime teneantur, et ad id compelli, aut quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint, quodque de huiusmodi vel aliis beneficiis ecclesiasticis ad eorum collacionem, provisionem, presentacionem seu quamvis aliam dispositionem coniunctim vel separatim spectantibus nulli valeat provideri per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo etc. habenda sit in nostris litteris mencio specialis, Aut si dictus Gallus presens non fuerit ad prestandum de observandis statutis et consuetudinibus ipsius ecclesie solitum iuramentum, dummodo in absencia sua por procuratorem ydoneum, et cum ad ecclesiam accesserit, corporaliter illud prestet, seu quod idem Gallus preposituram sancti Laurencii de Hay Colocensis diocesis, que dignitas curata est, et ut asseritur, in redditibus multum tenuis ot exilis existit, ac dicte Quinqueecclesiensis et Strigoniensis ecclesiarum Canonicatus et prebendas noscitur obtinere. Volumus autem, quod idem Gallus quamprimum vigore presentium dictum magistratum fuerit pacifico assecutus, dictos Canonicatum et prebendam ecclesie Strigoniensis, quos, ut prefertur, obtinet, et quod extunc vacare decernimus omnino, prout ad id se sponte obtulit, dimittere teneatur. Ac insuper exnunc irritum decernimus et inane, si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari. Datum Rome apud S. Petrum III. Idus Decembris, Pontificatus nostri Anno Octavo.

CCCLXVIII.

Marinus Francisci monachus de Crema monasterio s. Sergii ord. s. Benedicti Scutarensis dioec. in abbatem praeficitur.
Reg. An. VIII. cod. chart. Tom. 23. fol. 34.

URBANUS EPISCOPUS etc. Dilecto filio Marino Francisci Abbati Monasterii sancti Sergii ordinis sancti Benedicti Scutarensis diocesis, salutem etc. Inter solicitudines varias etc. Dudum siquidem quondam Petro Abbate monasterii sancti Sergii ordinis sancti Benedicti Scutarensis diocesis regimini ipsius

monasterii presidente, nos cupientes eidem monasterio, cum vacaret, per apostolice sedis providenciam utilem et ydoneam preesse personam, provisionem ipsius monasterii ordinacioni et disposicioni nostre duximus ea vice specialiter reservandam, decernentes extunc irritum et inane, si secus super hiis per quoscumque quavis auctoritate scienter vel ignoranter eontigerit attemptari. Postmodum vero dicto monasterio per obitum predicti Petri, qui extra Romanam Curiam diem clausit extremum, Abbatis regimine destituto, nos vacacione huiusmodi fidedignis relatibus intellecta ad provisionem ipsius monasterii celerem et felicem, de qua nullus preter nos hac vice se intromittere potuit neque potest, reservacione et decreto obsiistentibus supradictis, ne dictum monasterium longe vacacionis exponeretur incommodis, paternis et solicitis studiis intendentes, post deliberacionem, quam de preficiendo eidem monasterio personam utilem et eciam fructuosam cum fratribus nostris habuimus diligentem, demum ad te monachum monasterii sancte Marie de Crema dicti ordinis Ragusine diocesis, ordinem ipsum expresse professum et in sacerdocio constitutum, religionis zelo conspicuum, litterarum sciencia preditum, vite ac morum honestate decorum, in spiritualibus providum et in temporalibus circumspectum, et aliis multiplicium virtutum meritis, prout ex fidedignis relatibus accepimus, insignitum direximus oculos nostre mentis: quibus omnibus debita meditacione pensatis, de persona tua nobis et eisdem fratribus ob dictorum tuorum exigenciam meritorum accepta, eidem monasterio sancti Sergii de eorum fratrum consilio auctoritate apostolica providemus, teque illi preficimus in Abbatem, curam et administracionem ipsius monasterii sancti Sergii tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, in illo qui dat gracias et largitur premia confidentes, quod dirigente domino actus tuos prefatum monasterium sancti Sergii per tue industrie et circumspectionis studium fructuosum regetur utiliter et prospere dirigetur, ac grata in eisdem spiritualibus et temporalibus suscipiet incrementa. Quocirca discrecioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus onus regiminis dicti monasterii sancti Sergii suscipiens reverenter, sic te in eo salubriter exercendo fidelem exhibeas ac eciam fructuosum, quod idem monasterium sancti Sergii per laudabile tue diligencie studium gubernatori provido et eciam fructuoso administratori gaudeat se commissum, tuque proinde preter eterne retribucionis premium nostram et dicte sedis benedictionem et graciam uberius consequi merearis. Datum Rome apud Sanctum Petrum II. Nonas Marcii, Pontificatus nostri Anno Octavo

In e. m. Venerabili fratri... Epo Scutarensi et dilectis filiis Conventui Monasterii s. Sergii.

CCCLXIX.

Ioannes Lourlis ord. Praedicatorum ecclesiae Arbanensi in episcopum praeficitur. Reg. An. VIII. Tom. 23. fol. 43.

URBANUS EPISCOPUS etc. Dilecto filio Iohanni Lourlis Electo Arbanensi, salutem etc. Apostolatus officium etc. Dudum siquidem bone memorie Andrea Episcopo Arbanensi regimini Arbanensis ecclesie presidente, nos cupientes eidem ecclesie, cum ipsam vacare contingeret, utilem et fructuosam per apostolice sedis providenciam preesse personam, provisionem eiusdem ecclesie ordinacioni et disposicioni nostre ea vico duximus specialiter reservandam, decernendo ex tunc irritum et inane, si secus super hiis per quoscunque quavis auctoritato scienter vel ignoranter contingeret attemptari. Postmodum vero dicta ecclesia per obitum ipsius Andree Episcopi, qui extra Romanam curiam diem clausit extremum, vacante, nos vacacione huiusmodi fidedignis relatibus intellecta ad provisionem ipsius ecclesie celerem et felicem, de qua nullus preter nos hac vice se intromittere potuit neque potest, reservacione et decreto obsistentibus supradictis, ne ecclesia ipsa longe vacacionis subiaceret incommodis, paternis et solicitis studiis intendentes, post deliberacionem, quam de preficiendo eidem ecclesie personam huiusmodi cum fratribus nostris habuimus diligentem, demum ad te ordinis fratrum Predicatorum professorem, in sacerdocio constitutum, religionis zelo conspicuum, litterarum sciencia preditum, vite ac morum honestate decorum, in spiritualibus providum et in temporalibus circumspectum, et aliis multiplicium virtutum meritis, pront ex fidedignis testimoniis percepimus, insignitum direximus oculos nostre mentis: quibus omnibus debita meditacione pensatis, de persona tua, nobis et eisdem fratribus nostris ob dictorum tuorum exigenciam meritorum accepta, eidem Arbanensi ecclesie de eorumdem fratrum nostrorum consilio auctoritate apostolica providemus, teque illi preficimus in Episcopum et pastorem, curam et administracionem ipsius Arbanensis ecclesie tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, in illo qui dat gracias et largitur premia confidentes, quod prefata Arbanensis ecclesia sub tuo felici regimine, gracia tibi assistente divina, prospere dirigetur, et grata in eisdem spiritualibus et temporalibus suscipiet incrementa. Iugum igitur domini tuis impositum humeris prompta devocione

suscipiens, curam et administracionem predictas sic exercere studeas solicite, fideliter et prudenter, quod ipsa Arbanensis ecclesia gubernatori provido ac fructuoso administratori gaudeat se commissam, tuque preter eterne retribucionis premium nostram et sedis apostolice benedictionem et graciam exinde uberius consequi merearis. Datum apud Montemflasconem III. Kalendas Iulii, Pontificatus nostri Anno Octavo.

In e. m. Venerabili fratri ... Archiepo Antibarensi, dilectis filiis Capitulo ecclesie Arbanensis, Clero et populo Civitatis et dyocesis Arbanensis.

EPISTOLAE GREGORII PP. XI.

CCCLXX.

Archiepiscopo Ragusino, ut cum Maroga de Bodaza et Agnesia de Ragusio de matrimonio contracto dispenset.
Reg. An. I. cod. chart. Tom. 1. fol. 483.

Gregorius episcopus etc. Venerabili fratri ... Archiepiscopo Ragusino, salutem etc. Oblata nobis nuper pro parte dilecti filii Maroge de Bodaza, et dilecte in Christo filie Agnesie de Ragusio mulieris tue diocesis peticionis series continebat, quod olim ipsi ignorantes aliquod impedimentum inter eos existere, quominus possent invicem matrimonialiter copulari, bannis editis iuxta morem patrie, aliisque solemnitatibus adhibitis, nemine se opponente, matrimonium insimul contraxerunt per verba legitime de presenti, et quod postmodum ad eorum pervenit noticiam, quod ipsi erant invicem quarto affinitatis gradu coniuncti: quare pro parte Maroge et Agnesie predictorum nobis extitit humiliter supplicatum, ut cum ex eorum separatione, si fieret, exinde possent plurima scandala exoriri, providere eis super hoc de oportune dispensationis gracia dignaremur. Nos igitur cupientes huiusmodi scandalis, quantum cum deo possumus, salubriter obviare, huiusmodi supplicationibus inclinati fraternitati tue, de qua in hiis et aliis specialem in domino fiduciam obtinemus, per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus, si est ita dictaque Agnesia propter hoc rapta non fuerit, cum eisdem Maroga et Agnesia, ut impedimento, quod ex affinitate huiusmodi provenit, non obstante in sic contracto matrimonio libere et licite remanere valeant, auctoritate nostra dispenses, prolem ex huiusmodi matrimonio susceptam et suscipiendam legitimam decernendo. Datum Avinione XII. Kal. Maii, Pontificatus nostri Anno Primo.

CCCLXXI.

Universis Christi fidelibus capellam s. Georgii Budensis certis festivitatibus visitantibus indulgentiae conceduntur.
Reg. An. I. cod. chart. Tom. 1. fol. 467.

Gregorius episcopus etc. Universis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis, salutem etc. Splendor paterne glorie, qui sua mundum illuminat ineffabili claritate, pia vota fidelium de clementissima ipsius maiestate sperantium tunc precipue benigno favore prosequitur, cum devota ipsorum humilitas sanctorum precibus et meritis adiuvatur. Cupientes igitur, ut Capella s. Georgii Budensis Vesprimiensis diocesis, quam Carissimus in Christo filius noster Ludovicus Rex Ungarie illustri in honorem, et sub vocabulo eiusdem sancti canonice fundasse ac construxisse dicitur pariter et dotasse, congruis honoribus frequentetur, et ut Christifideles eo libentius causa devotionis confluant ad eandem, quo ex hoc ibidem uberius dono celestis gratie conspexerint se refectos, de omnipotentis dei misericordia et beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus vere penitentibus et confessis, qui in Nativitatis, Circumcisionis, Epiphanie, Resurrectionis, Ascensionis et Corporis domini nostri Ihesu Christi, Penthecostes, necnon in Nativitatis, Annunciationis, Purificationis, Assumptionis beato Marie Virginis, et Nativitatis beati Iohannis Baptiste, dictorum Apostolorum Petri et Pauli et sancti Georgii festivitatibus ac celebritatis omnium Sanctorum, et per ipsarum Nativitatis, Epiphanie, Resurrectionis, Ascensionis et Corporis domini, necnon Nativitatis et Assumptionis beate Marie, ac Nativitatis beati Iohannis et

Apostolorum Petri et Pauli predictorum festivitatum octabas, et per sex dies dictam festivitatem Penthecostes immediate sequentes predictam Capellam devote visitaverint annuatim, singulis videlicet festivitatum et celebritatis unum annum et quadraginta dies, et octabarum ipsarum et predictorum sex dierum diebus, quibus prefatam Capellam visitaverint, ut prefertur, centum dies de iniunctis eis penitenciis misericorditer relaxamus. Presentibus post viginti annos minime valituris. Datum apud Pontem Sorgie Avinionensis diocesis II. Idus Maii, Pontificatus nostri Anno Primo.

CCCLXXII.

Episcopo Augustensi et Iohanni de Cabrespino nuntiis apostolicis mandatur, ut prelatos Bohemiae, Hungariae et Poloniae ad solvendum subsidium prester duas procurationes impositum monent, et per censuras ecclesiasticas compellant. Reg. An. 1. Bull. Camer. fol. 105.

GREGORIUS EPISCOPUS etc. Venerabili fratri Iohanni Episcopo Augustensi et dilecto filio Iohanni de Cabrespino Canonico Narbonensi, apostolice sedis nunciis, salutem etc. Licet vobis diversis nostris litteris dederimus in mandatis, ut ab omnibus et singulis personis ecclesiasticis provinciarum Strigoniensis, Colocensis, Pragensis, Gneznensis, Iadrensis, Spalatensis et Ragusine, ac aliarum Civitatum et diocesum ac locorum regnorum Boemie, Ungarie et Polonie subsidium duarum procurationum personaliter visitanti iuxta taxam expressam constitutionis felicis recordacionis Benedicti pape XII. que incipit, Vas electionis, duobus annis indiceretis persolvendum: quia tamen Camera nostra quasi totaliter exinanita sumptibus, predicta suffulta subsidio ad supportacionem multiplicium onerum quasi continue ingruentium non assurgit, ad devotorum in Christo Venerabilium fratrum nostrorum Archiepiscoporum, Episcoporum, et dilectorum filiorum Electorum et aliorum prelatorum monasteriorum quarumcunque provinciarum, civitatum, diocesum et locorum predictorum auxilia nos convenit aspirare, sperantes omnino, ut ipsi grata meditacione pensantes, nobis in tantis necessitatibus constitutis velud membra capiti pio compatientes affectu, ad huiusmodi perferenda onera manus promptas et voluntarias porrigere debeant adiutrices. Quocirca discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus vos vel alter vestrum per vos, vel alium seu alios prelatos provinciarum, civitatum, diocesum et locorum predictorum caritative moneatis et inducatis, ipsisque nichilominus, si expedire videritis, sub excommunicationis, suspensionis et interdicti sentenciis atque penis precipiatis, ut ipsi et ipsorum quilibet infra certum terminum peremptorium, per vos vel alterum vestrum prefigendum eisdem, in tercia parte communis servicii, pro quo quilibet ipsorum tempore sue promotionis in Camera nostra est taxatus, alii vero prelati monasteriorum pro huiusmodi servicio non taxati habentes bona distincta a suis monasteriis, in parte aliqua bonorum suorum, quam videritis congruentem, liberaliter subveniant, vobisque partes illas persolvant, pro nostris tamen multiplicibus oneribus supportandis, Contradictores quoscunque, cuiuscunque status, gradus vel ordinis existant, etiam si pontificali vel alia quavis prefulgeant dignitate, per censuram ecclesiasticam et citacionem personalem, ut personaliter coram vobis vel altero vestrum compareant, appellatione postposita, compescendo, Invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii seculari, Non obstantibus constitutionibus apostolicis de una et de duabus dictis, et aliis contrariis quibuscunque, etiam si de illis et totis earum tenoribus esset presentibus specialis et expressa mentio facienda, seu si eisdem Archiepiscopis, Episcopis, Electis et aliis prelatis, vel quibusvis aliis locis seu ordinibus a sede apostolica sit indultum, quod aliquod subsidium dare seu prestare minime teneantur, et ad id compelli, aut quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, et quibuslibet privilegiis, indulgenciis ac litteris apostolicis quibuscunque locis, personis vel ordinibus sub quacunque forma vel expressione verborum ab eadem sede concessis, de quibus quorumque totis tenoribus de verbo ad verbum in nostris litteris specialis et expressa mentio sit habenda. Et insuper vobis et alteri vestrum per vos, vel alium seu alios illos, qui propter premissa excommunicationis sentencias forsan incurrerent, postquam de hiis, in quibus Camere nostre predicte pro huiusmodi subsidiis tenebuntur, ipsi Camere vel vobis seu illis, quos deputaveritis, ipsius Camere nomine integraliter satisfecerint, in forma ecclesie absolvendi, et cum illis, qui forsan sic ligati divina, non tamen in contemptum clavium, celebrando vel immiscendo se illis irregularitatem incurrerent, super eadem irregularitate dispensandi, ipsis tamen ad tempus, de quo vobis seu illis, quibus commictetis, videbitur, a divinis suspensis, dispensandi auctoritate apostolica tenore presentium concedimus facultatem. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis IIII. Idus Iulii, Pontificatus nostri Anno Primo.

CCCLXXIII.

Nicolaus de Buda ord. s. Augustini præficitur ecclesiæ Milcoviensi in episcopum. Reg. An. I. Tom. 1. fol. 185.

GREGORIUS EPISCOPUS etc. Dilecto filio Nicolao de Buda Electo Milcoviensi, salutem etc. Apostolatus officium etc. Dudum siquidem bone memorie Alberto Epo Milcoviensi regimini Milcoviensis ecclesie presidente, nos cupientes eidem ecclesie, cum ipsam vacare contingeret, utilem et fructuosam per apostolice sedis providenciam preesse personam, provisionem ipsius ecclesie ordinacioni et dispositioni nostre hac vice duximus specialiter reservandam, decernentes extuno irritum et inane, si secus super hiis per quoscunque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari. Postmodum vero dicta ecclesia per obitum ipsius Alberti Episcopi, qui extra Romanam Curiam diem clausit extremum, vacante, nos vacacione huiusmodi fidedignis relatibus intellecta ad provisionem ipsius ecclesie celerem et felicem, de qua nullus preter nos hac vice se intromittere potuit, neque potest, reservacione et decreto obsistentibus supradictis, ne ecclesia ipsa longe vacacionis subiaceret incommodis, paternis et solicitis studiis intendentes, post deliberacionem, quam de preficiendo eidem ecclesis personam huiusmodi cum fratribus nostris habuimus diligentem, demum ad te ordinis fratrum heremitarum sancti Augustini professorem, in sacerdocio constitutum, religionis zelo conspicuum, litterarum sciencia preditum, vite ac morum honestate decorum, in spiritualibus providum et in temporalibus circumspectum, et aliis multiplicium virtutum meritis, prout ex fidedignis testimoniis percepimus, insignitum direximus oculos nostre mentis: quibus omnibus debita meditacione pensatis, de persona tua, nobis ac eisdem fratribus nostris ob dictorum tuorum exigenciam meritorum accepta, eidem Milcoviensi ecclesie de ipsorum fratrum nostrorum consilio auctoritate apostolica providemus, teque illi preficimus in Episcopum et pastorem, curam et administracionem ipsius Milcoviensis ecclesie tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, in illo qui dat gracias et largitur premia confidentes, quod dextera domini tibi assistente propicia prefata Milcoviensis ecclesia sub tuo felici regimine prospere et salubriter dirigetur, et grata suscipiet in eisdem spiritualibus et temporalibus incrementa. Iugum igitur domini tuis impositum humeris prompta devocione suscipiens, curam et administracionem predictas sic exercere studeas solicite, fideliter et prudenter, quod ipsa Milcoviensis ecclesia gubernatori provido et fructuoso administratori gaudeat se commissam, tuque proinde eterne retribucionis premium et benevolencis nostre ac sedis apostolice benedictionem et graciam uberius consequi merearis. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis III. Nonas Septembris, Pontificatus nostri Anno Primo.

In e. m. Capitulo ecclesie Milcoviensis, Clero et populo Civitatis et diocesis Milcoviensis, universis Vassallis eiusdem ecclesie, Ludovico Regi Ungarie et Archiepiscopo Colocensi.

CCCLXXIV.

Petro episcopo Bosnensi indulgetur, ut tribus idoneis de canonicatibus et præbendis in sua ecclesia providere valeat. Reg. An. 1. cod. chart. Tom. 1. fol. 600.

GREGORIUS EPISCOPUS etc. Venerabili fratri Petro Episcopo Bosnensi, salutem etc. Personam tuam nobis et apostolice sedi devotam, tuis exigentibus meritis, paterna benivolencia prosequentes, illam tibi gratiam libenter impendimus, per quem te possis aliis reddere gratiosum. Nos igitur volentes etiam consideratione Carissimi in Christo filii nostri Ludovici Regis Ungarie Illustris, pro te dilecto consiliario suo nobis super hoc humiliter supplicantis, tuam honorare personam, ac per honorem tibi exhibitum aliis provideri, huiusmodi dicti Regis ac tuis in hac parte supplicationibus inclinati, fraternitati tue providendi hac vice auctoritate apostolica tribus personis ydoneis, quas ad hoc duxeris eligendas, earum videlicet singulis de Canonicatu ecclesie tue Bosnensis cum plenitudine iuris Canonici, ac faciendi personas ipsas, vel procuratores earum ipsarum nomine auctoritate predicta in ipsa ecclesia in Canonicos recipi et in fratres, stallo eis in choro et loco in Capitulo ipsius ecclesie cum dicti iuris plenitudine assignatis, reservandi quoque auctoritate predicta donacioni tue in ipsa ecclesia pro singulis personis eisdem singulas prebendas nulli de iure debitas, si que in eadem ecclesia tunc vacabunt, vel cum eas vacare contigerit, quas dicte persone per se vel procuratores earum ad hoc legitime constitutos infra unius mensis spacium, postquam personis vel procuratoribus predictis de ipsarum prebendarum vacatione constiterit, duxerint acceptandas, conferendi personis eisdem post acceptationem huiusmodi cum omnibus iuribus et pertinenciis suis, ac inhibendi successoribus tuis Episcopis, qui erunt pro tempore, et dilectis filiis Capitulo Bosnensi, ac illi vel illis, ad quem vel ad quos in eadem ecclesia prebendarum collatio, provisio, presentatio, seu quevis alia dispositio pertinet coniunctim vel divisim, ne de

dictis prebendis interim etiam ante acceptationem huiusmodi, nisi postquam eis constiterit, quod persone vel procuratores predicti illas nolucrint acceptare, disponere quoquo modo presumant, necnon conferendi personis eisdem prebendas huiusmodi, si que in eadem ecclesia tunc vacabunt, vel cum vacaverint, ut prefertur, cum omnibus iuribus et pertinenciis supradictis post acceptationem eandem, et providendi etiam de illis, ac inducendi per to vel alium seu alios personas easdem, vel procuratores earum pro eis in corporalem possessionem prebendarum ac iurium et pertinenciarum predictorum, et defendendi inductas, ipsisque personis faciendi de dictorum Canonicatuum et prebendarum fructibus, redditibus, proventibus, iuribus et obventionibus universis integre responderi, Contradictores auctoritate nostra, appellatione postposita, compescendo, Non obstantibus de certo Canonicorum numero et quibuscumque aliis statutis et consuetudinibus ipsius ecclesie contrariis iuramento, confirmatione apostolica vel quacumque firmitate alia roboratis, aut si aliqui apostolica vel alia quavis auctoritate in eadem ecclesia in Canonicos sint recepti, vel ut recipiantur, insistant, seu si super provisionibus sibi faciendis de Canonicatibus et prebendis ipsius ecclesie speciales, vel de beneficiis ecclesiasticis in illis partibus generales apostolice sedis vel legatorum eius litteras impetrarint, etiamsi per eas ad inhibitionem, reservationem et decretum vel alias quomodolibet sit processum, quibus omnibus preterquam auctoritate nostra in ecclesia ipsa receptis, vel prebendas expectantibus in eadem dictas personas in assecutione dictarum prebendarum volumus anteferri, sed nullum per hoc eis quoad assecutionem prebendarum et beneficiorum aliorum preiudicium generari, seu si successoribus tuis vel quibusvis aliis communiter vel divisim ab eadem sede indultum existat, quod ad receptionem vel provisionem alicuius minime tencantur, et ad id compelli, aut quod interdici suspendi vel excommuuicari non possint, quodque de Canonicatibus et prebendis ipsius ecclesie vel aliis beneficiis ecclesiasticis ad eorum collationem, provisionem, presentacionem seu quamvis aliam dispositionem coniunctim vel separatim spectantibus nulli valeat provideri per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, et qualibet alia dicte sedis indulgencia generali vel speciali cuiuscumque tenoris existat, per quam presentibus non expressam vel totaliter non insertam effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri, et de qua cuiusque toto tenore habenda sit in nostris litteris mentio specialis, aut si dicte persone presentes non fuerint ad prestandum de observandis statutis et consuetudinibus ipsius ecclesie solita iuramenta, dummodo in absencia earum per procuratores ydoneos, et cum ad ecclesiam ipsam accesserint, corporaliter illud prestent, plenam et liberam tenore presentium concedimus auctoritate apostolica facultatem, et insuper ex nunc decernimus irritum et inane, si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari. Volumus autem, quod de nominibus personarum, quibus huiusmodi Canonicatus per te conferri, ac pro quibus prebendas reservari contigerit, et de die collationis et reservationis huiusmodi Cameram nostram seu Collectorem proventuum eidem Camere debitorum in illis partibus deputatum certificare procures. Datum Avinione xv. Kal. Novembris, Pontificatus nostri Anno Primo.

CCCLXXV.

Stephano episcopo Zagrabiensi indulgetur, ut quinque viris idoneis de beneficiis simplicibus providere possit.
Reg. An. 1. cod. chart. Tom. 1. fol. 610.

Gregorius episcopus etc. Venerabili fratri Stephano Episcopo Zagrabiensi, salutem etc. Personam tuam nobis et apostolice sedi devotam tuis exigentibus meritis paterna benivolencia prosequentes, illam tibi gratiam libenter impendimus, per quam te possis aliis reddere gratiosum. Nos igitur volentes propter huiusmodi exigenciam meritorum, ac etiam consideratione Carissimi in Christo filii nostri Ludovici Regis Ungarie Illustris, pro te dilecto consiliario suo nobis super hiis humiliter supplicantis, tuam honorare personam, et per honorem tibi exhibitum aliis provideri, huiusmodi dicti Regis ac tuis in hac parte supplicationibus inclinati, fraternitati tue reservandi hac vice auctoritate apostolica donationi tue pro quinque personis ydoneis, quas ad hoc duxeris eligendas, quinque beneficia ecclesiastica cum cura vel sine cura, quorum singulorum beneficiorum fructus, redditus et proventus, si cum cura, vigintiquinque, si vero sine cura fuerint, decem et octo marcharum argenti secundum taxationem decime valorem annuum non excedant, ad collationem, provisionem, presentationem seu quamvis aliam dispositionem Epi Zagrabiensis pro tempore existentis spectantia, dummodo aliquod ex beneficiis huiusmodi Canonicatus et prebenda ecclesie Cathedralis non fuerit, si qua tempore reservationis huiusmodi vacabunt, vel ex tunc vacaverint, que dicte persone per se vel procuratores suos ad hoc legitime constitutos infra unius

mensis spacium, postquam eisdem personis vel dictis procuratoribus vacatio illorum innotuerit, duxerint acceptanda, conferendi singula videlicet eorum singulis personis eisdem post acceptationem huiusmodi cum omnibus iuribus et pertinenciis suis, ac inhibendi successoribus tuis Episcopis Zagrabiensibus, qui erunt pro tempore, ne de huiusmodi beneficiis interim etiam ante acceptationem huiusmodi, nisi postquam eis constiterit, quod persone vel procuratores predicti illa noluerint acceptare, disponere quoquo modo presumant, ac nichilominus singula huiusmodi beneficia, que, ut premittitur, reservabis, cum, ut prefertur, vacabunt, singulis personis eisdem post acceptationem predictam cum omnibus iuribus et pertinenciis suis eadem auctoritate conferendi, et de illis etiam providendi, ac inducendi per te vel alium seu alios personas ipsas, vel procuratores predictos eorum nomine in corporalem possessionem beneficiorum ac iurium et pertinenciarum predictorum, et defendendi introductas, ac faciendi personis eisdem de ipsorum beneficiorum fructibus, redditibus, proventibus, iuribus et obventionibus universis integre responderi, Contradictores auctoritate nostra, appellatione postposita, compescendo, Non obstantibus si aliqui super provisionibus etc. usque mentio specialis, plenam et liberam concedimus tenore presentium facultatem, et insuper exnunc decernimus irritum et inane, si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari. Volumus autem, quod de nominibus personarum, pro quibus huiusmodi beneficia per te reservari contigerit, ut prefertur, ac de die reservationis huiusmodi gentes Camere nostre seu Collectorem fructuum et proventuum eidem Camere debitorum in illis partibus deputatum certificare procures. Datum Avinione xv. Kalendas Novembris, Pontificatus nostri Anno Primo.

CCCLXXVI.

Petro episcopo Bosnensi indulgetur, ut duobus viris idoneis duas dignitates seu beneficia sunc ecclesiae conferre valeat.
Reg. An. I. cod. chart. Tom. 2. fol. 215.

Gregorius episcopus etc. Venerabili fratri Petro Episcopo Bosnensi, salutem etc. Personam tuam nobis et apostolice sedi devotam tuis exigentibus meritis paterna benivolencia prosequentes, illam tibi graciam libenter impendimus, per quam te possis aliis reddere graciosum. Nos igitur volentes propter huiusmodi tuorum exigenciam meritorum, ac eciam consideracione Carissimi in Christo filii nostri Ludovici Regis Ungarie Illustris, pro te nobis super hoc humiliter supplicantis, tuam honorare personam, et per honorem tibi exhibitum aliis provideri, huiusmodi dicti Regis ac tuis in hac parte supplicacionibus inclinati, fraternitati tue reservandi hac vice dumtaxat auctoritate apostolica donacioni tue pro duabus personis ydoneis, quas ad hoc duxeris eligendas, duas dignitates vel duos personatus seu duo officia sine cura, consuctas vel consuetos seu consueta aliis quam Canonicis ecclesie tue Bosnensis assignari, dummodo aliqua ex huiusmodi dignitatibus maior post Episcopalem in ipsa ecclesia non existat, si que vel si qui aut si qua in eadem ecclesia tempore reservacionis huiusmodi vacabant, vel cum illas vel illos seu illa ibidem vacare contigerit, quas vel quos seu que dicte persone per se vel procuratores suos ad hoc legitime constitutos infra unius mensis spacium, postquam personis vel procuratoribus predictis do illarum vel illorum vacacione constiterit, duxerint acceptandas vel acceptandos seu acceptanda, conferendi [vel conferendos seu conferenda?] post acceptacionem huiusmodi cum emolumentis, iuribus et pertinenciis suis, singulas vel singulos seu singula videlicet ipsarum vel ipsorum singulis personis eisdem, ac inhibendi successoribus tuis Episcopis, qui erunt pro tempore, et dilectis filiis Capitulo Bosnensi, ac illi vel illis, ad quem vel ad quos in eadem ecclesia dignitatum, personatuum aut officiorum collacio, provisio, presentacio seu quevis alia disposicio pertinet communiter vel divisim, ne de dictis dignitatibus aut personatibus vel officiis interim, eciam ante acceptacionem huiusmodi, nisi postquam eis constiterit, quod persone vel procuratores predicti illas vel illos seu illa noluerint acceptare, disponere quoquomodo presumant, ac nichilominus huiusmodi dignitates vel personatus seu officia, quas vel quos seu que reservabis, si que vel si qui aut si qua in eadem ecclesia tunc vacabant vel cum vacaverint, ut prefertur, singulas vel singulos seu singula eorum cum omnibus iuribus et pertinenciis supradictis post acceptacionem eandem singulis personis eisdem conferendi et providendi eciam de illis, ac inducendi per te vel alium seu alios personas easdem vel procuratores earum pro eis in corporalem possessionem dignitatum vel personatuum seu officiorum, ac iurium et pertinenciarum predictorum, et defendendi inductas ac faciendi easdem personas vel dictos procuratores pro eis ad huiusmodi dignitates vel personatus seu officia, ut est moris, admitti, ipsisque personis de ipsarum dignitatum vel personatuum seu officiorum fructibus, redditibus, proventibus, iuribus et obvencionibus universis integre

responderi, Contradictores auctoritate nostra, appellacione postposita, compescendo, Non obstantibus quibuscumque statutis et consuetudinibus ipsius ecclesie etc. usque corporaliter illa prestent, plenam et liberam tenore presencium concedimus facultatem, et insuper exnunc irritum decernimus et inane, si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari. Volumus autem, quod de nominibus personarum, pro quibus huiusmodi dignitates vel personatus seu officia per te reservari contigerit, ut prefertur, et de die reservacionis ac collacionis huiusmodi gentes Camere nostre, seu Collectorem fructuum et proventuum eidem debitorum in illis partibus deputatum certificare procures. Datum Avinione xv. Kal. Novembris, Pontificatus nostri Anno Primo.

CCCLXXVII.

Episcopo Drivastensi, ut Dominicum episcopum Lessiensem (al. Lessensem) restituat, expulso Ioanne dicto Nigro intruso.
Reg. An. I. cod. chart. Tom. 1. fol. 543.

Gregorius episcopus etc. Venerabili fratri ... Episcopo Drivastensi, salutem etc. Exhibita nobis pro parte Venerabilis fratris nostri Dominici Episcopi Lessiensis peticio continebat, quod licet de persona sua ecclesie Lessiensi, dudum vacanti per obitum bone memorie Dionisii Episcopi Lessiensis, auctoritate felicis memorie Urbani pape V. predecessoris nostri canonice provisum fuerit, idemque Dominicus ecclesiam ipsam aliquandiu rexerit et gubernaverit pacifice et quicte: tamen Venerabilis frater noster Iohannes Archiepiscopus Antibarensis eundem de dicta ecclesia Lessiensi expulit, et in ea mediante, ut dicitur, pecunia Iohannem dictum Nigrum, alias Lursi, ordinis fratrum Predicatorum professorem, qui a predicto ordine per plures annos apostatavit, in dicta ecclesia per potenciam laicalem intrudi procuravit et fecit, ipsum Dominicum Episcopum predicta Lessiensi ecclesia indebite spoliando, prefatusque Iohannes dictus Niger ecclesiam ipsam detinet indebite occupatam in anime sue periculum, dicti Dominici Episcopi preiudicium et scandalum plurimorum: quare pro parte dicti Dominici Episcopi nobis fuit humiliter supplicatum, ut providere ei in premissis de benignitate apostolica dignaremur. Nos itaque huiusmodi supplicacionibus inclinati fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenus vocatis qui fuerint evocandi, et auditis hinc inde propositis, dictoque Dominico Episcopo ad ipsam Lessiensem ecclesiam, prout iustum fuerit, restituto, quod canonicum fuerit, appellacione remota, decernas, faciens quod decreveris, auctoritate nostra firmiter observari, Testes autem, qui fuerint nominati, si se gracia, odio vel timore subtraxerint, auctoritate eadem, appellacione cessante, compellas veritati testimonium perhibere, Non obstantibus tam fel. record. Bonifacii pape VIII. predecessoris nostri, qua cavetur, ne quis extra suam Civitatem et diocesim nisi in certis exceptis casibus, et in illis ultra unam dietam a fine sue diocesis ad iudicium evocetur, seu ne iudices a sede apostolica deputati aliquos ultra unam dietam a fine dioccesis eorumdem trahere presumant, et de duabus dietis in concilio generali, quam aliis constitucionibus apostolicis contrariis quibuscumque, seu si eidem Archiepiscopo et Iohanni dicto Nigro, vel quibusvis aliis communiter vel divisim a predicta sit sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari, aut extra vel ultra certa loca ad iudicium evocari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mencionem. Datum Avinione xi. Kal. Decembris, Pontificatus nostri Anno Primo.

CCCLXXVIII.

Archiepiscopo Spalatensi, ut ad exsecutionem sententiae, quae pro Alberto de Blamarot laico Coloniensi contra episcopum Tiniensem tulerat, procedat et processus aggravet. Reg. An. II. cod. chart. Tom. 13. fol. 206.

Gregorsus episcopus etc. Venerabili fratri ... Archiepiscopo Spalatensi, salutem etc. Exhibita nobis pro parte dilecti filii Alberti de Blamarot laici Coloniensis diocesis peticio continebat, quod olim ipse Nicolaum Episcopum Tiniensem, qui ipsum Albertum nonnullis bonis ad eum pertinentibus et in quorum possessione existebat, spoliaverat et eum iniuriose ceperat, super hoc petendo huiusmodi bona sibi restitui, dictumque Episcopum comdempnari et compelli ad dandum et solvendum sibi certam pecunie summam tunc expressam racione iniurie captionis huiusmodi coram te, Metropolitanum ipsius Episcopi, non ex delegatione apostolica fecit ad iudicium evocari, tuque, cognitis huiusmodi cause meritis et iuris ordine observato, pro dicto Alberto diffinitivam sententiam promulgasti: et deinde cum huiusmodi tua sentencia, nulla provocatione suspensa in rem transivisset indicatam, tu prefatum Epum per tuas certi tenoris litteras moneri fecisti, ut infra certum terminum peremptorium tunc expressum predicto Alberto prefata bona restitueret, et de dicta pecunie summa satisfaceret, ac in eum huiusmodi

monitioni infra dictum terminum, et post parere non curantem diversas excommunicationis, suspensionis et interdicta sentencias promulgasti. Cum autem, sicut eadem peticio subiungebat, idem Episcopus in reprobum sensum datus, claves ecclesie contempnendo, prefatis tuis processibus parere non curet, et plurics sc divinis officiis immiscuerit et immiscat, ctiam in pontificalibus celebrando, seu verius prophanando in anime sue periculum, predicti Alberti preiudicium et scandalum plurimorum: pro parte dicti Alberti fuit nobis humiliter supplicatum, ut providere ei super hoc de benignitate apostolica dignaremur. Nos itaque huiusmodi supplicationibus inclinati, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenus legitimis super huiusmodi executione sentencie per te habitis servatis processibus, prout iustum fuerit, in negocio dicte exequutionis auctoritate apostolica procedas et processus ipsos aggraves, invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis, Contradictores auctoritate nostra, appellatione postposita, compescendo, Non obstante si eidem Episcopo, vel quibusvis aliis communiter vel divisim ab apostolica sit sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Datum Avinione Id. Februarii, Pontificatus nostri Anno Secundo.

CCCLXXIX.

Laurentius plebanus B. Mariae de Rosario Parentinas dioecesis ecclesiae Petinensi in episcopum praeficitur, Reg. An. II. cod. chart. Tom. 14. fol. 166.

Gregorius episcopus etc. Dilecto filio Laurencio Electo Petenensi, salutem etc. Romani Pontificis, quem pastor ille celestis et Episcopus animarum etc. usque gratulentur. Dudum siquidem bone memorie Nicholao Episcopo Petenonsi regimini Petenensis ecclesie presidente, Nos cupientes eidem ecclesie, cum vacare contingeret, per apostolice sedis providenciam utilem et ydoneam preesse personam, provisionem ipsius ecclesie dispositioni et ordinationi nostre ea vice duximus specialiter reservandam, decernentes extunc irritum et inano, si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari. Postmodum vero dicta ecclesia per ciusdem Nicholai obitum, qui extra Romanam Curiam diem clausit extremum, pastoris solatio destituta, dilecti filii Capitulum eiusdem ecclesie huiusmodi reservationis et decreti, ut asseritur, ignari te Plebanum ecclesie beate Marie de Rosario Parentine dioc., in presbiteratus ordine constitutum, in Petenensem Episcopum licet de facto concorditer elegerunt, tuque reservationis et decreti predictorum similiter inscius electioni huiusmodi illius tibi presentato decreto licet de facto consensisti: et deinde huiusmodi reservatione et decreto ad tuam deductis noticiam, huiusmodi electionis negocium proponi fecisti in consistorio coram nobis. Nos igitur attendentes electionem predictam post ct contra reservationem et decretum predicta attemptatam fuisse, eam, prout erat, reputavimus irritam et inanem, et ad provisionem eiusdem ecclesie celerem et felicem, de qua nullus preter nos hac vice se intromittere potuit neque potest, reservatione et decreto obsistentibus supradictis, ne longe vacationis subiaceret incommodis, paternis et solicitis studiis intendentes, post deliberationem, quam de preficiendo eidem ecclesie personam utilem et etiam fructuosam habuimus cum fratribus nostris diligentem, demum ad te de vite ac morum honestate, spiritualium providencia et temporalium circumspcctione ct aliis virtutum meritis, prout fidedignorum testimonio accepimus, insignitum direximus oculos nostre mentis: quibus omnibus necnon dictorum Capituli te eligentium concordi voluntate attenta meditatione pensatis, de persona tua prefate ecclesie de dictorum fratrum consilio auctoritate apostolica providemus, teque illi preficimus in Epum etc. Quocirca discretioni tue per apost. scripta mandamus, quatenus impositum tibi onus a dño devote suscipiens, curam et administrationem ipsius ecclesie sic exercere studeas solicite, fideliter et prudenter, quod ipsa ecclesia gubernatori provido et administratori fructuoso gaudeat se commissam, tuque preter eterne retributionis premium nostram et dicte sedis graciam uberius consequi merearis. Datum Avinione xiii. Kalendas Maii, Pontificatus nostri Anno Secundo.

In e. m. Capitulo et universis Vassallis ecclesie Petenensis, Clero et populo civitatis et diocesis Petenensis et Patriarchc Aquilegensi.

CCCLXXX.

Roberto de Stractone auditori, ut sententia pro Georgio de Leone Colocensi contra quamdam Catharinam, non obstante omissione litis contestationis, valeat. Reg. An. II. cod. chart. Tom. 13. fol. 401.

Gregorius episcopus etc. Dilecto filio Magistro Roberto de Stractone Capellano nostro et auditori causarum Palacii Apostolici, salutem etc. Sincere devocionis affectus, quem dilectus filius Georgius de

Leone Civis Colocensis ad nos et Romanam gerit ecclesiam, promeretur, ut in hiis, que digne possint fieri, ei simus oportuno tempore graciosi. Sane peticio pro parte dicti Georgii nobis nuper exhibita continebat, quod dudum dilecta in Christo filia Catherina quondam Petri Iacobi nata mulier Colocensis falso asserens, quod fendum Cassale, nuncupatum Neotoria, et quamplura terre, bona et res alie in Contrata Cavi sancti Martini Colocensis diocesis consistentia et ad ipsum Georgium iusto titulo pertinentia, ad eandem Catherinam iusto titulo pertinebant, et quod idem Georgius fendum, terras, bona et res huiusmodi detinebat indebite occuputa, eundem Georgium super hoc petendo ipsum condempnari et compelli ad reddendum et restituendum sibi feudum, terras, bona et res huiusmodi coram dilecto filio Armando de Alerio, clerico in Civitate Colocensi commorante, cui dilectus filius Raymundus Magister hospitalis sancti Iohannis Ierosolimitani, sub cuius iurisdictione temporali partes ipse, necnon feudum, terre, bona et res huiusmodi consistunt, causam huiusmodi non ex delegacione apostolica audiendam commiserat et fine debito terminandam, huiusmodi commissionis pretextu traxit in causam: idemque Armandus in huiusmodi causa procedens partim pro ipso Georgio, et partim contra eum super premissis diffinitivam sentenciam promulgavit, a qua Georgius ad generalem indicem appellationum Curie dicti Magistri, ad quem a delegatis ab ipso Magistro deputatis de antiqua et approbata, et hactenus pacifice observata consuetudine appellari potest, et Catherina predicti ad Magistrum predictum, videlicet pars quelibet in quantum contra se lata erat, appellarunt, ipsaque Catherina dictum Georgium fecit in causis appellacionum huiusmodi coram dilecto filio Stephano de Thamareto, clerico in dicta Civitate commorante, cui prefatus Magister huiusmodi appellacionum causas audiendas commiserat et fine debito terminandas, huinsmodi commissionis vigore ad iudicium evocari: qui quidem Stephanus in huiusmodi appellacionis causa procedens legitime per suam sentenciam pronunciavit et declaravit prefatum Armandum male pronunciasse, ipsumque Georgium ab impeticione dicte Catharine absolvit, propter quod dicta Catharina ad sedem apostolicam appellavit, Nosque causam appellacionis huiusmodi ad dictam sedem, ut premittitur interiecte tibi, non obstante quod causa ipsa de sui natura ad Romanam curiam devoluta, et in ea tractanda et finienda non esset, ad instanciam dicte Catharine audiendam commisimus et fine debito terminandam, tuque in causa ipsa ad nonnullos actus diceris processisse. Cum autem, sicut eadem peticio subiungebat, in huiusmodi secunda instancia lis non fuerit contestata, nec pars ad eandem contestandam citata, et propterea timeat idem Georgius predictam secnndam sentenciam saltem de facto impugnari, pro parte dicti Georgii nobis fuit humiliter supplicatum, ut providere ei super hoc de benignitate apostolica dignaremur. Nos itaque statum dicte cause habentes pro expresso, huiusmodi supplicacionibus inclinati diserecioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus si est ita eidem Georgio auctoritate apostolica concedas, ut omissione huiusmodi litis contestationis non obstante predicta secunda sentencia, dummodo alias sit iusta, valeat et plenam obtineat firmitatem. Datum Avinione Kalendis Maii, Pontificatus nostri Anno Secundo.

CCCLXXXI.

Petrus de Pinu monasterio s. Michaelis de Peclina Ragusine dioecesis in abbatem praeficitur.
Reg. Aa. 11. cod. chart. Tom. 14. fol. 183.

Gregorius episcopus etc. Dilecto filio Petro de Pinu Abbati monasterii sancti Michaelis de Peclina ordinis sancti Benedicti Ragusine diocesis, salutem etc. Suscepti cura regiminis cor nostrum continua pulsat instancia etc. Nuper siquidem in nostri apostolatus primordiis intellecto, quod monasterium sancti Michaelis de Peclina ordinis sancti Benedicti Ragusine diocesis ex eo vacabat, quod quondam Iohannes Abbas ipsius monasterii regimini dicti monasterii ex certis racionabilibus causis in manibus Venerabilis fratris nostri Hugonis Episcopi Astunensis, tunc Archiepiscopi Ragusini, extra Romanam curiam sponte cesserat, idemque Episcopus, tunc Archiepiscopus, cessionem huiusmodi extra dictam curiam auctoritate ordinaria admiserat: Nos cupientes ipsi monasterio utilem et ydoneam per apostoliee sedis providenciam preesse personam, provisionem eiusdem monasterii ordinationi et dispositioni nostre ea vice duximus specialiter reservandam, decernentes ex tunc irritum et inane, si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari. Ad provisionem itaque ipsius monasterii celerem et felicem, de qua nullus preter nos hac vice post et contra reservationem et decretum huiusmodi se intromittere potuit neque potest, ne ipsum monasterium ulterioris vacationis exponeretur incommodis, paternis et solicitis studiis intendentes, post deliberationem, quam de preficiendo eidem monasterio personam utilem et eciam fructuosam cum fratribus nostris habuimus

diligentem, demum ad te monachum monasterii sancti Iacobi extra muros Ragusinos dicti ordinis, ordinem ipsum expresse professum et in sacerdocio constitutum, cuius de religionis zelo, litterarum sciencia, vite ac morum honestate aliisque multiplicium virtutum donis apud nos fidedigna testimonia perhibentur, direximus oculos nostre mentis: quibus omnibus debita meditatione pensatis, de persona tua prefato monasterio sancti Michaelis adhuc, ut prefertur, vacanti de dictorum fratrum consilio auctoritate apostolica providemus, teque illi preficimus in Abbatem, curam et administrationem ipsius monasterii sancti Michaelis tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, firma spe fiduciaque conceptis, quod prefatum monasterium sancti Michaelis, gracia tibi assistente divina, per tue circumspectionis industriam et providenciam circumspectam salubria suscipiet incrementa. Quocirca discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus impositum tibi onus a domino devote suscipiens, curam et administrationem ipsius monasterii sic exercere studeas solicite, fideliter et prudenter, quod ipsum monasterium gubernatori provido et administratori fructuoso gaudeat se commissum, tuque proinde preter eterne retributionis premium nostram et dicte sedis graciam uberius consequi mereareris. Datum Avinione III. Nonas Iulii, Pontificatus nostri Anno Secundo.

In e. m. Conventui monasterii sancti Michaelis de Peclina ordinis sancti Benedicti Ragusine diocesis et Archiepiscopo Ragusino.

CCCLXXXII.

Archiepo Iadrensi et episcopo Sibinicensi, ut nomine Romanae ecclesiae a Grisogono Traguriensi olim Arbensi episcopo solitum iuramentum recipiant. Reg. An. II. cod. chart. Tom. 13. fol. 513.

GREGORIUS EPISCOPUS etc. Venerabilibus fratribus ... Archiepiscopo Iadrensi et Epo Sibinicensi, salutem etc. Cum nuper Venerabilem fratrem nostrum Grisogonum Traguriensem, olim Arbensem, Episcopum a vinculo, quo ipsi Arbensi ecclesie, cui tunc preerat, tenebatur, de fratrum nostrorum consilio et apostolice potestatis plenitudine absolventes, ipsum ad ecclesiam Traguriensem tunc vacantem auctoritate apostolica duxerimus transferendum, ipsumque eidem Traguriensi ecclesie prefecerimus in Epum et pastorem: Nos volentes eiusdem Episcopi in illis partibus commorantis parcere laboribus et expensis, ne propter hoc cogatur veniendo ad Romanam curiam personaliter laborare, fraternitati vestre auctoritate presentium commictimus et mandamus, quatenus vos vel alter vestrum ab eodem Episcopo nostro et ecclesie Romano nomine fidelitatis debite solitum recipiatis iuramentum iuxta formam, quam sub bulla nostra mictimus interclusam. Formam autem iuramenti, quod dictus Episcopus prestabit, nobis de verbo ad verbum per eius patentes litteras suo sigillo signatas per proprium nuncium quantocius destinare curetis. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis Id. Iulii, Pont. nostri Anno Secundo.

CCCLXXXIII.

Dominico episcopo Lessensi monasterium s. Georgii de Culpho Catharensis dioecesis in commendam conceditur. Reg. An. II. cod. chart. Tom. 11. fol. 35.

GREGORIUS EPISCOPUS etc. Venerabili fratri Dominico Episcopo Lessensi, salutem etc. Romani Pontificis providencia circumspecta ecclesiis et monasteriis, que vacationis incommoda deplorare noscuntur, ut gubernatorum utilium fulciantur presidio, prospicit diligenter, et personis ecclesiasticis, presertim pontificali dignitate preditis, que maxime indigere noscuntur, libenter, prout est decens et congruum, de subvencionis auxilio providet oportuno. Nuper siquidem quondam Iohanne Abbate monasterii sancti Georgii de Culpho de Catharo ordinis sancti Benedicti Catharensis diocesis regimini ipsius monasterii presidente, Nos cupientes eidem monasterio, cum vacaret, per apostolice sedis providenciam utilem et ydoneam presidere personam, provisionem dicti monasterii dispositioni et ordinationi nostre dnximus ea vice specialiter reservandum, decernentes ex tunc irritum et inane, si secus super hiis per quoscnmque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari. Postmodum vero dicto monasterio per obitum eiusdem Iohannis, qui nuper extra Romanam curiam diem clausit extremum, Abbatis regimine destituto, Nos volentes tam dicto monasterio de gubernatore secundum cor nostrum ydoneo, per quem circumspecte dirigi et salubriter gubernari valeat, quam tibi de alicuius subvencionis auxilio pro tuis supportandis oneribus providere, monasterium predictum cum omnibus iuribus et pertinenciis suis tibi tam in spiritualibus quam temporalibus usque ad nostrum beneplacitum auctoritate apostolica commendamus, curam, regimen, gubernationem et administrationem plenam et liberam eiusdem monasterii tibi in eisdem spiritualibus et temporalibus commictentes, alienatione bonorum mobilium

necnon preciosorum mobilium ipsius monasterii tibi penitus interdicta. Volumus autem, quod propter commendam huiusmodi cultus divinus et solitus monachorum et ministrorum numerus in dicto monasterio nullatenus minuatur, quodque, debitis et consuetis ipsius et eius conventus oneribus subportatis, de residuis fructibus et proventibus eiusdem monasterii libere disponere valeas, sicut potuerunt disponere Abbates dicti monasterii, qui ei pro tempore prefuerunt. Quocirca fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenus dicti monasterii curam, regimen, gubernationem et administrationem huiusmodi commenda durante per te vel alium seu alios sic geras solicite, fideliter et prudenter, quod dictum monasterium utili gubernatori gaudeat se commissum, tuque preter eterne retributionis premium et humane laudis preconium, que proinde mereberis, nostram et dicte sedis benedictionem et graciam uberius consequaris. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis XVI. Kal. Augusti, Pontificatus nostri Anno Secundo.

In e. m. Dilectis filiis Conventui monasterii sancti Georgii de Culpho de Catharo ordinis sancti Benedicti Catharensis diocesis, quatenus eundem Dominicum ob reverenciam apostolice sedis et nostram devote recipientes etc. quamdiu huiusmodi durabit commenda, obediatis humiliter etc.

CCCLXXXIV.

Communi civitatis Catharensis, ut Dominicum episcopum Lessensem in recuperandis bonis monasterii s. Georgii de Culpho eidem in commendam concessi habeant commendatum. Reg. An. II. Secret. fol. 168.

GREGORIUS EPISCOPUS etc. Dilectis filiis Communi Civitatis Catharensis, salutem etc. Ad illa vos libenter inducimus ac precibus exhortamur, que honestatem sapiunt, vosque in conspectu Regis eterni reddere valeant graciosos. Sane nuper monasterium sancti Georgii de Culpho de Catharo ordinis sancti Benedicti Catharensis diocesis, tunc vacans et in antea disposicioni apostolice reservatum, Venerabili fratri nostro Dominico Episcopo Lessensi usque ad nostrum beneplacitum ex certis causis duximus commendandum. Cum autem eidem Episcopo in regimine et administracione dicti monasterii et recuperacione bonorum ipsius favor vester sit plurimum oportunus, discrecionem vestram rogamus et hortamur attente, quatenus pro nostra et apostolice sedis reverencia, et eciam pietatis intuitu dictum Epum sic habere velitis favorabiliter commendatum, quod ipse sinceritatis vestre fultus presidio dictum monasterium feliciter gubernare, eiusque iura atque bona recuperare et protegere valeat, nosque devocionem vestram non immerito commendare possimus. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis VI. Kal. Augusti, Pontificatus nostri Anno Secundo.

CCCLXXXV.

Georgio et Balase fratribus dominis Zentae, ut Ioanni episcopo Drivastensi assistant in adipiscenda possessione ecclesiae Antibarensis ei commissae, et ne intrusis in Polatensi et Lessensi ecclesiis faveant. Reg. An. II. Secret. fol. 61.

GREGORIUS EPISCOPUS etc. Dilectis filiis Nobilibus viris Georgio et Balse fratribus dñis Zente, salutem etc. Cum Venerabilis frater noster Egidius Episcopus Tusculanus, commissarius in hac parte per nos specialiter deputatus, exigentibus gravibus excessibus Iohannis, qui pro Archiepiscopo Antibarensi se gerit, ipsum Iohannem ab administracione spiritualium et temporalium ecclesie Antibarensis de speciali nostro mandato duxerit suspendendum, et administracionem eiusdem ecclesie in spiritualibus et temporalibus Venerabili fratri nostro Iohanni Episcopo Drivastensi usque ad beneplacitum nostrum commiserit, prout in litteris eiusdem Episcopi Tusculani inde confectis dicitur plenius continetur: nobilitatem vestram requirimus et rogamus attente, quatenus ob reverenciam apostolice sedis et nostram profato Episcopo Drivastensi in administracione predicta vestris auxiliis et favoribus efficaciter assistatis, attencius precaventes, ne Demetrio Comen in Polatensi et Iohanni Nigro in Lessensi ecclesiis dampnabiliter intrusis aliquatenus favcatis, vel faveri a vestris subditis permittatis, alioquin indignacionem dei dicteque sedis et nostram debebitis merito formidare: quin immo Venerabiles fratres nostros Laurencium Polatensem et Dominicum Lessensem Episcopos, per prefatam sedem ad dictam Polatensem et Lessensem ecclesias canonice promotos, ad recuperandum et tenendum possessionem pacificam dictarum suarum ecclesiarum favorabiliter et realiter adiuvetis, ut vestris auxiliis et favoribus mediantibus ipsas ecclesias ad laudem dei et animarum salutem, honoremque dicte sedis possint utiliter gubernare, et vos per hec et alia vestra opera catholica nostram et eiusdem sedis benivolenciam mereamini pleniorem. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis XII. Kal. Septembris, Pontificatus nostri Anno Secundo.

CCCLXXXVI.

Universis fidelibus construendam per Emericum et Petrum de Bir fratres ecclesiam in villa Dorok Iauriensis dioecesis visitantibus indulgentiae concedantur. Reg. An. II. cod. chart. Tom. 15. fol. 330.

GREGORIUS EPISCOPUS etc. Universis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis, salutem etc. Splendor paterne glorie, qui etc. Cum itaque, sicut accepimus, dilecti filii nobiles viri Emericus et Petrus de Bir fratres, domicelli Iauriensis diocesis, ad laudem dei et pro suarum ac progenitorum suorum animarum salute in villa Dorok eiusdem diocesis quandam ecclesiam in honorem, et sub vocabulo omnium Sanctorum fundare et construi facere, ac ipsam de bonis propriis sufficienter dotare proponant: Nos cupientes, ut prefata ecclesia, postquam fundata et constructa ac dotata fuerit, ut prefertur, congruis honoribus frequentetur, et ut Christi fideles eo libencius causa devotionis confluant ad eandem, quo ex hiis ibidem uberius dono celestis gracie conspoxerint se refectos, de omnipotentis dei misericordia et beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi omnibus vere penitentibus et confessis, qui in Nativitatis, Circumcisionis, Epiphanie, Resurrectionis, Ascensionis, Corporis domini nostri Ihesu Christi, Penthecostes, necnon in Nativitatis, Annunciationis, Purificationis et Assumptionis beate Marie Virginis, et Nativitatis beati Iohannis Baptiste, dictorum Apostolorum Petri et Pauli ac dicte ecclesie dedicationis festivitatibus et celebritate omnium Sanctorum, et per octavas ipsarum Nativitatis, Epiphanie, Resurrectionis, Ascensionis et Corporis domini, necnon ipsius beate Marie Virginis Nativitatis et Assumptionis, Nativitatis beati Iohannis et Apostolorum Petri et Pauli predictorum festivitatum, et per sex dies dictam festivitatem Penthecostes immediate sequentes prefatam ecclesiam, postquam fundata et constructa ac dotata fuerit, ut prefertur, devote visitaverint annuatim, singulis videlicet festivitatum et celebritatis unum annum et quadraginta dies, octavarum vero et sex dierum predictarum diebus, quibus ecclesiam ipsam visitaverint, ut prefertur, centum dies de iniunctis eis penitenciis misericorditer relaxamus. Presentibus post viginti annos minime valituris. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis III. Kalendas Septembris, Pontificatus nostri Anno Secundo.

CCCLXXXVII.

Archiepiscopo Colocensi, ut fratribus Minoribus acciplendi locum, quem Nicolaus de Gara in quadam villa concedere velit, licentiam concedat. Reg. An. II. cod. chart. Tom. 13. fol. 400.

GREGORIUS EPISCOPUS etc. Venerabili fratri ... Archiepiscopo Colocensi, sal. etc. Piis devotorum desideriis, in hiis precipue, que divini cultus et religionis augmentum respiciunt, libenter annuimus, illaque favore prosequimur oportuno. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dilectorum filiorum ministri gencralis et fratrum ordinis Minorum, ac nobilis viri Nicolai de Gara militis Quinqueecclesiensis diocesis peticio continebat, quod idem miles ex devocione, quam ad dictorum fratrum ordinem habere dinoscitur, in augmentum fidei christiane et favorem propositionis verbi dei unum locum pro usu et habitacione fratrum predictorum, iuxta ecclesiam beati Petri Apostoli per ipsum militem olim canonice ad opus eorundem fratrum edificatam et fundatam, infra villam suam de Chewregh tue diocesis, que quidem villa, ut asseritur, in confinibus Scismaticorum Rassie sita existit, et multis Christi fidelibus est populata, cum campanili et campana et cimiterio, domibus ac aliis necessariis officinis de bonis sibi a deo collatis construere et fundare proponit: Quare pro parte ipsorum ministri et fratrum ac militis nobis fuit humiliter supplicatum, ut eidem militi construendi et fundandi locum huiusmodi, ac eisdem ministro et fratribus recipiendi locum ipsum cum ecclesia et campanili ac campana et cimiterio, domibus ac aliis officinis supradictis, et ibidem commorandi licenciam concedere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur huiusmodi supplicacionibus inclinati, fraternitati tue per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus si tibi constiterit dictam villam fore populatam, ut prefertur, et quod in dicto loco duodecim fratres dicti ordinis inibi pro tempore morituri congrue sustentari valeant, idque sine preiudicio parrochialis ecclesie et alterius cuiuscumque fieri possit, dicto militi construendi et fundandi huiusmodi locum, ac eisdem ministro et fratribus recipiendi locum ipsum cum ecclesia campanili, campana, cimiterio, domibus et alii officinis predictis, ot ibidem perpetuo commorandi, iure dicte parrochialis ecclesie et alterius cuiuscumque in omnibus semper salvo, ac constitucione fel. record. Bonifacii pape VIII. prodecessoris nostri prohibente, ne Religiosi ordinum mondicantium loca de novo recipiant absque licencia sedis apostolice speciali, faciente plenam et expressam de prohibicione huiusmodi mencionem, et quibuslibet aliis constitucionibus apostolicis nequaquam obstantibus, auctoritate apostolica plenam et liberam liconciam largiaris, et nichilominus eisdem ministro et fratribus eadem

auctoritate concedas, quod fratres dicti ordinis, qui in dicto loco, sicut premittitur, construendo pro tempore morabuntur, gaudeant omnibus et singulis graciis, privilegiis, exemptionibus, libertatibus et immunitatibus, quibus alii fratres in aliis locis dicti ordinis gaudere consueverunt. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis III. Idus Septembris, Pontificatus nostri Anno Secundo.

CCCLXXXVIII.

Galvano Bechini de Bononia passio per Guillelmum episcopum Quinquecclesiensem assignata, ut ius canonicum legat in Studio Quinquecclesiensi, confirmatur. Reg. An. II. cod. chart. Tom. 15. fol. 311.

GREGORIUS etc. Dilecto filio Galvano Bechini de Bononia civi Bononiensi, decretorum doctori, sal. etc. Litterarum sciencia, vite ac morum honestas aliaque probitatis et virtutum merita, super quibus apud nos fidedignorum commendaris testimonio, nos inducunt, ut peticionibus tuis favorabiliter annuamus. Exhibita siquidem nobis nuper tua peticio continebat, quod olim Venerabilis frater noster Willelmus Episcopus Quinquecclesiensis diligenter attendens, quod tu, qui in Studio Quinquecclesiensi iura canonica tunc actu legebas, sibi ot sue Quinquecclesiensi ecclesie multa grata servicia impenderas et impendebas, ac impendere poteras et alias in dando consiliis, et pro legendo in dicto Studio eras quam plurimum utilis et eciam opportunus, certam pensionem annuam trecentarum marcharum argenti seu sexcentorum florenorum auri percipiendam, et habendam per te in et super bonis ad mensam Episcopalem Quinqueclesiensem spectantibus, tibique in certis terminis persolvendam constituit et ęciam deputavit, et quod nichilominus villam de Ynich Quinquecclesiensis diocesis, et domum, quam in civitate Quinquecclesiensi inhabitas, confrontatam ab una cum iuribus dilecti filii Sarraceni de Padua et ab alia cum domo dilecti filii Iohannis Camerarii, et ab alia cum hospicio dilecti filii Pesthz Cerdonis Quinquecclesiensis, et ab alia partibus cum hospicio dilecti filii Stephani Archidiaconi de Tinnia in eadem ocolesia, ad mensam predictam pleno iure spectantes cum omni temporali iurisdictione ac fructibus decímarum dicte ville, qni, ut asseris, summam septuaginta florenorum auri non excedunt annuatim, ac omnibus aliis iuribus et pertinenciis suis tibi huinsmodi iura canonica legendo in dicto Studio, ac tuis heredibus et successoribus imperpetuum de dilectorum filiorum Capituli ecclesie Quinquecclesiensis consilio et assensu concessit et donavit, si tamen ad hoc Romani Pontificis accederet auctoritas et consensus, prout in quibusdam patentibus litteris dictorum Episcopi et Capituli sigilli munitis plenius continetur. Quare nobis humiliter supplicasti, ut constitutioni, assignationi et donationi predictis robur apostolice firmitatis adicere de benignitate apostolica dignaremur. Non igitur intendentes te, pro quo eciam dicti Episcopus et Capitulum nobis super hoc humiliter supplicarunt, premissorum intuitu favore prosequi gracioso huiusmodi, ac tuis supplicationibus inclinati constitutionem, deputationem, concessionem et donationem predictas, ac omnia alia inde rite secuta, quamdiu vixeris, valere volentes, illa quoad vixeris, ut prefertur, auctoritate apostolica approbamus et confirmamus, et presentis scripti patrocinio communimus, supplentes omnem defectum, si quis forsan intervenerit in eisdem, de apostolice plenitudine potestatis. Nulli ergo etc. nostre confirmationis et communitionis infringere etc. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis II. Kalendas Octobris, Pontificatus nostri Anno Secundo.

CCCLXXXIX.

Petrus abbas s. Michaelis monasterio B. Mariae de Caneto Polensi in abbatem praeficitur. Reg. An. II. cod. chart. Tom. II. fol. 72.

GREGORIUS EPISCOPUS etc. Dilecto filio Petro Abbati Monasterii beato Marie de Caneto Polensi ordinis sancti Benedicti, salutem etc. Summi disposicione Rectoris ad regimen universalis ecclesie deputati curis assiduis angimur, ut opem et operam, quanto nobis ex alto conceditur, impendamus, quod orbis ecclesie et monasteria universa pastorum regiminibus destituta per nostre providencie ministerium viris ydoneis committentur, qui sciant, velint et valeant ecclesias et monasteria ipsa eis commissa studiose regere et fideliter gubernare. Dndum siquidem monasterium beate Marie de Caneto Polensi ordinis sancti Benedicti per obitum quondam Nicolai Abbatis dicti monasterii, qni extra Romanam Curiam diem clausit extremum, vacante, fel. record. Urbanus papa V. predecessor noster de persona quondam Guillelmi Abbatis dicti monasterii ipsi monasterio sic vacanti, cuins provisio antea per eundem predecessorem erat ordinacioni et disposicioni apostolice reservata, auctoritate apostolica duxit providendum, preficiendo eum eidem monasterio in Abbatem. Ac deinde dicto predecessore, sicut domino placuit, sublato de medio, Nos divina favente clemencia ad apicem summi apostolatus assumpti cu-

pientes eidem monasterio, cum ipsum vacare contingeret, per operacionis nostre ministerium utilem et ydoneam presidere personam, provisionem eiusdem monasterii ordinacioni et disposicioni nostre ea vice duximus specialiter reservandam, decernentes ex tunc irritum et inane, si secus super hiis per quoscumque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari. Et subsequenter dicto monasterio per eiusdem Guillelmi Abbatis obitum, qui litteris apostolicis super provisione huiusmodi non confectis extra eandem curiam diem clausit extremum, vacante, nos vacacione huiusmodi fidedignis relatibus intellecta ad provisionem ipsius monasterii celerem et felicem, de qua nullus preter nos hac vice se intromittere potuit neque potest, reservacione et decreto obsistentibus supradictis, ne monasterium ipsum longe vacacionis exponeretur incommodis, paternis et solicitis studiis intendentes, post deliberacionem, quam de preficiendo eidem monasterio personam utilem ac eciam fructuosam cum fratribus nostris habuimus diligentem, demum ad te Abbatem monasterii sancti Michaelis extra muros Polenses eiusdem ordinis, consideratis grandium virtutum meritis, quibus personam tuam, pront fidedignorum testimonio accepimus, altissimus insignivit, et quod tu, qui regimini eiusdem monasterii sancti Michaelis hactenus laudabiliter prefuisti, prefatum monasterium beate Marie scies et poteris, auctore domino, salubriter gubernare, direximus oculos nostre mentis: quibus omnibus debita meditacione pensatis, de persona tua eidem monasterio sancte Marie de dictorum fratrum nostrorum consilio auctoritate apostolica providemus, teque illi preficimus in Abbatem, curam et administracionem ipsius monasterii beate Marie tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie commictendo, firma spe fiduciaque conceptis, quod dirigente domino actus tuos prefatum monasterium beate Marie per tue industrie et circumspectionis studium fructuosum prospere dirigctur, et grata in eisdem spiritualibus et temporalibus suscipiet incrementa. Quocirca discrecioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus onus regiminis dicti monasterii beate Marie devote suscipiens, sic te in eo salubriter exercendo fidelem exhibeas ac eciam fructuosum, quod idem monasterium sancte Marie per laudabile tue diligencie studium gubernatori provido et fructuoso administratori gaudeat se commissum, tuque preter eterne retribucionis premium nostram et dicte sedis benedictionem et graciam exinde uberius consequi merearis. Datum apud Villamnovam Avionensis diocesis v. Idus Octobris, Pontificatus nostri Anno Secundo.

In e. m. Conventui Monasterii sancte Marie de Caneto Polensi ordinis sancti Benedicti.

CCCXC.

Ladislaus episcopus Nitriensis ad ecclesiam Vesprimiensem transfertur, et de more commendatur.
Reg. An. II. cod. chart. Tom. 14. ep. 171.

Gregorius episcopus etc. Venerabili fratri Ladizlao Episcopo Vesprimiensi, salutem etc. Quam sit onusta dispendiis etc. Dudum siquidem bone memorie Ladislao Episcopo Vesprimiensi regimini Vesprimiensis ecclesie presidente, Nos cupientes eidem ecclesie, cum vacaret, utilem et ydoneum per apostolice sedis providenciam presidere personam, provisionem eiusdem ecclesie ordinationi et dispositioni nostre ea vice duximus specialiter reservandam, decernentes extunc irritum et inane, si secus super hiis per quoscumque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari. Postmodum vero dicta ecclesia per obitum eiusdem Ladislai, qui extra Romanam Curiam diem clausit extremum, pastoris solatio destituta, Nos, vacatione huiusmodi fidedignis relatibus intellecta, ad provisionem ipsius ecclesie celerem et felicem, de qua nullus preter nos hac vice se intromittere potuit neque potest, reservatione et decreto obsistentibus supradictis, ne dicta ecclesia longe vacationis exponeretur incommodis, paternis et solicitis studiis intendentes, post deliberationem, quam de preficiendo eidem ecclesie personam huiusmodi cum nostris fratribus habuimus diligentem, demum ad te Ep̃um Nitriensem, consideratis grandium tuarum virtutum meritis, quibus personam tuam, sicut fidedignis testimoniis accepimus, dominus insignivit, et quod tu, qui regimini Nitriensis ecclesie hactenus laudabiliter prefuisti, dictam Vesprimiensem ecclesiam scies et poteris, auctore domino, utiliter regere et fideliter gubernare, convertimur aciem nostre mentis. Intendentes itaque tam ipsi Vesprimiensi ecclesie quam eius gregi dominico salubriter providere, te a vinculo, quo prefate Nitriensi ecclesie, cui tunc preeras, tenebaris, de dictorum fratrum nostrorum consilio et apostolice potestatis plenitudine absolventes, te ad eandem Vesprimiensem ecclesiam auctoritate apostolica transferimus, teque eidem Vesprimiensi ecclesie preficimus in Episcopum et pastorem, curam et administrationem ipsius tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, liberamque tibi tribuendo licenciam ad predictam Vesprimiensem ecclesiam transeundi, firma spe fidnciaque conceptis, quod prefata Vesprimiensis ecclesia per tue industrie et circum-

spectionis fructuosum studium, gracia tibi assistente divina, regetur utiliter et prospere dirigetur, ac salubria, dante domino, suscipiet incrementa. Volumus autem et tibi tenore presentium mandamus, quatenus antequam possessionem administrationis bonorum mense tue Episcopalis Vesprimiensis accipias, fidelitatis debite prestes iuramentum sub forma, quam Venerabilibus fratribus nostris ... Waciensi et ... Cenadiensi Episcopis sub bulla nostra mittimus interclusam, quibus et eorum cuilibet per alias nostras litteras mandamus, ut a te nostro et Romane ecclesie nomine huiusmodi recipiant iuramentum. Quocirca fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenus ad prefatam Vesprimiensem ecclesiam cum gracia nostre benedictionis accedens, eius solicitam curam geras, gregem dominicum in illa tibi commissum doctrina verbi et operis informando, ita quod dicta Vesprimiensis ecclesia gubernatori circumspecto et fructuoso administratori gaudeat se commissam, et bone fame tuo odor ex laudabilibus tuis actibus lacius defundatur, tuque preter eterne retributionis premium nostre benedictionis graciam exinde uberius consequi mereatis. Datum Avinione VI. Kal. Novembris, Pont. nostri Anno Secundo.

In e. m. Capitulo et universis Vassallis ecclesie Vesprimiensis, Clero et populo Civitatis et diocesis Vesprimiensis, Ludovico Regi Ungarie et Archiepiscopo Strigoniensi.

CCCXCI.

Dominicus de Novoloco ord. s. Augustini ecclesiae Nitriensi in episcopum praeficitur. Reg. An. II. Tom. 14. fol. 177.

GREGORIUS EPISCOPUS etc. Dilecto filio Dominico de Novoloco Electo Nitriensi, salutem etc. Apostolatus officium etc. Sane ecclesie Nitriensi ex eo vacante, quod nos hodie Venerabilem fratrem nostrum Ladislaum Vesprimiensem, tunc Nitriensem, Episcopum licet absentem a vinculo, quo ipsi Nitriensi ecclesie, cui tunc preerat, tenebatur, de fratrum nostrorum consilio et apostolice potestatis plenitudine absolventes, ipsum ad ecclesiam Vesprimiensem tunc pastore carentem apostolica auctoritate duximus transferendum, preficiendo ipsum dicte Vesprimiensi ecclesie in Episcopum et pastorem: Nos ad provisionem eiusdem ecclesie Nitriensis celerem et felicem, ne longe vacationis detrimenta subiret, paternis et solicitis studiis intendentes, post deliberationem, quam de preficiendo eidem Nitriensi ecclesie personam utilem et eciam fructuosam cum dictis fratribus habuimus diligentem, demum ad te ordinis fratrum heremitarum sancti Augustini professorem, penitenciarium nostrum, in sacerdotio constitutum, de cuius religionis zelo, litterarum sciencia, vite mundicia, honestate morum, spiritualium providencia et temporalium circumspectione et aliis multiplicium virtutum donis apud nos fidedigna testimonia perhibentur, direximus oculos nostre mentis: quibus omnibus debita meditatione pensatis, de persona tua, nobis et eisdem fratribus nostris ob dictorum tuorum exigenciam meritorum accepta, eidem Nitriensi ecclesie de ipsorum fratrum nostrorum consilio auctoritate apostolica providemus, teque illi preficimus in Epum et pastorem, curam et administrationem ipsius ecclesie tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, in illo qui dat gracias et largitur premia confidentes, quod dicta Nitriensis ecclesia sub tuo felici regimine, gracia tibi assistente divina, prospere dirigetur, et salubria, dante domino, in eisdem spiritualibus et temporalibus suscipiet incrementa. Quocirca discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus impositum tibi a domino onus regiminis dicte Nitriensis ecclesie suscipiens reverenter, sic te in eius cura salubriter exerceda diligentem exhibeas et eciam fructuosum, quod ecclesia ipsa gubernatori provido et fructuoso administratori gaudeat se commissam, tuque proinde preter eterne retributionis premium nostram et apostolice sedis benedictionem et graciam uberius consequi mereatis. Datum Avinione VI. Kalendas Novembris, Pontificatus nostri Anno Secundo.

In e. m. Capitulo ecclesie Nitriensis, Clero et populo Civitatis et diocesis Nitriensis et Archiepiscopo Strigoniensi.

CCCXCII.

Zudenichus archidiaconus ecclesiae Arbensi in episcopum praeficitur. Reg. An. II. Tom. 11. fol. 61.

GREGORIUS EPISCOPUS etc. Dilecto filio Zudenicho Electo Arbensi, salutem etc. Inter cetera, que superna dispositione nobis imminent peragenda, ad id nimirum soliciti reddimur, ut viduatis ecclesiis tales preficiamus in pastores, per quorum industriam et solicitudinem circumspectam indempnitati earum provideatur salubriter, et ecclesie ipse felicibus in spiritualibus et temporalibus proficere valeant incrementis. Dudum siquidem provisiones omnium ecclesiarum Cathedralium ex tunc in antea vacaturarum per translationes de prelatis earum ubilibet constitutis, per nos faciendas imposterum ad alias ecclesias Cathedrales tunc vacantes, ordinationi et dispositioni nostre duximus reservandas, decernentes

ex tunc irritum et inane, si secus super hiis per quoscumque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari. Postmodum vero ecclesia Arbensi ex eo pastoris solatio destituta, quod nos Venerabilem fratrem nostrum Grisogonum Traguriensem, tunc Arbensem, Episcopum licet absentem a vinculo, quo ipsi Arbensi ecclesie, cui tunc preerat, tenebatur, de fratrum nostrorum consilio et apostolice potestatis plenitudine absolventes, ipsum ad prefatam ecclesiam Traguriensem tunc vacantem duximus auctoritate apostolica transferendum, preficiendo eum eidem Traguriensi ecclesie in Episcopum et pastorem: Nos ad provisionem ipsius Arbensis ecclesie celerem et felicem, de qua nullus preter nos hac vice se intromittere potuit neque potest, reservatione ot decreto obsistentibus supradictis, ne ipsa Arbensis ecclesia longe vacationis subiaceret incommodis, paternis et solicitis studiis intendentes, post deliberationem, quam de preficiendo eidem Arbensi ecclesie personam utilem et fructuosam cum dictis fratribus habuimus diligentem, demum ad te Archidiaconum eiusdem Arbensis ecclesie, in presbiteratus ordine constitutum, litterarum sciencia preditum, vite ac morum honestate decorum, in spititualibus providum et in temporalibus circumspectum, aliisque multiplicium virtutum donis apud nos fidedignorum testimonio commendatum, direximus oculos nostre mentis: quibus omnibus debita meditatione pensatis, de persona tua, nobis et eisdem fratribus ob dictorum tuorum exigenciam meritorum accepta, eidem Arbensi ecclesie de dictorum fratrum consilio auctoritate apostolica providemus, teque illi preficimus in Epum et pastorem, curam et administrationem ipsius Arbensis ecclesie tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, in illo qui dat gracias et largitur premia confidentes, quod prefata Arbensis ecclesia sub tuo felici regimine, gracia tibi assistente divina, prospere dirigetur, et grata suscipiet in eisdem spiritualibus et temporalibus incrementa. Iugum igitur domini tuis impositum humeris prompta devotione suscipiens, curam et administrationem predictas sic exercere studeas solicite, fideliter et prudenter, quod ipsa Arbensis ecclesia gubernatori provido et fructuoso administratori gaudeat se commissam, ac bone fame tue odor ex laudabilibus tuis actibus lacius diffundatur, tuque proinde preter eterne retributionis eterne premium nostram et apostolice sodis benedictionem et graciam uberius consequi merearis. Datum Avinione III. Nonas Novembris, Pontificatus nostri Anno Secundo.

In e. m. Dilectis filiis Capitulo ecclesie Arbensis, populo Civitatis et diocesis Arbensis, Venerabili fratri ... Archiepiscopo Iadrensi, Carissimo in Christo filio Ludovico Regi Ungarie Illustri.

CCCXCIII.

Ioanni de Morancha canonicatus cum prebenda in ecclesia Zagabriensi confertur. Reg. An. II. Tom. 14. fol. 367.

GREGORIUS EPISCOPUS etc. Dilecto filio Iohanni Pauli de Morancha Canonico Zagabriensi, salutem etc. Vite ac morum honestas aliaque probitatis et virtutum merita, super quibus apud nos fidedignorum commendaris testimonio, nos inducunt, ut tibi reddamur ad graciam liberales. Volentes itaque tibi in presbiteratus ordine consituto premissorum meritorum tuorum intuitu graciam facere specialem, Canonicatum ecclesie Zagabriensis cum plenitudine iuris canonici apostolica tibi auctoritate conferimus, et de illo eciam providemus. Prebendam vero, si qua in dicta ecclesia vacat ad presens, vel cum vacaverit, quam tu per te vel procuratorem tuum ad hoc legitimo constitutum infra unius mensis spacium, postquam tibi vel eidem procuratori vacatio illius innotuerit, duxeris acceptandam, conferendam tibi post acceptationem huiusmodi cum omnibus iuribus et pertinenciis suis donationi apostolice reservamus, districtius inhibentes Venerabili fratri nostro Episcopo et dilectis filiis Capitulo Zagabriensibus, ac illi vel illis, ad quem vel ad quos in dicta ecclesia prebendarum collatio, provisio, presentatio seu quevis alia dispositio communiter vel divisim pertinet, ne de dicta prebenda interim eciam ante acceptationem huiusmodi, nisi postquam eis constiterit, quod tu vel procurator predictus illam nolueritis acceptare, disponere quoquomodo presumant, ac decernentes exnunc irritum et inane, si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari, Non obstantibus etc. Datum Avinione II. Idus Novembris, Pontificatus nostri Anno Secundo.

In e. m. Preposito beate Marie de Glogoncha Zagabriensis diocesis, et duobus aliis executoribus.

CCCXCIV.

Episcopo Farensi, ut archiepiscopo Ragusino monasterium B. Mariae de Insula Melidae nomine pontificis in commendam conferre possit. Reg. An. III. cod. chart. Tom. 16. fol. 336.

GREGORIUS EPISCOPUS etc. Venerabili fratri ... Episcopo Farensi, salutem etc. Sedis apostolice providencia circumspecta ecclesiis et monasteriis universis, que vacationum incommoda deplorare

noscuntur, ut utilium gubernatorum presidiis fulciantur, prospicit diligenter, et personarum ecclesiasticarum, presertim pontificali dignitate preditarum, necessitatibus, ut expensarum eis incumbentium onera commode supportare valeant, quantum cum deo potest, de subvencionis auxilio providet oportuno. Cum itaque, sicut accepimus, monasterium beate Marie de Insula Melide ordinis s. Benedicti Ragusine diocesis ex eo iamdiu vacaverit, et vacet ad presens, quia dilectus filius Pirus de Rebeccha, Vicarius generalis in spiritualibus et temporalibus Venerabilis fratris nostri Petri Archiepiscopi Ragusini, habens super inquirendis, puniendis et corrigendis excessibus subditorum eiusdem Archiepiscopi specialem ab ipso Archiepiscopo potestatem, dilectum filium Hugonem monachum tunc Abbatem eiusdem monasterii, eius demeritis exigentibus, ab omni regimine et administratione prefati monasterii per suam diffinitivam sentenciam, que nulla provocatione suspensa in rem transivit iudicatam, amovit, ac in eodem monasterio nullus monachus habitet, quinimo possessiones et bona ipsius monasterii per diversas laicales personas detinentur indebite occupata; et sicut exhibita nobis nuper pro parte dicti Archiepiscopi peticio continebat, fructus, redditus et proventus ad mensam suam Archiepiscopalem Ragusinam pertinentes propter incursus scismaticorum et infidelium, quibus Civitas Ragusina circumdata existit, sunt adeo tenues et exiles, quod ipse ex eis iuxta pontificalem decenciam dignitatis non potest congrue statum suum tenere: Nos cupientes tam eidem monasterio de gubernatore ydoneo, per quem monasterium ipsum possit regi feliciter et salubriter gubernari, quam eciam eidem Archiepiscopo de alicuius subvencionis auxilio pro huiusmodi oneribus supportandis providere, fraternitati tue per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus de statu dicti monasterii, et utrum ipsum monasterium vacet, ut prefertur, ac eciam de valore huiusmodi fructuum, redditauum et proventuum ad dictam mensem Archiepiscopalem pertinentium te diligenter informes, et si per huiusmodi informacionem reppereris prefatum monasterium vacare, dictumque Archiepiscopum de huiusmodi fructibus, redditibus et proventibus ad mensam suam predictam spectantibus non posse statum suum tenere condecenter, ut prefertur, super quibus tuam consciencium oneramus, eidem Archiepiscopo prefatum monasterium cum omnibus iuribus et pertinenciis suis per ipsum Archiepiscopum tenendum, regendum et gubernandum usque ad apostolice sedis beneplacitum auctoritate apostolica concedas in commendam, curam, regimen et administrationem eiusdem monasterii sibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, alienatione tamen bonorum immobilium et preciosorum mobilium ipsius monasterii sibi penitus interdicta: proviso quod propter huiusmodi commendam cultus divinus, et solitus monachorum et ministrorum numerus in ipso monasterio nullatenus minuatur, sed in eodem monasterio per eumdem Archiepiscopum suis sumptibus solitus monachorum numerus teneatur, quodque, debitis et consuetis ipsius monasterii ac eius Conventus oneribus supportatis, de residuis fructibus, redditibus et proventibus ipsius monasterii prefatus Archiepus, si ei monasterium ipsum, ut premittitur, duxeris commendandum, huiusmodi commenda durante libere disponere possit, sicut potuerunt disponere Abbates eiusdem monasterii, qui ei pro tempore prefuerunt. Et insuper ex nunc irritum decernimus et inane, si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari. Datum Avinione VIII. Kalendas Februarii, Pontificatus nostri Anno Tercio.

CCCXCV.

Eidem episcopo, ut predicto archiepiscopo quasdam sola sive areas in civitate Ragusina concedendi in emphiteusim licentiam dare valeat. Reg. Aa. cod. chart. III. Tom. 16. fol. 336.

Gregorius episcopus etc. Venerabili fratri Episcopo Farensi, salutem etc. Hiis, que utilitatem et statum ecclesiarum, et presertim Cathedralium ac personarum eis presidentium respiciunt, libenter annuimus, et eis favorem apostolicum impertimur. Sane peticio pro parte Venerabilis fratris nostri Petri Archiepiscopi Ragusini nobis nuper exhibita continebat, quod olim nonnulle domus in Civitate Ragusina consistentes, et ad mensam Archiepiscopalem Ragusinam iusto titulo pertinentes, ex quibus pro parte ipsius ecclesie percipiebantur annis singulis ducati auri centum quinquaginta, fuerunt cum multis aliis domibus de materia lignea existentibus casualiter ignis incendio concromate: quodque postmodum dilecti filii Commune eiusdem Civitatis volentes in futurum similibus casibus precavere, ordinaverunt et eciam statuerunt, quod de cetero nullus infra dictam Civitatem aliquam domum edificare, seu construere presumeret nisi cum muris lapideis. Cum autem, sicut eadem peticio subiungebat, ad rehedificacionem dictarum domorum cum muris lapideis faciendam magne admodum requirantur expense, nec commode reperiantur, qui sola seu areas, ubi predicte domus ad prefatam mensam pertinentes erant

posite, conducere et ibidem domus reedificare vellent, nisi aree sive situs huiusmodi in emphiteosim vel sub annuo censu perpetuo concedantur eisdem, pro parte ipsius Archiepiscopi fuit nobis humiliter supplicatum, ut providere super hoc statui suo et dicte mense de oportuno remedio dignaremur. Nos itaque huiusmodi supplicacionibus inclinati, fraternitati tue per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus de premissis te diligenter informes, et si per informacionem huiusmodi reppereris, quod pro utilitate dicte mense expediat, quod aree seu sola huiusmodi in emphiteosim vel sub annuo censu personis aliquibus concedantur, vel eciam quod ipsa sola seu situs, aut aliqua seu aliqui ex eis pro aliis rebus prefate mense magis utilibus permutentur, super quibus tuam consciencíam oneramus, eidem Archiepiscopo faciendi concessiones seu permutaciones huiusmodi, dum tamen exinde, ut prefertur, predicte mense utilitas procuretur, et ad singulas concessiones ac permutaciones huiusmodi dilectorum filiorum Capituli ecclesie Ragusine, vel maioris partis ipsorum accedat assensus, auctoritate apostolica licenciam largiaris. Datum Avinione VIII. Kal. Februarii, Pontificatus nostri Anno Tercio.

CCCXCVI.

Magistratui et communi civitatis Ragusinae, ut abstineant a disponendo de ecclesiis et personis ecclesiasticis dictae civitatis contra canonicas sanctiones, et tribuant auxilium et favorem archiepo Ragusino.
Reg. Aa. III. Secret. fol. 23.

Gregorius episcopus etc. Dilectis filiis ... Rectori, ... Iudicibus, Consilio et Communi Civitatis Ragusine, salutem etc. Cum, sicut audivimus, Civitas Ragusina sit prope hereticos et scismaticos constituta, decet vos, qui estis catholici, tanto plenius sacros canones observare, et ecclesias, monasteria et personas ecclesiasticas tanto devocius revereri, quanto iidem heretici et scismatici de contrario perniciosius exemplum reciperent, quantoque contra fidem catholicam et professores ipsius amplius insultarent. Ideoque, cum sit nobis relatum, quod vos quandam in hac parte consuetudinem, que corruptela dicenda est pocius, pretendentes, de ecclesiis et monasteriis ac personis ecclesiasticis disponatis interdum contra canonicas sanctiones, devocionem vestram monemus, rogamus et hortamur in domino, quatenus si ita est, a talibus et aliis prohibitis sicut boni catholici curetis de cetero penitus abstinere, Venerabili queque fratri nostro Petro Archiepiscopo Ragusino vestrarum animarum pastori, latori presentium, debitas reverenciam et obedienciam exhibentes, sibi in oportunis casibus filialiter tribuatis auxilium, consilium et favorem, ut eis mediantibus commissam sibi Ragusinam ecclesiam in spiritualibus et temporalibus valeat salubrius gubernare. Datum Avinione v. Kal. Marcii, Pontificatus nostri Anno Tercio.

CCCXCVII.

Universis Christi fidelibus ecclesiam B. Mariae de Azarias Quinqueecclesiensis dioec. visitantibus, et ad eius reparationem manus adiutrices porrigentibus indulgentiae concedantur.
Reg. Aa. III. cod. chart. Tom. 16. fol. 374.

Gregorius episcopus etc. Universis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis, salutem etc. Licet is, de cuius munere venit, ut sibi a suis fidelibus digne et laudabiliter serviatur, de abundancia pietatis sue, que merita supplicum excedit, et vota benefacientibus multo maiora retribuat, quam valeant promereri: nichilominus tamen desiderantes domino reddere populum acceptabilem et bonorum operum sectatorem, fideles ipsos ad complacendum ei quasi quibusdam allectivis muneribus, indulgenciis videlicet et remissionibus, muniamus, ut ipsi exinde reddantur divine gracie aptiores. Cupientes itaque, ut parrochialis ecclesia beate Marie Virginis de Azarias Quinqueecclesiensis diocesis, que, ut asseritur, reparatione indiget, congruis honoribus frequentetur et eciam auctore domino reparetur, et ut Christi fideles eo libencius causa devotionis confluant ad eandem, et ad reparationem huiusmodi manus promptius porrigant adiutrices, quo exinde ibidem uberius dono celestis gracie conspexerint se refectos, de omnipotentis dei misericordia et beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus vere penitentibus et confessis, qui in Nativitatis, Circumcisionis, Epiphanie, Resurrectionis, Ascensionis et Corporis domini nostri Ihesu Christi et Penthecostes, necnon Nativitatis, Annunciationis, Purificationis et Assumptionis ipsius beate Marie Virginis, Nativitatis beati Iohannis Baptiste ac dictorum Apostolorum Petri et Pauli, necnon ipsius ecclesie dedicationis festivitatibus, ac in celebritate omnium Sanctorum, et per octabas ipsarum Nativitatis, Epiphanie, Resurrectionis, Ascensionis et Corporis domini, necnon ipsius beate Marie Virginis Nativitatis et Asumptionis, ac Nativitatis beati Iohannis et Apostolorum Petri et Pauli predictorum festivitatum, et per sex dies dictam festivitatem Pentecostes

immediate sequentes prefatam ecclesiam devote visitaverint annuatim, et ad ipsius reparationem manus porrexerint adiutrices, singulis videlicet festivitatum et celebritatis unum annum et quadraginta dies, octabarum vero et sex dierum predictorum diebus, quibus ipsam ecclesiam visitaverint et manus adiutrices porrexerint, ut prefertur, centum dies de iniunctis eis penitenciis misericorditer relaxamus. Presentibus post viginti annos minime valituris. Volumus autem, quod si alias visitantibus ecclesiam predictam seu ad fabricam ipsius manus porrigentibus adiutrices, aut alias inibi pias elemosinas erogantibus aliqua indulgencia imperpetuum, vel ad certum tempus nondum elapsum duratura auctoritate apostolica fuerit concessa, huiusmodi presentes littere nullius existant roboris vel momenti. Datum Avinione Nonis Aprilis, Pontificatus nostri Anno Tercio.

CCCXCVIII.

Ragusinis indulgetur, ut duas naves oneratas mercimoniis non prohibitis ad partes Sarracenorum mittere possint.
Reg. An. III. cod. chart. Tom. 16. fol. 374.

Gregorius episcopus etc. Dilectis filiis Communi Civitatis Ragusine, salutem etc. Sincere devocionis affectus, quem ad nos et Romanam ecclesiam geritis, promeretur, ut peticiones vestras, quantum cum deo possumus, ad exaudicionis graciam favorabiliter admittamus. Hinc est, quod nos vestris in hac parte supplicacionibus inclinati, vobis duas naves semel dumtaxat ad Alexandrie et alias partes ac terras ultramarinas, que per Soldanum Babilonie detinentur, cum nautis et aliis personis ad regimen dictarum navium oportunis, et cum mercatoribus, quos ad hoc assumpseritis, oneratas mercimoniis, exceptis armis, ferro, lignaminibus et aliis rebus prohibitis constitutionibus et processibus apostolice sedis, spirituales et temporales penas et sentencias prolatas in transfretantes cum mercibus ad partes et terras predictas continentibus, nequaquam obstantibus, auctoritate apostolica de speciali gracia plenam et liberam licenciam elargimur. Volumus autem, quod illi, qui dictas naves principaliter conducent et mercimoniis onerabunt, in manibus diocesani loci, in quo eedem naves onerabuntur, quod premissa vel aliqua eorumdem in fraudem non faciant, prestent corporaliter iuramentum: alioquin nisi iramentum huiusmodi prestiterint, presentem concessionem haberi volumus pro non factam: super cuius quidem iuramenti prestacione prefatus dyocesanus duo consimilia confici faciat publica instrumenta, quorum alterum Camere nostre studeat destinare, penes se reliquo reservato. Nulli ergo etc. nostre concessionis et voluntatis infringere etc. Datum Avinione IX. Kal. Aprilis, Pontificatus nostri Anno Tercio.

CCCXCIX.

Universis fidelibus altare beati Dominici confessoris in ecclesia Agriensi certis festivitatibus visitantibus indulgentiae concedumtur. Reg. An. III. cod. chart. Tom. 16. fol. 383.

Gregorius episcopus etc. Universis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis, salutem etc. Splendor paterne glorie etc. Cupientes igitur, ut altare beati Dominici Confessoris in ecclesia Agriensi, quod, ut asseritur, per dilectum filium Michaelem Martini eiusdem ecclesie Canonicum canonice de novo fundatum extitit, congruis honoribus frequentetur, et ut Christi fideles eo libencius causa devocionis confluant ad altare predictum, quo ex hoc ibidem uberius dono celestis gracie conspexerint se refectos, de omnipotentis dei misericordia et beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi omnibus vere penitentibus et confessis, qui in Nativitatibus, Circumcisionis, Epiphanie, Resurrectionis, Ascensionis, Corporis domini nostri Ihesu Christi, Penthecostes, necnon in Nativitatis, Annunciationis, Purificationis et Assumptionis beate Marie Virginis, et Nativitatis beati Iohannis Baptiste, dictorum Apostolorum Petri et Pauli, et sancti Dominici Confessoris festivitatibus, ac in celebritate omnium Sanctorum, necnon per ipsarum Nativitatis, Epiphanie, Resurrectionis, Ascensionis et Corporis domini, Nativitatis et Assumptionis beate Marie ac Nativitatis beati Iohannis Baptiste, et Apostolorum Petri et Pauli predictorum festivitatum octabas, et per sex dies dictam festivitatem Penthecostes immediate sequentes prefatum altare devote visitaverint annuatim, singulis videlicet festivitatum, celebritatis et octabarum ipsarum et predictorum sex dierum diebus, quibus predictum altare visitaverint, ut prefertur, Centum dies de iniunctis eis penitenciis misericorditer relaxamus. Presentibus post viginti annos minime valituris. Volumus autem, quod si alias visitantibus dictum altare inibi pias elemosinas erogantibus aliqua indulgencia imperpetuum, vel ad certum tempus nondum lapsum duratura auctoritate apostolica fuerit concessa, huiusmodi presentes littere nullius existant roboris vel momenti. Datum Avinione Kal. Maii, Pontificatus nostri Anno Tercio.

CCCC.

Paulus prepositus Cibiniensis ecclesiae Tiniensi in episcopum preficitur. Reg. An. III. Tom. 18. fol. 60.

GREGORIUS EPISCOPUS etc. Dilecto filio Paulo Electo Tiniensi, salutem etc. Apostolatus officium etc. Sane ecclesia Tiniensi ex eo vacante, quod nos hodie Venerabilem fratrem nostrum Nicolaum Cenadiensem tunc Tiniensem Epum, licet absentem, a vinculo, quo ipsi ecclesie Tiniensi, cui tunc preerat, tenebatur, de fratrum nostrorum consilio et apostolice potestatis plenitudine absolventes, ipsum ad ecclesiam Cenadiensem tunc pastore carentem auctoritate apostolica duximus transferendum, preficiendo ipsum dicte Cenadiensi ecclesie in Episcopum et pastorem: nos ad provisionem ipsius ecclesie Tiniensis celerem et felicem, ne longe vacacionis detrimenta subiret, paternis et solicitis studiis intendentes, post deliberacionem, quam de preficiendo eidem Tiniensi ecclesie personam utilem et eciam fructuosam cum fratribus nostris habuimus diligentem, demum ad te Prepositum ecclesie Cibiniensis Transilvanensis diocesis, in sacerdocio constitutum, cui de litterarum sciencia, vite mundicia, honestate morum, spiritualium providencia et temporalium circumspectione, et aliis multiplicium virtutum donis apud nos fidedigna testimonia perhibentur, direximus oculos nostre mentis: quibus omnibus debita meditacione pensatis, de persona tua, nobis et eisdem fratribus nostris ob dictorum tuorum exigenciam meritorum accepta, eidem Tiniensi ecclesie de ipsorum fratrum consilio auctoritate apostolica providemus, teque illi preficimus in Episcopum et pastorem, curam et administracionem ipsius ecclesie Tiniensis tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie commictendo, In illo, qui dat gracias et largitur premia, confidentes, quod dicta Tiniensis ecclesia sub tuo felici regimine, gracia tibi assistente divina, prospere dirigetur et salubria, dante domino, in eisdem spiritualibus et temporalibus suscipiet incremonta. Quocirca discrecioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus impositum tibi a domino onus regiminis dicte Tiniensis ecclesie suscipiens reverenter, sic te in eius cura salubriter exercenda diligentem exhibeas et eciam fructuosum, quod ecclesia ipsa gubernatori provido et fructuoso administratori gaudeat se commissam, tuque preter oterne retribucionis premium nostram et apostolice sedis benedictionem et graciam exinde uberius consequi merearis. Datum Avinione XVII. Kalendas Iunii, Pontificatus nostri Anno Tercio.

In e. m. Venerabili fratri ... Archiepiscopo Spalatensi, dilectis filiis Capitulo et universis Vassallis ecclesie Tiniensis, Clero et populo Civitatis et diocesis Tiniensis, necnon Carissimo in Christo filio Ludovico Regi Ungarie Illustri.

CCCCI.

Carolo de Duracio duci Dalmatiae, ut Michaelem episcopum Scardonensem in exactione fructuum ejatus Nonensis habeat commendatum, et assistat consiliis et favoribus opportunis. Reg. An. III. Secret. fol. 329.

GREGORIUS EPISCOPUS etc. Dilecto filio Nobili viro Carolo Duci Dalmacie, salutem etc. Quia Venerabilis frater noster Demetrius Episcopus Nonensis ex certis causis legitimis tenebatur, prout adhuc tenetur, nobis et Camere apostolice in quatuor millibus florenorum auri, et eos dicte Camere solvere diu recusaverit et recuset, Venerabilis frater Petrus Archiepiscopus Bituricensis, Camerarius noster, volens indempnitatibus dicte Camere providere, fructus, redditus et proventus, obvenciones et iura Episcopatus Nonensis Venerabili fratri nostro Michaeli Episcopo Scardonensi, usquequo eidem Camere de dictis Quatuor millibus florenorum fuerit satisfactum, arrendavit, et quia pro exactione et recuperacione ac conservacione fructuum, reddituum et proventuum predictorum tuus favor sibi esse noscitur plurimum oportunus, nobilitatem tuam instanter et affectuose rogamus, quatenus pro nostra et apostolice sedis reverencia dictum Michaelem Episcopum habens propensius commendatum, tam per te quam per tuos subditos ei pro nostris et ipsius Camere iuribus assistere velis auxiliis et consiliis ac favoribus opportunis, ita quod devocioni tue teneamur ad merita graciarum. Datum apud Pontemsorgie Avinionensis diocesis VI. Idus Iunii, Pontificatus nostri Anno Tercio.

CCCCII.

Eidem Carolo, ut Ioannem Lascari militem Constantinop. benigne suscipiat, et faciat provideri de securo conductu per suas terras et alias sicut poterit. Reg. An. III. Secret. fol. 62.

GREGORIUS EPISCOPUS etc. Dilecto filio Nobili viro Carolo de Duracio Duci Dalmacie et Chroacie, salutem etc. Cum dilectus filius nobilis vir Iohannes Lascari Calofero miles Constantinopolitanus, lator presentium, quem de genere Imperiali processisse fidedigna relacione percepimus, de nostro beneplacito

ad Carissimi in Christo filii nostri Ludovici Regis Ungarie Illustris presenciam, et ad partes ultramarinas in obsequium christianitatis accedat, nobilitatem tuam rogamus attente, quatenus eundem militem pro favore catholice fidei ac consideracione generose sue nobilitatis ac nostrorum adioctione rogaminum suscipias, cum ad te venerit, commendatum, faciens eidem, si pecierit, securum conductum per terras tui dominii et alibi, sicut indiguerit et poteris, exhiberi. Datum Avinione Kalendis Iulii, Pontificatus nostri Anno Tercio.

CCCCIII.

Ioannes ord. Praedicat. professor ecclesiae Mucarensi in episcopum praedicitur. Reg. Au. III. Tom. 18. fol. 67.

GREGORIUS EPISCOPUS etc. Venerabili fratri Iohanni Episcopo Mucharensi, salutem etc. Apostolatus officium, cui licet immeriti disponente domino presidemus, exposcit, ut circa ecclesiarum omnium, et presertim Cathedralium eisque presidentium statum salubrem et quietum studiosis favoribus intendamus. Dudum siquidem ecclesia Mucharensi per obitum bone memorie Valeriani Episcopi Mucharensis, qui extra Romanam Curiam diem clausit extremum, pastoris solacio destituta, dilecti filii Capitulum ecclesie Spalatensis asserentes provisionem ipsius ecclesie Mucharensis tunc Capitulo carentis, quo de provincia Spalatensi existit, de antiqua consuetudine ad se spectare, te ordinis fratrum Predicatorum professorem in Episcopum Mucharensem concorditer eligendo postularunt, seu postulando elegerunt de facto, tuque huiusmodi electioni seu postulacioni, illius tibi presentato decreto, consensisti, et cam a Venerabili fratre nostro Ugolino Archiepiscopo Spalatensi prefate ecclesie Mucharensis Metropolitano auctoritate ordinario de facto eciam corroborari obtinuisti, tibiquo postmodum munus consecracionis impendi, teque administracioni ipsius ecclesie Mucharensis in spiritualibus et temporalibus immiscuisti, licet fructus ab ecclesia Mucharensi non perceperis antedicta. Cum autem electio seu postulacio et corroboracio huiusmodi de iure viribus non subsistant, nos ad provisionem ipsius ecclesie Mucharensis celerem et felicem, ne ipsa ecclesia ulterioris vacacionis exponatur incommodis, paternis et solicitis studiis intendentes, ac volentes eidem ecclesie salubriter providere, post deliberacionem, quam super hiis oum fratribus nostris habuimus diligentem, demum ad te considoratis grandium virtutum meritis, quibus personam tuam altissimus insignivit, direximus oculos nostre mentis: quibus omnibus debita meditacione pensatis, de persona tua eidem Mucharensi ecclesie de dictorum fratrum nostrorum consilio auctoritate apostolica providemus, teque illi preficimus in Episcopum et pastorem, curam et administracionem ipsius ecclesie tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie commictendo, et nichilominus consecracionis munus tibi, ut prefertur, impensum, et que per te circa administracionem Mucharensis ecclesie supradicte alias rite acta sunt, auctoritate apostolica ratificamus et eciam approbamus, In illo, qui dat gracias ot largitur premia, confidentes, quod prefata Mucharensis ecclesia per tue diligencie studium multiplicia in spiritualibus et temporalibus suscipiet incrementa. Quocirca fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenus impositum tibi onus a domino devote suscipiens, curam et administracionem predictas sic geras solicite, fideliter et prudenter, quod prefata ecclesia Mucharensis gubernatori provido et fructuoso administratori gaudeat se commissam, ac bone fame tue odor ex laudabilibus tuis actibus lacius diffundatur, tuque premium retribucionis eterne, nostre et dicte sedis benedictionis et gracie merearis continuum suscipere incrementum. Datum Avinione XV. Kal. Augusti, Pontificatus nostri Anno Tercio.

In e. m. Venerabili fratri ... Archicpiscopo Spalatcnsi, dilectis filiis Clero et populo Civitatis et diocesis Mucharensis, universis Vassallis ecclesie Mucharensis, necnon Carissimo in Christo filio Ludvico Regi Ungarie Illustri.

CCCCIV.

Petro Stephani collectori in Hungaria, ut factoribus Albertorum Brugis pecunias per ipsum et subcollectores suos receptas, et usque ad duos annos recipiendas assignet. Reg. An. III. Bull. Camer. fol. 119.

GREGORIUS EPISCOPUS etc. Dilecto filio Petro Stephani Canonico Agriensi, apostolice sedis Nuntio, salutem etc. Discretioni tue tenore presentium mandamus, quatenus omnes et singulas pecuniarum summas Camere nostre apostolice per te et subcollectores a te deputatos recollectas, et usque ad duos annos proxime futuros recolligendas dilectis filiis Bartholo Iohannis dilecti filii nobilis viri Nicholai quondam Iacobi Militis, et Raynerio Dūci, Bernardo Nicholai, Talento Andree et Matheo Iohannis dilecti filii Benedicti Nerocii de Albertis antiquis de Florentia et sociorum suorum factoribus seu procuratoribus, vel eorum alteri aut eorum vel alterius ipsorum procuratori, quas quidem pecunias dilecti filii Iacobus

Vannis Nicholai et Thomas Monis, mercatores Florentini Curiam Romanam sequentes, Benedicti et sociorum suorum predictorum factores seu procuratores, postquam eas sic a te receperint, infra certum tempus hic gentibus Camere nostre apostolice suis periculis et expensis assignare promiserunt, se et dictos Nicholaum et Benedictum ac socios eorum ad hoc efficaciter obligando, in loco de Brugis Tornacensis diocesis tradas realiter et assignes, et de hiis, que tradideris, duo consimilia confici facias publica instrumenta, quorum uno penes te retento, aliud gentibus predicte Camere quantocius destinare procures. Nos enim eisdem Bartholo, Rayneric, Bernardo, Talento et Andree Matheo ac eorum cuilibet, aut ipsorum vel alterius eorum procuratori quittandi te de huiusmodi pecuniis per alias nostras litteras plenam et liberam concedimus potestatem. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis Nonis Augusti, Pontificatus Anno Tercio.

CCCCV.

Paulo electo Tiniensi indulgetur, ut a quocumque maluerit antistite catholico consecrationis munus recipere valeat.
Reg. An. III. cod. char. Tom. 16. fol. 324.

Gregorius episcopus etc. Dilecto filio Paulo Electo Tiniensi, salutem etc. Cum nos pridem Tiniensi ecclesie tunc pastoris regimine destitute de persona tua, nobis et fratribus nostris ob tuorum exigenciam meritorum accepta, de fratrum eorundem consilio auctoritate apostolica duxerimus providendum, preficiendo te eidem ecclesie in Episcopum et pastorem, prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur: Nos ad ea, que ad tue commoditatis augmentum cedere valeant, favorabiliter intendentes, tuis supplicationibus inclinati tibi, ut a quocumque malueris catholico Antistite graciam et communionem apostolice sedis habente, ascitis et in hoc sibi assistentibus duobus vel tribus catholicis Episcopis similem graciam et communionem habentibus, munus consecrationis recipere valeas, ac eidem Antistiti, ut munus predictum auctoritate nostra impendere libere tibi possit, plenam et liberam concedimus tenore presentium facultatem. Volumus autem, quod idem Antistes, qui tibi prefatum munus impendet, postquam tibi illud impenderit, a te nostro et ecclesie Romane nomine fidelitatis debite solitum recipiat iuramentum iuxta formam, quam sub bulla nostra mittimus interclusam, ac formam iuramenti, quod te prestare contigerit, nobis de verbo ad verbum per tuas patentes litteras tuo sigillo signatas per proprium nuncium quantocius destinare procuret, quodque per hoc Venerabili fratri nostro... Archiepiscopo Spalatensi, cui prefata ecclesia metropolitico iure subesse dinoscitur, nullum imposterum preiudicium generetur. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis VI. Idus Augusti, Pontificatus nostri Anno Tercio.

CCCCVI.

Georgio et Balase dominis Zentae, ne, cum Ioannes archiepiscopus Antibarensis (conf. supra Nr. CCCLXXVII. et CCCLXXXV.) ad ecclesiam Caesariensem et Ioannes Drivastensis ad Antibarensem translati sint, dicto Caesariensi contra Antibarensem faveant etc. Reg. An. III. Secret. fol. 71.

Gregorius episcopus etc. Dilectis filiis Nobilibus viris Georgio et Balse fratribus dominis Zente, salutem etc. Cum dudum, exigentibus gravibus culpis Iohannis tunc Archiepiscopi Antibarensis in Romana Curia probatis, ipse Iohannes fuerit per Venerabilem fratrem nostrum Egidium Episcopum Tusculanum, commissarium super hoc per nos specialiter deputatum, ab administracione bonorum et iurium spiritualium et temporalium ecclesie Antibarensis rite suspensus, et deinde nos eundem Iohannem ex certis racionabilibus causis ad ecclesiam Cesariensem duxerimus transferendum, preficiendo ipsum eidem ecclesie in Archiepiscopum et pastorem, et demum Venerabilem fratrem nostrum Iohannem Episcopum Drivastensem, tunc et nunc administratorem dicte ecclesie Antibarensis per eundem commissarium auctoritate nostra deputatum, ad ipsam ecclesiam Antibarensem transtulerimus, preficiendo eum illi in Archiepiscopum et pastorem: nobilitatem vestram rogamus et hortamur attente, quatenus eidem Iohanni Archiepiscopo Cesariensi, qui, ut dicitur, administracionem prefate ecclesie Antibarensis post notificacionem huiusmodi suspensionis sibi factam in contemptum apostolice sedis improbe gessit et gerit, nullatenus faveatis, sed iam dicto Iohanni nunc Archiepiscopo Antibarensi in regimine prefate ecclesie, ac recuperacione iurium et bonorum ipsius, presertim illorum, que per eundem suum predecessorem distracta dicuntur, ob reverenciam dicte sedis et nostram, cum pro eius parte fueritis requisiti, oportunis favoribus et auxiliis efficaciter assistatis. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis Idus Augusti, Pontificatus nostri Anno Tercio.

CCCCVII.

Petro Stephani sport. sedis nuntio, ut a quibuscunque et certis dominis partium Hungarie et Polonie recipiat et exigat census ecclesiae Romanae debitos. Reg. An. III. Bull. Camer. fol. 150.

Gregorius episcopus etc. Dilecto filio Petro Stephani Canonico ecclesie Agriensis, apostolice sedis nuncio, salutem etc. Audivimus, quod in regnis Ungarie et Polonie et in partibus circumvicinis, ubi tu apostolice sedis nuntius existis, sunt nonnulli Episcopi, Abbates, Conventus, Collegia et alii ecclesiarum et monasteriorum Prelati, ecclesiastice persone seculares et regulares exempte et non exempte, necnon Marchiones, Ducos et Nobiles et alie diverse persono, que nobis et ecclesie Romane ex diversis causis census tam in pecunia, quam in certis auri quantitatibus ac summis singulis annis solvere tenentur, prout in Regestris seu libris Romane ecclesie ac predecessorum nostrorum Romanorum pontificum plenius continetur. Et primo in Regno Ungarie in Archiepiscopatu Strigoniensi hospitale sancti Regis Stephani, quod Oboyn nuncupatur, unam unciam auri, Monasterium sancti Salvatoris de Scaleza duos Romanatos; in Episcopatu Wesprimiensi ecclesia sancti Stephani Regis apud Castrum Bellegrane unam marcham auri, que est hospitalo, Monasterium Simigiense fertonem aut duas uncias auri in rigellis ad pondus Ungaric; in Episcopatu Transilvanensi nova domus Theutonicorum in Borza ultra montes nivium unam marcham auri; in Episcopatu Zagrabiensi ecclesia sancte Marie de Calidisaquis unum Romanatum; Item in Regno Polonie in Episcopatu Plocensi Wladislaus Dux Polonie debet singulis trienniis quatuor marchas auri ad pondus Polonie, Episcopus Pomesaniensis sive Caminensis debet singulis annis fertonem auri. Qui quidem prefatos census eidem ecclesie, aut alii eius nomine recipienti pro non parvo preterito tempore solvere neglexerunt in animarum suarum periculum et preiudicium ecclesie memorate. Super quibus nos providere volentes, discretioni tue petendi, exigendi et recipiendi nomine ecclesie memorate nostreque Camere apostolice ab eisdem Episcopis, Abbatibus, Conventibus, Collegiis et personis ecclesiasticis, cuiuscunque status, gradus, ordinis vel conditionis fuerint, necnon Marchionibus, Ducibus et Nobilibus et aliis diversis et singulis huiusmodi consus seu pecuniarum et auri aut aliarum rerum quantitates, in quibus, ut prefertur, tenentur, et eos et eorum quemlibet per censuram ecclesiasticam auctoritate nostra compellendi, et de tibi traditis et solutis dumtaxat quitandi, et illos, qui propter premissa excommunicationis sententciam incurrerint, ab huiusmodi sentencia auctoritate nostra, satisfacto prius Camere nostre do hiis, de quibus tenebantur, iniuncta eis penitencia salutari, in forma ecclesie absolvendi, et cum eis super irregularitate, si quam huiusmodi ligati sentencia celebrando divina vel immiscendo se illis, non tamen in contemptum clavium, contraxerint, eis ad tempus, de quo tibi videbitur, a suorum ordinum exccutione suspensis, dispensandi, et pro premissis, si fuerit expediens, contra quoscunque contradictores et rebelles, cuiuscunque status, gradus, ordinis vel conditionis existant, etiam si pontificali vel alia qualibet ecclesiastica vel mundana prefulgeant dignitate, simpliciter et de plano, ac sine strepitu et figura iudicii procedendi plenam ot liberam super premissis concedimus tenore presentium facultatem, Non obstantibus Constitutionibus apostolicis de una et de duabus dictis et aliis contrariis quibuscunque, etiam si de illis et totis earum tenoribus esset presentibus specialis et expressa mentio facienda, seu si aliquibus communiter vel divisim a predicta sit sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari, aut extra vel ultra certa loca ad iudicium evocari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Datum Avinione v. Idus Octobris, Pontificatus nostri Anno Tercio.

CCCCVIII.

Guillelmo cardinali legato Bononiensi, ut causam Georgii et Saladini de Saladinis fratrum civium Iadrensium contra filios spurios Francisci eorum fratris mortui et priorem hospitalis s. Ioannis Ierosol. audiat et decidat. Reg. An. IV. cod. chart. Tom. 21. fol. 261.

Gregorius episcopus etc. Dilecto filio Guillelmo sancti Angeli diacono Cardinali, in Civitate Bononiensi et in nonnullis aliis terris Italie Romane ecclesie immediate subiectis nostro, ot pro eadem ecclesia in temporalibus Vicario generali, salutem etc. Nuper pro parte dilectorum filiorum Gregorii et Saladini de Saladinis fratrum civium Iadrensium nobis exposito, quod olim quondam Franciscus de Saladinis laicus, ipsorum frater, dilectam in Christo filiam Budislavam uxorem legitimam dilecti filii Pubatz nati quondam Draschi de Cobyliano laici, que cum dicto Pubatz per plures annos ut eius uxor cohabitaverat, in suam concubinam receperat, ac dicto Pubatz vivente ex eadem Budislava dilectos filios Divinium, Georgium, Albertum et Dobram de Saladinis fratres laicos in Civitate Iadrensi commo-

rantes procreaverat, quodque idem Franciscus cupiens, quod predicti Divinius, Georgius, Albertus et Dobram eius filii spurii sibi in bonis suis succederent, de facto procuraverat et fecerat, quod Venerabilis frater noster Michael Episcopus Scardonensis, tunc Vicarius in spiritualibus generalis Venerabilis fratris nostri Dominici Archiepiscopi Iadrensis, nulla cause cognicione premissa, nulloque iuris ordine observato, et alias de facto quandam diffinitivam sentenciam, per quam pronunciaverat ac decreverat nullum inter dictos Pubatz et Budislavam matrimonium existere, promulgavit, quodque illico idem Franciscus cum dicta Budislava matrimonium contraxerat de facto. Et subsequenter Francisco predicto vita functo, cum dicti Divinius, Georgius, Albertus et Dobram in bonis et hereditate dicti Francisci se intrudere illaque occupare vellent, ortaque propterea fuisset inter Gregorium et Saladinum ex parte una, et Divinium, Georgium, Albertum et Dobram predictos super bonis et hereditate huiusmodi ex altera materia questionis, et causa huiusmodi in Curia Carissimi in Christo filii nostri Ludovici Regis Ungarie Illustris, sub cuius iurisdictione partes ipse consistebant, prout consistunt, fuisset diucius ventilata, tandem prefatus Rex causam huiusmodi et eius cognitionem ad apostolice sedis remiserat examen: Nos tibi nostris dedimus litteris in mandatis, ut in Civitate Bononiensi, vocatis qui fuerint evocandi, et auditis hinc inde propositis, quod iustum fuerit, appellacione remota, decerneres, ac faceres, quod decerneres, per censuram ecclesiasticam firmiter observari, prout in dictis litteris plenius continetur. Cum autem, sicut exhibita nobis dictorum Gregorii et Saladini peticio subiungebat, Baldous Prior hospitalis sancti Iohannis Ierosolimitani in Ungaria et Sclavonia pretendens, quamvis de facto, omnia bona predicta sibi per dictos Divinium, Georgium et Albertum fore obligata, multas oppressiones atque dampna occasione premissorum eisdem Gregorio et Saladino irrogaverit, et cotidie inferre non cesset, propter quod prefatus Rex Ungarie omnes huiusmodi obligaciones sive alienaciones, quatenus de facto processerant, annullavit, ac bona ipsa per secularem Curiam partium earumdem fuerint sequestrata: pro parte dictorum Georgii et Saladini nobis fuit humiliter supplicatum, ut eis providere in premissis de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur huiusmodi supplicacionibus inclinati, Circumspectioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus in dicta Civitate, vocatis qui fuerint evocandi, et auditis hinc inde propositis, quod iustum fuerit, summarie et de plano sine strepitu et figura iudicii, appellacione remota, decernas, faciens quod decreveris per censuram ecclesiasticam firmiter observari, Testes autem, qui fuerint nominati, si se gracia, odio vel timore subtraxerint, censura simili, appellacione cessante, compellas veritati testimonium perhibere, Non obstantibus tam fel. record. Bonifacii pape VIII. predecessoris nostri, in qua cavetur, ne quis extra suam civitatem et diocesim nisi in certis exceptis casibus, et in illis ultra unam dietam a fine sue diocesis ad iudicium evocetur, seu ne iudices a sede deputati predicta aliquos ultra unam dietam a fine diocesis eorumdem trahere presumant, et de duabus dietis in concilio generali, quam aliis constitutionibus apostolicis contrariis quibuscumque, seu si eidem hospitali a dicta sit sede indultum, quod persone ipsius hospitalis ad iudicium trahi, aut suspendi vel excommunicari, seu ipse aut dicti hospitalis loca interdici non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mencionem, et qualibet alia dicte sedis indulgencia generali vel speciali cuiuscumque tenoris existat, per quam presentibus non expressam vel totaliter non insertam tue iurisdictionis explicacio in hac parte valeant quomodolibet impediri, que quoad hoc volumus nullatenus suffragari. Datum Avinione XIX. Kal. Februarii, Pontificatus nostri Anno Quarto.

CCCCIX.

Iudicibus, ut causam vertentem inter rectores parrochialium ecclesiarum consistentium in archidiaconatu de Bexino in ecclesia Zagrabiensi, et capitulum dictae ecclesiae super perceptione decimarum audiant et decernant.
Reg. An. IV. cod. chart. Tom. 21. fol. 342.

GREGORIUS EPISCOPUS etc. Dilectis filiis Preposito sancti Petri de Posega Quinqueecclesiensis diocesis, et Archidiacono de Walcho Quinqueecclesiensis ecclesiarum, ac Officiali Quinqueecclesiensi, salutem etc. Exhibita nobis pro parte dilectorum filiorum universorum Rectorum parrochialium ecclesiarum consistentium in Archidiaconatu de Bexino in ecclesia Zagrabiensi peticio continebat, quod licet, eciam de antequa et approbata et hactenus pacifice observata consuetudine, perceptio omnium decimarum provenientium ex fructibus excrescentibus infra limites earumdem parrochialium ecclesiarum ad Rectores ipsarum ecclesarum pro tempore existentes, videlicet ad quemlibet ipsorum Rectorum infra limites sue parrochialis ecclesie pertineat, et tam iidem Rectores, qui sunt ad presens, quam predecessores

eorum Rectores ipsarum ecclesiarum, qui fuerunt pro tempore, fuissent in pacifice possessione vel quasi iuris percipiendi, videlicet quilibet ipsorum Rectorum infra huiusmodi limites sue parrochialis ecclesie, huiusmodi decimas eciam a tempore, cuius contrarii memoria non existit: tamen olim dilectis filiis Capitulo ecclesie Zagrabiensis falso suggerentibus Venerabili fratri nostro Stephano Episcopo Zagrabiensi, quod perceptio huiusmodi decimarum ad ipsos Capitulum infra huiusmodi limites omnium dictarum parrochialium ecclesiarum pertineat, et quod parrochiani ipsarum ecclesiarum decimas ipsas eisdem Capitulo solvere contra iusticiam recusabant, prefatus Epus ad falsam suggestionem huiusmodi ex abrupto, nulla super suggestis ipsis cognitione prehabita, quamquam sibi de eisdem suggestis aliquatenus non constaret, prout nec constare poterat, cum ea non essent notoria neque vera, dictisque Rectoribus ad hec eciam non vocatis, sed absentibus non per contumaciam, omnes predictas ecclesias ecclesiastico supposuit interdicto in predictorum Rectorum non modicum preiudicium et gravamen. Quare pro parte ipsorum Rectorum fuit nobis humiliter supplicatum, ut providere ipsis super hoc de oportuno remedio dignaremur. Nos igitur huiusmodi supplicacionibus inclinati, discrecioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus vocatis qui fuerint evocandi, et auditis hinc inde propositis, quod canonicum fuerit, simpliciter et de plano, sine strepitu et figura iudicii, appellacione remota, decernatis, facientes, quod decroveritis, per censuram ecclesiasticam firmiter observari, Testes autem, qui fuerint nominati, si se gracia, odio vel timore subtraxerint, censura simili, appellacione cessante, compellatis veritati testimonium perhibere, Non obstantibus tam fel. record. Bonifacii pape VIII. predecessoris nostri, in quibus cavetur, ne aliquis extra suam civitatem et diocesim nisi in certis exceptis casibus, et in illis ultra unam dietam a fine sue diocesis ad iudicium evocetur, seu ne iudices a sede apostolica deputati aliquos ultra unam dietam a fine diocesis eorumdem trahere presumant, dummodo aliquis ultra duas dietas auctoritate presentium non trahatur, quam aliis constitucionibus apostolicis contrariis quibuscumque, seu si prefatis Capitulo vel quibusvis aliis communiter vel divisim a dicta sit sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari, aut ad iudicium evocari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mencionem. Quod si non omnes hiis exequendis potueritis interesse, duo vestrum ea nichilominus exequantur. Datum Avinione Kalendis Februarii, Pontificatus nostri Anno Quarto.

CCCCX.

Athanasius presponitur ecclesiae a. Andreae Paduanae praeficitur ecclesiae Drivastensi in episcopum, et de more commendatur. Reg. An. IV. cod. chart. Tom. 21. fol. 60.

GREGORIUS EPISCOPUS etc. Dilecto filio Athanasio Electo Drivastensi, salutem etc. Apostolatus officium etc. Sane ecclesie Drivastensi ex eo vacante, quod nos hodie Venerabilem fratrem nostrum Bernardum Catharensem, tunc Drivastensem, Episcopum apud sedem apostolicam constitutum a vinculo, quo ipsi ecclesie Drivastensi, cui tunc preerat, tenebatur, de fratrum nostrorum consilio et apostolice potestatis plenitudine absolventes, ipsum ad ecclesiam Catharensem tunc pastore carentem auctoritate apostolica duximus transferendum, preficiendo ipsum dicte Catharensi ecclesie in Episcopum et pastorem: Nos ad provisionem eiusdem ecclesie Drivastensis celerem et felicem, ne longe vacationis exponeretur incommodis, paternis et solicitis studiis intendentes, post deliberacionem, quam de preficiendo eidem Drivastensi ecclesie personam utilem ac eciam fructuosam cum dictis nostris fratribus habuimus diligentem, demum ad te Prepositum ecclesie sancti Andree Paduane, in sacerdocio constitutum, cui de litterarum sciencia, vite mundicia, honestate morum, spiritualium providencia et temporalium circumspectione et aliis multiplicium virtutum donis apud nos fidedigna testimonia perhibentur, direximus oculos nostre mentis: quibus omnibus debita meditacione pensatis, de persona tua, nobis et eisdem fratribus nostris ob dictorum tuorum exigenciam meritorum accepta, eidem Drivastensi ecclesie de ipsorum fratrum nostrorum consilio auctoritate apostolica providemus, teque illi preficimus in Episcopum et pastorem, curam et administracionem ipsius ecclesie Drivastensis tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, in illo qui dat gracias et largitur premia confidentes, quod dicta Drivastensis ecclesia sub tuo felici regimine, gracia tibi assistente divina, prospere dirigetur, et salubria, dante domino, in eisdem spiritualibus et temporalibus suscipiet incrementa. Quocirca discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus impositum tibi a domino onus regiminis dicte Drivastensis ecclesie suscipiens reverenter, sic te in eius cura salubriter exercenda diligentem exhibeas studiosum, quod ecclesia ipsa gabernatori provido et fructuoso administratori gaudeat se commissam, tuque proinde preter eterne

retributionis premium nostram et apostolice sedis benedictionem et graciam uberius consequi merearis. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis III. Kal. Maii, Pontificatus nostri Anno Quarto.

In e. m. Dilectis filiis Capitulo ecclesie Drivastensis, Clero et populo Civitatis et diocesis Drivastensis, et Venerabili fratri Archiepiscopo Antibarensi.

CCCCXI.

Georgio et Balzae fratribus zupanis seu dñis Zentae mandatur, ne Ioanni ordinis fratrum Praedicatorum olim archiepo Antibarensi, nunc privato, de facto tamen ecclesiam Antibarensem occupanti faveant, sed dent auxilium, consilium vel favorem nove archiepiscopo. Reg. An. IV. Secret. de Curia fol. 27.

Gregorius episcopus etc. Dilectis filiis Nobilibus viris Georgio et Balse fratribus Zupanis seu dominis Zente, salutem etc. Cum nos dudum ex certis racionabilibus causis Iohannem ordinis fratrum Predicatorum, tunc Archiepiscopum Antibarensem, a vinculo, quo tonebatur ecclesie Antibarensi, de fratrum nostrorum consilio auctoritate apostolica duximus absolvendum, et transferendum ad Cesariensem ecclesiam tunc vacantem, proficientes eum illi in Archiepiscopum et pastorem, intendentes, quod si eciam ipse huiusmodi translationi non consentiret, ipsa translatio suum nichilominus sortiretur effectum, et deinde Venerabilem fratrem nostrum Iohannem, tunc Episcopum Drivastensem, a vinculo, quo Drivastensi ecclesie tenebatur, de dicto consilio absolventes, suis exigentibus meritis ad prefatam Antibarensem ecclesiam eadem auctoritate transtulerimus, proficiendo eum ipsi Antibarensi ecclesie in Archiepiscopum et pastorem, pront in nostris litteris inde confectis plenius continetur; et pront audivimus fidedigno relatu, idem Iohannes Archiepiscopus Cesariensis, qui suis exigentibus gravibus culpis, dum preerat ipsi Antibarensi ecclesie, fuit per Venerabilem fratrem nostrum Egidium Episcopum Tusculanum, commissarium et iudicem in hac parte a nobis specialiter deputatum, ab administracione spiritualium ot temporalium ipsius ecclesie Antibarensis suspensus, suspensioni huiusmodi obedire contempserit, propter quod et alios suos excessus diversarum excommunicacionum sentenciis noscitur irretitus, dictam Antibarensem ecclesiam intendat de facto per laicalem potenciam detinere, prout detinet, de quo considerato huiusmodi suo contemptu est non immerito dubitandum: nobilitatem vestram rogamus et hortamur, attente per apostolica nichilominus scripta mandantes, quatenus dicto Iohanni detentori nullatenus directe vel indirecte, publice vel occulte per vos vel alium seu alios faveatis, sen por vestros subditos faveri permittatis, sed ob reverenciam apostolica sedis ct nostram memorato Iohanni moderno Archiepiscopo efficaciter detis auxilium, consilium et favorem. Datum Sallone Arelatensis diocesis III. Idus Iunii, Pontificatus nostri Anno Quarto.

In e. m. Dilecto filio Carolo Topie Magnocomiti Albanie. Datum ut supra.

CCCCXII.

Valentinus lector Strigoniensis praficitur ecclesiae Quinquecclesiensi in episcopum, et de more commendatur. Reg. An. IV. cod. chart. Tom. 21. fol. 70.

Gregorius episcopus etc. Dilecto filio Valentino Electo Quinquecclesiensi, salutem etc. Apostolatus officium etc. Dudum siquidem bone memorie Guillelmo Epo Quinquecclesiensi regimini Quinquecclesiensis ecclesie presidente, nos cupientes eidem ecclesie, cum vacare contingeret, por apostolice sedis providenciam utilem et ydonem preesse personam, provisionem ipsius ecclesie ordinationi et dispositioni nostre ea vice duximus specialiter reservandam, decernentes ex tunc irritum et inane, si secus super hiis per quoscumque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari. Postmodum vero dicta ecclesia per eiusdem Guillelmi Episcopi obitum, qui extra Romanam curiam diem clausit extremum, pastoris solatio destituta, dilecti filii Capitulum eiusdem ecclesie huiusmodi reservationis et decreti, ut asseritur, ignari te Lectorem ecclesie Strigoniensis, decretorum doctorem, in sacerdotio constitutum, in Quinquecclesiensem Episcopum licet de facto concorditur elegerunt, tuque reservationis et decreti predictorum, ut asseritur, similiter inscius electioni huiusmodi, illius tibi presentato decreto, licet de facto consensisti: et deinde huiusmodi reservatione et decreto ad tuam deductis noticiam, huiusmodi electionis negocium proponi fecisti in Consistorio coram nobis. Nos igitur attendentes electionem predictam post et contra reservationem et decretum predicta attemptatam fuisse, eam, prout erat, reputavimus irritam et inanem, et ad provisionem eiusdem Quinquecclesiensis ecclesie celerem et felicem, de qua nullus preter nos hac vice se intromittero potuit neque potest, reservatione et decreto obsistentibus supradictis, ne ecclesia ipsa longe vacationis exponeretur incommodis, paternis et solicitis

studiis intendentes, post deliberacionem, quam de preficiendo eidem ecclesie personam utilem et etiam fructuosam habuimus cum fratribus nostris diligentem, demum ad te, de vite ac morum honestate spiritualium providencia et temporalium circumspectione et aliis virtutum meritis [apud nos], prout ex fide dignorum testimonio percepimus, multiplicium insignitum, direximus oculos nostre mentis: quibus omnibus necnon dictorum Capituli ejusdem ecclesie te eligentium concordi voluntate attenta meditacione pensatis, de persona tua prefate ecclesie de dictorum fratrum consilio auctoritate apostolica providemus, teque illi preficimus in Episcopum et pastorem, curam et administrationem ipsius ecclesie tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, firma spe fiduciaque conceptis, quod prefata ecclesia, graeia tibi assistente divina, per tue circumspectionis industriam et providenciam circumspectam regetur utiliter et prospere dirigetur, ac salubria suscipiet ineramenta. Quocirca discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus impositum tibi onus a domino devote suscipions, curam et administrationem ipsius ecclesie sic exercere studeas solieite, fideliter et prudenter, quod ipsa ecclesia gubernatori provido et fructuoso administratori gaudeat se commissam, tuque preter retributionis eterne premium nostram et dicte sedis benedictionem et graciam exinde uberius consequi merearis. Datum Nonis Avinionensis diocesis XII. Kal. Augusti, Pontificatus nostri Anno Quarto.

In o. m. Dilectis filiis Capitulo ecclesie Quinqueecclesiensis, Clero et populo Civitatis et diocesis Quinqueecclesiensis, et Venerabili fratri Archiepiscopo Strigoniensi.

CCCCXIII.

Universis Christi fidelibus ecclesiam s. Ioannis Evangeliste de Renchkonth de Chasma dioec. Zagrabiensis visitantibus indulgentiae conceduntur. Reg. Au. IV. cod. chart. Tom. 2I. fol. 377.

GREGORIUS EPISCOPUS etc. Universis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis, salutem etc. Splendor paterne glorie etc. Cupientes igitur, ut ecclesia sancti Iohannis Evangeliste de Renchkonth de Casma Zagrabiensis diocesis congruis honoribus frequentetur, et ut Christi fideles eo libencius causa devocionis confluant ad eandem, quo ex hoc ibidem uberius dono celestis gracie conspexerint se refectos, de omnipotentis dei misericordia ot beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi omnibus vore penitentibus et confessis, qui in Nativitatis, Circumcisionis, Epiphanie, Resurrectionis, Ascensionis et Corporis domini nostri Ihesu Christi, Penthecostes, et in Nativitatis, Annunciationis, Purificationis et Assumptionis beate Marie Virginis, et Nativitatis beati Iohannis Baptiste, dictorum Apostolorum Petri et Pauli ac Iohannis Evangeliste et ipsius ecclesie dedicationis festivitatibus, ac celebritate omnium Sanctorum, et per ipsarum Nativitatis, Epiphanie, Resurrectionis, Ascensionis et Corporis Christi, ac Nativitatis beati Iohannis et Apostolorum Petri et Pauli festivitatum octabas, et per sex dies dictum festum Penthecostes immediate sequentes ecclesiam ipsam devote visitaverint annuatim, singulis videlicet festivitatum, celebritatis et dedicationis octabarum quoque et sex dierum predictorum diebus, quibus ipsam ecclesiam visitaverint, ut prefortur, Centum dies de iniunctis eis penitenciis misericorditer relaxamus. Presentibus post decennium minime valituris. Volumus autem, quod si alias visitantibus dictam ecclesiam, seu ad fabricam ipsius manus porrigentibus adiutrices, aut alias inibi pias elemosinas erogantibus aliqua indulgencia imperpetuum, vel ad certum tempus nondum elapsum duratura auctoritate apostolica fuerit concessa, huiusmodi presentes littere nullius sint roboris vel momenti. Datum apud Pontemsorgie Avinionensis diocesis v. Kalendas Septembris, Pontificatus nostri Anno Quarto.

CCCCXIV.

Donatio decimarum per Michaelem ejum Agriensem ecclesiae villae de Olnad, ubi ossa multorum christianorum per Tartaros interfectorum sunt sepulta, facta pontifex, petentibus Petro Zudar bani Sclavoniae ciusque fratribus patronis dictae ecclesiae, confirmat, inserto donationis instrumento. Reg. An. IV. Tom. 2I. fol. 963.

GREGORIUS EPISCOPUS etc. Ad perpetuam rei memoriam. Ad ea, que ad utilitatem ecclesiarum et divini cultus augmentum rospiciunt, libenter intendimus, et eis favorem apostolicum, quantum cum deo possumus, liberaliter impertimur. Sane peticio pro parte dilectorum filiorum Petri Zudar Bani Sclavonie ac ipsius fratrum, patronorum parrochialis ecclesie Ville de Olnad Agriensis diocesis, nobis nuper exhibita continebat, quod olim Venerabilis frater noster Michael Episcopus Agriensis cupiens, quod in dicta ecclesia, in qua multa corpora christianorum olim per Tartaros interfectorum sunt sepulta, divinus cultus et ministrorum numorus augeretur, cum consilio et consensu dilectorum filiorum Capituli Agrien-

sis tres partes omnium decimarum ac primiciarum frugum et aliarum rerum usualium quarumcumque provenientes infra metas dicte Ville, quarum quidem trium partium decimarum et primiciarum perceptio de antiqua et approbata, et hactenus pacifice observata consuetudine ad Episcopum Agriensem pro tempore existentem pertinebat, predicte ecclesie ac eius Rectori et ministris, qui essent pro tempore, per eos levandas ot perpetuo percipiendas donavit ac liberaliter contulit, prout in instrumento publico inde confecto dicti Episcopi sigillo munito, cuius tenorem de verbo ad verbum presentibus inseri fecimus, plenius continetur. Quare pro parte dictorum patronorum fuit nobis humiliter supplicatum, ut donacionem et collacionem huiusmodi confirmare de benignitate apostolica dignaremur. Nos itaque huiusmodi supplicacionibus inclinati donacionem et collacionem predictas ratas habentes et gratas, illas auctoritate apostolica et ex certa sciencia confirmamus, et presentis scripti patrocinio communimus, supplentes auctoritate predicta omnem defectum, si quis forsan intervenerit in eisdem. Tenor autem dicti instrumenti talis est.

Michael dei et apostolice sedis gracie Episcopus ecclesie Agriensis, Universis Christi fidelibus presentibus pariter et futuris presens scriptum inspecturis, salutem in salutis largitore. Quia ecclesia omnium Sanctorum intra metas Ville nobilis viri dñi Petri Zudar, Curie et provinciarum Serenissimi Principis domini nostri Regis Ludovici magistri, Olnad vocate, site penes fluvium Sazow nostre diocesis, per condam dominum Nicolaum Episcopum Agriensem predecessorem nostrum inchoata, et tandem per ipsum Petrum Zudar ac fratres eius veluti patronos in laudabili opere finaliter consumpmata. ubi innumerabilia ossa christianorum hominum, virorum scilicet ecclesiasticorum et secularium per Tartaros, qui olim tempore Bele Regis Regnum Ungarie et dolosa quorumdam Regniculorum suggestione hostiliter invadentes subintrarant, ipsumque Regnum, populo eius partim occiso, partim vero disperso et affugato, potenter devastarant, in ipsius Regni defensione miserabiliter interemptorum in foveis validissimis habentur reperta ot insimul congregata, temporali subsidio necessario est amplectenda. Nos igitur una cum consensu fratrum nostrorum de Capitulo dicte ecclesie nostre, habito prius super hoc maturo consilio, cupientes, ut ipsa ecclesia in remedium salutis animarum fidelium divino officio iugiter exultet, decimas frugum et aliarum rerum usualium, ac quarumlibet primiciarium de prenominata Villa Olnad et de suis terris dicte ecclesie nostre annuatim provenientes, presentes videlicet et futuras, usui prefate ecclesie omnium Sanctorum ministrorumque suorum applicantes dedimus, donavimus et contulimus perpetuo percipiendas, aliis tamen iuribus et privilegiis ipsius ecclesie nostre et Archidiaconalibus salvis remanentibus et illesis. In cuius rei testimonium perpetuamque firmitatem presentibus nostrum sigillum autenticum duximus appendendum, pro maiorique firmitate et cautela petentes notarios infrascriptos, ut huiusmodi litteras nostras privilegiales publicent, et in publicam formam redigant. Datum Agrie in domo habitacionis nostre prima die mensis Octobris Anno domini M. CCC. LXVI. Presentibus itaque honorabilibus et discretis viris domini Iohanno Preposito, Iohanne Custode, Alexandro Dozemlen (et) Georgyo de Pacha Archidiaconis ecclesie nostre prefate, et quamplurimis aliis testibus ad hoc specialiter vocatis et rogatis. Et ego Petrus Pauli Canonicus ecclesie Agriensis, Imperiali auctoritate notarius publicus, una cum prenomiuatis testibus et notario infrascripto predictis donationi, provisioni, consensui et tractatui, ac omnibus et singulis premissis presens interfui, eaque, ut premittitur, fieri vidi et audivi, hic me subscripsi et signo meo consueto signavi vocatus et requisitus in testimonium omnium premissorum. Et ego Matheus Andree clericus diocesis Chenadiensis, Imperiali auctoritate notarius publicus, una cum prenominatis testibus et notario suprascripto predictis donationi et provisioni, consensui et tractatui, ac omnibus et singulis premissis presens interfui, eaque, ut premittitur, sic fieri vidi et audivi, hic manu propria subscripsi, signo et nomine meis solitis signavi in testimonium omnium premissorum vocatus et requisitus.

Nulli ergo etc. nostre confirmationis et supplotionis infringere etc. Datum apud Pontemsorgie Avinioncnsis diocesis IV. Nonas Septembris, Pontificatus nostri Anno Quarto.

CCCCXV.

Strigoniensi et Colocensi archiepiscopis ac episcopo Quinqueecclesiensi, ut pecunias ex decimis impositis perceptas in regno Hungariae nuntiis apostolicis tradant. Reg. An. IV. Bull. Camer. Tom. 8. fol. 57.

Gregorius episcopus etc. Venerabilibus fratribus Strigoniensi et Colocensi Archiepiscopis ac Epo Quinqueeclesiensi, salutem etc. Fraternitatem vestram hortamur attencius, vobis nichilominus per apostolica scripta mandamus, quatenus decimam, per vos auctoritate nostra in regno Ungarie pro neces-

sitatibus nobis et Romane ecclesie imminentibus vobis et aliis personis ecclesiasticis dicti regni impositam, in florenis boni auri et legitimi ponderis, ac in eisdem quantitate et valore, quibus ibidem decima alias persolvi consuevit, Venerabili fratri nostro Iohanni Episcopo Brixinensi, necnon dilectis filiis Nicolao Preposito ecclesie Bosnensis ac Petro Stephani Archidiacono in ecclesia Agriensi, apostolice sedis nuncio, aut alicui ex eis infra viginti dies a notificacione presentium computandos integre persolvatis, nec aliquibus curiosis vestris, fratres Archiepiscopi, suffraganeis, qui prout fertur, magis quam expediat, se subtilizantes, huiusmodi decimam non secundum quod hactenus est solvi consuetum, sed secundum commune servicium per ipsos Camere apostolice debitum solvere proponunt, in aliquo credatis, sed ipsos vestrosque subditos ad solucionem integre decime, prout est hactenus solvi consuetum, inducatis, et si necesse fuerit, compellatis, et pro vobis eciam persolvatis, alias penis et sentenciis contentis in aliis nostris litteris vobis et cuilibet vestrum et suffraganeis vestris directis, si mandatis nostris non obedieritis, vos et ipsos volumus subiacere, a quibus per alium quam per Romanum Pontificem absolvi nequeatis, nisi dumtaxat in mortis articulo constituti, in hoc taliter vos habendo, quod devocionis vestre promptitudinem non immerito commendare possimus. Nos enim eisdem Epo, Nicolao et Petro ac eorum cuilibet recipiendi dictas decimas, et vos de receptis quittandi plenam et liberam per alias nostras litteras concedimus facultatem. Dat. apud Pontemsorgie Avinionensis diocesis Nonis Septembris, Pontificatus nostri Anno Quarto.

CCCCXVI.

Stephano episcopo Zagrabiensi conceditur, ne in aliquibus causis contra ipsum in Romana curia motis personaliter citari possit, sed per procuratorem se defendere valeat. Reg. An. IV. cod. chart. Tom. 21. fol. 390.

Gregorius episcopus etc. Venerabili fratri Stephano Episcopo Zagrabiensi, salut. etc. Personam tuam nobis et apostolice sedi devotam, tuis exigentibus meritis, perpetua benivolencia prosequentes illam tibi graciam favorabiliter impendamus, quam tibi et tuis commoditatibus fore conspicimus oportunam. Tuis itaque in hac parte supplicationibus inclinati, ut tu, qui Carissimi in Christo filii nostri Ludovici Regis Ungarie Illustris Ambaxiator ad nos destinatus existis, ut in quibuscumque iam motis, etiam si cause ipse criminales et criminaliter intentate fuerint, personaliter citari nequeas, et ad personaliter comparendum in causis ipsis minime tenearis, etiam si auctoritate nostra huiusmodi personalis citacio contra te iam forsan concessa seu decreta existerct, sed per procuratorem legitimum in causis ipsis te defendere valeas, et usque ad exitum earundem causarum ad ipsarum defensionem per procuratorem huiusmodi admitti possis et debeas, quibuscumque consuetudinibus apostolicis vel aliis, necnon stilo, usu et consuetudine dicte curie vel palacii apostolici contrariis nequaquam obstantibus, auctoritate apostolica tibi concedimus de gracia speciali. Nulli ergo etc. nostre concessionis infringere etc. Datum apud Pontemsorgie Avinionensis diocesis IV. Idus Septembris, Pontificatus nostri Anno Quarto.

CCCCXVII.

Ioannes praepositus s. Georgii Strigoniensis ecclesiae Sirmiensi in episcopum praeficitur. Reg. An. V. Tom. 22. fol. 1.

Gregorius episcopus etc. Dilecto filio Iohanni Electo Sirmiensi, salutem etc. Apostolatus officium etc. Dudum siquidem bone memorie Stephano Episcopo Sirmiensi regimini ecclesie Sirmiensis presidente, nos cupientes eidem ecclesie, cum vacaret, utilem et fructuosam per apostolice sedis providenciam preesse personam, provisionem ipsius ecclesie ordinacioni et dispositioni nostre ea vice duximus specialiter reservandam, decernentes ex tunc irritum et inane, si secus super hiis per quoscumque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari. Postmodum vero dicta ecclesia per obitum ipsius Stephani Episcopi, qui extra Romanam Curiam diem clausit extremum, vacante, Nos vacacione huiusmodi fidedignis relatibus intellecta ad provisionem ipsius ecclesie celerem et felicem, de qua nullus preter nos hac vice se intromittere potuit neque potest, reservacione et decreto obsistentibus supradictis, ne ecclesia ipsa longe vacationis exponeretur incommodis, paternis et solicitis studiis intendentes, post deliberacionem, quam de proficiendo eidem ecclesie personam utilem et eciam fructuosam cum fratribus nostris habuimus diligentem, demum ad te Prepositum ecclesie sancti Georgii Strigoniensis, in sacerdocio constitutum, litterarum sciencia preditum, vite ac morum honestate decorum, in spiritualibus providum et in temporalibus circumspectum, aliisque multiplicium virtutum donis, prout fidedignorum testimonio accepimus, insignitum direximus oculos nostre mentis: quibus omnibus debita meditacione pensatis, de persona tua, nobis et eisdem fratribus ob dictorum tuorum exigenciam meri-

torum accepta, eidem Sirmiensi ecclesie de eorundem fratrum consilio auctoritate apostolica providemus, teque illi preficimus in Episcopum et pastorem, curam et administracionem ipsius Sirmiensis ecclesie tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie commictendo, in illo qui dat gracias et largitur premia confidentes, quod prefata Sirmiensis ecclesia sub tuo felici regimine, gracia tibi assistente divina, prospere dirigetur, ac grata in eisdem spiritualibus et temporalibus suscipiat incrementa. Iugum igitur domini tuis impositum humeris prompta devocione suscipiens, curam et administracionem predictas sic exercere studeas fideliter et prudenter, quod ipsa Sirmiensis ecclesia gubernatori provido et fructuoso administratori gaudeat se commissam, tuque preter eterne retribucionis premium nostram et dicte sedis benedictionem et graciam exinde uberius consequi merearis. Datum Avinione IV. Idus Ianuarii, Pontificatus nostri Anno Quinto.

In e. m. Dilectis filiis Capitulo ecclesie Sirmiensis, Clero et populo Civitatis et diocesis Sirmiensis, et Venerabili fratri Archiepiscopo Colocensi.

CCCCXVIII.

Guillelmus de Alareno, monachus monasterii s. Mariae de Capellis Neapolitani, monasterio s. Georgii in Culfo in abbatem praeficitur. Reg. An. V. cod. chart. Tom. 23. fol. 25.

GREGORIUS EPISCOPUS etc. Dilecto filio Guillelmo de Alareno Abbati Monasterii sancti Georgii in Culfo ordinis s. Benedicti Catharensis diocesis, salutem etc. Summi dispositione Rectoris ad regimen universalis ecclesie deputati etc. Dudum siquidem quondam Iohanne Abbate Monasterii sancti Georgii in Culfo ordinis sancti Benedicti Catharensis diocesis regimini eiusdem Monasterii presidente, Nos cupientes eidem Monasterio, cum vacaret, per apostolice sedis providenciam utilem et ydoneam preesse personam, provisionem Monasterii ordinationi et dispositioni nostre duximus ea vice specialiter reservandam, decernentes ex tunc irritum et inane, si secus super hiis per quoscumque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari. Postmodum vero prefato Monasterio per obitum dicti Iohannis Abbatis, qui extra Romanam Curiam debitum nature persolvit, Abbatis regimine destituto, Nos vacatione huiusmodi fidedignis relatibus intellecta ad provisionem ipsius Monasterii celerem et felicem, de qua nullus preter nos hac vice se intromittere potuit neque potest, reservatione et decreto obsistentibus supradictis, ne Monasterium ipsum longe vacationis exponeretur incommodis, paternis et solicitis studiis intendentes, post deliberationem, quam de preficiendo eidem Monasterio personam utilem et eciam fructuosam cum fratribus nostris habuimus diligentem, demum ad te monachum Monasterii sancte Marie de Capellis Neapolitani dicti ordinis, ordinem ipsum expresse professum et in sacerdotio constitutum, cui de religionis zelo, litterarum sciencia, vite mundicia honestate morum et aliis multiplicium virtutum donis apud nos fidedigna testimonia perhibentur, convertimus oculos nostre mentis: quibus omnibus attenta meditatione pensatis, de persona tua, nobis et eisdem fratribus ob dictorum tuorum exigenciam meritorum accepta, eidem Monasterio sancti Georgii de dictorum fratrum consilio auctoritate apostolica providemus, teque illi preficimus in Abbatem, curam et administrationem ipsius Monasterii tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, firma spe fiduciaque conceptis, quod dirigente domino actus tuos dictum Monasterium sancti Georgii per tue industrie et circumspectionis studium fructuosum utiliter et prospere dirigetur, et grata in eisdem spiritualibus et temporalibus suscipiet incrementa. Quocirca discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus impositum tibi a domino onus regiminis dicti Monasterii sancti Georgii devote suscipiens, curam et administrationem predictas sic prudenter geras, et solicite prosequaris, quod Monasterium ipsum fructuoso administratori gaudeat se commissum, tuque preter eterne retributionis premium, nostram et dicte sedis benevolenciam et graciam exinde uberius consequi merearis. Datum Avinione VII. Idus Maii, Pont. nostri Anno Quinto.

In e. m. Venerabili fratri ... Episcopo Catharensi, et dilectis filiis Conventui Monasterii sancti Georgii in Culfo ordinis sancti Benedicti Catharensis diocesis.

CCCCXIX.

Pontifex donationem et confirmationem per Belam regem Hungariae episcopo et ecclesiae Bosnensi factam quarumdam possessionum et iurisdictionum in comitatu de Vulko approbat, inserto donationis instrumento, in quo fines describuntur. Reg. An. V. cod. chart. Tom. 23. fol. 483.

GREGORIUS EPISCOPUS etc. Ad perpetuam rei memoriam. Romani Pontificis providencia circumspecta hiis, que pro ecclesiarum ac Prelatorum et aliarum personarum ecclesiasticarum utilitate provide

acta sunt, ut illibata consistant, libenter adicit apostolici muniminis firmitatem. Sane peticio per parte Venerabilis fratris nostri Petri Episcopi Boznensis nobis nuper exhibita continebat, quod olim clare memorie Bela Rex Ungarie zelo pie devocionis accensus certas possessiones et res alias Episcopo, qui tunc erat, et ecclesie Boznensi concessit et donavit, prout in litteris autenticis inde confectis dicti Bele Rege sigillo munitis, quarum tenorem de verbo ad verbum presentibus inseri fecimus, plenius continetur; quodque deinde Carissimus in Christo filius noster Ludovicus Rex Ungarie Illustris huiusmodi concessionem et donacionem approbavit et eciam ratificavit: Quare pro parte dicti Episcopi nobis fuit humiliter supplicatum, ut premissis robur confirmacionis adicere de benignitato apostolica dignaremur. Nos itaque huiusmodi supplicacionibus inclinati predictas concessionem et donacionem per dictum Belam Regem, ut premittitur, factas ratas habentes atque gratas, illas auctoritate apostolica ex certa sciencia tenore presencium confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Tenor autem dictarum litterarum talis est.

Bela dei gracia Ungarie, Dalmacie, Crovacie, Ramo, Servie, Gallicie, Lodomirie Cumanieque Rex, omnibus Christi fidelibus salutem in vero salutari. Officii nostri debitum exequimur et dignitatis fastigia sublimamus, si fidei orthodoxe propagacioni et ampliscioni opem damus et operam efficaciter prestamus, ubi ecclesias regali munificencia dotamus et libertatibus decoramus. Proinde ad universorum noticiam harum serie volumus pervenire, quod nos attendentes in Bozna hereticorum perfidiam admodum invaluisse seu pupulasse, ita quod pauci inveniremur in partibus illis vere fidei zelatores vel cultores, quasdam possessiones in Comitatu de Vulko, Dyacon scilicet et Bleznam, in subsidium ecclesie Boznensi cum omnibus pertinenciis suis, silvis, pascuis, piscinis, aquis, ac aliis utilitatibus sub metis et terminis infrascriptis damus, conferimus, et ex certa sciencia donamus perpetuo et irrevocabiliter possidendas Venerabili Patri Episcopo Boznensi et ecclesie Boznensi, pio remedio anime nostre et Regis Columani ducis tocius Slavonie, karissimi fratris nostri, ratificamus nichilominus et approbamus donacionem factam de consensu nostro per predictum Regem Columanum karissimum fratrem nostrum de possessionibus prelibatis, ouius tempore et quamdiu idem debitum carnis exolvit, et nostris temporibus semper ipsa ecclesia et Episcopus tenuit et possedit pacifice et quiete, possessiones supradictas adicimus, eciam quod nullus Banus vel Comes de Vulko, aut quicumque alius aliquam iurisdictionem possit exercere in terris supradictis, sed solus dumtaxat Episcopus vel officialis suus omnes causas tam criminales quam civiles iudicabit, et fine debito terminabit, volentes ut in spiritualibus et temporalibus in dictis possessionibus solus Episcopus plenum et mixtum dominium habeat et obtineat, decimas de omnibus super mercaturas et collectam, que Ban Elyssi vocantur, et omnes alias collectas quocumque nomine censeantur, que per Regnum nostrum fieri contingeret, nonnisi Episcopo debunt et persolvent, et Episcopus in sua convertet utilitate, pront sibi videbitur expedire. Quarum terrarum mete hoc ordine distinguntur: Prima incipit a fluvio Zana, ubi oritur fluvius Boyg, et progreditur versus aquilonem in silvis per loca Zuibuic, Ginloarech, Elenoagreda vocata per metas terreas et arboreas usque ad fossata, qui dicitur Boaraida, et a parte orientali est terra ecclesie, a parte vero occidentali est commentanea terra Tolys cum fratribus et cognatis subsignacionis Borich Bani Tumicha vocata, et a villa Braida ascendit ad verticem montis, et ibi deserit terram Tolys antedictam et vertitur ad orientem, et a parte meridionali est eadem terra ecclesie, a parte vero septentrionali est commentanea terra Comitis Martini et Iacobi cum filiis suis nomine Nhenna, et procedit condividendo montem per metas terreas usque ad quandam arborem fagum cruce et mota signatam, et ibi descendit de monte versus aquilonem per quasdam ruinas terre, et venit ad puteum, et transit rivulum et ascendit montem, et procedit in monte usque ad locum ubi dividitur mons, et ibi assumit aliam partom montis ciusdem et tendit ad orientem, in vertice condividendo montem per metas terreas et arboreas antiquas et novas iuxta illas erectas, et venit ad aquam Bresincha, et ibi reliquit torram Nennam et transit aquam, et intrat Stelcham condividendo eam, a parte dextera est terra ecclesie, a synistra vero est eorundem Martini et Iacobi antedictorum per silvas et nemora metis terreis et arboreis distincta usque ad aquam Cazimla, et ibi dimittit terram Martini et Iacobi supradictorum, et ibi separatur a Blezna, et transit aquam, et a parte dextera est predium eiusdem ecclesie nomine Dyacon, a parte sinistra assumit sibi commentaneam terram Adrani cum filiis suis et procedit in valle per metas ad quandam pirum cruce et meta vallatam, et intra aliam vallem a capite fontis, et descendit per fontom, et tangit terram do Gora et venit ad fluvium Ilsene, ubi est terra Thome fratris Phylippi Prepositi cum fratribus suis, et per illam descendit ad aliam Ilseuam, per quam ascenditur usqne ad locum ubi reliquit torram predicti Thome, et vertitur ad orientem in planicie iuxta terram

Mohor per metas terreas ad quasdam arbores tylie cruce et metis signatas, et ibi separatur a terra Mohor, et procedit iuxta terram Sebe per metas terreas et arboreas ad quandam arborem kercum (quercum), ubi est crux et meta terrea, et ibi dimittit terram Sebe et procedit iuxta terram Lubus, et venit ad quendam rivulum, ubi est arbor kercus cruce et meta terrea signata, et transit rivulum et venit ad magnam viam, ct cito dimittit viam et transit nemus ad sinistram manum et tendit in planicie ad quosdam pinus versus orientem per metas antiquas terreas et arboreas bane bani, et iuxta illas ecclesie novas metas erectas usque ad duas pinus cruce signatas et metis vallatas in introitu vallis, et intrat fluviam et ascendit per fluvium usque ad locum ubi oritur fluvius, et est ibi arbor populus cruce signata et meta terrea, et vertitur ad aquilonem usque ad locum ubi est antiqua et nova iuxta eam terrea meta erecta, et ibi relinquit terram Lubus et progreditur iuxta terram Cruciferorum Nogfolu vocatam versus orientem ad locum ubi est meta terrea, et ibi vertitur ad meridiem in planicie per metas terreas et arboreas usqne ad terram Kaymoz, ubi est quidam fluvius et meta terrea, et transit iuxta terram Kaymoz, et adiungitur iterum ad terram dictorum Cruciferorum et procedit in valle, ac exit de valle versus orientem per metas terreas ascendendo et descendendo, intrando et exeundo vicissim versus aquilonem et meridiem per terreas metas usqne ad vallem sitam iuxta predinm nomine Urvati eorundem Cruciferorum, abhinc exit de valle ad orientem ad quasdam populns, et sunt ibi mete terree, et parvo spacio terre peracto vertitur ad meridiem et intra silvam magnam per metas arboreas usque ad aquam Byg, ubi intrat fluvius Cladanch, quam cum transit a parte orientali est commentanea terra Iohanche filii Balhar, et progreditur iuxta predictum fluvium Cladanch parvo spacio terre, quo relicto divertit ad orientem et intrat viam, que vulgo dicitur Uburbot, est ibi commentanea terra Castrensis nomine Centa, et procedit in silva ad quandam pinum cruce signatam, exhinc tendit ad duas kercus crucesignatas, et est ibi meta terrea, abhinc dirigitur per planiciem per metas terreas, et extenditur usque ad Zanam, et est ibi quedam salix cruce signata, que vulgo dicitur Urbicha, et meta terrea, et ibi intrat Zanam et per Zanam ascendit usque ad metam priorem, ubi oritur Byg et totus fluvins Zane, quamdiu carrit per terram suam, est Episcopi et ecclesie antedicte, et ibi terminatur. Item confirmamus ex certa sciencis et approbamus, et ex novo conferimus ecclesie Boznensi et Episcopo possessiones in Vozora, quas Nyurzlaus Banus de Bozna propter diversas iniurias et dampna data eidem ecclesie dedit, tradidit et perpetuo assignavit de nostra voluntate, connivencia et consensu, volentes expresse, quod Episcopus et Capitulum decimas in Vozora, in Sou, in Olfeld et in aliis supis (sic) more aliarum ecclesiarum de Hungaria sine distinctione personarum de omnibus suis habeant et percipiant: populos eciam Episcopatus et Capituli sui super omnibus causis nonnisi Episcopus, vel officialis suus, aut Capitulum iudicabit, a iurisdictione Keneziorum vel Boanorum et iudicio omnino et per omnia eximentes. Mercurinas insuper, vel aliam collectam quocumque nomine appelletur, que in partibus illis fieri contingeret, Episcopus et Capitulnm de populis suis integraliter percipiant, et in totum in omnibus provinciis vel Banatibus supradictis, cuius terre mete taliter distinguntur. Prima meta incipit ubi fluvius Tolycha intrat Zanam, et ascendit per Tolycham usque ad locum ubi intrat Zuham Tolycham et per Zuam Tolycham, tendit in planicie et intrat iterum in fluentem Tolycham, et per illam ascendit usque ad pedem montis ubi oritur, deinde vadit ad alium fontem Modricha vocatum, et in illo descendit usque ad locum ubi Modricha cadit in Boznam, et per Boznam descendit usqne ad Zanam, per Zanam usque ad metam primam, et ibi terminatur. Ceterum idem Naurzlaus Banus cum fratribus suis et Baronibus confessi sunt, et recognoverunt possessiones infrascriptas ad ius et proprietatem ecclesie Boznensis pertinere, quarum nomina sunt hec: in supra (sic) Urhbozna Burdo cum omnibus suis pertinenciis, ubi ipsa ecclesia Cathedralis sancti Petri est fundata, Item Bulino, Item Knesepole, Item Vrudchy ubi est ecclesia s. Stephani prothomartiris, Item in supra Nerotna Bulino, Item in supra Lepenicha Rocil, ubi est ecclesia sancti Michaelis, Item in supa (sic) Vidgossa Lubinchi apud ecclesiam beate Virginis, Item in Mel apud ecclesiam ss. Cosme et Damiani, Item in supa Losona apud tres ecclesias, Item in supa Vozcopla apud ecclesiam beati Iohannis, Item in supa Bored Belmapola, Item in Comitatu Berez Pracha Byscupnia vocata. Ad hec precepimus omnibus heredibus nostris sub interminacione divini iudicii et paterne benedictionis predictas donaciones ad tam pium opus factas perpetuo et irrevocabiliter observari. In cuius rei memoriam, et perpetuam firmitatem presentes concessimus litteras duplici sigilli nostri munimine roboratas. Datum anno domini Millesimo ducentesimo quadragesimoquarto, XII. Kal. Augusti, Regni autem nostri Anno Nono.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre confirmacionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem etc. Datum Avinione II. Kal. Novembris, Pont. nostri Anno Quinto.

CCCCXX.

Archiepiscopo Ragusino, ut Pascham priorem monast. s. Michaelis de Peclina, si eum idoneum invenerit, eidem monasterio in abbatem præficiat. Reg. An. V. cod. chart. Tom. 26. fol. 48.

GREGORIUS EPISCOPUS etc. Venerabili fratri ... Archiepiscopo Ragusino, salutem etc. Solicite considerationis indaginem, prout pastoralis officii solicitudo requirit, circa statum ecclesiarum et monasteriorum omnium, que vacationis incommoda deplorare noscuntur, provide extendentes, operose diligencie studium libenter impendimus, ut ecclesiis et monasteriis ipsis, ne longe vacationis incommodis pregraventur, de salubri remedio succurratur. Dudum siquidem quondam Poneto (al. Pino) Abbate Monasterii sancti Michaelis de Peclina ord. s. Benedicti Ragusine diocesis regimini eiusdem Monasterii presidentes, nos cupientes ipsi Monasterio, cum vacaret, per apostolice sedis providenciam utilem et ydoneam presidere personam, provisionem eiusdem Monasterii ordinacioni et dispositioni nostre ea vice duximus specialiter reservandam, decernentes extunc irritum et inane, si secus super hiis per quoscumque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari. Postmodum vero dicto Monasterio per obitum dicti Poneti Abbatis, qui extra Romanam Curiam diem clausit extremum, vacante, ac exposito in Consistorio coram nobis, quod dilectus filius Pascha Prior claustralis eiusdem Monasterii ad regimen et administracionem ipsius Monasterii utilis et ydoneus existeret, Nos cupientes eidem Monasterio, de cuius provisione nullus preter nos hac vice se intromittere potuit atque potest, reservacione et decreto obsistentibus supradictis, ne Monasterium ipsum longe vacationis exponeretur incommodis, de persona ydonea celeriter et salubriter provideri, ac de ydoneitate et meritis ipsius Pasche, cui de religionis zelo, litterarum sciencia, vite ac morum honestate, spiritualium providencia et temporalium circumspectione apud nos laudabilia testimonia perhibentur, certam noticiam non habentes, fraternitati tue, de qua in hiis et aliis specialem in domino fiduciam obtinemus, per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus de prefati Pasche ydoneitate et meritis te diligenter informans, si per informacionem huiusmodi eundem Pascham, qui, ut asseritur, in presbiteratus ordine constitutus existit, ad regimen eiusdem Monasterii sancti Michaelis utilem et ydoneum fore repereris, de persona eiusdem Pasche, alioquin de alia persona dicti ordinis ad hoc utili et ydonea, super quibus tuam conscienciam oneramus, dicto Monasterio hac vice auctoritate nostra provideas, ac eundem Pascham vel personam huiusmodi, de qua ipsi Monasterio providebis, ut prefertur, eidem Monasterio preficias in Abbatem, curam et administracionem ipsius Monasterii sibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, ac ei facias a suis subditis obedienciam et reverenciam debitas exhiberi, Contradictores auctoritate nostra, appellacione postposita, compescendo, et nichilominus eidem persone, qua dicto Monasterio, ut premittitur, per te provideri contigerit, munus benedictionis impendas vel per alium catholicum Antistitem graciam et communionem apostolice sedis habentem impendi facias et procures. Volumus autem, quod tu vel idem Antistes, qui eidem persone prefatum munus impendes, vel impendet, nostro et ecclesie Romane nomine fidelitatis debite solitum recipias seu recipiat iuramentum iuxta formam, quam sub bulla nostra mittimus interclusam: formam autem iuramenti, quod eadem persona prestabit, nobis de verbo ad verbum per ipsius patentes litteras sno sigillo sigillatas per proprium nuncium procures seu procuret quantocius destinare. Datum Avinione Nonis Novembris, Pontificatus nostri Anno Quinto.

CCCCXXI.

Thomas Nicolai canonicus Strigoniensis præficitur ecclesiae Corbaviensi in episcopum, et de more commendatur. Reg. An. V. cod. chart. Tom. 26. fol. 63.

GREGORIUS EPISCOPUS etc. Dilecto filio Thome Nicolai Electo Corbaviensi, salutem etc. Apostolatus officium etc. Dudum siquidem bone memorie Petro Episcopo Corbaviensi regimini Corbaviensis ecclesie presidente, nos cupientes eidem ecclesie, cum ipsam vacare contingeret, utilem et fructuosam per apostolice sedis providenciam preesse personam, provisionem eiusdem ecclesie ordinacioni et dispositioni nostre ea vice duximus specialiter reservandam, decernentes ex tunc irritum et inane, si secus super hiis per quoscumque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari. Postmodum vero dicta ecclesia per obitum ipsius Petri Episcopi, qui extra Romanam Curiam diem clausit extremum, vacante, nos vacacione huiusmodi fidedignis relatibus intellecta ad provisionem ipsius ecclesie celerem et felicem, de qua nullus preter nos hac vice se intromittere potuit neque potest, reservacione et decreto obsistentibus supradictis, ne ecclesia ipsa longe vacacionis subiaceret incommodis, paternis et solicitis studiis intendentes, post deliberacionem, quam de preficiendo eidem ecclesie perso-

nam huiusmodi cum fratribus nostris habuimus diligentem, demum ad te Canonicum ecclesie Strigoniensis, in minoribus dumtaxat ordinibus constitutum, litterarum sciencia preditum, vite ac morum honestate decorum, in spiritualibus providum et in temporalibus circumspectum, aliisque multiplicium virtutum donis, prout fidedignorum accepimus testimonio, insignitum direximus oculos nostre mentis: quibus omnibus debita meditacione pensatis, de persona tua, nobis et eisdem fratribus ob dictorum tuorum exigenciam meritorum accepta, eidem Corbaviensi ecclesie de eorumdem fratrum consilio auctoritate apostolica providemus, teque illi preficimus in Episcopum et pastorem, curam et administracionem ipsius ecclesie tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, firma spe fiduciaque conceptis, quod dirigente domino actus tuos prefata Corbaviensis ecclesia gubernatori provido et fructuoso administratori gaudeat se commissam, tuque preter eterne retribucionis premium nostram et dicte sedis benedictionem et graciam exinde uberius consequi merearis. Datum Avinione XVIII. Kalendas Decembris, Pontificatus nostri Anno Quinto.

In e. m. Dilectis filiis Capitulo ecclesie Corbaviensis, Clero et populo Civitatis et diocesis Corbaviensis et Venerabili fratri Archiepiscopo Spalatensi.

CCCCXXII.

Raymundo episcopo Paduano apostolicae sedis nuntio, ut intrusos in monasteriis, officiis et beneficiis ecclesiasticis expellat, et ea ad manus pontificis recipiat. Reg. An. V. Bull. Camer. Tom. 8. fol. 211.

GREGORIUS EPISCOPUS etc. Venerabili fratri Raymundo Episcopo Paduano, apostolice sedis nuncio, salutem etc. Ad audienciam nostram pervenit, quod nonnulli clerici et persone ecclesiastice seculares et religiose Aquilegensis et Gradensis patriarchatuum, necnon Ravennatensis, Iadrensis, Ragusine et Spalatensis Civitatum, diocesum et provinciarum execrabilis ambicionis ardore succensi in nonnullis monasteriis, dignitatibus, personatibus, officiis, canonicatibus et prebendis, et aliis beneficiis ecclesiasticis secularibus et regularibus patriarchatuum, civitatum, diocesum et provinciarum ipsorum specialiter vel generaliter reservatis et non reservatis, que a viginti annis citra vacaverint et vacant, se absque titulo et institutione canonica intruserunt, illaque detinuerunt, prout obtinent occupata, fructus, redditus et proventus, ac obvenciones et iura eorum propriis usibus applicantes in animarum suorum periculum, gravem divine maiestatis offensam et scandalum plurimorum. Super que de oportuno providere remedio cupientes, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenus per te vel alium seu alios de premissis omnibus summarie et de plano ac sine strepitu et figura iudicii te informans, monasteria, dignitatis, personatus, officia, canonicatus et prebendas ecclesiasticas et beneficia ecclesiastica, que per informacionem eandem inveneris, ut premittitur, occupata, exclusis et amotis quibuscunque occupatoribus et detentoribus eorumdem ab ipsis, ad manum nostram recipere et tenere, donec de ipsis duxerimus ordinandum, ac insuper fructus, redditus et proventus, obvencionesque et iura eorum ab eisdem occupatoribus et detentoribus percepta et habita ab ipsis, vel eorum heredibus seu successoribus bona detinentibus eorumdem petere, exigere ac recipere non postponas, Contradictores per censuram ecclesiasticam, appellacione postposita, compescendo, invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis, Non obstante si aliquibus communiter vel divisim a sede apostolica sit indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mencionem. Quicquid autem in premissis egeris, nos et Cameram nostram reddas distincte et particulariter certiores. Nos enim eos, a quibus fructus, redditus et proventus ac iura huiusmodi receperis, absolvendi et quitandi plenam tibi concedimus tenore presencium potestatem. Datum Avinione Kalendis Decembris, Pontificatus nostri Anno Quinto.

CCCCXXIII.

Eidem nuntio, ut bona Romanae ecclesiae legata seu publiesta ab eorum occupatoribus petat. Reg. An. V. Bull. Cam. Tom. 8. fol. 212.

GREGORIUS EPISCOPUS etc. Venerabili fratri Raymundo Episcopo Paduano, apostolice sedis nuncio, salutem etc. Ad audienciam nostram pervenit, quod in Aquilegensi et Gradensi patriarchatibus, ac in Mediolanensi, Ravennatensi, Iadrensi, Ragusina et Spalatensi Civitatibus et diocesibus atque provinciis sunt nonnulla bona immobilia, quorum aliqua racione legatorum factorum ecclesie Romane ad eandem ecclesiam pertinent, et alia per processus auctoritate apostolica habitos eidem ecclesie confiscata sunt, que per alios occupantur in grave ipsius ecclesie et occupantium huiusmodi salutis preiudicium anima-

rum. Volentes itaque super hiis indempnitati ecclesie ac saluti animarum occupantium predictorum salubriter providere, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenus per te vel alium seu alios de bonis huiusmodi et aliis quibuscumque legatis et confiscatis qualitercumque ipsi ecclesie, vel alias quomodocumque et qualitercumque pertinentibus ad ecclesiam antefatam, que in patriarchatibus necnon civitatibus et diocesibus ac provinciis supradictis consistunt, summarie, simpliciter et de plano ac sine strepitu et figura iudicii te informans, ea omnia et singula a quibuscumque detentoribus et occupatoribus eorumdem petere, exigere et recipere, illaque vendere plus offerentibus personis, uni vel pluribus, cum omni studio et diligencia non postponas, Contradictores etc. Ut autem premissa omnia eo efficacius exequaris, quo maiori fueris per nos potestate munitus, ibi detentores et occupatores bonorum ipsorum ab omnibus sentenciis occasione occupationis, et detentionis huiusmodi latis et promulgatis in ipsos apostolica vel alia quacumque auctoritate (absolvendi), ac cum eis super fructibus, redditibus et proventibus eorumdem perceptis ex illis componendi, et bona ipsa detentoribus et occupatoribus eorumdem aut aliis personis concedendi in feudum vel emphiteosim perpetuo vel ad tempus, si et prout utilitati eiusdem ecclesie videris expedire, ac omnia alia et singula, que in premissis et circa ea fuerint oportuna, faciendi, agendi et libere exequendi plenam concedimus tenore presentium potestatem. Volumus autem et tibi tenore presentium mandamus, quod omnia et singula, que per te premissorum occasione quomodocumque recipi, exigi et recuperari contingent, dilecto filio nostro Guillelmo s. Angeli diacono Cardinali, in nonnullis nostris et ecclesie Romane terris in Ytalia consistentibus pro nobis et ecclesia ipsa in temporalibus Vicario generali, studeas fideliter assignare, et quod eciam de hiis, que in premissis quomodolibet egeris, reddas Cameram apostolicam per patentes litteras tuas tuo pendenti sigillo munitas, seu publica instrumenta distincte et particulariter certiorem. Datum Avinione Kalendis Decembris, Pontificatus nostri Anno Quinto.

CCCCXXIV.

Capitulo Quinquecclesiensi omnia privilegia confirmantur. Reg. An. VI. Bull. diver. Tom. 3. fol. 543.

GREGORIUS EPISCOPUS etc. Dilectis filiis Capitulo ecclesie Quinquecclesiensis, salutem etc. Solet annuere sedes apostolica piis votis, et honestis petentium precibus favorem benivolum impertiri. Eapropter, dilecti in domino filii, vestris iustis postulacionibus grato concurrentes assensu, omnes libertates et immunitates a predecessoribus nostris Romanis Pontificibus sive per privilegia vel alias indulgencias vobis et ecclesie vestre concessas, necnon libertates et exemptiones secularium exactionum a regibus et principibus, ac aliis Christi fidelibus racionabiliter vobis indultas, sicut ea iuste et pacifice obtinetis, vobis et per vos dicte ecclesie auctoritate apostolica confirmamus, et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo etc. nostre confirmacionis et communicionis infringere etc. Datum Avinione XVII. Kal. Februarii, Pontificatus nostri Anno Sexto.

CCCCXXV.

Universis Christi fidelibus ecclesiam s. Francisci de Alsan Quinquecclesiensis dioec. visitantibus et adiuvantibus indulgentiae conceduntur. Reg. Ao. VI. Bull. divers. Tom. 3. fol. 543.

GREGORIUS EPISCOPUS etc. Universis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis, salutem etc. Licet is, de cuius munere venit, ut sibi a suis fidelibus digne ac laudabiliter serviatur, de habundancia potestatis sue, que merita supplicum excedit, et vota bene servientibus ei multo maiora retribuat, quam valeant promereri: nichilominus tamen desiderantes populum domino reddere acceptabilem et bonorum operum sectatorem, fideles ipsos ad complacendum ei quasi quibusdam allectivis muneribus, indulgenciis videlicet et remissionibus invitamus, ut exinde reddantur divine gracie aptiores. Cum itaque, sicut accepimus, Venerabilis frater noster Valentinus Episcopus Quinquecclesiensis in terra sua hereditaria, inter Scismaticos et infideles in loco de Alsan Quinquecclesiensis diocesis situata, de bonis a deo sibi collatis quandam ecclesiam in honorem et sub vocabulo beati Francisci confessoris edificari et construi facere inceperit opere sumptuoso: nos cupientes, ut ecclesiam ipsam congruis honoribus frequentetur et eciam perficiatur, et ut Christi fideles eo libencius causa devocionis confluant ad eandem, et pro consumatione ipsius operis eo promptius manus porrigant adiutrices, quo ibidem ex hoc uberius dono celestis gracie conspexerint se refectos, de omnipotentis dei miscricordia et beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus vere penitentibus et confessis, qui in Nativitatis, Circumcisionis, Epiphanie, Resurrectionis, Ascensionis, Corporis domini Ihesu Christi, Penthecostes, nec non

Nativitatis, Annunciationis, Presentacionis et Assumptionis beate Marie, ac Nativitatis beati Iohannis et Apostolorum predictorum festivitatibus, ot per sex dies dictam festivitatem Penthecostes immediate sequentes prefatam ecclesiam devote visitando annuatim ad fabricam ipsius manus porrexerint adiutrices, singulis videlicet festivitatum et celebritatis ac octabarum ipsarum et predictorum sex dierum diebus, quibus ecclesiam ipsam devote visitaverint ac manus porrexerint adiutrices, ut prefertur, Centum dies do iniunctis eis penitenciis misericorditer relaxamus. Presentibus post decem annos minime valituris. Volumus autem, quod si alias visitantibus ecclesiam predictam, seu ad fabricam ipsius manus porrigentibus adiutrices, aut alias inibi pias elemosinas erogantibus aliqua indulgencia imperpetuum, vel ad tempus certum nondum elapsum duratura fuerit concessa, huiusmodi presentes littere nullius existant roboris vel momenti. Datum Avinione XVII. Kal. Februarii, Pontificatus nostri Anno Sexto.

CCCCXXVI.

Iisdem visitantibus ecclesiam B. Mariae Virg. in praedicto Alsan et adiuvantibus indulgentiae concedantur.
Reg. An. V. Bull. divers. Tom. 3. fol. 550.

GREGORIUS EPISCOPUS etc. Universis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis, salutem etc. Licet is, de cuius munere venit etc. Cum itaque, sicut accepimus, Venerabilis frater noster Valentinus Episcopus Quinquecclesiensis in terra sua hereditaria, inter Scismaticos et infideles in loco de Alsan Quinquecclesiensis diocesis situata, de bonis a deo sibi collatis quandam ecclesiam in honorem et sub vocabulo beate Marie Virginis fundare incoperit opere sumptuoso: nos cupientes, ut ecclesia ipsa congruis honoribus frequentetur, et eciam perficiatur, et ut Christi fideles eo libencius causa devocionis confluant ad eandem, et pro consumacione ipsius operis eo promptius manus porrigant adiutrices, quo ibidem ex hoc uberius dono celestis gracie conspexerint se refectos, de omnipotentis dei misericordia et beatorum Potri et Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus vere penitentibus et confessis, qui in Nativitatis, Circumcisionis, Epiphanie, Resurrectionis, Ascensionis, Corporis domini nostri Ihesu Christi, Penthecostes, necnon Nativitatis, Annunciationis, Purificationis et Assumptionis beate Marie, ac Nativitatis beati Iohannis Baptiste, dictorum Apostolorum festivitatibus, ac in celebritate omnium Sanctorum, (et) per octabas ipsarum Nativitatis, Epiphanie, Resurrectionis, Ascensionis et Corporis domini, necnon Nativitatis et Assumptionis beate Marie, ac Nativitatis b. Iohannis et Apostolorum predictorum festivitatum et per sex dies dictam festivitatem Penthecostes immediate sequentes prefatam ecclesiam devote visitando annuatim ad fabricam ipsius manus porrexerint adiutrices, singulis videlicet festivitatum ac celebritatis et octabarum ipsarum et predictorum sex dierum diebus, quibus ecclesiam ipsam devote visitaverint ac manus adiutrices porrexerint, ut prefertur, Centum dies de iniunctis penitenciis eis misericorditer relaxamus. Presentibus post decem annos minime valituris. Volumus autem, quod si alias visitantibus ecclesiam predictam, seu ad fabricam ipsius manus porrigentibus adiutrices, aut alias inibi pias elemosinas erogantibus aliqua indulgencia imperpetuum, vel ad tempus certum nondum elapsum duratura auctoritate apostolica fuerit concessa, huiusmodi presentes littere nullius existant roboris vel momenti. Datum Avinione XVII. Kal. Februarii, Pontificatus nostri Anno Sexto.

CCCCXXVII.

Iisdem visitantibus ecclesiam s. Nicolai de Czechene Quinquecclens. dioec. et adiuvantibus indulgentiae concedantur.
Reg. An. VI. Bull. divers. Tom. 3. fol. 549.

GREGORIUS EPISCOPUS etc. Universis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis, salutem etc. Splendor paterne glorie etc. Cum itaque, sicut accepimus, ecclesia sancti Nicolai de Czechene Quinquecclesiensis diocesis per infideles Tartaros totaliter destructa existat, et non modica reparatione indigeat: nos cupientes, ut ecclesia ipsa reparetur et congruis honoribus frequentetur, et ut Christi fideles eo libencius causa devocionis confluant ad eandem, et ad reparationem huiusmodi manus porrigant adiutrices, quo ex hiis ibidem uberius dono celestis gracie conspexerint se refectos, de omnipotentis dei misericordia ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus vere penitentibus et confessis, qui in Nativitatis, Circumcisionis, Epiphanie, Resurrectionis, Ascensionis, Corporis domini nostri Ihesu Christi, Penthecostes, necnon Nativitatis, Annunciationis, Purificationis et Assumptionis beate Marie Virginis, et Nativitatis beati Iohannis Baptiste, dictorum Apostolorum et eiusdem beati Nicolai festivitatibus, ac in celebritate omnium Sanctorum, et per octabas ipsarum Nativitatis, Epiphanie, Resurrectionis, Ascensionis, Corporis domini, necnon Nativitatis et Assumptionis beate Marie, ac

Nativitatis beati Iohannis et Apostolorum predictorum festivitatum, et per sex dies festivitatem Penthecostes immediate sequentes ecclesiam ipsam devote visitaverint annuatim, et manus ad hoc porrexerint adiutrices, singulis videlicet festivitatum et celebritatis ac octabarum ipsarum et predictorum sex dierum diebus, quibus ecclesiam ipsam visitaverint et manus porrexerint, ut prefertur, Centum dies de iniunctis eis penitenciis miscricorditer relaxamus. Presentibus post viginti annos minime valituris. Volumus autem, quod si alias visitantibus ecclesiam predictam seu ad fabricam ipsius manus porrigentes adiutrices, aut alias inibi pias elemosinas erogantibus aliqua indulgencia imperpetuum, vel ad tempus certum nondum elapsum duratura auctoritate apostolica fuerit concessa, huiusmodi presentes littere nullius existant roboris vel momenti. Datum Avinione XVII. Kal. Februarii, Pontificatus nostri Anno Sexto.

CCCCXXVIII.

Demetrius episcopus Transilvanus ad ecclesiam Zagrabiensem transfertur, et de more commendatur.
Reg. Au. VI. Bull. divers. Tom. 3. fol. 56.

GREGORIUS EPISCOPUS etc. Venerabili fratri Demetrio Episcopo Zagrabiensi, salutem etc. Romani Pontificis, quem pastor ille celestis etc. Dudum siquidem bone memorie Stephano Episcopo Zagrabiensi regimini Zagrabiensis ecclesie presidente, nos cupientes eidem ecclesie, cum eam vacare contingeret, per operacionis nostre ministerium utilem et ydoneam presidere personam, provisionem eiusdem ecclesie ordinacioni et dispositioni nostre ea vice duximus specialiter reservandam, decernendo ex tunc irritum st inane, si secus super hiis per quoscumque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari. Postmodum vero prefata ecclesia per obitum ipsius Stephani Episcopi, qui extra Romanam Curiam diem clausit extremum, vacante, nos vacacione huiusmodi fidedignis relatibus intellecta ad provisionsm eiusdem ecclesie celerem et felicem, de qua nullus preter nos hac vice se intromittere potuit neque potest, reservacione et decreto obsistentibus supradictis, ne ecclesia ipsa prolixe vacacionis exponeretur incommodis, paternis et solicitis studiis intendentes, post deliberacionem, quam de preficiendo eidem ecclesie personam utilem et eciam fructuosam cum fratribus nostris habuimus diligentem, demum ad te Episcopum Transilvanum, considcratis grandium virtutum tuarum meritis, quibus personam tuam, sicut testimoniis fidedignis accepimus, divina gracia insignivit, et quod tu, qui regimini Transilvane ecclesie hactenus laudabiliter prefuisti, dictam Zagrabiensem ecclesiam scies et poteris, auctore domino, utiliter regere ac feliciter gubernare, nostrum animum duximus dirigendum. Intendentes itaque tam dicte Zagrabiensi ecclesie, quam eius gregi dominico salubriter providere, te a vinculo, quo eidem Transilvanc ecclesie, cui tunc preeras, tenebaris, de dictorum fratrum consilio et apostolice plenitudine potestatis absolventes, te ad dictam Zagrabiensem ecclesiam auctoritate apostolica transferimus, teque illi preficimus in Episcopum et pastorem, curam et administracionem dicte Zagrabiensis ecclesie tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, liberamque tibi dando licenciam ad prefatam Zagrabiensem ecclesiam transeundi, firma spe fiduciaque conceptis, quod tuos actus et opera illius clemencia dirigente, a quo universorum carismatum dona proveniunt, prelibate Zagrabiensi ecclesie per tuam diligentem solerciam, tuumque ministerium curiosum honoris et prosperitatis multiplicium votiva provenient incrementa. Volumus autem et tibi tenore presencium mandamus, quod antequam possessionem administracionis bonorum mense tue Episcopalis Zagrabiensis recipias, fidelitatis debite solitum prestes iuramentum iuxta formam, quam Venerabilibus fratribus nostris Quinqueeccleasiensi et Vesprimiensi Episcopis sub bulla nostra mittimus interclusam, quibus et eorum cuilibet per alias nostras litteras mandamus, ut a te nostro et ecclesie Romane nomine huiusmodi recipiant iuramentum. Quocirca fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenus ad prefatam Zagrabiensem ecclesiam cum gracia nostre benedictionis accedens, curam et administracionem ipsius sic solicite exercere studeas, gregem dominicum in ea tibi creditum doctrina verbi et operis informando iuxta datam a deo tibi prudenciam, quod dicta ecclesia Zagrabiensis per tuum cooperacionis ministerium fructuosum votivis iugiter proficiat commodis et successibus prosperis augeatur, tuque proinde divinam ac prefate sedis et nostram benedictionem et graciam uberius consequi merearis. Datum Avinione x. Kal. Februarii, Pontificatus nostri Anno Sexto.

In e. m. Dilectis filiis Capitulo ecclesie Zagrabiensis, Clero et populo Civitatis et diocesis Zagrabiensis, universis Vassallis ecclesie Zagrabiensis, Venerabili fratri Archiepiscopo Colocensi, et Carissimo in Christo filio Ludovico Regi Ungarie Illustri, quatenus eundem Demetrium Epum una cum ecclesia sua habeat propensius commendatos etc. Datum ut supra.

CCCCXXIX.

Dominicus archiepus Iadrensis ad ecclesiam Bosnensem transfertur. Reg. An. VI. Bull. divers. Tom. 3. fol. 60.

Gregorius episcopus etc. Venerabili fratri Dominico Episcopo Bosnensi, salutem etc. Romani Pontificis, quem pastor ille celestis etc. Sane ecclesia Bosnensi ex eo pastoris solatio destituta, quod nos hodie Venerabilem fratrem nostrum Petrum Iauriensem, tunc Bosnensem, Episcopum absentem a vinculo, quo ipsi ecclesie Bosnensi, cui tunc preerat, tenebatur, de fratrum nostrorum consilio et apostolice potestatis plenitudine absolventes, eum ad ecclesiam Iauriensem tunc vacantem duximus auctoritate apostolica transferendum, proficiendo ipsum eidem Iauriensi ecclesie in Episcopum et pastorem: nos ad provisionem ipsius Bosnensis ecclesie celorem et solicitam, ne longe vacationis exponeretur incommodis, paternis et solicitis studiis intendentes, post deliberationem, quam de preficiendo eidem Bosnensi ecclesie personam utilem et cciam fructuosam cum dictis fratribus habuimus diligentem, demum ad te Archiepiscopum Iadrensem, consideratis grandium virtutum tuarum meritis, quibus personam tuam, prout fidedignorum percepimus testimonio, altissimus insignivit, quodque tu, qui regimini dicte ecclesie Iadrensi hactenus laudabiliter prefuisti, prefatam Bosnensem ecclesiam scies et poteris, auctore dño, utiliter regere et feliciter gubernare, nostrum animum duximus dirigendum. Intendentes itaque tam dicte ecclesie Bosnensi, quam eius gregi dominico salubriter providere, te a vinculo, quo eidem Iadrensi ecclesie, cui tunc preeras, tenebaris, de dictorum fratrum consilio et apostolice potestatis plenitudine absolventes, te ad dictam Bosnensem ecclesiam auctoritate apostolica transferimus, teque illi preficimus in Episcopum et pastorem, curam et administrationem dicte Bosnensis ecclesie tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, liberamque tibi dando licenciam ad eandem Bosnensem ecclesiam transeundi, firma ducti fiducia, quod tuos actus et opora illius clomencia dirigente, a quo universorum carismatum dona proveniunt, prelibate Bosnensi ecclesie per tuam diligentem solerciam, tuumque ministerium curiosum honoris et prosperitatis multiplicum votiva (pro)venient incrementa. Volumus autem ac tibi tenore presentium mandamus, quod antequam possessionem administrationis bonorum ad mensam Episcopalem Bosnensem pertinentium recipias, fidelitatis debite solitum prestes iuramentum iuxta formam, quam Venerabilibus fratribus nostris Strigoniensi Archiepiscopo et Cenadiensi Episcopo sub bulla nostra mittimus interclusam, quibus et eorum cuilibet per alias nostras litteras mandamus, ut a te nostro et ecclesie Romane nomine huiusmodi recipiant iuramentum. Quocirca fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenus ad prefatam Bosnensem occlesiam cum gracia nostre benedictionis accedens, curam et administrationem sic diligenter geras et solicite prosequaris, quod ipsa Bosnensis ecclesia gubernatori provido et fructuoso administratori gaudeat se commissam, ac bone fame tue odor ex laudabilibus tuis actibus latius diffundatur, tuque preter retributionis eterne premium nostre benedictionis augmentum ac ipsius sedis graciam exinde uberius consequi merearis. Datum Avinione x. Kal. Februarii, Pontificatus nostri Anno Sexto.

In e. m. Dilectis filiis Capitulo et universis Vassallis ecclesie Bosnensis, Clero et populo Civitatis et diocesis Bosnensis, Venerabili Archiepiscopo Colocensi et Carissimo in Christo filio Ludovico Regi Ungarie Illustri.

CCCCXXX.

Ioannes episcopus Iauriensis ad ecclesiam Strigoniensem transfertur. Reg. An. VI. Bull. divers. Tom. 1. fol. 100.

Gregorius episcopus etc. Venerabili fratri Iohanni Episcopo Iauriensi in Archiepiscopum Strigoniensem electo, salutem etc. Romani pontificis cts. Dudum siquidom bone memorie Thoma Archiepo Strigoniensi regimini Strigoniensis ecclesie presidento, nos cupientes eidem ecclesie, cum eam vacare contingeret, per apostolice sedis providenciam utilem et ydoneam presidere personam, provisionem eiusdem ecclesie ordinacioni ot disposicioni nostre ea vice duximus specialiter reservandam, decernentes extunc irritum et inane, si secus super hiis per quoscumque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari. Postmodum vero prefata ecclesia per ipsius Thome obitum, qui extra Romanam curiam decessit, vacante, nos vacacione huiusmodi fidedignis relatibus intellecta ad provisionem eiusdom celorem et felicem, de qua nullus preter nos hac vice se intromittere potuit neque potest, reservacione et decroto obsistentibus supradictis, ne ecclesia ipsa longo vacacionis exponeretur incommodis, paternis et solicitis studiis intendentes, post deliberacionem, quam de preficiendo ecclesie predicte personam utilem et eciam fructuosam cum fratribus nostris habuimus diligentem, demum ad te Episcopum Iauriensem, consideratis grandium virtutum meritis, quibus personam tuam, prout fidedignis testimoniis

accepimus, altissimus insignivit, et quod tu regimini ecclesie Iauriensis hactenus laudabiliter prefuisti, dictam Strigoniensem ecclesiam scies et poteris, auctore domino, utiliter regere et feliciter gubernare, nostrum animum duximus dirigendum. Intendentes itaque tam dicte ecclesie Strigoniensi, quam eius gregi dominico salubriter providere, te a vinculo, quo prefate Iauriensi ecclesie, cui tunc preeras, tenebaris, de ipsorum fratrum consilio et apostolice potestatis plenitudine absolventes, te ad prefatam ecclesiam Strigoniensem auctoritate apostolica transferimus, teque illi prefecimus in Archiepiscopum et pastorem, curam et administracionem ipsius Strigoniensis ecclesie tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, firma ducti fiducia, quod tuos actus et opera illius clemencia dirigente, a quo universorum carismatum dona proveniunt, prefata Strigoniensis ecclesia per tuam curiosam solerciam tuumque ministerium studiosum honoris et prosperitatis multiplicibus in eisdem spiritualibus et temporalibus proficit incrementis. Quocirca fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenus impositum tibi onus regiminis dicte Strigoniensis ecclesie devote suscipiens, sic ipsius regimen solicite studeas exercere, gregem dominicum tibi creditum doctrina verbi et operis iuxta datam tibi a deo prudenciam informando, quod dicta ecclesia Strigoniensis per tuum cooperacionis ministerium fructuosum votivis iugiter proficiat commodis, et successibus prosperis augeatur, et tu proindo divinam, apostolice sedis ac nostram benedictionem et graciam uberius consequi merearis. Datum Avinione x. Kal. Februarii, Pontificatus nostri Anno Sexto.

In e. m. Dilectis filiis Capitulo et universis Vassallis ecclesie Strigoniensis, Clero et populo Civitatis et diocesis Strigoniensis, et Carissimo in Christo filio Ludovico Regi Ungarie Illustri.

CCCCXXXI.

Archiepiscopo Ragusino, ut nisi Pascham monasterio s. Michaelis de Peclina in abbatem prefecerit, Paulum monachum eiusdem ordinis aut prædictum Pascham, quem eorum idoneorem invenerit, aut alium in abbatem prefeciat. Reg. An. VI. Bull. divers. Tom. 3. fol. 59.

GREGORIUS EPISCOPUS etc. Venerabili fratri ... Archiepiscopo Ragusino, salutem etc. Ex suscepte servitutis officio curis assiduis angimur, et assidua meditacione pulsamur, ut vacantibus ecclesiis et monasteriis universis de celeri provisione utiliter et salubriter consulatur. Dudum siquidem quondam Pino (supra Poneto) Abbate Monasterii s. Michaelis de Peclina ord. s. Benedicti tue Ragusine diocesis regimini dicti Monasterii presidente, nos cupientes ipsi Monasterio, cum vacaret, per apostolice sedis providenciam utilem et ydoneam presidere personam, provisionem eiusdem monasterii ordinacioni et dispositioni nostre ea vice duximus specialiter reservandam, decernentes ex tunc irritum et inane, si secus super hiis per quoscumque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari. Et domum dicto monasterio per obitum dicti Pini Abbatis, qui extra Romanam curiam diem clausit extremum, vacante, ac exposito in consistorio coram nobis, quod dilectus filius Pascha Prior claustralis eiusdem monasterii ad regimen ipsius monasterii utilis et ydoneus existeret, Nos tibi per alias nostras litteras commisimus et mandavimus, ut de prefati Pasche ydoneitate et meritis te informans, si per informacionem huiusmodi eundem Pascha ad regimen dicti monasterii utilem et ydoneum fore repperires, de persona eiusdem Pasche, alioquin de alia persona eiusdem ordinis ad hoc utili et ydonea dicto monasterio ea vice auctoritate nostra provideres, ac eundem Pascham vel personam huiusmodi, de qua ipsi monasterio provideres, ut prefertur, eidem monasterio preficeres in Abbatem, curam et administracionem ipsius monasterii sibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, prout in dictis litteris plenius continetur. Cum autem postmodum in eodem consistorio fuerit propositum coram nobis, quod dilectus filius Paulus Bossati monachus monasterii sancte Marie de Insulatreme ordinis et dyocesis predictorum, ordinis ipsius expresse professus et in sacerdocio constitutus, reservacionis et decreti predictorum ignarus, per dilectum filium Pragonum de Polato monachum dicti monasterii sancti Michaelis huiusmodi reservacionis et decreti similiter inscium, cum nullus alius monachus ibidem tunc existeret, in Abbatem eiusdem monasterii sic vacantis ante datam litterarum ipsarum fuerat electus, et quod ipse Paulus pro regimine et administracione predictis utilis et ydoneus existeret: Nos attendentes, quod electio huiusmodi et quecumque inde secuta iuribus non subsistunt, quodque nullus preter nos hac vice de provisione ipsius monasterii sancti Michaelis se intromittere potuit, reservacione et decreto obsistentibus supradictis, ac cupientes eidem monasterio, ne prolixe vacacionis subiaceret incommodis, de persona idonea celeriter provideri, ac de ipsius Pauli sufficiencia et idoneitate certam noticiam non habentes, fraternitati tue, de qua in hiis et aliis specialem in domino fiduciam obtinemus, per apostolica scripta committimus et

mandamus, quatenus si tempore, quo presentes littere tibi presentabuntur, de ipsius Pasche vel alia persona huiusmodi per te eidem monasterio provisum non fuerit, de huiusmodi Pauli sufficiencia et ydoneitate diligenter to informans, si per informacionem huiusmodi dictum Paulum pro regimine dicti monasterii sufficientem et ydoneum esse reppereris, de illius ex ipsis Paulo et Pascha persona, quam pro regimine dicti monasterii sancti Michaelis sufficenciorem et magis ydoneum fore reppereris, ac si neuter ipsorum ad hoc ydoneus fuerit, de alia persona huiusmodi dicti ordinis ad hoc utili et ydonea, super quibus tuam conscienciam oneramus, eidem monasterio sancti Michaelis hac vice auctoritate nostra provideas, ac Paulum seu Pascha, aut aliam personam huiusmodi eidem monasterio preficias in Abbatem, curam et administracionem eiusdem monasterii sibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, sibique faciendo a suis subditis obedienciam et reverenciam debitas exiberi, Contradictores auctoritate predicta, appellacione postposita, compescendo, et nichilominus eidem persone, de qua eidem monasterio providebis, munus benedictionis impendas, vel per alium catholicum Antistitem graciam et communionem dicte sedis habentem impendi facias et procures. Volumus autem, quod tu vel idem Antistes, qui eidem persone prefatum munus impendes vel impendet, nostro et ecclesie Romane nomine ab eadem persona fidelitatis debite solitum recipias, seu recipiat iuramentum inxta formam, quam sub bulla nostra mittimus interclusam: formam autem iuramenti predicti, quam ipsa persona prestabit, nobis de verbo ad verbum per eius patentes litteras suo sigillo sigillatas per proprium nuncium procures, seu procuret quantocius destinare. Datum Avinione VIII. Kal. Februarii, Pontificatus nostri Anno Sexto.

CCCCXXXII.

Archiepiscopo Colocensi indulgetur, ut si sex canonicatus in ecclesia sua quatuor novis augeantur, eos quatuor viris idoneis conferre valeat. Reg. An. VI. Bull. divers. Tom. 2. fol. 25.

Gregorius episcopus etc. Venerabili fratri ... Archiepiscopo Colocensi, salut. etc. Personam tuam nobis et apostolice sedi devotam tuis exigentibus meritis paterna benevolencia prosequentes, illam tibi graciam libentor impendimus, per quem te possis aliis reddere graciosum. Hodie siquidem pro parte tua nobis exposito, quod licet olim in ecclesia tua Colocensi, in qua prebendarum distinctio non habetur, esse consuevisset numerus duodecim Canonicorum, tamen postmodum in ipsa ecclesia auctoritate ordinaria statutum fuerit, quod inibi sex dumtaxat Canonicorum numerus existeret, ac huiusmodi statutum per fel. record. Innocencii pape VI. predecessorem nostrum extiterat confirmatum, et quod fructus, redditus et proventus eiusdem ecclesie adeo sufficientes existebant, quod ex eis decem Canonici possent congrue substentari, et incumbentia eis onera supportare: nos dilecto filio Priori Conventus Rodi hospitalis sancti Iohannis Ierosolimitani nostris litteris dedimus in mandatis, ut si, vocatis dilectis filiis Capitulo dicte ecclesie, et aliis qui forent evocandi, sibi constaret, quod facultates predicte ecclesie pro decem Canonicis congrue sufficere possent, predicto et aliis quibuscumque eiusdem ecclesie statutis contrariis et confirmacione predicta nequaquam obstantibus, auctoritate apostolica statueret et ordinaret, quod in ipsa ecclesia deinceps decem Canonicorum numerus existeret, pront eciam in dictis litteris plenius continetur. Nos igitur attendentes, quod si per dictum Priorem huiusmodi decem Canonicorum numerus vigore dictarum litterarum in prefata ecclesia statui et ordinari contingat, quatuor persone erunt in Canonicos eiusdem ecclesie assumende, ac volentes predictam tuam honorare personam, fraternitati tue, si per dictum Priorem huiusmodi denarium Canonicorum numerum, ut prefertur, in dicta ecclesia ordinari seu statui contingat, conferendi auctoritate apostolica quatuor personis ydoneis, quas ad hoc duxeris eligendas, singulis videlicet ipsarum singulos Canonicatus ipsius ecclesie cum plenitudine iuris Canonici, ac omnibus iuribus et pertinenciis suis, et providendi ecclesiam do illis, ac faciendi personas ipsas vel procuratores earum pro ipsis in dicta ecclesia in Canonicos recipi et in fratres, stallo eis in choro et loco in Capitulo eiusdem ecclesie cum dicti iuris plenitudine assignatis, ac singulis personarum ipsarum de communibus eiusdem ecclesie proventibus, sicut aliis eiusdem ecclesio Canonicis infra dictum numerum ad presens existentibus exhibetur, porcionem integram exhiberi, Contradictores auctoritate nostra, appellacione postposita, compescendo, Non obstantibus predictis et quibusvis aliis eiusdem ecclesie statutis et consuetudinibus contrariis iuramento, confirmatione apostolica vel quacumque firmitate alia roboratis, Aut si aliqui in eadem ecclesia apostolica vel alia quavis auctoritate in Canonicos sint recepti, vel ut recipiantur, insistant, seu si super provisionibus sibi faciendis de Canonicatibus et porcionibus in eadem ecclesia speciales, vel aliis beneficiis ecclesiasticis in litis partibus generales apostolice sedis, vel legatorum eius litteras impetrarint, eciam si per eas ad inhibicionem,

reservacionem et decretum vel alias quomodolibet sit processum, quibus omnibus preterquam auctoritate nostra in ecclesia ipsa receptis, vel porciones expectantibus in eadem personas huiusmodi in assecucione Canonicatuum et porcionum huiusmodi volumus anteferri, sed nullum per hac eis quo ad assecucionem Canonicatuum et porcionum ac beneficiorum aliorum preiudicium generari, Seu si Archiepiscopo Colocensi, qui est pro tempore, et dilectis filiis Capitulo dicte ecclesie vel quibusvis aliis communiter vel divisim a dicta sit sede indultum, quod ad receptionem vel provisionem alicuius minime teneantur, et ad id compelli, aut quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint, quodque de Canonicatibus et porcionibus eiusdem ecclesie vel aliis beneficiis ecclesiasticis ad eorum collacionem, provisionem, presentacionem, seu quamvis aliam disposicionem communiter vel separatim spectantibus nulli valeat provideri per litteras apostolicas non fccientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mencionem, et qualibet alia dicte sedis indulgencia generali vel speciali, cuiuscumque tenoris existat, per quam presentibus non expressam vel totaliter non insertam effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri, et de qua cniusque toto tenore habenda sit in nostris litteris mencio specialis, aut si huiusmodi persone presentes non fuerint ad prestandum de observandis statutis et consuetudinibus ipsius ecclesie solitum iuramentum, dummodo in absencia sua per procuratorem ydoneum, et cum ad ecclesiam ipsam accesserint, corporaliter illud prestent, plenam et liberam concedimus tenore presentium facultatem, et insuper ex nunc irritum decernimus et inane, si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari. Volumus autem, quod de nominibus personarum, quibus huiusmodi Canonicatus conferes seu de illis providebis, et de die collacionis sen provisionis huiusmodi Cameram nostram, seu Collatorem fructuum et proventuum eidem Camere in illis partibus debitorum certificare procures. Datum Avinione XIII. Kal. Marcii, Pont. nostri Anno Sexto.

CCCCXXXIII.

Eidem indulgetur, ut cum quatuor natalium defectum patientibus dispensare possit, ut ad ordines promoveri et beneficia obtinere valeant. Reg. An. VI. Bull. divers. Tom. 2. fol. 25.

GREGORIUS EPISCOPUS etc. Venerabili fratri Antonio Archiepiscopo Colocensi, salutem etc. Personam tuam nobis et apostolice sedi devotam illis favore et gracia libenter prosequimur, per quos te aliis valeas reddere graciosum. Tuis igitur in hac parte supplicacionibus inclinati, fraternitati tue dispensandi cum sex personis de tuis Civitate vel diocesi aut provincia Colocensi oriundis, quas duxeris eligendas, defectum natalium patientibus de soluto vel subdiacono, diacono aut presbitero, eciam regulari et in dignitate constituto, vel alio quocumque dampnato coitu, et soluta aut coniugata, vel coniugato et soluta, seu eciam coniugatis genitis, quod huiusmodi non obstante defectu ad omnes ordines promoveri, et earum quelibet unum beneficium ecclesiasticum, eciam si curam habeat animarum, obtinere libere et licite valeat, plenam et liberam concedimus tenore presentium facultatem. Datum Avinione XIII. Kalendis Marcii, Pontificatus nostri Anno Sexto.

CCCCXXXIV.

Eidem conceditur, ut in sua diocesi et provincia presbyteris grecis schismaticis, ne de cetero officium tabellionatus exerceant, auctoritate apost. inhibere possit. Reg. An. VI. Bull. divers. Tom. 2. fol. 25.

GREGORIUS EPISCOPUS etc. Venerabili fratri . . . Archiepiscopo Colocensi, salutem etc. Iustis petentium votis libenter annuimus, et illa prosequimur favoribus oportunis. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte tua peticio continebat, quod in tuis Civitate et diocesi et provincia Colocensi quedam consuetudo, ymo verius corruptela inolevit, videlicet quod nonnulli presbiteri Greci ac scismatici officium tabellionatus exercere et super contractibus, qui in partibus illis inter Christianos et Catholicos pro tempore fiunt, instrumenta publica conficere presumunt, propter quod contingit, quod huiusmodi Scismatici cum Catholicis plurimum conversantur in animarum Christifidelium non modicum detrimentum; Quare pro parte tua nobis fuit humiliter supplicatum, ut providere super hoc de oportuno remedio dignaremur. Nos igitur huiusmodi supplicacionibus inclinati, fraternitati tue inhibendi auctoritate apostolica quibuscumque presbiteris scismaticis, ne huiusmodi tabellionatus officium de cetero in Civitate, diocesi et provincia predictis aliquatenus exercere, vel publica instrumenta super quibuscumque contractibus conficere presumant, Contradictores quoque ac rebelles quoslibet auctoritate predicta per subtractionem communionis fidelium et aliis iuris remediis, appellacione postposita, compescendi, plenam et liberam concedimus tenore presentium facultatem. Datum Avinione XIII. Kal. Marcii, P. n. Anno Sexto.

CCCCXXXV.

Fratribus ord. Minorum vicarie Boznensis licentia quemdam locum per Ioannem de Hornati banum de Machov oblatum recipiendi conceditur. Reg. An. VI. Bull. divers. Tom. 3. fol. 359.

GREGORIUS EPISCOPUS etc. Dilctis filiis Vicario et fratribus ordinis Minorum Vicarie Boznensis secundum morem dicti ordinis, salutem etc. Sacre vestre religionis, sub qua devotum exhibetis domino famulatum, promoretur honostas, ut votis vestris, illis presertim, per que angeri possit cultus divinus, favorabiliter annuamus. Exhibita siquidem nobis nupor pro parte vestra, et dilecti filii nobilis viri Iohannis de Hornati Bani de Machov Quinqueecclesiensis diocesis peticio continebat, quod ipse ex zelo fidei et singulari devociono, qnam ad ordinem vestrum gerit, cupit in dicta diocesi in loco ad hoc magis apto et condecenti, et in feudo proprio ad honorem et laudem dei ac beati Francisci eius ordinis fundatoris de bonis sibi a deo collatis, in suorum et eius parentum remissionem peccatorum, de licencia dominii temporalis, sub cuius dominio locus ipse fuit, ecclesiam seu cappellam vel oratorium cum campanili, campana, cimiterio, domibus et aliis necessariis officinis pro usu et habitacione fratrum monasterii eiusdem, qui ibidem divino cultui vacare, et Scismaticis ac Paternis in illis partibus existentibus predicare verbum dei, eosque ad unionem orthodoxe fidei et sancte catholice ecclesie reducere valeant, construere et fundare: quare pro vostra et dicti nobilis parte nobis fuit humiliter supplicatum, ut eidem nobili faciendi predicta, et vobis huiusmodi locum recipiendi et retinendi licenciam de benignitate apostolica concedere dignaremur. Nos igitur, qui dictorum divini cultus vestreque religionis augmentum ferventer appetimus, huinsmodi supplicacionibus inclinati, eidem nobili ecclesiam seu cappellam vel oratorium cum campanili, campana, cimiterio, domibus et aliis necessariis officinis supradictis construendi et fundandi, vobisque huiusmodi locum cum predictis ecclesia seu cappella vel oratorio, campanili, campana, cimiterio, domibus et officinis recipiendi et perpetuo retinendi pro usu et habitacione predictis, dummodo diocesani loci ad id accedat assensus, felicis record. Bonifacii pape VIII. predecessoris nostri prohibente, no fratres ordinum mendicantinm in aliquibus civitate, castro vel villis, seu alio loco domos vel alia loca quecumque recipere de novo presumant absque sedis apostolice licencia speciali, faciente plenam et expressam de prohibiciono huiusmodi mencionem, et quibuslibet aliis constitucionibus apostolicis contrariis nequaquam obstantibus, inre tamen parrochialis ecclesie et cuiuslibet alterius in omnibus semper salvo, auctoritate apostolica tenore presentium de speciali gracia liconciam elargimur, vobis nichilominns concedentes, quod vos et alii fratres vestri ordinis, qui in huiusmodi loco, postquam per vos receptus fuerit, pro tempore morabuntur, gaudeatis et gaudeant omnibus et singulis graciis et privilegiis, ac exemptionibus et libertatibus, quibus in aliis locis vestri ordinis gandere consuevistis seu eciam debuistis. Nulli ergo etc. nostre concessionis infringere etc. Datum Avinione XIIII. Kal. Marcii, Pontificatus nostri Anno Sexto.

CCCCXXXVI.

Archiepiscopo Ragusino, ut si alterum ex supradictis Pascha et Paulo monasterio s. Michaelis de Peclina in abbatem praefecerit, alterum aut alium idoneum monasterio s. Ioannis Bapt. Drivastensis diocesis in abbatem praeficiat. Reg. An. VI. Bull. divers. Tom. 1. fol. 114.

GREGORIUS EPISCOPUS etc. Venerabili fratri ... Archiepiscopo Ragusino, salutem etc. Solicite consideracionis indaginem, prout pastoralis officii solicitudo requiritur, circa statum ecclesiarum et monasteriorum omnium extendentes, operose diligencie studium libenter impendimus, ut ecclesiis et monasteriis ipsis, ne longe vacacionis incommodis pregraventur, de salubri remedio succurratur. Sane dudum monasterio sancti Michaelis de Peclina ordinis sancti Benedicti tue Ragusine diocesis per obitum quondam Pini dicti monasterii Abbatis extra Romanam curiam defuncti vacante, ac exposito in consistorio coram nobis, quod dilectus filius Pascha Prior claustralis eiusdem monasterii ad regimen ipsius monasterii, cuius provisio ante obitum dicti Pini crat disposicioni sedis apostolice cum interposicione decreti specialiter reservata, utilis et ydoneus existeret, nos tibi per alias nostras litteras commisimus et mandavimus, nt de prefati Pascho ydoneitate et meritis te informans, et si per informacionem huiusmodi eundem Pascham ad regimen dicti monasterii utilom et ydoneum fore repperires, de persona eiusdem Pasche, alioqnin de alia persona dicti ordinis ad hoc utili et ydonea dicto monasterio ea vice auctoritate nostra provideres, ac eundom Pascham vel personam huiusmodi, do qua ipsi monasterio provideres, ut prefertur, eidem monasterio preficeres in Abbatem, curam et administracionem ipsius monasterii sibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo. Et deinde proposito in eodem consistorio

coram nobis, quod dilectus filius Paulus Bossati monachus monastorii sancte Marie de Insulatreme ordinis et diocesis predictorum, ordinem ipsum expresse professus et in sacerdocio constitutus, reservacionis et decreti predictorum ignarus, per dilectum filium Pragonium de Polato monachum dicti monasterii sancti Michaelis huiusmodi, reservacionis et decreti similiter inscium, cum nullus alius monachus ibidem tunc existeret, in Abbatem oiusdem monasterii sic vacantis ante datam litterarum ipsarum fuerat electus, et quod ipse Paulus pro regimine et administracione predictis utilis et ydoneus existebat: nos attendentes, quod electio huiusmodi et quecumque inde secuta iuribus non subsistebant, tibi nostris aliis dedimus litteris in mandatis, ut si tempore, quo huiusmodi secunde littere tibi presentaretur, de ipsius Pasche vel alia persona huiusmodi per te eidem monasterio provisum non esset, de huiusmodi Pauli sufficiencia et idoneitate diligenter te informans, et si per informacionem huinsmodi dictum Paulum pro regimine dicti monasterii sufficientem et ydoneum esse repperires, de illius ex ipsis Paulo et Pascha persona, quam pro regimine dicti monasterii sancti Michaelis sufficienciorem et magis ydoneam fore repperires, ac si neuter ipsorum ad hoc ydoneus foret, de alia persona huiusmodi dicti ordinis ad hoc utili et ydonea, super quibus tuam conscienciam oncravimus, eidem monasterio sancti Michaelis ea vice auctoritate nostra provideres, ac Paulum seu Pascham aut aliam personam huiusmodi eidem monasterio preficeres in Abbatem, curam et administracionem oiusdem monasterii sibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, sibique faciendo a suis subditis honorem et reverenciam debitos exhiberi, pront in eisdom litteris plenius continetur. Verum cum dudum quondam Michael Abbate monasterii sancti Iohannis Baptiste dicti ordinis Drivastensis diocesis regimini eiusdem monasterii sancti Iohannis presidente, nos cupientes ipsi monasterio, cum vacaret, per apostolice sedis providenciam utilem et ydoneam presidere personam, provisionem eiusdem monasterii sancti Iohannis ordinacioni et disposicioni nostre ea vice duxerimus specialiter reservandam, decernentes extunc irritum et inane, si secus super hiis per quoscunque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari, dictumque monasterium sancti Iohannis per obitum eiusdem Michaelis vacare noscatur, nullusque preter nos hac vice de provisione ipsius monasterii sancti Iohannis se intromittere potuit, neque possit, reservacione et decreto obsistentibus supradictis: nos cupientes eidem monasterio sancti Iohannis, ne prolixe vacacionis subiaceat incommodis, de persona ydonea salubriter provideri, fraternitati tue, de qua in hiis et aliis specialem in domino fiduciam obtinemus, per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus si de altero ex ipsis Paulo et Pascha prefato monasterio sancti Michaelis provideris, et reliquum ex eis pro regimine dicti monasterii sancti Iohannis per diligentem informacionem sufficientem et ydoneum esse reppereris, de ipso reliquo, alioquin de alia persona dicti ordinis ad hoc utili et ydonea, super quibus tuam conscionciam oneramus, eidem monasterio sancti Iohannis sic vacanti hac vice auctoritate nostra provideas, ac ipsum reliquum seu aliam personam huiusmodi eidem monasterio preficias in Abbatem, curam et administracionem ipsius monasterii sibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, sibique faciendo a suis subditis obedienciam et reverenciam debitas exhiberi, Contradictores auctoritate predicta, appellacione postposita, compescendo, ac nichilominns illi persone, de qua eidem monasterio providebis, munus benedictionis impendas, vel per alium catholicum Antistitem graciam et communionem dicte sedis habentem impendi facias ot procures. Volumus autem, quod tu vel idem Antistes, qui eidem persone prefatum munus impendes vel impendet, nostro ot ecclesio Romane nomine ab eadem persona fidelitatis debite solitum recipias, seu recipiat iuramentum iuxta formam, quam sub bulla nostra mittimus interclusam: formam autem iuramenti predicti, quam ipsa persona prestabit, de verbo ad verbum per eius patentes litteras suo sigillo signatas per proprium nuncium procures, seu procuret quantocius destinare. Datum Avinione II. Kal. Marcii, P. n. Anno Sexto.

CCCCXXXVII.

Ioanni archiepiscopo Strigoniensi pallium conceditur. Reg. An. VI. Bull. divers. Tom. 2. fol. 51.

GREGORIUS EPISCOPUS etc. Venerabili fratri Iohanni Archiepiscopo Strigoniensi, salutem etc. Cum nuper te tunc Iauriensem Episcopum a vinculo, quo tenebaris ecclesie Iauriensi, cuius regimini presidebas, de fratrum nostrorum consilio et apostolice potestatis plenitudine absolventes, te ad ecclesiam Strigoniensem tunc vacantem duxerimus transferendum, preficiendo te illi in Archiepiscopum et pastorem, curam et administracionem ipsius Strigoniensis ecclesie tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, liberamque tibi dando licenciam ad predictam Strigoniensem ecclesiam transeundi, prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur; ac postmodum palleum, insigne plenitudinis

videlicet pontificalis officii, a nobis ex parte tua fuisset cum ea qua decuit instancia postulatum: nos huiusmodi supplicacionibus annuentes, palleum ipsum de corpore beati Petri sumptum per dilectos filios nostros Hugonem sancte Marie in Porticu, ac Iacobi sancti Georgii ad Velum aureum diaconos Cardinales tibi mandavimus assignari, ut illo infra ecclesiam tuam illis diebus dumtaxat utaris, qui expressi in ipsius Strigoniensis ecclesie privilegiis continentur, recepto per eos a te postmodum nostro et ecclesie Romane nomine fidelitatis solite iuramento. Ut igitur signum non discrepet a signato, sed quod geris exterius, intus serves in mente, fraternitatem tuam monemus et hortamur in domino, per apostolica tibi scripta mandantes, quatenus humilitatem et iusticiam, dante domino, qui dat munera et largitur premia, observare studeas, que suum servant et promovent servatorem, ac ecclesiam Strigoniensem sponsam tuam solicite, auctore domino, spiritualiter et temporaliter augmentare. Datum Avinione III. Nonas Maii, Pontificatus nostri Anno Sexto.

CCCCXXXVIII.

Gobellinus plebanus plebis Insulae Christianae Strigon. dioc. ecclesiae Transilvanae in episcopum praeficitur.
Reg. An. VI. Bull. divers. Tom. 1. fol. 105.

GREGORIUS EPISCOPUS etc. Dilecto filio Gobellino Electo Transilvano, salutem etc. Apostolatus officium etc. Dudum siquidem provisiones omnium ecclesiarum Cathedralium, extunc inantea vacaturarum per translaciones de prelatis earum ubilibet constitutis, per nos faciendas in posterum alias ad ecclesias Cathedrales tunc vacantes, et extunc inantea vacaturas ordinacioni et disposicioni nostre duximus reservandas, decernentes extunc irritum et inane, si secus super hiis per quoscunque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari. Postmodum vero ecclesia Transilvana ex eo pastoris solacio destituta, quod nos nuper apud Venerabilem fratrem nostrum Demetrium Zagrabiensem tunc Transilvanum Episcopum licet absentem a vinculo, quo ipsi ecclesie Transilvane, cui tunc preerat, tenebatur, de fratrum nostrorum consilio et apostolice potestatis plenitudine absolventes, eum ad ecclesiam Zagrabiensem tunc vacantem duximus auctoritate apostolica transferendum, preficiendo ipsum eidem ecclesie Zagrabiensi in Episcopum et pastorem: nos ad provisionem ipsius Transilvane ecclesie celerem et felicem, de qua nullus preter nos hac vice se intromittere potuit, neque potest, reservacione et decreto obsistentibus supradictis, ne ipsa Transilvana ecclesia longe vacacionis exponeretur incommodis, paternis et solicitis studiis intendentes, post deliberacionem, quam de preficiendo eidem Transilvane ecclesie personam utilem et eciam fructuosam cum dictis fratribus habuimus diligentem, demum ad te plebanum plebis Insulecristiane Strigoniensis diocesis, in presbiteratus ordine constitutum, litterarum sciencia preditum, vite ac morum honestate decorum, in spiritualibus providum et in temporalibus circumspectum, et aliis multiplicium virtutum meritis, prout ex fidedignis testimoniis percepimus, insignitum, direximus oculos nostre mentis: quibus omnibus debita meditacione pensatis, de persona tua, nobis et eisdem fratribus ob dictorum tuorum exigenciam meritorum accepta, eidem Transilvane ecclesie de ipsorum fratrum consilio auctoritate apostolica providemus, teque illi preficimus in Episcopum et pastorem, curam et administracionem ipsius Transilvane ecclesie tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, in illo qui dat gracias et largitur premia confidentes, quod dextera domini tibi assistente propicia, prefata Transilvana ecclesia sub tuo felici regimine prospere et salubriter dirigetur, ac grata in eisdem spiritualibus et temporalibus suscipiet incrementa. Iugum igitur domini tuis impositum humeris prompta devocione suscipiens, curam et administracionem predictas sic exercere studeas solicite, fideliter et prudenter, quod ipsa Transilvana ecclesia gubernatori provido et administratori fructuoso gaudeat se commissam, tuque proinde preter eterne retribucionis premium benivolencie nostre ac sedis apostolice graciam uberius consequi mereatis. Datum Avinione III. Nonas Maii, P. n. Anno VI.

In e. m. Venerabili fratri ... Archicpiscopo Colocensi, dilectis filiis Capitulo et universis Vassallis ecclesie Transilvane, Clero et populo Civitatis et dioccsis Transilvane, necnon Carissimo in Christo filio Ludovico Regi Ungarie Illustri.

CCCCXXXIX.

Eidem Gobellino indulgetur, ut a quocumque maluerit antistite catholico consecrationis munus recipere possit.
Reg. An. VI. Bull. divers. Tom. 2. fol. 64.

GREGORIUS EPISCOPUS etc. Dilecto filio Gobellino Electo Transilvano, salutem etc. Cum nos hodie Transilvane ecclesie pastoris regimine destitute de persona tua, nobis et fratribus nostris ob tuorum

exigenciam meritorum accepta, de fratrum eorumdem consilio auctoritate apostolica duxerimus providendum, preficiendo te illi in Episcopum et pastorem, prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur: Nos ad ea, que ad tue commoditatis augmentum cedere valeant, favorabiliter intendentes, tuis supplicacionibus inclinati tibi, ut a quocumque malueris catholico Antistite graciam et communionem apostolice sedis habente, ascitis et in hoc sibi assistentibus duobus vel tribus catholicis Episcopis similem graciam et communionem habentibus, munus consecracionis recipere valeas, ac eidem Antistiti, ut munus predictum auctoritate nostra impendere libere tibi possit, plenam et liberam concedimus tenore presencium facultatem. Volumus autem, quod idem Antistes, qui tibi prefatum munus impendet, postquam illud tibi impenderit, a te nostro et Romane ecclesie nomine fidelitatis debite solitum recipiat iuramentum iuxta formam, quam sub bulla nostra mittimus interclusam, ac formam iuramenti, quod te prestare contigerit, nobis de verbo ad verbum per tuas patentes litteras tuo sigillo signatas per proprium nuncium quantocius destinare procures, quodque per hoc Venerabili fratri nostro ... Archiepiscopo Colocensi, cui prefata ecclesia metropolitico iure subesse dinoscitur, nullum imposterum preiudicium generetur. Datum Avinione III. Nonas Maii, Pontificatus nostri Anno Sexto.

CCCCXL.

Petrus plebanus s. Stephani preficitur ecclesie Iadrensi in archiepiscopum. Reg. An. VI. Bull. divers. Tom. 1. fol. 112.

GREGORIUS EPISCOPUS etc. Dilecto filio Petro Electo Iadrensi, salut. etc. Apostolatus officium etc. Dudum siquidem provisiones omnium ecclesiarum Cathedralium, extunc inantea vacaturarum per translaciones de prelatis earum ubilibet constitutis, per nos faciendas imposterum ad alias ecclesias Cathedrales tunc vacantes, et imposterum vacaturas ordinacioni et disposicioni nostre duximus reservandas, decernentes extunc irritum et inane, si secus super hiis per quoscunque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari. Postmodum vero Iadrensi ecclesia ex eo pastoris solacio destituta, quod nos Venerabilem fratrem nostrum Dominicum Episcopum Bosnensem, tunc Iadrensem Archiepum, licet absentem a vinculo, quo ipsi Iadrensi ecclesie, cui tunc preerat, tenebatur, de fratrum nostrorum consilio et apostolice potestatis plenitudine absolventes, eum ad ecclesiam Bosnensem tunc vacantem duximus auctoritate apostolica transferendum, preficiendo eum eidem Bosnensi ecclesie in Episcopum et pastorem: nos ad provisionem ipsius Iadrensis ecclesie celerem et felicem, de qua nullus preter nos hac vice se intromittere potuit, neque potest, reservacione et decreto obsistentibus supradictis, ne ipsa Iadrensis ecclesia longe vacacionis exponeretur incommodis, paternis et solicitis studiis intendentes, post deliberacionem, quam de preficiendo eidem Iadrensi ecclesie personam utilem et eciam fructuosam cum dictis fratribus habuimus diligentem, demum ad te plebanum sancti Stephani Iadrensis, in minoribus dumtaxat ordinibus constitutum, litterarum sciencia preditum, vite ac morum honestate decorum, in spiritualibus providum et in temporalibus circumspectum, aliisque multiplicium virtutum donis, prout fidedignis testimoniis accepimus, insignitum direximus aciem nostre mentis: quibus omnibus debita meditacione pensatis, de persona tua, nobis et eisdem fratribus ob dictorum tuorum exigenciam meritorum accepta, prefate Iadrensi ecclesie de dictorum fratrum consilio auctoritate apostolica providemus, teque illi preficimus in Archiepiscopum et pastorem, curam et administracionem ipsius Iadrensis ecclesie tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, in illo, qui dat gracias et largitur premia, confidentes, quod prefate Iadrensis ecclesia sub tuo felici regimine, gracia tibi assistente divina, prospere et salubriter dirigetur, et grata in eisdem spiritualibus et temporalibus suscipiet incrementa. Iugum igitur dñi tuis impositum humeris prompta devocione suscipiens, curam et administracionem predictas sic exercere studeas solicite, fideliter et prudenter, quod ipsa Iadrensis ecclesia gubernatori provido et fructuoso administratori gaudeat se commissam, tuque proinde eterne retribucionis premium et benivolencie nostre et sedis apostolice graciam uberius consequi mereatis. Dat. Avinione III. Non. Maii, An. VI.

In e. m. Universis Suffraganeis ecclesie Iadrensis, et Capitulo ac universis Vassallis ecclesie Iadrensis, Clero et populo Civitatis et diocesis Iadrensis, et Ludovico Regi Ungarie.

CCCCXLI.

Eidem Petro indulgetur, ut a quocumque maluerit antistite catholico consecrationis munus recipere valeat.
Reg. An. Bull. divers. Tom. 2. fol. 67.

GREGORIUS EPISCOPUS etc. Dilecto filio Petro Electo Iadrensi, salutem etc. Cum nos hodie Iadrensi ecclesie pastoris regimine destitute de persona tua, nobis et fratribus nostris ob tuorum exigenciam

meritorum accepta, de fratrum eorumdem consilio auctoritate apostolica duxerimus providendum, preficiendo te illi in Archiepiscopum et pastorem, prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur: Nos ad ea, que ad tue commoditatis augmentum cedere valeant, favorabiliter intendentes, tuis supplicacionibus inclinati, ut a quocumque malueris catholico Antistite graciam et communionem apostolice sedis habente, ascitis et in hoc sibi assistentibus duobus vel tribus catholicis Episcopis similem graciam et communionem habentibus, munus consecracionis recipere valeas, ac eidem Antistiti, ut munus predictum auctoritate nostra impendere libere tibi possit, plenam et liberam concedimus tenore presencium facultatem. Volumus autem, quod idem Antistes, qui tibi prefatum munus impendet, postquam illud tibi impenderit, a te nostro et ecclesie Romane nomine fidelitatis debite solitum recipiat iuramentum iuxta formam, quam sub bulla nostra mittimus interclusam, ac formam iuramenti, quod te prestare contigerit, nobis de verbo ad verbum per tuas patentes litteras tuo sigillo signatas per proprium nuncium quantocius destinare procures. Datum Avinione III. Nonas Maii, Pontificatus nostri Anno Sexto.

CCCCXLII.

Petrus rector ecclesiae s. Nicolai de Rsztercia Transilvanae dioec. ecclesiae Vaciensi praeficitur in episcopum.
Reg. Aa. VI. Bull. divers. Tom. I. fol. 111.

Gregorius episcopus etc. Dilecto filio Petro Electo Wachiensi, salutem etc. Apostolatus officium quamquam insufficientibus meritis nobis ex alto commissum, quo ecclesiarum omnium regimini presidemus, utiliter exequi, coadiuvante domino, cupientes, soliciti corde reddimur et solertes, ut cum de ipsarum regiminibus agitur committendis, tales eis in pastores preficere studeamus, qui commissum sibi gregem dominicum sciant non solum doctrina verbi, sed exemplo boni operis informare, commissasque sibi ecclesias in statu pacifico et tranquillo velint et valeant, duce domino, salubriter regere et feliciter gubernare. Nuper siquidem ecclesia Wachiensi ex eo pastoris solacio destituta, quod nos Venerabilem fratrem nostrum Iohannem Iauriensem tunc Wachiensem Episcopum, licet absentem, a vinculo, quo ipsi ecclesie Wachiensi, cui tunc preerat, tenebatur, de fratrum nostrorum consilio et apostolice potestatis plenitudine absolventes, ipsum ad ecclesiam Iauriensem tunc vacantem duximus auctoritate apostolica transferendum, preficiendo ipsum eidem Iauriensi ecclesie in Episcopum et pastorem: nos attendentes, quod nullus preter nos hac vice de provisione ipsius Wachiensis ecclesie se intromittere potuit neque potest, pro eo quod nos diu ante huiusmodi vacacionem dicte Wachiensis ecclesie provisiones omnium Cathedralium ecclesiarum tunc vacantium, et imposterum vacaturarum per translaciones per nos imposterum faciendas de prelatis earum ubilibet constitutis ad alias Cathedrales ecclesias tunc vacantes, et inantea vacaturas ordinacioni et disposicioni nostre duximus reservandas, decernendo extunc irritum et inane, si secus super hiis per quoscumque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari, ac ad provisionem ipsius Wachiensis ecclesie celerem et felicem, ne longe vacacionis exponeretur incommodis, paternis et solicitis studiis intendentes, post deliberacionem, quam de preficiendo eidem Wachiensi ecclesie personam utilem et eciam fructuosam cum dictis fratribus habuimus diligentem, demum ad te Rectorem parrochialis ecclesie sancii Nicolai de Rzstercia Transilvane diocesis, in presbiteratus ordine constitutum, litterarum sciencia preditum, vite ac morum honestate decorum, in spiritualibus providum et in temporalibus circumspectum, aliisque virtutum donis, prout fidedignorum accepimus testimonio, insignitum, pro quo eciam dilecti filii Capitulum dicte Wachiensis ecclesie per eorum patentes litteras nobis super hoc humiliter supplicarunt, direximus oculos nostre mentis: quibus omnibus debita meditacione pensatis, de persona tua, nobis et eisdem fratribus ob dictorum tuorum exigenciam meritorum accepta, eidem Wachiensi ecclesie de dictorum fratrum consilio auctoritate apostolica providemus, teque illi preficimus in Episcopum et pastorem, curam et administracionem ipsius Wachiensis ecclesie tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, in illo, qui dat gracias et largitur premia, confidentes, quod prefata Wachiensis ecclesia sub tuo felici regimine, gracia tibi assistente divina, prospere et salubriter dirigetur, ac grata in eisdem spiritualibus et temporalibus suscipiet incrementa. Iugum igitur domini tuos impositum humeris prompta devocione suscipiens, curam et administracionem predictas sic exercere studeas solicite, fideliter et prudenter, quod ipsa Wachiensis ecclesia gubernatore provido et fructuoso administratori gaudeat se commissam, tuque preter eterne retribucionis premium nostram benivolenciam ac sedis apostolice graciam uberius consequi merearis. Datum Avinione III. Nonas Maii, Pontificatus nostri Anno Sexto.

In e. m. Capitulo, Clero et populo, Vassallis ecclesie Wachiensis et Archiepo Strigoniensi.

CCCCXLIII.

Eidem electo Vaciensi indulgetur, ut a quocumque maluerit antistite catholico consecrationis munus recipere possit.
Reg. An. VI. Bull. divers. Tom. 2. fol. 68.

Gregorius episcopus etc. Dilecto filio Petro Electo Wachiensi, salutem etc. Cum nos hodie Wachiensi ecclesie pastoris regimine destitute de persona tua, nobis et fratribus nostris ob tuorum exigenciam meritorum accepta, de fratrum eorumdem consilio auctoritate apostolica duxerimus providendum, preficiendo te illi in Episcopum et pastorem, prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur: nos ad ea, que ad tue commoditatis augmentum etc. ut in superiori que dirigitur Petro Electo Iadrensi usque procures, quodque per hoc Venerabili fratri nostro Archiepiscopo Strigoniensi, cui prefata ecclesia metropolitico iure subesse dinoscitur, nullum imposterum preiudicium generetur. Datum Avinione III. Nonas Maii, Pontificatus nostri Anno Sexto.

CCCCXLIV.

Episcopo Zagrabiensi, ut de unione ecclesiarum metropolitanarum Colocensis et Bachiensis inquirat et pontifici referat.
Reg. An. VI. Bull. divers. Tom. 2. fol. 140.

Gregorius episcopus etc. Venerabili fratri ... Episcopo Zagrabiensi, salutem etc. Exhibita nobis nuper pro parte Venerabilis fratris nostri Stephani Archiepiscopi Colocensi peticio continebat, quod Colocensis et Bachiensis ecclesie, que in Regno Ungarie consistunt, Metropolitane existunt, et quod fuerunt ab antiquis temporibus tanquam Metropolitane auctoritate apostolica invicem canonice unite; quod dudum ecclesiis ipsis tunc certo modo vacantibus, tanquam Metropolitanis et insimul canonice unitis, per fel. record. Iohannem papam XXII. predecessorem nostrum de persona bone memorie Ladislai Archiepiscopi Colocensis fuit auctoritate prefata provisum, et quod Archiepiscopi Colocenses predecessores ipsius Stephani, qui fuerunt pro tempore, eisdem ecclesiis tanquam Metropolitanis et insimul canonice unitis prefuerunt, ipsarumque ecclesiarum regimen et administracionem a tanto tempore habuerunt et eciam exercuerunt, cuius contrarii memoria non existit, ipseque ecclesie pro Metropolitanis et sic canonice unitis ab omnibus communiter habite et reputate fuerunt, ac habentur et eciam reputantur; quodque, cum eisdem ecclesiis pastore carentibus Electio Archiepiscopi Colocensis imminet pro tempore facienda, Electio ipsa in Capitulo ipsius ecclesie Bachiensis a tempore predicto celebrari consuevit. Cum autem, sicut eadem peticio subiungebat; littere apostolice, que super unione huiusmodi fuerunt confecta, occasione guerrarum, que in illis partibus viguerunt, seu alias casualiter sunt amisse, pro parte ipsius Archiepiscopi nobis fuit humiliter supplicatum, ut ne de unione huiusmodi, et an eadem Bachiensis ecclesia Metropolitana existat, valeat imposterum hesitari, providere super hoc de oportuno remedio dignaremur. Nos igitur de premissis certam noticiam non habentes, ac volentes indempnitati earumdem ecclesiarum providere, huiusmodi supplicacionibus inclinati fraternitati tue, de qua in hiis et aliis specialem in domino fiduciam obtinemus, per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus de premissis omnibus et singulis et eorum circumstanciis universis, et presertim de litteris unionis huiusmodi et earum tenore auctoritate apostolica diligencius te informes, et quicquid per informacionem huiusmodi repereris, per tuas litteras in publicam formam redactas, tuoque sigillo signatas harum seriem continentes nobis quantocius intimare procures, ut per informacionem huiusmodi de premissis sufficienter instructi, quod super hiis expediens fuerit, auctore domino, securius agere valeamus. Datum Avinione II. Nonas Maii, Pontificatus nostri Anno Sexto.

CCCCXLV.

Archiepiscopo Strigoniensi, ut Ioannem Zudar prepositum ecclesiae Alberegalis et Villianum Nicolai canonicum Budensem ob iniurias etc. Ladislao Philippi canonico ecclesiae Alberegalis illatas excommunicatos publice nuntiet.
Reg. An. VI. Bull. divers. Tom. 2. fol. 192.

Gregorius episcopus etc. Venerabili fratri ... Archiepiscopo Strigoniensi, salutem etc. Exhibita nobis pro parte dilecti filii Ladislai Philippi Canonici ecclesie Alberegalis Vesprimiensis diocesis peticio continebat, quod olim Iohannes Zudar Prepositus, tunc Custos dicte ecclesie, ad instanciam Villiani Nicolai pro Canonico ecclesie Budensis dicte diocesis se gerentis, per quosdam alios dicte ecclesie Alberegalis Canonicos, et nonnullos ipsius Prepositi, tunc Custodis, familiares armata manu predictum Ladislaum tunc in domo propria existentem de dicta domo violenter extrahi, et ipsum ad terram prostratum diversis ictibus letaliter vulnerari fecit, et demum ipso Ladislao sic vulnerato et quasi semivivo dimisso,

prefatus Iohannes Prepositus, tunc Custos, cum dictis suis familiaribus ad domum dicti Ladislai accedens quosdam equos ac vestes, et pecunias et suppellectilia, et alia res et bona, que ibidem reperiit, ad ipsum Ladislaum pertinentia asportari fecit, et nichilominus eundem Ladislaum sic vulneratum ac pedibus et manibus ligatum in profunditate cuiusdam turris omni luce carentis, in qua erat magna multitudo ranarum, serpentum et aliarum ferarum venceno infectarum, intrudi et incarcerari, et ibidem per spacium quinque septimanarum captivatum detinuit: quodque ipso Ladislao sic carcerato existente, prefatus Prepositus, tunc Custos, una cum dicto Villiano ad dictam turrim venientes ipsum Ladislaum, qui tunc propter penas et tribulaciones, quas passus fuerat, extra sensum ot racionem sue memorie penitus existebat, cum minis et terroribus, ac demum promittendo sibi, quod ipsum a carceribus predictis liberarent, nequiter ac de facto compulerunt ad permutandum cum ipso Villiano Canonicatum et prebendam, quos idem Ladislaus in dicta ecclesia Alberegalis obtinebat, pro Canonicatu et prebenda dicte ecclesie Budensis, ac tam Prepositus quam Villianus predicti eidem Ladislao diversas alias iniurias intulerunt. Cum autem prefatus Ladislaus, prout asscrit, Prepositi et Villiani ct aliorum predictorum potenciam merito perhorrescens eos infra Civitatem seu diocesim Vesprimiensem nequeat convenire secure, pro parte ipsius fuit nobis humiliter supplicatum, ut providere sibi in premissis de benignitate apostolica dignaremur. Nos itaque huiusmodi supplicacionibus inclinati fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenus si de huiusmodi extractione, prostracione, vulneracione et carcerącione et detencione tibi constiterit, prefatos sacrilegos tamdiu excommunicatos, appellacione remota, publice nuncies, et facias ab omnibus arcius evitari, donec passo iniuriam satisfeccrint competenter, et cum tuarum testimonio litterarum ad sedem venient apostolicam absolvendi, super alias vero vocatis qui fuerint evocandi, et auditis hinc inde propositis, quod iustum fucrit, summarie et de plano sine strepitu et figura iudicii, appellacione remota, decernas, faciens quod decreveris per ccnsuram ecclesiasticam firmiter observari, Non obstante si prefatis Proposito et Villiano, vel quibusvis aliis communiter vel divisim a sede predicta sit indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari aut ad iudicium evocari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mencionem. Datum Avinione VI. Idus Iunii, Pontificatus nostri Anno Sexto.

CCCCXLVI.

Archiepo Colocensi, ut quosdam canonicos Titulenses et alios, si Nicolao Helie canonico iniurias etc. irrogarint, excommunicatos nuntiet. Reg. An. VI. Bull. divers. Tom. 3. fol. 709.

Gregorius episcopus etc. Venerabili fratri ... Archiepiscopo Colocensi, salutem etc. Exhibita nobis pro parte dilecti filii Nicolai Helie Canonici ecclesie Titulensis Colocensis diocesis peticio continebat, quod olim dilecti filii Capitulum ipsius ecclesie falso pretendentes, quod ipse Nicolaus quasdam decimas et res alias tunc expressas ad ipsos Capitulum pertinentes receperat et imbursaverat, et quod propterea ipsi. Capitulum triginta marchis argenti vel circiter per ipsum Nicolaum dampnificati fuerant, eundem Nicolaum super premissis coram Venerabili fratri nostro Archiepiscopo Strigoniensi, qui omnimodam iurisdictionem ecclesiasticam in personas ipsius ecclesie de antiqua et approbata, et hactenus pacifica observata consuetudine se posse exercere asserit, fecerunt ad iudicium evocari: et tamen postquam in causa hniusmodi inter partes ipsas coram dicto Archiepiscopo ad nonnullos actus processum fuerat, eciam dicta causa coram Archiepiscopo pendente, Bartholomeus Cantor, Iohannes Lector, Ipolitus dictus de Barana, Helias dictus Walko, Nicolaus de Buda, Iohannes Ruffu, Valentinus dictus Nasultus et Michael dictus Chectze Canonici dicte ecclesie cum quibusdam aliis eorum in hac parte complicibus de mandato dictorum Capituli, ut dicebant, ipsum Nicolaum, dei timore postposito, temere et violenter ceperunt, et carceribus manciparunt, ac centum et quadraginta diebus detinuerunt carceribus mancipatum, ac Cantor, Lector, Canonici et Capitulum predicti ipsum Nicolaum Canonicatu et prebenda ipsius ecclesie, quos tunc vacantes per obitum quondam Iohannis Theutonici Canonici dicte ecclesie canonice assecutus fucrat, et per plures annos tenuerat et possederat, et tunc eciam tenebat ot possidebat pacifice et quiete, ac omnibus bonis suis contra iusticiam spoliarunt, ct extunc detinuerunt spoliatum, ac dilectum filium Martinum dictum Theutonicum presbiterum in dicta diocesi commorantem in dictis Canonicatu et prebenda intruserunt, idemque Martinus illos occupavit, prout detinet indebite occupatos, fructus percipiendo ex eis: a quibus quidem spoliacione et intrusione prefatus Nicolaus senciens exinde indebite se gravatum, ad sedem apostolicam appellavit; sed ipsi Cantor, Lector et Canonici ac Capitulum eciam post et contra huiusmodi appellacionem, cuius non erant ignari, ad domum dicti Nicolai

cum armis hostiliter accedentes valvas ipsius domus fregerunt, et demum dictum Nicolaum per Georgium dictum Tribuarium laicum dicte dioccsis ipsorum vassallum vituperari et verberari fecerunt, et ei multas alias iniurias irrogarunt. Quare dictus Nicolaus nobis humiliter supplicavit, ut causam appellacionis huiusmodi et negociorum principalium alicui committere, et ei alias providere in premissis de benignitate apostolica dignaremur. Nos itaque huiusmodi supplicacionibus inclinati, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenus si de captione, detencione ac verberacione huiusmodi tibi constiterit, dictos Cantorem, Lectorem, Canonicos, laicum et complices sacrilegos tamdiu, appellacione remota, excommunicatos publice nuncies et facias ab omnibus arcius evitari, donec passo iniuriam satisfecerint competenter, et cum tuarum testimonio litterarum ad sedem venerint apostolicam absolvendi, super aliis vero, vocatis qui fuerint evocandi, legitimisque per eundem Archiepum in causa predicta habitis servatis processibus, et auditis hinc inde propositis, quod iustum fuerit, appellacione cessante, decernas, facicns quod decreveris per ccnsuram ecclesiasticam firmiter observari, Non obstante si eisdem Cantori, Lectori, Canonicis, Capitulo, Martino et laico, vel quibusvis aliis communiter vel divisim a predicta sit sede indultum, quod interdici, suspendi et excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mencionem. Datum Avinione xv. Kal. Iulii, Pontificatus nostri Anno Sexto.

CCCCXLVII.

Pontifex authenticum reddit procuratorii instrumentum, quo rex Hungariae et dux Transilvanus quosdam procuratores constituerunt ad assignandum pontifici regnum Siciliae, exceptis titulo principatus Salernitani et honore Montis S. Angeli. Reg. An. VI. Bull. divers. Tom. 1. fol. 12.

Gregorius episcopus etc. Ad futuram rei memoriam. Dudum Carissimus in Christo filius noster Ludovicus Rex Ungarie Illustris et quondam Stephanus Dux Transilvanus, eiusdem Regis frater, certos procuratores suos per suas patentes litteras eorum sigilli sigillatas fecerunt, constituerunt, crearunt et eciam ordinarunt: quarum quidem litterarum tenor sequitur in hec verba.

Noverint universi et singuli presens procuratorium inspecturi, quod nos Ludovicus dei gracia Ungarie Rex ac nos Stephanus eadem gracia Dux Transilvanus, frater eiusdem Illustrissimi Regis, votis et beneplacitis Sanctissimi in Christo patris domini Clementis divina providencia sacrosancte Romane et universalis ecclesie summi pontificis nos conformare volentes, et eiusdem in hac parte condescendere voluntati, Venerabilem patrem nostrum Iohannem divina providencia Episcopum Vesprimiensem, aule Reginalis Cancellarium, et nobilem virum Uricum de Wolphard Comitem Castriferri, presentes et presens mandatum sponte suscipientes, et quoslibet eorum in solidum, ita quod non sit melior condicio occupantis, sed quod unus eorum incepit, alter prosequi ac mediare valeat et finire, facimus, constituimus, creamus et ordinamus simul et uterque nostrum per se nostros veros, certos et legitimos procuratores, actores, factores et nuncios speciales omnibus viis et modis, quibus melius fieri de iure potest, ipsis et eorum cuilibet in solidum per has nostras patentes litteras mandantes, et specialem, plenam et liberam ac absolutam potestatem dantes et concedentes nostro, et utriusque nostrum nomine solemniter promittendi, et nos et utrumque nostrum obligandi ad dandum et assignandum, ac dari et assignari faciendum realiter, plene et libere ac efficaciter in manibus domini nostri pape, vel alterius cuiuscunque aut quorumcunque, quem seu quos ipse dominus noster papa ad hoc duxerit deputandum seu deputandos, nobis non suspectum vel non suspectos, infra certum terminum ad hoc per ipsum dominum papam, aut dictos procuratores nostros vel eorum alterum statuendum, titulis dumtaxat paternis, scilicet principatu Salernitano et honore Montisaancti Angeli exceptis, omnes et singulas Civitates, Castra, terras, villas, fortalicia, casalia et quelibet alia loca, tenimenta et territoria, ac omnia alia et singula quecunque habemus et tenemus per nos seu alterum nostrum, alium vel alios nostro nomine in regno Sicilie et terris citra farum usque ad confinia terrarum Romane ecclesie, et in corporalem possessionem omnium et singulorum quo supra premissorum dictum dominum papam, vel alium seu alios, quem seu quos ipse dominus papa ad hoc deputaverit, nobis, ut premittitur, non suspectos, pure, plene et libere, ac efficaciter et realiter inducendum seu induci faciendum, nosque ipsa et uterque nostrum hec omnia et singula presentis scripture testimonio adimplere, et adimpleturos et facturos, ac curaturos realiter adimpleri solemniter promittimus, et ad ea adimplenda nos ipsos et utrumque nostrum obligamus. Ceterum damus dictis nostris procuratoribus, et cuilibet eorum in solidum plenam et liberam potestatem, et speciale mandatum nostro et utriusque nostrum nomine promittendi, sicut et nos promittimus, quod

omnes et singulos, qui in regno Sicilie nostro nomine residenciam faciunt, et pro nobis dictum regnum Sicilie aut terras alias supradictas, seu earundem aliquam intraverunt, abinde recedere et exire, omni excusacione et quesito colore cessante, et absque notabili dampno et lesione Regnicolarum et aliorum in dictis terris habitancium faciemus, et quod ita omnes et singuli predicti facient, nos et uterque nostrum bona fide procurabimus, ot promittimus in verbo Regali cum effectu. Dictis autem recedentibus do regno et terris dictis dabuntur in locis, per que transire habebunt, victualia necessaria pro precio competenti. Sane omnes et singulos, qui, ut promittitur, exhibunt de dicto regno Sicilie, et qui sub nostro nomine intraverunt, dictus dominus papa efficaciter operabitur et facict una cum rebus suis quibuslibet ad locum tutum et securum conduci. Illis autem, qui remanere voluerint, cuiuscunque status et condicionis existant, de dicto regno Sicilie oriundis, vel qui fuerunt familiares clare memorie Regis Andree fratris nostri, undecunque fuerint oriundi, dictus dominus papa remittat, et remittere necessario teneatur omnes iniurias et offensas illatas Romane ecclesie uberiorem ad cautelam, quodque dictus dominus papa bona fide curabit, et efficaciter procurabit, quod dampna et detrimenta, siqua per eos reperientur illata, ac iniurie et offense personales seu reales quibuscunque personis, cuiuscunque condicionis vel status et preeminencie existant, illate fuerint, per illos, quorum intererit, effective omni excusacione et quesito colore cessante, remittantur. Et nichilominus volumus, quod predicti procuratores nostri seu quilibet eorum in solidum modo, quo promittitur, fac ero possint, et faciant statim premissorum omnium tradicionem et realem assignacionem dicto domino pape, vel alii seu aliis, ad quem vel ad quos modo quo supra ipse dominus papa super hoc duxerit de putandos. Preterea dictis nostris procuratoribus et cuilibet eorum in solidum damus et concedimus plenum, generale ac speciale mandatum transferendi et ponendi totaliter in manibus dicti domini pape totam causam, quam habemus seu habere possemus occasione mortis dicti Regis Andree fratris nostri legitimi contra quoscunque, qui culpabiles fuerint de morte eiusdem Regis Andree, cuiuscunque preeminencie, dignitatis, condicionis, sexus aut status existant, sperantes per sanctam sedem et dominum nostrum papam iusticiam fieri de eisdem, quod totum eiusdem domini pape consciencie et sancte sedis diffinicioni duximus relinquendum. Ceterum predictis nostris procuratoribus, et cuilibet eorum in solidum dantes et concedentes speciale mandatum, et liberam potestatem utriusque nostrum nomine, prout eis et eorum cuilibet videbitur faciendum, de remissione regalium, quos ex causa in nostra forcia detentos habemus, tractandi, paciscendi et ordinandi quidquid modo quo supra pro nobis eisdem videbitur expedire, et fuerit oportunum, super quo ipsis nostris procuratoribus, et eorum cuilibet in solidum modo quo supra plenam, absolutam et liberam ac omnimodam concedimus potestatem. Postromo quia bonarum mencium est timore culpam ubi forsitan culpa non est, ideo nostre intencionis existit, quod dictus dominus papa ex superhabundanti saltem et ad cautelam remittat omnes iniurias et offensas, ut premittitur, sique ipsi domino pape et ecclesie Romane tempore preterito per quascunque personas nobis adherentes, cuiuscunque dignitatis, condicionis, status, preeminencie, sexus, ordinis et gradus extiterint, facte fuissent occasione receptionis, apprehensionis seu obtencionis dicti regni Sicilie per nos, vel alios nostro nomine quomodolibet fractarum, committereque tenentur per suas litteras alicui seu aliquibus, quod quibuscunque petentibus ex causis predictis vel aliqua earumdem beneficium absolucionis in forma ecclesie gracioso impendant, et alias sentencias quaslibet, suspensionis videlicet et interdicti, apostolica auctoritate relaxent, cum talibus, ut in susceptis et suscipiendis ordinibus ac dignitatibus et beneficiis seu officiis quibuscunque, que taliter sunt adepti, seu eos imposterum contingeret adipisci, ministrare et retinere valeant, super irregularitate, quam propterea contraxissent, et quolibet defectu alio dispensando. Super quibus omnibus ot singulis petendis, tradendis, faciendis, promittendis, assignandis, quitandis et renunciandis et exercendis, et generaliter ac specialiter in omnibus et singulis supradictis eisdem procuratoribus nostris, ac cuilibet eorum in solidum plenam et liberam potestatem et auctoritatem, ac plenum, liberum, generale ac speciale mandatum cum plena, libera et generali administracione nos et uterque nostrum damus et concedimus per presentes, et generaliter omnia et singula tractandi, dicendi, promittendi, faciendi, que ad robur et perpetuam firmitatem omnium et singulorum prodictorum, vel eis connexorum aut dependentium eorumdem dici, fieri et excogitari possent, et erunt pro expedicione et effectuali exocucione predictorum necessaria seu eciam oportuna, promittentes tenore presentium nos et uterque nostrum ratum, gratum et firmum habere et tenere perpetuo, quidquid per dictos procuratores nostros vel alterum eorum petitum, obtentum, tractatum, promissum, firmatum, traditum et assignatum, quitatum et alias factum fuerit, seu gestum nostro nomine et utriusque nostrum in premissis et quolibet promissorum, litteras

nostras patentes amborum nostrum sigillis sigillatas confirmacionis, approbacionis omnium et singulorum, que acta et facta fuerunt per dictos procuratores nostros, vel alterum eorum in premissis vel aliquo premissorum modo predicto promittimus concedere, et dicto domino nostro pape aut deputandis ab eo tradere, vel transmittere infra terminum per dictum dominum papam procuratoribus nostris predictis vel eorum alteri prefigendum. Datum Bude undecima die mensis Octobris Anno domini Millesimo trecentesimo quinquagesimo primo.

Ceterum ut earumdem litterarum tenor predictus sic insertus omnimodam iuris seu facti certitudinem faciat, apostolica auctoritate decernimus, ut illud idem robur eamque vim eumdemque vigorem dictus tenor per omnia habeat, que haberent originales littere supradicte, et eadem prorsus eidem tenori fides adhibeatur quandocunque et ubicunque in iudicio vel alibi, ubi fuerit exhibitus vel ostensus, et eidem stetur firmiter in omnibus, sicut eisdem originalibus litteris staretur, si forent exhibite vel ostense. Nulli ergo etc. nostre constitucionis infringere etc. Datum Avinione x. Kal. Septembris, Pontificatus nostri Anno Sexto.

CCCCXLVIII.

Matthaeus de Nursia ord. s. Augustini ecclesiae Polatensi in episcopum praeficitur. Reg. An. VI. Bull. divers. Tom. 1. fol. 152.

GREGORIUS EPISCOPUS etc. Dilecto filio Matheo de Nursia Electo Polatensi, salutem etc. Inter cetera, que superna disposicione nobis imminent peragenda, ad id nimirum soliciti reddimur, ut viduatis ecclesiis tales preficiamus in pastores, per quorum industriam et solicitudinem circumspectam indempnitati earum provideatur salubriter, ac ecclesie ipse in spiritualibus et temporalibus valeant adaugeri. Dudum siquidem provisiones omnium ecclesiarum Cathedralium tunc apud sedem apostolicam vacantium, et imposterum vacaturarum ordinacioni et disposicioni nostre duximus reservandas, decernentes extunc irritum et inane, si secus super hiis per quoscunque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari. Postmodum vero ecclesia Polatensi per obitum bone memorie Laurencii Episcopi Polatensis, qui apud sedem predictam diem clausit extremum, apud sedem predictam vacante, nos vacacione huiusmodi fidedignis relatibus intellecta ad provisionem ipsius celerem et felicem, de qua nullus preter nos hac vice se intromittere potuit, neque potest, reservacione et decreto obsistentibus supradictis, ne ecclesia ipsa longe vacacionis subiaceret incommodis, paternis et solicitis studiis intendentes, post deliberacionem, quam de preficiendo eidem ecclesie personam utilem et eciam fructuosam cum fratribus nostris habuimus diligentem, demum ad te ordinis fratrum heremitarum sancti Augustini professorem, in sacerdocio constitutum, cui de religionis zelo, litterarum sciencia, vite mundicia, honestate morum aliisque multiplicium virtutum donis apud nos fidedigna testimonia perhibentur, direximus oculos nostre mentis: quibus omnibus debita meditacione pensatis, de persona tua, nobis et eisdem fratribus nostris ob dictorum tuorum exigenciam meritorum accepta, de eorumdem fratrum nostrorum consilio eidem ecclesie Polatensi auctoritate apostolica providemus, teque illi preficimus in Episcopum et pastorem, curam et administracionem ipsius ecclesie tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, in illo, qui dat gracias et largitur premia, confidentes, quod, dextera domini tibi assistente propicia, prefata ecclesia sub tuo felici regimine prospere dirigetur, ac grata in eisdem spiritualibus et temporalibus suscipiet incrementa. Volumus autem, quod quamprimum huiusmodi provisionis litteras habueris expeditas, ad ecclesiam ipsam accedas et personaliter resideas in eadem, et quod tu preterquam in civitate et diocesi Polatensi officia pontificalia minime valeas exercere. Iugum igitur domini tuis impositum humeris prompta devocione suscipiens, curam et administracionem predictas sic diligenter geras sicque solicite prosequaris, quod eadem Polatensis ecclesia gubernatori provido et fructuoso administratori gaudeat se commissam, tuque preter eterne retribucionis premium nostram et dicte sedis graciam exinde uberius consequi merearis. Datum apud Villamnovam Avinionensis diocesis VI. Kal. Septembris, Pontificatus nostri Anno Sexto.

In e. m. Archiepiscopo Antibarensi, Capitulo, Clero et populo et Vassalis ecclesie Polatensis.

CCCCXLIX.

Petro electo Iadrensi indulgetur, ut omnes ordines minores successive quatuor diebus dominicis, et deinde manus consecrationis a quocunque maluerit antistite catholico recipere possit. Reg. An. VI. Bull. divers. Tom. 2. fol. 224.

GREGORIUS EPISCOPUS etc. Dilecto filio Petro Electo Iadrensi, salutem etc. Cum nos pridem Iadrensi ecclesie pastoris regimine destitute de persona tua, nobis et fratribus nostris et ob tuorum exi-

genciam meritorum accepta, de fratrum eorundem consilio auctoritate apostolica duxerimus providendum, preficiendo te illi in Archiepiscoopum et pastorem, prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur: Nos ad ea, que ad tue commoditatis augmentum cedere valeant, favorabiliter intendentes, tuis supplicacionibus inclinati tibi clericali caractere dumtaxat insignito, ut a quocumque malueris catholico Antistite graciam et communionem apostolice sedis habente omnes minores sacros ordines successive quatuor diebus dominicis, et deinde ab eodem vel alio Antistite similem graciam et communionem obtinente, ascitis et in hoc sibi assistentibus duobus vel tribus catholicis Episcopis similem graciam et communionem habentibus, munus consecracionis recipere valeas, et eidem Antistiti, ut ordines conferre et munus predicta auctoritate nostra impendere libere tibi possit, plenam et liberam concedimus tenore presentium facultatem. Volumus autem, quod idem Antistes, qui tibi prefatum munus impendet, postquam illud tibi impenderit, a te nostro et Romane ecclesie nomine fidelitatis debite solitum recipiat iuramentum iuxta formam, quam sub bulla nostra mittimus interclusam, ac formam iuramenti, quod te prestare contigerit, nobis de verbo ad verbum per tuas patentes litteras tuo sigillo signatas per proprium nuncium quantocius destinare procures. Datum Aviniono IV. Kalendas Septembris, Pontificatus nostri Anno Sexto.

CCCCL.

Episcopia Dulcinensi et Drivastensi, ut in causa Demetrii Nesse et Ioannis episcopi de vacationibus, postulatione et electione inquirant et referant. Reg. An. VI. Bull. divers. Tom. 2. fol. 120.

GREGORIUS EPISCOPUS etc. Venerabilibus fratribus Dulcinensi et Drivastensi Episcopis, sal. etc. Olim per felicis record. Urbanum papam V. predecessorem nostrum quorumdam relacione percepto, quod ecclesia Arbanensis per obitum bone memorie Andree Arbanensis Episcopi vacabat, dictus predecessor de persona Venerabilis fratris nostri Iohannis Episcopi, ordinis fratrum Predicatorum professoris, eidem ecclesie providit, ipsumque illi prefecit in Episcopum et pastorem, qui postmodum sibi obtinuit munus consecracionis impendi. Postmodum vero, sicut accepimus, dilectus filius Demetrius Nesa ordinis fratrum Minorum professor asserens, quod prefata ecclesia temporo provisionis et prefectionis huiusmodi minime vacabat, seque postea, ipsa[que] ecclesia per obitum bone memorie Georgii Episcopi Arbanensis vacante, per dilectos filios Capitulum ipsius ecclesie in Episcopum Arbanensem postulatum fuisse, prefatum Iohannem, qui in huiusmodi provisionis et prefectionis vigore dictam ecclesiam pacifice possidebat, eadem ecclesia spoliavit. Nos igitur de premissis certam noticiam non habentes, ac incommodis, quibus propter premissa ecclesia ipsa subiacet, cupientes celeriter et salubriter obviare, fraternitati vestre, de qua in hiis et aliis specialem in domino fiduciam obtinemus, per apostolica scripta commictimus et mandamus, quatenus vocatis qui fuerint evocandi, summarie de plano ac sine strepitu et figura iudicii de vacacionibus, postulacione et spoliacione predictis, necnon alias de iuribus utriusque partis, et aliis eorum circumstanciis universis auctoritate nostra vos diligencius informetis, et quicquid per informacionem huiusmodi reperitis, per vestras patentes litteras manu publica scriptas vestrisque, sigillis signatas harum seriem continentes nobis fideliter intimare curetis, ut per informacionem vestram huiusmodi sufficienter instructi consultius in premissis agere valeamus. Datum Avinione IV. Idus Septembris, Pontificatus nostri Anno Sexto.

CCCCLI.

Paulus prepositus Varadiensis ecclesiae Cenadiensi in episcopum praeficitur. Reg. An. VII. cod. chart. Tom. 50. fol. 13.

GREGORIUS EPISCOPUS etc. Dilecto filio Paulo Electo Cenadiensi, salutem etc. Apostolatus officium etc. Dudum siquidem bone memorie Nicolao Episcopo Cenadiensi regimini Cenadiensis ecclesie presidente, nos cupientes eidem ecclesie, cum ipsam vacare contingeret, utilem et fructuosam per apostolice sedis providenciam preesse personam, provisionem eiusdem ecclesie ordinacioni et disposicioni nostre ea vice duximus specialiter reservandam, decernentes ex tunc irritum et inane, si secus super hiis per quoscumquo quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari. Postmodum vero dicta ecclesia per obitum ipsius Nicolai Episcopi, qui extra Romanam curiam diem clausit extremum, vacante, nos vacacione huiusmodi fidedignis relatibus intellecta ad provisionem ipsius ecclesie celerem et felicem, de qua nullus preter nos hac vice se intromittere potuit neque potest, reservacione et decreto obsistentibus supradictis, ne ecclesia ipsa longe vacacionis subiaceret incommodis, paternis et solicitis studiis intendentes, post deliberacionem, quam de preficiendo eidem ecclesie personam utilem et

eciam fructuosam cum fratribus nostris habuimus diligentem, domum ad te Prepositum ecclesie Waradiensis, in sacerdocio constitutum, litterarum sciencia preditum, vite ac morum honestate decorum, in spiritualibus providum et in temporalibus circumspectum, aliisque multiplicium virtutum meritis, prout testimoniis fidedignis accepimus, insignitum direximus aciem nostre mentis: quibus omnibus dobita meditacione pensatis, de persona tua, nobis et eisdem fratribus ob dictorum tuorum exigenciam meritorum accepta, eidem Cenadiensi ecclesie de dictorum fratrum consilio auctoritate apostolica providemus, teque illi preficimus in Episcopum et pastorem, curam et administracionem ipsius Cenadiensis ecclesie tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, in illo, qui dat gracias et largitur premia, confidentes, quod prefata Cenadiensis ecclesia sub tuo felici regimine, gracia tibi assistente divina, prospere et feliciter dirigetur, ac grata in eisdem spiritualibus et temporalibus suscipiet incrementa. Iugum igitur domini tuis impositum humeris prompta devocione suscipiens, curam et administracionem predictas sic exercere studeas solicite, fideliter et prudenter, quod ipsa Conadiensis ecclesia gubernatori provido et fructuoso administratori gaudeat se commissam, tuque proinde preter eterne retribucionis premium nostram ac sedis benedictionem predicte et graciam uberius consequi merearis. Datum Rome apud Sanctum Petrum v. Kal. Februarii, Pontificatus nostri Anno Septimo.

CCCCLII.

Thesaurario ecclesias S. Spiritus Chasmensis, ut Mykech Vesselkonis presbytero Zagrabiensi provisionem de parrochiali ecclesia omnium Sanctorum de Nardeh per episcopum Zagrabiensem factam auctoritate apostolica confirmare possit. Reg. An. VII. cod. chart. Tom. 29. fol. 20.

Gregorius episcopus etc. Dilecto filio Thesaurario ecclesie Sancti Spiritus Chasmensis Zagrabiensis diocesis, salutem etc. Dignum arbitramur et congruum, ut illis se reddat sedes apostolica graciosa, quibus ad id propria virtutis merita laudabiliter suffragantur. Sane peticio pro parte dilecti filii Mykech Vesselkonis presbiteri Zagrabiensis diocesis nobis nuper exhibita continebat, quod olim parrochiali ecclesia omnium Sanctorum de Nardeh dicte diocesis per obitum quondam Andree dicti Vanitas ipsius ecclesie Rectoris, qui extra Romanam Curiam diem clausit extremum, vacante, Venerabilis frater noster Demetrius Episcopus Zagrabiensis ecclesiam predictam sic vacantem et ad collacionem suam pertinentem, nullique de iure debitam eidem Mykech auctoritate ordinaria contulit, et providet eciam de eadem canonice, nisi apostolice reservaciones obstarent, aut ipsius ecclesie collacio esset ad sedem predictam iuxta Lateranensis statuta concilii legitime devoluta. Cum autem, sicut eadem peticio subiungebat, dictus Mykech dubitet eandem ecclesiam tempore collacionis et provisionis huiusmodi disposicioni apostolice specialiter reservatam, aut ipsius ecclesie collacionem iuxta statuta predicta ad eandem sedem legitime devolutam fore, seque propterea super dicta ecclesia posse imposterum molestari: Nos volentes dictum Mykech, apud nos de probitatis et virtutis meritis multipliciter commendatum, horum intuitu favore prosequi gracioso, ipsius Mykech in hac parte supplicacionibus inclinati, discrecioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus si per diligens examen dictum Mykech bene legere, bene construere et bene cantare ac congrue loqui latinis verbis, et alias ad obtinendum dictam ecclesiam ydoneum repereris, vel eciam si bene non cantaret, dummodo in tuis manibus iurat ad sancta dei evangelia, quod infra annum a tempore examinis huiusmodi computandum bene cantare addiscet, super quibus tuam conscienciam oneramus, eidem Mykech auctoritate nostra concedas, quod collacio et provisio predicte et quecumque indo secuta perinde a data presentium, dummodo Andreas familiaris noster non fuerit, veleant, plenamque obtineant roboris firmitatem, ac si de dicta ecclesia nulla per sedem apostolicam specialis reservacio facta foret, ipsiusque ecclesie collacio non esset ad eandem sedem iuxta statuta predicta, ut premittitur, devoluta. Datum Rome apud Sanctum Petrum Kalendis Februarii, Pontificatus nostri Anno Septimo.

CCCCLIII.

Demetrio episcopo Zagrabiensi conceditur, ut duas dignitates suae ecclesiae duobus viris idoneis conferre possit. Reg. An. VII. cod. chart. Tom. 29. fol. 3.

Gregorius episcopus etc. Venerabili fratri Demetrio Episcopo Zagrabiensi, salutem etc. Personam tuam tuis claris exigentibus meritis paterna benivolencia prosequentes, illam tibi graciam libenter impendimus, per quam tibi possis aliis reddere graciosum. Tuis itaque supplicacionibus inclinati, fraternitati tue reservandi hac vice auctoritate apostolica donacioni tue duas dignitates cum cura vel sine

cura in ecclesia tua Zagrabiensi, dummodo aliqua ipsarum maior post pontificalem non existat, si que tempore reservacionum huiusmodi vacabant, vel cum extunc vacaverint, quas due persone ydonee, quas ad hoc duxeris eligendas, per se vel procuratores suos ad hoc legitime constitutos infra unius mensis spacium, postquam eisdem personis vel procuratoribus predictis vacaciones ipsarum innotuerint, duxerint acceptandas, singulas videlicet earum singulis personis eisdem, eciam si quelibet earum duo vel tria beneficia ecclesiastica sine cura obtineat, post acceptacionem huiusmodi cum omnibus iuribus et pertinenciis suis conferendas, inhibendi quoque districtius successoribus tuis Episcopis, qui erunt pro tempore, ac dilectis filiis Capitulo Zagrabiensi, ac illi vel illis, ad quem vel ad quos in eadem ecclesia dignitatum collacio, provisio, presentacio seu quevis alia disposicio pertinet communiter vel divisim, ne de dictis dnabus dignitatibus interim eciam ante acceptacionem eandem, nisi postquam eis constiterit, quod persone vel procuratores predicti illas noluerint acceptare, disponere quoquomodo presumant, ac nichilominus dignitates huiusmodi, quas, ut premittitur, reservabis, si tempore reservacionum huiusmodi vacabant vel cum vacaverint, nt prefertur, personis antedictis post acceptacionem easdem cum omnibus iuribus et pertinenciis suis auctoritate predicta conferendi, et eciam assignandi, ac inducendi per te vel alium seu alios predictas personas, vel procuratores suos predictos eorum nomine in corporalem possessionem dignitatum ac iurium et pertinenciarum predictorum, et defendendi inductas, faciendique ipsas personas ad huiusmodi dignitates, ut est moris, admitti, sibique de ipsarum dignitatum fructibus, redditibus, proventibus, iuribus et obvencionibus universis integre responderi, necnon contradictores auctoritate nostra, appellacione postposita, compescendi, Non obstantibus quibuscumque statutis et consuetudinibus ipsius ecclesie contrariis etc. usque mencio specialis, Aut si dicte persone presentes non fuerint ad prestandum de observandis statutis etc. plenam et liberam concedimus tenore presentium facultatem. Et insuper exnunc decernimus irritum et inane, si secus etc. Volumus autem et tibi expresse mandamus, quatenus de nominibus et cognominibus personarum, quibus dignitates predictas conferes, et de modo vacacionis earum, et de die collacionum huiusmodi Cameram apostolicam vel collectorem fructuum et redduum Camere predicte debitorum in illis partibus depntatum certifices indilate. Datum Rome apud Sanctum Petrum III. Kalendas Februarii, Pontificatus nostri Anno Septimo.

CCCCLIV.

Officiali Zagrabiensi, et collationem Matthaeo Puchkonis de ecclesia parrochiali s. Stephani de Rakitnicha factam confirmare valeat. Reg. An. VII. cod. chart. Tom. 29. fol. 504.

GREGORIUS EPISCOPUS etc. Dilecto filio Officiali Zagrabiensi, salutem etc. Dignum arbitramur et congruum, ut illis se reddat sedes apostolica graciosam, quibus ad id propria virtutum merita laudabiliter suffragantur. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dilecti filii Mathei Puchkonis presbiteri Zagrabiensis diocesis peticio continebat, quod olim ipse canonicatum et prebendam ecclesie Chasmensis, et dilectus filius Dominicus Capuchin presbiter ecclesiam sancti Stephani de Rakitnicha predicte diocesis, quos tunc temporis obtinebant, desiderantes illos ex certis causis racionabilibus invicem permutare, in manibus bone memorie Stephani Episcopi Zagrabiensis extra Romanam Curiam ex causa permutacionis huiusmodi libere resignarunt. Idemque Epus, resignacionibus huiusmodi per eum ordinaria auctoritate extra curiam ipsam admissis, parrochialem ecclesiam Matheo canonice, nisi apostolice reservaciones obstarent, aut ipsius parrochialis ecclesie collacio esse iuxta Lateranensis statuta concilii ad sedem predictam legitime devoluta, ac canonicatum et prebendam predictos per huiusmodi resignaciones vacantes Dominico prefatis eadem auctoritate contulit et providit eciam de eisdem. Cum autem, sicut eadem peticio subiungebat, prefatus Matheus dubitet prefatam parrochialem ecclesiam tempore collacionis et provisionis huiusmodi de ea sibi factarum dispositionis apostolice specialiter reservatam, aut eius collacionem ad sedem eandem iuxta statuta predicta legitime devolutam fore, seque posse propterea super ipsa parrochiali ecclesia imposterum molestari: Nos volentes eundem Matheum, apud nos de probitatis et virtutum meritis multipliciter commendatum, horum intuitu favore prosequi gracioso, ipsius Mathei in hac parte supplicacionibus inclinati discrecioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus si per diligentem examinacionem dictum Matheum bene legere, bene construere et bene cantare ac congrue loqui latinis verbis, et alias ad obtinendum dictam parrochialem ecclesiam ydonenm esse repereris, vel eciam si bene non cantaret, dummodo in manibus tuis iuret ad sancta dei evangelia, quod infra annum a tempore examinacionis huiusmodi computandum bene cantare addiscet, super quibus tuam conscienciam oneramus, eidem Matheo auctoritate nostra concedas, quod collacio et provisio predicte sibi facte

et quecumque inde secuta perinde a data presentium, dummodo prefatus Dominicus familiaris noster non fuerit, valeant et plenam obtineant roboris firmitatem, ac si de dicta parrochiali ecclesia nulla per sedem predictam specialis reservacio facta foret, aut ipsius ecclesie collacio non esset ad eandem sedem iuxta statuta predicta, ut premittitur, devoluta. Datum Rome apud Sanctum Petrum Kalendis Februarii, Pontificatus nostri Anno Septimo.

CCCCLV.

Universis Christi fidelibus ecclesiam s. Clarae de Dreticlerk Zagrabiensis dioec. visitantibus et adiuvantibus indulgentiae conceduntur. Reg. An. VII. cod. chart. Tom. 29. fol. 206.

GREGORIUS EPISCOPUS etc. Universis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis, salutem etc. Licet is, de cuius munere venit etc. Cum itaque, sicut accepimus, Capella sancte Clare sita in territorio Dreticlerk Zagrabiensis diocesis, quam dilectus filius Iohannis Martini laicus dicte diocesis in honorem et sub vocabulo eiusdem sancte construi et edificari incepit opere sumptuoso, quamque de bonis a deo sibi collatis suffioienter dotavit, compleri nequeat, nisi Christi fidelium elemosinis adiuvetur: Nos cupientes, ut Capella ipsa congruis honoribus frequentetur et ciam compleatur, et ut Christi fideles oo libencius causa devocionis confluant ad eandem, ot ad ipsius operis consumacionem manus porrigant adiutrices, quo ibidem ex hiis uberius dono celestis gracie conspexerint se refectos, de omnipotentis dei misericordia et beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus vere penitentibus et confessis, qui in Nativitatis, Circnmcisionis, Epyphanie, Resurrectionis, Ascensionis et Corporis domini nostri Ihesu Christi, Ponthecostes, necnon Nativitatis, Annunciacionis, Purificacionis et Assumptionis beate Marie Virginis, ac Nativitatis beati Iohannis Baptiste, et Apostolorum ac sancte Clare predictorum, necnon in dedicacione ipsins Capelle festivitatibns ac in celebritate omnium Sanctorum, et per octavas ipsarum Nativitatis, Epyphanie, Resnrrectionis, Ascensionis et Corporis domini, necnon Nativitatis et Assumptionis beate Marie, ac Nativitatis beati Iohannis et Apostolorum predictorum festivitatum, et per sex dies dictam festivitatem Penthecostes immediate sequentes Capellam ipsam devote visitaverint, ac ad ipsius operis consumacionem manus adiutrices porrexerint, singulis videlicet festivitatum et celebritatis centum, ac octavarum ipsarum et predictorum sex dierum diebus, quibus Capellam ipsam visitaverint ac manus adiutrices porrexerint, ut prefertur, quinquaginta dies de iniunctis eis penitenciis misericorditer relaxamus. Presentibus post decem annos minime valitnris. Volnmus autem, quod si alias visitantibus Capellam predictam, seu ad fabricam ipsius manus porrigentibus adiutrices aliqua indulgencia in perpetuum, vel ad tempus certum nondum elapsum duratura auctoritate apostolica fuerit concessa, huiusmodi presentes littere nullius existant roboris vel momenti. Datum Rome apud Sanctum Petrum VIII. Idus Februarii, Pontificatus nostri Anno Septimo.

CCCCLVI.

Iisdem visitantibus ecclesiam Vesprimiensem, in qua reginae coronari et sepelliri consueverunt, indulgentiae certis festivitatibus conceduntur. Reg. An. VIII. cod. chart. Tom. 29. fol. 35.

GREGORIUS EPISCOPUS etc. Universis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis, salutem etc. Splendor paterne glorie, qui sua mundum illuminat ineffabili claritate, pia vota fidelinm de clementissima ipsius maiestate sperantium tunc precipue benigno favore prosequitur, cum devota ipsorum humilitas sanctorum precibus et moritis adiuvatur. Cum itaque, sicut accepimus, Regine Ungarie pro tempore existentes in ecclesia Vesprimiensi coronari, et alia insignia Reginalia recipere et etiam sepelliri consueverint, ibidemque caput beati Georgii martiris et alie sanctorum reliquie honorifice conserventur: Nos eciam consideracione Carissime in Christo filie nostre Elisabeth Regine Ungarie illustris nobis super hoc humiliter supplicantis cupientes, ut ecclesia ipsa, qne a prefatis Reginis fundata et dotata existit, congruis honoribus frequentetur, ut Christi fideles eo libencius causa devocionis confluant ad eandem, quo ibidem ex hoc uberius dono celestis gracie conspexerint se refectos, de omnipotentis dei misericordia et beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus vere penitentibus et confessis, qui in Nativitatis, Circumcisionis, Epiphanie, Resurrectionis, Ascensionis, Corporis domini Ihesu Christi, Penthecostes, necnon Nativitatis, Annunciacionis, Purificacionis, Assumptionis beate Marie Virginis, ac Nativitatis beati Iohannis Baptiste et dictorum Apostolorum festivitatibus ac celebritate omnium Sanctorum, et per octavas ipsarum Nativitatis, Epiphanie, Resurrectionis, Ascensionis et Corporis domini, necnon Nativitatis, Assumptionis beate Marie ac Nativitatis beati Iohannis et Apostolorum

predictorum festivitatum, et per sex dies dictam festivitatem Penthecostes immediate sequentes ecclesiam ipsam devote visitaverint annuatim, singulis videlicet festivitatum et celebritatis centum, et octavarum ipsarum et predictorum sex dierum diebus, quibus ecclesiam ipsam visitaverint, ut prefertur, quinquaginta dies de iniunctis eis penitenciis misericorditer relaxamus. Presentibus post decem annos minime valituris. Volumus autem, quod si alias visitantibus ecclesiam predictam, seu ad fabricam ipsius manus porrigentibus adiutrices, aut alias inibi pias elemosinas erogantibus aliqua indulgencia imperpetuum, vel ad tempus certum nondum olapsum duratura apostolica auctoritate fuerit concessa, huiusmodi presentes littere nullius existant roboris vel momenti. Datum Rome apud Sanctum Petrum III. Idus Februarii, Pontificatus nostri Anno Septimo.

CCCCLVII.

Paulo electo Cenadiensi indulgetur, ut a quocumque maluerit antistite catholico consecrationis munus accipere possit.
Reg. An. VII. cod. chart. Tom. 29. fol. 34.

Gregorius episcopus etc. Dilecto filio Paulo Electo Cenadiensi, salutem etc. Cum nos pridem ecclesie Cenadiensi tunc vacanti de persona tua, nobis et fratribus nostris ob tuorum exigenciam meritorum accepta, do ipsorum fratrum consilio auctoritate apostolica duxerimus providendum, proficiendo te eidem ecclesie in Episcopum et pastorem, prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur: Nos ad ea, que ad tue commoditatis augmentum cedere valeant, favorabiliter intendentes, tuis supplicacionibus inclinati tibi, ut a quocumque malueris catholico Antistite graciam et communionem apostolice sedis habente, ascitis et in hoc sibi assistentibus duobus vel tribus catholicis Episcopis similem graciam et communionem habentibus, munus consecracionis recipere valeas, ot eidem Antistiti, ut munus predictum auctoritate apostolica impendere libere tibi possit, plenam et liberam concedimus tenore presentium facultatem. Volumus autem, quod idem Antistes, qui tibi prefatum munus impendet, postquam illud tibi impenderit, a te nostro et Romane ecclesie nomine fidelitatis debite solitum recipiat iuramentum iuxta formam, quam sub bulla nostra mittimus interclusam, ac formam iuramenti, quod te prestare contigerit, nobis de verbo ad verbum per tuas patentes litteras tuo sigillo signatas per proprium nuncium quantocius destinare procuret, quodque per hoc Venerabili fratri nostro Archiepiscopo Colocensi, cui prefata occlesia metropolitico iure subesse dinoscitur, nullum imposterum preiudicium generetur. Datum Rome apud Sanctum Petrum Id. Februarii, Pontificatus nostri Anno Septimo.

CCCCLVIII.

Archiepiscopo Strigoniensi, ut si de carceratione Ioannis abbatis B. Marie Bellifontis de Waradino Petri per Christophorum abbatem de Egris facta sibi constiterit, eumdem Christophorum excommunicatum publice nuntiet.
Reg. An. VII. cod. chart. Tom. 29. fol. 87.

Gregorius episcopus etc. Venerabili fratri ... Archiepiscopo Strigoniensi, salutem etc. Gravem dilectorum filiorum Iohannis Abbatis et Conventus monasterii beate Marie Bellifontis de Waradino Petri Cisterciensis ordinis, Colocensis diocesis, querelam accepimus continentem, quod licet olim dicto monasterio tunc vacanti de persona ipsius Iohannis Abbatis auctoritate apostolica provisum fuisset, ipseque possessionem administracionis bonorum eiusdem monasterii assecutus extitisset canonice, ac dictum monasterium aliquandiu pacifice et quiete rexisset et laudabiliter gubernasset: tamen postmodum Christoforus, qui se gerit pro Abbate monasterii de Egris dicti ordinis Cenadiensis diocesis, associatis sibi quibusdam suis in hac parte complicibus, ausu sacrilego oundem Iohannem Abbatem, qui etatis quinquaginta annorum existit, cepit eumque ligavit et in dicto monasterio beate Marie duris carceribus mancipavit, ac ipsum detinuit, prout detinet carceratum, idemque Christoforus se in dicto monasterio beate Marie intrusit, ac ipsius monasterii beate Marie bona dilapidavit, prout cotidie dilapidat et consumit in anime sue periculum, et dicti Iohannis Abbatis proiudicium ac scandalum plurimorum. Quare pro parte ipsius Iohannis Abbatis nobis fuit humiliter supplicatum, ut providere sibi in premissis de oportuno remedio dignaremur. Nos igitur huiusmodi supplicacionibus inclinati fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenus si, vocatis dicto Christoforo et aliis qui fuerint evocandi, de huiusmodi captione, carceris mancipatione et detencione tibi constiterit, dictum Iohannem Abbatem facias ab eisdem carceribus, prout iustum fuerit, auctoritate apostolica relaxari, prefatumque Christoforum tamdiu excommunicatum publice nuncies, et facias ab aliis nunciari et ab omnibus arcius evitari, donec passo iniuriam satisfecerit competenter, et cum tuarum testimonio litterarum ad sedem venerit apostolicam

absolvendus, super aliis vero, auditis hinc inde propositis, quod iustum fuerit, appellacione remota, decernas, faciens quod decreveris per censuram ecclesiasticam firmiter observari, Invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis, Non obstante si predicto Christoforo vel quibusvis aliis communiter vel divisim a sede sit predicta indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari, aut ad iudicium evocari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mencionem. Datum Rome apud Sanctum Petrum III. Kalendas Marcii, Pontificatus nostri Anno Septimo.

CCCCLIX.

Episcopis Veglensi et Asarensi, ut Petro archiepiscopo Iadrensi pallium transmissum (vide infra Nr. CCCCLXIII.) assignent. Reg. An. VII. cod. chart. Tom. 29. fol. 86.

Gregorius episcopus etc. Venerabilibus fratribus Veglensi et Aserensi Episcopis, salutem etc. Cum palleum, insigne videlicet plenitudinis pontificalis officii, ex parte Venerabilis fratris nostri Petri Episcopi in Archiepiscopum Iadrensem electi per dilectum filium Bartholomeum natum quondam Gregorii de Iadra, Primicerium ecclesie Iadrensis, nuncium suum fuerit a nobis cum ea qua decuit instancia postulatum: Nos ipsius precibus annuentes, palleum ipsum de corpore b. Petri sumptum per vos vel vestrum alterum assignandum eidem secundum formam, quam vobis sub bulla nostra mittimus interclusam, per prefatum Primicerium duximus destinandum. Quocirca fraternitati vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus vos vel alter vestrum palleum ipsum iuxta premissam formam sibi assignare curetis, et ab ipso nostro et ecclesie Romane nomine sub forma, quam vobis sub eadem bulla dirigimus, fidelitatis debite solitum recipere iuramentum. Formam autem iuramenti, quod dictus electus prestabit, nobis de verbo ad verbum per eius patentes litteras suo sigillo signatas per proprium nuncium quantocius destinare curetis. Datum Rome apud Sanctum Petrum XII. Kalendas Aprilis (sic), Pontificatus nostri Anno Septimo.

CCCCLX.

Archiepiscopo Strigoniensi et episcopo Bononiensi, ut Nicolaum de Buza subcollectorem e carcere, in quo per episcopum Agriensem et complices detinetur, liberent, et dictos complices excommunicatos matient. Reg. An. VII. cod. chart. Tom. 29. fol. 90.

Gregorius episcopus etc. Venerabilibus fratribus ... Archiepiscopo Strigoniensi et Bernardo Epo Bononiensi, in Regno Ungarie apostolice sedis nuncio, salutem etc. Gravem dilecti filii Nicolai Petri de Buza Archidiaconi de Pembata in ecclesia Agriensi querelam accepimus continentem, quod olim pro eo quod ipse, qui, ut asserit, cappellanus sedis apostolice et fructuum et proventuum Camere apostolice in Civitate et diocesi Agriensi debitorum subcollector existebat, prout existit, negocia et utilitatem dicte Camere fideliter et diligenter exequebat, et circa execucionem graciarum pauperibus clericis a sede predicta factarum iuxta commissionem super hoc ab eadem sede, vel delegatis ab ea sibi factas viriliter incedebat, Michael Episcopus Agriensis, Iohannes Prepositus, Nicolaus Ebes de Borsova, Georgius de Para, Iohannes Kompul et Iohannes Lombus, Canonici dicte ecclesie et ipsius Epi Consiliarii, contra dictum Nicolaum Petri odii rancore concepto, in ipsum Nicolaum videlicet vicesima quarta die mensis Novembris proxime preteriti, cum idem Nicolaus in choro dicte ecclesie cum aliis de Capitulo eiusdem ecclesie missarum solemniis interesset, manus iniecerunt, dei timore postposito, in eum temere violentas, ac ipsum tunc in habitu capellanorum sedis predicte existentem violenter et turpiter de predicta ecclesia extraxerunt, ipsum cum gladiis et fustibus eum acriter verberari faciendo, ad domum predicti Episcopi duci fecerunt, et tandem prefatus Episcopus eundem Nicolaum Petri gravibus cathenis ferreis ligari et compeditari fecit: quodque postmodum idem Episcopus eumdem Nicolaum, qui, ut prefertur, cathenis ligatus se manere non poterat, coram se per dictas cathenas trahi faciens, eidem Nicolao derisorie surridendo dicebat: O domine Nicole cappellane pape et succollector eius Camere, quid facis nunc, quomodo vis facere et qualiter iuvabis te, ecce papa tuus, eius cappellanus es, liberet te nunc de manibus nostris, certe nullus poterit te liberare nec recipere Episcopatum meum. Et deinde dictus Episcopus plurimas illusiones eidem Nicolao factis, familiares et satellites suos ad domum ipsius Nicolai mittens de pecuniis, quas idem Nicolaus nomine dicte Camere receperat et quodam scrinio suo habebat, tria milia florenorum auri vel circiter, et de propriis ipsius Nicolai pecuniis octingentos florenorum auri, et alia eciam res et bona, que idem Nicolaus in eadem domo sua [et alibi in Civitate sua]

et alibi in Civitate Agriensi habebat, recepit ac ipsum eis indebite spoliavit, dictumque Nicolaum unacum duobus familiaribus suis ad locum dictum Holloeu dicti Agriensis diocesis duci, ac ibidem ipsum ac dictos familiares ipsius Nicolai, quorum unus iam defunctus est, in quadam turri incarcerari fecit, ac ipsum Nicolaum ibidem captivatum detinct indebite et iniuste. Quare pro parte eiusdem Nicolai nobis fuit humiliter supplicatum, ut providere sibi super premissis de oportuno remedio dignaremur. Nos igitur huiusmodi supplicacionibus inclinati fraternitati vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus vos vel alter vestrum super premissis eciam cx officio, si opus fuerit, procedentes, dictumque Nicolaum a dictis carceribus relaxari facientes, si de huiusmodi manuum iniectione, extractione, tractacione et captivacione vobis constiterit, prefatos sacrilegos tamdiu excommunicatos publice nuncietis, et faciatis ab aliis enunciari, et ab omnibus arcius evitari, donec passo iniuriam satisfecerint competenter, et cum vestrarum testimonio litterarum ad sedem venerint apostolicam absolvendi, super aliis vero vocatis, qui fuerint evocandi et auditis huiusmodi propositis, quod iustum fuerit, appellacione remota, decernatis, facientes quod decreveritis auctoritate nostra firmiter observari, Non obstantibus tam fel. record. Bonifacii pape VIII. predecossoris nostri, in qua etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum III. Idus Aprilis, Pontificatus nostri Anno Septimo.

CCCCLXI.

Preposito s. Petri de Posega, ut causam Martini plebani de Iwanich Zagrabiensis dioccesis contra abbatissam et conventum B. Marie de Iwanich de quibusdam decimis percipiendis audiat et decidat.
Reg. An. VII. cod. chart. Tom. 29. fol. 170.

Gregorius episcopus etc. Dilecto filio Preposito ecclesie sancti Petri de Posaga Quinqueecclesiensis diocesis, salutem etc. Exhibita nobis pro parte dilecti filii Martini Cosme Rectoris, plebani nuncupati, parrochialis ecclesie beate Marie de Iwanich Zagrabiensis diocesis peticio continebat, quod licet eciam de antiqua et approbata et a tempore, cuius contrarii memoria non existit, pacifice observata consuetudine perceptio quarte partis decimarum provenientium cx fructibus excrescentibus in terris infra limites parrochie dicte ecclesie consistentibus, necnon ex fetibus animalium infra eosdem limites depascentium ad Rectorem ipsius ecclesie pro tempore existentem pertinere noscatur: tamen dilecte in Christo filie Abbatissa et Conventus monasterii beate Marie de Iwanich ordinis sancti Benedicti predicte diocesis falso asserentes perceptionem huiusmodi ad se pertinere, impediverunt et impediunt, quominus idem Martinus Rector huiusmodi quartam partem decimarum percipere potuerit sive possit, ac huiusmodi decimas perceperunt et occuparunt, et detinent occupatas in ipsius Rectoris preiudicium et gravamen. Quare pro parte dicti Rectoris nobis fuit humiliter supplicatum, ut providere eis in premissis de benignitate apostolica dignaremur. Nos itaque huiusmodi supplicacionibus inclinati discrecioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus partibus convocatis audias causam, et summarie et de plano ac sine strepitu et figura iudicii, appellacione remota, debito fine decidas, faciens quod decreveris per censuram ecclesiasticam firmiter observari, Testes autem, qui fuerint nominati, si se gracia, odio vel timore subtraxerint, censura simili, appellacione cessante, compellas veritati testimonium perhibere, Non obstantibus tam felicis record. Bonifacii pape VIII. predecessoris nostri, qua cavetur, ut, cum eiusdem Civitatis et diocesis fuerint actor et reus, extra illas, nisi in certis exceptis casibus, causa auctoritate litterarum apostolice sedis non committatur, nec conveniatur aliquis eorumdem, quam aliis constitucionibus apostolicis contrariis quibuscunque, seu si eisdem Abbatisse et Conventui vel quibusvis aliis communiter vel divisim etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum III. Idus Aprilis, P. n. Anno Septimo.

CCCCLXII.

Executoribus, ut sententiam pro Ioanne Stancli canonico Sibinicensi de eius canonicatu et prebenda contra Paulum Dragali latam exequantur. Reg. An. XII. cod. chart. Tom. 29. fol. 191.

Gregorius episcopus etc. Venerabili fratri ... Episcopo Scardonensi, et dilectis filiis ... Primicerio Scardonensis et Georgio Dugnii Canonico Traguriensis Ecclesiarum, salutem etc. Exhibita nobis pro parte dilecti filii Iohannis Stincii Canonici Sibenicensis peticio continebat, quod olim ipse in causa per eum contra Paulum Michaelis Dragaii, qui se gerit pro clerico Sibenicensi, super canonicatu et prebenda ecclesio Sibenicensis, de quibus tunc certo modo vacantibus eidem Iohanni auctoritate apostolica canonice provisum fuerit, et quos idem Paulus contra iusticiam occupaverat et detinebat, prout detinet indebite occupatos, fructus percipiens ex eis, mota et in palacio apostolico ex commissione

nostra coram certo Auditore causarum ipsius palacii diucius ventilata, diffinitivam sentenciam pro se et contra dictum Paulum, per quam dicti canonicatus et prebenda eidem Iohanni adiudicati fuerunt, ac idem Paulus in fructibus ex eisdem canonicatu et prebende perceptis, ac in expensis in huiusmodi causa factis condempnatus extitit, sentenciam reportavit, et super execucione huiusmodi sentencie, que nulla provocacione suspensa in rem transivit iudicatam, et super dictis expensis, que ad certam florenorum summam taxate fuerant, nostras ad dilectos filios nostros Primicerium et Iohannem Petri Tragurien-sis ac Anselmum Rozium, clericum Mediolanensis diocesis, tunc Cumane ecclesiarum Canonicis sub certa forma litteras impetravit. Idemque Primicerius asserens se diversis negociis impeditum, solus in huiusmodi execucionis negocio procedens, prout ex forma dictarum litterarum poterat, vices suas dilectis filiis Radoslavo Cipriani et Wladicho Cuitanii Canonicis dicte ecclesie Sibenicensis commisit, donec eas ad se duceret revocandas. Idemque Radoslavus et Wladichus huiusmodi litterarum et commissionis vigore in huiusmodi execucionis negocio procedentes, nonnullos processus fecerunt in talibus fieri consuetos, monentes inter cetera predictum Paulum, ut infra certum peremptorium terminum tunc expressum prefatos canonicatum et prebendam predicto Iohanni libere dimitteret, et sibi de dictis perceptis fructibus et florenorum summa pro dictis expensis satisfaceret, in eundem Paulum, si monicioni huiusmodi non pareret, et alios contradictores quoslibet et rebelles diversas excommunicacionis, suspensionis et interdicti sentencias promulgando. Et licet postmodum idem Paulus, quia monicioni huiusmodi, que ad eius indubitatam noticiam pervenerat, infra dictum terminum vel eciam post comparere contumaciter recusaverat, excommunicacionis sontenciam incurrisset, et deinde excommunicatus publice nunciatus fuerit: tamen idem Paulus in reprobum sensum datus, spretis sentenciis ac monicione huiusmodi, et claves ecclesie contempnendo dictos canonicatum et prebendam, ac ipsorum iura et bona detinet pertinaciter occupata, fructus percipiens ex eisdem et de predictis perceptis fructibus et florenorum summa, ut prefertur, predicto Iohanni satisfacere recusavit et recusat in anime sue periculum, predicti Iohannis preiudicium et scandalum plurimorum. Quare pro parte dicti Iohannis fuit nobis humiliter supplicatum, ut providere sibi in premissis de oportuno remedio dignaremur. Nos itaque huiusmodi supplicacionibus inclinati discrecioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus vos vel duo aut unus vestrum per vos vel alium seu alios, legitimis per dictos Radoslavum et Wladichum in huiusmodi execucionis negocio habitis servatis processibus, in eodem negocio auctoritate nostra, prout iustum fuerit, procedatis, et processus ipsos aggravetis iuxta predictarum continencium litterarum, Invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis, Contradictores etc. Non obstante si prefato Paulo etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum III. Idus Aprilis, Pontificatus nostri Anno Septimo.

CCCCLXIII.

Petro archiepiscopo Iadrensi pallium transmittitur (vide supra Nr. CCCCLIX.). Reg. An. VII. cod. chart. Tom. 20. fol. 86.

Gregorius episcopus etc. Venerabili fratri Petro Episcopo in Archiepiscopum Iadrensem Electo, salutem etc. Pridem ecclesie Iadrensi tunc vacanti de persona tua, nobis et fratribus nostris ob tuorum exigenciam meritorum accepta, de ipsorum fratrum consilio duximus auctoritate apostolica providendum, preficiendo te ipsi Iadrensi ecclesie in Archiepiscopum et pastorem, prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur: ac deinde tibi fecimus per Venerabilem fratrem nostrum Iohannem Episcopum Veglensem munus consecracionis impendi. Cum autem postmodum palleum, insigne videlicet plenitudinis pontificalis officii, ex parte tua fuisset a nobis per dilectum filium Bartholomeum natum quondam Gregorii de Iadra, Primicerium eiusdem ecclesie, nuntium tuum cum ea qua decuit instancia postulatum: nos tuis supplicacionibus annuentes, pallcum ipsum de corpore beati Petri sumptum per dictum Veglensem et Venerabilem fratrem nostrum Aserensem Episcopos assignandum per prefatum Primicerium duximus destinandum, ut iidem Episcopi vel eorum alter assignent tibi sub forma, quam eis sub bulla nostra mittimus interclusam, et a te nostro et ecclesie Romane nomine sub forma, quam sub eadem bulla dirigimus, fidelitatis debite solitum recipiant iuramentum. Tu autem illo infra ecclesiam tuam illis diebus utaris, qui expressi in ipsius ecclesie privilegiis continentur. Ut igitur signum non discrepet a signato, sed quod geris exterius, interius serves in mente, discrecionem tuam monemus et hortamur attente, per apostolica scripta tibi mandantes, quatenus humilitatem et iusticiam, dante domino, qui dat premia et munera elargitur, observare studeas, que suum servant et promovent servatorem, et Iadrensem ecclesiam sponsam tuam cures solicite, auctore domino, spiritualiter et temporaliter augmentare. Datum Rome apud Sanctum Petrum XII. Kalendas Maii (sic), Pontificatus nostri Anno Septimo.

CCCCLXIV.

Michaeli episcopo Scardonensi eiusque collegis, ut decimam biennalem prelatis et aliis beneficia ecclesiastica habentibus in regnis Croatiae et Dalmatiae impositam exigant et solvant. Reg. An. VII. Bull. Camer. Tom. 7. fol. 90.

Gregorius episcopus etc. Venerabili fratri ... Michaeli Scardonensi Episcopo, et dilectis filiis Bernardo sancti Nicolai in lictore Veneciarum, apostolice sedis nuncio, et Iohanni sancti Grisogoni monasteriorum Abbatibus, ac Georgio plebano sancte Marie Iadrensis, salutem etc. Dudum considerantes Cameram apostolicam expensarum, quas pro recuperacione terrarum dicte ecclesie etc. ut in inferiori. Quocirca discrecioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus per vos vel alium seu alios ab Archiepiscopis, Episcopis ceterisque prelatis et personis ecclesiasticis supradictis prefatorum regnorum Dalmacie et Chroacie dictam decimam de ipsis ecclesiasticis fructibus, redditibus et proventibus, quos obtinent et infra dictum terminum obtinebunt, preterquam a prefatis Cardinalibus, Magistro et fratribus, secundum premissam formam per vos vel alium seu alios exigere et colligere studeatis. Nos enim vobis prefatos Archiepiscopos, Episcopos, prelatos et personas ecclesiasticas huiusmodi redditus et proventus infra dictum regnum (sic) obtinentes, et infra huiusmodi terminum, ut premittitur, obtenturos, iam dictis Cardinalibus, Magistris et fratribus dumtaxat exceptis, ad solvendum vobis seu alteri vestrum, vel a vobis deputatis iuxta formam litterarum nostrarum super huiusmodi imposicione decime confectarum dictam decimam in similibus terminis earumdem Kalendarum, prout superius est expressum, auctoritate nostra per censuram ecclesiasticam, et eciam per sequestracionem ipsorum fructuum, reddituum et proventuum ecclesiarum et beneficiorum suorum, et per citacionem personalem ad presenciam nostram vel Camerarii nostri, si eorum rebellio id exposcat et expedions fuerit, per vos vel alium seu alios auctoritate predicta compellendi iuxta tenorem processus dicti Episcopi super hoc habiti, et de receptis quittandi solventes plenam et liberam tenore presencium concedimus facultatem, Non obstantibrs si eisdom Archiepiscopis, Episcopis, prelatis et aliis personis ecclesiasticis, vel quibusvis aliis communiter vel divisim a predicta sit sede indultum, quod ad solucionem huiusmodi decime minime teneantur, et ad id compelli, aut quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas, que de huiusmodi indulto et toto eius tenore de verbo ad verbum, ac propriis nominibus ipsorum ordinum, locorum et personarum plenam et expressam non fecerunt mencionem, et quibuslibet privilegiis, indulgenciis et litteris apostolicis quibuscumque dignitatibus et ordinibus, ac specialiter sanctorum Benodicti et Augustini, et Cisterciensi, Cluniacensi, Premonstratensi, Cartusiensi, Grandimontensi, necnon domus hospitalis sancte Marie Theutonicorum, ot ipsorum universitatibus et personis generaliter vel specialiter sub quacumque forma vel expressione verborum a momorata sede concessis, de quibus quorumque totis tenoribus de verbo ad verbum in nostris litteris specialis et expressa mencio sit habenda. Ad hoc volumus vobisquo auctoritate predicta concedimus, quod vos necnon a vobis deputati illos de dictis regnis, qui eorum defectu non facto solucionis huiusmodi excommunicacionis, suspensionis et interdicti sentencias incurrerint, ab eisdem sentenciis post satisfactionem debitam, facta prius fide vobis vel huiusmodi deputatis de satisfactione huiusmodi, absolucionis beneficium impendere valeatis, et super irregularitate, si quam forsan sic ligati, non tamen in contemptum clavium, celebrando divina vel immiscendo se illis contraxerint, possitis eciam dispensare. Datum Anagnie xv. Kal. Augusti, Pontificatus nostri Anno Septimo.

CCCCLXV.

Pontifex pactum approbat, quod episcopus Bononiensis collector cum archiepiscopo et clero provinciae Iadrensis inivit, ut duobus terminis infra annum decimam biennalem eis pro camera apostolica subvencionis impositam persolvant. Reg. An. VII. Bull. Camoral. Tom. 7. fol. 89.

Gregorius episcopus etc. Ad futuram rei memoriam. Hiis, que pro ecclesie Romane indigencia relevanda exacta maturitate ac provida ordinacione disposita fore conspicimus, apostolici robur muniminis favorabiliter adhibemus. Iam dudum considerantes Cameram apostolicam expensarum, quas pro recuperacione terrarum dicte ecclesie subire habebat, pront habet, onere pregravatam eiusque redditus et proventus adeo tenues et exiles, quod nisi dei et suorum peculiarium filiorum accelerata subvencio impenderetur eidem, de casu irreparabili timebatur: et propterea cum paterna fiducia recurrentes ad ipsos filios, vias et modos honestos quesivimus, per quos onera ipsa facilius supportari valerent, cogitantesque et reputantes, prout erat, equum et congruum, ut ipsa Romana ecclesia, que caput est aliarum ecclesiarum et magistra, ab ipsis ecclesiis et personis ecclesiasticis in suis necessitatibus iuvaretur,

deliberacione prehabita diligenti decimam biennalem omnium fructuum, redditauum et proventuum ecclesiasticorum in regnis Ungarie, Polonie, Dalmacie et Chroacie per duos annos tunc inchoandos a data litterarum nostrarum super hoc confectarum ab omnibus Archiepiscopis, Episcopis ceterisque prelatis et personis ecclesiasticis secularibus et regularibus exemptis et non exemptis huiusmodi redditus et proventus tunc obtinentibus, et imposterum infra dictum biennium obtenturis, preterquam a Venerabilibus fratribus nostris sancte Romane ecclesie Cardinalibus, ac dilectis filiis Magistro et fratribus hospitalis sancti Iohannis Ierosolimitani, quos a solucione dicte decime exemptos esse volumus et immunes, solvendam, exigendam et in relevacionem dictorum onerum convertendam duximus imponendam, et Venerabilem fratrem nostrum Bernardum Episcopum Bononiensem huiusmodi constituimus collectorem, ut idem Episcopus per se vel subcollectores suos exigeret decimam supradictam in duobus terminis anni cuiuslibet biennii supradicti, videlicet in Augusti primum et in Februarii Kalendis mensium secundum terminum esse volumus primi anni, et similiter in anno secundo similibus terminis observatis, prout in nostris litteris super huiusmodi imposicione et commissione confectis plenius continetur. Qui Episcopus ad civitatem Iadrensem in regno Dalmacie personaliter se conferens, considerans periculosam moram subvencionis necessitatis, que ecclesie Romane imminet de presenti, et eciam quia prelati et clerus dictorum regnorum Dalmacie ot Chroacie minus, quam alii prelati et eleri de regnis Ungarie et Polonie, in serviciis regiis contra infideles Turchos gravantur, ac Venerabili fratri nostro Archiepiscopo Iadrensi, et dilectis filiis Capitulo et Clero civitatis et provincie Iadrensis, ac nonnullis aliis dicte provincie Abbatibus, et eciam Rectoribus tractatu prehabito concordavit, quod dicta decima, que infra duos annos solvenda fuerat, infra annum unum, scilicet primo anno in Augusti et secundo anno in Februarii mensium Kalendis proximo nunc futuris persolvatur, prout in litteris monitoriis dicti Episcopi super hoc confectis plenius continetur. Nos igitur necessitatem dicte Camere attendentes, et circumspectionem ac prudenciam dicti Episcopi in ordinacione supradicta in domino commendantes, huiusmodi tractatum et concordiam provide factos, et processum desuper subsecutum auctoritate apostolica confirmamus, ratificamus et presentis scripti serie communimus, mandantes universis et singulis personis dictorum regnorum Dalmacie et Chroacie, cuiuscumque dignitatis, condicionis et status existant, sub penis in litteris dicti Episcopi contentis, quas non parentes incurrere volumus ipso facto, ut in dictis duobus terminis decimam huiusmodi persolvant ot assignent subcollectoribus per dictum Episcopum deputatis. Nulli ergo etc. nostre confirmacionis, ratificacionis et mandati infringere etc. Si quis autem etc. Datum Anagnie XIIII. Kalendis Augusti, Pontificatus nostri Anno Septimo.

CCCCLXVI.

Ministro provinciali ord. Minorum in Hungaria, ut duos fratres sui ordinis ad audiendas confessiones incolarum castri de Megessalla a schismate redeuntium mittat etc. Reg. An. VII. cod. chart. Tom. 29 fol. 329.

Gregorius episcopus etc. Dilecto filio Ministro provinciali ordinis fratrum Minorum provincie Ungarie secundum morem dicti ordinis, salutem etc. Sedes apostolica pia mater cunctorum Christifidelium animarum saluti cupit, quantum cum deo potest, salubriter providere. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dilecte in Christo filie nobilis mulieris Catherine, relicte quondam Simonis domini Castri de Megessalla vidue, peticio continebat, quod olim Castrum ipsum cum certis villis eidem Castro adiacentibus per Regem Ungarie, qui tunc erat, et ipsius Catharine progenitores extitit de manibus Scismaticorum acquisitum, et quod postmodum habitatores et incole Castri et villarum predictorum, qui tunc erant, scismatica labe respersi viam veritatis agnoscentes, de huiusmodi infidelitatis errore redierunt ad veram fidem catholicam et sancte Romane ecclesie unitatem, ac iidem habitatores et incole eiusdem fidei zelo succensi desiderantes peccata per eos commissa confiteri, et eis pro commissis huiusmodi penitenciam iniungi salutarem. Quare pro parte Catherine, habitatorum et incolarum predictorum nobis extitit humiliter supplicatum, ut cum ipsi propter locorum distanciam non possint sedem predictam commode visitare, ac ignorent, de qua diocesi Castrum et ville predicta consistunt, cum quilibet ex Venerabilibus fratribus nostris Agriensi et Transilvano ac Waradiensi Episcopis pretendat, Castrum et villas predicta de sua diocesi existere, aliquibus discretis Religiosis illarum parcium audiendi confessiones huiusmodi, ac eis pro commissis, eciam si talia fuerint, propter que sedes predicta esset consulenda, iniungendi penitenciam salutare potestatem concedere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur cupientes ipsorum animarum providere saluti huiusmodi supplicacionibus inclinati discrecioni tue, de qua in hiis et aliis specialem in domino fiduciam obtinemus, per apostolica scripta committimus et mandamus, qua-

tenus duobus ex dilectis filiis fratribus ordinis fratrum Minorum professoribus tue provincie ad hoc sufficientibus et ydoneis, quos duxeris eligendos, super quibus tuam consciencíam oneramus, et quos per te locorum diocesanorum, seu illi per quem in Castro et villis predictis omnimoda episcopalis iurisdictio exercebitur, si id commode fieri possit, volumus presentari, ut quilibet ipsorum fratrum, petita prius per eos, si peti valeat, licet non obtenta ab eodem diocesano seu huiusmodi episcopalem iurisdictionem exercente licencia speciali, omnium et singulorum Christifidelium habitatorum ct incolarum Castri et villarum predictorum utriusque sexus, volentium eisdem fratribus peccata huiusmodi confiteri, semel dumtaxat confessiones eorum audire, ac huiusmodi confessionibus diligenter auditis, a peccatis ipsis, eciam si talia fuerint, propter que esset sedes ipsa merito consulenda, ut prefertur, auctoritate apostolica absolvere valeant, ac eis pro commissis huinsmodi penitenciam iniungere salutarem, concedas eadem auctoritate facultatem. Datum Anagnie VIII. Kalendas Augusti, Pontificatus nostri Anno Septimo.

CCCCLXVII.

Archiepiscopo Colocensi, ut inquirat et decernat, de qua diocesi predictum castrum de Megessalla cum eius villis existat. Reg. An. VII. cod. chart. Tom. 29. fol. 328.

GREGORIUS EPISCOPUS etc. Venerabili fratri Archiepiscopo Colocensi, salutem etc. Ad ea ex apostolice servitutis officio libenter intendimus, que pacis et quietis subditorum commoda ac ecclesiarum omnium utilitatem respicere dinoscuntur, et ne inter eosdem subditos, presertim pontificali dignitate preditos, in divini cultus diminucionem ac Christifidelium animarum detrimentum lites oriantur et iurgia, partes nostre solicitudinis adhibemus. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dilecte in Christo filie nobilis mulieris Catherine, relicte quondam Symonis domini Castri de Megessalla vidue, peticio continebat, quod cum dudum Castrum ipsum cum certis villis eidem Castro adiacentibus per Regem Ungarie, qui tunc erat, et ipsius Catherine progenitores fuerit de manibus Vallachorum et Scismaticorum acquisitum, ac ipsorum Castri et villarum habitatores et incole, qui tunc erant, scismatica labe respersi a suis erroribus revocati, viam veritatis agnoscentes de huiusmodi infidelitatis errore redierint ad veram fidem catholicam et sancte Romane ecclesie unitatem, ipsa Catharina post ipsius Symonis obitum pro divini cultus augmento, ac sue et Symonis ac progenitorum, habitatorum et incolarum predictorum animarum salute parrochialem ecclesiam sancti Emerici in dicto Castro consistentem, que tunc deserta et destructa penitus existebat, honorifice reedificans, ac plures alias in Castro et villis predictis de novo canonice edificari fecit operibus non modicum sumptuosis, dote sufficienti cuilibet earumdem ecclesiarum assignata, ac quasdam alias parrochiales ecclesias inibi edificari facere et sufficienter datare proponit, et quod quilibet ex Venerabilibus fratribus nostris Agriensi, Transilvano et Varadiensi Episcopis pretendens ecclesias ac Castrum et villas predicta, que ab Agriensi per sex et a Transilvana per octo ac a Waradiensi Civitatibus per duas dietas distant, in sua diocesi existere, sepe inhibet Rectoribus earum terrarum, ne obedeant racione ipsarum ecclesiarum alteri cuicumque tamquam eorum proprio diocesano, propter quod in eisdem ecclesiis divinus cultus diminuitur et ecclesiastica sacramenta minus debite ministrantur in animarum periculum et ipsorum Rectorum, habitatorum et incolarum presentium exemplum perniciosum et scandalum plurimorum. Quare pro parte Catherine, Rectorum et habitatorum ac incolarum predictorum nobis extitit humiliter supplicatum, ut providere ipsis super hoc, ne ecclesie ipse paciantur in spiritualibus detrimentum, de oportuno remedio paterna solicitudine dignaremur. Nos igitur de premissis certam noticiam non habentes, ac cupientes Rectorum, habitatorum et incolarum animarum salnti ac ecclesiarum predictarum indempnitati providere, huinsmodi supplicacionibus inclinati fraternitati tue, de qua in hiis et aliis specialem in domino fiduciam obtinemus, per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus vocatis diotis Episcopis et aliis, qui fuerunt evocandi, super premissis, videlicet de qua diocesi ecclesie, Castrum et ville predicta existunt, inquiras auctoritate apostolica diligencius veritatem, et demum huiusmodi informacione per te recepta, prout iustum fuerit, eadem auctoritate declares et decernas ecclesias, Castrum et villas huiusmodi de illa ex ipsis diocesibus existere, de qua legitime tibi constiterit ea fore per informacionem predictam, et si per informacionem ipsam reppereris ecclesias ac Castrum et villas huiusmodi de aliqua earumdem seu alia diocesi non existere, eidem Waradiensi Episcopo auctoritate apostolica concedas, quod ecclesie, Castrum et ville, ac Rectores, habitatores et incole predicti deinceps de dicta Waradiensi diocesi existant, faciens quod declaraveris et decreveris, et concesseris et alias feceris in premissis, per censuram ecclesiasticam firmiter observari. Testes autem, qui fuerint nominati, si se gracia, odio vel timore subtraxerint, censura simili, appellacione cessante, compellas

veritati testimonium perhibere. Volumus autem, quod donec causa huiusmodi legitime terminata fuerit, ne ecclesie, Rectores, habitatores et incole predicti paciantur interim aliquod in spiritualibus detrimentum, facias per dictum Waradiensem Episcopum in ecclesias, Rectores, habitatores et incolas huiusmodi omnimoda Iurisdictionem Episcopalem auctoritate predicta exerceri, ita tamen quod per hoc Agriensi et Transilvano vel alteri nullum in premissis super possessorio seu petitorio preindicium generetur, nec Waradiensi Episcopis predictis ius aliquod eciam in eisdem petitorio et possessorio propterea quomodolibet acquiratur. Contradictores etc. Non obstantibns etc. Datum Anagnie VIII. Kalendas Augusti, Pontificatus nostri Anno Septimo.

CCCCLXVIII.

Thomae quondam Matthaei Szes de Barasson collatio parrochialis ecclesiae B. Mariae de Corona Strigoniensis dioecesis confirmatur. Reg. An. VII. cod. chart. Tom. 29. fol. 526.

GREGORIUS EPISCOPUS etc. Dilecto filio Thome quondam Mathei Szes de Barasson nato, presbitero Strigoniensis diocesis, salntem etc. Laudabilia probitatis et virtutum merita, super quibus apud nos fidedigno commendaris testimonio, nos inducunt, ut te favore apostolico prosequamur. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte tua peticio continebat, quod olim parrochiali ecclesia beate Marie de Corona Strigoniensis diocesis per obitum quondam Nicolai Iacobi ipsius ecclesie Rectoris, qui extra Romanam Curiam diem clausit extremum, vacante, dilecti filii ... Consulcs et Universitas loci de Corona dicte diocesis, cum ad Consules et Universitatem dicti loci, qui fuerint pro tempore, presentare rectores ipsius parrochialis ecclesie de antiqua et approbata et hactenus pacifico observata consuetudine communiter pertineat, te dilecto filio Nicolao Fabri Vicario in spiritualibus bone memorie Thome tunc Archiepiscopi Strigoniensis communiter presentarunt, tuque deinde per eundem Vicarium habentem ad hoc ab eodem Archiepiscopo specialem potestatem ad dictam occlesiam sic vacantem, nullique de iure debitam institutus fuisti, in hiis omnibus statutis a iure temporibus observatis, tuque presentacionem et institucionem predicta obtinuisti a dicto Archiepiscopo auctoritate ordinaria confirmari canonice, nisi apostolice reservaciones obstarent, aut ecclesia ipsa alias quam ut premittitur vacavisset, vel eius collacio ad sedem apostolicam existeret iuxta statuta Lateranensis concilii legitime devoluta. Cum autem, sicut eadem peticio subiungebat, tu dubites eandem ecclesiam tempore presentacionis aut institucionis seu confirmacionis huiusmodi fore dispositioni apostolice reservatam, aut ecclesiam ipsam alias quam ut prefertur vacavisse et vacare, vel ipsius collacionem ad candem sedem ut premittitur esse devolntam, teque posse propterea super ea imposternm molestari: Nos volentes te primissorum meritorum tuorum intuitu favore prosequi gracioso, tuis in hac parte supplicacionibns inclinati volumus et apostolica tibi auctoritate concedimus, qnod presentacio ac confirmacio predicte, et quecumque inde secuta perinde a data presentium, dummodo dictus Nicolaus Iacobi familiaris dicte sedis non fucrit, valeant et plenam obtineant roboris firmitatem, ac si de ipsa ecclesia nulla per sedem predictam specialis reservacio facta foret, aut ecclesia predicta alias quam ut premittitur minime vacavisset, vel eius collacio non esset ad prefatam sedem, ut prefertur, devoluta. Nulli ergo etc. nostre concessionis et voluntatis infringere etc. Datum Anagnie Nonis Augusti, Pontificatus nostri Anno Septimo.

CCCCLXIX.

Ministro provinciali ord. Minorum in Hungaria, ut fratribus sui ordinis professoribus inter Schismaticos et infidelibus commorantibus licentiam confessiones audiendi, locorum diocesanis non requisitis, concedere valeat. Reg. An. VII. cod. chart. Tom. 29. fol. 322.

GREGORIUS EPISCOPUS etc. Dilecto filio Ministro provinciali ordinis fratrum Minorum provincie Ungarie secundum morem dicti ordinis, salutem etc. Ad ea libenter intendimus, que Christifidelium animarum salutem ac fidei catholice dilatacionem respicere dinoscuntur, illaque favore prosequimur oportuno. Cum itaque, sicnt exhibita nobis nuper pro parte tua peticio continebat, in nonnullis partibus provincie Ungarie secundum morem ordinis Minorum dilecti filii fratres ipsius ordinis professores, inter Scismaticos et alios infideles commorantes, propter magnam viarum distanciam non possint quandoque locorum diocesanis pro confessionibus audiendi Christifidelium earumdem parcium, qui a paucis citra tempo-
ribus ad veram fidem catholicam et sancte Romane ecclesie unitatem sunt conversi, commode presentari, nec audiendi confessiones huiusmodi licenciam petere ab eisdem: pro parte tua nobis extitit humi-
liter supplicatum, ut cum per eosdem fratres in illis partibus, in quibus, ut asseris, a viginti annis citra

fere quinquaginta milia hominum, parvulis et mulieribus exceptis, ad eandem fidem catholicam ac eiusdem Romane ecclesie unitatem fuerint conversi, huiusmodi fides catholica plurimum augeatur, aliquibus ex fratribus ipsis ad hoc sufficientibus et ydoneis audiendi eorumdem fidelium confessiones huiusmodi, ac eis iniungendi penitenciam salutarem pro commissis licenciam concedere dignaremur. Nos igitur, qui ipsius fedei catholice dilatacione plurimum delectamur, cupientes cunctorum Christifidelium animarum providere saluti, huiusmodi supplicacionibus inclinati discrecioni tue, de qua in hiis et aliis specialem in domino fiduciam obtinemus, ut certis fratribus dicti ordinis professoribus ad hoc sufficientibus et ydoneis usque ad numerum, de quo tibi videbitur expedire, quos ad hoc duxeris eligendos, et qui propter viarum distanciam huiusmodi eisdem locorum diocesanis non poterunt commode presentari, ac ab eisdem diocesanis super hoc petere licenciam antedictam, super quibus tuam conscienciam oneramus, eorum videlicet singulis ipsorum Christifidelium in eisdem partibus commorantium, et volentium eisdem fratribus peccata sua huiusmodi confiteri possint libere confessiones audire, ac cis pro commissis huiusmodi, nisi talia forent, propter que esset sedes apostolica merito consulenda, penitenciam iniungere salutarem, auctoritate apostolica licenciam valeas elargiri, plenam et liberam concedimus auctoritate predicta tenore presentium facultatem. Presentibus post quinquennium minime valituris. Datum Anagnie VIII. Idus Augusti, Pontificatus nostri Anno Septimo.

CCCCLXX.

Fratres sancti Pauli primi heremitae in Hungaria, petente Ludovico rege, ab iurisdictione diocesanorum eximuntur et sedi apostolicae immediate subiiciuntur. Reg. An. VII. cod. chart. Tom. 29. fol. 397.

GREGORIUS EPISCOPUS etc. Dilectis filiis Priori generali et fratribus sancti Pauli primi heremite ordinis sancti Augustini in Ungaria et aliis mundi partibus constitutis, salutem etc. Sacre vestre Religionis, sub qua mundanis abiectis illecebris devotum ac sedulum impenditis domino famulatum, promeretur honestas, ut vos ac loca vestra specialibus graciis et favoribus prosequentes illa vobis liberaliter concedamus, per que divinis obsequiis et studio pie vite quiecius et liberius vacare possitis. Hinc est, quod nos consideracione Carissimi in Christo filii nostri Ludovici Regis Ungarie Illustris nobis super hoc humiliter supplicantis vestris in hac parte supplicacionibus inclinati, monasteria, prioratus ac loca vestra, que impresenciarum habetis, et prestante domino iustis modis imposterum obtinebitis, cum ecclesiis seu oratoriis eorumdem ac personis in eis degentibus presentibus et futuris a iurisdictione ac dominio et potestate diocesanorum, et quorumcumque aliorum ordinariorum iudicum auctoritate apostolica tenore presentium eximimus et totaliter liberamus, districtius inhibentes diocesanis et aliis ordinariis quibuscumque, ne in monasteria, prioratus vel loca vestra aut ecclesias et oratoria eorumdem, vel personas in illis degentes presentes vel futuras iurisdictionem aliquam exercere presumant, ac decernentes auctoritate predicta monasteria, prioratus ac loca, necnon ecclesias, oratoria ac personas huiusmodi nobis et apostolice sedi immediate subesse, ac irritum et inane, si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari. Nulli ergo etc. nostre exemptionis, liberacionis, inhibicionis ac constitucionis infringere etc. Datum Avinione XVI. Kal. Octobris, Pontificatus nostri Anno Septimo.

CCCCLXXI.

Universis Christi fidelibus ecclesiam s. Mariae de Monozbon certis diebus festivis visitantibus et adiuvantibus indulgentiae conceduntur. Reg. An. VII. cod. chart. Tom. 29. fol. 225.

GREGORIUS EPISCOPUS etc. Universis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis, salutem etc. Licet is, de cuius munere venit, ut sibi a fidelibus suis digne et laudabiliter serviatur, de habundancia pietatis sue, que merita supplicum excedit et vota bene servientibus sibi multo maiora retribuat, quam valeant promereri: nichilominus tamen desiderantes domino reddere populum acceptabilem et bonorum operum sectatorem, fideles ipsos ad complacendum ei quasi quibusdam allectivis muneribus, indulgenciis videlicet et remissionibus, invitamus, ut exinde reddantur divine gracie aptiores. Cupientes igitur, ut ecclesia sancte Marie de Monozbon Quinquueecclesiensis diocesis congruis honoribus frequentetur, et ut Christi fideles eo libencius causa devocionis confluant ad eandem, et ad fabricam ipsius ecclesie promptius manus porrigant adiutrices, quo ex hiis ibidem uberius dono celestis gracie conspexerint se refectos, de omnipotentis dei misericordia et beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus vere penitentibus et confessis, qui in Nativitatis, Circumcisionis, Epiphanie, Resurrectionis,

Ascensionis, Corporis domini nostri Ihesu Christi ac Penthecostes, necnon in Nativitatis, Annunciacionis, Purificacionis et Assumptionis beate Marie Virginis, et Nativitatis beati Iohannis Baptiste, dictorum Apostolorum Petri et Pauli ac ipsius ecclesie dedicacionis festivitatibus, et in celebritate omnium Sanctorum, necnon per ipsarum Nativitatis, Epiphanie, Resurrectionis, Ascensionis et Corporis domini, ac Nativitatis et Assumptionis beate Marie, Nativitatis quoque beati Iohannis Baptiste ac Petri et Pauli Apostolorum predictorum festivitatum octavas, et per sex dies dictam festivitatem Penthecostes immediate sequentes ecclesiam ipsam devote visitaverint annuatim, et ad fabricam predictam manus porrexerint adiutrices, singulis videlicet festivitatum et celebritatis centum, et octavarum ipsarum et sex dierum predictorum diebus, quibus ecclesiam ipsam visitaverint et manus porrexerint, ut prefertur, quinquaginta dies de iniunctis eis penitenciis misericorditer relaxamus. Presentibus post decennium minime valituris. Volumus autem, quod si alias visitantibus dictam ecclesiam, seu ad fabricam ipsius ecclesie manus porrigentibus adiutrices, aut alias inibi pias elemosinas erogantibus aliqua indulgencia in perpetuum, vel ad certum tempus nondum elapsum duratura auctoritate apostolica fuerit concessa, huiusmodi presentes littere nullius existant roboris vel momenti. Datum Anagnie XII. Kalendas Octobris, Pontificatus nostri Anno Septimo.

CCCCLXXII.

Georgio Bubeck militi Agriensis dioecesis indulgetur, ut sibi confessorem eligere possit.
Reg. An. VII. cod. chart. Tom. 29. fol. 397.

GREGORIUS EPISCOPUS etc. Dilecto filio Nobili viro Georgio Bubeck militi Agriensis dioecesis, salutem etc. Benigno sunt tibi illa concedenda favore, per que, sicut pie desiderare videris, consciencie pacem et salutem anime, deo propicio, consequi valeas. Hinc est, quod nos tuis devotis supplicacionibus inclinati tibi, qui, ut asseris, septuagesimum etatis tue annum peregisti, auctoritate apostolica indulgemus, ut aliquem ydoneum et discretum presbiterum in tuum possis eligere confessorem, qui quociens tibi fuerit oportunum, confessionibus tuis diligenter auditis, pro commissis debitam tibi absolucionem impendat ac iniungat penitenciam salutarem, nisi forsan talia fuerint, propter que sedes apostolica sit merito consulenda. Nulli ergo etc. nostre concessionis infringere etc. Datum Anagnie XII. Kalendas Octobris, Pontificatus nostri Anno Septimo.

CCCCLXXIII.

Prioribus fratrum s. Pauli primi heremitae in Hungaria indulgetur, ut fratres sui ordinis ab omnibus peccatis etiam in casibus episcopalibus absolvere valeant, neque sine speciali apostolicae sedis licentia excommunicari vel interdici possint. Reg. An. VII. cod. chart. Tom. 29. fol. 397.

GREGORIUS EPISCOPUS etc. Dilectis filiis Priori generali et fratribus sancti Pauli primi heremite ordinis sancti Augustini in Ungaria et aliis mundi partibus, salutem etc. Sedis apostolice graciosa benignitas devotos et humiles filios, illos presertim qui mundanis abiectis illecebris sub Religionis habitu devotum exhibent altissimo famulatum, propensius diligere et specialibus premunire graciis et favoribus consuevit. Nos igitur Carissimi in Christo filii nostri Ludovici Regis Ungarie Illustris nobis super hoc humiliter supplicantis, ac vestris in hac parte supplicacionibus inclinati, ut tu, fili prior, et successores tui, priores generales fratrum vestri ordinis pro tempore existentes omnes et singulos fratres vestrorum monasteriorum et prioratuum seu locorum, qui sunt et erunt pro tempore, ab omnibus peccatis suis, eciam in casibus Episcopalibus, necnon ab excommunicacionum sentenciis, si quas pro tempore incurrerint, in illis casibus dumtaxat, in quibus sedis apostolica non esset pro huiusmodi absolucione merito consulenda, per vos ipsos vel per provinciales aut alios priores monasteriorum et prioratuum seu locorum predictorum in forma ecclesie consueta absolvere possitis, iniunctis eis pro modo culpe penitencia salutari et aliis, que de iure fuerint iniungenda, vobis auctoritate apostolica tenore presentium concedimus de gracia speciali: vobis nichilominus indulgemus, ut nullus ordinarius aut eius vicarius, seu per litteras apostolicas delegatus vel subdelegatus in vos seu aliquem vestrum excommunicacionis seu suspensionis sentencias promulgare, seu vos aut monasteria vel prioratus, seu loca vestra quecumque ecclesiastico interdicto supponere valeat absque apostolice sedis licencia speciali, faciente plenam et expressam de indulto huiusmodi mencionem. Presentibus post viginti annos ab earum data immediate computandos minime valiturus. Nulli ergo etc. nostre concessionis infringere etc. Datum Anagnie Kalendis Octobris, Pontificatus nostri Anno Septimo.

CCCCLXXIV.

Episcopis Quinquecclesiensi et Agriensi, ut Ioannem episcopum Civitatis Castellanae Romanae ecclesiae rebellem capiendum et pontifici tradendum curent. Reg. An. VII. cod. chart. Tom. 31. fol. 38.

GREGORIUS EPISCOPUS etc. Venerabilibus fratribus Quinquecclesiensi et Agriensi Episcopis, salutem etc. Turbamur non immerito et movemur, cum ecclesiarum Prelatos in aliorum prorumpere audimus offensas, quos optamus servare modestiam circa omnes: sed tunc gravioris confodimur doloris aculeis, cum ipsi contra Romanam ecclesiam rebellionis cornua erigentes ausu nephario in eam seviunt, ac ipsam conviciis sive latratibus lacessire execrabili presumptione conantur. Huiusmodi igitur eorum perversis conatibus co celerius et cautius obviare nos convenit, quo ex hiis possunt maiora pericula provenire. Sane ad nostrum, quod dolenter referimus, clamorosa et fidedigna multorum relacio deduxit auditum, quod Iohannes Episcopus Civitatiscastellane, mente stolidus, corde ceeus, irreverens animo, per devium ambulans, ingratitudinis vicio labefactus, elacionis spiritu concitatus, impudens sue detector perfidie, tamquam iniquitatis filius in matrem seviens, ac periurii et prodicionis crimina commictere non formidans, contra candem ecclesiam matrem suam ac sedem apostolicam, que eciam ipsum tantis ditavit honoribus, ut eum ad pontificalis dignitatis apicem sublimaret, continuus et manifestus rebellis existit, ac suis perversis et detestandis persuasionibus nonnulla Civitates et Castra ac alia loca, eidem Romane ecclesie immediate subiecta, ab ciusdem ecclesie devocione subtraxit, et ea contra eamdem ecclesiam rebellare procuravit et fecit. Nos igitur, ne tam scelestus et nephandus presumptor de sua impunitate valeat gloriari, ac suis exemplis pestiferis alios ad dampnabile precipicium secum trahat, de oportuno et celeri remedio, prout ad nostrum spectat officium, providere volentes, fraternitati vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus vos vel alter vestrum, receptis presentibus, prefatum Episcopum capi faciatis et ipsum sub tuta et fida custodia nobis transmittere non tardetis, Invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii seculari, Contradictores auctoritate nostra, appellacione postposita, compescendo, Non obstante si eidem Episcopo vel quibusvis aliis communiter vel divisim a sede apostolica sit indultum, quod capi, interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mencionem. Datum Anagnie v. Nonas Octobris, Pontificatus nostri Anno Septimo.

CCCCLXXV.

Georgio de Zudar militi Agriensis diocesis indulgetur, ut sibi in locis interdictis divina officia celebrari facere possit. Reg. An. VII. cod. chart. Tom. 29. fol. 236.

GREGORIUS EPISCOPUS etc. Dilecto filio Nobili viro Georgio de Zudar Militi Agriensi diocesis, salutem etc. Devocionis tue sinceritas promeretur, ut votis tuis, in hiis presertim, que ad tue salutem anime cedere valeant, quantum cum deo possumus, favorabiliter annuamus. Tuis itaque supplicacionibus inclinati auctoritate tibi presentium indulgemus, ut si forsan ad loca ecclesiastico interdicto suppposita te contigerit declinare, liceat tibi in illis clausis ianuis, excommunicatis et interdictis exclusis, non pulsatis campanis ac summissa voce missam et alia divina officia in tua et familiarium tuorum domesticorum presencia facere celebrari, dummodo tu vel illi causam non dederitis interdicto, nec id tibi vel illis contigerit specialiter interdici. Nulli ergo etc. nostre concessionis infringere etc. Si quis autem etc. Datum Anagnie III. Nonas Octobris, Pontificatus nostri Anno Septimo.

CCCCLXXVI.

Archiepiscopo Strigoniensi et episcopo Iauriensi, ut a Petro episcopo Vesprimiensi nomine Romanae ecclesiae solitum iuramentum recipiant. Reg. An. VII. cod. chart. Tom. 29. fol. 343.

GREGORIUS EPISCOPUS etc. Venerabilibus fratribus Archiepiscopo Strigoniensi et Episcopo Iauriensi, salutem etc. Cum nuper Venerabilem fratrem nostrum Petrum Vesprimiensem, olim Iauriensem, Episcopum a vinculo, quo Iauriensi ecclesie, cui tunc preerat, tenebatur, de fratrum nostrorum consilio et apostolice potestatis plenitudine absolventes, ipsum ad ecclesiam Vesprimiensem tunc vacantem auctoritate apostolica duxerimus transferendum, ipsumque eidem Vesprimiensi ecclesie prefecerimus in Episcopum et pastorem: Nos volentes eiusdem Episcopi in illis partibus commorantis parcere laboribus et expensis, ne propterea cogatur ad Romanam Curiam veniendo personaliter laborare, fraternitati vestre auctoritate presentium committimus et mandamus, quatenus vos vel alter vestrum ab eodem Epo nostro et Romane ecclesie nomine fidelitatis debite solitum recipiatis iuramentum iuxta formam, quam

sub bulla nostra mittimus interclusam: formam autem iuramenti, quod idem Episcopus prestabit, nobis de verbo etc. destinare curetis. Datum Anagnie VII. Idus Octobris, Pontificatus nostri Anno Septimo.

CCCCLXXVII.

Capitulo Lateranensi, ut capita beatorum Petri et Pauli oratoribus regis Hungarie ostendant.
Reg. An. VII. cod. chart. Tom. 29. fol. 399.

GREGORIUS EPISCOPUS etc. Dilectis filiis Capitulo Lateranensi, salutem etc. Cum Venerabilis frater noster Valentinus Episcopus Quinquecclesiensis, et dilecti filii Demetrius Archidiaconus Strigoniensis ac Nobilis vir Georgius Sudar Comes Scepusiensis, Ambaxiatores Carissimi in Christo filii nostri Ludovici Regis Ungarie Illustris ad nos per eundem Regem destinati, de Romana Curia ad partes Ungarie recedant, ac ferventer causa devocionis videre cupiant capita beatorum Petri et Pauli, que in ecclesia Lateranensi requiescunt, discrecionem vestram monemus et hortamur attente presentium vobis tenore mandantes, quatenus eisdem Ambaxiatoribus et eorum sociis et familiaribus predicta capita, ut est moris, ostendatis, statutis et consuetudinibus vestris et dicte ecclesie non obstantibus quibuscumque. Datum Anagnie VI. Idus Octobris, Pontificatus nostri Anno Septimo.

CCCCLXXVIII.

Capitulo s. Petri de Urbe, ut predictis oratoribus sudarium ostendant. Ibidem fol. 399.

GREGORIUS EPISCOPUS etc. Dilectis filiis Priori et Capitulo Basilice principis Apostolorum de Urbe, salutem etc. Cum Venerabilis frater noster Valentinus Episcopus Quinquecclesiensis, et dilecti filii Demetrius Archidiaconus Strigoniensis ac Nobilis vir Georgius Sudar Comes Scepusiensis etc. videre cupiant Sudarium alias Veronica nuncupatum, quod in Basilica vestra per vos tenetur et custoditur, discrecionem vestram monemus etc. ut supra usque quibuscumque. Dat. Anagnie VI. Idus Octob. An. VII.

CCCCLXXIX.

Archiepiscopo Iadrensi, ut Grisogonum de Soppa nobilem Iadrensem, qui contra voluntatem abbatis in conventu s. Grisogoni habitum monachalem portat et in monasterio remanet, dictum habitum deponere et monasterium exire compellat.
Reg. An. VII. cod. chart. Tom. 29. fol. 345.

GREGORIUS EPISCOPUS etc. Venerabili fratri ... Archiepiscopi Iadrensi, salutem etc. Exhibita nobis pro parte dilectorum filiorum Iohannis Abbatis et Conventus Monasterii beati Grisogoni Iadrensis ordinis beati Benedicti peticio continebat, quod olim idem Abbas, ad importunam instanciam quorumdam nobilium de Civitate Iadrensi, dilectum filium Grisogonum de Soppa clericum Iadrensem, de nobili genere procreatum, sperans et credens, quod per ipsum Grisogonum predictum monasterium defendi et tueri deberet, ad habitum probacionis in dicto monasterio recepit, et quod cum idem Grisogonus infra tempus probacionis existeret, et in dicto monasterio taliter se haberet, quod eidem Abbati et aliis monachis et personis dicti monasterii nimis scandalosus esset, dictus Abbas, elapsis quatuor mensibus a tempore huiusmodi receptionis ipsius Grisogoni, eum indignum ad professionem dicti ordinis in eodem monasterio faciendam reputavit, ipsumque a dicto monasterio licenciavit, ac de ipso monasterio eicere voluit: sed idem Grisogonus laicali suffultus potencia in eodem monasterio cum habitu monachali contra voluntatem dictorum Abbatis et Conventus et eis invitis remansit, et remanct in anime sue periculum et ipsorum Abbatis et Conventus preiudicium et gravamen. Quare pro parte ipsorum Abbatis et Conventus fuit nobis humiliter supplicatum, ut providere ipsis super hoc de oportuno remedio dignaremur. Nos igitur huiusmodi supplicacionibus inclinati fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenus, si est ita, dictum Grisogonum ad deponendum habitum predictum et ad exeundum de prefato monasterio, monicione premissa, per censuram ecclesiasticam, appellacione remota, compellas, Invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis, Contradictores etc. Non obstantibus etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum XI. Kalendas Decembris, Pontificatus nostri Anno Septimo.

CCCCLXXX.

Ioanni abbati s. Grisogoni Iadrensis conceditur, ut a suo monasterio per annum se absentare possit.
Reg. An. VII. cod. chart. Tom. 29. fol. 344.

GREGORIUS EPISCOPUS etc. Dilecto filio Iohanni Abbati Monasterii sancti Grisogoni Iadrensis ordinis sancti Benedicti, salutem etc. Sincere devocionis affectus, quem ad nos et Romanam geris

ecclesiam, promeretur, ut votis tuis, quantum cum deo possumus, favorabiliter annuamus. Cum itaque, sicut exhibita nobis nuper pro parte tua peticio continebat, tu tam propter infirmitatem tui corporis, quam ex eo quod nonnulli nobiles de Civitate Iadrensi, in qua monasterium tuum est situm, te persecuntur odio capitali, in eodem monasterio non possis ad presens commode ac tute morari, pro parte tua fuit nobis humiliter supplicatum, ut tibi licenciam te absentandi a prefato monasterio ad aliquod tempus concedere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur huiusmodi supplicacionibus inclinati tibi, ut usque ad annum a data presentium computandum a predicto monasterio te libere ac licite absentare valeas, quibuscumque constitucionibus seu ordinacionibus nostris ac statutis et consuetudinibus dicti monasterii et ordinis tui contrariis nequaquam obstantibus, auctoritate apostolica tenore presentium concedimus de gracia speciali, proviso quod monasterium ipsum debitis obsequiis non fraudetur, nec in spiritualibus aut temporalibus detrimentum propterea patiatur. Nulli ergo etc. nostre concessionis infringere etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum XII. Kalendas Decembris, Pontificatus nostri Anno Septimo.

CCCCLXXXI.

Archiepiscopis Strigoniensi et Colocensi, ut decimam biennalem prelatis et aliis beneficia ecclesiastica in regno Hungarie obtinentibus impositam ad onera camerae apostolicae subtrahenda colligant et exigant, atque ipsi eam solvant in terminis statutis. Reg. An. VII. Bull. Camer. Tom. 7. fol. 117.

Gregorius episcopus etc. Venerabilibus fratribus ... Strigoniensi et ... Colocensi Archiepiscopis, salutem etc. Nonnullorum perversorum, a quorum oculis dei timor abcessit, et quorum vie perverse sunt et infames gressus eorum, sic excrescit et precipue in partibus Italie dampnata presumptio, quod ipsi velut alieni filii per cecitatis devium oberrantes Romanam ecclesiam matrem cunctorum fidelium et magistram iniuriis et dampnis afficere, eiusque terras, bona et iura occupare et invadere non verentur. Ad quorum insolencias refrenandas et predictorum defensionem et recuperacionem terrarum, bonorum et iurium, prout debitum nostri requirit officii, tot et tanto nos et predecessores nostri Romani Pontifices subivimus, nosque eciam de presenti subire oportet onera expensarum, quod ad illa ferenda imposterum proventus nostre Camere, qui ex diversis causis attenuati et diminuti existunt, sufficere non possunt, quod nos anxie cogitantes et vias et modos racionabiles et honestos, quibus necessarie supportacioni huiusmodi onerum valeamus sufficere, solicite perquirentes et reputantes equum et congruum, ut dicta Romana ecclesia ab aliis ecclesiis et personis ecclesiasticis, quarum ipsa est caput, in suis necessitatibus adiuvetur, deliberacione super hiis prehabita diligenti, decimam omnium reddituum et proventuum ecclesiasticorum in Strigoniensi, Colocensi et Gneznensi provinciis per duos annos a Kalendis Ianuarii proxime futuri inchoandos, et continue subsequentes in subscriptis terminis singulis annis dictorum duorum annorum solvendam, et eciam exigendam tam a vobis quam eciam ab omnibus et singulis Archiepiscopis, Episcopis ceterisque prelatis et personis ecclesiasticis secularibus et regularibus exemptis et non exemptis, huiusmodi reddituum et proventus in predictis provinciis obtinentibus, et infra dictum biennium obtenturis, cuiuscumque preeminencie, dignitatis, status, religionis, ordinis vel condicionis existant, quibus aut quorum alicui nulla privilegia aut indulgencias sub quacumque verborum forma vel expressione concessa quo ad hoc volumus suffragari, preterquam a Venerabilibus fratribus nostris sancte Romane ecclesie Cardinalibus, huiusmodi reddituum et proventus in predictis provinciis obtinentes et obtenturis in posterum, qui nobiscum assidue indefessis laboribus onera universalis ecclesie sorciuntur, necnon a dilectis filiis hospitalis sancti Iohannis Ierosolimitani et beate Marie Theotonicorum Magistris, Prioribus, Preceptoribus et fratribus, qui contra hostes fidei Christiane exponunt iugiter se et sua, quos Cardinales, Magistros, Priores, Preceptores et fratres a prestacione huiusmodi decime exemptos esse volumus et immunes, solvendam, exigendam et colligendam, ac in relevacionem dictorum onerum convertendam imposuimus et imponimus per presentes, volentes, quod huiusmodi decima per vos vel alterum vestrum, quos eiusdem decime principales collectores, non revocando propterea alios collectores, nostros deputamus, necnon per Venerabiles fratres nostros Archiepiscopos et Epos dictarum provinciarum, et subcollectores clericos dumtaxat, a vobis in vestris et ipsorum aliorum Archiepiscoporum et Episcoporum singulis in suis Civitatibus et diocesibus deputandis, a vobis ac ipsis Archiepiscopis, Episcopis et prelatis ac personis aliis ecclesiasticis secularibus et regularibus exemptis et non exemptis, in provinciis supradictis reddituum ac proventus huiusmodi, ut prefertur, habentibus et infra duos annos antedictos habituris, preterquam a predictis Cardinalibus, Magistris, Prioribus, Pre-

ceptoribus et fratribus, de vestris dumtaxat redditibus atque proventibus colligatur, et eciam exigatur sine iniuria et oppressione quacumque, ita quod per vos vel vestros collectores vel subcollectores ad redditus et proventus ecclesiasticos extra dictas provincias consistentes compulsionis officium nullatenus extendatur. Primum enim terminum solucionis medietatis huiusmodi decime primi anni dicti biennii statuimus, et esse volumus Kalendis Aprilis proximo venturi, secundum vero terminum solucionis alterius medietatis dicti proximi anni festum Assumptionis beate Marie Virginis huiusmodi Kalendas immediate secuturum, in alio anno dicti biennii similibus terminis observandis: dictaque exactio fiat secundum taxacionem decime in dictis provinciis factam, vel ubi nulla huiusmodi certa taxacio fuerit, secundum morem, modum et consuetudinem in exactione et solucione huiusmodi decime hactenus observatos, et sine aliquo onere illorum, a quibus huiusmodi decima exigetur. Et ne de moneta, in qua fiet et fieri debebit solucio dicte decime, habeat hesitari, vitenturque gravamina, que propter hoc hactenus viri ecclesiastici sunt perpessi, volumus, quod per vos et alios Archiepiscopos, Episcopos, collectores et subcollectores prefatos ipsa decima ad monetam in dictis terminis in prefatis provinciis communiter currentem levetur et eciam exigatur, ac vobis et aliis Archiepiscopis et Episcopis, et eorum subcollectoribus predictis nomine Camere nostre apostolice recipientibus persolvatur iuxta constitucionem super hoc editam in concilio Viennensi, ita quod pretextu alicuius cambii debitores et solutores dicte decime non graventur: quodque circa hoc iuxta constitucionem eiusdem Viennensis concilii calices, libri et alia ornamenta ecclesiarum divinis officiis deputata ex causa pignoris vel alias occasione dicte exactionis nullatenus capiantur et recipiantur vel eciam occupentur.

Quocirca fraternitati vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus vos predictam decimam de huiusmodi redditibus et proventibus vestris per dictum biennium in dictis terminis integraliter solvetis, et ab aliis Archiepiscopis, Episcopis ceterisque prelatis et personis ecclesiasticis predictis de ipsorum ecclesiasticis redditibus et proventibus, quos infra dictas provincias obtinent et per dictum biennium obtinebunt, preterquam a Cardinalibus, Magistris, Prioribus, Preceptoribus et fratribus supradictis, per vos vel alium seu alios exigere et colligere studeatis diligenter: Nos enim vobis et cuilibet vestrum prefatos Archiepiscopos, Episcopos, prelatos et personas ecclesiasticas supradictas huiusmodi redditus et proventus infra dictas provincias obtinentes, et infra huiusmodi biennium, ut premittitur, obtenturos, Cardinalibus, Magistris, Prioribus, Preceptoribus et fratribus supradictis dumtaxat exceptis, ad solvendum vobis vel deputatis a vobis dictam decimam in eisdem terminis, prout superius est expressum, auctoritate nostra per censuram ecclesiasticam, et eciam per sequestracionem ipsorum reddituum et proventuum in eisdem provinciis consistentium, si expediens fuerit, per vos vel alium seu alios compellendi plenam et liberam concedimus tenore presentium facultatem. Quod si forsan vos vel aliquis vestrum seu dictorum aliorum Archiepiscoporum vel Episcoporum, aut subcollectorum per vos vel ipsos deputandorum, seu eorum aliqui in eiusdem decime solucione defeceritis seu defecerint, taliter deficientes similes sentencias, quos per vos vel ipsos Archiepiscopos, Episcopos seu subcollectores in non solventes dictam decimam in prefatis terminis proferri contigerit, incurrere volumus ipso facto, Non obstantibus si vobis et eisdem Archiepiscopis, Episcopis, prelatis et aliis personis ecclesiasticis vel quibusvis aliis communiter vel divisim a predicta sit sede indultum, quod ad solucionem huiusmodi decime minime teneantur, et ad id compelli, aut quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas, que de indulto huiusmodi et toto eius tenore de verbo ad verbum, et propriis ipsorum ordinum, locorum et personarum nominibus plenam et expressam non fecerunt mencionem, et quibuslibet privilegiis, indulgenciis, exemptionibus et litteris apostolicis quibuscumque dignitatibus seu ordinibus, et specialiter sanctorum Benedicti et Augustini, Cluniacensi, Cisterciensi, Premonstratensi, Cartusiensi, Grandimontensi, et ipsorum aliquibus generaliter vel specialiter sub quacumque forma vel conceptione verborum a memorata sede concessis, de quibus quorumque totis tenoribus de verbo ad verbum in nostris litteris plena et expressa mencio sit habenda. Ad hec volumus vobisque et eisdem dictarum provinciarum Archiepiscopis et Episcopis eadem auctoritate concedimus, quod vos et alii Archiepiscopi et Episcopi predicti, ac vestrum et ipsorum singuli, quos ex defectu non facte solucionis huiusmodi excommunicacionis, suspensionis vel interdicti sentencias incurrisse contigerit, ab eisdem sentenciis post satisfactionem debitam per aliquem ex vicinioribus Episcopis excommunicacionis sentencia non ligatum, et alias graciam et communionem apostolice sedis habentem, facta sibi prius fide de satisfactione huiusmodi, absolucionis beneficium, et super irregularitate, si quam non tamen in contemptum clavium celebrando divina vel immiscendo vos illis contraxeritis, dispensacionis graciam obtinere,

aliisque ociam, quos in singulis vestris et aliorum Archiepiscoporum et Episcoporum civitatibus et diocesibus easdem sentencias ex defectu solucionis huiusmodi incurrisse contigerit, post debitam satisfactionem, vobis ac Archiopiscopis et Episcopis predictis facta fide de satisfactione huiusmodi, vos et ipsi Archiepiscopi et Episcopi ab eisdem sentenciis absolucionis beneficium, et super irregularitate contracta dispensacionis graciam impendere valeatis, ac impendi ordinetis et eciam faciatis, ita quod nullum post satisfactionem ipsam pro huiusmodi benoficio et gracia obtinendis extra suam civitatem et diocesim oporteat laborare. Ceterum quia forsan nonnulle ex personis ecclesiasticis supradictis adeo pauperes sunt, quod ad solucionem huiusmodi decime impotentes existunt, volumus, quod quo ad illos de dictis provinciis, qui per vos et alios Archiepiscopos et Episcopos predictos in singulis vestris et ipsorum civitatibus et diocesibus summarie, et de plano reperti fuerint ad solucionem huiusmodi decime in predictis terminis faciendam, ut premittitur, impotentes, super quo vestras et cuiuslibet vestrum, ac ipsorum Archiepiscoporum et Episcoporum consciencias oneramus, prefatas sentencias relaxetis, et super irregularitate, si qua sic ligati non tamen in contemptum clavium celebrantes divina, aut immiscendo se illis contraxerint, cum eisdem cciam auctoritate nostra dispensetis, et per alios per vos Archiepos et Epos ipsos deputandos relaxari et dispensari faciatis: nostre tamen intencionis existit, quod hii, quorum facultates ad integram solucionem huiusmodi, supportatis aliis oneribus consuetis, non suppetunt, ultra quam iuxta suarum huiusmodi facultatum exigenciam commode poterunt, illi vero, qui de ipsa decima nichil solvere poterunt, super qua impotencia vestras ct predictorum aliorum Archiepiscoporum et Episcoporum consciencias oneramus, ad solvendum aliquid pretextu imposicionis huiusmodi nullatenus compellantur. Porro quia presontos littero propter viarum discrimina vel alias nequirent forsan vestrum singulis, et aliis Archiepiscopis et Episcopis predictis commode presentari, volumus, quod per alium vestrum ipsarum litterarum transumptum publica manu conscriptum, et illius ex vobis, qui eiusmodi transumptum transmittat, sigillo munitum predictis aliis Archiepiscopis et Episcopis et quibuscumque aliis, prout expediens fuerit, transmittatur, cui adhiberi volumus prout originalibus plenam fidem. Datum Rome apud Sanctum Petrum Nonis Decembris, Pontificatus nostri Anno Septimo.

CCCCLXXXII.

Fratribus ord. Minorum conceditur, ut locum in oppido Madropsa Corbaviensis dioecesis, quem Stephanus comes Senise eis donare proponit, accipere valeant. Reg. An. VIII. cod. chart. Tom. 32. fol. 31.

GREGORIUS EPISCOPUS etc. Dilectis filiis Ministro generali et aliis fratribus ordinis Minorum, salutem etc. Sacre vestre religionis etc. ut in inferiori. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte vestra peticio continebat, quod in opido Madropsa Corbaviensis diocesis, quod prope Scismaticos et infideles situm est, et prope illam per unam dietam et ultra nullus locus fratrum ipsius vestri odinis existit, et quod propterea dilectus filius nobilis vir Stophanus Comes Senie de propria salute cogitans, ac cupiens terrena in celestia, et transitoria in eterna felici commercio commutare, ad omnipotentis dei laudem et gloriam, ac pro sua et progenitorum suorum animarum remedio et salute quemdam locum cum ecclesia, campanili, campana, cimiterio, domibus et aliis necessariis officinis in dicto suo opido ad opus vestrum in honorem, et sub vocabulo beati Francisci fundavit pariter et construxit, illumque cum omnibus iuribus et pertinenciis suis vobis intendit pia liberalitate donare: Quare pro parte vestra fuit nobis humiliter supplicatum, ut vobis recipiendi locum ipsum, inibique morandi licenciam concedere dignaremur. Nos igitur, qui vos et ordinem ipsum gerimus in visceribus caritatis, volentes vos consideracione Carissime in Christo filie nostre Elisabeth Regine Ungarie Illustris nobis super hoc humiliter supplicantis favore prosequi gracioso, huiusmodi supplicacionibus inclinati vobis recipiendi locum ipsum cum ecclesia, campanili, campana, cimiterio, domibus et aliis officinis predictis, dummodo duodecim fratres ipsius ordinis inibi morari continuo valeant et congrue sustentari, auctoritate apostolica plenam et liberam licenciam elargimur, Non obstantibus fel. record. Bonifacii pp. VIII. predecessoris nostri prohibente, ne religiosi ordinum mendicantium loca de novo acquirere valeant etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum XIIII. Kal. Februarii, Pontificatus nostri Anno Octavo.

CCCCLXXXIII.

Iisdem conceditur, ut ecclesiam s. Nicolai de Aratha Cenadiensis dioecesis accipere possint. Ibidem fol. 31.

GREGORIUS EPISCOPUS etc. Dilectis filiis Ministro generali et aliis fratribus ordinis Minorum, salutem etc. Sacre vestre religionis, in qua sub iugo voluntarie paupertatis devotum exhibetis altissimo

famulatum, promeretur honestas, ut votis vestris, illis presertim que divini cultus augmentum et vestri ordinis propagacionem respiciunt, favorabiliter annuamus. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte vestra peticio continebat, quod Carissima in Christo filia nostra Elizabeth Regina Ungarie Illustris, que ecclesiam sancti Nicolai de Aratha Cenadiensis diocesis, que diruta et destructa longo tempore extiterat, prout erat, et que tanto tempore vacaverat, quod de contrario memoria hominum non existebat, nec sciebatur ad quem spectabat ius patronatus illius, reparari et reedificari fecit opere sumptuoso, cuique propterea venerabilis frater noster Episcopus Cenadiensis ius patronatus eiusdem ecclesie prefate Regine concessit, prefatusque Episcopus ad ipsius Regine requisicionem ecclesiam ipsam et huiusmodi ius patronatus vobis donare proponit: Quare pro parte vestra fuit nobis humiliter supplicatum, ut vobis recipiendi ecclesiam et ius patronatus huiusmodi licenciam concedere dignaremur. Nos igitur, qui vos et ordinem vestrum gerimus in visceribus caritatis, volentes vos consideracione dicte Regine nobis super hoc humiliter supplicantis favoro prosequi gracioso, huiusmodi supplicacionibus inclinati vobis recipiendi ecclesiam et ius patronatus huiusmodi cum campanili, campana, cimiterio, domibus et aliis necessariis officinis, dummodo duodecim fratres ipsius ordinis inibi morari continue valeant et congrue sustentari, auctoritate apostolica plenam et liberam licenciam elargimur, Non obstantibus fel. record. Bonifacii pp. VIII. predecessoris nostri prohibente, ne religiosi ordinum mendicantium loca de novo acquirere valeant absque sedis apostolice licencia speciali faciente de prohibicione huiusmodi mencionem, et aliis constitucionibus apostolicis contrariis quibuscumque. Nulli ergo etc. nostre concessionis infringere etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum XIII. Kalendas Februarii, Pontificatus nostri Anno Octavo.

EPISTOLAE URBANI PP. VI.

CCCCLXXXIV.

Viviano ord. Cruciferorum, ut postquam eidem ordini in magistrum praefectus esset, officium collectoris proventuum camerae apost. debitorum in Dalmatia et aliis partibus continuet. Reg. An. V. Secret. Tom. 1. fol. 231.

URBANUS EPISCOPUS etc. Dilecto filio Viviano Magistro ordinis Cruciferorum, fructuum et proventuum in Lombardie et nonnullis aliis partibus apostolice Camere debitorum Collectori, sal. etc. Dudum te tunc Priorem domus sancte Marie de Veneciis ordinis Cruciferorum Castellanensis diocesis in Aquilegensi, Gradensi, Mediolanensi, Ravennatensi, Iadrensi, Spalatensi, Ragusina et Antibarensi Civitatibus, diocesibus et provinciis, ac in Insulis et partibus Romanie fructuum et proventuum apostolice Camere debitorum Collectorem deputavimus, et quedam tibi peragenda commisimus et nonnullas concessimus facultates, prout in diversis nostris inde confectis litteris plenius continetur. Cum autem postmodum de persona tua generali Magisterio dicti ordinis tunc vacanti duxerimus providendum, proficiendo te ipsi ordini in Magistrum, nos ad tollendum cuiuslibet ambiguitatis dubium, quod propterea emergere posset, tenore presentium auctoritate apostolica decrevimus, et volumus tibique concedimus, quod huiusmodi officium collectorie exercere et commissa peragere, et facultatibus ac litteris predictis, et omnibus et singulis in eis contentis uti perinde possis et valeas, ac si prefate littere tibi ut Magistro eiusdem ordinis directe fuissent, Non obstantibus omnibus, que in predictis volumus non obstare. Datum Rome apud Sanctum Petrum XI. Kalendas Iunii, Pontificatus nostri Anno Quinto.

CCCCLXXXV.

Cosmato Gentili praeposito ecclesiae Valvensis, ut duodecim milia flor. quos Dominicus epus Bosnensis per testamentum camerae apost. legavit, et quos Ludovico regi Hungariae mutuo dederat, exigat. Reg. An. V. Secret. Tom. 1. fol. 292.

URBANUS EPISCOPUS etc. Dilecto filio Cosmato Gentili Preposito ecclesie Valvensis, in Regno Anglie fructuum et proventuum Camere apostolice debitorum Collectori, salutem etc. Intelleximus, quod bone memorie Dominicus Episcopus Bosnensis in suo ultimo testamento legavit nobis et Camere apostolice

duodecim milia florenorum, que idem Episcopus, dum viveret, recolende memorie Ludovico Regi Ungarie Illustri mutuaverat, et de quibus non fuit hactenus eidem Episcopo vel alteri pro eo per dictum Regem vel alium eius nomine satisfactum. Nos itaque volentes, sicut ex debito tenemur pastoralis officii, utilitatibus prefate Camere salubriter providere, discrecioni tue per te vel alium seu alios dicta duodecim milia florenorum ab illis, a quibus debentur, auctoritate nostra nomine predicte Camere petendi, exigendi et recipiendi, et de receptis solventes et assignantes libere quitandi et absolvendi plenam et liberam tenore presentium concedimus facultatem. Volumus autem, quod de hiis, que receperis ex premissis, duo consimilia fieri facias publica instrumenta, quorum uno penes te retento, reliquum ad dictam Cameram quantocius destinare procures. Datum Rome apud Sanctum Petrum Kalendis Ianuarii, Pont. nostri Anno Quinto.

CCCCLXXXVI.

Communi Spalatensi, ut ex bonis archiepi Spalatensis inobedientia mandato pontificis de restituendis mille ducatis auri indebite perceptis eam summam relevent, et subcollectori apostolicae camerae tradent. Reg. An. X. Secret. Tom. 2. fol. 83.

URBANUS EPISCOPUS etc. Dilectis filiis Communi Civitatis Spalatensis, salutem etc. Pridem ad noticiam nostram deducto, quod Venerabilis frater noster Hugolinus Archiepiscopus Spalatensis tam de bonis, que fuerunt quondam Iohannis Abbatis monasterii sancti Stephani de Pinis ordinis sancti Benedicti Spalatensis diocesis, quam de fructibus dicti monasterii ad mensam Abbacialem pertinentibus, qui post obitum dicti Abbatis vacacionis tempore obvenerant, mille ducatos auri indebite perceperat, ipsosque sibi retinuerat et retinebat in anime sue preiudicium et nostre Camere non modicum detrimentum; et cum bona ad mensam Abbatis eiusdem monasterii pro tempore existentis pertinentia a reliquis bonis dicti monasterii dicerentur esse discreta, et diu ante obitum ipsius Abbatis bona omnia mobilia, credita et debita, que habebat, dum viveret, et que poterant quomodolibet spectare ad ipsum, disposicioni nostre et apostolice sedis dnxissemus specialiter reservanda, decernentes extunc irritum et inane, si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari: nos predicto Archiepiscopo per nostras litteras districte mandavimus, ut huiusmodi summam mille ducatorum auri, et quicquid aliud de bonis et fructibus predictis ad manus ipsius qualitercumque pervenisset, quondam Viviano ordinis Crucifferorum Magistro, fructuum et proventuum dicte Camere debitorum in eisdem et nonnullis aliis partibus Collectori, vel eius nuncio aut Succollectori in Civitate et dicta diocesi Spalatensi specialiter deputato, absque more dispendio integraliter tradere et effeetualiter assignare cnraret. Cum autem prefatus Archiepiscopus premissa nondum adimpleverit, et sicut accepimus, agat presentialiter in remotis, et bona eiusdem Archiepiscopi in magna parte penes vos existant, devotionem vestram requirimus et rogamus, quatenus pro nostra et apostolice sedis reverencia huiusmodi summam mille ducatorum auri de bonis prefati Archiepiscopi penes vos existentibus, ut prefertur, dilecto filio Benedicto Abbati menasterii sancte Marie de Canneto Polensi ordinis sancti Benedicti, fructuum et proventuum dicte Camere in illis partibus debitorum Succollectori, summotis obstaculis et difficultatibus quibuscunque, cum integritate studeatis effectualiter assignare. Ipse enim Abbas vos vel alios, quorum interfuerit, prout super hiis auctoritate apostolica sufficientem potestatem habet, de receptis per eum propterea quitabit plenarie et absolvet. Datum Luce IIII. Idus Augusti, Pontificatus nostri Anno Decimo.

CCCCLXXXVII.

Subcollectori camerae apostolicae, ut praedictos mille ducatos auri a communi Spalatensi exigat et recipiat. Reg. An. X. Secret. Tom. 2. fol. 84.

URBANUS EPISCOPUS etc. Dilecto filio Benedicto Abbati monasterii sancte Marie de Canneto Polensi ordinis sancti Benedicti, fructuum et proventuum Camere apostolice in nonnullis partibus Dalmacie debitorum Succollectori, salutem etc. Hodie dilectis filiis Communis Civitatis Spalatensis nostras litteras direximus in hec verba. Urbanus etc. Dilectis filiis Communi Civitatis Spalatensis, salut. etc. Pridem ad nostram noticiam deducto, quod Venerabilis frater noster Hugolinus Archiepiscopus Spalatensis tam de bonis, que fuerunt quondam Iohannis Abbatis monasterii sancti Stephani de Pinis ordinis sancti Benedicti etc. de verbe ad verbum, prout in proximo precedenti continetur. Quocirca discrecioni tue per apostolica scripta committimus et mandamus, qnatenus huiusmodi summam mille ducatorum auri a prefatis Communi nomine apostolice Camere recuperare et exigere studeas diligenter. Nos enim tibi summam eandem et alias illud, quod propterea predicti Commune tibi dare et assignare

voluerint, petendi et recipiendi, necnon eos de hiis, que ab ipsis occasione predicta recipere te contingat, quitandi, liberandi et absolvendi plenam concedimus tenore presentium potestatem. Volumus autem tibique mandamus, quod de singulis quitacionibus, quas propterea feceris, duo publica consimilia facias instrumenta, quorum altero penes te pro cautela retento, reliquum ad dictam Cameram studeas destinare. Datum Luce IIII. Idus Augusti, Pontificatus nostri Anno Decimo.

CCCCLXXXVIII.

Quibusdam mercatoribus Lucanis, ut pecuniarum summas ab officialibus camerae apostolicae in Alamaniae, Sclavoniae etc. partibus recipiant eidem camerae transmittendas. Reg. Au. X. Secret. Tom 2. fol. 85.

URBANUS EPISCOPUS etc. Dilectis filiis Castrucio Sagine et Antonio de Podio ac Martino Guintorini civibus et mercatoribus Lucanis sociis, factoribus et procuratoribus dilectorum filiorum Dini et Michaelis ac Leazarii de Guinisiis et sociorum civium et mercatorum Lucanorum, salutem etc. Gerentes de vestra fidelitate fiduciam in domino specialem speramus, quod ea, que vobis duxerimus committenda, per vos fidelibus studiis execucioni debite mandabuntur. Hinc est, quod nos vobis et cuilibet vestrum a quibuscunque Collectoribus et Succollectoribus, ac aliis officialibus Camere apostolice in Alamannie, Boemie, Ungarie, Polonie, Sclavonie, Dalmacie et Romanie partibus consistentibus, et per nos seu auctoritate nostra deputatis ibidem, necnon ab aliis quibuscunque personis parcium quarumcunque, qui prefate Camere quascunque pecuniarum summas per se vel alium seu alios ex quacunque causa, preterquam de communibus serviciis, solvere voluerint seu debuerint, huiusmodi pecuniarum summas nostro et dicte Camere nomine petendi, exigendi et recipiendi, de consciencia tamen Venerabilis fratris nostri Angeli Episcopi Castellani, fructuum et proventuum dicte Camere in nonnullis partibus debitorum Collectoris, cui per alias nostras litteras commisimus, ut personas easdem de hiis, que vobis seu alteri vestrum solverint, ut prefertur, auctoritate nostra quitare possit, plenam et liberam concedimus tenore presentium facultatem. Volumus autem, quod de omnibus, que premissorum occasione recipere quomodolibet vos seu alterum vestrum contingat, duo publica consimilia fieri facias instrumenta, quorum unum ad dictam Cameram destinare curetis, penes vos reliquo reservato. Datum Luce XIIII. Kalendas Septembris, Pontificatus nostri Anno Decimo.

CCCCLXXXIX.

Episcopo Castellano collectori facultas datur collectores et officiales camerae apost. in Alamaniae, Sclavoniae etc. partibus absolvendi de pecuniis, quas praedictis mercatoribus Lucanis persolverint eidem camerae tradendas. Reg. Au. X. Secret. Tom. 2. fol. 85.

URBANUS EPISCOPUS etc. Venerabili fratri Angelo Episcopo Castellano, fructuum et proventuum Camere (apostolice) in nonnullis partibus debitorum Collectori, sal. etc. Hodie dilectis filiis Castrucio Sagine et Antonio de Podio et Martino Guintorini civibus et mercatoribus Lucanis sociis, factoribus et procuratoribus dilectorum filiorum Dini et Michaelis ac Leazarii de Guinisiis et sociorum civium et mercatorum Lucanorum, a quibuscunque Collectoribus et Succollectoribus ac aliis officialibus Camere apostolice in Alamannie, Boemie, Ungarie, Polonie, Sclavonie, Dalmacie et Romanie partibus consistentibus, et per nos seu auctoritate apostolica deputatis ibidem, necnon ab aliis quibuscumque personis parcium quarumcunque, qui prefate Camere quascunque pecuniarum summas per se vel alium seu alios ex quacunque causa, preterquam de communibus serviciis dumtaxat, solvere vellent seu deberent, huiusmodi pecuniarum summas nostro et dicte Camere nomine petendi, exigendi et recipiendi, de tua tamen consciencia, per nostras litteras plenam et liberam concessimus facultatem, prout in eisdem litteris plenius continetur. Volentes itaque Collectoribus et Succollectoribus ac officialibus, necnon aliis personis huiusmodi, qui pecunias ipsas solverint, ut prefertur, de oportuna et salubri providere cautela, fraternitati tue omnes et singulos Collectores et Succollectores ac officiales, ac alias personas huiusmodi et alios, quorum interfuerit, de hiis dumtaxat, que prefatis Castrucio, Antonio et Martino, seu eorum alteri nostro et dicte Camere nomine, ut premittitur, persolverint, auctoritate nostra quitandi et liberandi ac eciam absolvendi plenam et liberam tenore presentium concedimus facultatem. Volumus autem, quod de omnibus et singulis, que per prefatum Castrucium, Antonium et Martinum, seu eorum alterum premissorum occasione recipi contigerit, duo publica consimilia confici facias iustrumenta, quorum unum ad dictam Cameram destines, penes te reliquo reservato. Datum Luce XIIII. Kalendas Septembris, Pontificatus nostri Anno Decimo.

CCCCXC.

Cardinalis camerarius Antonium archiepum Antibarensem collectorem etc. in Ragusina et Antibarensi provinciis de pecuniis in dicto officio receptis et assignatis, ratione eorum reddita per eum et cameram apost. approbata, absolvit. Reg. An. XI. divers. Camer. Urb. VI. et Bonif. IX. Tom. 1. fol. 8.

Marinus miseracione divina sancte Marienove diaconus Cardinalis, domini pape Camerarius, Universis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis, salutem. Universitati etc. Quod comparente coram nobis in Thesauraria Camere apostolice Reverendo in Christo patre domino Antonio Archiepiscopo Antibarensi, fructuum et proventuum Camere apostolice debitorum in Antibarensi, Ragusina et nonnullis aliis provinciis et partibus Collectore, ad computandum et calculandum de receptis, exactis, expositis, solutis, assignatis et expensis per ipsum dominum Archiepiscopum racione dicti officii Collectorie factis, idem dominus Archiepiscopus in vim computacionis reddende racionis predictorum quendam quaternum parvum in papireo scriptum, continentem introitum et exitum pecuniarum et rerum et aliarum per ipsum tempore Collectorie predicte receptarum, exactarum, expositarum, solutarum, assignatarum et expensarum, necnon quedam alia publica scripta et instrumenta ad dictam computacionem facientia presentavit, et exhibuit coram nobis medio iuramento per eum ad sancta dei evangelia corporaliter ambabus manibus suis reverenter tacta, recipi iuxta morem et consuetudinem dicte Camere in similibus consueto, observatisque omnibus aliis et singulis debitis et servari consuetis, omnia et singula in dicto quaterno contenta, et dicta scripta et instrumenta ad dictam computacionem et racionem predictam reddendam, ut predicitur, facientia per clericos Camere apostolice supradicte examinari et discuti fecimus diligenter, ipsisque diligenter examinatis et plene discussis ac particulariter calculatis, et eciam in nostra et aliorum officialium ac consiliariorum dicte Camere presencia recensitis et solenniter approbatis, evidenter apparet et compertum est in computis supradictis, inceptis videlicet Anno domini Millesimo trecentesimo octuagesimo sexto, die quintadecima mensis Decembris, Pontificatus domini nostri pape anno nono, et finitis Anno domini Millesimo trecentesimo octuagesimo octavo, die XXVIII. mensis Iulii, Pontificatus prefati domini nostri anno XI., dictum dominum Archiepiscopum dicto tempore recepisse et realiter habuisse de pecuniis ad apostolicam Cameram spectantibus racione Collectorie predicte ducatos trecentos sexaginta, grossos viginti sex monete Ragusine, et in argento in massa ponderis librarum viginti duarum, unciarum sex cum dimidia: de quibus constat ipsum assignasse de mandato nostro Venerabili patri fratri Benedicto Abbati monasterii sancte Marie Polensis ordinis sancti Benedicti ducatos ducentos decem et totum argentum supradictum, ac eciam facta modificacione expensarum per ipsum Collectorem in exercendo officium factarum, exposuisse pro agendis dicte Camere centum viginti florenos auri de Camera, ac presencialiter nobis assignasse residuum, videlicet treginta florenos auri de Camera, prout in dicto quaterno computorum predictorum, scripturis et instrumentis predictis per ipsum Collectorem, ut prefertur, exhibitis et per Cameram apostolicam approbatis clarius, particularius et distinctius continetur. Quapropter dictum dominum Antonium Archiepiscopum Collectorem prefatum, eiusque heredes et successores de dicta totali summa trecentorum sexaginta florenorum, grossorum viginti sex monete Ragusine, et viginti duarum librarum et sex unciarum cum dimidia argenti quitamus, absolvimus et eciam liberamus: Reservato quod si aliquo futuro tempore constare poterit legitime Camere supradicte prefatum dominum Antonium Archiepiscopum Collectorem ultra predicta per eum computata, et in racionem seu calculum deducta, prout in dictis computis per eum exhibitis et dictis instrumentis continetur, fuisse et esse racione dicti officii Collectorie in aliquo debitorem Camere memorate, quod illud ipsi Camere integraliter solvet, et donec aliud solverit, remaneat et remanebit in illo eidem Camere obligatus. In quorum testimonium etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum sub anno dñi MCCCLXXXVIII., Indictione XI., die XXII. mensis Octobris, Pontificatus Sanctissimi domini nostri, dñi Urbani pp. VI. Anno Undecimo.

CCCCXCI.

Benedictus abbas monasterii s. Marie de Caneto Polensi fructuum et proventuum camerae apostolicae in Duracensi et aliis Romanae provinciis collector constituitur. Reg. An. XI. Secret. Tom. 2. fol. 252.

Urbanus episcopus etc. Dilecto filio Benedicto Abbati Monasterii sancte Marie de Caneto Polensi ordinis sancti Benedicti, fructuum et proventuum Camere apostolice in Patracensi, Cretensi, Collocensi, Duracensi, Corfiensi, Atheniensi, Thebanensi, Corinthiensi, Neopatensi et Neopatriensi Civitatibus, diocesibus et provinciis, ac insulis et locis circumvicinis, necnon in omnibus aliis partibus Romanie

debitorum Collectori, salutem etc. Ex fideli et solicita ac diligenti prudencia et probitate, providencia quoque circumspecta aliisque virtutibus, quibus, prout evidenti opere ac fidedignorum relacione nobis innotuit, te dominus insignivit, presumimus evidenter, quod ea, que tibi exequenda commiserimus, solerti et salubri studio gubernabis et fideliter exequeris. Hinc est, quod nos de huiusmodi probitate et virtutibus plurimum in domino confidentes, te fructuum, reddituum, proventuum, censuum, decimarum et aliorum in Patracensi, Cretensi, Collocensi, Duracensi, Corfiensi, Atheniensi, Thebanensi, Corinthiensi, Neopatensi, Neopatriensi Civitatibus, diocesibus et provinciis ac insulis et locis circumvicinis, necnon in omnibus aliis partibus Romanie ecclesie Romane et Camere apostolice debitorum Collectorem et Receptorem usque ad nostrum et apostolice sedis beneplacitum auctoritate apostolica tenore presentium facimus, constituimus et etiam deputamus, omnes et singulos Collectores et Subcollectores huiusmodi fructuum, reddituum, proventuum, censuum, decimarum et debitorum inibi per nos et dictam sedem vel eius auctoritate quoquomodo deputatos, ac omnes commissiones super huiusmodi Collectorie et Subcollectorie officiis aliis, quam tibi, sub quavis verborum forma per dictam sedem vel eius auctoritate factas penitus revocando, ipsosque Collectores et Subcollectores et alios ab huiusmodi Collectorie et Succollectorie officiis, et commissionibus aliis eis commissis seu factis specialiter vel generaliter totaliter amovendo, tibi per te vel alium seu alios clericos dumtaxat fide et facultatibus ydoneos petendi, exigendi et recipiendi nostro et dicte Camere nomine a quibuscumque Prelatis, Capitulis, Collegiis et Conventibus ecclesiarum et monasteriorum quorumlibet, aliisque personis ecclesiasticis secularibus et regularibus, exemptis et non exemptis ordinum quorumlibet, ac etiam laicalibus personis omnes et singulas pecuniarum summas, ac rerum et bonorum quorumlibet quantitates nobis et ecclesie et Camere predictis debitas et debendas, si bona huiusmodi fuerint confiscata, necnon fructus, redditus et proventus primi anni beneficiorum ecclesiasticorum in dictis Civitatibus, diocesibus et provinciis, ac insulis, locis et partibus, vel eorum aliquo per nos seu auctoritate nostra collatorum et inantea conferendorum, fructus quoque, redditus et proventus, census annuos, decimas, et omnia alia et singula nobis et eisdem ecclesie ac Camere in Civitatibus, diocesibus, provinciis, insulis, locis et partibus predictis quacunque ratione vel causa debita vel debenda, seu ad nos vel eas nunc et imposterum pertinentia, quecunque, quotcunque et qualiacunque fuerint, communibus et minutis serviciis ratione provisionum prelatorum, per nos seu auctoritate apostolica ibidem ad quorumcunque ecclesiarum et monasteriorum regimina promotorum, eidem Camere debitis dumtaxat exceptis, rationes quoque et computa a quibuscunque Collectoribus et Subcollectoribus apostolicis, et Inquisitoribus heretice pravitatis, et predicatoribus verbi Crucis, ac officialibus aliis pro dicta Camera in Civitatibus, diocesibus, provinciis, insulis, locis et partibus predictis, vel eorum aliquibus hactenus deputatis, seu personis aliis, in quantum negocia et utilitatem dicte Camere concernunt, audiendi et examinandi, ipsosque ad id, si necesse fuerit, compellendi, et per ipsos recepta dictas Romanam ecclesiam et Cameram concernentia quovismodo recipiendi, insuper etiam omnibus et singulis commissionibus, privilegiis apostolicis, aliisque litteris et potestatibus tibi et aliis quibuscunque tuis in huiusmodi Collectorie officio predecessoribus auctoritate apostolica missis, concessis seu alias destinatis inceptis et non inceptis negociis perinde utendi, easque exequendi et ad effectum plenarium deducendi, ac si tibi specialiter per nos essent destinate, necnon contradictores quoslibet et rebelles, cuiuscunque status, gradus, ordinis, conditionis vel preeminencie fuerint, etiam si pontificali vel alia quavis prefulgeant dignitate, auctoritate nostra per censuram ecclesiasticam et bonorum ipsorum sequestrationem et arrestationem personarum, et alia iuris remedia, appellatione postposita, compescendi, ac etiam excommunicationis et alias sentencias in non solventes tibi iura et debita ipsius ecclesie et Camere, ut prefertur, per te vel alium seu alios tuo et dicte Camere nomine inflictas et promulgatas, quotiens opus fuerit, aggravandi, et alias contra eos sentencias promulgandi, necnon quoscunque tibi vel tuis officialibus iniuriantes, seu te vel dictos tuos officiales impedientes et negocia dicte Camere directe vel indirecte, publice vel occulte, auctoritate nostra procedendi, prout ordo exegerit rationis, et si necesse fuerit, ipsos ad comparendum personaliter coram nobis vel nostro Camerario infra certum competentem terminum per te eis assignandum citandi, ac etiam, si opus fuerit, auxilium brachii secularis, etiam ordinum religiosorum quorumcunque et personarum ecclesiasticarum exemptarum et non exemptarum invocandi; sentencias quoque excommunicationis, suspensionis et interdicti in inobedientes, contumaces et rebelles tam per predictos precessores seu predecessores vel aliorum substitutos, quam per te latas et ferendas, cum ad obedienciam debitam advenerint, tollendi et suspendendi, et super irregularitate, si quam sic ligati, non tamen in contemptum clavium, celebrando divina aut immiscendo

se illis contraxerint, cum eisdem etiam auctoritate nostra dispensandi, Non obstantibus tam fel. record. Bonifacii pape VIII. predecessoris nostri, ac de una et de duabus dietis in consilio generali, quam aliis constitutionibus apostolicis contrariis quibuscunque, etiam si de illis et totis earum tenoribus etiam de verbo ad verbum esset in presentibus mentio specialis habenda, seu si aliquibus et eorum ordinibus communiter vel divisim a predicta sit sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari, aut extra vel ultra certa loca ad iudicium evocari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, auctoritate predicta facultatem et potestatem plenariam concedentes: ita tamen quod in fructibus, redditibus, proventibus, iuribus et aliis bonis quibuscunque ad dictam Cameram spectantibus ipsi Camere persolvendis ultra annum dilationem dare nequeas, et quod in singulis Civitatibus et diocesibus infra dicta loca et provincias consistentibus, si sint ample et diffuse, ultra unum, et si parve fuerint, in duabus etiam ultra unum dumtaxat Subcollectores non deputes, et quod omnium et singulorum Subcollectorum, quos te deputare contingeт, nomina et cognomina, statim cum illos deputaveris, nobis seu Camerario nostro clare et distincte transmittere, et quod singulis biennüs de receptis et gestis per te in huiusmodi Collectorie officio rationem et computum reddere, necnon quicquid per te in predictis recipi contigerit, per litteras cambii vel alium tutum modum nobis, vel predicto Camerario et gentibus Camere predicte quanto cicius commode poteris, mittere non postponas. Sic igitur in premissis prudenter et solicite ac fideliter te habeas, quod apud nos merito commendari valeas, nostramque ut dicte sedis benivolenciam consequi uberius merearis. Datum Rome apud Sanctum Petrum IIII. Id. Decembris, Pontificatus nostri Anno Undecimo.

CCCCXCII.

Cardinalis camerarius mandat archiepiscopo Ragusino, ut se informet de fructibus monasterii sancti Michaelis de Peclina Ragusinae dioecesis et referat. Reg. An. XI. divers. Camer. Urb. VI. et Bonif. IX. Tom. 1. fol. 54.

Marinus miseracione divina sancte Marienove diaconus Cardinalis, dñi pape Camerarius, Reverendo in Christo patri domino dei gracia ... Archiepiscopo Ragusino, sal. in dño. Pridie in Thesaureria apostolice Camere coram nobis fuit expositum, quod Venerabilis pater frater Iohannes Abbas monasterii sancti Michaelis de Peclina Ragusine dioecesis ante promocione de ipso factam ad dictum monasterium, et prius quam litteras apostolicas super huiusmodi provisione haberet, se in dictum monasterium intrusit, et fructus ad dictum monasterium pertinentes ex eodem percepit, de ipsis disponens pro libito voluntatis: Quare volentes indempnitati dicte Camere apostolice, quantum possumus, dante domino, providere, cum dicti fructus ad apostolicam Cameram pleno iure spectare noscantur, et hic in Romana Curia non possumus de premissis plenam habere informacionem, vobis tenore presentium committimus et mandamus, quatenus de premissis vos diligencius informetis cum personis fidedignis noticiam habentibus de premissis, et quicquid repereritis de eisdem, per litteras vestras vestro pontificali sigillo sigillatas nobis quantocius mittere procuretis. In quorum etc. Datum Rome etc. die XIII. mensis Aprilis, Pontificatus Sanctissimi domini nostri, dñi Urbani pp. VI. Anno Undecimo.

CCCCXCIII.

Rogerio de Cavazis de Mediolano canonico Quinquaecclesiensi, camerae apost. collectori in Hungaria, ut pecunias usque ad certam summam Ieanni Tosinghi mercatori Florentino, factori Verii de Medicis et sociorum, tradat camerae apost. numerandas. Reg. An. XI. Secret. Tom. 2. fol. 278.

Urbanus episcopus etc. Dilecto filio Rogerio de Cavazis de Mediolano Canonico Quinqueecclesiensi, utriusque iuris doctori, fructuum et proventuum Camere apostolice in nonnullis partibus debitorum Collectori, salutem etc. Nuper inter dilectum filium Marinum sancte Marienove diaconum Cardinalem, Camerarium nostrum, de speciali mandato nostro super hoc vive vocis oraculo sibi facta, et dilectum filium Iohannem Bucii de Medicis mercatorem Florentinum, socium et factorem dilectorum filiorum nobilis viri Verii de Medicis militis et sociorum mercatorum Florentinorum concordatum et ordinatum extitit, quod tu omnes et singulas pecuniarum summas et rerum aliarum quarumlibet quantitates per te et Succollectores tuos in regno Ungarie, in quo fructuum et proventuum Camere apostolice debitorum Collector deputatus existis, nostro et ipsius Camere nomine collectas, et de cetero colligendas dilecto filio Iohanni Tosinghi mercatori Florentino, procuratori et factori Verii et sociorum predictorum, in terra Bude Vespriminensis diocesis commoranti, aut sociis vel procuratoribus seu negotiorum gestoribus eorumdem, usque ad summam videlicet decem milium florenorum auri in eisdem

partibus currentium in dicto regno debeas assignare. Ipse enim Iohannes Bucii ad tradendum, restituendum et solvendum eidem Camere in Romana Curia vel alibi, ubi nos vel dicta Camera duxerimus ordinandum, huiusmodi pecuniarum summas et rerum quantitates, vel eorum valorem sub certis modis, formis et conditionibus se dicte Camere efficaciter obligavit. Ideoque discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus omnes huiusmodi pecuniarum summas et rerum quantitates per te, et Succollectores predictos collectas et colligendas Iohanni Tosinghi, aut sociis vel procuratoribus seu negotiorum gestoribus eisdem, ad hoc ab ipso Iohanne Tosinghi sufficientem potestatem habentibus, in eodem regno per te vel alium seu alios tradas realiter et assignes, certificans indilate dictam Cameram per instrumentum publicum sigillatum sigillo tuo de hiis, que Iohanni Tosinghi aut sociis vel procuratoribus, seu negotiorum gestoribus supradictis exinde duxeris assignanda. Nos enim dicto Iohanni Cosinghi per se, vel alium seu alios a te petendi et recipiendi pecuniarum summas et rerum quantitates huinsmodi, necnon te de hiis dumtaxat, que sibi vel sociis aut procuratoribus seu negotiorum gestoribus predictis assignaveris, et alios, quorum interfuerit, quitandi et liberandi nostro et ipsius Camere nomine plenam et liberam per alias nostras litteras concedimus facultatem. Datum Rome apud Sanctum Petrum VIII. Idus Februarii, Pontificatus nostri Anno Undecimo.

EPISTOLA BONIFACII PP. IX.

CCCCXCIV.

Antonius de Benedicto de Teramo constituitur administrator ecclesiæ Iadrensis. Reg. An. IX. Divers. Tom. 5. fol. 46.

Bonifacius episcopus etc. Dilecto filio Magistro Antonio de Benedicto de Teramo, decretorum doctori, Capellano nostro, salutem etc. Grata tue devocionis obsequia, que nobis et apostolice sedi hactenus impendisti, et adhuc solicitis studiis impendere non desistis, necnon fidelis providencia et prudencia circumspecta alieque virtutes, qnibus tam per operum experienciam, quam eciam per fidedignorum testimonia fulgere dinosceris, fidem nobis indubiam pollicentur, nt ea, que tibi duxerimns committenda, solerti et diligenti studio fideliter exequeris. Cum itaque Venerabilis frater noster Petrus Archiepus Iadrensis nostris et Romane ecclesie serviciis apud sedem apostolicam, et in nonnullis aliis terris et locis de mandato nostro habeat insistere: Nos, ne propter sui absenciam ecclesiam Iadrensem in spiritualibus et temporalibus detrimenta suscipiat, prout ex debito pastoralis officii tenemur, super hoc cupientes salubriter providere, et de fidelitate et circumspectione tua in multis et arduis sepius comprobata snmentes in dño fiduciam specialem, te eiusdem ecclesie in eisdem spiritualibus et temporalibus usque ad nostrum beneplacitum administratorem auctoritate apostolica tenore presentium facimus, constituimus et eciam deputamus, tibi omnia et singula, que ad huiusmodi administracionis officium pertinent de consuetudine vel de iure, eodem beneplacito durante faciendi, ordinandi, statuendi, mandandi, exeqnendi et complendi, necnon contradictores quoslibet et rebelles, cuiuscumque dignitatis, status, ordinis vel condicionis existant, auctoritate nostra per censuram ecclesiasticam, appellacione postposita, compescendi, et invocandi ad hoc, si opus fnerit, auxilio brachii secularis, eadem auctoritate facultatem plenam et liberam concedentes, ac districte precipiendo mandantes universis dicte ecclesie subditis, ut tibi beneplacito ipso durante in omnibus, que ad officium administracionis huiusmodi qnomdolibet pertinent, pareant efficaciter et intendant: Alioquin sententiam sive penam, quam rite tuleris seu statueris in rebelles, ratam habebimus et faciemus, auctore domino, usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Tu igitur huiusmodi administracionis officinm sic prudenter, fideliter et solicite exeqnaris, quod exinde optati fructus adveniant, tuque apud nos et sedem ipsam de fidelitate, diligencia et prudencia valeas merito commendari. Datum Rome apud Sanctum Petrum Nonis Octobris, Pontificatus nostri Anno Nono.

EPISTOLAE INNOCENTII PP. VII.

CCCCXCV.

Ioannes Varrasii prepositus S. Spiritus Chasmensis Zagrabiensis diocesis collector fructuum et administrator prioratus hospitalis s. Ioannis de Varana in Dalmatia constituitur. Reg. An. I. de Curia Tom. I. fol. 275.

Innocentius episcopus etc. Dilecto filio Iohanni Varrasii Preposito ecclesie s. Spiritus Casmensis Zagrabiensis diocesis, salutem etc. Cum domus prioratus hospitalis sancti Iohannis de Varana in in Dalmacia supra mare, nobis et Romane ecclesie immediate subiecti, per obitum quondam fratris Bartholomei Caraffe de Neapoli prioris domus hospitalis predicti de Urbo, ac commendatarii et administratoris dicte domus prioratus de Varana, Iuriumque, pertinenciarum et membrorum ipsius per sedem apostolicam depntati, qui apud dictam sedem diem clausit extremum, vacaverit, et vacet ad presens: nos cupientes, ne bona, fructus, redditus et proventus dicti prioratus de Varana, Iuriumque, pertinenciarum et membrorum ipsius ubicumque existentium dilapidentur seu disperdantur, sed pro nobis et Romana ecclesia ac Camera apostolica percipiantur, custodiantur et eciam salnbriter gubernentur, ac de tua fidelitate, prudencia, generis nobilitate et experiencia multiplici in agendis sumentes in altissimo plenam fiduciam, quod ea, que discretioni tuc committenda duxerimus, exacta diligencia exequeris, te nostro et apostolice Camere nomine omnium et singulorum fructuum, redditnum, proventuum et obventionum quarumcumque dicti prioratus, Iurium, pertinenciarum et membrorum ipsius ubicumque consistentium et penes quascumque personas, perceptorem et collectorem, necnon yconomum et administratorem prioratus de Varana, Iurium et pertinenciarum predictorum pro nobis et Romana ecclesia et Camera predictis usque ad nostrum beneplacitum tenore presentium facimus, constituimus, et eciam deputamus, tibi nichilominus dicto nomine petendi et exigendi ac recipiendi omnes et singulos fructus, redditus et proventus et obventiones prioratus de Varana, Iurium, pertinenciarnm ac membrorum huiusmodi, per quascumquo debeantur sen detineantur personas, et de receptis dumtaxat quitandi, liberandi et absolvendi, ipsosque fructus, redditus et proventus, qui servando servari poterunt, fideliter conservandi, alios autem in pecuniis redigendi, et per litteras cambii vel alio cauto modo ad ipsam Cameram destinandi; Prioratum quoque Varane prefatum, Iura, pertinencias et membra ipsius dicto durante beneplacito tam in spiritualibus quam temporalibus per te, vel alium seu alios fidcles ac idoneos, cui duxeris committendum, administrandi, et generaliter omnia et singula alia in predictis et circa ea dicto nomine per te seu alium vel alios, ut prefertur, gerendi, faciendi et exercendi, que pro statu et honore nostro et prefate ecclesie, ac salutari regimine et incremento prioratus de Varana, Iurium, pertinenciarum ac membrorum huiusmodi utilia et profutura cognoveris, et que perceptores ac collectores huiusmodi fructuum, redditnum et provcntuum, necnon yconomi vel administratores prioratus, Iurium, pertinenciarum et membrorum huiusmodi, qui fuerunt pro tempore, facere potuerunt, seu eciam debnerunt, alienacione tamen bonorum immobilium et pretiosorum mobilium prioratus Varane, Iurium, pertinenciarum et membrorum ipsius tibi et illis, quibus duxeris committendum, penitus interdicta, contradictores quoslibet et rebelles, cuiuscumque dignitatis, status, ordinis, seu condicionis extiterint, etiam si pontificali vel quavis alia prefulgeant dignitate, quandocnmque et quocienscumque expedierit, auctoritate nostra per ccnsuram ecclesiasticam, appellacione postposita, compescendi, necnon excommunicacionis sentencias in non solventes tibi aut substitutis vel substituendis a te iura et debita prioratus de Varana, Iuriumque, pertinenciarum et membrorum ipsius per te vel alios predictarum ecclesie et Camere nomine ferendis, quociens expedierit, aggravandi, et alias contra eos, necnon alios impedientes te atqne negocia prioratus de Varana, Iuriumque et pertinenciarum et membrorum ipsius in aliquo directe vel indirecte, publice vel occulte, prefata auctoritate procedendi, prout racionis extiterit, et si necesse fuerit, ipsos ad sedem apostolicam, ut coram nobis aut gentibus dicte Camere certo competenti termino per te illis prefigendo personaliter comparcant, citandi et arrestandi, et eciam auxilinm brachii seculario invocandi, necnon de receptis dumtaxat solvcntes quitandi et absolvendi, sentencias quoque excommunicacionis, suspensionis

et interdicti in inobedientes, contumaces et rebelles tam per te, quam a te deputatos aut deputandos latas et ferendas tollendi et suspendendi, ipsos ab ipsis absolvendi, ac cum ipsis super irregularitate, si qua sic ligati non tamen in contemptum clavium celebrando divina, aut immiscendo se illis forsan contraxerint, dispensandi, Non obstantibus tam fel. record. Bonifacii pape VIII. predecessoris nostri, et de una et duabus dietis in concilio generali, quam aliis constitucionibus apostolicis contrariis quibuscumque, eciam si de illis et totis eorum tenoribus de verbo ad verbum esset in presentibus mencio specialis habenda, seu si aliquibus communiter vel divisim a predicta sit sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mencionem, auctoritate apostolica facultatem et potestatem plenariam concedentes. Volnmus autem, quod propter yconomatum et administracionem huiusmodi cultus divinus, et solitus fratrum et ministrorum numerus in eodem prioratu et membris nullatenus minuatur. Quocirca discrecioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus yconomatum et administracionem prioratus de Varana, Iuriumque, pertinenciarum et membrorum ipsius sic studeas dicto durante beneplacito per te vel alios solicite exercere, fideliter et prudenter, quod idem prioratus cum membris ipsius utili yconomo et administratori ydoneo gaudeat se commissum, tuque preter eterne retribucionis premium et hnmane laudis preconium perinde nostram et dicte sedis benedictionem et graciam uberius consequi merearis. Datum Rome apud Sanctum Petrum VII. Kalendas Iulii, Pontificatus nostri Anno Primo.

F. de Montepulciano.

De Curia
Io. de Montepulciano.

CCCCXCVI.

Nicolao episcopo Segniensi, thesaurario Marchie Anconitane, ut Rodulpho de Varano licentiam octo millia salmarum salis de partibus Sclavonie extrahendi, et ad portum Civitatenovae, et deinde Tolentinum deferri faciendi sine solucione podagii, gabellae etc. concedat. Reg. An. I. de Curia Tom. I. fol. 306.

INNOCENTIUS EPISCOPUS etc. Venerabili fratri Nicolao Episcopo Segniensi, et in provincia nostra Marchie Anconitane pro nobis et Romana ecclesia Thesaurario, salutem etc. Volentes, quod dilectus filius Nobilis vir Rodulfus domicellus de Varano, in nostris Sanctigenesii Camerinensis diocesis et nonnullis aliis terris pro nobis et Romana ecclesia in temporalibus Vicarius generalis, summa octo milium salmarum salis semel dumtaxat absque aliqua solucione pedagii, tracte, gabelle vel alterius oneris indicti vel indicendi tam per terram quam per mare, per se vel procuratores suos de partibus Sclavonie ad portum Civitenove provincie nostre Marchie Anconitane, et deinde ad nostram terram Tolentini Camerinensis diocesis valeat portari facere per quascumque partes voluerit libere et impune, Constitucionibus apostolicis et prefate provincie, et maxime quibus cavetur, quod nulli de aliquibus partibus ad dictam provinciam portari facere liceat sal, vel aliis in contrarium disponentibus non obstantibus quibuscumque, fraternitati tue, de qua in hiis et aliis specialem in dño fiduciam obtinemus, per te vel alium seu alios, quibus id duxeris commictendum, ut idem Rodulfus per se vel procuratores suos predictos usque ad dictam summam octo millium salmarum salis portari facere possit de huiusmodi, ut prefertur, partibus Sclavonie, et deferri facere ad portum Civitenove, ac dictum Tolentinum absque solucione quacumque, ut supra prefertur, auctoritate nostra providendi, et mandandi omnibus et singulis officialibus Civitatum, Terrarum, Castrorum, locorum et partium dicte provincie, videlicet illis de quibus eidem fraternitati tue videbitur, quod usque ad dictam summam octo millium salmarum salis deferri et portari facere hac vice dumtaxat sinant, ut supra premittitur, omni contradictione cessante, plenam et liberam tenore presentium concedimus facultatem: Proviso tamen, quod ultra dictam summam octo millium salmarum salis idem Rodulfus per se, vel alium portari seu deferri facere non possit vel debeat ullo modo, seu commicti fraus aliqua in premissis. Presentibus post unum annum a data presentium comptandum minime valituris. Datum Viterbii Nonis Septembris, Pontificatus nostri Anno Primo.

De Curia et gratis de mandato
Io. de Montepulciano.

EPISTOLAE GREGORII PP. XII.

CCCCXCVII.

Vite episcopo Polensi committitur, ut contra certos clericos Venetiis deprehensos in criminibus iuxta canones procedat. Reg. An. I. de Curia Tom. 2. fol. 63.

Gregorius episcopus etc. Venerabili fratri Vito Episcopo Polensi, salutem etc. Ad audienciam nostram pervenit, quod nonnulli malefactores reperti in Veneciis Castellanensis diocesis propter eorum delicta sodomitica, et alia enormia crimina et excessus, quibus publice diffamantur, carceribus dilecti filii Michaelis Steno Ducis Veneciarum mancipati sunt, et licet ipsi habitus et tonsuras clericales, antequam caperentur, minime detulissent, ne tamen in foro seculari super premissis via iusticie contra ipsos procedatur, se clericos fore asserunt: propter quod idem Dux malefactores ipsos, prout iusticia exigit, ob reverenciam ordinis clericalis condempnare ac punire distulit. Nos igitur, qui iusticiam ubique inviolabiliter cupimus observari, ac delicta, crimina et excessus quoslibet abhorremus, ne iusticia circa premissa in preiudicium rei publice valeat retardari, fraternitati tue districte precipiendo committimus et mandamus, quatenus malefactores illos, quos inveneris caractere clericali fore insignitos, et huiusmodi delictorum, criminum et excessuum patratores, etiamsi per Venerabilem fratrem nostrum Episcopum Castellanensem loci ordinarium contra illos fuisset premissorum occasione processum, corrigas et punias, ac super huiusmodi delictis, criminibus et excessibus iusticiam administres iuxta canonicas sanctiones, Contradictores quoque, etiamsi pontificali aut quavis alia dignitate prefulgeant, auctoritate nostra, appellatione postposita, compescendo, Non obstante quod super eodem crimine non oporteat sepius queri, aut si aliquibus coniunctim vel divisim a sede apostolica sit indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possit per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mencionem. Datum Rome apud Sanctum Petrum III. Nonas Iulii, Pontificatus nostri Anno Primo.

CCCCXCVIII.

Ioanni cardinali Ragusino conceditur, ut possit retinere ad sua obsequia XII. fratres ex quovis ordine mendicantium. Reg. An. II. Tom. 3. fol. 6.

Gregorius episcopus etc. Dilecto filio Iohanni tituli sancti Sixti presbitero Cardinali, sal. etc. Nos volentes illas tibi subesse personas, per quas possis necessitatibus incumbentibus satisfacere, circumspectioni tue assumendi et retinendi ad tua obsequia et sub tua obediencia, quascumque voueris, usque ad numerum duodecim personarum de fratribus Predicatorum et Minorum, necnon heremitarum sancti Augustini ac Carmelitarum, et aliorum ordinum mendicantium quorumcunque, et quandocunque voueris, transmittendi, ac ipsis et eorum cuilibet quorumcunque negotiorum executionem, quociescunque et ubicunque expediens fore cognoveris, committendi, necnon omnes et singulas licencias eis et ipsorum alteri, que quomodocunque et qualitercunque per ipsorum regulares superiores suorum ordinum dari solent et possunt, dandi et concedendi, Contradictores quoque per censuram ecclesiasticam et alia iuris remedia compescendi, quibuscumque privilegiis et indulgenciis eisdem ordinibus earumque fratribus ab apostolica sede concessis, per que nullum eis suffragium esse volumus in hac parte, seu eorundem ordinum statutis et consuetudinibus, seu regulis aut aliis contrariis nequaquam obstantibus, plenam et liberam concedimus tenore presentium facultatem. Datum Avinione VI. Kalendas Decembris, Pontificatus nostri Anno Secundo.

CCCCXCIX.

Bulla legationis Ioannis cardinalis Ragusini in Hungaria, Polonia, Dalmatia etc. Reg. An. III. Tom. 3. fol. 44.

Gregorius episcopus etc. Dilecto filio Iohanni tit. s. Sixti presbitero Cardinali, apostolice sedis Legato, sal. etc. Pater futuri seculi, princeps pacis, sui pretiosi aspersione sanguinis humanum genus, quod

per lapsum et culpam primi parentis prevaricationis damna salutis eterne dispendiose incurrerat, cooperatus in medio terre salutem etc. Nos attendentes, quod licet ubilibet pro Christifidelibus vigiles mente simus, personaliter tamen pro nostro exequendo desiderio, impossibilitate repugnante nature, ubique adesse non possumus, cogitare tamen cogimur, ut viros electos ex milibus, fide constantes, ornatos virtutibus, sermone potentes et opere, ac in lege domini eruditos in partem solicitudinis assumamus, ut ipsis vices nostras supplentibus sperata Christifidelibus pacis et unitatis commoda proveniant, et firmata caritatis vinculo illibata consistant. Levantes igitur in circuitu oculos nostre mentis ad personam tuam, in cuius desideriis geritur pacificare discordes, recuperare deperdita, et errantes in viam reducere veritatis, nostre deliberationis convertentes intuitum, in te, de tuarum donis virtutum in altissimo confidentes, ac in nostri salvatoris pietate sperantes, nostre ac fratrum nostrorum sancte Romane ecclesie Cardinalium deliberationis spiritus requievit. Considerantes itaque, quod te carismatum dator almificus donis suis preveniens tibi dedit sapientiam et linguam eruditam, ut scias quando debeas proferre sermonem, personam tuam sciencie magnitudine, industrie claritate et maturitate consilii decoravit, plenissimam quoque de tuis claris meritis fiduciam obtinentes, quamvis apud sedem apostolicam ex eminentia consilii valde necessarius habearis, nosque et dicti fratres nostri tanti viri presencia propter urgentes necessitates caremus inviti, tamen propter evidentem utilitatem Regum, Prelatorum, Principum, Cleri et populorum Ungarie ac Polonie et illarum partium, ne a zizaniarum preventi satoribus, et ipsorum falsis ac fictis persuasionibus circumventi in errorum devia rapiantur, et a veritate avertentes auditum ad fabulas convertantur, ac propter conditiones quassati prothdolor undique gregis dominici, quibus speramus per tuam circumspectionem providam, illo ... qui in sublimibus suis terre finibus pacem parat, circa reformationem pacis, iusticie cultum, caritatis vinculum et reductionem ad ipsius ecclesie Romane obedientiam, fidelitatem et devotionem premissorum huiusmodi oberrantium quorumcumque, et ut existat cor unum omnibus in premissis salubriter consuli et utiliter conveniri, te, ut fortem mittamus ad fortia, tuisque robustis humeris grandia onera imponamus, tanquam pacis angelum reformatorem pacis et unitatis fidei propagatorem et satorem virtutum ad Ungarie et Polonie, ac Dalmatie, Croatie, Rame, Lodomerie, Rassie, Servie, Bulgarie, Sclavonie et Russie regna, ceterasque partes Carissimis in Christo filiis nostris Sigismundo et Wladislao Ungarie et Polonie Regibus Illustribus subditas, ac etiam Comitatum Cilie presentialiter destinemus, tibi in eisdem regnis et partibus plene legationis officium ex apostolice potestatis plenitudine, quam non ab homine sed a deo recepimus, usque ad predicte sedis beneplacitum committendo, ut in illis evellas et destruas, edifices et plantes, deformata reformes, indirecta dirigas, aspera in vias planas convertas, corrigenda corrigas, perdita restaures, ac in eis reddas populum acceptabilem domino et bonorum operum sectatorem, et alias statuas et ordines, prout gratie celestis infusio tuaque tibi prudentia ministrabit etc. Contradictores quoque et rebelles quoslibet per excommunicationis etc. Tu igitur divina gracia et apostolico favore suffultus onus huiusmodi tam meritorii negocii devoto animo et mente suscipiens, te in executione legationis huiusmodi taliter verbo et opere studiosum exhibeas, quod ad gloriam nostri redemptoris, exaltationem fidei, unitatis profectum, recuperationem et reductionem huiusmodi, exterminium scismaticorum ac rebellium quorumcumque, laudemque bonorum feliciter cuncta cedant, ac negocium ipsum felices, deo propitio, ac commendabiles consequatur effectus, tuque etiam post tam deo gratos labores et fructus amabiles, qui ex tua provenient solicitudine, pro huiusmodi laborum tuorum premio cum datis tibi laureola, et serto candido in sede beatorum mereris in celestibus a dextris dominis in eterna requie collocari. Datum Arimini VI. Idus Ianuarii, Pontificatus nostri Anno Tercio.

D.

Salvusconductus pro Alberto episcopo Scopiensi nuntio pontificio. Reg. An. IV. Tom. 3. fol. 142.

GREGORIUS EPISCOPUS etc. Venerabilibus fratribus Patriarchis, Archiepiscopis et Episcopis, ac dilectis filiis Electis, Abbatibus etc. ad quos presentes nostre littere pervenerint, quocumque nomine censeantur, salutem etc. Cum Venerabilem fratrem Albertum Episcopum Scopiensem, latorem presentium, pro nonnullis nostris et sancte Romane ecclesie negociis ad certos orbis partes presentialiter transmittamus: Nos cupientes eundem Episcopum cum sua comitiva tam equitum quam peditum in eundo, stando et redeundo plena securitate gaudere, Universitatem vestram rogamus et hortamur attente, quatenus dictum Episcopum cum sua comitiva pro nostra et apostolice sedis reverentia benigne recommendatum habentes nullam sibi in personis, bonis et rebus suis inferatis iniuriam, molestiam vel offen-

sam, nec ab aliis, quantum in vobis fuerit, permittatis inferri; sed eum potius cum sua comitiva in eundo, stando et redeundo per passus, portus, terras, districtus et loca vestra absque contradictione vel impedimento quocunque transire et morari libere permittatis, et ei de salvoconductu et scorta, si necesse fuerit et a vobis petierit, providere sic liberaliter studeatis, quod devotio vestra possit exinde apud nos et sedem ipsam debite commendari. Datum Gaiete XII. Kal. Maii, Pont. nostri Anno Quarto.

DI.

Bulla declaratoria dubii, quod de quibusdam possessionibus monasterii s. Spiritus de Sumnono inter cardinalem Ragusinum et commendatarium dicti monasterii oriri possit. Reg. An. IV. Tom. 3. fol. 150.

GREGORIUS EPISCOPUS etc. Ad futuram rei memoriam. Decens reputamus et congruum, ut cum super graciis ac hiis, que a sede apostolica emanarunt, varie opiniones insurgunt, Romanus pontifex illas per sue declaracionis medium, ut per hoc eciam questiones iam forsan exinde ortas vel oriri paratas submoveat, delucidet et declaret. Dudum siquidem per nostras litteras sub data VII. Kal. Septembris, Pontificatus nostri anno tercio, dum essemus in Civitateaustria Aquilegensis diocesis, Nos dilecto filio Antonio Guilielmi Rectori ecclesie sancti Nicolai de Sanctopetro in fine Monasterii Cassinensis, quod nullius diocesis existit, ordinis sancti Benedicti, Monasterium sancti Spiritus in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, prout in dictis nostris litteris plenius continetur. Postmodum vero, postquam Gaiete fuimus, per alias nostras litteras datas VI. Kal. Marcii, Pontificatus nostri anno quarto, motu proprio possessiones beneficiales et pecias terre in Suessano territorio consistentes iuxta flumen Gareliani et alios suos fines, beneficium primi portus nuncupatas et ab hospitali sancti Lazari ordinis Milicie dependentes, consuetas quandoque laicalibus personis, quandoque clericis in beneficium assignari, que tunc certo modo in ipsis litteris nostris exprimebantur vacare, quarum fructus, redditus et proventus centum florenos auri secundam extimacionem predictam valorem annuum non excedere dictum fuit, dilecto filio nostro Iohanni tituli sancti Sixti presbitero Cardinali (Ragusino) usque ad nostrum et apostolice sedis beneplacitum auctoritate apostolica commendavimus, curam, regimen et administracionem dictarum possessionum beneficialium et peciarum terre, beneficium ipsum primi portus nuncupatarum, sibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, ut in ipsis nostris litteris plenius continetur. Cum autem per commendacionem ipsam Cardinali videatur esse contencio inter prefatos commendatores, et per nonnullos suspicetur, quod per commendacionem ipsam Cardinali factam derogatum veniat commendacioni Antonii antedicti: Nos litteras ipsas nostras habentes pro expressis, ad huiusmodi suspicionis dubium tollendum et inducendum partes ipsas celerius ad concordiam auctoritate apostolica tenore presentium declaramus, quod nostre intencionis fuit et est, quod per commendacionem ipsam Cardinali factam, aut litteras nostras prefatas commendacioni predicte dicto Antonio facte non fuerit, nec sit in aliquo derogatam. Nulli ergo etc. nostre declaracionis infringere etc. Si quis autem etc. Datum Gaiete X. Kal. Iunii, Pontificatus nostri Anno Quarto.

DII.

Coyezacharias dominus Sabatensis et Dagnensis una cum familia sua, secta Sclava et schismatica abiecta, ad unitatem et gratiam Romanae ecclesiae suscipitur. Reg. An. VIII. Tom. 4. fol. 146.

GREGORIUS EPISCOPUS etc. Dilecto filio Nobili viro Coyezacharie domino Sabatensi et Dagnensi, salutem etc. Pater misericordiarum deus totius consolationis, qui cunctos salvos fieri et neminem vult perire, adoptionis sue filios omnem cogitatum suum iactantes in domino diligenter enutrit et clementer exaudit, ipsisque, prout expedire viderit, affluenter confert, non improperans genera graciarum, et earum tanto maiora dat ipsis munera, quanto Turcorum et aliorum infidelium ac pravorum versuciis fortius impugnantur. Sic etiam sancte matris Romane ecclesie, que mater est et magistra, copiosa benignitas sequens divine largitatis exemplum commotis misericordie visceribus super filios, qui sectam Sclavam et scismaticam per dictam ecclesiam damnatam et reprobatam hactenus tenuerunt, ad se venientes exaudit benigniter et devote. Hinc est, quod cum tu, fili dilecte, qui, ut asseris, una cum tota familia tua

dictam sectam dampnabiliter tenuisti, et in ea dampnabilius vitam tuam non sine gravissimo tue et ipsius familie animarum deduxisti, divina gracia illustratus ac de veritate sacrosancte fidei catholice informatus dictam sectam postposueris, et ad ipsam fidem conversus de premissis ab intimis doleas, ac cupias filius dicte ecclesie existere, et inter electos de gremio dicte ecclesie numerari: Nos te specialem filium apostolice sedis et eiusdem ecclesie reputantes, ac de conversione tua huiusmodi plena mentis exultatione letantes in domino tuis supplicationibus inclinati, de apostolice potestatis plenitudine te cum huiusmodi familia tua utriusque sexus ad veram et integram Romane ecclesie, atque nostram obedientiam et devotionem et ad gremium ipsius matris ecclesie, ac ad graciam et communionem sedis predictarum tenore presentium recipimus et admittimus, tibique et cuilibet de familia ipsa, ut tu et quilibet de familia huiusmodi aliquem catholicum et ydoneum presbiterum possitis eligere confessorem, qui tua et familie ipsius singularium personarum confessione diligenter audita, vobis debita pro commissis absolutionem impendat, et iniungat penitentiam salutarem, teque nichilominus cum familia huiusmodi ab omnibus et singulis excommunicationis, suspensionis ot interdicti ceterisque sententiis atque penis, necnon censuris spiritualibus et temporalibus in te et eandem familiam coniunctim vel divisim apostolica vel alia quavis auctoritate, aut alias in genere vel in specie a iure vel ab homine quacunque occasione latis, et quomodolibet inflictis absolvat, ot totalitor liberet auctoritate nostra hac vice dumtaxat, ac etiam de articulis sacrosancte fidei informet, tibique et dicte familie de omnibus et singulis in fide et circa fidem huiusmodi necessariis et quomodolibet oportunis per se vel aliam salubriter provideat, Constitutionibus et ordinationibus apostolicis ac aliis quibuscunque contrariis non obstantibus, auctoritate apostolica tenore presentium indulgemus. Nulli ergo otc. nostre receptionis, admissionis et concessionis infringere etc. Si quis autem etc. Datum Arimini II. Idus Iulii, Pontificatus nostri Anno Octavo.

DIII.

Gregorius XII. litteras clausas ad Sigismundum regem Germaniae et Hungariae circa concilium generale et suam renuntiationem dat, et nuntios ad dictum regem mittit. Reg. Ac. VIII. Tom. 4. fol. 3.

GREGORIUS EPISCOPUS etc. Carissimo in Christo ex desiderio nostro filio Sigismundo Germanie, Ungarie etc. Regi Illustri, salutem etc. Ex eo videmus veritatem et iustitiam nostram opprimi multifarie ab hiis, qui multiplici errore nos impugnaverunt, et variis astutiis non cessant nos lacerare: quia super deductione et directione ad pacificum statum, et omnibus clarum papatum pervenire nos nostra querendo cupientes, Iudicem in torris non habemus super iustitia nostra, ad quem recursum habere potuerimus. Et ideo Serenitatem tuam excitamus, in qua ex pluribus tue regie benignitatis providis actibus sepius magnam fiduciam suscipiontes nos confortasti, et de tua virtute in domino letitiam suscepimus ampliandam: et quanto magis postea nos percepisti desolatos, et lucide videre potuisti has persecutiones nobis contingere, ut solet fieri ex dilectione dei defensoribus veritatis sustinentibus partem domini, tanto gloriosius assurgere debuisti. Sed o dolor nimium partem domini gravasti, cum per formam excogitatam secundum exigentiam subversionis facte adversus catholicam ecclesiam et thronum apostolicum eidem Serenitati ministrandam attigisses generale Concilium, ad quam formam potestas populis condescendebat extreme pro pace et unitate Christianorum introducenda: sed declinatus es partialiter ad particulare Concilium aptum pacem turbare et errores nutrire, ex qua declinatione robur usurpatoribus addidisti. At si ad dominum cor effudoris, conversus ad primam veritatem non permittes nos confundi. Quia ex eo patimur et passi sumus, quoniam fideliter et recte ambulare voluimus, quam rem per experientiam perpendere potuisti, quando per tunc Venerabilem fratrem nostrum Andream Archiepiscopum Spalatensem, nobis ex parte tua persuadentem transitum ad viam Concilii generalis, per quem responsum dedimus, quod inceperamus per viam renuntiationis, et ideo per illam tendebamus perficero sacratissimam unionem. Sed si in desperationem duceremur, ad viam hniusmodi generalis Concilii nos convorteremus, sicnt et fecimus. Si ergo lumen nostre puritatis animadverteris, sustine dominum altissimum, qui te glorificabit. Nos vero, qui continuo varia et gravia impedimenta incidimus, remedia qne possumus libenter apponimus. Et ideo dilectos filios Iohannem tituli s. Sixti presbiterum Cardinalem, et Iohannem Electum Constantinopolitanum nostros et apostolice sedis Nuntios ad providentiam tue regie celsitudinis presentialiter destinamus, quos eidem in domino commendamus. Datum Arimini XVI. Kal. Novembris, Pontificatus nostri Anno Octavo.

EPISTOLAE IOANNIS PP. XXIII.

DIV.

Antonius Blancus prior monasterii s. Mathiae de Murano in Aquileiensi, Gradensi, Iadrensi, Spalatensi etc. provinciis proventuum camerae apostolicae collector constituitur. Reg. An. I. Tom. 1. fol. 117.

IOHANNES EPISCOPUS etc. Dilecto filio Antonio Blanco Priori Monasterii sancti Mathie de Murano Torcellane diocesis, Capellano nostro ac fructuum et proventuum Camere apostolice in Aquilegensi, Gradensi, Ravennatensi, Iadrensi, Spalatensi et totius Romandiole provinciis, et earum Civitatibus et dioccesibus, necnon in Ferrariensi, Placentina et Cremonensi Civitatibus et diocesibus debitorum Collectori, salutem etc. Ex fideli et solicita ac diligenti prudencia et probitate, providencia quoque circumspecta aliisque virtutibus, quibus, prout evidenti opere ac experiencia manifesta nobis innotuit, te dñus insignivit, presumimus evidenter, quod ea, que tibi commiserimus, promptis affectibus et exacta diligencia prosequeris. Hinc est, quod nos de huiusmodi probitate et virtutibus plurimum in domino confidentes, te fructuum, redditunm, proventuum, censuum, decimarum et aliorum quorumcunque in Aquilegcnsi, Gradensi, Ravennatensi, Iadrensi, Spalatensi et Romandiole provinciis, et earum Civitatibus et diocesibus, necnon Ferraricnsi, Placentina et Cremoncnsi Civitatibus et diocesibus ecclesie Romane et Camere apostolice debitorum Collectorem, et receptorem nsque ad nostrum et sedis apostolice beneplacitum auctoritate apostolica tenore presentium constituimus, et eciam deputamus, omnes et singulos Collectores et Succollectores huiusmodi fructuum, reddituum, proventuum, censuum, decimarum et debitorum, cuiuscumque status, gradus, dignitatis vel condicionis fuerint, eciam si pontificali fulgeant dignitate, inibi per nos et dictam sedem vel eius auctoritate qnoqnomodo deputatos, ac omnes commissarios super huiusmodi Collectorie et Succollectorio officiis aliis, quam tibi, snb quavis verborum forma per dictam sedem, vel eius quacumque auctoritate factas penitus revocando, ipsosque Collectores et Succollectores ab huiusmodi Collectorie et Succollectorie officiis, et commissionibus alias eis commissis sen factis specialiter vel generaliter amovendo, tibi per te vel alium seu alios clericos dumtaxat fide et facultatibus ydoneos petendi, exigendi et recipiendi nostro et Camere predicte nomine a quibuscumque Prelatis, Capitulis, Collegiis et Conventibns ecclesiarum et monasteriorum quorumlibet, aliisqne personis ecclesiasticis secularibus et regularibus, exemptis et non exemptis ordinum qnorumlibet, et eciam laicalibus personis omnes et singulas pecuniarum summas, ac rerum ac bonorum quorumlibet quantitates nobis, Camere et ecclesiis predictis debitas et debendas, eciam si bona huiusmodi fuerint confiscata, necnon fructus, redditns et proventus primi anni beneficiorum ecclesiasticorum in provinciis, Civitatibus et diocesibus supradictis, vel aliqua ipsarum per nos seu auctoritate apostolica collatorum et inantea conferendorum; fructus qnoqne, redditus et proventus, census annuos, decimas ac omnia et singula nobis et eisdem ocelesio ac Camere in provinciis, Civitatibus et diocesibus supradictis quacumque racione vel causa debita vel debenda, seu ad nos vel eas nnnc vel imposterum pertinentia, quecumque, quotcumqne et qualiacumqne fuerint, communibns et minutis serviciis racione provisionum prelatorum per nos seu auctorifate apostolica ibidem ad quorumcumque ecclesiasticorum et monasteriorum regimina promotorum eidem Camere debitis dumtaxat exceptis; raciones qnoque ot compnta a quibuscumque Collectoribus et Succollectoribus apostolicis, ac Inquisitoribus heretice pravitatis et predicatoribus verbi crucis, vel officialibus aliis pro dicta Camera in provinciis, Civitatibns et diocesibus predictis vel earum aliquibus hactenus deputatis, seu personis aliis, in quantum negocia dicte Camere concernant, audiendi et examinandi, ipsosque ad id, si neccse fuerit, compellendi, et per ipsos recepta dictas Romanam ecclesiam et Cameram concernentia quovis modo recipiendi, ac solventes de receptis quitandi, liberandi et absolvendi; insuper eciam omnibus et singulis commissionibus, privilegiis aliisque litteris et potestatibus tibi et aliis quibuscumqne tuis in huiusmodi Collectorie officio precessoribus et predecessoribus auctoritate apostolica missis, concessis seu eciam destinatis inceptis et non inceptis negociis perinde utendi, easque exequendi et ad effectum plenarium deducendi, ac si tibi specialiter per nos essent

destinate, necnon contradictores quoslibet et rebelles, cuiuscumque status, gradus, ordinis, condicionis vel preeminencie fuerint, eciam si pontificali vel alia quavis prefulgeant dignitate, auctoritate nostra per censuram ecclesiasticam et bonorum ipsorum sequestracionem, et arrestacionem personarum et alia iuris remedia, appellacione postposita, compescendi, et eciam excommunicacionis et alias sentencias in non solventes tibi iura et debita ipsius ecclesie et Camere, ut prefertur, per te vel alium seu alios tuo et dicte Camere nomine inflictas et promulgatas, quociens opus fuerit, aggravandi, et alias contra eos sentencias promulgandi, necnon quoscumque tibi vel tuis officialibus iniuriantes, sen te vel dictos tuos officiales impedientes et negocia dicte Camere directe vel indirecte, publice vel occulte, auctoritate nostra procedendi, prout ordo exegerit racionis, et si necesse fuerit, ipsos ad comparendum coram nobis personaliter vel nostro Camerario infra certum competentem terminum per te eis assignandum citandi, et eciam si opus fuerit, auxilium brachii secularis, eciam ordinum religiosorum quorumcumque et personarum ecclesiasticarum exemptarum et non exemptarum invocandi; sentencias quoque excommunicacionis, suspensionis et interdicti in inobedientes, contumaces et rebelles tam per predictos precessores seu predecessores vel eorum substitutos, quam per te latas et ferendas, cum ad obedienciam debitam venerint, tollendi, suspendendi, ac super irregularitate, si quam sic ligati, non tamen in contemptum clavium, celebraudo divina vel immiscendo se illis contraxerint, cum eisdem eciam auctoritate nostra dispensandi, Non obstantibus tam fel. record. Bonifacii pape VIII. predecessoris nostri, ac de una et de duabus dietis in concilio generali, quam aliis constitucionibus apostolicis contrariis quibuscumque, eciam si de illis et totis earum tenoribus eciam de verbo ad verbum esset in presentibus mencio specialis habenda, seu si aliquibus et eorum uominibus (sic) communiter vel divisim a sede apostolica sit indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari, aut extra vel ultra certa loca ad iudicium evocari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mencionem, auctoritate predicta facultatem et potestatem plenariam concedentes: ita tamen quod in fructibus, redditibus et proventibus, ac aliis bonis quibuscumque ad dictam Cameram pertinentibus seu spectantibus ipsi Camere persolvendis ultra annuam dilacionem dare nequeas, et quod in singulis Civitatibus et diocesibus infra tuam Collectoriam consistentibus, si sint ample et diffuse, ultra unum, et si parve fuerint, in duabus eciam ultra unum dumtaxat Succollectorem non deputes, et quod omnium et singulorum Succollectorum, quos te deputare contigerit, nomina et cognomina, statim cum illos deputaveris, nobis seu Camerario nostro clare et distincte transmittere, et quod singulis bienniis de receptis et gestis per te in huiusmodi Collectorie officio racionem et computum reddere, necnon quicquid in predictis per te recipi contigerit, per litteras cambii vel alium tutum modum nobis, vel predicto Camerario et gentibus dicte Camere, quantocius poteris, mittere non postponas. Sic igitur in premissis prudenter et solicite et fideliter te habeas, quod apud nos merito commendari possis, nostramque et dicte sedis benivolenciam et graciam uberius consequi merearis. Datum Bononie IIII. Kalendas Iunii, Pontificatus nostri Anno Primo.

DV.

Eidem collectori, ut annata sive medios proventus primi anni omnium dignitatum et beneficiorum ecclesiasticorum vacantium et reservatorum in supradictis provinciis exigat. Reg. An. I. Tom. I. fol. 119.

IOHANNES EPISCOPUS etc. Dilecto filio Antonio Blanco Priori Monasterii sancti Mathie de Murano Torcellane diocesis, Capellano nostro ac in Aquilegensi, Gradensi, Ravennatensi atque Iadrensi, et in aliis Civitatibus atque diocesibus per Patriarchatus Aquilegensem atque Gradensem, necnon provincias Ravennatensem atque Iadrensem constitutis, ac eciam in Ferrariensi, Ariminensi, Ferctrana et Urbinate Civitatibus earumque diocesibus iurium, fructuum, redditumque et proventuum Camere apostolice debitorum Collectori, salutem etc. Nuper in consideracionem nostram vigilis pastoris more, prout ex iniuncto nobis desuper onere pastoralis tenemur officii, adducentes fructus, redditus et proventus apostolice Camere propter guerrarum angustias et diuturnum sciama, quod Sathana procurante christianam religionem prothdolor perturbavit, adeo diminutos, quin verius exhaustos, quod ad perferenda onera expensarum pro recuperandis provinciis, Civitatibus, terris et locis ad nos et Romanam ecclesiam pertinentibus invasis, occupatis et detentis indebite, ac pro desiderabilis unionis in prefata ecclesia prosecucione tractatus et fine salubri nulla possent racione suppetere, ac ex certis aliis racionabilibus causis animum nostrum monentibus congruum et debitum reputantes, ut eadem ecclesia nunc plus solito in suis necessitatibus in supportacione sarcine huiusmodi onerum ab aliis ecclesiis et personis ecclesiasticis, quarum caput dinoscitur ac domina cunctorum Christifidelium, adinvetur, ad instar fel. record.

Urbani V., Gregorii XI. et nonnullorum aliorum predecessorum nostrorum Romanorum Pontificum fructus, redditus et proventus primi anni vacationis quorumcumque prioratuum et prebendarum, parrochialium et aliarum ecclesiarum ceterorumque beneficiorum ecclesiasticorum, cuiuscumque condicionis existerent, exemptorum et non exemptorum, secularium et regularium, cum cura et sine cura, in quibuscumque mundi partibus consistentium apud sedem apostolicam et alibi, ubilibet per obitum vel ex facto quarumcumque personarum aut alias quovismodo, vel qualitercumque per liberas ipsorum beneficiorum ex causa permutacionis resignaciones de illis faciendas nunc et inantea vacantium et imposterum vacaturorum, et eciam illorum, qui per quoscumque beneficia ecclesiastica ad cuiuscumque seu quorumcumque collacionem, provisionem, presentacionem, electionem seu quamvis aliam disposicionem per nostras litteras, eciam in pauperum clericorum forma beneficiandorum, expectabunt acceptari et de illis sibi obtinere provideri, ac eorum eciam, que ordinaria vel alia quavis auctoritate vel per eos, ad quos ipsorum beneficiorum collaciones, provisiones, prosentaciones, electiones seu quevis alie disposiciones communiter vel divisim, eciam iure devoluto, pertinent, quibusvis conferri vel de eis provideri, et illorum eciam, ad que aliquos per eos prosentari, eligi vel in eis institui, necnon illorum, de quibus acceptaciones, provisiones, collaciones, instituciones apostolica vel ordinaria aut alia quavis auctoritate quibusvis factas vel faciendas per nos confirmari, aut eis de ipsis beneficiis provideri contingeret, ac illorum, in quibus quibusvis personis vigore litterarum apostolicarum nostrarum aut aliarum quarumcumque ius forsan tribueretur, necnon ipsorum, que per aliquem predecessorum nostrorum Romanorum Pontificum, seu Urbanum VI., Clementem VII., Bonifacium VIIII., Innocencium VII. in eorum obediencijis nuncupatos, aut perdicionis alumpnos Petrum de Luna Benedictum XIII. seu Angelum Corario Gregogorium XII. se nominare ausu temerario dampnabiliter presumentes, quibusvis metropolitanis, cathedralibus, collegiatis, parrochialibus aut aliis ecclesiis, monasteriis, prioratibus, dignitatibus, personatibus, officiis, canonicatibus et prebendis, aut aliis beneficiis ecclesiasticis, secularibus et regularibus, aut cuicumque loco vel ordini unita ex nunc vel forsan per nos seu auctoritate nostra uniri, cum per cessum vel decessum illa obtinentium aut alias quovismodo ad huiusmodi ecclesias, monasteria, prioratus, dignitates, personatus, administraciones, officia, canonicatus et prebendas aut beneficia, loca vel ordinem devenire contingeret, levandos et percipiendos, ac pro supportacione onerum predictorum Camere apostolice modis infrascriptis solvendos auctoritate apostolica reservavimus et eciam applicavimus, Non obstantibus quibuscumque statutis et consuetudinibus ecclesiarum et monasteriorum, in quibus prioratus, dignitates, personatus, administraciones, officia, canonicatus et prebende aut beneficia huiusmodi forent, contrariis iuramento, confirmacione apostolica vel quacumque firmitate alia roboratis, Aut si fructus, redditus et proventus huiusmodi primi anni ex privilegiis apostolice sedis vel alias de iure, consuetudine vel statuto alicui vel aliquibus pertinerent, sive ad fabricam ecclesiarum, monasteriorum seu locorum quorumlibet quavis auctoritate concessi forent seu eciam deputati, aut medio tempore concedi contingeret vel eciam deputari. Volumus autem, quod dicta Camera vel illi, qui per eam ad recollectionem fructuum, redditumm et proventumm huiusmodi essent deputati, non integros fructus, redditus et proventus dicti primi anni seu eorum partem illam, videlicet pro qua fructus, redditus et proventus uniuscumque beneficiorum ipsorum taxati forent, ad decimam vel residuum fructuum, redditumm et proventuum eorumdem, super quo eisdem Camere vel deputandis ab ea relinquimus optionem vel medietatem huiusmodi fructuum, redditumm et proventuum beneficii cuiuslibet, qui taxati forsan non essent, ad decimam exigant et recipiant, alia parte seu residuo fructuum, redditumm et proventuum predictorum huiusmodi beneficia obtinentibus pro debitis exhibendis serviciis et aliis eorum supportandis oneribus remanente: ita videlicet, quod si beneficium quomodolibet bis aut pluries eodem anno vacare contingat, non nisi semel fructus, redditus et proventus illius iuxta modum predictum recipiantur. Ceterum volumus et auctoritate predicta declaravimus, quod reservacio et applicacio huiusmodi ad beneficia, quorum fructus, redditus et proventus annuum valorem viginti quatuor florenorum auri non excederint, seu ad vicarias aut capellanias ut plurimum a descedentibus secundum morem diversarum ecclesiarum institutas, ad missas pro ipsis descedentibus celebrandas certis constitutis redditibus presbiteris inibi celebrantibus vel alias in diurnis, eciam nocturnis canonicis horis in eisdem ecclesiis interessentibus, sivo ad cotidianas distribuciones quarumlibet ecclesiarum sive anniversaria vel obvenciones, que sunt vel erunt ad certum quid deputata, nisi ad illa vel illas, que in illis, quo sunt in Civitate et loco presentes consuovissent, quamvis horis non interessent antodictis, elargiri nullatenus extenderetur: illi vero, quibus fructus, redditus et proventus anni primi beneficiorum huiusmodi debebuntur

de iure, privilegio, statuto vel consuetudine anno eundem primum annum immediate sequente eos perciperent illis modis, sicut ipsos eodem primo anno percepissent, si nostre huiusmodi reservacio et applicacio non obstitissent. Quocirca discrecioni tue per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus per te vel alium seu alios clericos dumtaxat fide et facultate ydoneos omnes et singulos huiusmodi fructus, redditus et proventus, ut premittitur, reservatos et applicatos Camere memorate iuxta huiusmodi nostre reservacionis et applicacionis tenorem in partibus, in quibus es nuncius apostolicus et collector huiusmodi fructuum deputatus, petere, exigere et recipere cum integritate studeas et procures, Contradictores quoslibet per censuram ecclesiasticam, appellacione postposita, compescendo, invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis, Non obstantibus omnibus supradictis, seu si aliquibus communiter vel divisim ab apostolica sit sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de mandato huinsmodi et eorum nominibus et ordinibus propriis mencionem. Nos enim tibi committendi, et liberandi et absolvendi per te vel alium seu alios plene et libere omnes et singulos eos, a quibus premissa receperis, in hoc dumtaxat, que exinde ab eis recipere te contigerit, tenore presentium concedimus facultatem. Datum Bononie II. Kalendas Iunii, Pontificatus nostri Anno Primo.

DVI.

Hieronymus abbas ss. Hilarii, Georgii ac Benedicti de Venetiis Castellanensis diocesis constituitur in Aquilegensi, Gradensi, Ravennate, Iadrensi et pluribus aliis civitatibus et dioecesibus collector fructuum camerae apostolicae debitorum. Reg. An. I. de Curia. Tom. 3. fol. 104.

IOHANNES EPISCOPUS etc. Dilecto filio Ieronimo Abbati Monasterii sanctorum Hilarii, Georgii ac Benedicti ordinis eiusdem s. Benedicti de Veneciis Castellanensis diocesis, fructuum et proventuum Camere apostolice in Aquilegensi, Gradensi, Ravennatensi, Iadrensi, Spalatensi et totius Romandiole provinciis et earum civitatibus et diocesibus, necnon in Ferrariensi, Placentina et Cremonensi civitatibus et diocesibus, exceptis civitatibus, diocesibus, terris et locis dominio Carissimi in Christo filii nostri Sigismundi Regis Ungarie Illustris subiectis, debitorum Collectori, salutem etc. Ex fideli et solicita ac diligenti prudencia et probitate, providencia quoque circumspecta aliisque virtutibus, quibus, prout evidenti opere ac experiencia manifesta nobis innotuit, te dominus insignivit, presumimus evidenter, quod ea, que tibi commiserimus, promptis affectibus et exacta diligencia prosequeris. Hinc est, quod nos de huiusmodi probitate et virtutibus plurimum in domino confidentes te fructuum, reddituum, proventuum, censuum, decimarum et aliorum quorumcumque in Aquilegensi, Gradensi, Ravennatensi, Iadrensi, Spalatensi et Romandiole provinciis et earum civitatibus et diocesibus, necnon Ferrariensi, Placentina et Cremonensi civitatibus et diocesibus, exceptis civitatibus, diocesibus, terris et locis dominio dicti Regis, ut prefertur, suppositis, Camere apostolice debitorum Collectorem et Receptorem usque ad nostrum et sedis apostolice beneplacitum auctoritate apostolica tenore presentium constituimus etc. ut supra in penultima usque in finem. Datum Bononie IV. Nonas Decembris, Pont. nostri Anno Primo.

DVII.

Eidem exsecutoria reservationis fructuum primi anni ut supra in penultima in Aquileiensi, Gradensi, Ravennate, Iadrensi et pluribus aliis civitatibus et dioecesibus committitur. Reg. An. I. Tom. 3. fol. 107.

IOHANNES EPISCPUS etc. Dilecto filio Ieronimo Abbati Monasterii sanctorum Hilarii, Georgii ac Benedicti ordinis eiusdem sancti Benedicti de Veneciis Castellanensis diocesis, fructuum et proventuum Camere apostolice in Aquilegensi, Gradensi, Ravennatensi, Iadrensi, Spalatensi et totius Romandiole provinciis et earum civitatibus et diocesibus, necnon in Ferrariensi, Placentina et Cremonensi civitatibus et diocesibus, exceptis civitatibus, diocesibus, terris et locis dominio Karissimi in Christo filii nostri Sigismundi Regis Ungarie Illustris subiectis, debitorum Collectori, sal. etc. Nuper in consideracionem nostram vigilis pastoris more etc. ut supra. Datum Bononie IV. Nonas Decembris, P. n. Anno Primo.

DVIII.

Nicolaus de Bonhemo archidiaconus Cretensis in Ragusina, Antibarensi etc. dioecesibus constituitur collector fructuum camerae apostolicae debitorum. Reg. An. I. Tom. 4. fol. 204.

IOHANNES EPISCOPUS etc. Dilecto filio Nicolao Archidiacono Cretensi, Capellano nostro, apostolice sedis nuncio ac in Ragusina, Antibarensi, Durachiensi, Corfiensi, Patracensi, Cretensi ceterisque regnis,

terris, partibus, insulis atque locis tocius Romanie, Albanie superioris et inferioris nonnullisque partibus atque locis earumque civitatibus et diocesibus iurium, fructuum et proventuum Camere apostolice debitorum Collectori, salutem etc. Nuper in consideracionem nostram vigilis pastoris more etc. ut supra usque in finem. Datum Bononie IIII. Kal. Aprilis, Pontificatus nostri Anno Primo.

DIX.

Salvusconductus pro Petro archiepiscopo Spalatensi per pontificem in Tusciam missum. Reg. An. III. Tom. 5. fol. 254.

IOHANNES EPISCOPUS etc. Universis et singulis, ad quos presentes nostre littere pervenerint, salutem etc. Cum Venerabilem fratrem nostrum Petrum Archiepiscopum Spalatensem, Cubicularium et Referendarium nostrum, ad nonnullas Tuscie partes pro quibusdam nostris et ecclesie Romane negociis presencialiter dirigamus: Nos cupientes prefatum Archiepiscopum cum eius comitiva, familiaribus, animalibus, salmis, valisiis, rebus et bonis omnibus in eundo, stando et redeundo plena securitate gaudere, Universitatem vestram et vestrum singulos paternis affectibus requirimus et hortamur in dño, subditis vero nostris et gencium armigerarum Capitaneis districte precipiendo mandamus, quatenus prefatum Archiepiscopum cum comitiva, familiaribus, animalibus, salmis, valisiis, rebus et bonis huiusmodi per quecumque Civitates, terras, castra, territoria, passus et loca nostra et vestra in eundo, stando et redeundo, ut prefertur, pro nostra et apostolice sedis reverencia benigne recommendatum habentes, nullam in personis vel ere inferatis iniuriam, molestiam vel offensam, nec ab aliis, in quantum in vobis fuerit, permictatis inferri, quin ymo eundem cum comitiva, familiaribus, animalibus, salmis, valisiis, rebus et bonis ipsis permictatis per Civitates, terras, castra, territoria et loca predicta libere et secure, etiam absque solucione alicuius dacii, pedagii, theolonii, angarii, perangarii aut alterius oneris vel gabelle indicti vel indicendi ubilibet secure et libere pertransire, providendo eidem et comitive, quandocumque requiri contigerit, de receptu, scorta, salvo liberoque conductu et omni benigna tractacione in cordis nostri complacenciam singularem et pro dicte sedis reverencia quovis casu, ut exinde apud nos et sedem ipsam possitis merito commendari. Presentibus post annum a data presentium comptandum minime valituris. Datum Rome apud Sanctum Petrum II. Nonas Ianuarii, Pont. nostri Anno Tercio.

DX.

Archiepiscopo Spalatensi et magistro Arpino de Collis de Alexandria cubiculariis pontificis, quoad vixerint, officium registri supplicationum committitur. Reg. An. V. Tom. 70. fol. 355.

IOHANNES EPISCOPUS etc. Venerabili fratri Petro Archiepiscopo Spalatensi, et dilecto filio magistro Arpino de Collis de Alexandria, Cubiculariis nostris, supplicacionum per nos seu de mandato nostro signatarum Registratoribus, salutem etc. Grata vestre devocionis obsequia, que nobis et apostolice sedi hactenus impendistis, et adhuc solicitis impendere studiis non desistitis, aliaque virtutum dona, quibus vos largitor graciarum omnium insignivit, merito nos inducunt, ut vos et vestrum quemlibet graciis et favoribus apostolicis prosequamur. Hinc est, quod nos premissorum intuitu de vobis quam plurimum confidentes motu proprio, non ad vestram nec alterius vestrum pro vobis super hoc nobis oblate peticionis instanciam, sed de nostra mera liberalitate et ex certa sciencia vos et vestrum quemlibet, qui Registro supplicacionum per nos, seu de mandato nostro signatarum de mandato nostro huiusmodi hactenus laudabiliter prefuistis, licet super hiis littere apostolice confecte non fuerint, quoscumque alios Registratores dictarum supplicacionum et quosvis officiales, quovis nomine censeantur, quorum nomina et cognomina hic haberi volumus pro expressis, in dicto Registro sen circa eius gubernacionem aut exercicium per nos seu auctoritate nostra aut predecessores nostros, vel alios quosvis hactenus forsitan deputatos auctoritate apostolica protinus amovcntes ac revocantes, ac acta et gesta per vos vel vestrum alterum in dicti Registri ministerio seu exercicio rata habentes et grata, sciencia, motu et auctoritate predictis tenore presentium, quoad vixeritis, facimus, constituimus et eciam deputamus, vobis et vestrum cuilibet officium Registri dictarum supplicacionum cum salario, emolumentis, honoribus et oneribus consuetis plenarie committentes. Volumus autem, quod de predicto officio fideliter exercendo in manibus dilecti filii Camerarii nostri, sen locumtenentis eiusdem prestetis fidelitatis debite solitum iuramentum. Sic ergo in prefato vobis commisso officio vos fideles exbibeatis et eciam studiosos, quod apud nos et predictam sedem valeatis merito commendari. Datum Rome apud Sanctum Petrum XIII. Kalendas Maii, Pontificatus nostri Anno Secundo (?Quinto).

EPISTOLAE MARTINI PP. V.

DXI.

Secundus episcopus Argolicensis in Iadrensi, Spalatensi, Ragusina et Antibarensi etc. provinciis nuntius apostolicus, et collector fructuum camerae apostolicae constituitur. Reg. An. II. de Curia Tom. 5. fol. 237.

MARTINUS EPISCOPUS etc. Venerabili fratri Secundo Episcopo Argolicensi, in Iadrensi, Spalatensi, Ragusina, Antibarensi et nonnullis provinciis et partibus aliis, ac Civitatibus et diocesibus apostolice sedis Nuncio, ac fructuum, proventuum et aliorum iurium apostolice Camere debitorum Collectori, salutem etc. Ex fideli et solicita ac diligenti providencia, prudoncia quoque et probitate circumspecta, aliisque virtutibus, quibus fulgere dinosceris, presumimus evidenter, quod ea, que tibi commiserimus, solerti et salubri studio fideliter exequeris. Hinc est, quod nos te, de cuius circumspectione plurimum confidimus, in Iadrensi, Spalatensi, Ragusina, Anthibarensi, Durachiensi, Corfiensi, Patracensi, Corinthiensi, Cretensi, Thebanensi, Athenarum, necnon in Achaye Egei pelagi, utriusque Albanie, Macedonie, Cefalonie ac Romanie superioris et inferioris provinciis, ac insulis et partibus, Civitatibusque et diocesibus exemptis et non exemptis, Regno Cipri et Insula Rhodi, ac terris eisdem Regno et Insule suppositis exceptis, nuncium apostolicum, ac fructuum, redditumm, proventuum, censuum et aliorum iurium nobis et Romane ecclesie ac Camere apostolice debitorum et debendorum generalem Collectorem, ac Receptorem usque ad nostrum et apostolice sedis beneplacitum tenore presentium facimus, constituimus et etiam deputamus, omnes alios et singulos Collectores, Succollectores et Receptores in prefatis provinciis, Civitatibus et diocesibus, ac partibus inibi hactenus quacunque auctoritate deputatos, ac commissiones quascumque super huiusmodi Collectorie, Receptorie ac Succollectorie officiis sub quavis verborum forma per quoscunque et quavis auctoritate, otiam nostra factas penitus revocando, ac tibi per te vel alium seu alios, clericos dumtaxat fido et facultatibus ydoneos, nostro et Romane ecclesie et dicte Camere nominibus a quibuscumque Prelatis, Capitulis, Collegiis, Conventibes ecclesiarum et monasteriorum quorumlibet, aliisquo ecclesiasticis secularibus et regularibus, exemptis et non exemptis ordinum quorumcunque, et etiam laycalibus personis, Communitatibus quoquo ac Universitatibus Civitatum, castrorum, villarum, terrarum et locorum quorumlibet omnia et singula fructus, redditus, proventus, obventiones, census annuos, pecunias aliasque res, iura et bona quecunque nobis ecclesie et Camere predictis in provinciis, Civitatibus et diocesibus, ac partibus predictis quacunque ratione vel causa debita et debenda, etiam si bona huiusmodi fuerint confiscata, pecunias, annatas sive medietatem fructuum anni vacationum beneficiorum inibi vacantium et vacaturorum, auctoritato apostolica collatorum et inantea conferendorum, aliaque iura, res et bona ad nos, ecclesiam Cameramque predictas nunc vel imposterum pertinentia, quecunque, quotcunque et qualiacunque fuerint, communibus et minutis serviciis Prelatorum per nos, seu auctoritate nostra ibidem ad quarumcunque ecclesiarum seu monasteriorum regimina promotorum debitis, que in Romana Curia solvi debent, dumtaxat exceptis, petendi, exigendi, levandi et recipiendi, ac solventes dumtaxat de receptis quictandi, absolvendi et liberandi; rationes quoque et computa a quibuscunque Collectoribus, Receptoribus et Succollectoribus, Inquisitoribus heretice pravitatis, et aliis officialibus pro dicta Camera in provinciis, Civitatibus et diocesibus ac partibus predictis, vel earum aliquibus inibi hactenus deputatis ac deputandis, seu personis aliis, in quantum utilitatem et negocia dicte Camere concernunt, audiendi et examinandi, ipsosque etiam extra loca decrete tibi Collectorie, ubicunque reperiantur, coniunctim vel divisim ad id auctoritate nostra, si necesse fuerit, appellatione postposita, compellendi, Contradictores quoslibet et rebelles, cuiuscumque status, gradus, ordinis, conditionis vel preeminencie fuerint, etiam si pontificali vel alia quavis prefulgeant dignitate, auctoritate nostra per censuram ecclesiasticam et bonorum ipsorum sequestrationem, ac arrestationem personarum et alia iuris remedia, appellatione postposita, compescendi, necnon excommunicationis et alias censuras et sentencias in non solventes tibi iura et debita ipsarum ecclesie et Camere nomine, ut prefertur, per te vel alium seu alios tuo nomine inflictas et promulgatas, si eorum

contumacia exegerit, quociens opus fuerit, aggravandi, et alias contra eos sentencias promulgandi, necnon in quoscunque tibi vel tuis officialibus iniuriantes, seu te vel dictos officiales et negocia dicte Camere in aliquo directe vel indirecte, publice vel occulte perturbantes auctoritate prefata procedendi, prout ordo iuris et rationis exegerit, et si necesse fuerit, ipsos ad comparendum personaliter coram nobis vel Camerario nostro, seu eius locumtenente et gentibus dicte Camere infra certum competentem terminum per te illis prefigendum citandi, et etiam si opus fuerit, auxilium brachii secularis ac ordinum religiosorum quorumcunque, et personarum ecclesiasticarum exemptarum et non exemptarum invocandi; sentencias quoque excommunicationis, suspensionis, et interdicti in inobedientes, contumaces et rebelles tam per predecessores seu precessores tuos inibi Collectores et eorum substitutos, quam per te et a te deputatos aut deputandos latas et ferendas, cum ad obedienciam debitam venerint, tollendi et suspendendi, ipsosque ab ipsis absolvendi, iniuncta eis pro modo culpe penitencia salutari et aliis, que de iure fuerint iniungenda, auctoritate nostra in forma ecclesie consueta, et cum ipsis super irregularitate, si quam sic ligati, non tamen in contemptum clavium, celebrando divina vel immiscendo se illis contraxerint, auctoritate predicta dispensandi, Non obstantibus tam felicis recordationis Bonifacii pape VIII. predecessoris nostri, ac de una et duabus dietis in Concilio generali, quam aliis Constitutionibus apostolicis quibuscumque, etiam si de illis et totis earum tenoribus de verbo ad verbum esset in presentibus mentio specialis habenda, seu si aliquibus et eorum ordinibus coniunctim vel divisim a sede apostolica sit indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari, aut extra vel ultra certa loca ad iudicium evocari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, auctoritate nostra predicta facultatem et potestatem plenariam concedentes: ita tamen quod in fructibus, redditibus et proventibus et aliis bonis quibuscunque ad dictam Cameram spectantibus ipsi Camere persolvendis ultra unius anni dilationem dare nequeas, quodque in singulis Civitatibus et diocesibus infra tuam Collectoriam consistentibus, si sint ample et diffuse, ultra unum, et si parve fuerint, in duabus ultra unum etiam dumtaxat Succollectorem non deputes, et omnium et singulorum Succollectorum, quos te deputare contigerit, nomina et cognomina, statim cum illos deputaveris, nobis seu dicto Camerario vel eius locumtenenti ac gentibus dicte Camere clare et distincte transmictere, quodque singulis bienniis de receptis et gestis per te in huiusmodi Collectorie officio rationem et computum reddere, necnon quicquid per te in premissis recipere contigerit, per litteras cambii vel alium tutum modum nobis vel Camere, quantocius poteris commode, mittere non postponas. Volumus autem, quod antequam huiusmodi officium incipias exercere, in manibus Venerabilis fratris Francisci Archiepi Narbonensis, Camerarii nostri, vel eius locumtenentis do officio fideliter exercendo, et alias fidelitatis debite prestes in forma Camere prelibate consueta iuramentum, ac dicti Succollectores per te deputandi id idem in manibus tuis, antequam illud exerceant, similiter prestare teneantur. Tu igitur predictum officium iuxta datam tibi a deo prudenciam sic studeas bene fideliter et laudabiliter exercere, quod sperati exinde fructus proveniant, tuque exinde apud nos et sedem predictam possis merito commendari. Datum Florencie xv. Kal. Aprilis, Pontificatus nostri Anno Secundo.

DXII.

Prelatis supradictarum provinciarum Secundus Argolicensis episcopus fructuum redditumque camerae apostolicae debitorum collector nuntiatur. Reg. An. II. Tom. 5. fol. 239.

Martinus episcopus etc. Venerabilibus fratribus Patriarchis, Archiepiscopis et Episcopis, et dilectis filiis Electis, Abbatibus ceterisque ecclesiarum et monasteriorum Prelatis, Magistris, Capitulis atque Conventibus, aliisque personis ecclesiasticis secularibus et regularibus, exemptis et non exemptis ordinum quorumcunque, necnon nobilibus viris Principibus, Ducis, Marchionibus, Comitibus et aliis dominis temporalibus, Universitatibus quoque et singularibus personis quibuscumque in Iadrensi, Spalatensi, Ragusina, Anthibarensi, Durachiensi, Corfiensi, Patracensi, Corinthiensi, Cretensi provinciis, necnon partibus et provinciis utriusque Albanie et Romanie superioris et inferioris, ac insulis, partibus et locis Egey pelagi, ac Macedonie, Cefalonie et earum Civitatibus et diocesibus exemptis et non exemptis constitutis, ad quos presentes nostre littere pervenerint, sal. etc. Cum pro recuperatione bonorum, rerum ac iurium Camere apostolice, quam ex longissimo progressu tam pestiferi scismatis in nostra nuper (divina) disponente clemencia ad summi apicem apostolatus assumptione exhaustam et undique lacessitam invenimus, expediens et necessarium fore, aliquos probate fidei et equitatis ad diversas mundi partes transmittere, putaverimus: Venerabilem fratrem nostrum Secundum Argolicensem Episcopum apud nos

magistra experiencia de fide, diligencia et equitate, necnon dispositione optima iam in gerendis nostris et Romane ecclesie negociis probatissime commendatum, in nostrum ac Camere apostolice generalem in dictis provinciis, Civitatibus, terris et locis et qualibet ipsarum iurium, redditauum, fructuum et proventuum quorumcunque dicte Camere debitorum Collectorem et Receptorem auctoritate apostolica constituimus, et etiam deputamus, omnes et singulos Collectores et Succollectores quacunque auctoritate ctiam apostolica in provinciis, Civitatibus, terris et locis predictis hactenus deputatos eadem auctoritate revocantes, aliaque eidem Episcopo Collectori dedimus in mandatis, prout in nostris litteris inde confectis plenius continetur. Quare Universitatem vestram et vestrum singulos requirimus et hortamur attente, per apostolica vobis scripta mandantes, quatenus Episcopo predicto Collectori circa administrationem, gestionem et exercitium dicte Collectorie fructuum, redditauum et proventuum huiusmodi in omnibus oportunis, prout et quando contigerit et duxerit requirendum, favores vestros et quecumque oportuna eidem, ac deputandis ab eo circa premissa studeatis efficaciter exhibere, ut hiis mediantibus valeat utiliter et cum effectu, que pro statu, honore Romane ecclesie et Camere memorate oportuna fuerint, adimplere. Datum Florencie xv. Kal. Aprilis, Pontificatus nostri Anno Secundo.

DXIII.

Ioanni Bazani canonico Antibarensi subcollectoriam praedictorum fructuum in Albania per Secundum episcopum Argolicensem collectorem commissam pontifex confirmat. Reg. An. II. Tom. 5. fol. 265.

MARTINUS EPISCOPUS etc. Dilecto filio Iohanni Bazani Canonico Antibarensi, in partibus Albanie superioris et inferioris fructuum, redditauum, proventuum et aliorum iurium Camere apostolice debitorum et debendorum apostolico Succollectori, salutem etc. Hiis, que rite et ex legitimis causis facta sunt, ut illibata consistant, libenter adiicimus apostolici muniminis firmitatem. Exhibita siquidem nobis nuper tam pro parte Venerabilis fratris Secundi Episcopi Argolicensis in Iadrensi, Spalatensi, Ragusina, Antibarensi, Duracensi, Corfiensi, Patracensi, Cretensi, Thebanensi, Atheniensi, et Achaie Egei pelagi, utriusque Albanie, Macedonie, Cephalonie ac Romanie superioris et inferioris provinciis ac insulis et partibus, Civitatibus et diocesibus exemptis et non exemptis apostolice sedis nuncii, ac pro nobis et Romana ecclesia fructuum, redditauum et proventuum ac iurium Camere apostolice generalis Collectoris, quam tua petitio continebat, quod idem Episcopus, pro eo quod ipse maxime propter guerrarum turbines in partibus Albanie ac dominiorum notorias inimicitias prothdolor ingentes, ac propter decrete sibi Collectorie latitudinem impresentiarum partes ipsas Albanie, cum aliorsum ipsum primitus vacare oporteat, visitare personaliter non valet: Ideo de tuis fidelitate, diligencia et discretione plene confisus, te in prefatis Albanie superioris et inferioris partibus, ne ob premissa nobis et eidem Camere ex deffectu visitationis incommoda succederent, Succollectorem seu Receptorem suum apostolicum generalem cum potestate recipiendi, levandi, exigendi, qnitandi, absolvendi et liberandi, ac Succollectores particulares instituendi, constituendi, et destituendi constituit, deputavit, et etiam ordinavit, prout in suis super hoc confectis litteris plenius continetur. Quare pro parte dicti Episcopi ac tua fuit nobis humiliter supplicatum, ut huiusmodi constitutionem, deputationem et ordinationem ratas et gratas habere, illasque confirmare de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, qui de prefati Epi fidelitate et circumspectionis providencia, alias dum ipsum nuncium et Collectorem constituimus, fiduciam sumpsimus specialem, et adhuc illam gerimus, sperantes, quod ipse premissa ob nostram et dicte Camere utilitatem peregit, et quod tu, de cuius fidelitatis et discretionis industria testimonia digne laudis accepimus, vices dicti Episcopi scies et poteris, auctore domino, supplere, et tibi commissa fideliter adimplere, constitutionem, deputationem et ordinationem de persona tua ad huiusmodi Succollectorie officium factas, et omnia alia in Episcopi litteris contenta et alia inde secuta rata et grata habentes, illa ex certa scientia auctoritate apostolica confirmamus, et presentis scripti patrocinio communimus: te denuo eadem auctoritate in dictis Albanie partibus nostrum et dicti Episcopi Succollectorem cum prenarratis, et aliis in dictis litteris ipsius Episcopi contentis, ac aliis solitis et consuetis potestatibus tenore presentium usque ad nostrum et dicte sedis, ac prefati Episcopi beneplacitum facimus, constituimus, deputamus et etiam ordinamus. Volumus autem, quod de huiusmodi officio fideliter exercendo, ac alias debite fidelitatis inxta formam per dictum Collectorem prestitam prestes, si nondum prestiteris, in manibus prefati Episcopi iuramentum, non intendentes eundem Episcopum per contenta in presentibus ab onere redditionis computorum et prestationis reliquorum de et super receptis et recipiendis per te vel per alios, quos ad hoc commiseris, in partibus prefatis, quovis modo exonerare, sed ipsum ad omnia

teneri nostre intentionis existit, ad que teneretur, si presentes a nobis minime emanassent. Nulli ergo etc. nostre confirmationis, communitionis, constitutionis, factionis, deputationis, ordinationis, voluntatis et intentionis infringere etc. Si quis autem etc. Datum Florencie VI. Kalendas Iunii, Pontificatus nostri Anno Secundo.

DXIV.

Petro archiepiscopo Spalatensi conservatores dantur. Reg. An. IV. divers. de Curia Tom. II. fol. 135.

MARTINUS EPISCOPUS etc. Venerabili fratri ... Episcopo Sabinicensi, et dilectis filiis ... Abbati Monasterii sancti Iohannis Traguricnsis, ac ... Archipresbitero ecclesie Braciensis, salutem etc. Ad hoc nos deus pretulit etc. Sane Venerabilis fratris nostri Petri Archiepiscopi Spalatensis conquestione percepimus, quod nonnulli Archiepiscopi, Episcopi aliique ecclesiarum prelati et clerici, ac ecclesiastice persone tam religiose quam seculares, necnon Duces, Marchiones, Comites, Barones, nobiles, milites et laici, Communia Civitatum, Universitates opidorum, castrorum, villarum et aliorum locorum, ac alie singularcs persone Civitatum et diocesum ac aliarum partium diversarum occuparunt, et occupari fecerunt castra, villas et alia loca, terras, domos, possessiones, iura et iurisdictiones, necnon fructus, census, redditus et proventus Archiepiscopalis mense Spalatensis, et nonnulla alia bona mobilia et immobilia, spiritualia et temporalia ad mensam et Archiepiscopum prefatos spectantia, et ea detinent indebite occupata, seu ea detinentibus prestaut auxilium, consilium vel favorem etc. ut supra Nr. CCII. pag. 155. Ceterum etc. Presentibus post triennium minime valituris. Datum Rome apud Sanctum Petrum v. Idus Februarii, Pontificatus nostri Anno Quarto.

DXV.

Canonicis et capitulo ecclesie Antibarensis, ut abbatem s. Marie de Roteza centum flor. Iordano cardinali Ursino solvere compellant. Reg. An. V. Tom. 6. fol. 288.

MARTINUS EPISCOPUS etc. Dilectis filiis Canonicis et Capitulo ecclesie Antibarensis, salutem etc. Cum Venerabili fratri nostro Iordano Episcopo Albanensi, Cardinali de Ursinis vulgariter nuncupato, Abbacia sancte Marie de Roteza ordinis sancti Benedicti Antibarensis diocesis a sede apostolica commendata fuerit, cuius commendationis vigore possessionem dicte Abbacie habens, tandem domino patrie Antibarensis vita functo huiusmodi patria sub potestate et dominio Venetorum deveniens (sic), quidam Abbas tredecim annis, ut fideli relatione percipimus, a dicta Abbacia reiectus, expulso procuratore dicti Cardinalis, in eandem ingressus fuit: nos sentientes prefatum Cardinalem per viam pietatis incedentem, ac pro recuperatione possessionis dicte Abbacie minime insistere volentem, dummodo pro expensis factis centum flor. auri sibi restituerentur, Venerabili fratri Episcopo (sic) Antibarensi scripsimus, facultatem sibi concedentes, ut per remedia oportuna dictum Abbatem ad solvendam dictam quantitatem cogeret. Verum cum dubitemus huiusmodi nostras litteras ad manus dicti Episcopi non venisse, devotioni vestre tenore presentium commictimus et mandamus, quatenus si prefatus Episcopus circa premissa executionem non fecerit, efficacem operam adhibeatis per iuris remedia procedentes, super quibus vobis per presentes facultatem concedimus, ut idem Abbas prefato Cardinali vel eius legitimo procuratori predictos centum florenos auri effectualiter solvat. Sentencias vero, quas adversus dictum Abbatem statueritis, si obedire recusaverit, ratas habituri eas usque ad satisfactionem condignam faciemus inviolabiliter observari. Datum Rome apud Sanctum Petrum x. Kalendas Ianuarii, Pont. nostri Anno Quinto.

DXVI.

Donducse quondam Theodori Resenich viceabbati supradicti monasterii s. Marie de Roteza, ut cardinali Ursino e fructibus eiusdem monasterii predictos centum florenos solvat. Reg. An. V. Tom. 7. fol. 98.

MARTINUS EPISCOPUS etc. Dilecto filio Donduce quondam Theodori Resenich Viceabbati Monasterii sancte Marie de Roteza ordinis sancti Benedicti Antibarensis diocesis, salutem etc. Percepimus, quod devotio tua virtute quarumdam litterarum auctoritate nostra mandantium et precipientium, ut super fructibus, redditibus et proventibus Monasterii sancte Marie de Roteza ordinis sancti Benedicti Antibarensis diocesis arrestatio fieret, occasione nonnullarum expensarum per Venerabilem fratrem nostrum Iordanum Episcopum Albanensem, Cardinalem de Ursinis vulgariter nuncupatum, predicti Monasterii Commendatarium, pro habenda possessione ipsius Monasterii factarum, arrestationem fructuum, redditumm et proventuum predictorum fecerit. Quocirca, ut huiusmodi arrestatio secundam intentionis nostre desi-

derium debitum effectum sortiatur, tenore presentium auctoritate apostolica tibi precipimus et mandamus, quatenus sub excommunicationis pena, ac privationis omnium beneficiorum que obtines, et inhabilitationis ad futura, ex fructibus, ut premictitur, arrestatis centum florenos auri procuratori legitimo dicti Cardinalis effectualiter et integraliter solvas. Verum si idem arrestum aut nondum factum esset aut impeditum et retardatum, volumus et harum serie litterarum tibi commictimus et mandamus, quatenus prefatum arrestum efficias, et dicto procuratori ex fructibus arrestandis effectualiter satisfacias, Contradictores per censuram ecclesiasticam et alia iuris remedia compellas, invocato ad hoc si opus fuerit auxilio brachii secularis. Datum Tibure XVIII. Kalendas Octobris, Pontificatus nostri Anno Quinto.

DXVII.

Salvusconductus pro Iacobo episcopo Tergestino a pontifice in Angliam etc. misso. Reg. An. VI. Tom. 7. fol. 183.

MARTINUS etc. Venerabilibus fratribus Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis etc. salutem etc. Cum Venerabilem fratrem nostrum Iacobum Episcopum Tergestinum ad regnum Anglie, et nonnullas alias partes pro quibusdam nostris et Romane ecclesie negociis arduis presencialiter destinemus: Nos cupientes eundem Episcopum cum eius comitiva et familiaribus in personis, equis et bonis in eundo, stando et redeundo plena securitate gaudere, Universitatem vestram requirimus et hortamur in domino, subditis nostris et gentium armorum Capitaneis ubicumque militantibus districte precipiendo mandantes, quatenus prefatum Episcopum cum comitiva equitum et peditum, salmis, valisiis, rebus et bonis suis omnibus per nostra et vestra territoria, passus, portus, pontes et loca quelibet tam per mare, quam per terram transire, stare, ire et redire pro nostra et apostolice sedis reverencia absque solutione dacii, pedagii, gabelle, et alicuius alterius impositionis exactione libere permittatis, nec eidem vel sociis, familiaribus aut rebus huiusmodi molestiam aliquam inferatis, nec ab hiis, quantum in vobis fuerit, permictatis inferri, sed ei pro se et comitiva huiusmodi de securo transitu et receptu sic liberaliter providere curetis, quod exinde vestra possit devotio apud nos et sedem apostolicam non immerito commendari. Presentibus post biennium minime valituris. Datum Rome apud Sanctum Petrum tercio Idus Martii, Pont. nostri Anno Sexto.

DXVIII.

Marino episcopo Tergestino, postquam ipse a Tragurienssi ecclesia ad Tergestinam, Iacobus a Tergestina ad Urbinatem, et Thomas ab Urbinate ad Tragurienssem translati fuerunt, certa pensio super episcopatibus Urbinate et Tragurienssi, donec Tergestinae ecclesiae possessionem assecutus aut alias ei provisum fuerit, conceditur et confirmatur. Reg. An. VIII. Tom. 8. fol. 128.

MARTINUS EPISCOPUS etc. Venerabili fratri Marino Tergestino olim Tragurienssi Episcopo, salutem etc. Personam tuam nobis et apostolice sedi devotam paterna benevolentia prosequentes, illa tibi libenter concedimus, que tuis necessitatibus fore conspicimus oportuna. Cum itaque hodie te tunc Tragurienssem ab illo, quo Tragurienssi, ad Tergestinum, ac Iacobum Urbinatem tunc Tergestinum ab illo, quo Tergestine, ad Urbinatem, necnon Thomam Tragurienssem tunc Urbinatem Episcopos Venerabiles fratres nostros ab illo, quo Urbinati ecclesiis, quibus tunc preeratis, vinculis tenebamini, de apostolice potestatis plenitudine ac fratrum nostrorum consilio absolventes, (vos) ad (Tergestinam, Urbinatem et) Tragurienssem ecclesias, que quidem ecclesie per vestras cessiones regiminis et administrationis bonorum ipsarum ecclesiarum, prout illis preeratis, in manibus nostris sponte factas pastorum solatiis destitute fuerant, duxerimus transferendos, vosque eisdem ecclesiis prefecerimus in Episcopos et pastores, curam, regimen et administrationem bonorum earumdem vobis in spiritualibus et temporalibus committendo, prout in diversis nostris exinde confectis litteris plenius continetur. Nos volentes tibi, ut statum tuum iuxta pontificalis dignitatis decentiam commodius tenere valeas, ne propter tuam cessionem huiusmodi nimium detrimentum patiaris, de alicuius subventionis auxilio providere, pensionem annuam centum et quinquaginta super Urbinatis, et totidem florenorum auri de Camera super Tragurienssi mensarum Episcopalium fructibus, redditibus et proventibus tibi per eosdem, videlicet Iacobum et Thomam, ac eorum successores Episcopos seu Electos Urbinates et Tragurienses, qui erunt pro tempore, per quemlibet videlicet eorumdem Iacobi et Thome ac successorum, prout eos continget, pro una in Resurrectionis domini nostri Ihesu Christi, et pro alia medietatibus sancti Michaelis Archangeli festivitatibus ex nunc singulis annis in Romana Curia tibi vel procuratori tuo legitimo, donec ipsius Tergestine ecclesie regiminis et administrationis bonorum possessionem cum effectu fueris assecutus, aut alteri cathedralis ecclesie consimilis valoris de persona tua provideri contingeret, realiter persolvendam auctoritate

predicta tenore presentium, ad id etiam dictorum Iacobi et Thome Episcoporum accedente consensu, deputamus et etiam assignamus, decernentes tam Iacobum ot Thomam Episcopos, quam successores predictos ad integram solutionem pensionis huiusmodi iuxta reservationis et assignationis nostrarum tenorem fore efficaciter obligatos, ac volentes et eadem auctoritate statuentes, quod si quis ex Iacobo et Thoma Epis et successoribus prefatis in solutione pensionis huiusmodi, prout ratione reservationis et assignationis earumdem pro tempore censebitur astrictus, impedimento cessante legitimo, defecerit, extunc post unius immediate sequentis mensis spacium, eodem extante defectu, excommunicationis sententiam ipso facto incurrat, a qua, donec de pensione huiusmodi tunc dobita tibi integraliter satisfactum, seu alios tecum vel cum eodem procuratore amicabiliter super hoc concordatum extiterit, preterquam in mortis articulo constitutus, absolutionis beneficium nequeat obtinero. Volumus etiam et predicta tibi auctoritate concedimus, ut vacationum ipsarum ecclesiarum occurrentibus temporibus, quamdiu prefati Iacobus et Thomas Episcopi seu quicunque alii, qui dictis ecclesiis pro tempore prefecti fuerint in Episcopos et pastores, pacificas possessiones et administrationem bonorum ecclesiarum huiusmodi seu maiorum partium eorumdem assecuti non fuerint, illi, ad quos solutio fructuum, reddituum et proventuum predictorum aut alias id quomodolibet spectare censebitur, in prefatis terminis de eisdem fructibus, redditibus et proventibus usque ad huiusmodi pensionem tunc tibi debitam sub dicta excommunicationis sententia, quam similiter, ut prefertur, incurrant, integre et cum effectu tibi vel huiusmodi procuratori tuo respondere et solvere debeant ao teneantur, metropolitanorum locorum et alterius cuiuscunque licentia seu consensu minime super hoc requisitis: quodque quam primum te migraro contingeret ab hac luce, pensio predicta cesset penitus et expiret, ac Iacobus et Thomas atque successores prefati eam prestare vel solvere, quodque illi, qui tibi de huiusmodi fructibus, redditibus et proventibus, ut premittitur, responderint, de eisdem tibi traditis vel solitis satisfacero vel respondere cuiquam alteri deinceps minime sint astricti. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum reservationis, deputationis, assignationis, constitutionis, statuti, voluntatis ot concessionis infringere vel ei ausu temerario contraire. Siquis autem etc. Datum Rome apud Sanctos Apostolos III. Idus Decembris, Pontificatus nostri Anno Octavo.

DXIX.

Episcopis Electensi, Ariminensi et Sibinicensi, ut predictas litteras promulgent, et Iacobum ac Thomam eorumque successores, si dicto Marino pensionem concordatam non solverint, excommunicatos nuntient. Reg. An. VIII. Tom. 8. fol. 126.

MARTINUS EPISCOPUS etc. Venerabilibus fratribus Ellectensi et Ariminensi ac Sibinicensi Episcopis, sal. etc. Personam Ven. fratris nostri Marini Tergestini olim Traguriensis Epi nobis, et apostolice sedi devotam paterna benevolentia prosequentes illa sibi libenter concedimus, que suis necessitatibus foro conspicimus oportuna. Cum itaque hodie ipsum Marinum tunc Traguriensem ab illo, quo Traguriensi, ad Tergestinam, ac Iacobum Urbinatem tunc Tergestinum ab illo, quo Tergestine, ad Urbinatem, necnon Thomam Traguriensem tunc Urbinatem Epos Ven. fratres nostros ab illo, quo Urbinati ecclesiis, quibus tunc prerant, vinculis tenebantur, de apostolice potestatis plenitudine ac fratrum nostrorum consilio absolventes, ad (Tergestinam, Urbinatem et) Traguriensem ecclesias, que quidem ecclesie per ipsorum Episcoporum cessiones regiminis et administrationis earumdem ecclesiarum bonorum, prout illis prerant, in manibus nostris sponte factas pastorum solatiis destitute fuerant, duximus transferendos, ipsosque eisdem ecclesiis prefecerimus in Episcopos et pastores, curam, reginen et administrationem bonorum earumdem sibi in spiritualibus et temporalibus committendo, prout in diversis nostris exinde confectis litteris plenius continetur: Nos volentes dicto Marino Episcopo, ut statum suum iuxta pontificalis dignitatis decentiam commodius tenere valeret, no propter suam cessionem huiusmodi nimium detrimentum pateretur, de aliquius subventionis auxilio providere, pensionem annuam centum et quinquaginta super Urbinatis, et totidem florenorum auri de Camera super Traguriensis mensarum Episcopalium fructibus, redditibus et proventibus eidem Marino Episcopo per dictos videlicot Iacobum et Thomam, ac eorum successores Epos seu Electos Urbinates et Tragurienses, qui erunt pro tempore, per quemlibet videlicet eorumdem Iacobi et Thome ac successorum, prout eos contingeret, pro una in Resurrectionis domini nostri Ihesu Christi, et pro alia medietatibus in sancti Michaelis Archangeli festivitatibus extunc singulis annis in Romana Curia ipsi Marino Episcopo vel procuratore suo legitimo, donec ipsius Tergestine ecclesie regiminis et administrationis bonorum possessionem cum effectu foret assecutus, aut alteri cathedrali ecclesie consimilis valoris de persona sua provideri contingeret, realiter persolvendam auctoritate predicta tenore litterarum nostrarum, ad id etiam dictorum Iacobi et Thome Episcoporum accedente consensu,

reservavimus, deputavimus et etiam assignavimus, decernentes tam Iacobum et Thomam Episcopos, quam successores predictos ad integram solutionem pensionis huiusmodi iuxta reservationis et assignationis nostrarum tenorem fore efficaciter obligatos, ac volentes et eadem auctoritate statuentes, quod si quis ex Iacobo et Thoma Episcopis et successoribus prefatis in solutione pensionis huiusmodi, prout ratione reservationis et assignationis earumdem pro tempore censebitur astrictus, impedimento cessante legitimo, deficeret, extunc post unius immediate sequentis mensis spacium, eodem exstante defectu, excommunicationis sententiam ipso facto incurreret, a qua, donec de pensione huiusmodi tunc debita eidem Marino Episcopo integraliter satisfactum, seu alias secum vel cum eodem procuratore amicabiliter super hoc concordatum extiterit, preterquam in mortis articulo constitutus, absolutionis beneficium nequiret obtinere. Volumus etiam et predicta dicto Marino Episcopo auctoritate concessimus, ut vacationum ipsarum ecclesiarum occurrentibus temporibus, quamdiu prefati Iacobus et Thomas seu quicunque alii, qui dictis ecclesiis pro tempore prefecti forent in Episcopos et pastores, pacificas possessiones et administrationes bonorum ecclesiarum huiusmodi, seu maiorum partium eorumdem assecuti non forent, illi, ad quos solutio fructuum, redditurum et proventuum predictorum aut alias id quomodolibet spectare censebitur, in prefatis terminis de eisdem fructibus, redditibus et proventibus usque ad huiusmodi pensionem tunc dicto Marino Episcopo debitam sub dicta excommunicationis sentencia, quam similiter, ut prefertur, incurrerent, integre et cum effectu sibi vel huiusmodi procuratori suo respondere et solvere debeant ac teneantur, metropolitanorum locorum et alterius cuiuscunque licencia seu consensu super hoc minime requisitis: quodque quam primum eundem Marinum Episcopum migrare contingeret ab hac luce, pensio predicta cessaret penitus et expiraret, ac Iacobus et Thomas atque successores prefati eam prestare vel solvere, quodque illi, qui eidem Marino Episcopo de huiusmodi fructibus, redditibus et proventibus, ut premictitur, responderent, de eisdem ipsi Episcopo traditis vel solutis satisfacere vel respondere cuiquam alteri deinceps minime essent astricti. Quocirca fraternitati vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus vos vel duo aut unus vestrum per vos vel alium seu alios premissa omnia, ubi et quando expedire videritis, auctoritate nostra solemniter publicantes, Iacobum et Thomam Episcopos et successores predictos et alios, ad quos solutio seu responsio fructuum et proventuum huiusmodi, ut prefertur, spectare censebitur, si et postquam vobis constiterit, eos excommunicationis sentenciam incurrisse, et super hoc pro parte dicti Marini Episcopi fueritis requisiti, tam diu in ecclesiis dominicis et festivis diebus, dum maior inibi populus concurrerit ad divina, excommunicatos publice nuncietis et ab aliis nunciari faciatis, ac ab omnibus arcius evitari, donec Marino Episcopo vel procuratori predictis de pensione huiusmodi fuerit debite satisfactum, ipsique excommunicati meruerint ab huiusmodi excommunicationis sentencia absolutionis beneficium obtinere, Non obstante si Iacobo et Thome Episcopis ac successoribus prefatis, vel quibusvis aliis communiter vel divisim a dicta sede indultum existat, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Datum Rome apud Sanctos Apostolos III. Idus Decembris, Pontificatus nostri Anno Octavo.

DXX.

Salvusconductus pro supradicto Marino episcopo Tergestino, qui pro nonnullis suis negotiis expediendis ad Istriae et Dalmatiae partes se confert. Reg. An. VIII. Tom. 6. fol. 128.

MARTINUS EPISCOPUS etc. Venerabilibus fratribus Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis etc. ad quos presentes littere pervenerint, salutem etc. Cum Venerabilis frater noster Marinus Episcopus Tergestinus pro nonnullis suis expediendis negociis ad Istrie, Dalmatie et nonnullas alias mundi partes habeat se presentialiter conferre: Nos cupientes eundem Episcopum cum eius comitiva, familiaribus, animalibus, salmis, valisiis, navigiis, curribus, arnesiis, rebus et bonis aliis quibuscumque plena ubique securitate gaudere, Universitatem vestram et vestrum singulos tenore presentium requirimus et hortamur in domino, subditis nostris districte precipiendo mandantes, quatenus ipsum Episcopum cum comitiva, familiaribus, animalibus, salmis, arnesiis, valisiis, navigiis, curribus, rebus et bonis huiusmodi per nostra et vestra provincias, civitates, terras, castra, territoria, districtus, passus, pontes, flumina, maria et alia quecunque loca in eundo et redeundo, quociens contigerit, permittatis secure et libere pertransire absque solutione alicuius dacii, pedagii, gabelle, angarii, perangarii, theolonii vel alterius cuiuscunque oneris realis, personalis vel mixti indicti seu indicendi, nullamque eidem Episcopo, comitive, familiaribus, rebus et bonis prefatis inferatis iniuriam, molestiam vel offensam, seu ab aliis, quantum in vobis fuerit,

permictatis inferri, quinimo de receptu et scorta, salvo liberoque conductu in eundo, stando et redeundo sic pro nostra et apostolice sedis reverencia providere placeat et velitis, quod vestra exinde devotionis integritas apud nos et sedem ipsam possit non immerito comendari. Presentibus post annum minime valituris. Datum Rome apud Sanctos Apostolos x. Kalendas Ianuarii, Pontificatus nostri Anno Octavo.

DXXI.

Capitulo et clero ecclesiae Tergestinae pontifex mandat, ut infra mensem supradictum Marinum episcopum recipiant etc. Reg. Ao. VIII. Tom. 8. fol. 185.

Martinus episcopus etc. Dilectis filiis Capitulo ecclesie et Clero civitatis et diocesis Tergestine, salutem etc. Nuper siquidem Venerabilem fratrem nostrum Marinum Tergestinum tunc Traguriensem Episcopum a vinculo, quo Traguriensi ecclesie, cui tunc preerat, tenebatur, de fratrum nostrorum consilio et apostolica potestatis plenitudine absolventes, ipsum ad Tergestinam ecclesiam tunc apud apostolicam sedem vacantem per quasdam duximus transferendum, preficiendo eum illi in Episcopum et pastorem, et per alias nostras litteras vobis dedimus in mandatis, ut eundem Episcopum tanquam patrem et pastorem animarum vestrarum debito reciperetis honore, ac exhiberetis eidem obedientiam et reverentiam debitas et devotas, prout in dictis litteris plenius continetur: ac vos mandati nostri huiusmodi detestabiles contemptores nobis in hac parte obedire damnabiliter non curastis, quinymo, quod deterius est, quemdam Nicolaum assertum presbiterum in dicta ecclesia per quosdam profanatum vestro favore prosequi maluistis. Et propterea licet inobedientie tantum reatum iusta possemus et deberemus animadversione punire, volentes tamen ex dicte sedis benignitate uti circha vos in hac parte magis dispensatione quam rigore, maxime etiam misericordia quam censura, universitati vestre sicut iterum sic actentius in virtute sancte obedientie et sub excommunicationis, suspensionis et privationis omnium dignitatum et canonicatuum ac prebendarum, necnon beneficiorum ecclesiasticorum quorumcunque, que obtinetis, et inhabilitationis imposterum obtinenda penis, quas, nisi faciatis que mandamus, incurrere vos volumus ipso facto, damus strictius in mandatis, quatenus eundem Episcopum infra unum mensem post presentationem presentium vobis factam ad dictam ecclesiam, eiusque realem et actualem possessionem recipere et admittere, atque eidem Marino tanquam Episcopo vestro reverenter obedire, omni appellatione interposita seu quomodolibet interponenda, qua nullum vobis volumus afferri suffragium, postposita, omnimode studeatis: Alioquin vos omnes et singuli excommunicati et suspensi ad presentiam nostram infra unum mensem predictum, videlicet extunc immediate sequentem, personaliter comparere curetis, penam condignam pro demeritis recepturi. Datum Rome apud Sanctos Apostolos v. Nonas Maii, Pontificatus nostri Anno Octavo.

DXXII.

Plebano ss. Ioannis et Pauli de Mugla, ut iudices et consiliarios civitatis Tergestinae, nisi supradictum Marinum episcopum infra mensem admittant, excommunicatos eamque civitatem interdicto suppositam nuntiet et nuntiari publice faciat. Reg. Ao. VIII. Tom. 8. fol. 184.

Martinus episcopus etc. Dilecto filio Plebano ecclesie sanctorum Iohannis et Pauli de Mugla Tergestine diocesis, salutem etc. Scribimus dilectis filiis Iudicibus et Consilio Civitatis Tergestine litteras continentie subsequentis, illasque eis per dilectum filium Ulricum Ulrici cursorem nostrum commisimus presentari: quarum tenor sequitur et est talis.

Martinus episcopus etc. Dilectis filiis Iudicibus et Consilio Civitatis Tergestine, Salutem et apostolicam benedictionem. Quantum qualeque obprobrium quam gravi pena dignissimum non longe diebus elapsis nobis et apostolice sedi quidam vestri cives intulerint, audientes admirati et intelligentes turbati fuimus vehementer, cum cives ipsi dei timore ac nostro et sedis eiusdem honore, necnon reverentia, quam ad nos et Venerabilem fratrem nostrum Marinum Tergestinum, tunc Traguriensem, Episcopum, quem de fratrum nostrorum consilio ad ecclesiam Tergestinam transtulimus, habere debebant, abiectis, ignominose repellentes illum, apostolicis litteris in mare proiectis, admittere, necnon monitorum et mandatorum eiusdem Episcopi pertinacissimi contemptores illis parere damnabiliter recusarunt: quinymo, quod detestabilius est, sedem suam luciferi more ab aquilone ponere innitentes, quendam Nicolaum assertum presbiterum post translationem nostram huiusmodi in prefata ecclesia intrudere mente reproba presumpserunt, propter que cives ipsos excommunicationis sententia ligatos, civitatemque vestram iuxta processus per Episcopum ipsum factos ecclesiastico non ambiguimus fuisse suppositam

interdicto. Cum itaque non credamus vos illorum sequi vestigia, nec illorum culpam velle facere per tollerantiam esse vestram, et scrupulo societatis occulte non careat, qui alieno facinori, cum potest, desinit obviare, arbitremurque vos illa tamquam nepharia ac detestabilia abhorrere ac velle corrigere, necnon tamquam catholicos et devotos filios non in vitio, sed in vera obedientia nostra succedere devotionem vestram requirimus et hortamur attempte, vobis nichilominus per apostolica scripta mandantes, quatenus eundem Episcopum infra unum mensem, post presentationem presentium vobis factam, debeatis in patrem et pastorem animarum vestrarum debite cum honore recipere, et ad possessionem eiusdem ecclesie illiusque regimen et gubernationem reverenter admittere, ut debetis: quod si mandatorum nostrorum huiusmodi, quod abeit, quodque non credimus, fueritis contemptores, extunc vos excommunicationis sententia, quam eo casu in vos et vestrum singulos ferimus in hiis scriptis, innodatos, civitatemque ipsam, quam etiam ecclesiastico interdicto predicto adveniente casu in vestram punitionem iterum et de novo subicimus, interdicto huiusmodi suppositam existere declaramus et decernimus, per presentes, mandantes illud ab omnibus inviolabiliter observari. Et nichilominus per hec nepharia et detestabilia vestra opera sitis aliis in exemplum, Episcopalem sedem Tergestinam tamquam inter vos male situatam, quasi vineam dei sabaot desertam operariis, a vobis tamquam immeritis et indignis auferemus, et civitate vestra ipsa sede privata alibi aliisque dignis locabimus agricolis, qui eam reverenter teneant ac digne eam exactissima diligentia venerentur, nostrisque ac dicte sedis mandatis promptissime semper obediant. Datum Rome apud Sanctos Apostolos v. Nonas Maii, Pontificatus nostri Anno Octavo.

Quocirca discretioni tue per apostolica scripta mandamus sub excommunicationis, privationis et inhabilitationis ad imposterum obtinenda beneficia penis, quas si inobediens fueris incurrere te decernimus per presentes, quatenus postquam tibi de presentatione dictarum litterarum ex dicti cursoris, cui in hoc adhibeas plenam fidem, relatione constiterit, in ecclesiis dictarum Civitatis et diocesis circumvicinis, quando maior ibi populi multitudo convenerit ad divina, Iudices et singulos ex Consilio dicte Civitatis excommunicates, et Civitatem predictam ecclesiastico interdicto suppositam, necnon dictas litteras et omnia in eis contenta per te vel alium seu alios nunties et publice nuntiari, ipsosque ut tales publicari ac ab omnibus artius facias evitari, donec Episcopum prefatum receperint, ut prefertur, et dictis mandatis paruerint cum effectu, ac a nobis absolutionis beneficium obtinere et interdictum predictum meruerint relaxari, de quibus tibi plenam facient per litteras nostras fidem. Contra violatores quoque prefati interdicti ac contradictores quoslibet et rebelles censuras easdem, legiptimis per te super hiis habendis servatis processibus, aggravare et reaggravare procures, invocato ad hoc, si et quotiens opus fuerit, auxilio brachii secularis, Non obstantibus si Capitulo, Clero et populo predictis vel quibusvis aliis communiter vel divisim a sede apostolica sit indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Datum Rome apud Sanctos Apostolos v. Nonas Maii, Pontificatus nostri Anno Octavo.

EPISTOLAE EUGENII PP. IV.

DXXIII.

Fratribus ord. Minorum de observantia conceditur licentia suum monasterium apud Tragurium diruptum reaedificandi in insula Bua. Reg. An. II. Tom. 13 fol. 23.

EUGENIUS EPISCOPUS etc. Ad futuram rei memoriam. Sedis apostolice benignitas illis supplicantium votis se reddere proptiam consuevit, que ad constructionem ecclesiarum, cultum divinum nec non religionis honestatem videntur pertinere. Sane quidem dilecti filii Nicolai de Tragurio ordinis Minorum, qui de observancia nuncupantur, porrecta nobis petitio continebat, quod cum alias Monasterium

fratrum Minorum situm penes portam Civitatis Tragurii dirutum et demolitum fuerit turbine guerrarum, nec postea sit edificari premissum, nec quasi arx emineat ipsi Civitati, fratres, qui in dicto Monasterio habitare consueverunt, reducti in quadam domuncula lignea siti in populi frequencia habitare coguntur contra religionis normam et debitum honestatis: unde dilecti filii Universitas et Commune ipsius Civitatis Tragurii in insula Bua, non aliter quam per pontis transitum distante a Civitate, convenientem locum et terre spacium deputarunt fratribus Minoribus de observancia nuncupatis, ut ibi nova ecclesia et Monasterium edificari possit, si ad id noster et apostolice sedis consensus accedat: preterea quia nonnulla bona mobilia et immobilia prefato Monasterio demolito, sive ecclesie et capellis eiusdem applicata fuerant, idcirco fuit nobis humiliter supplicatum, quatenus ut bona mobilia spectantia ad cultum dei et usum fratrum predictorum ad usum divini cultus, et fratrum novi Monasterii construendi debeant tradi et consignari, bona vero immobilia, possessiones et predia vendi debeant per instituendos ad hoc procuratores, ipsorumque precium cum omnibus debitis et legatis fabrice huiusmodi construendi Monasterii debeant applicari, concedere eisdem fratribus do observancia apostolica auctoritate dignaremur, quodquo in insula Bua predicta Monasterium sive Conventum ordinis Minorum construere et edificare possint cum ecclesia, capellis, campanili et campanis, cimiterio, domibus, ortis et aliis necessariis officinis cum indulgenciis, exemptionibus, immunitatibus et privilegiis aliis locis sive Conventibus ordinis Minorum Vicarie Bosne ab apostolica sede concessis vel imposterum concedendis, remanentibus capellis beate Marie Virginis et beati Francisci, cimiteriis et aliis, que de priori Monasterio remanserunt, sub cura Cleri maioris ecclesio Traguriensis. Nos quidem, quos reformatio ecclesiarum et divini cultus cura solicitat, huiusmodi supplicationibus inclinati prefatis fratribus ordinis Minorum de observancia bona quelibet, que fuerunt prioris Monasterii vel Conventus, ad usum divini cultus et dictorum fratrum novi Monasterii assignandi et deputandi, et possessiones et predia aliaque immobilia bona, cuiuscumque conditionis existant, per procuratores instituendos vendondi, et precium cum omnibus aliis denariorum et bonorum quantitatibus percipiendis ex debitis et legatis, et aliter quomodocumque ad fabricam novi Monasterii tribuendi et applicandi, nec non in insula Bua predicta, diocesani vel alterius super hoc licencia vel assensu minime roquisitis, in loco convenienti et honesto fundandi, construendi et edificandi cum ecclesia, capellis, campanili et campanis, cimiterio, domibus, ortis et aliis necessariis officinis, et ipsam ad usum dictorum fratrum habendi et perpetuo retinendi tenore presentium auctoritate apostolica concedimus, volentes insuper auctoritate premissa, ut prefatum Monasterium, Conventus et ecclesia construenda cum omni suo ambitu, capellis, locis et personis omnium indulgenciarum et exemptionum, immunitatum et privilegiorum per Romanos olim Pontifices, predecessores nostros, sub quavis verborum forma concessorum Conventibus et Monasteriis Vicarie Bosne, aut concedendorum in futurum gracia et beneficio potiantur, quodque capelle beate Marie Virginis et beati Francisci cum cimiteriis et aliis, que ex demolito et diruto priori Monasterio remanserunt, sub cura Cleri maioris sive Cathedralis ecclesie Traguriensis remaneant, Constitutione felicis record. Bonifacii pape VIII. predecessoris nostri prohibente fratres ordinum mendicantium in aliqua Civitate seu loco quocumque de novo acceptare domos, vel loca quecunquo ad habitandum sine sedis apostolice licencia speciali non faciente plenam et expressam de inhibitione huiusmodi mentionem, et aliis constitutionibus et statutis ac litteris apostolicis, etiam si de hiis esset de verbo ad verbum mentio specialis habenda, et constitutionibus, consuetudinibus vel privilegiis dicti ordinis, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel alia quacumque firmitate roboratis, aliisque contrariis non obstantibus quibuscumque. Nulli ergo etc. nostre concessionis et voluntatis infringere etc. Si quis autem etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum anno Incarnacionis dominice M.CCCC.XXXII. XIIII. Kalendas Iulii, Pontificatus nostri Anno Secundo.

DXXIV.

Thome epo Traguriensi, Forliviensis et Imolensis civitatum gubernatori, ut quasdam bona immobilia camerae apost. incorporata, quae antea per civitatem Forliviensem eiusque regentes Georgium et Tebaldum de Ordelaffis possessa nonnullis mercatoribus Florentinis VM. ducat. auri mutuatis hypothecata erant, dictis debitoribus assignet, donec ex eorum fructibus mercatoribus satisfactum sit. Reg. An. III. Tom. 22. fol. 180.

EUGENIUS EPISCOPUS etc. Venerabili fratri Thome Episcopo Traguriensi, in Civitatibus nostris Forliviensi et Imolensi pro nobis et Romana ecclesia gubernatori, salutem etc. Ex iniuncto nobis desuper apostolice servitutis officio ad ea precipuo ac libenter intendimus, per quo personarum nobis et dicte ecclesie subditarum commoditatibus et oportunitatibus consulatur. Dudum pro parte dilectorum filiorum Universitatis et civium prefate nostre Civitatis Forliviensis fuit nobis expositum, quod cum pro

relevatione debitorum per quondam Georginm et Tebaldum de Ordelaffis, tunc in dicta Civitate Forliviensi regentes, pro suis ingruentibus necessitatibus cum nonnullis mercatoribus Florentinis ex causa mutui contractorum prefata Universitates et Commune per Syndicos ad hoc legitime constitutos, et nonnulli ex dictis civibus pro se tam fideiussorio nomine, quam principaliter eisdem mercatoribus creditoribus se in certa pecunia quantitate ascendente ultra summam Quinquemilium ducatorum auri, quam quidem quantitatem dictos mercatores eisdem Georgio et Tebaldo mutuasse constabat, se efficaciter obligassent, prout in instrumentis super inde confectis plenius continetur: tandem ipsis Gregorio et Tebaldo, ipsis creditoribus non satisfacto plenarie, vita functis, dicti creditores conspicientes nichil superesse, quo sibi consuli posset, nisi forsan quedam possessiones et bona immobilia partim per ipsam Universitatem, partim per dictos Georgium et Tebaldum tempore dictorum contractus et obligationis possessa seu ad eos pertinentia, ac pro debitis predictis generaliter obligata et ypothecata, que ad Cameram apostolicam reducta fuerant et incorporata, prout sunt etiam de presenti, Universitatem et cives predictos vigore dicte obligationis multipliciter molestare, perturbare et opprimere ceperunt, represalias etiam contra eos obtinendo, et in presens perturbant, opprimunt et molestant. Quapropter ex parte Universitatis et civium predictorum fuit nobis humiliter supplicatum, quatenus eorum indennitati super hoc de apostolica benignitate providere dignaremur. Nos igitur, qnibus in animo est, ut prefatis creditoribus de dicto pecuniarum mutuo prefatis Georgio et Tebaldo pro eorum necessitatibus, ut premittitur, facto, sicut debitum fore cognovimus, satisfiat, volentesque indennitati Universitatis et civium predictorum, ac eorum paci et quieti pro bono statu Romane ecclesie salubriter providere, fraternitati tue per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus de prefatis bonis immobilibus tam per predictos Georginm et Tebaldum, quam Universitatem et Commune prefatos communiter vel divisim tempore dictorum contractus et obligationnm possessis, seu ad eos tunc pertinentibus et pro dicta pecnnie quantitate, ut premittitnr, generaliter obligatis et ypothecatis, postea vero ad Cameram apostolicam redactis et nunc pleno iure pertinentibus, usque ad summam Quinquemilium ducatorum auri, ut premittitur, congrua extimatione Universitati vel civibus nostris Forliviensibus predictis Florentinis creditoribus, ut premittitur, obligatis des, tradas, conferas et assignes hiis melioribns via, modo et forma, quibns discretioni tue videbitur: ita tamen qnod Universitas vel cives nostri prefati pro rata et valore possessionum, quod eis, ut premittitur, assignabis, satisfaciant dictis Florentinis creditoribns usque ad summam predictam Quinquemilinm ducatorum integraliter, faciasque dictis civibus nostris de huiusmodi assignatione pro eorum imposterum securitate auctoritate nostra instrumenta, et contractus necessarios et optimos de bonis huiusmodi, que eorum cuilibet duxeris assignanda pro rata eorum quomodolibet contingente, inducens eos per te vel alium seu alios auctoritate prefata in possessionem corporalem bonorum immobilium prefatorum. Volumus autem, quod omnes et singulos fructus, affictus, pensiones, redditus et proventus de bonis predictis habitos et receptos a Kalendis Februarii proxime futuri citra, et inantea usque ad diem, qua huiusmodi facies assignationem recipi, des prefatis civibus eciam, conferas et assignes, ratum, gratum et firmum habituri, quicquid egeris et executus fueris in premissis et quolibet premissorum. Datum Rome apnd Sanctum Petrum Anno Incarnationis dominice Millesimo quadringentesimo tricesimo tercio, Kal. Iulii, Pontificatus nostri Anno Tercio.

DXXV.

Deodatus abbas monast. s. Stephani de Pino extra muros Spalatenses, apost. sedis nuntius, in provinciis Iadrensi, Spalatensi, Ragusina, Antibarensi, Albania etc. proventuum camerae apost. debitorum collector constituitur.
Reg. An. III. Offic. Lib. 1. Tom. 22. fol. 185.

EUGENIUS EPISCOPUS etc. Dilecto filio Deodato Abbati Monasterii sancti Stephani de Pino extra muros Spalatenses, apostolice sedis Nuncio, ac in provinciis Romanie superioris et inferioris, Archipelagi, Cretensi, Iadrensi, Spalatensi, Ragusina, Antibarensi cum tota Albania, et earum provinciarum Civitatibns et diocesibus iurium et proventnum Camere apostolice debitorum Collectori, salutem etc. Ex fideli, solicita et diligenti prudentia, providentia quoque et probitate circumspecta, ac aliis virtutibus, quibus fulgere dinoscris, presumimus evidenter, quod ea, que tibi commiserimus, solerti et salubri studio fideliter exequeris. Hinc est, quod nos te, de cuius circumspectione plenins in domino confidimus, in provinciis Romanie superioris et inferioris, Archipelagi, Cretensi, Iadrensi, Spalatensi, Ragusina, Antibarensi, Durachiensi cum tota Albania, et earum provinciarum Civitatibus et diocesibus, ac in territoriis et dominiis Dispositi (sic) et Slavonia ac Georgii de Ulco, exemptis et non exemptis,

Nuncium apostolicum, et Collectorem generalem et receptorem fructuum, redditumm, proventuum, et aliorum iurium et censuum nobis, ecclesie Romane et dicte Camere debitorum in predictis provinciis, Civitatibus et diocesibus, territoriis et dominiis usque ad nostrum et apostolice sedis beneplacitum facimus, constituimus et etiam deputamus, omnes alios et singulos huiusmodi collectores, receptores et succollectores in prefatis provinciis, Civitatibus, diocesibus, territoriis et dominiis per nos et alios quoslibet quacunque auctoritate hactenus deputatos, omnesque commissiones super huiusmodi collectorie, receptorie et succollectorie officiis aliis quam tibi sub quavis verborum forma per quoscunque, et quavis auctoritate factas penitus harum serie revocantes, tibi per te vel alium seu alios clericos dumtaxat fide et facultatibus ydoneos nostro, et dictarum ecclesie et Camere nomine a quibuscunque Prelatis, Capitulis, Collegiis et Conventibus ecclesiarum et monasteriorum quorumlibet, aliisque ecclesiasticis secularibus et regularibus, exemptis et non exemptis ordinum quorumcunque, et etiam laicalibus personis omnes et singulas pecuniarum summas et quantitates nobis, et Camere apostolice prefate debitas et debendas, etiam si bona huiusmodi fuerint confiscata, aliaque iura, res et bona et census annuos nobis et Camere predicte in eisdem provinciis, Civitatibus, diocesibus, territoriis, dominiis et locis quacunque ratione vel causa debita vel debenda, ac nobis, ecclesie et Camere predicte imposterum pertinentia, quecunque, quotcunque et qualiacunque fuerint, communibus et minutis serviciis prelatorum eidem Camere debitis dumtaxat exceptis, petendi, exigendi, levandi, recipiendi et recuperandi, ac solventes de receptis dumtaxat quittandi, liberandi et absolvendi; rationes quoque et computa a quibuscunque collectoribus, receptoribus, succollectoribus, inquisitoribus heretice pravitatis, predicatoribus verbi crucis et aliis officialibus pro dicta Camera in provinciis, Civitatibus, diocesibus, territoriis, locis et dominiis prefatis hactenus deputatis et deputandis, seu personis aliis, in quantum utilitatem et negocia dicte Camere concernunt, audiendi et examinandi, ipsasque ad id, si necesse fuerit, auctoritate nostra, appellatione postposita, compellendi, Contradictores quoslibet et rebelles, cuiuscunque status, gradus, ordinis, conditionis vel preeminencie fuerint, etiam si pontificali vel alia quavis prefulgeant dignitate, auctoritate nostra per censuram ecclesiasticam et bonorum ipsorum sequestrationem, ac arrestationem personarum et alia iuris remedia, appellatione remota, compescendi, Necnon excommunicationis et alias censuras et sentencias in non solventes tibi iura et debita ipsarum ecclesie et Camere, ut prefertur, per te vel alium seu alios tuo et dicte Camere nomine inflictas et promulgatas, si eorum contumacia exegerit, quociens opus fuerit, aggravandi, et alias contra eos sentencias promulgandi, necnon in quascunque tibi vel tuis officialibus iniuriantes, seu te vel dictos tuos officiales impedientes, et negocia Camere in aliquo directe vel indirecte, publice vel occulte perturbantes auctoritate nostra prefata procedendi, prout ordo exegerit rationis, et si necesse fuerit, ipsos ad comparendum personaliter coram Camerario vel Vicecamerario nostris, seu gentibus dicte Camere in Romana Curia constitutis infra certum competentem terminum per te illis profigendum citandi, et etiam, si opus fuerit, auxilium brachii secularis, necnon ordinum religiosorum quorumcunque et personarum ecclesiasticarum, exemptarum et non exemptarum invocandi; sentencias quoque excommunicationis, suspensionis et interdicti in inobedientes, contumaces et rebelles tam per predecessores seu predecessores tuos inibi collectores vel eorum substitutos, quam per te et a te deputatos seu deputandos ad causam dictorum iurium latas et inflictas et faciendas, cum ad obedienciam debitam venerint, tollendi et suspendendi, ipsosque ab ipsis sentenciis absolvendi, ac super irregularitate, si quam sic ligati non tamen in contemptum clavium celebrando divina vel immiscendo se illis contraxerint, cum eisdem etiam auctoritate nostra dispensandi, Non obstantibus tam fel. record. Bonifacii pape VIII. predecessoris nostri, ac de una et duabus dietis in Concilio generali, quam aliis Constitucionibus apostolicis contrariis quibuscunque, etiam si de illis et eorum totis tenoribus de verbo ad verbum essent in presentibus mentio specialis habenda, seu si aliquibus et eorum ordinibus communiter vel divisim a sede apostolica sit indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari, aut extra vel ultra certa loca ad iudicium evocari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, auctoritate nostra predicta facultatem et potestatem plenariam concedentes: ita tamen quod in fructibus, redditibus et proventibus, et aliis bonis quibuscunque ad dictam Cameram spectantibus ipsi Camere persolvendis ultra annum dilationem dare nequeas, et in singulis Civitatibus et diocesibus infra tuam collectoriam consistentibus, si sint ample et diffuse, ultra unum, et si parve fuerint, in duabus etiam ultra unum dumtaxat succollectorem non deputes, et omnium et singulorum succollectorum, quos te deputare contigerit, nomina et cognomina, cum illos deputaveris, Camerario vel Vicecamerario nostris

aut gentibus predictis clare et distincte transmittas, et quod singulis biennis de receptis per te in huiusmodi Collectorie officio rationem et computum reddere, necnon quicquid per te in predictis recipere contigerit, per litteras cambii vel alium tutum modum nobis vel Camerario seu gentibus predictis, quociens commode poteris, mittere non postponas. Volumus autem, quod de huiusmodi officio fideliter exercendo, et alias debite fidelitatis iuramentum, antequam officinm huiusmodi exercere incipias, in manibus Camerarii vel Vicecamerarii nostri seu locumtenentis eiusdem prestare tenearis. Tu igitur in premissis sic prudenter, solicite et fideliter te habeas, quod apud nos merito commendari possis, nostramque et dicte sedis benedictionem et graciam consequi uberius merearis. Datum Rome apnd Sanctum Petrum Anno Incarnationis dominice Millesimo quadringentesimo tricesimo tercio, XIV. Kal. Septembris, Pontificatus nostri Anno Tercio.

DXXVI.

Gregorius Sergiziri canonicus in Antibarensi, Ragusina, Spalatensi et Duracensi provinciis fructuum camerae apostolicae debitorum collector constituitur. Reg. An. IV. Secret. Tom. 7. fol. 2.

EUGENIUS EPISCOPUS etc. Dilecto filio Gregorio Sergiziri Canonico ecclesie sancte Sophie de Sancta Sophia Dannensis diocesis in Antibarensi, Ragusina, Spalatensi et Duracensi provinciis, earumque Civitatibus et diocesibus iurium et proventuum Camere apostolice debitorum Collectori, apostolice sedis Nuncio, salutem etc. Ex fideli et solicita ac diligenti prudentia, providentia quoque et probitate circumspecta aliisque virtutibus, quibus fulgere dinoscceris, presumimus evidenter, quod ea, que tibi commiserimus, solerti et salubri studio fideliter exequeris. Hinc est, quod nos etc. ut in superiori usque in finem. Datum Florentie die XIII. (sic) Iulii M.CCCC.XXXIII. (Pontificatus nostri Anno Quarto.)

DXXVII.

Thome episcopo Tragurieusi licentia testamentum concedendi conceditur. Reg. An. IV. Tom. 14. fol. 41.

EUGENIUS EPISCOPUS etc. Venerabili fratri Thome Episcopo Tragurieusi, salutem etc. Cnm nichil sit, quod magis hominibus debeatur, quam ut supreme voluntatis liber sit stilus, et liberum quod iterum non reddit arbitrium. Nos tuis supplicationibus inclinati testandi, ordinandi et disponendi libere de omnibus bonis ad te pertinentibus, cuiuscumque quantitatis seu valoris fuerint, etiam si illa ex proventibus ecclesiasticis seu ecclesia Tragurieusi, cui preesse dinoscceris, aut alias ad te pervenerint, et pervenient in futurum, prius tamen de omnibus dictis bonis ere alieno et hiis, que pro reparandis domibus seu edificiis consistentibus in locis ecclesie tue predicte culpa vel negligentia tua, seu tuorum procuratorum destructis et deterioratis, necnon restaurandis iuribns eiusdem tue ecclesie simili culpa vel negligentia deperditis fuerint oportuna, deductis, non obstantibus quod ordinis Predicatorum professor existit, fraternitati tue tenore presentium plenam et liberam concedimus facultatem. Nulli ergo etc. nostre concessionis infringere. Si quis autem etc. Dat. Florentie Anno Incarnationis dñice M.CCCC.XXXIIII. secundo Nonas Septembris, Pontificatus nostri Anno Quarto.

DXXVIII.

Universis Christi fidelibus, qui Albanensibus ad debellandos Turchos presto sunt, plenaria in mortis articulo remissio peccatorum indulgetur. Reg. An. IV. Tom. 14. fol. 46.

EUGENIUS EPISCOPUS etc. Universis et singulis Christi fidelibus, ad quos presentes nostre littere pervenerint, salutem etc. Rex regum et dominus dominantium, Unigenitus dei filius Ihesus Christus, ut humanum genus de laqueo servitutis eripiens ad celestes sedes ineffabili misericordia revocaret, de celorum summo descendit in terram, et caducam humane fragilitatis carnem clementer indutus doctrina sanctissima signum et exemplum vite mortalis viam, qua graderentur homines ad eandem vere vite patriam, demonstravit: et cum ipse summus omnium rerum opifex impassibilis et immortalis existeret, non renuit inter corruptibiles et mortales probos et improbos conversari, languores homanos perpeti, tormenta corporis sustinere, et tandem in Cruce pendens mortem patienter pro nostri redemptione suscipere, ut mortem nostram moriendo destrueret, et vitam sacratissime vite sue ministerio repararet. Sane cum dilecti filii nobiles viri Principes, Duces, Barones, Comites, populi et particulares persone de natione Albanensi, prout tam fidedignorum plurium relatione, quam referente fama didicimus, christiani nominis propagationis inflammati affectu, ac cupientes collatum sibi a deo potenciam in exaltationem gloriosi nominis sui, exterminiumque ipsius hostium, presertim Teucrorum, evertere ad debellandos

ipsos et alios infideles in detenta per eos territoria et loca, prout alias victoriose fecisse dicuntur, procedere intendant, ipsosque ex intollerabili infidelitatis iugo ad christianam religionem reducere, nostras et catholice ecclesie pro tam felicis consumatione negocii partes humiliter implorarunt. Nos itaque tam salutare propositum prefatorum Principum, Baronum, Comitum, populorum privatarumque personarum dicte nationis summis in domino laudibus extollentes, ac pro eorumdem successu directis in celum oculis ei, cuius negocium geritur, immensas exinde gracias exolventes, ut fideles ipsi ad id eo fervencius animentur, quo uberiorem graciam exinde se noverint percepturos, de omnipotentis dei misericordia et beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, et illa, quam nobis deus licet immeritis ligandi atque solvendi contulit, potestate eisdem fidelibus prefate nationis Albanensis, et quibuscumque aliis similiter fidelibus, cuiuscumque nationis, lingue, status, ordinis vel conditionis existant, qui exercitibus adversus prefatos Teucros directis et ordinatis in propriis personis interfuerunt pariter et expensis, quive in eisdem exercitibus usque ad eorum dissolutionem perseveraverint, necnon illis, qui in proposito ad dictum exercitum accedendi fuerint, et cum iter arripuerint, morte preventi ad dictos exercitus non potuerunt pervenire, quin etiam universis pariter Christi fidelibus utriusque sexus, qui ob impotenciam personalem seu alias iustas et rationabiles causas non poterint, aut noluerint illuc personaliter se transferre, sed loco earum duas ad minus personas ad pugnandum ydoneas destinaverint, que in prefatis exercitibus, ut premictitur, perduraverint, quatenus sacerdos ydoneus secularis vel religiosus, quem ad hoc quilibet prefatorum duxerit eligendum, omnium peccatorum suorum, de quibus corde contriti et ore confessi fuerint, tunc et semel tantum in mortis articulo plenam remissionem eisdem impendere valeat, auctoritate apostolica tenore presentium misericorditer indulgemus. Datum Florencie Anno Incarnacionis dominice M.CCCC.XXXIIII. quinto Idus Septembris, Pontificatus nostri Anno Quarto.

DXXIX.

Universis ecclesiarum prelatis, ut preadictas litteras in suis ecclesiis publice legant et promulgari faciant. Reg. An. IV. Tom. 14. fol. 48.

EUGENIUS EPISCOPUS etc. Universis et singulis Venerabilibus fratribus Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, et dilectis filiis Abbatibus, Prioribus, Archidiaconis, Archipresbiteris, Decanis, Plebanis, Rectoribus, et aliis ecclesiarum et monasteriorum prelatis, ad quos presentes nostre littere pervenerint, salutem etc. Inter varias multipliccsque curas, quibus assidue premimur, illa presertim iugi mentem nostram pulsat instantia, ut christiani nominis et catholice fidei inimicos, abiurato et abiecto pernicioso infidelitatis iugo, in viam veritatis per medium vere religionis et christiane fidei instituta reducamus. Idcirco licet salutaribus monitis et verbi dei predicatione presertim efficere cupiamus, cum tamen remedia illa non satis prodosse cernimus, ad acriora curationis remedia recurrimus, prout insanabiles morbos, ne sinceram reliqui corporis partem secum trahant, ferri asperitate rescindimus: necesse est enim, ut quos salntaria monita in viam veritatis non revocant, severitas saltem coherceat discipline. Dudum siquidem cum tam plurimorum relatione quam ipsa fama referente didicissemus, dilectos filios nobiles viros Principes, Duces, Comites et Barones, necnon populos de natione Albanensi adversus Teucros christiani nominis inimicos victoriose feliciterque pugnassent, et quod nichilominus rursus alios exercitus in alia expeditione contra eosdem Teucros prepararent: nos ut tam laudabilibus et felicibus inceptis spiritualibus saltim presidiis ipsos muniremus, ea proprio animi nostri motu, neque ad alterius cuiuscumque supplicantis instantiam universis et singulis tam de natione Albanensi, quam alterius cuiuscumque, qui in proxima, quam parari audiebamus, contra Teucros expeditione militaturi essent, ut confessor ydoneus, quem ad id duxerint eligendum, plenam omnium peccatorum suorum remissionem tunc, cum ad exercitus huiusmodi accesserint, et semel in mortis articulo eisdem impendere valeat, de apostolica benignitate et auctoritate concessimus, pront in litteris nostris inde confectis latius continetur. Quare fraternitatibus et devotionibus vestris committimus, et mandamus in veritate sancte obedientie auctoritate presentium, quatenus ad requisitionem et instantiam dilecti filii Pauli Dussi presbiteri Rectoris parrochialis ecclesie sancti Laurentii Trensini, presentium exhibitoris, quem ad hoc specialiter deputamus, litteras ipsas huiusmodi indulgentiarum nostrarum publice in ecclesiis vestris coram omnibus plebibus et populis Christi fidelibus predicetis, seu faciatis predicari, copias earumdem recipiendo et ad valvas apponendo, ut omnibus innotescant, ipsos vero principales litteras penes memoratum Paulum presbiterum, quem volumus vos habere in omnibus recommissum, dimittatis. Datum Florentie Anno Incarnationis dñice M.CCCC.XXXIIII. quinto Idus Septembris, Pontificatus nostri Anno Quarto.

DXXX.

Comitibus Signiensibus et aliis pontifex sub poena excommunicationis mandat, ut Ioannem episcopum infra mensem ad ecclesiam Signiensem eiusque bona et iura admittant etc. Reg. An. IV. Tom. 14. fol. 71.

EUGENIUS EPISCOPUS etc. Ad futuram rei memoriam. Regimini universalis ecclesie, disponente domino, presidentes ex iniuncto nobis desuper apostolice servitutis etc. Sane dudum de persona Venerabilis fratris nostri Iohannis Episcopi Signiensis ecclesie Signiensi, tunc pastoris solatio destitute, de Venerabilium fratrum nostrorum sancte Romane ecclesie Cardinalium consilio auctoritate apostolica duximus providendum, eumque illi prefecimus in Episcopum et pastorem, curam, regimen et administrationem eiusdem ecclesie sibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, ac mandando dilectis filiis Clero et populo ac universis vassallis Civitatis et diocesis Signiensis, ut prefato Iohanni Episcopo tanquam eorum patri et pastori in omnibus plene intenderent et efficaciter obedirent, necnon Comitibus Signiensibus, ut ipsum benigne reciperent, ac pro nostra et apostolice sedis reverentia honorificentia debita pertractarent. Cum autem postmodum, sicut accepimus, licet idem Iohannes Episcopus pro assequenda ipsius ecclesie, bonorumque et iurium ipsius possessione pacifica possibilem diligentiam fecerit, ac diversos procuratores et nuncios destinaverit, tamen dilecti filii nobiles viri Iohannes, Nicolaus, Stephanus, Bartholomeus, Donnus, Martinus, Sigismundus, Andreas et Iohannes fratres Comites Signienses, timore dei postposito, impediverunt ac obstiterunt, prout etiam impediunt et obsistunt, quominus prefatus Episcopus predicte sue ecclesie possessionem pacificam consequatur, et eius fructibus gaudeat, non parendo litteris nostris, occupando terras, villas, census, fructus, redditus, proventus, emolumenta, bona et iura ad ipsam ecclesiam et mensam Episcopalem spectantia, ac illa sibi applicando et in usus proprios convertendo, in gravem dei offensam, animarum suarum preiudicium, scandalum populi, prefate sedis contemptum, et ipsius Episcopi damnum plurimum et iacturam. Nos igitur non volentes, prout etiam nec debemus, talia sub dissimulatione transire, ac volentes contra eosdem Comites eo remedio providere, per quod eorum compescatur temeritas, et aliis similia committendi aditus precludatur, adversus ipsos suadente ac previa iustitia duximus procedendum: idcirco prefatos Iohannem, Nicolaum, Stephanum, Bartholomeum, Donnum, Martinum, Sigismundum, Andream et Iohannem et eorum quemlibet, ac omnes alios et singulos tam clericos quam laicos ipsis in hac parte assistentes ac dantes auxilium, consilium vel favorem cuiuscumque status, gradus, ordinis, conditionis vel religionis, etiam si pontificali prefulgeant dignitate, auctoritate apostolica tenore presentium requirimus et monemus primo, secundo, tertio et peremptorie, ac eis in virtute sancte obedientie ac sub interminatione divini iudicii, et maledictionis eterne damus districtius in mandatis, quatenus infra mensem a die, quo presentes littere ad eorum pervenerint noticiam, computandum ipsum Iohannem Episcopum, vel eius procuratores ad pacificam possessionem prefate ecclesie recipere et admittere, sibique eandem tradere et tradi facere, omni impedimento cessante, ac terras, villas, census, fructus, redditus, proventus, emolumenta, bona et iura prefata, que, ut prefertur, occupata detinent, necnon fructus per ipsos hactenus perceptos debeant ipsi Episcopo restituere, reddere, et effectualiter consignare, neque de illis per se vel alium seu alios publice vel occulte modo aliquo amplius se intromittere audeant vel presumant, nec sibi vel eius procuratoribus aliquod impedimentum vel molestiam inferant aut inferri procurent, quominus huiusmodi possessionem et fructus possit pacifice assequi, et etiam possidere ac fructus percipere ecclesie antedicte, Mandantes nichilominus omnibus et singulis bonorum et iurium ipsius ecclesie detentoribus, quatenus de fructibus, redditibus (et) proventibus debitis eiusdem debeant Episcopo vel procuratoribus prefatis integre respondere, in contrarium vero facientes, cuiuscumque status, gradus, dignitatis, ordinis vel conditionis fuerint, et quacumque ecclesiastica, etiam si pontificali vel mundana prefulgeant dignitate, ac in Comites, adherentes et fautores prefatos, nisi a premissis destituerint, excommunicationis ac privationis omnium et singulorum dominiorum, feudorum, bonorum, dignitatum, privilegiorum, officiorum et beneficiorum quorumcumque, quecumque et qualiacumque fuerint, que ab ecclesia et personis ecclesiasticis obtinent, ac inhabilitationis ad illa et quelibet alia imposterum obtinenda, in Signiensem vero aliaque Civitates, terras et castra et dominia ipsorum interdicti, necnon eas, que in quodam privilegio pie mem. Caroli IIII. Romanor. Imperatoris, quod Carolina appellatur, (continentur,) sentencias promulgamus, a quibus quidem nisi a Romano pontifice preterquam in mortis articulo constitus nequeat absolvi. Ut autem huiusmodi nostri processus ad communem omnium noticiam deducentur, cartas seu membranas processus nostros continentes, seu earum transumptum manu publica roboratum Signiensis, et si ad eam tutus non patuerit accessus Civitatem, et aliarum ecclesiarum, de quibus expe-

dierit, portis seu liminaribus appendi vel affigi mandamus, que processus ipsos suo quasi sonoro preconio, et patulo iudicio publicabunt, ut predictos, quos nostri processus constringant, nullam possint excusationem pretendere, seu ignorantiam alligare, quod huiusmodi processus ad eorum non pervenerint auditum, vel ignoraverint eosdem. Si qui vero ausu temerario processus seu transumpta huiusmodi ab hostiis seu liminaribus, quibus affixe fuerint, maliciose deponere vel amovere per se vel alium seu alios directe vel indirecte presumpserint, penis et sententciis supradictis, quas ex nunc in omnes et singulos ipsorum, quacumque ecclesiastica vel mundana dignitate prefulgeant, promulgamus, se noverint subiacere. Ceteros universos et singulos Archiepiscopos, Episcopos, Abbates, Priores, Prepositos, Decanos, Archidiaconos, Cantores, Scolasticos, Thesaurarios, Archipresbiteros, Canonicos, parrochialium ecclesiarum Rectores, et alias personas ecclesiasticas exemptas et non exemptas, tabellliones publicos per Civitatem et diocesim Signiensem, et alibi ubilibet constitutos primo, secundo, tertio et peremptorie monemus, atque in virtute sancte obedientie et sub dicta excommunicationis pena, quam non parentes incurrere volumus, tenore presentium districte mandamus, quatenus infra sex dies, postquam pro parte dicti Episcopi vel eius procuratoris fuerint requisiti, vel eorum aliquis fuerit requisitus, quorum duos pro primo, duos pro secundo et reliquos duos pro tertio et peremptorio termino, et munitione canonica eis universis et singulis assignamus, premissa omnia et singula presentium foribus ecclesiarum affixa tamdiu publicent et nuncient, donec alind a nobis habuerint in mandatis. Nulli ergo etc. nostre requisitionis, monitionis, mandati, promulgationis, assignationis et voluntatis infringere etc. Si quis etc. Datum Florentie Anno Incarnationis dominice M.CCCC.XXXIII. decimo Kalendas Octobris, Pontificatus nostri Anno Quarto.

DXXXI.

Thome episcopo Tragurienssi datur facultas reservandi tria beneficia suas dioecesis et personis idoneis conferendi. Reg. An. IV. Tom. 14. fol. 64.

EUGENIUS EPISCOPUS etc. Venerabili fratri Thome Episcopo Tragurienssi, salutem etc. Personam tuam nobis et apostolice sedi devotam paterna benivolencia prosequentes, illam tibi graciam libenter impendimus, per quam te possis aliis reddere graciosum. Hinc est, quod nos fraternitati tue reservandi auctoritate nostra donationi tue tria beneficia ecclesiastica cum cura vel sine cura cuiuscumque taxe seu annui valoris, etiam si canonicatus et prebende fuerint, ad tuam collationem, provisionem, presentationem seu quamvis aliam dispositionem pertinentia, que per te ipsum vel procuratorem tuum ad hec legitime constitutum infra unius mensis spatium, postquam tibi vel eidem procuratori vacatio illorum innotuerit, duxeris sub hac reservatione eligenda, nominanda et declaranda, pro personis idoneis etiam duo, tria aut plura beneficia obtinentibus, quas ad hoc duxeris eligendas, si qua in dictis Civitate et diocesi Tragurienssi tempore reservationis huiusmodi vacant, vel cum simul aut successive vacaverint, ac inhibendi successoribus tuis Episcopis Tragurienssibus pro tempore existentibus, ac illi vel illis, ad quem vel ad quos huiusmodi beneficiorum collatio, provisio, presentatio seu quevis alia dispositio communiter vel divisim pertinet, ne de huiusmodi beneficiis interim etiam ante electionem vel declarationem predictas, nisi postquam eis constiterit, quod tu vel procurator predictus illa sub ipsa reservatione eligere vel declare nolueritis, disponere quoquomodo presumant, necnon prefatis personis predicta beneficia cum omnibus iuribus et pertinenciis suis eadem auctoritate conferendi, et de illis etiam providendi, ac inducendi per te seu alium vel alios easdem personas, vel suos procuratores pro eis in corporalem possessionem beneficiorum, inriumque et pertinenciarum predictorum, et defendendi indnctas, ac faciendi quamlibet ipsarum personarum, vel earum procuratores ad ipsa beneficia, ut est moris, admitti, sibique de dictorum beneficiorum fructibus, redditibus, proventibus, iuribus et obventionibus universis integre responderi, Contradictores auctoritate nostra, appellatione postposita, compescendo, Non obstantibus quibuscumque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac statutis et consuetudinibus ecclesie, in qua huiusmodi beneficia forsan fuerint, contrariis iuramento, confirmatione apostolica, vel quacumque firmitate alia roboratis, aut si aliqui super provisionibus sibi faciendis de huinsmodi, vel aliis beneficiis ecclesiasticis in illis partibus speciales vel generales apostolice sedis, vel legatorum eius litteras impetrarint, etiam si per cas ad inhibitonem, reservationem et decretum, vel alias qnomodolibet sit processum, quibus omnibus etiam auctoritate nostra huiusmodi beneficia sibi quacumque data expectantibus dictas personas in assecutione beneficiorum huiusmodi volumus anteferri, sed nullum per hoc eis quoad assecutionem beneficiorum aliorum preiudicium generari, Seu si Episcopo Tragurienssi pro

tempore existenti, vel quibusvis aliis communiter vel divisim a dicta sede indultum existat, quod ad receptionem vel provisionem alicuius minime teneantur, et ad id compelli, aut quod interdici, suspendi, vos excommunicari non possint, quodque de huiusmodi vel aliis beneficiis ecclesiasticis ad eorum collationem, provisionem, presentationem, seu quamvis aliam dispositionem coniunctim, vel separatim spectantibus nulli valeat provideri per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, et qualibet alia dicte sedis indulgentia generali vel speciali, cuiuscumque tenoris existat, per quam presentibus non expressam vel totaliter non insertam effectus eorum impediri valeat quomodolibet vel differri, et de qua cuiusque toto tenore habenda sit in nostris litteris mentio specialis, Aut si predicte persone presentes non fuerint ad prestandum de observandis statutis et consuetudinibus ecclesie, in qua huiusmodi beneficia fuerint, ut prefertur, solita iuramenta, dummodo in absentia sua per procuratorem ydoneum, et cum ad ecclesiam ipsam accesserint, corporaliter illa prestent, motu proprio, non ad tuam vel alterius pro te nobis super hoc oblate petitionis instantiam, sed de nostra mera voluntate plenam et liberam tenore presentium concedimus facultatem, et insuper ex nunc irritum decernimus et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari. Volumus autem, quod de nominibus beneficiorum huiusmodi, et personarum, quibus per te beneficia ipsa conferri contigerit, et de die collationum huiusmodi gentes Camere nostre, seu Collectores fructuum et proventuum eidem Camere debitorum in illis partibus deputatos certificare procures. Datum Florentie Anno Incarnationis dominice M.CCCC.XXXIIII. undecimo Kalendas Octobris, Pontificatus nostri Anno Quarto.

DXXXII.

Ioanni episcopo Signiensi facultas duos religiosos apud se retinendi conceditur. Reg. An. IV. Tom. 14. fol. 81.

EUGENIUS EPISCOPUS etc. Venerabili fratri Iohanni Episcopo Signiensi, salutem etc. Personam tuam nobis et apostolice sedi devotam tuis exigentibus meritis paterna benivolentia prosequentes, illa tibi libenter concedimus, que tuis commoditatibus fore conspicimus oportuna. Hinc est, quod nos tuis in hac parte supplicationibus inclinati, fraternitati tue duos religiosos, quorumcumque ordinum fuerint, ad hoc voluntarios recipiendi, retinendi, tuis et ecclesie tue obsequiis mancipandi, et quociens tibi visum fuerit, eos ad suos ordines remittendi et alios recipiendi, Superiorum suorum petita licentia licet non obtenta, Constitutionibus apostolicis ac statutis, consuetudinibus ipsorum ordinum iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis alia firmitate roboratis, et aliis contrariis nequaquam obstantibus, auctoritate apostolica tenore presentium plenam et liberam concedimus facultatem. Nulli ergo etc. nostre concessionis et voluntatis etc. Si quis etc. Datum Florentie Anno Incarnationis dominice M.CCCC.XXXIIII. XIV. Kalendas Novembris, Pontificatus nostri Anno Quarto.

DXXXIII.

Iudicibus mandatur, ut Nicolaum Zanchani presbyterum Castellanae dioecesis intrusum ex ecclesia Signiensi expellant, et clerum et populum Signiensem ad Ioannem episcopum recipiendum compellant. Reg. An. IV. Tom. 14. fol. 87.

EUGENIUS EPISCOPUS etc. Venerabilibus fratribus Parentino et Arabiensi (Arbensi) Episcopis, ac dilecto filio Abbati Monasterii sancti Grisogoni Iadrensis, salutem etc. Regimini universalis ecclesie, disponente domino, presidentes, ad ea ex iniuncto nobis desuper apostolice servitutis officio libenter intendimus, et paterna diligentia vigilamus, per que persone ecclesiastice, quas tanquam benemeritas et condignas ad Cathedralium ecclesiarum regimina de fratrum nostrorum consilio duximus providendas, ut in suis inribus preserventur illese, easque molestantes, impedientes et perturbantes, quominus ecclesiarum suarum possessionem iuxta nostras provisiones et prefectiones adipisci valeant, animadversione compescantur. Dudum siquidem de persona Venerabilis fratris nostri Iohannis Epi Segniensis, ecclesie Segniensi, tunc vacanti et dispositioni apostolice reservate, de dictorum fratrum consilio auctoritate apostolica gratiose motu proprio providimus, eumque illi prefecimus in Episcopum et pastorem, curam, regimen et administrationem dicte Signiensis ecclesie sibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, et mandando dilectis filiis Capitulo, Clero, populo ac Vassallis ecclesie Civitatis ot diocesis Segniensis, ut prefato Episcopo tamquam eorum patri et pastori in omnibus plene intenderent et efficaciter obedirent, ipsumque ad se benigne reciperent, ac pro nostra et apostolice sedis reverentia honorificentia debita pertractarent, pront in diversis nostris desuper confectis litteris plenius continetur.

Postmodum vero fidedigno testimonio percepimus, quod licet ipse vigore provisionis nostre pro ipsius ecclesie possessione assequenda possibilem curam et diligentiam adhibuisset et prestitisset, tamen quidam Nicolaus Zanchani, Castellanensis diocesis presbiter, absque ullo iuris colore propria temeritate post provisionem et prefectionem huiusmodi se temere in ipsa ecclesia intrusit, ipsius regimen, curam et administrationem occupando, ac eius beneficia licet de facto conferendo, fructus quoque, redditus et et proventus eiusdem ecclesie capiendo et in proprios usus convertendo, ac impediendo, quominus ipse Iohannes possessionem ipsius ecclesie Segniensis pacificam assequcretur, in anime sue salutis dispendium, apostolice sedis contemptum, et dicti Iohannis Episcopi preiudicium non modicum et gravamen. Nos igitur, quantum in nobis est, adversus Nicolaum ac adherentes et sequaces suos illo volentes eidem Iohanni Episcopo remedio providere, per quod ipsorum compescatur temeritas, et aliis tollatur audacia similia committendi, discretioni vestre per apostolica committimus et mandamus sub pena indignationis nostre, quatenus vos vel duo aut unus vestrum per vos, seu alium vel alios Nicolaum prefatum et alios omnes et singulos tam clericos quam laicos, cuiuscumque status, gradus, ordinis, conditionis, vel preeminentie fuerint, aut quavis alia etiam pontificali dignitate preemineant, suos in hac parte adherentes, fautores et sequaces, aut in premissis culpabiles, aut dantes ei auxilium, consilium vel favorem sub excommunicationis, suspensionis, nec non privationis omnium suorum beneficiorum ecclesiasticorum secularium et regularium, ac dignitatum, honorum et dominiorum quorumlibet, qnecnmqne et qualiscumqne fuerint, et inhabilitationis ad illa et quccumque alia imposterum obtinenda, ac interdicti in prefatam et quasvis alias ecclesias civitatis et diocesis earumdem, aliisque sententiis et penis formidabilibus, de quibus vobis videbitur, quas contravenientes incurrere volumus ipso facto, strictius monestis et requiratis, quatenus infra certum peremptorium terminum ad hoc eis prefigendum idem Nicolaus ab intrusionc, occupationc, detentione et perceptione ccclesie fructuum et bonorum huiusmodi dicte ecclesie Segniensis, adherentes vcro, complices et sequaces et alii supradicti ab huinsmodi adhesione et fautoris, ac omnibus aliis impedimentis et molestationibus per eum prefato Iohanni Episcopo, quominus ipse pacificam possessionem regiminis et administrationis bonorum dicte Segniensis ecclesie assequi, et illis uti et gaudere valeat, illatis penitus desistant, ac fructus, redditus, proventus et bona alia ipsius ecclesie per eum usque in presentem diem ablata et percepta omnino prefato Iohanni Episcopo restituant, ipsumque regimen et administrationem ecclesie, bonorum, fructuum, reddituum et proventuum predictorum capere et apprendere libere permittant et pacifice gaudere, alioquin infra alium competentem terminum coram vobis seu alio vestrum compareant ad videndum se penas et sententias predictas incurrisse declarari, ac ecclesiasticis dignitatibus, beneficiis et dominiis huiusmodi privari, illosque privatos et amotos ab eisdem, ac ad illa et quevis alia imposterum habenda, exercenda et obtinenda inhabiles et indignos pronunciari. Quod si forsan Nicolaus et alii supradicti, aut alii quicumque vigore presentium monendi seu requirendi post factam eis monitionem et requisitionem huiusmodi, seu noticiam presentium, et infra terminos supradictos monitionibus et requisitionibus, ac nostris in hac parte mandatis efficaciter parere contempserint, ac sententias et penas huiusmodi animo, quod absit, indurato sustinuerint, non curantes redire ad ecclesie unitatem, aut alias id eorum malicia vel pertinacia exegerit, legitimis super his habitis et servatis processibus eos, quoticns expedierit, auctoritate nostra aggravare et reaggravare curetis, invocato ad hoc etiam, si opus fuerit, auxilio brachii seculari, usque ad incarcerationem, si opus fuerit, prefati Nicolai Zanchani, nec non et omnes et singulos contemptores huiusmodi, et quoslibet alios in premissis quomodolibet culpabiles atque rebelles, et qui eos vel aliquem ipsorum post monitionem, requisitionem et mandata huiusmodi scienter et in illorum contemptum receptaverint, aut alias eis in premissis auxilium, consilium dederint vel favorem, easdem sententias et penas incurrisse declaretis, ac ubi, quando et quotiens expedierit, incidisse nuncietis, ac nunciari et ab aliis arctius evitari faciatis, donec a premissis destiterint, ac monitionibus et requisitionibns et mandatis huiusmodi cum effectu paruerint, nec non a sententiis et penis huinsmodi mernerint absolutionis beneficium obtinere, quam tamen absolutionem preterquam in mortis articulo nobis volumus reservari; ac insuper quecumque loca, ad que contemptores, culpabiles, rebelles, receptatores et fautores predicti, et alii prefato Nicolao in premissis consilium vel auxilium quomodolibet dantes, aut aliquis eorum declinaverit pro tempore seu declinaverint, ecclesiastico snpponatis interdicto, illudque nec non cessationem a divinis, quamdiu ibi moram traxerint, ac etiam per aliquod tempus, de quo vobis vel alicui vestrum videditur, postquam a locis ipsis recesserint, auctoritate predicta strictius obscrvari faciatis; et insuper si Nicolaus, contemptores, culpabiles, rebelles et alii supradicti sententias et penas huismodi per annum

animo, quod absit, sustinnerint indurato, et in illis sorduerint, ex tunc lapso dicto anno eos tamquam de fide Catholica suspectos super articulis fidei huiusmodi etiam vobis, seu uni vel duobus vestrum personaliter reponsuros eadem auctoritate citetis, et nisi de suspitione huiusmodi legime se purgaverint, ac habitis et habendis processibus huiusmodi obedierint, et ad gremium ecclesie redierint cum effectu, eos hereticos auctoritate apostolica prefata declaretis, et ut tales faciatis a Christi fidelibus arctius evitari, Contradictores quoslibet et rebelles per censuram ecclesiasticam et oportuna inris remedia, appellatione postposita, compescendo. Nos enim vobis monitiones, requisitiones et mandata huiusmodi, ac citationes quaslibet per edictum publicum in Romana curia, et in vicinis partibus et aliis locis affigendum publicis, de quibus sit verisimilis coniectura, quod ad monitorum, requisitorum et citatorum huiusmodi noticiam pervenire valeant, faciendi plenam et liboram tenore presentium concedimus facultatem, volentes et auctoritate apostolica decernentes, quod monitiones, requisitiones, mandata et citationes huiusmodi perinde monitos, requisitos et citatos ipsos arctent, ac si eis facta et insinuata presentialiter et personaliter extitissent, Non obstantibus fel. record. Bonifacii pape VIII. predecessoris nostri et aliis constitutionibns apostolicis contrariis quibnscumque. Volumus autem, quod vos aut illi ex vobis, qui in huiusmodi causa contra eos processerint, totum processum per vos formatum, monitionemque et citationem huiusmodi in se continens vestri, vel alterius vestrum sigillo munitum ad nos per proprium nuncium transmittatis, ut postmodum, si necessitas postulaverit, in premissis exposcente iustitia ad nlteriora, deo auctore, procedere valeamus. Datum Florentie Anno Incarnationis dñice M.CCCC.XXXIIII. III. Kalendas Novembris, Pontificatus nostri Anno Quarto.

DXXXIV.

Thomae episcopo Tragurienai, rectori civitatum Forliviensis, Imolensis etc., quitantia de receptis, solutis et administratis per eum nomine sedis apostolicae conceditur. Reg. An. IV. Tom. 14. fol. 89.

EUGENIUS EPISCOPUS etc. Venerabili fratri Thome Episcopo Tragurienai, salntem etc. Cum tu Civitatum et terrarum Romane ecclesie, videlicet Forliviensis, Imolensis, Cerviensis et Foripompiliensis, ipsarumque territoriorum et districtuum regimini et gubernationi de commissione et mandato nostris hactenus deputatus, vigore commissionis et mandati predictorum de fructibus, redditibns et proventibus tam in pecunia, qnam in sale et aliis rebus et bonis consistentibus, et ad nos et Cameram apostolicam pertinentibus nonnulla receperis, exegeris, solveris et administaveris, ac de illis secundum voluntatem nostram, et prout ex tue debito commissionis tenebaris, disposueris, et nobis bonam et sufficientem rationem et comptationem reddideris, et propterea nos, te alias in Civitate predicta Forliviensi moram trahente, de omnibus et singulis per te usque in diem ultimam mensis Aprilis anni proxime preteriti receptis, gestis et administratis plenam quitantiam, absolutionem et liberationem (tibi concesserimus, et) dilectus filius Franciscus tit. s. Clementis presbiter Cardinalis, Camerarius noster, per suas certi tenoris litteras tibi de mandato nostro vive vocis oraculo illi facto duxerit concedendum, que in rebellione prefate Civitatis Forliviensis a nostra et dicte ecclesie obedientia cum aliis pluribus rebus et bonis tuis et nostris penitus sunt amisse, et registrum Camere ipsius, in quo predicta quitantia insinuata fuerat, in rebellione Urbis etiam sit amissum: Nos volentes tuis et heredum seu in bonis tuis quorumlibet successorum, et bonorum tuorum indempnitatibus providere, omnia et singula per te seu de mandato tuo in regimine et gubernatione prefatis gesta, facta et administrata, necnon computa et rationes proinde nobis vel aliis de mandato nostro reddita tam de gestis, habitis et administratis ante tempus prime quitantie, ut premittitur, iam amisse, quam post, necnon de sale Cerviensi et omnibus et singulis aliis cuiuscumque generis negociis nostro et dicte Camere nomine gestis per te, vel alios de mandato tuo administratis usque in diem predictam rata et grata habentes, fraternitatem tuam heredesque seu in bonis tuis successores tuos, et bona tua quelibet, Non obstantibus constitutionibus apostolicis, illa presertim, qua caveri dicitur quascumque absolutiones, liberationes, et quitantiam de quibuscumque receptis et administratis fructibus, inribus et proventibus atque bonis dictarum ecclesie et Camere quibusvis personis, cuiuscumque dignitatis vel status existerent, etiam per sedem apostolicam ex certa scientia factas vel faciendas non valere, nec habere roboris fermitatem, nisi absolutionibus, liberationibns et quitantiis huiusmodi pecuniarum et aliarum rerum receptarum et administratarum summe, quantitates et qualitates specificate existerent et particulariter declarate, et aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis in contrarium factis et faciendis, et aliis contrariis quibuscumque, etiam si do illis et totis earum eorumque tenoribus in presentibus esset mentio facienda generaliter et specialiter, auctoritate apostolica tenore presentium

absolvimus, quitamus et etiam liberamus. Datum Florentie anno Incarnationis dominice Millesimo quadringentesimo tricesimo quarto, II. Nonas Novembris, Pontificatus nostri Anno Quarto.

DXXXV.

Salvusconductus pro Thoma episcopo Tragurienai negotia Romane ecclesiae agente. Reg. An. V. Tom. 14. fol. 163.

EUGENIUS EPISCOPUS etc. Universis et singulis etc. salutem etc. Cum destinemus ad diversas mundi partes Venerabilem fratrem nostrum Thomam Episcopum Traguriensem, exhibitorem presentium, pro nonnullis nostris et Romane ecclesie negociis peragendis: Nos volentes eundem Episcopum (cum) eius comitiva, familiaribus equestribus et pedestribus usque ad numerum viginti, salmis, valisiis etc. in eundo, stando et redeundo plena ubique securitate, immunitate et favorabili tractatione gaudere, Universitatem vestram et vestrum singulos requirimur et hortamur in domino, subditis vero nostris et gentium armorum Capitaneis ad nostra et Romane ecclesie stipendia militantibus districte percipiendo mandantes, quatenus prefatum Episcopum cum comitiva equitum et peditum, salmis etc. per nostra et vestra territoria, passus, portus etc. ut in inferiori. Datum Florentie Anno etc. Millesimo quadringentesimo tricesimo quinto (quarto), XI. Kalendas Aprilis, Pontificatus nostri Anno Quinto.

DXXXVI.

Salvusconductus pro Gregorio archiepo Moldovalachiae orthodoxo recens facto, qui ad nonnullas mundi partes pro augmento catholicae fidei et Romanae ecclesiae se transferre proponit. Reg. An. VI. Tom. 15. fol. 59.

EUGENIUS EPISCOPUS etc. Universis etc. salutem etc. Novissime Venerabilis frater noster Gregorius Archiepiscopus Moldoblachie, Spiritus sancti lumine illustratus, veritatem Catholice fidei cognoscens ad nostram et ecclesie Romane unitatem et obedientiam redactus est. Cum autem ad nonnullas mundi partes pro augmento Catholice fidei et Romane ecclesie se transferre proponat, nos optantes eundem Archiepiscopum cum eius comitiva equitum et peditum et familiaribus in personis, equis et bonis omnibus in eundo, stando et redeundo plena ubique securitate gaudere, Universitatem vestram requirimus et hortamur in domino, subditis vero nostris et gentium armorum Capitaneis ubicunque militantibus districte precipiendo mandamus, quatenus prefatum Archiepum cum eius comitiva equitum et peditum, salmis, valisiis, robus et bonis omnibus per nostra et vestra territoria, passus, portus, pontes et loca quelibet tam per aquam tam per terram transire, stare, ire et redire pro nostra et apostolice sedis reverentia adsque solutione gabelle vel alicuius alterius impositionis exactione libere permittatis, nec eidem vel comitive, sociis ot familiaribus predictis molestiam sive gravamen aliquod inferatis, nec ab aliis, quantum in vobis fuerit, permittatis inferri, sed eum benigne recipientes et pertractantes, sibi pro se et comitiva huiusmodi de securo transitu et receptu sic liberaliter providere curetis, ut exinde vestra devotio apud nos et sedem predictam digne commendari valeat. Datum Florencie Anno Incarnationis dominice Millesimo quadringentesimo tricesimo quinto, v. Idus Marcii, Pontificatus nostri Anno Sexto.

DXXXVII.

Ioannes de Contugiis de Vulterris in Iadrensi, Spalatensi, Ragusina et Antibarensi provinciis collector fructuum camerae apostolicae debitorum constituitur. Reg. An. VII. Offic. Lib. 2. fol. 43.

EUGENIUS EPISCOPUS etc. Dilecto filio Iohanni Antonii de Contugiis de Vulterris Notario Camere et sedis apostolice Nuncio, ac in Iadrensi, Spalatensi, Ragusina et Antibarensi provinciis earumque Civitatibus et diocesibus fructuum, redditiuum et proventuum et aliorum Iurium Camere apostolice debitorum Collectori, salutem etc. Ex fideli, solicita et diligenti providentia, probitate quoque circumspecta aliisque virtutibus plurimis, quibus te illarum largitor altissimus insignivit, presumimus evidenter, quod ea, que tibi committenda duxerimus, solerti diligentia et salubri studio gubernabis et fideliter exequeris. Hinc est, quod nos te, de cuius fidelitate, probitate et circumspectione confidimus, in Iadrensi, Spalatensi, Ragusina et Antibarensi provinciis earumque Civitatibus et diocesibus generalem fructuum, redditiuum, proventuum, censuum et aliorum iurium et bonorum nobis, ecclesie Romane et Camere apostolice debitorum et debendorum nostrum et apostolice sedis Nuncium, Collectorem et receptorem usque ad nostrum et eiusdem sedis beneplacitum tenore facimus, constituimus etc. ut supra in aliis similibus. Volumus autem, quod antequam huiusmodi Collectorie officium incipias exercere in manibus dilecti filii Francisci tituli sancti Clementis presbiteri Cardinalis, Camerarii nostri, de officio huiusmodi fideliter

exercendo et alias fidelitatis debite prestes in forma solita iuramentum, ipsique Succollectores per te deputandi seu confirmandi ad idem in manibus tuis, antequam illud exercuerint, similiter prestare teneantur. Tu igitur predictum officium iuxta datam tibi a domino prudentiam sic studeas bene, fideliter, diligenter et laudabiliter exercere, quod sperati exinde fructus subsequantur, tuque apud nos et sedem predictam possis merito commendari. Datum Bononie Anno Incarnacionis dominice Millesimo quadringentesimo tricesimo septimo, III. Nonas Octobris, Pontificatus nostri Anno Septimo.

DXXXVIII.

Fratribus ord. Minorum in vicariatu Bosnensi conceditur, ut, XVI. ecclesiis et domibus eorum ordinis ab inimicis christiani nominis in Bosnia destructis, septem loca in Hungaria recipere etc. possint.
Reg. An. VII. Secret. Tom. 7. fol. 320.

EUGENIUS EPISCOPUS etc. Dilectis filiis fratribus Vicarie Bosne ordinis fratrum Minorum professoribus, salutem etc. Sacre religionis, sub qua mundanis despectis illecebris cum abiectione spontanee voluntatis in humilitatis spiritu virtutum domino famulamini, promeretur honestas, ut votis vestris, presertim illis, que divini cultus augmentum et religionis propagationem respiciunt, favorabiliter annuamus. Hinc est, quod nos dilecti filii Iacobi ordinis Minorum professoris Vicarii Bosne, asserentis circa XVI. ecclesias et domus fratrum dicti ordinis spatio duorum annorum ab inhumanissimis Turcis Christi nominis inimicis destructas et combustas fuisse, supplicationibus inclinati vobis, ut in regno Hungarie septem loca, si vobis pia largitione fidelium concedantur, vel alias iustis modis illa poteritis adipisci, recipere et retinere, et in quolibet ipsorum locorum ecclesiam seu oratorium cum campanili, campana, cimiterio, domibus et aliis necessariis officiuis pro usu et habitatione vestra et fratrum dicti ordinis, servata debita distantia, construere et edificare, necnon quoscunque fratres dicti ordinis etiam de Vicaria Bosne existentes ad id voluntarios de Superiorum suorum licentia transferre et recipere, ac inibi una cum eisdem fratribus sub regularibus constitutis dicti ordinis altissimo famulari, nec non missas et alia divina officia celebrare ac verbum dei predicare libere et licite valeatis, ordinarii loci super hoc consensu minime requisito, iuribus tamen parrochialium ecclesiarum et quorumlibet aliorum in omnibus semper salvis, licentiam et plenariam auctoritate apostolica tenore presentium concedimus facultatem: et nichilominus vobis et universis fratribus in eisdem domibus et locis pro tempore moraturis, ut omnibus et singulis privilegiis, indultis et graciis quibuscunque generaliter et specialiter, quorumcunque tenorum existant, fratribus eiusdem ordinis per sedem apostolicam concessis, et imposterum concedendis uti et gaudere valeatis et valeant, auctoritate apostolica harum serie indulgemus, felicis recordationis Bonifacii pape VIII. predecessoris nostri prohibente, ne fratres ordinum mendicantium in Civitate, castro vel villa aut loco quocunque ad habitandum domos vel loca de novo recipere, seu hactenus recepta mutare presumant absque diote sedis licentia speciali, faciente plenam et expressam de prohibitione huiusmodi mentionem, et aliis constitutionibus apostolicis necnon statutis et consuetudinibus dicti ordinis iuramento, confirmatione apostolica vel quavis alia firmitate vallatis, ceterisque contrariis non obstantibus quibuscunque. Nulli ergo etc. Si quis autem etc. Datum ..... VII. Idus Decembris (Pontificatus nostri Anno Septimo).

DXXXIX.

Iacobo de Marchia vicario ord. Minorum in Bosnia conceditur, ut ipse et sui successores in casibus episcopalibus confessiones audire possint. Reg. An. VII. Secret. Tom. 7. fol. 261.

EUGENIUS EPISCOPUS etc. Dilecto filio fratri Iacobo de Marchia ordinis fratrum Minorum professori, salutem etc. Inter curas et cogitationes nostras, quibus ex debito pastoralis officii continuo agitamur, illa precipue cor nostrum solicitat, ut animarum saluti paterno studio et diligentia consulamus. Cum itaque Vicariatus Bosne, cuius cura tam a sede apostolica, quam a dilecto filio generali Ministro ordinis Minorum tibi commissa est, valde a curia Romana remotus sit, et persone in partibus illis et aliis circumvicinis locis non sine magnis facultatibus et periculis pro obtinendo debite absolutionis beneficio, et pro delictis et criminibus commissis ad ordinarios accedere possint: Nos volentes devotioni tue ea concedere, per que animarum saluti providere valeas, tibi ac in Vicariatu huiusmodi successoribus tuis per vos, et cum necessitas postulaverit per socium vestrum ydoneum, quem ad id duxeritis tu et successores predicti deputandum, confessiones personarum in partibus illis existentium audiendi, et confessionibus ipsis auditis pro commissis debitam absolutionem totiens, quotiens oportunum fuerit,

impendendi, iniunctis personis eisdem pro modo culpe penitentia salutari ac aliis, que de iure fuerint iniungenda, plenam tenore presentium concedimus facultatem. Datum ..... VII. Idus Decembris, Pontificatus nostri Anno Septimo.

DXL.

Fratribus quaestoriis ord. Minorum in vicariata Bosnae facultas in certis similibus casibus confessiones audiendi concedituv. Reg. An. VII. Tom. 7. fol. 261.

EUGENIUS EPISCOPUS etc. Dilectis filiis fratribus Vicarie Bosne ordinem Minorum profitentibus, salutem etc. Piis supplicum votis libenter annuimus, illaque prosequimur favoribus oportunis. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte vestra petitio continebat, quod fratres Vicarie Bosne dicti ordinis, dum pro elemosinis ad sustentandam eorum vitam accodunt, aliquando personas utriusque sexus reperinnt aut infirmitate aut aliis passionibus ita debiles ot oppressas, ut pro commissis delictis ad ordinariorum suorum presentiam pro obtinendo dobite absolutionis beneficio ire non possunt, nec a Rectoribus parrochialium ecclesiarum in certis criminibus et delictis per eas commissis debitam absolntionem assequi valeant: propterea ne nonnulle persone illarum partium docodant, debite absolntionis beneficio minime obtento, in animarum suarum periculum et gravamen, pro parte vestra nobis fuit humiliter supplicatum, ut super his de oportuno remedio salubriter providere dignaremur. Nos itaque, qui ex debito pastoralis officii nobis iniuncti animarum saluti paterno studio consulere teneamur, huiusmodi supplicationibus inclinati fratribus dicte Vicarie in sacerdotio dumtaxat constitutis, qui ad hoc per Vicarium fuerint pro tempore deputati, huiusmodi debilium personarum ad presentiam ordinariorum suorum accedere non valentium in ecclesiis et sacris locis, et cum tempus requireret, et suadente gravi earum infirmitate, etiam in huiusmodi personarum domibus confessiones audiendi, et confessionibus ipsis anditis pro commissis debitam absolutionem, quotiens oportunum fuerit, impendendi, iniunctis personis eisdem pro modo culpe penitentia salutari et aliis, que de iure fuerint iniungenda, plenam vobis auctoritate apostolica tenore presentium concedimus facultatem. Datum (Bononie Anno Incarnationis dominice M.CCCC.XXXVII.) VII. Idus Decembris, Pontificatus nostri Anno Septimo.

DXLI.

Ioanni ejo Signensi legato, ut exscutionem cuidam Stephano de praepositura Albensi providendi suspendat, et capitulum Albense ex quadam lite pendente in pristinum statum restituat. Reg. An. IX. Tom 7. fol. 353.

EUGENIUS EPISCOPUS etc. Venerabili fratri Iohanni Episcopo Signensi Legato nostro, salutem etc. Cum nuper dilecto filio Stephano, Carissimi in Christo filii nostri Alberti Romanorum, Hungarie et Boemie Regis Illustris Notario, ad ipsius supplicationem providerimus de prepositura Albensis ecclesie, tibique per litteras apostolicas executionem litterarum ipsius provisionis commiserimus, prout in ipsis litteris plenius continetur, et dudum non sine displicontia noverimus, inter dilectum filinm Benedictum clectum Iauriensem, tunc prepositum, et Capitulum illius Albensis ecclesie magnam et nimis diu inveteratam viguisse controversiam, super qua tamen nonnulle fel. rec. Martini V. predecessoris nostri primo, ut accepimus, et nostre postmodum emanarnt littere: Nos, ne insignis in regno Hungarie ecclesia ipsa Albensis maioribus diuturnioribusque ex ea controversia subiaceat detrimentis, prout tenemur, providere volentes, eidem fraternitati tue, ut non prius ad commissam tibi executionem procedas, quam iuxta ordinationes predictas predecessoris nostri et nostras, quarum litterarum copias tibi duximus transmittendas, et aliter prout tue prudentie opns esso videbitur, differentia illa penitus sopiatur, et ecclesia ipsa Albensis plenam pacem et quietem, predictorum Stephani prepositi et Capituli expresso accedente consensu, plenarie consequatur, tenore presentium committimus ot mandamus: pro qua re facilius exequenda fraternitati tue omnes et singulas causas et lites coram quibuscunque etiam in Romana Curia existentes, quas exnunc ad nos tenore presentium advocamus, pro bono, pace et quiete dicte ecclesie omnino exstinguendi cum omnibus indo secutis, ac ipsum Capitulum ecclesie predicte in eum statum reducendi ac restituendi, in quo ante concessionem Baldassaris, Iohannis XXIII. in sua obedientia nuncupati, super iurisdictione in dictum Capitulum prefato preposito facta fuisse dignoscitur, et alia faciendi, que in premissis et circa predicta quomodolibet necessaria et oportuna tibi videbuntur, Contradictores et rebelles districtione ecclesiastica compescendo, invocato si opus fuerit ad hoc auxilio brachii secularis, in omnibus et singulis supradictis facultatem plenariam auctoritate apostolica concedentes. Datum .... VI. Kalendas Iunii, Pontificatus nostri Anno Nono.

DXLII.

Bartholomeo archiepiscopo Spalatensi oratori ad regem Francie et ducem Britannie (in causa concilii Basilecnsis) misso pontifex potestatem et facultates legati a latere concedit. Reg. An. IX. Tom. 16. fol. 104.

EUGENIUS EPISCOPUS etc. Venerabili fratri Bartholomeo Archiepiscopo Spalatensi, salutem etc. Cum te ad Carissimum in Christo filium nostrum Carolum Regem Francorum Illustrem, et ad dilectum filium Nobilem virum Iohannem Ducem Britanie oratorem nostrum pro nonnullis nostris et Romane ecclesie arduis negociis destinemus: Nos de persona tua, quam maturitate consilii, sciencie claritate, rerum agendarum experiencia, integritate vite ac plurium preterea virtutum donis illarum largitor altissimus insignivit, sumentes in domino fiduciam specialem, ac sperantes, quod ea, que tue prudencie committenda duxerimus, ad laudem divini nominis ac ad nostrum et sedis apostolice statum et honorem iuxta datam tibi a deo sapienciam laudabiliter exequeris, volentes quoque, ut eo facilius tibi commissa exequi valeas, quo maiori per nos fucris auctoritate communitus, fraternitati tue in Regno Francie et Ducatu Britanie omnimodam facultatem et potestatem Legati de latere auctoritate apostolica concedimus per presentes, volentes et tibi concedentes, ut omnibus et singulis potestate et facultatibus Legatis de latere per sedem apostolicam concessis plenarie et libere uti possis, perinde ac si Legatus de latere per nos missus esset: tibi nichilominus omnes et singulas personas infra Regnum et Ducatum huiusmodi consistentes nobis et ecclesie Romane, aut sedi apostolice inobedientes quomodolibet et rebelles, aut qui contra unitatem ecclesie vel nostrum et ipsius sedis statum, auctoritatem et dignitatem aliquid attemptarent, agerent seu procurarent quovis quesito colore per se vel alium seu alios publice vel occulte, cuiuscumque status, gradus, ordinis vel conditionis fuerint, etiam si pontificali vel alia quavis prefulgeant dignitate, citandi, monendi et requirendi, ac contra eos processus quoslibet formandi et publicandi, excommunicationis quoque, suspensionis et interdicti ac alias sentencias, censuras et penas in ipsas personas, necnon Civitates, Castra, Terras, Collegia et singulares quaslibet personas, prout tibi videbitur expedire, pro eorum demeritis fulminandi et proferendi, illasque ab omnibus arctius evitari mandandi, easque tollendi, suspendendi, personasque ipsas, cum ad sanam mentem redierint, ab excommunicationis et aliis huiusmodi sentenciis absolvendi et in statum pristinum reducendi, Illas vero, que in sua pertinacia et rebellione permanserint, suis demeritis et contumacia exigentibus omnibus et singulis Canonicatibus, prebendis, officiis, personatibus, dignitatibus etiam maioribus post pontificales ac principalibus, necnon monasteriis, prioratibus ordinum quorumcumque, ac etiam metropolitanis et cathedralibus ecclesiis auctoritate nostra privandi et privatos esse decernendi et declarandi, necnon monasteria, prioratus, dignitates, personatus, officia, canonicatus et prebendas et alia beneficia ecclesiastica, que per privationes huiusmodi vacaverint, personis ydoneis quecumque, quotcumque et qualiacumque beneficia obtinentibus auctoritate prefata conferendi, et de illis etiam providendi, invocato, si opus fuerit, ad premissa exequenda auxilio brachii secularis, ac omnia alia et singula agendi, faciendi et exercendi, que ad reprimendum Basilienscm temeritatem et malignantium consilia, ac ad unionem sancte dei ecclesie et dignitatem et auctoritatem huiusmodi conservandam utilia seu oportuna cognoveris, plenam et liberam concedimus prefata auctoritate tenore presentium facultatem, ratum et gratum habituri, quicquid per te actum fuerit in premissis. Datum Florencie anno Incarnationis dominice M.CCCC.XXXIX. pridie Idus Octobris, Pontificatus nostri Anno Nono.

DXLIII.

Eidem archiepiscopo Spalatensi in Angliam misso eaedem facultates conceduntur. Reg. An. IX. Tom. 16. fol. 117.

EUGENIUS EPISCOPUS etc. Venerabili fratri Bartholomeo Archiepo Spalatensi, Referendario nostro, salutem etc. Cum nuper tue fraternitati, quem ad Carissimum in Christo filium nostrum Carolum Regem Francorum Illustrem oratorem nostrum destinavimus, diversas facultates tam super variis dispensationibus, quam aliis graciis per te fiendis duxerimus concedendas, prout in nostris desuper confectis litteris plenius continetur: Nos personam tuam, quam etiam ad Carissimum in Christo filium nostrum Henricum Regem Anglie Illustrem pro nonnullis arduis nostris et universalis ecclesie negociis destinamus, volentes, ut ea per nos tibi commissa facilius exequi valeas, quo maiori per nos fueris auctoritate munitus, peramplius honorare, facultates ipsas ad Regnum Anglie harum serie extendentes tibi, ut postquam Regnum Anglie fueris ingressus, omnibus et singulis huiusmodi facultatibus per nos tibi concessis, exceptis beneficialibus dumtaxat, et eo numero et forma, qui in ipsis litteris describuntur, et secundum ipsarum continenciam, prout tibi visum fuerit expedire, libere uti et illas exercere possis et valeas,

perinde ac si in Regno Anglie primitus tibi tradite fuissent, auctoritate apostolica concedimus per presentes, volentes, ut dispensationes et concessiones et alia quelibet, que vigore prefatarum facultatum usque ad numerum in illis contentum per te fieri contigerit, plenariam obtineant roboris firmitatem. Datum Florencie anno Incarnationis dominice M.CCCC.XXXIX. XVIII. Kalendas Ianuarii, Pontificatus nostri Anno Nono.

DXLIV.

Iacobus archiepiscopus Ragusinus in provinciis Aprutii, Capitanatae, terrae Bari etc. regni Siciliae commissarius sedis apostolicae constituitur. Reg. An. X. Offic. Tom. 23. fol. 127.

EUGENIUS EPISCOPUS etc. Venerabili fratri Iacobo Archiepiscopo Ragusino, in provinciis nostris Aprucii superioris et inferioris, Capitenate et Terre Bari, Comitatus Molisii ac Vallis Borbontane Regni nostri Sicilie citra Pharum Commissario nostro, salutem etc. Quantum nobis ex alto permittitur, provinciarum omnium pleno iure nobis et ecclesie Romane, cui auctore domino presidemus, immediate subiectarum curam vigilem gerimus et solertem: sed ad statum provinciarum nostrarum utriusque inferioris et superioris Aprucii, Capitenate et Terre Bari, Comitatus Molisii ac Vallis Borbontane Regni nostri Sicilie citra Pharum, procurante domino, prospere dirigendum eo nos vehementius instantia quotidiane solicitudinis perurget, quo illas affectione prosequimur ampliori. Cum itaque ad nostram noticiam sit deductum, provincias supradictas tam multis vastatas, lacceratas et afflictas esse populationibus et rapinis, ut nisi celeriter succurratur, ad extremam irreparabilemque perveniant calamitatem: cupientes, ut tenemur, salubriter providere, attendentesque, quod tu prudens quidem et in agendis diligens, quem alias in arduis nostris et Romane ecclesie negociis comprobavimus, ea, que tibi ad quietem et pacem predictorum provinciarum et locorum commisimus, diligenter et fideliter exequeris, matura super hoc deliberatione prehabita, Te in prefatis provinciis Aprucii superioris atque inferioris, necnon Capitenate et Terre Bari, Comitatus quoque Molisii et Vallis Borbontane Commissarium usque ad nostrum beneplacitum facimus, constituimus atque etiam deputamus, fraternitati tue provincias, Civitates, dioceses, comitatus, territoria et districtus, terras, castra et loca predicta, necnon cives, provinciales, habitatores et incolas eorumdem nostro et prefate ecclesie nomine reformandi, regendi, gubernandi et administrandi, ac in eis iurisdictionem plenam et omnimodam cum mero et mixto imperio exercendi, civiles et criminales causas per semplicem etiam querelam, vel per appellationem coram te introductas etiam diebus feriatis, cum tibi videbitur, per te vel alium seu alios audiendi, examinandi, discutiendi, et earum cognitionem, decisionem, discussionem alii vel aliis communiter vel divisim, generaliter vel specialiter tam infra terminos tue commissionis et officii, quam extra illos, prout et sicut tibi instum videbitur, committendi et declarandi, et ad te, cum placuerit, advocandi, decreta insuper quelibet interponendi et super statutis disponendi, necnon omagia et iuramenta fidelitatis recipicndi, culpabiles tam civiliter quam criminaliter per te vel per alium seu alios puniendi, et querelas contra ipsos propositas summarie, simpliciter et de plano ac sine strepitu et figura iudicii audiendi, emendas et satisfactiones debitas fieri faciendi, ac inter Comites et Barones, dominos temporales ac nobiles et personas alias seculares, necnon Communitates ac Universitates et populos, et omnes alios et singulos discordes seu dissidentes Civitatum ac provincie, ipsarumque diocesum, terrarum, castrorum, locorum, comitatuum, territoriorum ac districtuum predictorum pacem et concordiam reformandi, et inter eos treugas, inducias sive sufferentias indicendi, ipsosque ad earum observationem quibuscunque penis, districtionibus et similibus compellendi, concordes in caritatis et unitatis vinculo confirmandi, et cum quibuscumque dominis, Universitatibus et singularibus personis pro statu, honore et pace ac tranquillitate huiusmodi, necnon confusione rebellium et hostium prefate ecclesie pro illis temporibus, ac sub pactis, modis, conditionibus et capitulis atque penis, de quibus eidem fraternitati videbitur expedire, colligationes, confederationes, pactiones, conventiones, societates, ligas tractandi, firmandi et concludendi, et quecumque federa contra predictam ecclesiam, vel contra bonum pacis et statum illarum partium seu in preiudicium seu damnum provincie, Civitatum, diocesum, terrarum, castrorum, locorum, comitatuum et territoriorum predictorum ac districtuum, seu Universitatum et singularium personarum eorumdem initas, vel etiam iniendas cassandi ac etiam annullandi, penasque et iuramenta super illis adiectas et adiecta ac adiicienda relaxandi, occupata iniuste ab occupatoribus et detentoribus quibusvis capiendi et recuperandi, eiectos et expulsos a locis et rebus, bonis et iuribus suis quibuscumque et inique privatos ad loca, bona et iura eorum propria reducendi, restituendi et reintegrandi, ac super quibuscunque delictis, forefactis et rebellionibus per quascumque

Universitates vel singulares personas, cuiuscunque status, gradus, habitus seu conditionis fuerint, commissis vel imposterum commissariatus tui committendis componendi generaliter et particulariter, etiam super criminibus heresis ac lese maiestatis et aliis quibuslibet absolvendi, illosque restituendi, reintegrandi, infamiam ac notam quaslibet abstergendi et abolendi, ac delinquentes huiusmodi ad ecclesie Romane gratiam et obedientiam reducendi, et super inhabilitatibus et infamiis, quas propterea incurrerint, dispensandi, excessus, penas et mulctas remittendi, ac Universitates et personas huiusmodi ad statum pristinum et integrum restituendi et reducendi, generales et particulares exercitus in auxilium dicte ecclesie et pro tuicione status, provincie, Civitatum, diocesum, terrarum, castrorum, locorum, comitatuum, territoriorum et districtuum prefatorum et subditorum omnium contra quoscunque hostes et rebelles eiusdem ecclesie, ac etiam indevotos et inobedientes et status pacifici predicti turbatores quoscumque, et causis aliis quibuscumque et quandocumque videbitur indicendi, faciendi et congregandi, hostes et rebelles ac contradictores quoslibet per amotionis, privationis, relegationis, proscriptionis perpetue vel temporalis sententias, sublato appellationis obstaculo, compescendi, ac faciendi et ordinandi ac statuendi, et reali executioni mandandi, ac omnia et singula, que ad huiusmodi commissariatus officium pertinent, et que necessaria vel utilia fuerint quoquomodo in premissis et ea tangentibus et quolibet eorumdem, et que ad honorem et commodum eiusdem ecclesie ac nostrum et utilitatem, prosperum et tranquillum statum provincie, Civitatum, diocesum, terrarum, castrorum et locorum, comitatuum, territoriorum et districtuum predictorum, ac civium, provincialium, incolarum et habitatorum eorumdem cedere videbuntur, et tibi visum fuerit expedire, etiam si illa vel aliquid predictorum mandatum exegerint speciale, Non obstantibus quibuscumque privilegiis, exemptionibus, indulgentiis et litteris apostolicis vel imperialibus, regalibus et municipalibus sub quacunque verborum forma vel expressione concessis, et contrariis Civitatum, provincie, terrarum, castrorum, locorum, diocesum, comitatuum, territoriorum, districtuum predictorum statutis, consuetudinibus et observantiis, per que nullum cuicumque persone, cuiuscumque preeminentie, dignitatis, excellentie, conditionis aut status fuerit, ac Collegio, Universitati et singularibus personis huiusmodi in hac parte volumus afferri suffragium, concedentes plenam et liberam facultatem. Nos enim processus, sententias et penas, quos et quas per te proferri et infligi contigerit, rata habebimus et faciemus, auctore domino, usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Ut igitur premissa omnia et singula melius, plenius et utilius valeas, inspirante altissimo, exercere, dilectis filiis universis et singulis Ducibus, Comitibus, Baronibus locorum, dominis provinciarum, civitatum, terrarum, castrorum, locorum, diocesum, comitatuum, territoriorum et districtuum predictorum, eorumdemque Vicariis, Rectoribus, Vicerectoribus, Potestatibus, Capitaneis, Erariis, Officialibus, Castellanis, Marescallis, stipendiariis tam equitibus quam pedestribus ad nostra et prefate ecclesie stipendia vel servicia in illis partibus militantibus presentibus et futuris, ceterisque nostris et dicte ecclesie subditis, cuiuscumque status et dignitatis ecclesiastice vel mundane ordinis vel conditionis existant, damus tenore presentium districtius in mandatis, ut tibi vel deputandis a te dicto durante beneplacito pareant efficaciter et intendant. Volumus autem, quod antequam huiusmodi commissariatus officium incipias exercere in manibus nostris, seu Venerabilis fratris Angeli Episcopi Traguriensis, Locumtenentis in officio Camerariatus dilecti filii Cardinalis Aquilegensis Camerarii nostri, apostolice sedis legati, prestes debitum in forma solita iuramentum. Datum Florencie Anno Incarnationis dñice M.CCCC.XL. octavo Idus Novembris, Pont. nostri Anno Decimo.

DXLV.

Angelus episcopus Traguriensis camerae apostolicae thesaurarius constituitur. Reg. An. XI. Offic. Tom. 22. fol. 167.

EUGENIUS EPISCOPUS etc. Venerabili fratri Angelo Episcopo Traguriensi, nostro sedisque et Camere apostolice Thesaurario, salutem etc. Probata in nostris et sedis ac Camere predictarum negociis tue fidei ac devotionis integritas promeretur, ut tibi nostra et dicte Camere negocia committentes maioris honoris titulo decoremus. Hinc est, quod nos de persone tue fide et industria in bene gerendis rebus ac familiari experientia nobis notis specialem in domino spem gerentes, sperantesque, quod ea, que tibi committenda duxerimus et que tibi officii tui vigore agenda incumbent, exacta diligentia exequeris, te nostrum et sedis et Camere apostolice predictarum Thesaurarium cum honoribus, oneribus, iuribus et emolumentis universis ceteris Thesaurariis huiusmodi dari et assignari consuetis facimus, constituimus et etiam deputamus, omnia et singula per alios, qui pro tempore fuerint, Thesaurarios (sic), et que ad officium ipsum Thesaurariatus huiusmodi pertinere noscuntur de consuetudine vel de iure, agendi, exequendi

et concludendi plenam et liberam auctoritate apostolica tenore presentium fraternitati tue facultatem et potestatem concedentes. Volumus autem, ut de dicto officio fideliter exercendo in manibus dilecti filii nostri Ludovici tituli sancti Laurencii in Damaso presbiteri Cardinalis, patriarche Aquilegensis, Camerarii nostri, seu deputandi ab eo prestes debitum in forma solita iuramentum. Datum Florencie anno Incarnationis dominice M.CCCC.XLI. Nonis Septembris, Pontificatus nostri Anno Undecimo.

DXLVI.

Epo Dulcinensi et abbati monast. s. Sergii Scutar. dioec., ut de abusibus iuris per quendam fratrem ord. Praedicatorum in Albania patratis inquirantur et referant. Reg. An. XII. Lib. 8. fol. 268.

EUGENIUS EPISCOPUS etc. Venerabili fratri... Episcopo Dulcinensi, ac dilecto filio Laurencio Abbati Monasterii sancti Sergi Scutarensis diocesis, salutem etc. Nonnullorum relatione nec sine animi nostri grandi displicentia percepimus, quendam Nicolaum fratrem ordinis Predicatorum in partibus Albanie, ubi ad presens commoratur, sub pretextu mandatorum nostrorum et apostolice sedis multos excessus ac plura enormia atque a iure exorbitantia, concessiones videlicet, dispensationes et indulta exorbitantia valde facere ac procurare in suo ot quamplurium simplicium animarum salutis eterne periculum, honoris etiam nostri et dicte sedis detrimentum pariter et iacturam. Quocirca excessibus huiusmodi obviare cupientes, prout ad nos ex debito pastoralis officii pertinet, discretioni vestre per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus vos sou alter vestrum de alterius consilio, si alius fuerit prepeditus, de predictis omnibus et singulis informari curetis, ac de hiis, que in predictis et circa predicta reppereritis, nos per vestras litteras advisare curetis. Quod si ipsum Nicolaum ex aliquibus verisimilibus signis et argumentis veluti de predictis culpabilem de fuga suspectum habueritis, ipsum, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis, sub bona custodia, quousque nos certiores feceritis, detineri faciatis. Datum Florencie Anno Incarnationis dominice Millesimo quadringentesimo quadragesimo secundo, III. Nonas Ianuarii, Pontificatus nostri Anno Duodecimo.

DXLVII.

Francisco s. Clementis cardinalis in Grecia eique adiacentibus partibus et ultramarinis sedis apostolicae legatus a latere constituitur. Reg. An. XIII. Offic. Tom. 23. fol. 188.

EUGENIUS EPISCOPUS etc. Dilecto filio nostro Francisco tituli sancti Clementis presbitero Cardinali, sancte Romane ecclesie Vicecancellario, in natione Grecie et partibus sibi adiacentibus et finitimis, ac in omnibus illis ultramarinis provinciis et partibus apostolice sedis Legato, salutem etc. Inter alia et sancta desideria, que deus sua clemencia inspiravit in corde nostro, quam primum, divina favente misericordia, ad apicem summi apostolatus assumpti fuimus, hoc precipuum semper fuit, ut videremus Greciam et alios orientales populos, tot iam seculis a doctrina Romane ecclesie dissidentes, sub eadem divine legis veritate nobis coniunctos esse. Quod cum ineffabili omnipotentis dei benignitate nostris etiam temporibus effectum sit, aliud sanctum desiderium eadem inspiratione vehementer nos solicitat, ut Greciam ipsam et orientales populos, sub acerbissima infidelium oppressione ac tirannide existentes, a tanta immanitate et feda crudelitate liberatos videamus: que oppressio sine maximo christianorum dedecore et gravissima fidelium iactura diucius permanere non potest. Ad quod sanctum opus eo ardentius inflammamur, quo deus omnipotens expressa continuo sue benignitatis et clementie signa erga christianum populum ostendit: nam superiori anno in Hungarie, Polonie et Walachie partibus parvus fidelium exercitus maximam infidelium multitudinem non sine ingenti eorum strage iteratis preliis superavit. Hanc felicem occasionem nobis et catholicis Principibus ac populo christiano divinitus oblatum non desorentes, per dilectum filium nostrum Iulianum tituli sancte Sabine presbiterum Cardinalem, Legatum de latere, hoc presenti anno magnum fidelium exercitum parari facimus ad exterminandos Turcos et alios infidcles, et gregem dominicum ab eorum feritate liberandum, conamur etiam pro viribus, ut maritima classis fiat, ut terrestri maritimaque catholicorum potentia hoc sanctum opus iuxta desiderium cordis nostri ad prosperum et felicem effectum perduci valeat. Hac itaque considcratione ac aliis iustis et necessariis causis inducti te, sermone et eloquentia ac operibus potentem, et precipua prudencia ac eorum experientia ot aliis magnis clarisque virtutibus eminentem ad hoc sanctum negotium perficiendum, de Venerabilium fratrum nostrorum sancte Romane ecclesie Cardinalium consilio, Legatum do latere tanquam pacis angelum auctoritate apostolica deputamus, ordinamus atque constituimus. Et licet presentia tua sine nostra incommoditate carere non possumus, tamen huic communi et publice

christianorum utilitati consulentes, de tua eximia probitate et precipuo fidei ac devotionis ardore sumentes in domino fiduciam specialem, Circumspectioni tue tenore presentium committimus et mandamus, quatenus te conferas ad ea loca, que ad huiusmodi sanctam expeditionem perficiendam magis oportuna esse cognoveris, et cum quibuscumque dominiis, principibus, dñis, magnatibus, communitatibus et universitatibus ac ecclesiasticis personis cuiuscumque gradus et dignitatis existentibus, etiam si Patriarchali, Archiepiscopali vel alia quavis ecclesiastica vel mundana prefulgeant dignitate, ac privatis etiam personis, (si) expediens esse putaveris, agas et operas, quod huiusmodi sancto negotio profuturum esse putaveris et quicquid prudentie tue visum fucrit, quam sine alia nostra directione instructissimam esse iudicamus. Et insuper in illis partibus per te vel alios ab eadem tua circumspectione deputandos, quecumque iniqua et que contra sacros canones existunt, evellas, moderes et destruas, ac iusta et laudabilia edificando constituas, edifices et plantes, ac deformata reformes, indirecta dirigas et corrigenda corrigas atque statuas in nomine domini, prout celestis gratie infusio tuaque prudentia tibi subministrabit, firma tenentes spe, quod actus tuos dirigente qui novit prava et indirecta in vias planas convertere, per industriam tue circumspectionis ad ipsius dei honorem et gloriam ac fidei catholice augmentum, ac nostrum et sedis apostolice decus et honorem et hoc sanctissimum negotium prosperum et felicem exitum consequentur. Et nichilominus, ut tam salutaris boni votis nostris satisfacias, omni solicitudine et studio procures Reges et Principes ac quoscumquo alios illarum partium dissidentes, et discordiis ac bellis laborantes ad pacem et concordiam reducere, auctoritate nostra monendo, qui monendi videbuntur, et per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compellendo, qui tibi compellendi videbuntur, et cum opus fuerit, brachium etiam seculare invocando. Et insuper circumspectioni tuo quecumque a ratione devia reformandi, et (que) ad cultum dei ac nostri et apostolice sedis, et unionis in Florentino concilio edite observationem et augmentum, ac reformationem morum, honestatis cultum, ecclesiarum relevationem et pauperum, animarum et corporum salutem et prosperi ac felicis status partium predictarum quomodolibet pertinebunt, per te vel dictos deputandos corrigendi, statuendi, precipiendi, ordinandi, reformandi, concludendi, necnon certa alia agendi, faciendi, concludendi et exequendi, que ad plenum et omnimodum legationis de latere officium de consuetudine vel iure pertinere dinoscuntur, necnon prefatos Reges et Principes et etiam personas ecclesiasticas huiusmodi et alios quoscumque requirendi, monendi, compellendi, eisque precipiendi ac mandandi, et prout tibi et dictis deputandis expedions videbitur inhibendi, eosque ab obligationibus, federibus, colligationibus et promissionibus, votis et iuramentis quibuscumquo liberandi et absolvendi, ipsaque iuramenta relaxandi, prefatosque Reges et Principes ac ecclesiasticas personas ad subsidia huic sancto negotio exhibenda tuis hortationibus et aliis oportunis modis, prout prudentie tue videbitur, inducendi, quibuscnmque privilegiis, indulgentiis, exemptionibus in litteris apostolicis generalibus vel personalibus sub quacumque verborum forma vel expressione concessis, et que nullum cuicumque, cuiuscumque status, gradus, conditionis vel ordinis, Cisterciensis, Cluniacensis, Premonstratensis, Grandimontensis, Cartusiensis, Vallisumbrose, Camaldulensis, Humiliatorum, sanctorum Benedicti et Augustini, bospitalium sancti Iohannis Ierosolimitani, sancte Marie Theutonicorum, sancti Iacobi de Spata et Caltrava seu quorumcumque aliorum ordinum existat, in hac parte volumus afferri suffragium, ncquaquam obstantibus, plenam et liberam eadem auctoritate tenore presentium concedimus facultatem. Nos enim sententias sive penas, quas rite tuleris seu inflixeris in rebelles, necnon omnia et singula, que per te sive tuos deputatos super premissis et ceteris aliis rebus ad huiusmodi tuam legationem spectantibus acta, facta ac firmata fuerint, rata et grata habebimus, ac faciemus, auctore domino, usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Datum Senis Anno etc. M.CCCC.XLIII. octavo Idus Maii, Pontificatus nostri Anno Tertiodecimo.

DXLVIII.

Baptiste de Gentilibus civis Caffensis propter sua merita in reducendis Armenis in civitate Caffensi ad unionem catholicam et sui filii a pontifice comites palatini creantur. Reg. An. XIII. Offic. Tom. 23. fol. 204.

EUGENIUS EPISCOPUS etc. Dilecto filio nobili viro Baptiste de Gentilibus civi Caffensi, sal. etc. Devotio tua, quam ad vos et Romanam ecclesiam habere dinosceris, et operationes tue, quas in reductione Armenorum ad fidei catholice unionem proximis temporibus in Civitate Caffensi, prout intelleximus, adhibuisti, promerentur, ut te ac per te natos tuos specialibus gratiis et favoribus prosequamur. Volentes itaque te prosequi gratia speciali, ut eo ardentiori devotione ac fidelitate erga nos et ipsam ecclesiam animeris, quo te maioris honoris prerogativa elatum esse cognoveris, te et natos tuos

masculos dumtaxat ex tuo corpore legitime natos, ac nascituros Comites palatinos auctoritate apostolica tenore presentium facimus et creamus, et sic deinceps perpetuo te et predictos natos ab omnibus censeri pariter et nominari volumus, ac gaudere posse et debere omnibus et singulis emolumentis, commodis, honoribus et immunitatibus, privilegiis et exemptionibus, que Lateranensibus palatinis Comitibus a sede apostolica concedi consueverunt. Volumus autem, quod tu sive tuus procurator ad hoc specialiter constitutus tam tuo, quam tuorum natorum nominibus in manibus dilecti filii Camerarii nostri debite fidelitatis prestare debeas in forma debita iuramentum. Nulli ergo etc. creationis et voluntatis infringere etc. Si quis autem etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno etc. M.CCCC.XLIII. X. Kalendas Februarii, Pontificatus nostri Anno Tertiodecimo.

DXLIX.

Iulianus cardinalis s. Angeli in Grecia eique finitimis partibus et ultramarinis sedis apostolicae legatus a latere constituitur. Reg. An. XIII. Offic. Tom. 23. fol. 206.

EUGENIUS EPISCOPUS etc. Dilecto filio Iuliano tituli sancte Sabine presbitero Cardinali s. Angeli nuncupato, in Natione Grecie et partibus sibi adiacentibus et finitimis, ac in omnibus illis ultramarinis provinciis et partibus apostolice sedis Legato, salutem etc. Inter pia et sancta desideria, que deus sua clementia inspiravit in corde nostro, quam primum divina favente misericordia ad apicem summi apostolatus assumpti fuimus, hoc precipuum semper fuit, ut videremus Greciam et alios orientales populos, tot iam seculis a doctrina Romane ecclesie dissidentes, sub eadem divine legis veritate nobis coniunctos esse. Quod cum ineffabili omnipotentis dei benignitate nostris temporibus effectum sit, aliud sanctum desiderium eadem inspiratione vehementer non solicitat, ut Greciam ipsam et alios orientales populos, sub acerbissima infidelium oppressione ac tirannide degentes, a tanta immanitate et efferata crudelitate liberatos videamus: que appressio sine maximo christianorum dedecore et gravissima fidelium iactura diutius permanere non potest. Ad quod sanctum opus eo ardentius inflammamur, quo deus omnipotens expressa continuo sue benignitatis et clementie signa erga christianum populum ostendit: nam superioribus annis in Hungario, Polonie et Valachie partibus, te in partibus illis sedis apostolice Legato nostra et ipsius sedis auctoritate, parvus fidelium exercitus maximam infidelium multitudinem non sine ingenti eorum strage iteratis preliis superavit: et ut variis nunciis ac litteris, presertim tue circumspectionis litteris cognovimus, christianorum exercitus, cui prees, tot felices successus ac victorias continuo adversus Turcos et alios infideles consequitur, ut multe Grecie et Europe partes ab immani Turcorum tirannide cum maxima infidelium strage liberate sunt, et ad eum locum fidelium victorie, deo propitio, et virtute et tollerantia exercitus pervenerunt, ut sperandum sit, divina suffragante clementia Greciam ac Europam brevi temporis spatio libertatem pristinam recuperaturam, hanc tam felicem occasionem nobis et catholicis Principibus et populo christiano divinitus oblatam non deserentes, ut Greci et alii orientales populi fructum unionis, quam nobis et eum Romana ecclesia ediderunt, assequantur, et a feritate et oppressione Turcorum penitus liberentur. Hac considcratione et aliis piis et necessariis causis inducti te, cuius precipua in maximis rebus gerendis prudentia et in peragrandis provinciis celeritas, ac in tollendis discordiis vigilantia et in periculis adeundis consilii magnitudo, ac in difficultatibus tollerantia et ardens erga communem christianorum utilitatem fides et devotio ac caritas comprobata extant, etiam in natione Grecie et partibus sibi adiacentibus et finitimis, ac in omnibus illis ultramarinis provinciis et partibus, de Venerabilium fratrum nostrorum sancte Romane ecclesie Cardinalium consilio, apostolice sedis legatum cum plena et omnimoda legati de latere potestate auctoritate apostolica tenore presentium facimus, constituimus, ordinamus et etiam deputamus. Circumspectioni igitur tue tenore presentium committimus et mandamus, quatenus te conferas ad ea loca, et ea operari studeas, que ad huiusmodi sanctam expeditionem perficiendam magis oportuna esse cognoveris etc. ut supra in penultima usque inviolabiliter observari. Per presentes autem litteras dilectum filium nostrum Franciscum tituli sancti Clementis presbiterum Cardinalem, sancte Romane ecclesie Viccancellarium, quem per alias nostras litteras maritime classi contra Turcos traicicnde preficimus, et in natione et partibus predictis etiam de fratrum nostrorum consilio legatum cum omnimoda potestate deputavimus, non intendimus revocare, nec sibi in aliquo derogari volumus per presentes, sed quam primum Cardinalis legatus Vicecancellarius predictus, deo duce, ad partes predictas migraverit, volumus, ut ambo vos huiusmodi legationis officium ad dei honorem et gloriam et fidei catholice incrementum, et nostrum et sedis apostolice statum et honorem certatim administrare et exercere studeatis. Et cum te in Hungarie, Polonie,

Boemie, Dalmatie et Croatie et partibus ipsis Regnis subiectis ac dependentibus ab eisdem, necnon ad provinciam Salzeburgensem per alias nostras litteras legatum de latere eorundem fratrum nostrorum consilio deputaverimus atque constituerimus, Circumspectionique tue, ut negotium tibi commissum facilius exequi valeres, certas alias litteras varias facultates continentes auctoritate apostolica concesserimus: volumus et ex predictorum Cardinalium consilio decrevimus per presentes, ut in legatione per huiusmodi litteras tibi concessis omnibus et singulis facultatibus in alio legationis officio tibi concessis in omnibus, et per omnia ea potestate, que tibi in dictis litteris (est) concessa, ex tunc libere et licite uti possis et valeas, ac si littere facultates predictas continentes de novo Circumspectioni tue in presenti legatione concesse fuissent, intendentes et decernentes etiam per presentes, ut harum ambarum legationum officium simul aut successive, prout temporum conditiones postulaverint, ad laudem et gloriam divini nominis et fidei catholice augmentum exerceas atque administres. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno etc. M.CCCC.XLIII. pridie Idus Februarii, Pontificatus nostri Anno Tertiodecimo.

DL.

Cardinali s. Angeli legato, ut Ioannem de Tarlocz militem Ragusinae dioec. in domo Rhodi hospitalis s. Ioannis Hierosol. in fratrem recipi faciat. Reg. An. XIII. Lib. 17. fol. 59.

EUGENIUS EPISCOPUS etc. Dilecto filio Iuliano tituli sancte Sabine presbitero Cardinali, apostolice sedis Legato, salutem etc. Cupientibus vitam ducere regularem apostolicum debet adesse presidium, ut eorum pium propositum possint ad laudem divini nominis adimplere. Cum itaque dilectus filius nobilis vir Iohannes de Tarlocz miles Ragusiensis diocesis cupiat, sicut accepimus, in conventu domus Rodi hospitalis sancti Iohannis Ierosolimitani unacum Magistro et fratribus illius sub regulari habitu virtutum domino famulari: Nos volentes ipsum in huiusmodi suo laudabili proposito confovere, circumspectioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus eundem Iohannem, si sit ydoneus et aliud canonicum non obstat, auctoritate nostra recipi facias in prefata domo in fratrem, sibique iuxta ipsius domus consuetudinem regularem habitum exhiberi, ac de communibus ipsius domus proventibus sicut uni ex aliis prefate domus fratribus integre provideri, ipsumque inibi sincera in domino caritate tractari, Non obstantibus quibuscumque stabilimentis, statutis et consuetudinibus hospitalis, domus et conventus predictorum iuramento et confirmatione apostolica, vel quacumque firmitate alia roboratis, ant si pro aliis ibidem scripta forsan apostolica sint directa, seu si eisdem Magistro et Conventui vel quibusvis aliis communiter vel divisim a dicta sit sede indultum, quod ad receptionem vel provisionem alicuius minime teneantur, et ad id compelli, aut quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, et qualibet alia dicte sedis indulgentia generali vel speciali cuiuscumque tenoris existat, per quam presentibus non expressam vel totaliter non inserctam effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri, et de qua cuiusque toto tenore habenda sit in nostris litteris mentio specialis, Contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno etc. M.CCCC.XLIII. decimo Kalendas Marcii, Pont. nostri Anno Tertiodecimo.

DLI.

Eidem cardinali, ut supradicto Ioanni de Tarlocz dicti hospitalis prioratum de Laverana Scardonensis dioecesis conferat. Reg. An. XIII. Tom. 17. fol. 59.

EUGENIUS EPISCOPUS etc. Dilecto filio Iuliano tituli sancte Sabine presbitero Cardinali, apostolice sedis Legato, salutem etc. Nobilitas generis, vite ac morum honestas aliaque laudabilia probitatis et virtutum merita, super quibus apud nos dilectus filius Iohannes de Tarlocz miles Ragusiensis diocesis fidedigno commendatur testimonio, nos inducunt, ut sibi reddamur ad gratiam libersales. Hodie siquidem per nos accepto, quod idem Iohannes cupiebat in conventu Rodi hospitalis sancti Iohannis Ierosolimitani una cum Magistro et fratribus illius sub regulari habitu virtutum domino famulari: Nos tibi per alias nostras litteras dedimus in mandatis, ut eundem Iohannem, si esset ydoneus et aliud canonicum non obstaret, in conventu huiusmodi auctoritate nostra reciperes et recipi faceres in fratrem, sibique regularem habitum iuxta ipsius hospitalis stabilimenta ac consuetudinem exhiberi, et de communibus ipsius conventus proventibus sicut uni ex aliis ipsius hospitalis fratribus integre provideri, et nichilominus regularem professionem per fratres ipsius hospitalis emitti solitam ab eodem Iohanne, si eam sponte et libere emittere vellet, auctoritate reciperes supradicta, prout in ipsis litteris plenius contine-

tur. Cum itaque, sicut accepimus, Prioratus de Laverana dicti hospitalis Scardonensis diocesis, quem quondam Albertus illius Prior, dum viveret, obtinebat, per eiusdem Alberti obitum, qui extra Romanam curiam diem clausit extremum, vacet ad presens ot tanto tempore vacaverit, quod eius collatio est ad sedem apostolicam legitime devoluta: Nos volentes eidem Iohanni premissorum meritorum suorum intuitu gratiam facero specialem, circumspectioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus si est ita, prioratum predictum cuiuscumquo annui valoris existat, etiam si dignitas conventualis fuerit, eique cura immineat animarum, et ad eum consueverit quis per electionem assumi, cum omnibus iuribus et pertinentiis suis prefato Iohanni, postquam in fratrem receptus ac professus fuerit, auctoritate nostra conferas et assignes, Inducens per te vel alium seu alios eundem Iohannem, vel procuratorem suum eius nomine in corporalem possessionem prioratus, iurium et pertinentiarum predictorum, et defendens inductum, amoto exinde quolibet illicito detentore, ac faciens ipsum Iohannem vel dictum procuratorem pro eo ad huiusmodi prioratum, ut est moris, admitti, sibique de ipsius prioratus fructibus, redditibus, proventibus, iuribus et obventionibus integre responderi, Contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo, Non obstantibus quibuscumque stabilimentis, statutis et consuetudinibus hospitalis ot domus Rodi predictorum contrariis iuramento, confirmatione apostolica vel quacumque firmitate alia roboratis, aut si aliqui supor provisionibus sibi faciendis de huiusmodi prioratibus speciales, vel aliis beneficiis ecclesiasticis in illis partibus generales dicte sedis, vel legatorum eius litteras impetrarint, etiam si per eas ad inhibitionem, reservationem et decrotum vel alias qnomodolibet sit processum, quibus omnibus prefatum Iohannem in assecutione dicti prioratus volumus anteferri, sed nullum per hoc eis quoad assecutionem prioratuum aut beneficiorum aliorum preiudicium generari, Seu si dilectis filiis Magistro et fratribus dicti hospitalis, vel quibusvis aliis communiter vel divisim a dicta sit sede indultum, quod ad receptionem vel provisionem alicuius minime teneantur, et ad id compelli, aut quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint, quodque de huiusmodi prioratibus vel aliis beneficiis ecclesiasticis ad eorum collationem, provisionem, presentationem, electionem seu quamvis aliam dispositionem coniunctim, vel divisim spectantibus nulli veleat provideri per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, et qualibet alia dicte sedis indulgentia generali vel speciali, cuiuscumqne tenoris existat, per quam presentibus non expressam vel totaliter non insertam offectus huiusmodi gratie impediri valeat quomodolibet vel differri, et de qua cuiusque toto tenore habenda sit in nostris litteris mentio specialis. Nos enim exnunc irritum decernimus et inane, si secus super hiis a quoqnam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno etc. M.CCCC.XLIII. X. Kalendas Martii, Pontificatus nostri Anno Tertiodecimo.

DLII.

Angelo episcopo Tragurienai facultas tres canonicatus suos ecclesiae et totidem praebendas et novem alia beneficia reservandi et viris idoneis conferendi conceditur. Reg. An. XIV. Lib. 4. fol. 28.

EUGENIUS EPISCOPUS etc. Venorabili fratri Angelo Episcopo Tragurienai, salutem otc. Porsonam tuam nobis et apostolice sedi devotam, tuis exigentibus meritis, paterna benivolentia prosequentes illa tibi libenter concedimus, per que te personis beneneritis gratiosum exbibeas et etiam liberalem. Tuis itaque in hac parte supplicationibus inclinati, fraternitati tue auctoritate nostra hac vice dumtaxat conferendi tres canonicatus tue Tragurienais ecclesie cum plenitudine iuris canonici totidem personis ydoncis, quas ad hoc duxeris nominandas, ac faciendi quamlibet earumdem personarum in dicta ecclesia in Canonicum recipi et in fratrem, stallo sibi in choro et loco in Capitulo ipsius ecclesie cum dicti iuris plenitudine assignatis, nocnon tres eiusdem ecclesie prebendas pro predictis, ac etiam novem beneficia ecclesiastica cum cura vel sino cura ad tuam collationem, provisionem, presentationem seu quamvis aliam dispositionom pertinentia, cuiuscunque taxe seu annui valoris illorum cuiuslibot fructus, redditus et proventus existant, pro totidem aliis a te similiter nominandis personis quecunque, quotcunqne et qualiacunque beneficia alia ecclesiastica obtinentibus, si qua tempore reservationis huiusmodi vel inantea simul vel successive vacaverint, que dicte persone, pront ad illa tunc vigore presentium nominate fuerint, por se vel procuratores suos ad hoc ab eis specialiter constitutos infra unius mensis spatium, postquam ipsis vol dictis procuratoribus de illorum vacatione huiusmodi constiterit, duxerint acceptanda, conferendi singula videlicet prebendarum ac reservandorum beneficiorum prefatorum singulis personis eisdem, prout ad ea nominate, ut profertur, existerint, post acceptationes predictas cum plenitudine iuris

predicti, ac omnibus iuribus et pertinentiis suis omnibus, inhibendi quoque Episcopo pro tempore existenti et dilectis filiis Capitulo Traguriensibus, nec non illi vel illis, ad quem vel ad quos prebendarum in dicta ecclesia ac beneficiorum huiusmodi collatio, provisio, presentatio seu quevis alia dispositio communiter vel divisim pertinet, ne de prebendis ac reservandis beneficiis huiusmodi interim etiam ante acceptationes easdem, nisi postquam eis constiterit, quod persone vel procuratores predicti illa noluerint acceptare, disponere quoquomodo presumant, et nichilominus prebendas et beneficia supradicta, que reservabis, cum vacaverint, ut prefertur, videlicet singula eorumdem singulis personis per te nominandis predictis post acceptationes prefatas cum supradictis, ac etiam hac vice dumtaxat, etiam alia quecunque, quotcunque et qualiacunque beneficia ecclesiastica cum cura vel sine cura tuarum Civitatis et diocesis presentialiter vacantia, et indebite ab aliis detenta, non tamen dispositioni apostolice generaliter reservata, etiam si tanto tempore vacaverint, quod eorum collatio iuxta Lateranensis statuta concilii ad sedem predictam legitime devoluta, illaque Canonicatus et prebende, dignitates, personatus, administrationes vel officia in predicta vel Collegiatis ecclesia seu ecclesiis fuerint, et ad dignitates, personatus, administrationes vel officia huiusmodi consueverint qui per electionem assumi, eisque cura immineat animarum, dummodo in ipsis detentis beneficiis tempore date presentium non sit alicui specialiter ius quesitum, eorum detentoribus predictis, postquam ad illa habilitati fuerint eaque dimiserint, seu aliis ydoneis personis, etiam quecunque, quotcunque et qualiacunque beneficia ecclesiastica obtinentibus, de quibus tibi videbitur, cum eorum iuribus et pertinentiis omnibus simul vel successive conferendi, et de illis etiam providendi, inducendi quoque omnes et singulas personas prefatas vel earum suis nominibus procuratores in prebendarum ac beneficiorum reservandorum, iuriumque et pertinentiarum predictorum in corporalem possessionem, et deffendendi inductas, ac faciendi ipsos vel dictos procuratores pro eis ad beneficia conferenda huiusmodi, ut est moris, admitti, sibique de illorum ac Canonicatuum conferendorum et prebendarum conferendarum prefatarum fructibus, redditibus, proventibus, iuribus et obventionibus universis integre responderi, Contradictores auctoritate nostra, appellatione postposita, compescendi, necnon etiam omnem inhabilitatis et infamie maculam sive notam per personas detinentes predictas occasione eorum detentionum huiusmodi quomodolibet contractam penitus abolendi, et cuilibet detinentium prefatorum fructus ex detentis per eos huiusmodi male perceptos ultra valorem triginta florenorum auri pro singulis ipsorum detentorum beneficiorum non excedentes plenarie remittendi atque donandi, ceteraque omnia et singule in premissis et circa ea necessaria et oportuna etiam faciendi plenam et liberam auctoritate apostolica tenore presentium concedimus facultatem, Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac de certo Canonicorum numero tue predicte et aliis eiusdem ac aliarum, in quibus huiusmodi beneficia forsan fuerint, ecclesiarum iuramento, confirmatione apostolica vel quacunque firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus ceterisque contrariis quibuscunque, aut si aliqui apostolica vel alia quavis auctoritate in dicta tua ecclesia in Canonicos sint recepti, vel ut recipiantur, insistant, seu si super provisionibus sibi faciendis de Canonicatibus et prebendis prefate tue ecclesie ac huiusmodi speciales, vel aliis beneficiis ecclesiasticis in illis partibus generales dicte sedis, vel legatorum eius litteras impetrarint, etiam si per eas ad inhibitionem, reservationem et decretum vel alias quomodolibet sit processum, quibus omnibus etiam in prefata ecclesia tua receptis, vel prebendas in eadem necnon beneficia huiusmodi expectantibus personas per te nominandas prefatas in prebendarum et beneficiorum eis conferendorum predictorum assecutione volumus anteferri, sed nullum per hoc eis quo ad assecutionem prebendarum vel beneficiorum aliorum preiudicium generari, aut si Epo pro tempore existenti et Capitulo prefatis, vel quibusvis aliis communiter vel divisim a predicta sit sede indultum, quod ad receptionem vel provisionem alicuius minime teneantur, et ad id compelli, aut quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint, quodque de Canonicatibus et prebendis dicte tue ecclesie ac huiusmodi vel aliis beneficiis ecclesiasticis ad eorum collationem, provisionem, presentationem, electionem seu quamvis aliam dispositionem coniunctim, vel separatim spectantibus nulli valeat provideri per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, et qualibet alia ipsius sedis indulgentia generali vel speciali, cuiuscumque tenoris existat, per quam presentibus non expressam vel totaliter non insertam effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri, et de qua cuiusque toto tenore habenda sit in nostris litteris mentio specialis, seu si dicte persone presentes non fuerint ad prestandum de observandis statutis et consuetudinibus tue, et aliarum ecclesiarum predictarum solita iramenta, dummodo in absentia sua per procuratores ydoneos, et cum ad ecclesias ipsas accesserint, corporaliter illa prestent. Et insuper volumus, ac omnibus et singulis personis per te eligendis predictis eadem apostolica auctoritate tenore presentium

concedimus, quod nulla per nos vel sedem apost. quibusvis aliis personis Canonicatus et prebendas, ac beneficia huiusmodi auctoritate nostra expectantibus cuiuscunque gradus, status, ordinis vel conditionis, etiam si Canonici ecclesiarum predictarum ac in processibus diligentiores, aut nostre seu sancte Romane ecclesie Cardinalium familiares continui commensales, in certo Cancellarie apostolice libro ad hoc, ut quibusdam prerogativis potiantur, de mandato nostro descripti, et in Romana Curia a tempore assumptionis nostre ad summi apostolatus apicem usque in hodiernum continue presentes, seu Curiales eandem Curiam per sex menses ante acceptationes suorum beneficiorum continue secuti fuerint, in genere vel in specie sub quibusvis formis aut verborum expressionibus, nec non decretis irritantibus et quibuscunque etiam clausularum individualium, et quod illis nisi sub certa forma derogari non possit, vim et effectum habentium, ac forme huiusmodi, sive illa servata fuerit sive non, prohibitioriis, ceteris-que effectui presentium preiudicialibus clausulis, etiam motu proprio ac quibusvis respectibus et quorumcunque intuitu concessa hactenus, vel imposterum concedenda privilegia, prerogative, antelationes, declarationes, littere, gratie et iudulta, quorum omnium tenores, ac si de verbo ad verbum inserti fuerint presentibus, haberi volumus pro expressis, prefatis per te nominandis personis vel alicui earum quo ad assecutionem prebendarum ac beneficiorum pro eis reservandorum huiusmodi preiudicare, aut aliquod preiudicium afferre possint seu debeant, Non obstantibus premissis ceterisque contrariis quibuscunque. Preterea etiam volumus, quod tu de nominibus et cognominibus personarum, quibus Canonicatus et prebendas ac beneficia predicta vigore presentium te conferre contigerit, nec non de diebus collationum eorumdem gentes Camere apostolice, seu Collectorem vel Succollectorem fructuum et proventuum in illis partibus eidem Camere debitorum pro tempore deputatum quantocius certificare procures. Et insuper cxnunc irritum decernimus et inane, si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno etc. M.CCCC.XLIIII. XIII. Kalendas Novembris, Pontificatus nostri Anno Decimoquarto.

DLIII.

Thomas, lite cum Paulo Petri monacho composita, confirmatur abbas monasterii s. Michaelis de Pechina Ragusinæ dioecesis. Reg. An. XV. Secret. Tom. 4. fol. 238.

EUGENIUS EPISCOPUS etc. Dilecto filio Thome Abbati Monasterii sancti Michaelis de Pachlina Insule Iupane ordinis sancti Benedicti Ragusine dioecesis, sal. etc. Apostolice servitutis studium (sic) circa diversa, que nostris agenda incumbunt humeris, illud est potissimum, ut circa Ecclesiarum ac Monasteriorum omnium statum salubriter et prospere dirigendum sic diligenter contemplemur intenta, quod Ecclesie et Monasteria ipsa per nostre provisionis ministerium quoad iuvante altissimo preserventur a noxiis, ac salubria in spiritualibus et temporalibus suscipiant incrementa. Dudum siquidem per nos accepto, quod Monasterium sancti Michaelis de Pachlina Insule Iupane ordinis sancti Benedicti Ragusine dioecesis per obitum quondam Stephani, olim ipsius Monasterii Abbatis, extra Romanam Curiam defuncti vacaverat et vacabat tunc, nos tunc per alias nostras litteras sub certa forma tunc expressa de persona tua eidem Monasterio, sive ut promittitur, sive alio quovis modo aut ex alterius cuiuscumque persona tunc vacaret, provideri, teque illi in Abbatem prefici ac tibi munus benedictionis impendi mandavimus, prout in dictis litteris plenius continetur. Et deinde, videlicet postquam vigore litterarum predictarum, ut asseris, de dicta persona tua prefato Monasterio provisum ac tibi munus prefatum impensum fuerat, tuque obtentu provisionis huiusmodi possessionem pacificam regiminis et administrationis honorum ipsius Monasterii seu maioris partis eorum adeptus extiteras, licet in causa inter te ac dilectum filium Paulum Petri monachum Monasterii sancti Iacobi extra muros Ragusinos prefati ordinis, eo quod Paulus te quibusdam ordinaria privatum et amotum fuisse primo, et deinde predictis et nonnullis aliis tunc expressis tuis culpis et demeritis exigentibus, seu aliquo eorum, quo ad id sufficeret, nostra auctoritatibus privandum et amovendum fore regimine et administratione Monasterii sancti Michaelis huiusmodi, ac de persona sua eidem Monasterio sancti Michaelis tanquam per privationem et amotionem factas, seu faciendas huiusmodi tunc vacante seu vacaturo dicta auctoritate nostra provideri debere, tuque te verum et legitimum dicti Monasterii sancti Michaelis Abbatem existere, nec ex objectis vel aliis privandum, nec amovendum fore inter cetera asserebatis. Ac (licet) ipsius Monasterii s. Michaelis occasione in Romana Curia ex diversis specialibus litteris et commissionibus nostris (causa) diutius ventilata, dictus Paulus diffinitivam, per quam intor alia tu regimine et administratione prefatis privatus et ab illis amotus fuisti, nec non de persona eiusdem Pauli dicto Monasterio provisum, et a qua postea pro parte tua ad sedem

apostolicam appellatum fuerit, sententiam reportasset, et causa appellationis huiusmodi Magistro Paulo de Sanctafide primo, et deinde postquam ipse in ea remissionem ad partes nondum reportata ad tui procuratoris instantiam in forma solita decreverat, ac ad nonnullos alios actus, citra tamen conclusionem, processerat, Magistro Iohanni Caravaial (ex) dilectis filiis Capellanis nostris et causarum Palatii apostolici auditoribus per nos commissa fuisset: tamen postea absque eo quod dictus Iohannes auditor in causa ipsa ad actum aliquem tunc processisset, tu et dictus Paulus ad obviandum ulterioribus litium anfractibus, de huiusmodi lite et causa in dilectos filios Sanctum de Vivianis Pauli et Seraphinum de Urbino, tuum ac etiam consistoriales advocatos, tanquam in eorum desuper arbitros et arbitratores compromissum sub certa forma tunc expressa fecistis. Qui quidem arbitri seu arbitratores, qui laici sunt, pretextu compromissi huiusmodi procedentes suam arbitramentalem sententiam tulerunt, per quam inter alia decreverunt, quod tu, pro cuius parte, ut etiam asseris, a sententia ordinaria auctoritate lata predicta appellatum, quinque in causa appellationis huiusmodi unam, per quam inter alia dicta ordinaria sententia annullata fuit, tuque ad possessionem predictam, qua tunc te spoliatum fore asserebas, restitutus extitisti, que nulla provocatione suspensa in rem transivit iudicatam, sententiam reportasti ipsius Monasterii sancti Michaelis Abbas remanens, et quod super illius fructibus, redditibus atque proventibus dictus Paulus ad eius vitam pensionem annuam trigintaquinque florenorum auri de Camora percipere, sibique de fructibus ipsis in causa ipsa hactenus sequestratis triginta similes floroni semel dumtaxat assignari, quodque idem Paulus post dictorum triginta florenorum receptionem regimini et administrationi dicti Monasterii sancti Michaelis sponte et libere cedere deberet: quam quidem arbitramentalem sententiam partes ipse postea approbarunt et emologarunt. Cum itaque hodie prefatus Paulus liti et cause huiusmodi ac omni iuri, si quod sibi in regimine et administratione Monasterii sancti Michaelis huiusmodi, sive ad ea quomodolibet competebat, in manibus nostris sponte et libere cesserit, Nosque cessionem ipsam duxerimus admittendam: Nos litem et causam huiusmodi, cuius statum ac pretensa culpas et demerita et eorum omnium circumstantias, qualitates et quantitates, necnon Monasterii sancti Michaelis fructuum, redditumn et proventuum huiusmodi verum valorem annuum presentibus pro expressis haberi volumus, ad nos harum serie advocantes et penitus extinguentes, necnon ad tui habundantiorem cautelam dictam arbitramentalem sententiam, prout alias eque ab arbitris vel arbitratoribus lata et a partibus ipsis sponte suscepta extiterit, approbantes et confirmantes, ac te ab omnibus et singulis excommunicationum, suspensionum et interdicti aliisque sententiis, censuris et penis, si quas occasione pretensorum tuorum culparum et excessuum predictorum quomodolibet hactenus forsan incurristi, necnon etiam ab omnibus reatibus eorumdem culparum et delictorum auctoritate apostolica plenarie absolventes, omnemque inhabilitatem et infamie maculam sive notam per te premissorum occasione quomodolibet forsan contractam omnino abolentes, ac super irregularitate, si quam sententiis ipsis vel earum aliqua forsan ligatus missas et alia divina officia, non tamen in contemptum clavium, celebrando et te illis immiscendo quomodolibet contraxisti, dispensantes, necnon super premissis tam tuo quam ipsius Monasterii sancti Michaelis statui providere volentes, tuis in hac parte supplicationibus inclinati volumus et apostolica auctoritate predicta tibi concedimus, quod littere tibi concesse predicte, necnon processus habiti per easdem et quecumque inde secuta valeant, plenamque roboris firmitatem obtineant, etiam si prefatum Monasterium sancti Michaelis per obitum adhuc seu privationem et amotionem ordinaria vel nostra auctoritatibus factas huiusmodi vel alio quovis modo, aut ex alterius cuiuscumque persona vacet, ipsinsque provisio ex quavis causa ad sedem predictam specialiter vel generaliter pertineat, Non obstantibus premissis ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon Monasterii et ordinis predictorum iuramento, confirmatione apostolica vel quacumque firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus ceterisque contrariis quibuscumque. Nulli ergo etc. nostre advocationis, extinctionis, approbationis, confirmationis, absolutionis, dispensationis, concessionis et voluntatis infringere etc. Si quis autem etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno etc. Millesimo quadringentesimo quadragesimoquarto, XV. Kalendas Aprilis, Pontificatus nostri Anno Quintodecimo.

DLIV.

Paganinus episcopus Dulcinensis in Iadrensi, Ausarensi et ceteris illarum partium dioecesibus nuntius apostolicus et proventuum camerae apostolicae debitorum collector constituitur. Reg. An. XV. Tom. 23. fol. 255.

EUGENIUS EPISCOPUS etc. Venerabili fratri Paganino Episcopo Dulcinensi, in Iadrensi, Ausarensi, Veglensi, Arbensi, Spalatensi, Tragurlensi, Ceniensi, Scardonensi, Segniensi, Teyniensi, Nonensi, Almi-

siensi, Sibenicensi, Farensi, Corbaviensi, Ragusina, Stagnensi, Rossonensi, Bossonensi, Tribuniensi, Catharensi, Bacensi, Rossensi, Buduanensi, Antibarensi, Dulcinensi, Suacinensi, Drivastensi, Palatensi, Scodriensi, Arbanensi, Sardensi et Acritarensi Civitatibus eorumque diocesibus apost. sedis Nuncio, fructuum, reddituum et proventuum Camere apostolice debitorum Collectori, salutem etc. Ex fidelì, solicita et diligenti prudentia, providentia quoquo et probitate circumspecta aliisque virtutibus, quibus polere dinosceris, evidenter presumimus, quod ea, que fraternitati tue commisimus, solerti diligentia fideliter exequeris. Hinc est, quod nos de tuis circumspectione et negotiorum huiusmodi experientia plurimum in domino confidentes, te in Iadrensi, Ausarensi, Voglensi, Arbonsi, Spalatensi, Traguriensi, Ceniensi, Scardonensi, Segniensi, Teyniensi, Nonensi, Almisiensi, Sibenicensi, Farensi, Corbaviensi, Ragusina, Stagnensi, Rossonensi, Bossonensi, Tribuniensi, Catharensi, Bacensi, Rossensi, Buduanensi, Antibarensi, Dulcinensi, Suacensi, Drivastensi, Palatensi, Scodrinonsi, Arbanensi, Sardensi et Acritarensi Civitatibus earumque diocesibus apostolice sedis Nuncium, ac Camere apostolice fructuum, reddituum et proventuum, censuum et omnium aliorum iurium prefate Camere in dictis provincia, Civitatibus et diocesibus debitorum et debendorum usque ad nostrum vel sedis apostolice beneplacitum generalem Collectorem et receptorem auctoritate apostolica tenore presentium facimus, constituimus etc. ut supra in aliis similibus. Datum Rome apud S. Petrum etc. M.CCCC.XLIIII. XIII. Kal. Aprilis, Pont. nostri Anno XV.

DLV.

Cum Stephano Thome rex Bosnie super defectu natalium pontifex dispensat, et eum legitimum regem Bossine declarat. Reg. An. XV. Tom. 18. fol. 77.

EUGENIUS EPISCOPUS etc. Carissimo in Christo filio Stephano Thome Bosne Regi Illustri, sal. etc. Divina superveniens largitas plerumque in nonnullis sic sue gratie dona diffundit, quod si qui defectum natalium patiuntur, per suarum grandia virtutum merita supplentes, quod in eis ortus odiosus ademit, merentur ad Regium fastigium etiam promoveri: virtutis enim decus facile omnem solet nature obstergere maculam, et vita insignis abolet, si quod a parentibus minus honestum ad genitos transfusum esse videatur. Attendentes igitur, quod postquam ob multarum magnarumque virtutum dona, quibus personam tuam illarum largitor dominus insignivit, in Regium culmen ascendisti, purum te atque incontaminatum ab hereticorum, qui predicti Regni partes iam diu obtinuerunt, vulpina et fraudulenta versutia et pestiferis fallaciis ut catholicus princeps conservasti, nec solummodo nos in verum summum Romanum pontificem, Ihesu Christi indubitatum Vicarium ac beati Petri Regni celestis Clavigeri unicum successorem pure ac simpliciter recognovisti, verum etiam extento brachio Regie maiestatis nos, ecclesiam et fidem orthodoxam a scismaticorum et hereticorum lupina rabie deffensas, ipsosque de tui Regni finibus extirpare studeas, ac insuper quod defectum natalium, quem, ut ipse asseris, pateris de Astoya clare memorie Rege Bosne, genitore tuo uxorato, et cum alia coniugata natus, quamplurium virtutum favoribus rodimis, tuis in hac parte supplicationibus incliuati, in prefato Regno Bosne ac quibuscumque aliis Regnis, Dominiis, Civitatibus, Terris, Castris, Villis, Locis ceterisque bonis omnibus dicti genitoris ac agnatorum et cognatorum, necnon aliorum quorumcumque tam ex testamento, quam intestato etiam cum preiudicio quorumcumque succedentium ab intestato succedere, necnon ad quascumque etiam Regias et maiores dignitates ac honores assumi et prefici, eaque gerere et exercere libere et licite valeas perinde ac si de legitimo thoro natus esses, auctoritate apostolica tenore presentium de specialis dono gratie dispensamus, tequo ad iura nature et quoslibet actus legitimos reintegramus, approbantes etiam assumptionem de te factam ad Regium culmen, ac omnia et siugula per te in eo gesta, tibique concedentes, quod in omnibus gratiis pro te vel por te decetero a sede apostolica quomodolibet impetrandis nullam de defectu et dispensatione huiusmodi montionem facere tenearis, Non obstantibus predicto defectu ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon legibus Imperialibus et statutis municipalibus quibuscumque. Nulli orgo etc. nostre dispensationis, reintegrationis, approbationis et concessionis infringere etc. Si quis autem etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis dominice Millosimo quadringentesimo quadragesimoquinto, quarto Kal. Iunii, P. n. Anno Quintodecimo.

DLVI.

Idem rex a promissione, quam cuidam ignobili mulieri de ipsa in uxorem accipienda fecit, absolvitur. Ibidem fol. 77.

EUGENIUS EPISCOPUS etc. Carissimo in Christo filio Stephano Thome Bosne Regi Illustri, salutem etc. Oblate nobis pro parte tua petitionis series continebat, quod dudum ante tui ad culmen Regium

assumptionem cupiens propter inimicos et invidos ortum tuum occultari, ut sic facilius, quo imminebant, pericula evitares, quandam ex infimo genere mulierem etiam ad carnis copulam tibi associasti, eique iuxta morem patrie, quod si tibi bona et fidelis esset ac benefaceret, cum ipsa matrimonium contraheres, promisisti. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, licet dicta mulier tibi bona et fidelis fuerit, ac ex illa prolem susceperis, tamen quoniam dilecti filii Barones Regni tui Bosne ipsam propter infimum eius originis statum in Reginam habere dedignantur, formidas promissionem huiusmodi, quam alias libenter adimpleres, sine scandalo adimplere non posses: quare pro parte tua fuit nobis humiliter supplicatum, ut tibi tuoque statui super his oportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, qui cuntorum fidelium pacis et quietis commoda procuramus, volentes scandalis et seditionibus, quantum cum deo possumus, precavere, huiusmodi supplicationibus inclinati, si est ita, super quo tuam conscientiam oneramus, auctoritate apostolica tenore presentium promissionem per te factam huiusmodi tibi relaxamus, tequo ad eius observationem decernimus non teneri, Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis dominice Millesimo quadringentesimo quadragesimoquinto, quarto Kalendas Iunii, Pontificatus nostri Anno Quintodecimo.

DLVII.

Petrus Vayvoda partes Bosnise inferiores inhabitans cum suis terris etc. sub apostolicae sedis protectione suscipitur. Reg. An. XV. Tom. 18. fol. 78.

EUGENIUS EPISCOPUS etc. Ad futuram rei memoriam. Benignitas sedis apostolice gratiose personas benemeritas et devotas ac generis nobilitate prestantes, presertim confines scismaticis provincias incolentes, et que ipse sint catholice zelatrices, ex assueto caritatis affectu benivolo favore prosequitur, ac statui illarum et tranquillitati consulens, ne molestiis et guerrarum turbinibus agitentur, consuevit sue protectionis munimine confovere. Hinc est, quod cum Venerabilis frater noster Thomas Episcopus Farensis, in partibus Regni Bosne apostolice sedis legatus, Carissimo in Christo filio nostro Stephano Rege Bosne Illustri consentiente atque hortante, vel potius procurante, dilectum filium nobilem virum Petrum Vayvodam partes habitantem Bosne inferiores sub nostra et Romane ecclesie protectione duxerit acceptandum, Nos gesta per eundem Episcopum quoad hanc rem rata habentes et grata, ac tenore presentium auctoritate apostolica confirmantes, eundem Petrum Vayvodam ipsiusque terras, castra, loca, villas cum ipsorum incolis et habitatoribus, ac bona quelibet intra dictum Bosne Regnum consistentia, quorum nomina, cognomina et qualitates hic haberi volumus pro sufficienter expressis, que ipse Petrus nunc possidet et infuturum, dante domino, possidebit, cum omnibus territoriis, districtibus, iuribus et pertinentiis eorumdem sub nostra et beati Petri, ac sedis predicte protectione et tutela pro eiusdem status defensione et conservatione tenore presentium suscipimus, ac decernimus ipsum Petrum Vayvodam nobis et dicte sedi, ac sub nostro et illius patrocinio et protectione immediate subesse, inhibentes districtius carissimis in Christo filiis Regibus, et dilectis filiis nobilibus viris Ducibus, Principibus, Marchionibus, Comitibus, Baronibus, Militibus et gentium armorum Capitaneis provinciarum, Civitatum, terrarum, castrorum et locorum quorumlibet terris dicto Petro subiectis vicinorum, ceteros vero dominos quovis titulo seu dignitate fulgentes, ubicumque consistant, in domino exhortantes, ne contra huiusmodi protectionem nostram venire aut aliquid innovare, facere aut attemptare, seu ipsum Petrum inquietare, molestare vel offendere quoqnomodo presumant ob nostram et sedis apostolice reverentiam, sed eum potius a volentibus molestare et inquietare seu offendere tueantur pro viribus et defendant, ita erga ipsum et res suas se habentes, ut de ipsorum obedientia ac reverentia debeant a nobis merito commendari. Nulli ergo etc. nostre confirmationis, voluntatis, susceptionis, constitutionis, inhibitionis et exhortationis infringere etc. Si quis autem etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis dominice M.CCCC.XLV. quinto Kal. Iunii, Pontificatus nostri Anno Quintodecimo.

DLVIII.

Universis praedictus Petrus Vayvoda cum suis terris commendatur, et ne quosdam eum aliqualiter offendentes suscipiant. Reg. An. XV. Tom. 18. fol. 78.

EUGENIUS EPISCOPUS etc. Universis et singulis presentes inspecturis, salutem etc. Cum dilectum filium nobilem virum Petrum Vayvodam partium Regni Bosne inferiorum sub nostra et Romane ecclesie protectione duxerimus acceptandum: Nos cupientes eundem Petrum cum terris et locis sibi

subiectis plena securitate gaudere, nec in bonis et rebus aliqualiter perturbari, Universitatem vestram in domino requirimus et hortamur, nostris et Romane ecclesie subditis et devotis ubique constitutis dantes strictius in mandatis, quatenus predictos Petrum Vayvodam et eius terras et loca nullo modo in rebus aut bonis aliqualiter molestantes, offendentes vel aliter inquietantes suscipiatis, (sed predictos Petrum et eius terras et loca habeatis) in cunctis occurrentibus favorabiliter commendatos, benigne ipsos in cunctis tractantes atque foventes, ita quod vestra omnium devotio etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis dominice M.CCCC.XLV. quarto Idus Maii, Pont. nostri Anno Quintodecimo.

DLIX.

Universis fidelibus ecclesiam S. Spiritus in Gronye Iauriensis dioecesis festis Penthecostes visitantibus indulgentia conceditur. Reg. An. XV. Tom. 18. fol. 145.

EUGENIUS EPISCOPUS etc. Universis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis, salutem etc. Licet is, de cuius munere venit etc. Cupientes igitur, ut parrochialis ecclesia in Gronye sub vocabulo sancti Spiritus Iauriensis diocesis, que, sicut accepimus, in suis edificiis et structuris non modica reparatione indigere dignoscitur, congruis honoribus frequentetur, et ut Christi fideles eo libentius causa devotionis confluant ad eandem, quo ex hoc ibidem dono celestis gratie uberius conspexerint se refectos, de omnipotentis dei misericordia ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum auctoritate confisi, omnibus vere penitentibus et confessis, qui in singulis festis Penthecostes a primis vesperis usque ad secundas vesperas exclusive computando singulis annis dictam ecclesiam devote visitaverint annuatim, septem annos et totidem quadragenas de iniunctis eis penitentiis misericorditer relaxamus. Presentibus perpetuis futuris temporibus duraturis. Volumus autem, quod si alias visitantibus dictam ecclesiam, aut ad eius reparationem seu conservationem manus porrigentibus adiutrices, vel alias inibi pias elemosinas erogantibus seu alias aliqua alia indulgentia in perpetuum, vel ad certum tempus nondum elapsum duratura per nos concessa fuerit, presentes littere nullius existant roboris vel momenti. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno etc. M.CCCC.XLV. tertio Kalendas Iulii, Pont. nostri Anno Quintodecimo.

DLX.

Laurentio de Hedrewar palatino regni Hungarie et Emerico bano Mazoviensi eius nato conceditur altare portatile. Reg. An. XV. Tom. 18. fol. 145.

EUGENIUS EPISCOPUS etc. Dilectis filiis Nobilibus viris Laurentio de Hedrewar palatino Regni Ungarie, et Emerico bano Mazoviensi eius nato, salutem etc. Sincere devotionis affectus, quem ad nos et Romanam geritis ecclesiam, non indigne meretur, ut petitionibus vestris, illis presertim, quas ex devotionis fervore prodire conspicimus, quantum cum deo possumus, favorabiliter annuamus. Hinc est, quod nos vestris supplicationibus inclinati, ut liceat vobis et vestrum cuilibet habere altare portatile cum debita reverentia et honore, super quo in locis ad hoc congruentibus et honestis sine iuris alieni preiudicio, et autequam illucescat dies, etiam post medium noctis, cum qualitas negotiorum pro tempore ingruentium id exegerit, necnon si vos aut vestrum altcrum forsan ad loca ecclesiastico interdicto supposita declinare, seu inibi morari contigerit, in illis, clausis ianuis, excommunicatis et interdictis exclusis, non pulsatis campanis, et submissa voce in vestra ac etiam familiarium vestrorum domesticorum presentia, dummodo vos vel illi causam non dederitis interdicto, nec id vobis vel illis interdici specialiter contigerit, Missam et alia divina officia per proprium vel alium sacerdotem ydoneum celebrari facere possitis, devotioni vestre tenore presentium de speciali gratia indulgemus: Proviso quod huiusmodi celebratio nocturna vobis vel sacerdoti taliter celebranti ad culpam imputare non possit, vosque illa parce utemini, quia cum in altaris officio immoletur dominus noster dei filius Ihesus Christus, qui candor est lucis eterne, congruit hoc non noctis temporibus fieri, sed in luce. Nulli ergo etc. nostre concessionis infringere etc. Si quis autem etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno etc. Millesimo quadringentesimo quadragesimoquinto, pridie Kalendas Iulii, Pontificatus nostri Anno Quintodecimo.

DLXI.

Iacobus archiepiscopus Ragusinus rector patrimonii beati Petri in Tuscia in spiritualibus et temporalibus constituitur. Reg. An. XIII. Offic. Lib. 3. Tom. 24. fol. 42.

EUGENIUS EPISCOPUS etc. Venerabili fratri Iacobo Archiepiscopo Ragusino, provincie nostre Patrimonii beati Petri in Tuscia Rectori, salutem etc. Quamvis ad cunctorum Christi fidelium salubrem

et pacificum statum prospere conservandum intente mentis aciem extendere teneamur, provincias tamen, civitates, terras, castra et loca temporaliter nobis et apostolice sedi (subiecta), et ipsarum populos universos, ac ipsius et Romane ecclesie filios et devotos rectius intuemur, et super eorum felici regimine ac statu pacifico et tranquillo affectamus specialius providere. Nos igitur, quorum interest, de statu pacifico subditorum Ecclesie paternaliter cogitare, volentes dicte provincie, civitatum, terrarum, castrorum et locorum predictorum hominibus, nec non ipsorum honori simul et utilitati consulere, de fide, prudentia, integritate et devotione tua erga nos et dicte ecclesie statum plurimum in domino confidentes, ac sperantes, quod ea, que tibi commiserimus, gratia tibi assistente divina, circumspecte, fideliter ac prudenter matura super hac deliberatione prehabita exequeris, revocantes ex nunc auctoritate apostolica ex certa scientia per presentes omnes et singulas facultates de aut super rectoria ac regimine, seu gubernatione et administratione qualibet dicte provincie Patrimonii, civitatum, terrarum, oastrorum seu locorum predictorum, sive alicuius eorum quibuscumque personis, cuiuscumque status, conditionis seu dignitatis ecclesiastice vel mundane existant, sub quacumque verborum forma seu conceptione per nos seu auctoritate nostra, vel alias quovis modo hactenus usque in presentem diem factas, dictas vel concessas, te in prefata provincia Patrimonii, eiusque civitatibus, terris, castris, locis, territoriis et districtibus ad nos et eandem ecclesiam mediate, vel immediate spectantibus et pertinentibus usque ad nostrum et sedis apostolice beneplacitum Rectorem in spiritualibus et temporalibus facimus, constituimus et etiam deputamus, fraternitati tue provinciam, civitates, dioceses, comitatus, territoria et districtus, terras, castra et loca nostra huiusmodi, nec non pertinentias, cives, provinciales, habitatores et incolas eorumdem nostro et prefate ecclesie nomine reformandi, regendi, gubernandi et administrandi, ac in eis iurisdictionem plenam, liberam et omnimodam cum mero et mixto imperio exercendi, civiles et criminales ac mixtas causas per simplicem etiam querelam, vel per appellationem coram te introductas etiam diebus feriatis, cum tibi videbitur, per te vel alium seu alios audiendi, examinandi, discutiendi et earum cognitione, decisione et discussione alii vel aliis communiter vel divisim, generaliter vel specialiter tam infra terminos tui Rectoriatus dicte provincie officii, quam extra illos, prout et sicut tibi iustum videbitur, committendi et decidendi, et ad te cum placuerit advocandi, decreta insuper quelibet interponendi, et super statutis dispensandi, nec non homagia et iuramenta fidelitatis recipiendi, culpabiles tam civiliter quam criminaliter et mixtim per te vel alium seu alios puniendi, et querelas contra ipsos per quoscumque propositas summarie, simpliciter et de plano, ac sine strepitu et figura iudicii, sola facti veritate inspecta, audiendi, emendas et satisfactiones debitas fieri faciendi, ac inter Comites, Barones, dominos temporales et nobiles, personas alias seculares, nec non Communitates et Universitates et populos, omnesque alios discordes seu dissidentes civitatum et provincie ipsarum, earumque diocesum, terrarum, castrorum, locorum, comitatuum, territoriorum ac districtuum predictorum pacem et concordiam reformandi etc. ut supra pagina 378. usque pareant efficaciter et intendant, et studeant tuis monitis obedire. Tu igitur, Venerabilis frater, ex concessis tibi dono celesti virtutibus provinciam, civitates, terras, castra, loca, territoria et districtus predicta, eorumque cives, Universitates et homines ad honorem statumque nostrum et Romane ecclesie, eorumque pacem prosperam et tranquillam sic studeas sub mensura iusticie feliciter gubernare, iuvando probos, et reprobos ac inobedientes quoslibet compescendo, quod ex tuis laudibus et (laudabilibus) actionibus optati fructus proveniant, nt speramus, ipsique cives, Universitates et homines utili et proviclo gubernatori merito gaudeant se commissos, tuique preter eterne retributionis premia nostram et dicte sedis benedictionem et gratiam exinde uberius consequi merearis. Volumus autem, quod in hiis, que ad spiritualitatem spectant, ea facultato in omnibus et per omnia uti valeas, qua spirituales pro tempore deputati uti possunt et alias consueverint: quodque antequam huiusmodi Rectoriatus officium incipias exercere, de ipso fideliter exercendo in manibus nostris, seu dilecti filii Ludovici tituli sancti Laurentii in Damaso presbiteri Cardinalis, Camerarii nostri, prestes per te vel procuratorem tuum in forma solita iuramentum. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno etc. Millesimo quadringentesimo quadragesimoquinto, Idus Marcii, Pontificatus nostri Anno Sextodecimo.

DLXII.

Pontifex ecclesiae Tergestinae de futuro episcopo providendum sibi reservat. Reg. An. XVI. Tom. 19. fol. 132.

EUGENIUS EPISCOPUS etc. Ad futuram rei memoriam. Cum, sicut nuper fidedigna relatione percepimus, Venerabilis frater noster nunc existens Episcopus Tergestinus, quadam sui corporis

infirmitate plurimum a deo gravatus existat, quod de proximo ipsum ab hac luce decessurum fore a pluribus presumatur, ac alias Carissimus in Christo filius noster Fredericus Rex Romanorum Illustris, cuius temporali dominio Civitas Tergestina subesso dinoscitur, ex certis causis non mediocriter formidet, quod nonnulli ad ecclesiam ipsam ambiciose aspirantes, diversis conflctis coloribus de illius regimine et administratione post decessum Episcopi huiusmodi se de facto immisceant in eiusdem occlesie detrimentum, nec non Cleri et populi Civitatis et diocesis Tergestine scandalum et iacturam: nos super hoc, prout tenemur ex debito summi pontificatus officii nobis desuper iniuncti, salubriter providere volentes, necnon eisdem ecclesie, cum illam per cessum vel decessum dicti Episcopi vel alias primum vacare contigerit, personam secundum cor nostrum utilem et ydoneam, per quam illa circumspecte regi et salubriter gubernari valeat, etiam de fratrum nostrorum consilio preficere cupientes, provisionem dicte ecclesie ordinationi et dispositioni nostre, bac vice dumtaxat, auctoritate apostolica ex certa scientia tenore presentium specialiter reservamus, districtius inhibentes dilectis filiis Capitulo Tergestino vel quibusvis aliis personis, cuiuscunque gradus, status, ordinis vel conditionis fuerint, ne decetero bac vice ante seu post obitum Episcopi huiusmodi aliquem in Episcopum Tergestinum eligere, ant alias contra specialem reservationem nostram huiusmodi facere seu attemptare sub excommunicationis pena, quam exnunc prout extunc in omnes et singulos ex eis contrafacientes barum serie ferimus et promulgamus, audeant seu presumant, ac decernentes exnunc irritum et inane quicquid per Capitulum et alios supradictos, vel eorum aliquem seu aliquos contra tenorem presentium attemptatum forsan est hactenus, vel imposterum contigerit attemptari, Constitutionibus et ordinationibus apostolicis ac prefate ecclesie iuramento, confirmatione apostolica vel quacunque firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscunque (non obstantibus). Nulli ergo etc. nostre reservationis, inhibitionis, promulgationis et constitutionis etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno etc. Millesimo quadringentesimo quadragesimosexto, XII. Kal. Iunii, Pontificatus nostri Anno Sextodecimo.

DLXIII.

Fratribus ord. Minorum de observantia vicarine Bosnensis diversa privilegia concedantur. Reg. An. XVI. Tom. 19. fol. 211.

EUGENIUS EPISCOPUS etc. Dilectis filiis ... Vicario et fratribus Vicarie Bozne ordinis fratrum Minorum, sub regulari eiusdem ordinis observantia viventibus presentibus et futuris, salutem etc. Dum salubria laborum vestrorum studia, que mundanis abiectis illecebris cum aditione voluntarie paupertatis pro augmento fidei orthodoxo impenditis incessanter, etiam in ipsius fidei hostium partibus verbum domini non absque personarum vestrarum discrimine predicando, debita consideratione pensamus, ea vobis libenter concedimus, per que sublatis quibusvis dispendiis cum animarum salute ampliores in dei ecclesia fructus afferre valeatis. Cum itaque, sicut nonnullorum fidedigna relatione non sine ingenti mentis exultatione percepimus, in Regno Ungarie illiusque confinibus et Transilvanis partibus nonnulli populi Rutheni nuncupati, gens quidem satis populosa et graudis numero, existant, qui divina illustrati gratia ac gentium cecitatem de eorum cordibus deponentes, ad fratres vicarie vestre propter illorum religiosam et laudabilem vitam, necnon fructuosas, quas eis continuo faciunt, predicationes singularem gerentes devotionis affectum, per ipsos fratres sacri Baptismatis unda renasci, et evangelice doctrine pabulo pasci et enutriri, ac quoad ipsorum animarum curam dictorum fratrum regimini et gubernationi nunc subesse ferventius concupiscant: nos, qui dudum vobis, ut eo ferventius laboribus et studiis, que pro fidei huiusmodi et divini cultus et religionis augmento plurima et fructuosa impendere poteratis, insistere valeretis vel possetis, diversa privilegia, exemptiones, immunitates, indulgentias, gratias et indulta per diversas nostras litteras concessimus, ipsorum populorum pio desiderio favorabiliter annuentes, ac sperantes, quod pro huiusmodi et etiam circumadiacentium aliorumque infidelium populorum reductione, ipsorumque animarum salute pro viribus elaborare debeatis, motu proprio, non ad vestram vel alicuius pro vobis nobis desuper oblate petitionis instantiam, sed de nostra mera liberalitate, quod fratres vicarie predicte ad boc per illius Vicarium pro tempore existentem electi seu deputati, etiam quoad predictos Ruthenos et alios, quos vestris vel alicuius vestrum predicationibus et exbortationibus ad fidem catholicam converti contigerit, ac catholicorum sacerdotum copiam non babentes, qui iam ad fidem ipsam conversi fore noscuntur, quoscunque alios populos ubilibet consistentes, predictis ac omnibus et singulis aliis privilegiis, exemptionibus, immunitatibus, indulgentiis, gratiis et indultis per nos ac predecessores nostros Romanos pontifices, seu alias sub quibusvis verborum formis quomodolibet concessis, quorum omnium et singulorum tenores de verbo ad verbum presentibus haberi volumus pro insertis, in omnibus et per omnia uti et gaudere,

ipsisque iam ad fidem conversis, et quos converti contigerit, populis illorumque singularibus utriusque sexus personis, quicunque et quotcunque numero fuerint, quos omnes et singulos quo ad ipsorum animarum curam vestris aut illorum etiam secularium presbiterorum, quos ad id dicti deputati fratres duxerint pro tempore deputandos, regimini et gubernationi, donec et quousque sedes apostolica aliud super hoc duxerit ordinandum, per presentes subesse decernimus, Baptismatis, Crismatis seu Confirmationis, Eucharistie aliaque ecclesiastica sacramenta ministrare, ac in huiusmodi infidelium partibus unum, duo, tria, aut plura et tot loca seu domos, quot eis videbitur, cum ecclesiis, campanilibus, campanis, cimiteriis, ortis, ortaliciis et aliis pro fratrum vicarie et ordinis predictorum usu ac habitatione perpetuis fundare et construere, seu fundari et construi facere, aut iam forsan fundata et constructa, necnon omnia alia domos et loca ordinis et observantie predictorum, ubilibet a mari Adriatico usque ad confines Tartarie consistentes, quecunque et quotcunque numero sint, de dicta vicaria esse illique perpetuo subesse, quibuscunque apostolicis seu aliis privilegiis vel litteris illis sub quibusvis verborum formis concessis nequaquam obstantibus, motu, scientia et auctoritate predictis decernimus per presentes recipere illaque inhabitare, necnon omnes et singuli in Regno Ungarie singulis festis diebus trium sanctorum Regum, videlicet Stephani, Ladislai et Emerici, in quibus iuxta illarum partium consuetudinem propria celebrantur officia huiusmodi, et in Ragusine Civitatis et diocesis aliisque locis(sic) dilectorum filiorum Communitatis Ragusine temporali dominio subiectis domibus commorantes fratres, in ipsis domibus earumque ecclesiis pro festo maiori duplici officium sancti Blasii martiris, ipsorum Communitatis Ragusine patroni, propter populorum devotionem in festo eiusdem sancti Blasii dicere, legere ac cantare libere et licite valeant, nec ad dicendum officium divinum iuxta alium morem seu ritum teneantur. Et cum, sicut etiam accepimus, in diversis locis dicte vicarie quamplures sint utriusque sexus persone sub vite castimonia, nullum tamen ex ordinibus approbatis professe, altissimo alique in propriis, quedam vero in locis de licentia diocesanorum locorum ad id deputatis laudabiliter famulantes, que ad regulam tertii ordinis sancti Francisci de Penitentia nuncupati singularem gerentes devotionis affectum, ipsam regulam libenter profiterentur, et sub illa in aliquibus domibus in communi ad instar et similitudinem, ac in omnibus et per omnia iuxta modum et formam nonnullarum domorum ciusdem tertii ordinis in Italia consistentium, ac privilegia, gratias et indulta eis per sedem predictam vel alias concessa vivere ferventius concupiscant, quod dictus Vicarius seu fratres per eum ad hoc pro tempore deputati etiam unam, duas, tres, quatuor aut plures, et tot quot eis expedire videbitur, domos, in locis tamen ad id congruis et honestis, pro personarum huiusmodi dictam regulam profiteri volentium usu et habitatione perpetuis in omnibus, et per omnia iuxta modum, formam, privilegia, gratias et indulta domibus Italie concessa antedicta fundandi, construendi et in eis uniondi licentiam personis regulam profiteri volentibus huiusmodi concedere possint libere et licite, quodque regulam profitentes et in communi viventes persone utriusque sexus huiusmodi sub cura et regimine vestris degant, ita quod fratres vicarie predicte per Vicarium huiusmodi deputati earum confessiones, Eucharistie et alia ecclesiastica sacramenta eis ministrare valeant, ac omnium et singulorum Christifidelium in domibus seu locis vestris ubilibet consistentibus sepeliri eligentium, iure parochialium ecclesiarum semper salvo, liberam habeatis sepulturam, auctoritate apostolica ex certa scientia tenore presentium concedimus pariter et indulgemus, districtius inhibentes universis et singulis diocesanis locorum et parrochialium ecclesiarum rectoribus, ac Christifidelibus ecclesiasticis secularibus et ordinum quorumcunque regularibus, necnon laicis cuiuscunque status, gradus, preeminentie, nobilitatis, ordinis vel conditionis fuerint, diocesanis, rectoribus et ecclesiasticis, ne de animarum cura sic conversorum, et quos pro tempore converti contigerit, populorum ac singularium personarum eorumdem quoquomodo se intromittant, aut fratres sive etiam presbiteros seculares pro tempore deputatos predictos, quominus curam huiusmodi gerant, vosque in quibuscunque domibus seu locis vestris ubilibet consistentibus inibi sepeliri eligentium liberam habeatis sepulturam, ita quod cadavera defunctorum de loco, in quo erunt, ad domos seu ecclesias vestras absque eo, quod prius iuxta quarumdam partium consuetudinem, quam velut corruptelam penitus reprobamus, ad parrochiales seu alias ecclesias deferantur, deferre et deferri facere valeatis, impedire per se vel alios directe vel indirecte, et illos, qui dictis fratribus alias debite confessi, ac quibus pro commissis ab eis peccatis debita absolutio impensa, necnon iniuncta penitentia salutaris fuerint, a sacratissimi Eucharistie sacramenti Communione, tanquam nisi prius eis iterum confiteantur, indignos repellere, ac predictis ecclesiasticis et laicis personis, ne aliquos fratres vicarie predicte etiam vigore cuiuscunque indulti seu concessionis, sub quacunque verborum forma per nos vel sedem prefatam etiam motu simili concessi

seu concesse, aliquos fratres ipsius vicarie in ipsorum capellanos nisi de speciali dicti Vicarii, seu Custodum vel fratrum sufficientem desuper ab ipso Vicario facultatem habentium licentia habere presumant, et siquos forsan habuerint, illos infra mensem, postquam presentes nostre littere sibi intimate fuerint, dimittere penitus et omnino teneantur, decernentes omnes et singulos, qui contra inhibitionem nostram huiusmodi in aliquo venire presumpserint, excommunicationis sententiam, qua preterquam in mortis articulo constituti non nisi per dictum Vicarium, aut fratres ad id per eum deputatos absolvi possint, incurrere ipso facto, ac extunc omnes et singulas litteras super licentia seu facultate recipiendi quoscunque fratres in eorum capellanos, quibusvis personis ecclesiasticis vel secularibus predictis per nos vel sedem predictam sub quacunque verborum forma concessas, et imposterum forsan concedeadas, nisi in illis specifice et expresse de vicaria huiusmodi mentio fiat, ad fratres vicarie huiusmodi nullatenus se extendere, ac irritum et inane quicquid per quoscunque qnavis auctoritate contra inhibitionem predictam scienter vel ignorantor quomodolibet contingerit attemptari. Volumus autem, quod per quascunque litteras apostolicas generali Ministro dicti ordinis Minorum, seu aliis quoquomodo per nos aut sedem predictam concessas, seu imposterum forsan concedendas, ipse presentes littere aut in eis contenta nullatenus intelligantur aut censeri debeant revocata, Non obstantibus felicis record. Bonifacii (pp. VIII.) prohibente, ne fratres ordinum mendicantium in aliqua civitate, castro vel villa seu alio loco quocunque ad habitandum domum vel locum de novo recipere, seu receptum mutare presumant absque sedis predicte licentia speciali faciente plenam, et expressam de prohibitione huiusmodi mentionem, et aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon statutis et consuetudinibns dicti ordinis iuramento, confirmatione apostolica vel qnavis firmitate alia roboratis, privilegiis quoqne et indulgentiis ac litteris apostolicis generalibus vel specialibus, quorumcunque tenorum existant, per que presentibus non expressa vel totaliter non inserta effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri, et de quibus quorumque totis tenoribus habenda sit in nostris litteris mentio speciali, quibus omnibus et singulis, illis alias in sno robore permansuris, quoad premissa derogare intendimus et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscunque, presentibus, quoad sub observantia predicta vixeritis, dumtaxat valituris. Verum quia difficile foret huiusmodi nostras litteras ad singula loca deferre, eadem auctoritate apostolica decernimus, qnod ipsarum transumpto manu publica et sigillo vestre Vicarie, aut alicuius Episcopalis vel superioris ecclesiastice Curie munito, tanquam prefatis nostris, si originales exhiberentur, litteris plena fides adhibeatur, et perinde stetur ac si dicte originales littere forent exhibite vel ostense. Nulli ergo etc. nostre concessionis, indulti, inhibitionis, reprobationis, intentionis, derogationis, voluntatis et constitutionis infringere etc. Si quis etc. Datum Rome apnd Sanctum Petrum Anne etc. Millesimo quadringentesimo quadragesimosexto, v. Nonas Iulii, Pontificatus nostri Anno Sextodecimo.

DLXIV.

Fabianus de Bachia ord. Minorum vicarius Bosnensis eiusque successores in eadem Bosnia, Hungaria, Moldavia, Valachia, Bollachia, Bulgaria, Russia, Sclavonia inquisitores hereticae pravitatis constituuntur.
Reg. Au. XVI. Tom. 19. fol. 210.

EUGENIUS EPISCOPUS etc. Ad futuram rei memoriam. Pre cunctis nostre mentis desiderabilibus catholice incrementum fidei affectantes intimo utique dolore replemur, cum audimus vel sentimus aliquos, presertim clericali militie ascriptos, ad ipsius fidei depressionem quacumque malignitate satagere, vel dampnabilibus ipsam depravando depressionibus, seu comentis eam mendacibus pervertendo: ad quorum magna sternenda molimina eo animosius insurgimus, quo in animarum stragem pernitiosius eos agnoscimns aspirare. Dudum siquidem ad nostrum non sine displicentia grandi auditum perducto, quod tunc in regno Moldavie heretico pravitatis, et presertim cuiusdam secte abhominabilis Hussitarum nuncupate, satore malorum operum id procurante, numerosa personarum multitudo existebat, quod non modo incolarum, verum etiam ab ipso regno distantium, et precipue non paucorum regni Hungarie incolarum animas perversi dogmatis veneno pestifero infecerant, ac in dies properantes inficere omni studio satagebant et conabantur, timebaturque, ne si quantocius eorum pernitiosis ansibus oportune non provideretur, etiam ad terras fidelium predictos transenntes et mortiferum venenum sue erronee doctrine fundentes, quamplurimos inficerent in suarum et plurimorum aliorum evidens animarum periculum, dispendium quoque pernitiosissimum pariter et exemplum. Nos super hiis, quantum nobis ex alto permittebatur, totis providere viribus intenti et firmam super eo, quod eatenus dilecti filii ordinis fratrum Minorum professores de observantia nuncupati, et precipue vicarie Bozne, qui ut celebris famaque publica insinuabat, se

murum facientes pro domo domini et orthodoxe propagatione fidei, ad confundendas eliminandasque huiusmodi heresis superstitiones opem et operam efficaces solertius adhibere, quantum in eis foret, studuissent et studerent, prout tante rei necessitas exigeret, in convincendis eliminandisque dictis erroribus suas impertiri partes deberent, fiduciam in domino, ut congruebat, acceptantes, motu proprio dilectum filium Fabianum de Bachia Vicarium dicte vicarie et illius successores, qui pro tempore esseut ipsius vicarie Vicarii, in Ungarie et Bozne predictis, necnon Moldavie, Walachie, Bollachie, Bulgarie, Rassie, necnon Sclavonie ac omnibus et singulis aliis regnis seu partibus, ad que seu quas vicaria huiusmodi se extendere noscebatur, inquisitorem et inquisitores heretice pravitatis per alias nostras litteras perpetuo fecimus, constituimus et etiam deputavimus sub certis modo et forma, prout in eisdem litteris plenius continetur. Cum autem, sicut ad audientiam nostram plurimorum fidedignorum relatione pervenit, in aliquibus ex regnis seu partibus antedictis nonnulli presbiteri, aut etiam parrochialium ecclesiarum rectores, vel alia beneficia ecclesiastica, etiam dignitates, personatus, administrationes seu officia obtinentes, alieque persone ecclesiastice, pudicitie laxatis habenis ac vitam ducentes plurimum dissolutam, concubinas publice tenere illasque plurimum honorare, et quod deterius fore dinoscitur, ad allegandum eorum in peccato huiusmodi excusationem actum carnalem etiam inter non legitime coniugatos peccatum non esse, publice asserere et predicare non verentur, in maximam dei offensam et animarum periculum, pernitiosum quoque exemplum ac scandalum plurimorum, et a nonnullis revocetur in dubium, an Fabianus et successores predicti contra presbiteros et personas ecclesiasticas huiusmodi tanquam contra hereticos dictarum litterarum vigore procedere possint: nos, qui ex debito commissi nobis officii huiusmodi errorem detestabilem, ne propagetur ulterius, et per eum corda fidelium dampnabiliter corrumpantur, ab ecclesia catholica necessario extirpare debemus, motu proprio, non ad ipsius Fabiani vel alterius pro eo nobis desuper oblate petitionis instantiam, sed de nostra certa scientia auctoritate apostolica tenore presentium decernimus et declaramus, Fabianum et successores prefatos contra presbiteros et personas predictos, ac quoscumque alios, cuiuscumque status, gradus, ordinis vel conditionis fuerint, actum carnalem inter alios quam inter legitime coniugatos non esse peccatum asserere et pertinaciter tenere presumentes, tamquam contra hereticos iuxta ipsarum litterarum continentiam atque formam procedere posse et debere in omnibus et per omnia, perinde ac si in ipsis litteris, quod contra presbiteros, personas et alios asserentes predictos procedere possent et deberent, expressum fuisset. Et insuper ut Fabianus et successores predicti eo facilius inquisitionis officium huiusmodi exequi possint, quo personas presertim ecclesiasticas sibi in executione huiusmodi assistentes favoribus apostolicis prosequi poterunt, eisdem Fabiano et successoribus predictis, quod omnium et singularum ecclesiasticarum tam secularium quam ordinum quorumcumque regularium personarum, quas ad executionem huiusmodi pro tempore duxerint eligendas, confessiones audire, et pro commissis ab eis etiam quantumcumque gravibus et enormibus criminibus et delictis, etiam si symonie et alia fuerint, propter que sedes apostolica sit merito consulenda, crimine falsitatis litterarum apostolicarum dumtaxat excepto, debitam absolutionem impendere et penitentiam iniungere salutarem, necnon illos a quibuscumque excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et penis tam a iure quam ab homine latis et promulgatis, etiam in dicte sedis reservatis casibus in forma ecclesie consueta, iniunctis sibi pro modo culpe penitentia salutari et aliis, que de iure fuerint iniungenda, absolvere, et cum eis super quibuscumque irregularitatibus, homicidii voluntarii, bigamie et mutilationis membrorum casibus dumtaxat exceptis, dispensare, omnemque ab ipsis inhabilitatis et infamie maculam sine notam per eos quomodolibet contractam penitus abolere auctoritate apostolica possint et valeant, eisdem scientia et auctoritate concedimus per presentes, Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis ceterisque contrariis quibuscumque. Nulli ergo etc. nostre constitutionis, declarationis et concessionis etc. Si quis autem etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno etc. Millesimo quadringentesimo quadragesimosexto, quinto Nonas Iulii, Pontificatus nostri Anno Sextodecimo.

DLXV.

Universis Hungariae praelatis, principibus et populis, ut Stephanum Thomam Bosniae regem neophitum foveant. Reg. An. XVI. Tom. 19. fol. 224.

EUGENIUS EPISCOPUS etc. Universis et singulis Regni Ungarie Prelatis, Principibus, Ducibus, Comitibus, Baronibus, Nobilibus et populis ac Universitatibus, salutem etc. Gloriosa dei nostri opera, que diebus nostris in sue fidei augmentum sua misericordia facere dignatur, talia sunt et tanta, ut ne

dum latere possint eos, apud quos fiunt, sed per remotissimas orbis partes velocissime divulgentur. Quod itaque apud nos iam certum est ac diffusum, vobis omnibus, qui estis propinquiores, notum esse non dubitamus, Carissimum in Christo filium nostrum Stephanum Thomam Regem Bosne Illustrem post multos divorsosque tractatus diu habitos cum Venerabili fratre nostro Episcopo Farensi, quem apud illum in suo Regno apostolice sedis Legatum annis septem tenuimus, tandem factum esse Catholicum Christianum, cuius novi letitia nos et Venerabiles fratres nostri sancte Romane ecclesie Cardinales, aliique prelati et prestantes viri diversarum orbis partium Romanam Curiam frequentantes exultavimus, sicut vos letari credimus: unde cum deo nostro, a quo talia accipimus munera gratiarum, grati esse debeamus, laudes sibi primo dicentes omnia agamus, per que data bona recognoscere videamur, et eos, qui de nostro ovili sunt facti, taliter adiuvemus foveamusque, ut sentiatur caritas, apud quemcumque possit, que est christianis maximum supremumque mandatum: vos itaque omnes et singulos, ad quos presentes nostre littere pervenerint, in domino exhortamur, atque etiam vobis mandamus, ut supradictum Bosne Regem omnesque Regni sui subditos eidem in fide catholica consentientes in cunctis, que quomodolibet occurrant, commendatos suscipientes, necessarios eis favores et sponte vestra, ac quotiens fueritis requisiti, prestare velitis, taliter efficientes, ut se gaudeant christiano nomini, quod vos geritis, et pro quo adversus barbaros infideles contiuuo pugnatis, adhesisse ac illi se penitus permisisse. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno Millesimo quadringentesimo quadragesimosexto, III. Kalendas Augusti, Pontificatus nostri Anno Sextodecimo.

DLXVI.

Episcopo Farensi conceditur, ut monasterio s. Ioannis de Pongle in insula Brechiensi, cuius reditus portionibus clericorum inferiorum concessi erant, aliquem praficiat in abbatem. Reg. An. XVI. Tom. 1. fol. 242.

EUGENIUS EPISCOPUS etc. Venerabili fratri Thome Episcopo Farensi, salutem etc. Quoniam in hiis gratissime, que felicem Monasteriorum et aliorum piorum locorum statum, divini cultus augmentum et animarum salutem concernunt, solicitum te esse cognoscimus, merito illa tibi concedere inducimur, per que premissorum effectus salubriter consequatur. Dudum siquidem pro parte tua nobis exposito, quod tu olim provide considerans, quod tam Farensis ecclesia, quam civitas et diocesis Farensis clericorum nondum in sacerdotio constitutorum ex eo maximum defectum patiebatur, quod in partibus illis portiones, aut alii perpetui proventus ecclesiastici, qui eisdem clericis, antequam ordinem suscipiant presbiteralem, in titulum assignari possent, non habebantur, ac cupiens divinum cultum in dicta ecclesia augeri et celebrius observari, nonnullos ex huiusmodi clericis inferioribus in ea instituere, et quosdam alios instituere proponebas: tamen ob carentiam portionum sive redditnum huiusmodi absque apostolice sedis suffragio ad effectum perducere minime valebas, sed si inter alia Monasterium sancti Iohannis de Pongle in insula Brechiensi ordinis sancti Benedicti dicte diocesis, in quo a tanto tempore, quod de contrario memoria huiusmodi non habebatur, nullus alius Abbas quam quondam Benedictus, dudum extra Romanam Curiam defunctus, nullive Religiosi fuerant, tunc per ipsius Benedicti Abbatis obitum vacans, ad opus et sustentationem clericorum predictorum deputarentur et applicarentur, ex eius fructibus, redditibus et proventibus alique perpetue portiones pro totidem clericis creari et erigi, et propterea in ipsa ecclesia divinus cultus solemnius et decentius vigere utique posset: Nos tuis in ea parte supplicationibus inclinati tibi Monasterium ipsum cum omnibus iuribus et pertinentiis suis ad opus et sustentationem clericorum huiusmodi auctoritate apostolica deputandi et applicandi, necnon ex illius possessionibus et bonis ac fructibus, redditibus et proventibus huiusmodi perpetuas portiones sine cura ad numerum, de quo tibi visum foret, et pro simili numero clericorum nulla alia ecclesiastica beneficia obtinentium in prefata ecclesia serviturorum de novo creandi et erigendi, illarumque singulas sic creatas et erectas singulis clericis predictis, qui tamen ydonei essent, conferendi, et de illis etiam providendi, aliisque omnia et singula in premissis necessaria et oportuna faciendi, ordinandi et exequendi plenam et liberam per alias nostras litteras concessimus facultatem, prout in eisdem litteris plenius continetur. Cum autem, sicut exhibita nobis nuper pro parte tua petitio continebat, quamvis tu pro divini cultus augmento facultatem huiusmodi a nobis impetraveris, ac illam necnon omnia et singula in dictis litteris contenta executus fueris, tamen quia consideras, quod Monasterium ipsum, quod in loco utique nemoroso et ab hominum habitatione remoto consistit, propter deputationem et assignationem huiusmodi in spiritualibus et temporalibus enormiter leditur, saniori fretus consilio de persona ydonea, que apud prefatum Monasterium personaliter resideat et deserviat inibi in divinis, necnon circa reparationem

structurarum et edificiorum, ac recuperationem et augmentum terrarum, possessionum et aliorum bonorum dicti Monasterii ferventer intendat, providere, dummodo sedis apostolice suffragetur auctoritas, dño concedente, proponis: Quaro pro parte tua nobis fuit humiliter supplicatum, ut tibi de persona huiusmodi prefato Monasterio providendi licentiam concedere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur huiusmodi tuum laudabile propositum plurimum in domino commendantes, tuis in hac parte supplicationibus inclinati tibi, applicatione et deputatione ac omnibus aliis in eisdem litteris contentis, necnon Constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac ecclesie et Monasteriis et ordinis predicatorum etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis alia firmitate roboratis statutis et consuetudinibus, necnon specialibus et generalibus reservationibus apostolicis ceterisque nequaquam obstantibus, de persona, ut prefertur, ydonea prefato Monasterio, cuius fructus, redditus et proventus viginti duorum florenorum auri de Camera secundum communem extimationem valorem annuum, ut asseris, non excedunt, quovis modo vacet et ex quavis causa eius provisio ad sedem apostolicam specialiter vel generaliter pertineat, dummodo data presentium non sit ei de Abbate canonice provisum, providendi, seu in commendam perpetuo vel ad tempus concedendi plenam et liberam auctoritate apostolica facultatem concedimus per presentes, provisio quod Monasterium ipsum debitis propterea non fraudetur obsequiis, sed illius onera consueta et debita congrue supportentur. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis dominice Millesimo quadringentesimo quadragesimosexto, v. Idus Octobris, Pontificatus nostri Anno Sextodecimo.

DLXVII.

Eidem episcopo Farensi conceditur, ut quinque beneficia ecclesiae suae reservare et totidem viris idoneis conferre possit.
Reg. An. XVI. Tom. 1. fol. 340.

EUGENIUS EPISCOPUS etc. Venerabili fratri Thome Episcopo Farensi, salutem etc. Personam tuam nobis et apostolice sedi devotam tuis exigentibus meritis paterna benivolentia prosequentes, illa tibi libenter concedimus, per que te possis aliis reddere gratiosum. Hinc est, quod nos fraternitati tue pro quinque personis ydoneis, quas ad hoc duxeris eligendas, quinque beneficia ecclesiastica cum cura vel sine cura, etiam si duo ex eis Canonicatus et totidem prebende, ac dignitates, personatus, administrationes vel officia ecclesie Farensis, cui preesse dinosceris, fucrint, dummodo aliqua dignitatum earumdem post pontificalem maior non existat, in tuis Civitate et diocesi consistentia et ad tuas ac dilectorum filiorum Capituli dicte ecclesie collationem, provisionem, presentationem seu quamvis aliam dispositionem pertinentia, quorum quidem beneficiorum cuiuslibet fructus, redditus et proventus, si aliquod eorum cum cura, sexaginta, si vero sine cura fuerit, quadraginta florenorum auri secundum taxationem decime valorem annuum non excedant, si qua tempore resignationis huiusmodi vacabant, vel extunc inantea simul vel successive vacaverint, que dicte persone per se vel procuratores suos ad hoc legitime constitutos infra unius mensis spatium, postquam ipsis vel eisdem procuratoribus vocatio illorum innotuerit, duxerint acceptanda, singula videlicet beneficia huiusmodi conferenda singulis personis eisdem, post acceptationem predictam, cum omnibus iuribus et pertineutiis suis donationi tue hac vice dumtaxat auctoritate nostra reservandi, districtius quoque inhibendi successoribus tuis Episcopis Farensibus, qui pro tempore fuerint, et prefatis Capitulo, ne de beneficiis huiusmodi interim etiam ante acceptationem eandem, nisi postquam eis constiterit, quod persone vel procuratores predicti illa noluerint acceptare, disponere quoquomodo presumant, et nichilominus beneficia huiusmodi, que reservabis, si vacant vel cum vacaverint, ut prefertur, personis prefatis post acceptationem predictam cum omnibus iuribus et pertinentiis supradictis eadem auctoritate conferendi, et de illis etiam providendi, ac per te vel alium seu alios personas easdem, vel ipsarum nominibus procuratores suos in corporalem possessionem beneficiorum, iuriumque et pertinentiarum predictorum inducendi, et inductas defendendi, necnon personas vel pro eis procuratores predictos ad beneficia huiusmodi, ut est moris, admitti, eisque de illorum fructibus, redditibus, proventibus, iuribus et obventionibus universis integre respondere faciendi, Contradictores quoque eadem auctoritate, appellatione postposita, compescendi plenam et liberam concedimus tenore presentium facultatem, Non obstantibus Constitutionibus et ordinationibus apostolicis etc. ut supra in aliis similibus. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis dominice Millesimo quadringentesimo quadragesimosexto, v. Idus Octobris, Pontificatus nostri Anno Sextodecimo.

DLXVIII.

Universis Christi fidelibus ecclesium monasterii s. Clare Spalatensis dioec. eiusdem sanctae festis visitantibus indulgentia concedtur. Reg. An. XVI. Tom. I. fol. 340.

EUGENIUS EPISCOPUS etc. Universis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis, salutem etc. Licet is, de cuius munere venit etc. Cupientes igitur, ut ecclesia Monasterii Monialium sancte Clare ordinis eiusdem sancte Spalatensis diocesis, que, sicut accepimus, in suis edificiis et structuris reparatione indigere dinoscitur, congruis honoribus frequentetur, et in suis edificiis et structuris reparetur, et ut fideles ipsi eo libentius devotionis causa confluant ad eandem, et ad reparationem huiusmodi manus promptius porrigant adiutrices, quo ex hoc ibidem dono celestis gratie uberius conspexerint se refectos, de omnipotentis dei misericordia et beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi omnibus vere penitentibus et confessis, qui in singulis ipsius sancte Clare festis a primis vesperis usque ad secundas vesperas inclusive computando ecclesiam ipsam devote visitaverint annuatim, tres annos et totidem quadragenas de iniunctis eis penitentiis misericorditer relaxamus. Presentibus perpetuis futuris temporibus duraturis. Volumus autem, quod si alias dictam ecclesiam visitantibus, et ad reparationem ipsius ecclesie seu eius fabricam manus adiutrices porrigentibus, aut alias pias elemosinas ibidem erogantibus, seu alias aliqua alia indulgentia imperpetuum vel ad certum tempus nondum elapsum duratura per nos concessa fuerit, presentes nostre littere nullius existant roboris vel momenti. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis dominice Millesimo quadringentesimo quadragesimosexto, XV. Kalendas Novembris, Pontificatus nostri Anno Sextodecimo.

EPISTOLAE NICOLAI PP. V.

DLXIX.

Iacobus archiepus Ragusinus civitatis Perusinae eiusque comitatuum generalis in spiritualibus et temporalibus gubernator constituitur. Reg. An. I. Offic. Tom. 48. fol. 40.

NICOLAUS EPISCOPUS etc. Venerabili fratri Iacobo Archiepiscopo Ragusino, in Civitate nostra Perusina eiusque Comitatibus, territoriis et districtibus pro nobis et Romana ecclesia generali gubernatori cum potestate legati de latere, salutem etc. Quamvis ad cunctorum Christifidelium salubrem et pacificum statum prospere conservandum intente mentis aciem extendere teneamur, provincias tamen, Civitates et terras temporaliter apostolice sedi subiectas, et ipsarum populos universos, ipsiusque et Romane ecclesie filios et devotos precordialius intuemur, et super eorum felici regimine et statu pacifico et tranquillo affectamus specialius providere. Nos igitur, quorum interest de statu pacifico subditorum ecclesie paternaliter cogitare, et tranquillitati et paci dicte Civitatis eiusque Comitatuum, territoriorum et districtuum, sicut ad officium nostrum spectat, de oportuno remedio salubriter providere cupientes, et considerantes, quod tu, quem in magnis expertum et arduis eximia bonitate et fidelitate probatum gratiarum dominus scientie claritate, maturitate consilii, morum elegantia aliisque grandium virtutum meritis insignivit, in cuius affectibus geritur, prout indubitanter tenemus, sedare fluctuantes turbines, iusticie terminos colere, humiliare superbos, rebelles et inobedientes compescere, et errantes ad viam reducere veritatis, quod nos absentes repugnante natura efficere non possumus per nos ipsos, assistente tibi divina gratia, diligenter et fideliter exequeris, de consilio et assensu Venerabilium fratrum nostrorum sancte Romane ecclesie Cardinalium te in Civitate, Comitatibus, territoriis et districtibus predictis pro nobis et Romane ecclesia in spiritualibus et temporalibus gubernatorem generalem cum facultate, arbitrio, auctoritate, honoribus et honeribus consuetis usque ad nostrum et sedis apostolice beneplacitum auctoritate apostolica tenore presentium facimus, constituimus et etiam ordinamus, tibi nichilominus Civitatem, Comitatus, territoria et districtus prefata, eorumque terras, castra et loca nostro et prefate ecclesie nomine reformandi, regendi, gubernandi et administrandi, ac in eis iurisdictionem plenam et omnimodam

exercendi, civiles et criminales et mixtas causas per te vel alium seu alios, etiam si vel ubi tibi visum fuerit, summario, simpliciter et de plano sine strepitu et figura iudicii, sola facti veritate inspecta, audiendi, examinandi, discutiendi et fine debito terminandi, ac earum cognitionem, decisionem, discussionem alii vel aliis communiter vel divisim, generaliter vel specialiter, tam infra terminos tui gubernatoriatus, quam etiam extra illos, prout et sicut tibi videbitur, committendi, et ad te cum placuerit revocandi, iuramenta fidelitatis recipiendi etiam de novo, si opus fuerit, omnes et singulos cuiuscunque excellentie, auctoritatis, nobilitatis, preeminentie, conditionis aut status existant, quos iusticia suadente privandos videris, privandi eosdem Comitatibus, Capitaneatibus, preeminentiis, statibus, dignitatibus, honoribus, terris, feudis, retrofeudis, vicariatibus, officiis, iurisdictionibus, iuribus, rebus et bonis mobilibus et immobilibus quibuscunque, eaque Camere apostolice confiscandi et etiam applicandi (et) incorporandi, et in Comitatibus, terris et castris predictis et eorum territoriis et districtibus Potestates, Capitaneos, Castellanos, Iudices et quoscunque alios temporales generales et speciales, ac officia predicta ac omnia et singula generalia et specialia, quocunque nomine vel titulo fungantur seu nuncupentur, creandi, constituendi, suspendendi, revocandi, deponendi et destituendi, culpabiles civiliter et criminaliter per te vel alium seu alios puniendi, et querelas contra ipsos per quoscunque propositos etiam summarie, simpliciter et de plano, sine strepitu et figura iudicii, sola facti veritate inspecta, audiendi, emendas et satisfactiones debitas fieri faciendi, ac inter dominos temporales ac nobiles et personas alias seculares, necnon Communitates ac Universitates et populos, et omnes alios et singulos discordes et dissidentes Civitatis, Comitatuum, terrarum et castrorum predictorum, et territoriorum et districtuum eorumdem pacem et concordiam reformandi, et inter eos treugas indicendi, ipsosque et eas ad earum observationem quibuscunque penis, districtionibus et sententiis compellendi, concordes in caritatis et unitatis vinculo confirmandi, colligationes, confederationes, pactiones, conventiones, societates et ligas contra dictam ecclesiam, vel contra bonum pacis et statum illarum partium pacificum, seu in preiudicium sive damnum Civitatis, Comitatuum, terrarum et castrorum, ac territoriorum et districtuum predictorum initas et etiam iniendas cassandi et etiam annullandi, et penas super illis adiectas et adiciendas tollendi, iuramenta prestita relaxandi, occupata iniuste ab occupatoribus et detentoribus quibusvis eripiendi et recuperandi, electos et expulsos a locis, robus et iuribus suis quibuscunque et inique privatos ad loca, bona et iura eorum propria reducendi, restituendi et reintegrandi, ac super quibuscunque delictis, forefactis et rebellionibus per quascunque Civitates et singulares personas commissis, vel imposterum gubernationis tue tempore committendis dispensandi, componendi, concordandi, et delinquentes huiusmodi ad ecclesie Romane gratiam et obedientiam reducendi, et super inhabilitationibus et infamiis, quas propterea incurrerunt, dispensandi, ac Universitates et personas huiusmodi ad statum pristinum in integrum restituendi et reducendi, generales et particulares exercitus in auxilium dicte ecclesie, et pro tuitione status pacifici Civitatis, Comitatuum, territoriorum et districtuum, terrarum et castrorum predictorum, et contra quoscunque hostes et rebelles eiusdem ecclesie et status pacifici prediciti turbatores quoscunque, et ex aliis causis quibuscunque et quandocunque tibi videbitur, indicendi, faciendi et congregandi, hostes, rebelles et contradictores quoslibet per amotionis, privationis, depositionis, relegationis, proscriptionis perpetue vel temporalis sententias, sublato appellationis obstaculo, compescendi, ac faciendi, ordinandi et statuendi, et reali executioni mandandi omnia et singula, que ad huiusmodi plene gubernationis et reformationis officium pertinent, et que necessaria vel utilia fuerint quoquomodo in premissis et ea tangentibus, que ad honorem et commodum prefate ecclesie, et utilitatem ac prosperum et tranquillum statum Civitatis, Comitatuum, terrarum et castrorum predictorum, ac territoriorum et districtuum eorumdem videris et tibi visum fuerit expedire, faciendi, gerendi, mandandi et exequendi, eaque etiam per censuram ecclesiasticam et alia iuris remedia fieri faciendi et mandandi, gratiis tamen et concessionibus in Gallicano et alibi factis, et gratiose concessis dilectis filiis Communitati et oratoribus Perusiuis in premissis omnibus semper salvis, non obstantibus quibuscunque privilegiis, exemptionibus, indulgentiis ac litteris apostolicis vel Imperialibus, Regalibus et Comitalibus sub quacunque verborum forma vel expressione concessis, et contrariis Civitatis, Comitatuum, terrarum et castrorum, ac territoriorum et districtuum predictorum statutis et consuetudinibus et observantiis, per que nullum cuicunque persone, cuiuscunque preeminentie, dignitatis, excellentie, conditionis aut status fuerit, ac Collegio (et) Universitati in hac parte volumus afferri suffragium, concedentes plenam et liberam harum serie facultatem. Nos insuper processus, sententias, censuras ecclesiasticas et penas quascunque, quos et quas proferri et infligi, omniaque per te vel deputandos a te fieri contigerit, rata habebimus

et faciemus, auctore domino, usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Ut igitur premissa omnia et singula melius, plenius et utilius valeas exercere, dilectis filiis Communitati et Civibus Perusinis, necnon universis et singulis Comitatuum, terrarum et castrorum, ac suorum territoriorum et districtuum predictorum Universitatibus, Potestatibus, Capitaneis, Officialibus, Castellanis, gentium nostrarum tam equestrium quam pedestrium Capitaneis presentibus et futuris, ac provisionariis in illis partibus existentibus et militantibus, ceterisque nostris et ecclesie prelibate subditis, cuiuscunque status, dignitatis ecclesisstice vel mundane, ordinis vel conditionis existant, damus tenore presentium districtius in mandatis, ut tibi in premissis omnibus pareant et intendant, et studeant tuis monitis efficaciter obedire. Tu igitur, Venerabilis frater, ex concessis tibi dono celesti virtutibus Civitatem, Comitatus, territoria et districtus ac terras, castra et loca predicta, eorumque Cives, Universitates et homines ad honorem statumque nostrum et Romane ecclesie, eorumque statum prosperum et tranquillum sic studeas sub mensura iusticie feliciter gubernare, iuvando bonos et reprobos ac inobedientes quoslibet compescendo, quod ex tuis laudabilibus actionibus optati fructus proveniant, ut speramus, ipsiqne Cives, Universitates et homines utili et provido gubernatori merito gaudeant se commissos, tuque preter eterne retributionis premium nostram et apostolice sedis benedictionem et gratiam exinde uberius consequi morearis. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno etc. Millesimo quadringentesimo quadragesimoseptimo, XII. Kal. Iunii, Pontificatus nostri Anno Primo.

DLXX.

Universis Christi fidelibus ecclesiam s. Hieronymi de Strigone Zagrabiensis dioecesis, quae olim domus paterna eiusdem sancti, et in qua natus et nutritus exstitit, visitantibus festo dicti sancti indulgentia conceditur. Reg. An. I. Secret. Tom. I. fol. 182.

NICOLAUS EPISCOPUS etc. Universis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis, salutem etc. Gloriosus deus in sanctis suis et in ipsorum glorificatione congaudens, in veneratione beati Hieronymi Confessoris sui eo iocundius delectatur, quo ipse utpote quasi luminosa ardens lucerna super candelabrum in domo domini posita, errorum tenebris profugatis eius meritis almam matrem ecclesiam pre ceteris excellentius illustravit. Cum itaque, prout accepimus, dilectus filius Nobilis vir Fridericus Cilie, Ortenwurge et Zagorie Comes ac Regni Sclavonie Banus de propria salute recogitans, et in celestibus thesaurizsre cupiens ob singularem, quam ipse et alii Christi fideles partium illarum ad beatum Hieronymum Confessorem, tamquam precipuum ecclesie sidus irradiens, gerunt devotionis affectum, ecclesiam sine cura sancti Hieronymi de Strigone Zagrabiensis diocesis, que olim domus paterna ipsius sancti, et in qua nutritus et educatus extitit, de bonis sibi desuper creditis notabiliter construi et edificari fecerit, ac solemniter dotaverit: Nos cupientes, ut dicta ecclesia congruis honoribus frequentetur, et in suis structuris et edificiis debite conservetur, ac fidelium huiusmodi devotio peramplius augeatur, ipsique fideles eo libentius causa devotionis confluant ad eandem, et ad conservationem huiusmodi manus promptius porrigant adiutrices, quo ex hoc ibidem dono celestis gratie uberius conspexerint se refectos, prefati Comitis in hac parte supplicationibns inclinati, de omnipotentis dei misericordis ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum auctoritate confisi, omnibus vere penitentibus et confessis, qui prefatam ecclesiam in festo beati Hieronymi devote visitaverint annuatim, et ad illius conservationem huiusmodi manus porrexerint adiutrices, quinquo annos et totidem quadragenas de iniunctis eis penitentiis misericorditer relaxamus. Presentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem, quod si ecclesiam ipsam visitantibus vel ad conservationem huiusmodi manus adiutrices porrigentibus, aut inibi pias elemosinas erogsntibus, seu alias aliqua alia indulgentia in perpetuum, vel ad certum tempus nondum elapsum duratura per nos concessa fuerit, presentes littere nullius existant roboris vel momenti. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno Incsrnationis dominice Millesimo quadringentesimo quadragesimoseptimo, IIII. Kalendas Novembris, Pontificatus nostri Anno Primo.

DLXXI.

Iisdem visitantibus ecclesiam et monasterium, quod Fridericus comes Ciliae in Vallisan Aquileiensis dioec. aedificari fecit, certis festis indulgentiae conceduntur. Reg. An. I. Secret. Tom. I. fol. 184.

NICOLAUS EPISCOPUS etc. Universis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis, sslutem etc. Dum precelsa meritorum insigna etc. Cum itaque, sicut accepimus, dilectus filius Fridericus Cilie, Ortenwurge et Zagorie Comes, ac Regni Sclavonie Banus zelo devotionis accensus cupiens terrena in celestia,

et transitoria in eterna felici commercio commutare, quoddam insigne monasterium ordinis sancti Benedicti cum ecclesia et aliis necessariis officiis ad laudem et gloriam omnipotentis dei, ac in honorem et sub vocabulo gloriosissime Virginis eius genitricis Mario in loco Vallisou nuncupata Aquilegiensis diocesis, eius temporali dominio subiecto, de bonis sibi a domino collatis solemniter construi et edificari fecerit, illudque pro Priore et pluribus monachis inibi altissimo perpetuo famulaturis sufficienter dotaverit: Nos cupientes, ut dictus monasterium congruis honoribus frequentetur, illudque cum ecclesia ac officinis huiusmodi in eorum structuris et edificiis debite conservetur et augmentetur, et ut Christi fideles eo libentius devotionis causa ad ecclesiam confluant eandem, necnon ad conservationem et augmentum huiusmodi manus promptius porrigant adiutrices, quo ex hoc ibidem dono celestis gratie uberius conspexerint se refectos, prefati Comitis in hac parte supplicationibus inclinati, de omnipotentia dei misericordia ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius auctoritato confisi, omnibus vere penitentibus et confessis, qui prefatam ecclesiam cum suis capellis in Visitationis et Assumptionis eiusdem B. Mario festivitatibus devote visitaverint annuatim, et ad constructionem et augmentum huiusmodi manus porrexerint adiutrices, singulis videlicet festivitatum earumdem septem annos et totidem quadragenas de iniunctis eis penitentiis misericorditer relaxamus. Presentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem, quod si ecclesiam ipsam visitantibus vel ad reparationem et augmentum huiusmodi manus adiutrices porrigentibus, vel inibi pias elemosinas erogantibus, seu alias aliqua alia indulgentia imperpetuum, vel ad certum tempus nondum elapsum per nos concessa fuerit, presentes littere nullius existant roboris vel momenti. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis dominice Millesimo quadringentesimo quadragesimoseptimo, III. Idus Novembris, Pontificatus nostri Anno Primo.

DLXXII.

Friderico comiti Cilise una cum quinque familiaribus indulgetur, ut diebus quadragesimalibus carnibus et lacticiniis vesci valeant. Reg. An. I. Secret. Tom. I. fol. 161.

NICOLAUS EPISCOPUS etc. Dilecto filio Nobili viro Friderico Cilie, Ortenwurge et Zagorie Comiti, salutem etc. Exigit tue magne devotionis affectus, quo nos et Romauam ecclesiam revereris, ut petitionibus tuis, quantum cum domino possumus, favorabiliter annuamus. Cum itaque, sicut pro parte tua fuit propositum coram nobis, tu iuxta assertionem medicorum absque carnium, ovorum ac laticiniorum esu personam tuam commode nequeas substentare: Nos tuis in hac parte supplicationibus inclinati, ut confessor idoneus seculoris vel religiosus, quem duxeris eligendum, tecum necnon cum quinque ex familiaribus tuis, quos ad servitia tua tam in coquina cibariorum tuorum, quam credentia et mensa pro decentia persone tue pro temporo oligeris et deputaveris, ut tu et familiares predicti quadragesimalibus et aliis diebus, quibus esus carnium et pinguinm ab iure vel consuetudine prohibitus existit, carnibus et laticiniis vesci libere et licite valeatis, de consilio tamen medicorum eorumdem, quotiens ipsi et dictus confessor hoc tibi et eisdem familiaribus viderunt expedire, super quo ipsorum confessoris et medicorum conscientias oneramus, premissis ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis ceterisque contrariis nequaquam obstantibus, auctoritate apostolica dispensare possit, devotioni tue tenore presentium indulgemus. Nulli ergo etc. nostre concessionis infringere etc. Si quis autem etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis dominice M.CCCC.XLVII. IIII. Idus Novembris, Pont. nostri Anno Primo.

Eodem modo Dilecto filio Nobili viro Ulrico Cilic, Ortenwurge et Zagorie Comiti ac Regni Sclavonie Bano. Datum ut supra.

DLXXIII.

Iacobo archiepo Ragusino, gubernatori Perusii, ut se informet de statu duorum monasteriorum s. Clarse et s. Francisci Assisii existentium, et si hoc magis reparatione egeat, centum et quinquaginta flor. auri ex proventibus ecclesise s. Mariae de Angelis ei applicet. Reg. An. I. in Reg. Eugenii IV. Tom. 8. fol. 184.

Venerabili fratri Iacobo Archicpiscopo Ragusino, Gubernatori Perusii.

NICOLAUS PP. V. Venerabilis frater, salutem etc. Scripsimus pridem per quoddam breve nostrum dilectis filiis Prioribus et Sindico Civitatis nostre Assisii, ut do proventibus ecclesie sancte Marie de Angelis Assisinatensis diocesis Centumquinquaginta florenos auri in reparationem edificiorum monasterii Monialium sancte Clare dicte Civitatis exponerent. Postmodum vero pro parte dilectorum filiorum Custodis et Conventus fratrum sancti Francisci dicte Civitatis nobis exposito, quod edificia tam ecclesie quam ipsius domus sancti Francisci multiplici reparatione indigent, et nisi celeriter succurratur,

gravissimum ruine periculum imminet, domum etiam infirmorum dicti Conventus a tempore, quo Civitas prede exposita fuit, cum necessaria suppellectile spoliatam esse, et propterea dictam pecunie summam in reparationem et predicte domus necessaria converti et exponi mandare dignaremur. Eapropter cum utri maior necessitas maiusque periculum ruine immineat, per nosmet informari nequeamus, fraternitati tue committimus et mandamus, quatenus te diligenter informes de defectibus utriusque monasterii, et si edificia monasterii sancte Clare adhuc per annum commode et sine evidenti periculo ruine permanere posse comperis, super quo tuam conscientiam oneramus, volumus, ut prefatam summam florenorum Centumquinquaginta in reparationem ac alia necessaria predicta dicte domus sancti Francisci expendi et converti facias auctoritate nostra, Brevi nostro prefato ac aliis non obsantibus quibuscunque. Monasterio autem sancte Clare predicte per aliam viam, concedente domino, intendimus providere. Datum Rome apud Sanctum Petrum die XVIII. Augusti (M.CCCC.XLVII. Pontificatus nostri) Anno Primo.

DLXXIV.

Thome ejo Farensi in regno Bosnine legato, ne in audiendis et decidendis differentiis inter fratres ord. Minorum in provinciis Bosnensi et Ragusina ortis procedat, donec aliud mandatum recipiat. Reg. An. I. Brev. in Reg. Eugenii IV. Tom. 8. fol. 199.

Venerabili fratri Thome Episcopo Pharensi, in Regno Bosne Legato.

NICOLAUS PP. V. Venerabilis frater, salutem etc. Licet alias commiserimus fraternitati tue quasdam differentias et lites, que vertuntur inter dilectos filios ordinis Minorum professores, illos videlicet, qui sub vicaria Bosne, ac illos, qui sub custodia Ragusina constituti sunt, cognoscendas et decidendas, cum tamen postmodum ad partes dicti regni destinaverimus dilectum filium Iacobum de Prinicidiciis Vicarium generalem fratrum dicti ordinis de observantia nuncupatorum, eidemque commiserimus, quatenus de controversiis, quo inter dictos fratres vertuntur, se diligenter informaret, ea que reperisset nobis relaturus: eapropter etiam fraternitati tue tenore presentium iniungimus et mandamus, quatenus in causa ot causis huiusmodi procedere supersedeas, quoad nos, a prefato Iacobo Vicario relatione accepta, aliud etiam fraternitati tue per nostras litteras duxerimus iniungendum. (Datum) Rome apud Sanctum Petrum die XII. Ianuarii (M.CCCC.XLVIII. Pontificatus nostri) Anno Primo.

DLXXV.

Aeneae ejo Tergestino de aliquo beneficio in Aquileiensi aut Salzeburgensi provinciis vacante cum eius fructibus in subsidium providetur. Reg. An. 11. de Curia Tom. 27. fol. 94.

NICOLAUS EPISCOPUS etc. Venerabili fratri Enee Episcopo Tergestino, salutem etc. Decet ex benigno sedis apostolice provenire subsidio, ut ecclesiarum Prelatis, quos presertim in partem solicitudinis evocavit altissimus, ne quem suscepte dignitatis docus temporalium rerum defectus obnubilet, de provisionis succurratur gratia congruentis. Horum igitur consideratione inducti tibi, ut statum tuum decentius tenere valeas, de alicuius subventionis auxilio providere, specialemque gratiam facere volentes, motu proprio, non ad tuam vel alicuius nobis super hoc oblate petitionis instantiam, unum beneficium ecclesiasticum cum cura vel sine cura, cuiuscunque taxe seu valoris annui illius fructus, redditus et proventus fuerint, etiam si de iure patronatus laicorum dignitas, non tamen maior vel principalis existat, et ad illam consuevit quis per electionem assumi, ad cuiuscunque seu communiter vel divisim quorumcunque collationem, provisionem, presentationem, electionem seu quamvis aliam dispositionem pertinens, si quod in Aquilegiensi vel Salczeburgensi provinciis, earumque Civitatibus seu diocesibus vacat ad presens, vel cum vacaverit, quod tu per te vel procuratorem tuum ad hoc legitime constitutum infra unius mensis spatium, postquam tibi vel eidem procuratori vacatio illius innotuerit, duxeris acceptandum, commendandum tibi post acceptationem huiusmodi, et per te una cum dicta Tergestina ac quacunque alia Cathedrali vel Metropolitana, cui pro tempore prefueris, ecclesia tenendum, regendum et gubernandum, cum omnibus iuribus et pertinentiis suis dispositioni apostolice reservamus, ita quod liceat tibi fructus, redditus et proventus beneficii huiusmodi, postquam tibi commendatum fuerit, ut prefertur, libere recipere et habere, ac in tuos et beneficii huiusmodi usus convertere, de illis quoque alias disponere et ordinare libere, sicuti illud pro tempore obtinentes de ipso disponere et ordinare possent, seu etiam deberent, alienatione tamen quorumcunque bonorum immobilium et pretiosorum mobilium huiusmodi beneficii tibi penitus interdicta, districtius inhibentes Venerabilibus fratribus nostris ... Patriarche Aquilegiensi et ... Archiepiscopo Salczeburgensi ac illorum Suffraganeis, necnon quibus-

cunque locorum ordinariis, ac illi vel illis, ad quem vel ad quos in ecclesiis, civitatibus, diocesibus ac provinciis predictis beneficii huiusmodi collatio, provisio, presentatio, electio seu quevis alia dispositio communiter vel divisim pertinet, ne de beneficio huiusmodi interim etiam ante acceptationem eandem, nisi postquam eis constiterit, quod tu vel procurator predictus illud nolueritis acceptare, disponere quoquomodo presumant, ac decernentes exnunc irritum et inane, si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari, Non obstantibus Constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac ecclesie, in qua huiusmodi beneficium forsan fuerit, iuramento, confirmatione apostolica vel quacunque firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus contrariis quibuscunque, Aut si aliqui super provisionibus sibi faciendis de huiusmodi specialcs, vel aliis beneficiis ecclesiasticis in illis partibus generales dicte sedis vel legatorum eius litteras impetrarint, etiam si per eas ad inhibitionem, reservationem et decretum, vel alias quomodolibet sit processum, quibus omnibus etiam auctoritate nostra beneficium huiusmodi expectantibus te in dicti beneficii assecutione volumus anteferri, sod nullum per hoc eis quoad assecutionem benoficiorum aliorum preiudicium generari, Seu si Patriarcho, Archiepiscopo, Suffraganeis et ordinariis predictis, vel quibusvis aliis communiter vel divisim ab eadem sit sede indultum, quod ad receptionem vel provisionem alicuius minime teneantur, et ad id compelli non possint, quodque de huiusmodi vel aliis beneficiis ecclesiasticis ad eorum collationem, provisionem, presentationem, electionem seu quamvis aliam dispositionem coniunctim, vel separatim spectantibus nulli valeat provideri per litteras apostolicas non facientes plenam ac expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, et qualibet alia dicte sedis indulgentia generali vel speciali, cuiuscunque tenoris existat, per quam presentibus non oxpressam vel totaliter non insertam effectus huiusmodi gratie impediri valeat quomodolibet vel differri, et de qua cuiusque toto tenore habenda sit in nostris littoris mentio specialis, Aut si hodie pro alio vel aliis super equali vel equalibus gratia seu gratiis de simili beneficio ad collationem, provisionem, presentationem, electionem seu quamvis aliam dispositionem in provinciis, civitatibus et diocesibus predictis communiter vel divisim(?) pertinente litteras nostras duxerimus concedendas, nos enim tam illas quam presentes effectum sortiri volumus, quacunque constitutione apostolica contraria non obstante. Nulli ergo etc. nostre reservationis, inhibitionis, constitutionis et voluntatis infringere etc. Si quis autem etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno etc. Millesimo quadringentesimo quadragesimooctavo, III. Nonas Ianuarii, Pontificatus nostri Anno Secundo.

Simili modo Venerabilibus fratribus ... Frisingensi et ... Pataviensi Episcopis, ac dilecto filio ... Abbati Monasterii sancte Trinitatis in Novacivitate Salczeburgensis diocesis, predictarum litterarum executoribus etc. Datum ut supra.

DLXXVI.

Pontifex revocat provisiones de beneficiis in ecclesia Catharensi concessas, et eorum collationem in mensibus alternis episcopo concedit. Reg. An. III. de Curia Tom. 25. fol. 71.

Nicolaus episcopus etc. Ad futuram rei memoriam. Exigit sincere devotionis affectus, quem dilecti filii Communitas Civitatis et Capitulum ecclesie Catharensis ad nos et Romanam gerunt ecclesiam, ut votis eorum, illis presertim, que divini cultus incrementum ac ecclesiarum et ecclesiasticorum beneficiorum utilitatem, necnon personarum ecclesiasticarum promotiones concernunt, favorabiliter annuamus. Sane pro parte Communitatis et Capituli predictorum nobis nuper exhibita petitio continebat, quod licet in dicta Civitate et diocesi Catharensi pauca exilium fructuum et roddituum beneficia ecclesiastica fore noscantur, aliqui tamen etiam advene et scandalosi ac minus ydonei, et Venerabili fratri Marino Episcopo Catharensi ac eisdem Communitati et Capitulo minus grati ad ipsa beneficia anhelantes pretexta gratiarum expectativarum, aut alias etiam preter et contra voluntatem dictorum Communitatis et et Capituli beneficia ipsa apprehendere et acquirere nituntur: proptorea Communitas et Capitulum profati considerantes inde quam plura dissensiones, scandala ac pericula personarum evenire posse, suos ad nos Ambasiatores destinarunt, nobis humiliter supplicantes, ut super hiis de opportuno remedio providere dignaremur. Nos igitur huiusmodi supplicationibus inclinati, prescnti perpetuo valitura constitutione omnes et singulas gratias huiusmodi, aut alias etiam speciales reservationes, personis videlicet eisdem Episcopo, Communitati et Capitulo minus gratis, vel qui scandolosi aut non ydonei fuerint, ut prefortur, concessas et imposterum concedendas, necnon litteras apostolicas desuper confectas et conficiendas, et quecunque inde secuta et secutura, processus quoque super illis habitos et habendos, quorum omnium tenores presentibus haberi volumus pro expressis, auctoritate apostolica tenore presentium

cassamus, revocamus et irritamus nulliusque decernimus existere firmitatis. Et nichilominus eidem Marino Epo Catharensi de quibusvis ad Epi Catharensis pro tempore existentis dumtaxat, nec non de singulis ad eorum communiter vel divisim collationem, provisionem, presentationem, electionum seu quamvis aliam dispositionem pertinentibus dignitatibus, personatibus, administrationibus, officiis, canonicatibus et prebendis, necnon aliis beneficiis ecclesiasticis cum cura et sine cura, que exnunc inantea in Februarii, Aprilis, Iunii, Augusti, Octobris et Decembris mensibus vacare contigerit, dummodo dispositioni apostolice generaliter reservata non fuerint, etiam si presentationes, nominationes vel electiones aliorum, que salve sint in talibus, ibidem precedere consueverint, perinde ac si aliqua a sede apostolica vel eius legatis expectative gratie, aut super illis reservationes non emanassent vel existerent, liberam disponendi facultatem concedimus per presentes, ita tamen quod ipse Episcopus et Capitulum alia, quam sub data decimooctavo Kalendas Iulii, Pontificatus nostri anno primo, Prelatis et aliis ecclesiasticis personis super conferendis beneficiis ecclesiasticis in certis mensibus expressis generaliter concessimus, deinceps non utamini facultate, decernentes irritum et inane se secus super hiis, a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari. Datum Spoleti Anno etc. Millesimo quadringentesimo quadragesimonono,.xv. Kalendas Iulii, Pontificatus nostri Anno Tercio.

DLXXVII.

Polidoro, olim episcopo Pergamensi, in archiepiscopum Iadrensem electo monasteriorum ss. Cosmae et Damiani Iadrensis dioecesis iterum in commendam conceditur. Reg. An. III. Tom. 26. fol. 309.

Nicolaus episcopus etc. Venerabili fratri Polidoro Episcopo nuper Pergamensi in Archiepum Iadrensem Electo, salutem etc. Personam tuam nobis et apostolice sedi devotam tuis exigentibus meritis paterna benivolentia prosequentes, illa tibi favorabiliter concedimus, que tuis commoditatibus fore conspicimus oportuna. Hodie siquidem te a vinculo, quo Pergamensi ecclesie tenebaris, auctoritate apostolica de nostre plenitudine potestatis absolventes, motu proprio de persona tua ecclesie Iadrensi tunc vacanti providimus, teque illi prefecimus in Archiepiscopum et pastorem, prout in nostris desuper confectis litteris plenius continetur. Nos igitur, ut statum tuum iuxta Archiepiscopalis dignitatis decentiam et tuorum exigentiam commodius tenere, et alia tibi incumbentia expensarum onera facilius supportare valeas, de alicuius subventionis auxilio providere volentes, motu simili, non ad tuam vel alicuius alterius pro te nobis super hoc oblate petitionis instantiam, sed de nostra mera liberalitate tibi, qui, ut accepimus, tempore prefectionis huiusmodi Monasterium sanctorum Cosme et Damiani ordinis sancti Benedicti Iadrensis diocesis in commendam, quamdiu ecclesie Pergamensi preesses, apostolica tibi auctoritate sub certis modo et forma concessum obtinebas, prout obtines, ut, etiam postquam in vim prefectionis et provisionis earumdem possessionem vel quasi reginimis et administrationis bonorum dicte ecclesie Iadrensis pacifice assecutus fueris, monasterium ipsum unacum ipsa ecclesia Iadrensi, et quibusvis aliis ecclesiis, monasteriis, dignitatibus et beneficiis, quibus te decetero preesse, aut que te interim in titulum vel in commendam obtinere contigerit, etiam in huiusmodi commendam, quam propterea nullatenus expirasse decernimus, quoad vixeris, retinere, necnon debitis eius supportatis oneribus de residuis illius fructibus, redditibus et proventibus, sicuti ante provisionem et prefectionem easdem poteras, disponere et ordinare libere liciteque valeas atque possis, alienatione tamen bonorum immobilium et pretiosorum mobilium eiusdem monasterii tibi penitus interdicta, auctoritate apostolica tenore presentium concedimus pariter et indulgemus, Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis necnon ecclesie, monasterii et ordinis predictorum iuramento, confirmatione apostolica seu quacumque firmitate alia roboratis statutis ot consuetudinibus ceterisque contrariis quibuscumque. Nulli ergo etc. nostre concessionis infringere etc. Si quis autem etc. Datum Fabriani Camerinensis diocesis Anno Incarnationis dominice Millesimo quadringentesimo quadragesimonono, Nonis Novembris, Pontificatus nostri Anno Tercio.

DLXXVIII.

Iudicibus, ut se informent super facto spoliationis et appropriationis a capellanis Laurentii defuncti archiepiscopi Iadrensis de eius rebus patratae, eosque, si sibi de hoc constiterit, ad restituendum spirituali et corporali districtione compellant. Reg. An. III. Tom. 27. fol. 41.

Nicolaus episcopus etc. Venerabili fratri ... Archiepiscopo Corphiensi, et dilectis filiis ... Abbati Monasterii sancti Michaelis ae ... Archidiacono ecclesie Iadrensis, salutem etc. Quos divinus amor

a malo non retrahit, necesse est, ut iusticie choerceat disciplina. Nuper siquidem Venerabilis frater noster Polidorus Archiepiscopus Iadrensis non sine querela nobis exposuit, quod dilecti filii Bozodanus presbiter et Georgius de Venetiis ordinis fratrum Predicatorum professor, bone memorie Laurencii Archiepiscopi Iadrensis, dum vixit, Cappellani commensales, defuncto eodem Laurencio Archiepiscopo, argenterias, vestes, aaulos, libros, pecunias, bladi et vini quantitates, ac diversa alia res et bona ad usum Polidori Archiepi pleno iure spectantia ausu temerario receperunt, et aliqua ex eis vendiderunt, impignorarunt, seu alio titulo alienarunt, reliqua vero secum asportarunt, non curantes illa prefato Polidoro Archiepiscopo restituere, seu de eis bonam sibi reddere rationem, in maximum dicti Polidori Archiepiscopi preiudicium atque damnum. Quare dictus Polidorus Archiepiscopus nobis super hoc humiliter supplicavit, ut sibi in premissis oportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur de premissis certam noticiam non habentes, huinsmodi supplicationibus inclinati discretioni vestre per apostolica scripta mandamns, quatenus vos vel duo aut unus vestrum, si vocatis dictis Cappellanis et aliis qui fuerint evocandi, ita esse reppereritis, prefatos Cappellanos, ut eidem Polidoro Archiepiscopo argenterias et omnia alia bona premissa infra certum peremptorium terminum per vos eis prefigendum libere restituant, seu de illis sibi bonam rationem reddant, auctoritate nostra moneatis, et si infra dictum terminum argenterias et alia bona premissa eidem Polidoro Archiepiscopo, vel eius procuratori legitimo non restituerint, vel sibi de illis bonam non reddiderint rationem, elapso termino huiusmodi personaliter, absque tamen gravi corporis lesione, capi et carceribus mancipari, necnon in illis tamdiu detineri faciatis et procuretis, donec et quousque dicti Cappellani argenterias et alia bona huiusmodi eidem Polidoro Archiepiscopo restituerint, seu de illis integre satisfecerint, necnon omnes et singulos, penes quos argenterie et alia bona ipsa reperientur, sub excommunicationis et aliis, de quibus vobis videbitur, penis, quas contrafacientes incurrant, etiam infra certum competentem terminum moneatis, ut argenterias et alia bona predicta, satisfacto prius eis de pretio, pro quo illa emerint seu in pignus habuerint, ipsi Polidoro Archiepiscopo restituant, seu illa penes aliquam personam fide et facultatibus ydoneam deponant, et tamdiu in deposito remaneant, donec compertum fuerit, ad quem illa de iure pertineant, Contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo, invocato, si opus fuerit, auxilio brachii seculari, super quibus omnibus et singulis tam vobis quam quibuscunque locorum ordinariis, in quorum civitatibus, diocesibus et locis dicti Cappellani et alii, penes quos argenterie et alia bona predicta repperientur, moram trahere contigerit, plenam et liberam tenore presentium concedimus facultatem, Non obstantibus fel. record. Bonifacii pape VIII. predecessoris nostri, illis presertim, que incipit, Statutum, ac de duabus dictis in Concilio generali et aliis apostolicis constitutionibus, necnon statutis et consuedinibus dicti ordinis Predicatorum iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis alia firmitate roboratis ceterisque contrariis quibuscunque, aut si Cappellanis et emptoribus predictis vel quibusvis aliis communiter vel divisim a dicta sit sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari, aut extra vel ultra certa loca ad iudicium trahi non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi, et quibuslibet aliis privilegiis, indulgentiis et litteris apostolicis specialibus vel generalibus, quorumcunque tenorum existant, per que presentibus non expressa vel totaliter non inserta vestra et dictorum ordinariorum iurisdictio in hac parte valeat quomodolibet impediri, que quoad hoc Cappellanis, emptoribus et aliis premissis nolumus aliquatenus suffragari. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis dominice Millesimo quadringentesimo quadragesimonono, VI. Kal. Februarii, Pontificatus nostri Anno Tercio.

DLXXIX.

Nobilibus civitatis Ragusine pontifex concedit, ne quis in canonicum in ecclesia Ragusina, nisi de ipsa civitate oriundus et nobilis sit, infra XX. annos recipi possit Reg. Aa. IV. Tom. 28. fol. 182.

NICOLAUS EPISCOPUS etc. Ad futuram rei memoriam. Ad ecclesiarum, presertim Cathedralium, etiam Metropolitanarum, omnium statum salubriter et prospere dirigendum paterna solicitudine vigilantes, ad ea libenter intendimus, per que illarum obsequiis persone tales pro tempore deputentur, que non solum in divinorum officiorum exhibitione perite reperiantur, sed etiam sciant, velint et valeant ecclesiarum earumdem iura, possessiones et bona defendere et salubriter conservare. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Nobilium Civium Civitatis Ragusine peticio continebat, quod civitas predicta a tanto tempore citra, cuius initii memoria hominum non existit, per illius pro tempore

cives nobiles bene et laudabiliter recta et gubernata fuit, prout etiam modernis temporibus gubernatur, quodque exinde non solum conservationem salubrem, sed etiam augmentum plurimum suscepit. Cum autem, sicut eadem peticio subiungebat, ecclesia Ragusina propter incuriam et negligentiam multarum personarum de illius Capitulo hactenus existentium defectus plures in spiritualibus et temporalibus sustinuisse noscatur, ac verisimiliter prosumi possit, quod illa in suis iuribus melius a personis ecclesiasticis de civitate predicta oriundis ac nobili genere procreatis, quam ab aliis defendi et conservari debeant, pro parte dictorum Nobilium exponentium nobis fuit humiliter supplicatum, ut super hoc statui et indemnitati dicte ecclesie opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur premissa eque et paternaliter compensantes, huiusmodi supplicationibus inclinati, quod decetero usque ad viginti annos inclusive a data presentium computandos nullus cuiuscumque gradus, status, ordinis vel conditionis, nisi de civitate predicta oriundus ac nobili genere procreatus, vel nisi alias presentibus per verbum derogatorium ex certa scientia specialiter derogatur, vigore quarumvis nostrarum seu sedis apostolice litterarum, aut legatorum eius sub quibusvis formis aut verborum expressionibus, ac etiam cum huiusmodi sequenti, videlicet: Aut si Archiepiscopo pro tempore existenti et dilectis filiis Capitulo Ragusinis ab eadem sede indultum existat, quod ad recceptionem vel provisionem alicuius minime teneantur, et ad id compelli, aut quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem; vel aliis quibusvis derogatoriis et prohibitoriis clausulis, etiam motu proprio hactenus concessarum, quarum tenores ac si de verbo ad verbum inscrti forent, presentibus haberi volumus pro expressis, etiam si per eas ad inhibitionem, reservationem et decretum vel alias quomodolibet sit processum, et aliquis in Canonicum inibi receptus foret, seu ordinaria vel alia quavis auctoritate prebendam vel dignitatem in dicta ecclesia recipere vel retinere, aut ad aliquam illarum inibi recipi vel admitti possit seu debeat, quodque prefati Capitulum nullum nisi de ipsa civitate oriundum ac nobile genere procreatum in Canonicum eiusdem ecclesie recipere, seu ad prebendam vel dignitatem huiusmodi inibi admittere debeant, quinymo ipsi et singulares ex cis persone cuicumque non oriundo nec procreato, ut prefertur, infra tempus viginti annorum huiusmodi [se] pretextu litterarum concessarum vel concedendarum prefatarum, aut alias quomodolibet ad Canonicatum et prebendam seu dignitatem ecclesie huiusmodi se admitti petenti sub pena perditionis fructuum, emolumentorum et quotidianarum distributionum in dicta ecclesia de uno anno tunc currenti specialiter et expresse contradicere et se opponere teneantur, auctoritate apostolica tenore presentium ex certa scientia statuimus, decernimus et ordinamus, Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac prefate ecclesie etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quacumque firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus ceterisque contrariis quibuscumque. Presentibus post terminum viginti annorum huiusmodi minime valituris. Nulli ergo etc. Si quis etc. Datum Fabriani Camerinensis diocesis Anno etc. Millesimo quadringentesimo quinquagesimo, xv. Kalendas Septembris, Pontificatus nostri Anno Quarto.

DLXXX.

Aeneas episcopus Tergestinus ad ecclesiam Senensem transfertur. Reg. An. IV. Tom. 28. fol. 313.

NICOLAUS EPISCOPUS etc. Venerabili fratri Enee Episcopo Senensi, salutem etc. Romani pontificis, quem pastor ille celestis etc. Dudum siquidem bone memorie Nerio Episcopo Senensi regimini ecclesie Senensis presidente, Nos cupientes eidem ecclesie, cum vacaret, per operationis nostre ministerium utilitem et ydoneam presidere personam, provisionem ipsius ecclesie ordinationi et dispositioni nostre duximus ea vice specialiter reservandam, decernentes extunc irritum et inane, si secus super hiis per quoscumque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari. Postmodum vero prefata ecclesia per obitum eiusdem Nerii Episcopi, qui extra Romanam Curiam diem clausit extremum, pastoris solatio destituta, nos vacatione huiusmodi fidedignis relatibus intellecta, ad provisionem dicte ecclesie celerem et felicem, de qua nullus preter nos hac vice se intromittere potuit sive potest, reservatione et decreto obsistentibus supradictis, ne ecclesia ipsa longe vacationis exponatur incommodis, paternis et solicitis studiis intendentes, post deliberationem, quam de preficiendo ipsi ecclesie personam utilem et etiam fructuosam cum fratribus nostris habuimus diligentem, demum ad te Senensem, tunc Tergestinum Episcopum, consideratis grandium virtutum donis, quibus personam tuam illarum largitor dominus insignivit, et quod tu, qui ecclesie Tergestine hactenus laudabiliter prefuisti, scies et poteris prefatam ecclesiam Senensem, auctore domino, salubriter regere et feliciter gubernare, direximus oculos

nostre mentis. Intendentes igitur tam dicte ecclesie Senensi quam eius gregi dominico utiliter providere, te a vinculo, quo dicte ecclesie Tergestine, cui tunc preeras, tenebaris, de dictorum fratrum nostrorum consilio et apostolice potestatis plenitudine absolventes, te ad ipsam Senensem ecclesiam apostolica auctoritate transferimus, teque illi preficimus in Epum et pastorem, curam et administrationem dicte ecclesie Senensis tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, liberamque tibi tribuendo licentiam ad prefatam ecclesiam Senensem transeundi, firma spe fiduciaque conceptis, quod dirigente domino actus tuos prefata ecclesia Senensis per tue circumspectionis industriam, et studium fructuosum regetur utiliter et prospere dirigetur, ac grata in spiritualibus et temporalibus suscipiet incrementa. Quocirca fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenus ad prefatam ecclesiam Senensem cum gratia nostre benedictionis accedens, curam et administrationem predictas sic exercere studeas solicite, feliciter et prudenter, quod ipsa ecclesia Senensis gubernatori provido et fructuoso administratori gaudeat se commissam, ac tue bone fame odor ex laudabilibus tuis actibus latius diffundatur, tuque preter eterne retributionis premium nostram dicteque sedis benedictionem et gratiam uberius consequi merearis. Datum Assisii Anno etc. Millesimo quadringentesimo quinquagesimo, IX. Kalendas Octobris, Pontificatus nostri Anno Quarto.

In e. m. Capitulo et universis Vassallis ecclesie Senensis, Clero et populo civitatis et diocesis Senensis.

DLXXXI.

Pontifex suae et sedis apostolicae collationi et dispositioni canonicatum et praebendam in ecclesia Sibinicensi primo vacaturos reservat. Reg. An. IV. de Curia Tom. 29 fol. 68.

Nicolaus episcopus etc. Ad futuram rei memoriam. Inter curas multiplices, quibus rerum negociorumque occurrentium varietatibus obsidemur, illam libenter amplectimur, per quam nostre provisionis ope in ecclesiis, presertim Cathedralibus, devoto sollicitudinis studio continue benedicatur altissimus, ac ipsarum ecclesiarum canonicatus et prebende personis benemeritis et fructuosis conferantur: et ut desiderium nostrum in hac parte commodius adimplere possumus, aliquos ex dictis canonicatibus et prebendis, etiam priusquam vacent, nostre et sedis apostolice collationi et dispositioni quandoque specialiter reservamus, ut de illis, cum vacaverint, per nos ac sedem predictam eisdem personis valeat liberius provideri. Nos igitur (hac) consideratione moti canonicatum et prebendam ecclesie Sibinicensis primo vacaturos nostre, et sedis apostolice collationi et dispositioni motu proprio, et ex certa scientia hac vice dumtaxat auctoritate apostolica specialiter reservamus, districtius inhibentes Venerabili fratri nostro Episcopo Sibinicensi, ac dilectis filiis Capitulo eiusdem ecclesie, necnon illi vel illis, ad quem vel ad quos canonicatus et prebende primo vacaturorum huiusmodi collatio, provisio, presentatio seu quevis alia dispositio communiter vel divisim pertinet, ne de illis contra eandem nostram reservationem disponere quoquomodo presumant, decernentes canonicatum et prebendam huiusmodi sub quibuscumque aliis specialibus expectativis gratiis, indultis, nominationibus, nominandi facultatibus, suppressionibus, et mandatis ac litteris apostolicis quibusvis personis, cuiuscumque status, gradus, conditionis, nobilitatis et preeminencie fuerint, in genere vel in specie sub quibuscumque verborum formis ac derogatoriis, preiudicialibus et insolitis clausulis et decretis irritantibus per nos vel eandem sedem concessis vel concedendis, ac processibus desuper habitis et habendis, etiam si de illis et eorum totis tenoribus de verbo ad verbum specialis, individua et expressa mentio habenda foret, quos quidem tenores presentibus haberi volumus pro sufficienter expressis, nullatenus cadere sive comprehendi posse, ipsaque gratias, indulta, nominationes, facultates, uniones, suppressiones, mandata et litteras etiam sub quacumque data motu simili et ex certa scientia concessa, necnon acceptationes, collationes et provisiones et alia inde secuta, et inde secutura quoad ipsos canonicatum et prebendam pro nullis et infectis, ac totum et quicquid contra huiusmodi reservationem a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter fieri vel attemptari contigerit, irritum et inane nulliusque roboris vel momenti, Non obstantibus premissis ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon statutis et consuetudinibus eiusdem ecclesie iuramento, confirmatione apostolica vel quavis alia firmitate roboratis ceterisque contrariis quibuscumque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre reservationis, inhibitionis, constitutionis et voluntatis infringere etc. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli etc. se noverit incursurum. Datum Rome apud Sanctam Mariam Maiorem Anno etc. Millesimo quadringentesimo quinquagesimo, septimo Idus Novembris, Pontificatus nostri Anno Quarto.

DLXXXII.

Constitutio, iuxta quam Stephanus comes in regno Bosnie, perfidus patarenus, et omnes eidem auxilium contra civitatem Ragusinam praestantes excommunicantur. Reg. An. V. Tom. 32. fol. 14.

Nicolaus episcopus etc. Ad futuram rei memoriam. Circa defensionem populi christiani semper intenti, ita nos providere convenit, quod Patarenorum, qui salutem immemores christiannm nomen confundere presumunt, conteratur iniquitas ct temeritas compescatur. Nuper siquidem dilectus filius Blasius de Ragusio ordinis fratrum Predicatorum et Theologie professor, ex parte dilectorum filiorum Communitatis et hominum Civitatis Ragusine orator ad nos destinatus, non sine gravi dolore nobis exposuit, quod Stephanus Comes in Regno Bosne, perfidus patarenus, ctiam cum auxilio aliorum infidelium Civitatem Ragusinam et eius territorium ac partes finitimas opprimere et penitus devastare molitur, et nt id habilius facere possit, ad eius stipendia christianos etiam de Italia et diversis aliis partibus conducere continuo solicitat: Quare dicti Communitas ct homines nobis humiliter supplicarunt, ut in premissis opportune providere paterna diligentia curaremus. Nos igitur, ne dictus patarenus cnm christianis opprimat christianos, providere volentes auctoritate apostolica tenore presentium statuimus et decernimus, ut nullus stipendia a prefato Comite accipere, scu eidem auxilium vel favorem in dicte Civitatis, christianorum et hominum dispendium prestare quoquomodo presumat. Qui vero contra huiusmodi constitutionem nostram ausu temerario venire presumpserit, excommunicationis sententia decrevimus esse innodatum, a qua tandem absolvi nequeat preterquam in mortis articulo constitutus et cum mandato sedis apostolice speciali. Et nichilominus si aliquem ipsorum temerariorum capi contingat, in servitutem et captivitatem eorum esse volumus, in quorum ceciderint captionem, sint infames et intestabiles habeantur, ita quod neque testari, neque legata eis facta recipere valeant, ac ad successionem tam ex testamento quam ab intestato sint prorsus et reddantur inhabiles, nec ad publica quelibet admittantur officia, sintque illis omnes actus legitimi penitus interdicti, et tamquam excommnicati hostesque catholice fidei, postquam de huiusmodi ipsorum temeritate constiterit, diebus dominicis et festivis pnblice nuncientur, ac ad fiscum omnia corum bona devolvantur, et non solum ille, que ad presens seu qui in futurum contra prefatam constitutionem, sed qui etiam preteritis temporibus ausu temerario predicta perpetrare presumpserint, snpradictis penis et censuris co ipso subiaceant, Monentes nichilominus Venerabiles fratres nostros Archiepiscopos et Episcopos, necnon dilectos filios Nobiles viros, Reges, Duces, Principes, Marchiones et Barones, necnon Universitates omnium et singulorum Civitatum, terrarum et locorum sub fide catholica existentium, ut omnia supradicta in civitatibus eorum et in locis insignibus suarum diocesum coram populo publicent, et faciant per alias solemniter publicari, inbendo et faciendo ipss ab omnibus Potestatibus et Capitaneis et officialibus Civitatis et diocesis predictarum auctoritate nostra inviolabiliter observari. Et insuper universis et singulis Christi fidelibns, cuiuscumqne dignitatis, prehemineucie, conditionis aut status extiterint, eadem auctoritate inhibemus, ut nullus contra premissa vcl eorum aliquod quomodolibet attemptare presumat: et si qui secus egerint, premissis penis inxta constitutionem eandem sint eo ipso obligati, et tam contra eos procedi possit quam contra inimicos et fidei orthodoxe. Nulli ergo etc. nostre constitutionis, statuti et voluntatis infringere etc. Si quis autem etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno etc. Millesimo quadringentesimo quinquagesimoprimo, quinto Idus Innii, Pontificatus nostri Anno Quinto.

DLXXXIII.

Episcopo Polensi cinsque collegis, ut Marco Barbo clerico Veneto monasterium ss. Sergii et Bachi Scutarensis dioecesis in commendam conferendum curent. Reg. An. VI. Tom. 41. fol. 70.

Nicolaus episcopus etc. Venerabilibus fratribus Polensi et Nonensi ac Equilino Epis, salutem etc. Romani pontificis providencia circumspecta ecclesiis et monasteriis singulis, que vacationis incommoda deplorare noscuntur, ut gubernatorum utilium presidio fulciantur, diligenter prospicit, necnon personis ecclesiasticis presertim generis nobilitate pollentibus libenter, prout decens est et congrunm, de subventionis auxilio providet oportune. Hodic siquidem Monasterii sancti Hylarii Veneciarum ordinis sancti Benedicti, tunc per obitum quondam Andree Bono ipsius Monasterii Abbatis extra Romanam Curiam defuncti vacantis, dilecto filio Magistro Ieronimo Lando notario nostro per alias nostras litteras imperpetuam administrationem concessimus, seu concedi mandavimus, volentes ac decernentes commendam Monasterii sanctorum Sergii et Bachi dicti ordinis Scutarensis diocesis, tunc certo modo vacantis, ipsi Ieronimo, quoad viveret, apostolica auctoritate factam cessare, ipsumque Monasterium sanctorum Sergii

et Bachi, quo ultimo vacavit modo, vacare, prout in eisdem litteris plenius continetur. Cum autem commenda huiusmodi per assecutionem predictam cessare speretur: Nos verum ipsius Monasterii sanctorum Sergii et Bachi vacationis modum presentibus pro expresso habentes, cupientesque tam illi de gubernatore secundum cor nostrum utili et ydoneo, per quem circumspecte regi et salubriter dirigi valeat, quam dilecto filio Marco Barbo Nobili clerico Veneciarum, ut statum suum decencius tenere valeat, de alicuius subventionis auxilio providere volentes, motu proprio, non ad ipsius Marci vel alterius pro eo nobis super hoc oblate peticionis instanciam, sed de nostra mera liberalitate fraternitati vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus vos vel duo aut unus vestrum per vos vel alium seu alios Monasterium sanctorum Sergii et Bachi predictum, cuius fructus, redditus et proventus centum florenorum auri de Camera secundum communem extimationem valorem annuum, ut accepimus, non excedunt, cum commenda ipsa cessaverit, ut prefertur, etiam si actu quovismodo aut ex alterius cuiuscumque persona vacet, etiam si ex quavis causa eius provisio ad sedem apostolicam specialiter vel alias generaliter pertineat, cum omnibus iuribus et pertinenciis suis prefato Marco per eum, quoad vixerit, tenendum, regendum et gubernandum auctoritate nostra commendare curetis, curam, regimen et administrationem ipsius Monasterii sanctorum Sergii et Bachi sibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, ac faciendo ei a dilectis filiis Conventu eiusdem Monasterii obediencium et reverenciam congruentes, necnon a vassallis et aliis subditis suis consueta servicia et iura exhibere, Contradictores etc. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno etc. Millesimo quadringentesimo quinquagesimosecundo, sexto Nonas Marcii, Pontificatus nostri Anno Sexto.

DLXXXIV.

Iacobus archiepiscopus Ragusinus in Constantinopolitana et aliis Romanie civitatibus etc. apostolicae sedis legatus, et in classe pontificia eis contra Turchos in auxilium parata praeses cum facultate legati de latere constituitur. Reg. An. VII. de Curia Tom. 41. fol. 111.

Nicolaus episcopus etc. Venerabili fratri Iacobo Archiepiscopo Ragusino, in Civitate Constantinopolitana ac aliis Civitatibus, necnon provinciis, insulis, terris et locis tam Carissimo in Christo filio nostro Constantino Romanorum Imperatori, quam dilectis filiis nobilibus viris eius fratribus, ac Duci et Communitati Ianuensi in partibus Grecie subiectis apostolice sedis legato, salutem etc. Divina disponente clementia in suprema dignitatis atque auctoritatis tamquam specula constitutos cotidiana solicitudo, et Christifidelium cura nos urget et admonet, ut circa locorum Christifidelium defcusionem, et eorum presertim, qui sunt propinquiores hostibus fidei Ihesu Christi, eo diligentius invigilemus et nostre defensionis auxilium impendamus, quo maiora discrimina ex eorum periculis et dampnis possent in christiano populo pervenire. Cum ergo, quod non absque mentis amaritudine referendum est, intelleximus perfidos Teucros tam per terram quam per mare cum magno exercitu et classe velle obsidere, et expugnare Civitatem Constantinopolitanam, et deinde alias Grecie partes fidelium invadere: Nos ad illorum conatibus, quantum nobis permittitur, obviandum et ad partes illas nostris et aliorum fidelium presidiis defendendas, cum certam classem iuxta facultatis nostre possibilitatem parari procuraverimus, matura super hoc deliberatione prehabita, de Venerabilium fratrum nostrorum sancte Romane ecclesie Cardinalium consilio te, prudentia et doctrina preditum, in rebus agendis expertum, ac in nostris et Romane ecclesie pluribus negociis laudabiliter versatum, ab altissimo quoque plurimarum virtutum aliarum dono insignitum, nostrum et sedis apostolice legatum et cum potestate legati de latere tamquam bonum fidei propugnatorem destinamus, ut confisus in eo, cuius est opem ferre indigentibus, classi nostre presis, et ad civitatum et partium prefatarum loca accedens, omnium et singulorum tam principum quam populorum et singularum personarum pro defensione Grecorum prefatorum auxilia implores, ac omnia et singula agas, facias et disponas, que tibi pro defensione, tuitione et statu civitatum, provinciarum, insularum et partium prefatarum adversus Teucrorum potentiam et insultus tibi videbuntur quomodolibet expedire. Nos enim tibi omnia et singula tam per mare quam per terram, que ad defensionem huiusmodi et oppugnationem infidelium cognoveris expedire, mandandi, agendi, faciendi et disponendi, necnon principes, populos et singulares personas tam seculares quam ecclesiasticas, cuiuscumque status aut conditionis fuerint, ut tibi favores et opportuna auxilia subministrent, requirendi, hortandi et monendi, ac eisdem auctoritate nostra, prout opus fuerit, mandandi, Contradictores quoque quoslibet et tibi non parentes eadem auctoritate per censuram ecclesiasticam mandandi (sic), excommunicationisque ac

52

suspensionis et interdicti sententias contra ipsos promulgandi, necnon omnia alia et singula agendi, exequendi et disponendi, que pro executione et perfectione premissorum utilia aut necessaria videbuntur, plenam et liberam eadem auctoritate facultatem concedimus et etiam potestatem. Tu igitur onus tibi iniunctum sic prudenter, solicite et fideliter exercere procures, quod sperati fructus ex tua prudentia proveniant, ac preter retributionem nostram eterna premia consequi mereatis. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis dominice Millesimo quadringentesimo quinquagesimotercio, III. Kal. Maii, Pontificatus nostri Anno Septimo.

DLXXXV.

Iunius Marini de Gradis de Ragusio comes palatinus Lateranensis creatur. Reg. An. VII. Offic. Lib. 3. fol. 40.

NICOLAUS EPISCOPUS etc. Dilecto filio Nobili viro Iunio Marini de Gradis de Ragusio, nostre Lateranensis aule Comiti, salutem etc. Dum intra nostri pectoris arcana rovolvimus et pro veriori meditatione pensamus, quibus meritis et grandium virtutum dotis personam tuam, nobis et apostolice sedi devotam, illorum largitor dominus insignivit, quantaque fide et vite integritate prefulgeas, inducimur non indigne, ut te paterna caritate et benivolentia complectentes gratiosis preveniamus honoribus, et personam eandem apostolicis favoribus et gratiis attollamus. Hinc est, quod nos volentes premissorum meritorum tuorum intuitu te favore prosequi gratie specialis, ad perpetuam tui tuarumque virtutum et meritorum memoriam te Comitem palatinum palatii nostri Lateranensis auctoritate apostolica tenore presentium facimus, creamus et constituimus, ac numero Comitum auctoritate prefata specialiter agregamus, et sic deinceps perpetuo te ab omnibus censeri pariter ac nominari volumus, gaudereque posse ac debere omnibus et singulis honoribus, immunitatibus, privilegiis et exemptionibus, quibus Comites palatini Lateranenses hactenus uti et gaudere quomodolibet potuerunt et debuerunt, seu possunt et debent de consuetudine vel de iure. Volumus autem, quod tu in manibus Venerabilis fratris Iacobi Epi Perusini, Vicecamerarii nostri, debitum fidelitatis prestare debeas in forma solita iuramentum, teque semper sancte Romane ecclesie ac nostrum filium obedientem et devotum esse promictas. Nulli ergo etc. nostre creationis, constitutionis, agregationis et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno etc. Millesimo quadringentesimo quinquagosimotertio, XIII. Kal. Novembris, Pontificatus nostri Anno Septimo.

DLXXXVI.

Constitutio, qua fratres Minores conventuales a domo s. Francisci in civitate Iadrensi ob eorum demerita amoveri, in eamque fratres Minores regularis observantiae de domo s. Crucis extra moenia eiusdem civitatis transferri pontifex iubet, quod committit episcopo Scardonensi et archidiacono Nonensi exsequendum, facultate data communitati Iadrensi bona mobilia domus s. Francisci administrandi, necnon alienandi pro eiusdem domus reparatione [conf. infra Nr. DLXXXIX.]. Reg. An. VII. Tom. 44. fol. 222.

NICOLAUS EPISCOPUS etc. Ad futuram rei memoriam. Inter desiderabilia cordis nostri desideria illud intensis desideriis affectamus, ut expurgatis vitiis et cuiusvis note dispendiis, ubique maiestas altissimi laudetur in benedictionibus gratiarum, suique cultus gratiosi nominis ac sacra religio amplientur, et in hiis, que ad promotionem huiusmodi spectare videntur, fidelium votis libenter annuimus, eaque favoribus prosequimur opportunis. Cum itaque, sicut exhibita nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Communitatis et Civium Civitatis Iadrensis petitio continebat, ipsi Communitas et Cives considerantes inhonestissimos mores et sceleratam vitam fratrum domus sancti Francisci Iadrensis ordinis fratrum Minorum, multiplicia quoquo delicta, crimina et excessus per dictos fratros hactenus commissa, et que dietim committuntur adeo publice et notorie, ut nisi fratres ipsi ab eadem domo amoveantur, exinde quamplurima scandala verisimiliter subsequentur; quodque etiam dicti Communitas et Cives ob timorem impugnationum et insultuum, qui illis per ipsorum hostes, et presertim perfidos Turcos christiani nominis inimicos, ex domo sancte Crucis extra muros Iadrenses fratrum dicti ordinis regularis observantie verisimiliter fieri possent, domum sancte Crucis huiusmodi demoliri facere intendant, attendentes insuper quamplures animarum fructus, quos ipsi Cives ex predicationibus et religiosa vita dictorum fratrum de observantia consequuntur et consequi possunt, Conventuales a prefata domo sancti Francisci amovori, et ad ipsum fratres de observantia huiusmodi transferri summopere desiderent: pro parte dilectorum filiorum nobilium virorum dominii Venetorum, sub quorum temporali dominio prefata Civitas existit, ac dictorum Communitatis et Civium nobis fuit humiliter supplicatum, ut ad obviandum scandalis et aliis premissis, ac pro ipsorum Civium animarum salute, nec non divini cultus et religionis

augmento in premissis oportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, qui dissensionibus et scandalis quibuscunque, quantum cum deo possumus, obviamus, et cultum necnon religionis augmentum huiusmodi nostris presertim temporibus vigere, et augeri intensis desideriis affectamus, de premissis omnibus et singulis tam per litteras dictorum dominii quam alias plenissime informati, huiusmodi supplicationibus inclinati auctoritate apostolica, et ex certa scientia tenore presentium prefatam domum sancti Francisci ad regularem observantiam dicti ordinis, sub qua fratres eiusdem domus sancte Crucis degunt, reducimus et reformamus, ac pro reductione et reformatione huiusmodi statuimus, decernimus, et in virtute sancte obedientie eis districte precipiendo mandamus, quod exnuno inantea perpetuis futuris temporibus regularis in prefata domo sancti Francisci servetur observantia, ac sub illa fratres in ea nunc et imposterum degentes vivant, ipsaque domus sancti Francisci ac illius fratres et persone Vicariis et aliis Superioribus ordinis et observantie predictorum, sub quibus prefata domus sancte Crucis et eius persone subiecte existunt, imperpotuum in omnibus et per omnia alia subsistant, ac iuxta ritus, mores statuta et privilegia fratribus ordinis et observantie predictorum per sedem apostolicam concessa regatur et gubernetur. Et nichilominus ut reductio et reformatio huiusmodi suum celerius sortiantur effectum, dilectos filios Guardianum et fratres domus sancte Crucis ad prefatam domum sancti Francisci, ut inibi commorentur et altissimo deserviant, transferimus, quodque nunc existens Guardianus sancte Crucis eiusdem sancti Francisci domorum Guardianus sit et censeatur, decernimus, modernum Guardianum domus sancti Francisci a Guardianatu, et illos ex eiusdem domus sancti Francisci Conventualibus fratribus, qui sub dicta observantia vivere noluerint, a prefata domo sancti Francisci realiter et omino amoventes. Preterea volumus et eadem auctoritate statuimus et decernimus, quod omnia possessiones et bona immobilia prefate domus sancti Francisci, quecunque, quotcunque et qualiacunque, ac quanticunque valoris sint, per dictos Communitatem et Cives sou deputatos ab eis perpetuo regantur et gubernentur, seu si eis id magis expedire videbitur, per ipsos Communitatem et Cives seu deputatos ab eis publica subhastatione previa simul vel successive vendantur, illorumque pretium seu pretia in emptionem imprestitorum de Venetiis, quorum seu possessionum et bonorum predictorum fructus et emolumenta annis singulis in reparationem ot conservationem fabrice eiusdem domus sancti Francisci, que, sicut accepimus, in ruinam labitur et magna reparatione noscitur indigere, exponantur. Ipsis insuper Communitati et Civibus prefatam domum sancte Crucis extra muros prefatos consistentem, illius tamen ecclesia alias illesa permanente, demoliendi licentiam, ac predicte domui sancti Francisci et fratribus de observantia in ea pro tempore degentibus, quod omnibus et singulis privilegiis, exemptionibus, immunitatibus, libertatibus, indulgentiis, gratiis et indultis aliis domibus et fratribus ordinis et observantie predictorum, ipsique demoliende domui per sedem apostolicam vel alias in specie seu genere concessis, et imposterum concedendis perpetuo uti et gaudere libere et licite possint et valeant, eadem auctoritate concedimus et indulgemus per presentes, Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus ac privilegiis et litteris apostolicis, et presertim quibuscunque nostris in forma Brevis Venerabili fratri nostro ... Archiepiscopo Iadrensi directis litteris, ac quibusvis aliis privilegiis apostolicis prefato ordini illiusque fratribus Conventualibus in specie seu genere concessis, necnon dicti ordinis iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, quibus omnibus et singulis, illorum tenores de verbo ad verbum presentibus pro expressis habentes, quoad premissa expresse derogamus, ceteris contrariis quibuscumque. Cupientes autem, ut presentes nostre littere votivum sortiantur effectum, Venerabili fratri nostro Episcopo Scardonensi et dilecto filio Archidiacono ecclesie Nonensis per apostolica scripta mandamus, quatenus ipsi vel alter eorum per se vel alium seu alios, quotiens et quando pro parte dictorum Communitatis et Civium desuper fuerint requisiti, presentes nostras litteras solemniter publicantes, in prefata domo sancti Francisci iuxta reductionem et reformationem nostras predictas regularem observantiam servari facere, et ab ipsa domo sancti Francisci Guardianum, ac sub ipsa regulari observantia vivere nolentes fratres realiter amovere, et in illius corporalem possessionem Guardianum ac fratres regularis observantie inducere, et inductos defendere, ac eosdem Guardianum et fratres regularis observantie ipsius domus sancti Francisci pacifica possessione gaudere facere, et alias presentes nostras litteras in omnibus et per omnia plenarie exequi auctoritate nostra procurent, Contradictores per censuram ecclesiasticam etc. Invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis, Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii pape VIII. predecessoris nostri, quibus cavetur, ne quis extra suam Civitatem et diocesim nisi in certis exceptis casibus, et in illis ultra unam dietam a fine sue diocesis ad iudicium ovocetur, seu ne iudices a sede

predicta deputati extra Civitatem et diocesim, in quibus deputati fuerint, contra quoscunque procedere, seu alii vel aliis vices suas committere presumant, ac aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis contrariis quibuscunque, Aut si Guardiano et fratribus Conventualibus predictis, seu quibusvis aliis communiter vel divisim a prefata sit sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari, aut extra vel ultra certa loca ad iudicium evocari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Nulli ergo etc. nostre reductionis, reformationis, statuti, constitutionis, mandati, decreti, translationis, concessionis, derogationis et voluntatis infringere etc. Si quis autem etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis dominice Millesimo quadringentesimo quinquagesimotertio, XIII. Kal. Aprilis, Pont. nostri Anno Septimo.

DLXXXVII.

Episcopo Sibinicensi, ut monasterio s. Nicolai in portu extra muros Sibinicenses Georgium Michaelis ord. Praedicatorum in abbatem praeficiat. Reg. An. VIII. Tom. 45. fol. 186.

NICOLAUS EPISCOPUS etc. Venerabili fratri ... Episcopo Sibinicensi, salutem etc. Solicite considerationis indaginem, prout pastoralis officii cura requirit, circa ecclesiarum et Monasteriorum omnium statum salubriter et prospero dirigendum extendentes, operose diligentie studium libenter impendimus, ut ecclesiis et Monasteriis, illis presertim, que vacationis incommoda deplorare noscuntur, de celeris provisionis remedio utiliter consulatur. Cum itaque, sicut accepimus, Monasterium sancti Nicolai in portu extra muros Sibinicenses ordinis sancti Benedicti, cui quondam Stephanus illius Abbas, dum viveret, presidebat, per obitum eiusdem Stephani, qui extra Romanam curiam diem clausit extremum, vacaverit et vacet ad presens, nos cupientes eidem Monasterio, ne longe vacationis exponatur incommodis, de gubernatore secundum cor nostrum utili et ydoneo, per quem circumspecte regi et salubriter gubernari valeat, provideri, necnon de meritis et ydoneitate dilecti filii Georgii Michaelis ordinis fratrum Predicatorum domus eiusdem ordinis Sibinicensis, apud nos de religionis zelo, vite munditia, honestate morum, spiritualium providentia et temporalium circumspectione, aliisque virtutum donis multipliciter commendati, certam notitiam non habentes, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenus de huiusmodi meritis et ydoneitate eiusdem Georgii, qui, ut asserit, ordinem fratrum Predicatorum exprese professus existit, auctoritate nostra te diligenter informes, et si per informationem huiusmodi eundem Georgium ad regimen et administrationem ipsius Monasterii ydoneum fore reppereris, super quo tuam conscientiam oneramus, de persona sua eidem Monasterio, cuius fructus, redditus et proventus centum florenorum auri de Camera secundum communem extimationem valorem annuum, ut idem Georgius asserit, non excedunt, sive ut premittitur, sive alias quovis modo, aut ex alterius cuiuscunque persona vacet, eiusque provisio ex quavis causa ad sedem apostolicam specialiter vel generaliter pertineat, dummodo tempore date presentium non sit ei de Abbate canonice provisum, eadem auctoritate providcas ipsumque illi preficias in Abbatem curam, regimen et administrationem eiusdem Monasterii sibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, eique faciendo a dilectis filiis Conventu obedientiam et reverentiam debitas et devotas, necnon a Vassallis et aliis subditis prefati Monasterii consueta servitia et iura exhiberi, Contradictores auctoritate nostra, appellatione postposita, compescendo, Non obstante si Conventui, Vassallis et subditis prefatis, aut quibusvis aliis communiter vel divisim a dicta sit sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possiat per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huius-, modi mentionem. Nos enim prefato Georgio, si de eins persona prefato Monasterio per te vigore presentium provideri, ipsumque illi in Abbatem prefici contigerit, ut prefertur, ut a quocunque maluerit catholico Antistite gratiam et communionem dicte sedis habente munus benedictionis recipere, ac eidem Antistiti, ut illud eadem auctoritate sibi impendere libere et licite valeat, plenam et liberam tenore presentium concedimus facultatem. Volumus autem, quod idem Antistes, qui prefato Georgio dictum munus impendet, postquam illud sibi impenderit, ab eo nostro et Romane ecclesie nomine fidelitatis debite solitum recipiat iuramentum iuxta formam, quam sub bulla nostra mittimus interclusam, ac formam iuramenti, quod idem Georgius prestabit, nobis de verbo ad verbum per eius patentes litteras suo sigillo signitas per proprium nuntium quantotius destinare procuret, quodque per hoc tibi et Episcopo Sibinicensi pro tempore existenti, cui dictum Monasterium ordinario iure subesse dinoscitur, nullum imposterum preiudicium generetur. Volumus insuper, quod dictus Georgius illum gerat habitum, qui in dicto Monasterio geritur et habetur, ac illius regularibus institutis se conformet. Datum Rome

apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis dominice Millesimo quadringentesimo quinquagesimoquarto, XIIII. Kal. Iunii, Pontificatus nostri Anno Octavo.

DLXXXVIII.

Andree Lixiensi et Nicolao Pulatensi episcopis, ut Paulum et alios Ducagninos Albanias ab excommunicationis sententia propter initum fedus cum Turchis incursae absolvere possint. Reg. An. VIII. Tom. 46. fol. 60.

NICOLAUS EPISCOPUS etc. Venerabilibus fratribus Andree Lixiensi et Nicolao Pulatensi Episcopis, salutem etc. Commissa nobis dominici gregis cura continuo pulsat et excitat mentem nostram, ut sollicitudinis nostre studio inter cunctos Christi fideles, sublatis dissensionibus et discordiis, vera et solida pax et unitas vigeat, per quam eorum et catholice fidei inimicorum hoc potissimum tempore atrox persecutio conteratur: ad quod facilius conscquendum, si qui eorumdem fidelium hactenus visi sunt etiam in ipsius fidei preiudicium aberrare, tandem erga eos ad ecclesie gremium post excessum humiliter recurrentes libenter more pii patris exhibere nos volumus propitios et benignos. Dudum siquidem per nos accepto, quod quondam Nicolaus et nobiles viri Paulus et alii Ducagnini Albanie certis ex causis, ut ferebatur, presertim propter graves dissensiones et discordias, que inter eum et dilectum filium nobilem virum Georgium Castrioth Scanderbech diu viguerant, prout vigebant, per se et subditos ac terras et loca sua execrabili infidelium Teucrorum Principi contra Christianos opem dare, et confederationem cum eo inire, multaque alia in illius favorem, Christiane vero religionis opprobrium et dispendium facere presumpserant, quodque licet canonice moniti fuissent, ut a premissis resipiscerent et more fidelium Christianorum vivere vellent, id tamen facere recusaverant: Nos tunc per quasdam nostras litteras, si erat ita, eosdem Nicolaum tunc in humanis agentem, ac Paulum et subditos predictos tam clericos, quam laicos excommunicationis et alias sententias, censuras et penas in tales a iure inflictas incurrisse, illisque irretitos esse declarari, et pro talibus publice denuntiari, necnon terras et loca sua ecclesiastico interdicto supponi mandavimus per certos iudices a nobis desuper deputatos, qui, sicut postmodum accepimus, litteras huiusmodi excutioni debite demandarunt. Cum autem, sicut nuper nonnullorum relatione non sine precipuo gaudio audivimus, prefatus Paulus et nobiles viri filii et heredes dicti Nicolai cum eisdem suis subditis ad cor reversi, et se excusantes, quod propter inimiam suorum et dictorum Teucrorum confinium vicinitatem, nimio timore eos impellente ad faciendum ea, que fecerunt, inducti extiterunt, desiderent et proponant a favoris prestatione ac confederationis prosecutione, et aliis in detrimentum Christianorum per eos hactenus attemptatis huiusmodi deinceps se penitus abstinere, necnon cum eodem Georgio concordiam inierint et invicem reconciliati existant: Nos ipsorum Pauli filiorumque, et quondam Nicolai heredum ac suorum subditorum salutem, et initam cum Georgio concordiam factam, quam reconciliationem huiusmodi sub vere ac prefate pacis et unitatis nexibus perpetuo stabiliri paternis affectibus cupientes, fraternitati vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus ad Paulum et heredes Ducagninos et eorum subditos profatos personaliter accedentes, et cum ipsis absque alicuius anathematis pene incursu opportunis colloquiis et tractatibus participantes, si eos ad implendum premissa, que desiderare et proponere se asserunt, ut prefertur, promptos et dispositos inveneritis, recepto ab eis in forma ecclesie iuramento, quod perpetrata per eos talia vel similia de cetero non committant, nec illa committentibus prestent auxilium, consilium vel favorem, sed quod contra eosdem infideles pugnantibus, in quantum potcrint, auxiliabuntur, consulent et favebunt, ipsos et eorum singulos, si hoc petierint, a confederationis, adhesionis favorisque eidem Teucrorum Principi datione et aliis reatibus, necnon sententiis, censuris et penis supradictis, etiam ab homine vel alias quomodocumque promulgatis, auctoritate nostra absolvatis in forma ecclesie consueta, iniunctis eis pro modo culpe penitentia salutari et aliis que de iure fuerint iniungenda, necnon cum singulis personis ecclesiasticis ex ipsis, que sententiis huiusmodi ligate missas et alia divina officia, non tamen in contemptum clavium, ecclebrando aut alias se illis immiscendo irregularitatem contraxerunt, super illa eadem auctoritate dispensetis, ac omnium inhabilitatis et infamie maculam sive motam per eas premissorum occasione contractam penitus aboleatis, omnesque et singulos ad obedientiam redeuntes supradictos ad honorem et famam pristinos restituatis et totaliter reintegretis, iuterdicta quoque prefata eadem auctoritate relaxetis, super quibus omnibus et singulis peragendam vobis plenam et liberam concedimus harum serie facultatem, Non obstantibus premissis ac constitutionibus apostolicis et aliis contrariis quibuscumque. Vos igitur pacem et unitatem inter reconciliatos eosdem, ut predicitur, stabilire et firmare, ac eam inviolabiliter observandam sub vinculo iuramenti huiusmodi, ac aliis solem-

pnitatibus et cautelis oportunis cum omui diligentia procuraules ita solicite ac prudeuter vos geratis, quod sperati fructus proveniant, vos apud nos et sedem apostolicam diguis laudibus commendari non immerito valeatis. Quod si non ambo hiis exequendis propter aliquod legitimum impedimentum potueritis interesse, alter vestrum ea nichilominus exequatur. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno etc. Millesimo quadringentesimo quinquagesimoquarto, XI. Kal. Septembris, Pont. nostri Anno Octavo.

EPISTOLAE CALIXTI PP. III.

DLXXXIX.

Constitutio, qua fratres Minores conventuales in monasterium s. Francisci Iadrense reducuntur et in integrum restituuntur, fratribus Minoribus de observantia amotis et constitutione Nicolai III. (vide supra Nr. DLXXXVI.) revocata. Reg. An. I. de Curia Tom. X. fol. 99.

Calistus episcopus etc. Ad futuram rei memoriam. Romanus pontifex, cum naturam sortiatur humanam, nonnunquam variis figmentis fallitur, et sepe nonnulla ad importunam instantiam concedit, que alias veritate comperta concedenda non essent, sicque rebus lucubratis, idem pontifex vel eius successor, prout doctus est, illa revocat et annullat, necuon desuper ordiuat et dispouit, pront rerum et temporum qualitate pensata conspicit in domino salubriter expedire. Dudum siquidem fel. record. Nicolao pp. V. predecessori nostro pro parte dilectorum filiorum Communitatis et Civium Civitatis Iadrensis exposito seu verius suggesto, quod ipsi considerantes inhonestos mores et sceleratam vitam fratrum domus sancti Francisci Iadrensis ordiuis fratrum Minorum, multiplicia quoque delicta, crimina et excessus per dictos fratres eatenus commissa, et que dietim committebant adeo publice et notorie, ut nisi ipsi fratres ab eadem domo amoverentur, exinde quamplurima scandala verisimiliter subsecutura erant; quodque etiam Communitas et Cives predicti ob timorem impugnationum et insultuum, que illis por illorum hostes, ac presertim perfidos Teucros christiani nominis inimicos, ex domo sancte Crucis extra muros Iadrenses fratrum dicti ordinis regularis observantie verisimiliter fieri possent, domum saucte Crucis huiusmodi demoliri facere inteudebaut, attendentesque quamplures animarum fructus, quos ipsi Cives ex predicationibus ac rcligiosa vita dictorum fratrum de observantia consequebantur et consequi poterant, Conventuales a prefata domo sancti Francisci amoveri, ac ad ipsam fratres de observantia huiusmodi transferri summopere desiderabant, ac pro parte tam dictorum filiorum Nobilium virorum dominii Venctorum, quam eorumdem Communitatis et Civium eidem predecessori supplicato, ut in premissis oportuue providere diguaretur: idem predecessor, tunc assereus se de premissis plenissime informatum, prefatam domum sancti Francisci ad regularem observantiam dicti ordinis, sub qua fratres domus sancte Crucis hniusmodi degebant, per suas litteras ex certa scientia reduxit et reformavit, ac pro reductione et reformatione huiusmodi statuit, decrevit et mandavit, quod ex tunc inantea perpetuis futuris temporibus regularis in prefata domo sancti Fraucisci servaretur observantia, ac sub illa fratres in ea tunc et imposterum degentes viverent, ipsaque domus sancti Francisci ac illius fratres et persone Vicariis et aliis Superioribus ordinis et observautie predictorum, sub quibus prefata domus sancte Crucis et eius persone subsistebant, imperpetuum in omnibus et per omnia subsisterent, et iuxta ritus, mores, statuta et privilegia fratribus ordinis et observantie predictorum per sedem apostolicam concessa regeretur et gubernaretur. Et ut reductio et reformatio huiusmodi suum celerius sortirentur effectum, Guardianum et fratres domus sancte Crucis huiusmodi ad prefatam domum sancti Francisci, ut inibi perpetuo commorarentur et altissimo deservirent, transtulit, ac voluit, quod tunc existens Guardianus saucte Crucis eiusdem sancti Francisci domorum Gnardianus foret et censeretur, et decrevit Guardianum tunc existeutem domus sancti Francisci a Guardianatu, et illos ex eiusdem domus sancti Francisci fratribus Couventualibus, qui sub huiusmodi observantia vivere nollent, a prefata domo realiter et omnino amovendos, volens, statuens et decernens, quod omnia possessiones et bona immo-

bilia dicte domus sancti Francisci per eosdem Commnnitatem et Cives seu deputandos ab eis publica subhastatione previa simul vel successive venderentur, illorumque precia in emptionem imprestitorum de Venetiis, quorum seu possessionum et bonorum predictorum fructus et emolumenta annis singulis in reparationem fabrice dicte domus sancti Francisci, quam ipse predecessor tunc assernit se accepisse in ruynam labi ac magna reparatione indigere, exponerentur et converterentur, necnon eisdem Communitati et Civibus prefatam domum sancte Crucis demoliendi licentiam, eisdemque domui et fratribus sancti Francisci, quod omnibus et singulis privilegiis, exemptionibus, immnnitatibus, libertatibus et gratiis eidem demoliende, ac aliis domibus et fratribus ordinis et observantie predictorum in genere vel in specie concessis et concedendis perpetuo uti et gaudere valerent, concessit, Venerabili fratri nostro Episcopo Scardonensi ac Archidiacono ecclesie Nonensis, eorum propriis nominibus non expressis, super hiis executoribus deputatis, prout in eisdem litteris, quarum tenores presentibus ac si de verbo ad verbum inserti forent, haberi volumus pro expressis, plenius continetur. Cum autem, sicut exhibita nobis nuper pro parte dilectorum filiorum generalis Ministri ac fratrum Conventualium dicti ordinis provincie Dalmatie iuxta morem ipsius ordinis petitio continebat, licet tam ex observatione divini cultus, quam etiam ex diligentia continue reparationis prefate domus sancti Francisci, que nullam penitus patiebatur ruynam, quinymo paramentis et preciosis vasis argenteis etiam paulo ante emptis, et aliis quibuscumque necessariis rebus ornatissima erat, necnon ex honestate et vita, sub qua fratres domus sancti Francisci huiusmodi sincerum exhibebant altissimo famulatum, evidenter liqueret, prefatas litteras per falsam suggestionem ab eodem predecessore fuisse extortas: nichilominus dilectus filius Archidiaconus dicte ecclesie Nonensis ad executionem earumdem litterarum precipitanter incedens, illarum copia iis, quorum intererat, non tradita, eisdemque litteris vix ostensis, nulloque termino ad parendum assignato, sed violentia quadam eisdem Guardiano et fratribus sancti Francisci facta, illisque tunc videlicet infra devotos dies maioris hebdomade ab eadem domo sancti Francisci pulsis ot amotis, in illam Guardianum et fratres domus sancte Crucis huiusmodi introduxit, necnon Communitas et Cives predicti, qui ad instigationem Guardiani et fratrum domus sancte Crucis huiusmodi, ac nonnullorum civium emulorum Guardiani et fratrum ac debitorum domus et Conventus sancti Francisci predictorum, easdemque possessiones emere cupientium prefatas litteras impetrasse dicuntur, nonnulla ex possessionibus et bonis predictis vendiderunt seu continuo vendere procurarunt. Et cum, sicut eadem petitio subiungebat, ex translatione, amotione, introductione et alias premissis tamquam ex malo quodam exemplo reliqui fratres dicte provincie, cuius locorum dicti ordinis prefata domus sancti Francisci caput existebat, quamque fratres Conventuales dicti ordinis ab illius fundatione ac centum annis citra tenuerant et inhabitaverant, plurimum commoti et animo prostrati fuerant, necnon eisdem Ministro et fratribus dicte provincie propter amissionem domus sancti Francisci huiusmodi absque ipsorum culpa vel rationabili causa maximum dedecus, infamia et preiudicium subsecuta fuerint, pro parte Generalis ordinis et fratrum provincie huiusmodi asserentium, quod iidem fratres de observantia nonnullas alias domos eidem Civitati circumvicinas habent, fuit nobis humiliter supplicatum, ut eos ad possessionem ac statum pristinum domus sancti Francisci predicte restituere, ac alias super hiis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, qui ex paterna caritatis officio religionum quarumlibet statum prosperum et tranquillum sincero zelamus affectu, ac illarum notis et dispendiis, quoad possumus, obviamus, de premissis per informationem a nobis desuper habitam plenam noticiam habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, translationem, reductionem statuum, decreta litterasque predicta, ac omnia inde secuta auctoritate apostolica et ex certa scientia tenore presentium revocamus, cassamus et annullamus, ac nullius roboris vel momenti fore decernimus, necnon Ministrum et fratres Conventuales provincie huiusmodi, qui decetero in ipsa domo sancti Francisci sub eadem observantia vivere voluerint, ad illius possessionem pristinam et generalem predictum et provincialem Ministros, et alios Superiores fratrum Conventualinm dicti ordinis ad totalem superioritatem domus sancti Francisci huiusmodi et fratrum in ea pro tempore degentium, ac alias in eo statu, in quo, antequam dicte littere emanarent, quomodolibet fuerint, in integrum restituimus et reponimus, ac volumus, statuimus et ordinamus, quod prefati Ministri seu provinciale vel generale Capitulum dicti ordinis in ipsa domo sancti Francisci Guardianum et fratres secundum eamdem observantiam vivere volentes, de quibus eis videbitur, locare et deputare debeant, qui eisdem Ministris et aliis Superioribus fratrum Conventualium predictorum in omnibus et per omnia, prout ex regula beati Francisci expresse tenentur et obligantur, snbiaceant sicut prius. Et nichilominus, ut decretum et restitutio nostra huiusmodi suum protinus consequantur effectum, Venerabilibus fratribus nostris Archiepo

Iadrensi et Episcopo Ossorensi per apostolica scripta precipiendo mandamus, quatenus ipsi vel alter eorum per se vel alium seu alios illos ex eisdem fratribus Conventualibus, qui secundum observantiam huiusmodi in eadem domo vivere voluerint, et quos iidem Ministri aut alter eorum, seu alius Superior fratrum Conventualium dicti ordinis, ad quem alias pertineat, in prefata domo locare, et eum, quem ibidem in Guardianum preficere voluerint, ut prefertur, in corporalem possessionem dicte domus sancti Francisci auctoritate nostra, sublato cuiusvis appellationis, recusationis et exceptionis obstaculo, inducunt et tueantur inductos, amotis Guardiano nunc existente a Guardianatu, ac illis ex eisdem fratribus de observantia, qui sub cura, visitatione et correctione Ministrorum et Superiorum Conventualium predictorum, quibus alias iuxta regulam rite institutam dicti ordinis subesse debent, vivere ac illis subesse noluerint, a domo sancti Francisci prefata, necnon eosdem Guardianum et fratres per Ministros vel Superiores predictos, ut premittitur, deputandos perpetuo faciant ipsius domus sancti Francisci pacifica possessione gaudere, ac ipsis Ministris et Superioribus obedientiam et reverentiam debitas exhiberi. Et insuper, ut ipsa domus servetur indempnis, ea que de possessionibus et aliis immobilibus bonis dicte domus sancti Francisci post emanationem litterarum predictarum alienata quomodolibet vel distracta aparuerint, quibusvis obligationibus non obstantibus, ad ius et usum dicte domus sancti Francisci integre revocare, et illi vondicare eadem auctoritate procurent, Contradictores, cuiuscumque status, gradus, nobilitatis, ordinis, officii, preheminentie vel conditionis fuerint, per censuram ecclesiasticam et alia iuris remedia, appellatione postposita, compescendo, invocato ad premissa, si opus fuerit, auxilio brachii secularis, Non obstantibus premissis et quibusvis super reductione, reformatione, translatione, concessionibus, venditionibus, litteris et aliis predictis a sede apostolica vel eius Legatis, seu aliis quibusvis obtentis, confirmationibus, ratificationibus et approbationibus, defectuum suppletionibus ac aliis privilegiis, indulgentiis et litteris apostolicis, etiam motu proprio et ex certa scientia, vel sub quavis alia verborum forma domibus et fratribus observantie predictis, aut aliis quibusvis concessis generalibus vel specialibus, quorumcumque tenorum existant, quibus omnibus et singulis, etiam si iam ad illorum executionem aut alium quemvis actum processum fuerit, et de illis de verbo ad verbum aut alia quevis expressio foret habenda, eorum tenores presentibus pro expressis habentes quoad effectum omnium premissorum derogamus, illaque pro infectis habemus, necnon pie memorie Bonifacii pape VIII. predecessoris nostri, quibus cavetur, ne quis extra suam Civitatem et diocesim nisi in certis exceptis casibus, et in illis ultra unam dictam a fine sue diocesis ad iudicium evocetur, Seu ne iudices et executores a sede deputati predicta extra Civitatem et dioccsim, in quibus deputati fuerint, contra quoscumque procedere aut alii vel aliis vices suas committere presumant, ac de una vel duabus dietis in concilio generali et de personis ultra certum numerum ad iudicium non vocandis, et aliis constitutionibus apostolicis ac domorum et ordinis predictorum statutis et consuetudinibus iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis contrariis quibuscumque, Aut si aliquibus coniunctim vel divisim ab eadem sede indultum existat, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac do verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Nulli ergo etc. nostre revocationis, cassationis, annullationis, constitutionis, restitutionis, repositionis, voluntatis, statuti, ordinationis et derogationis infringero etc. Si quis autem etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno etc. Millesimo quadringentesimo quinquagesimoquinto, III. Kal. Iunii, Pontificatus nostri Anno Primo.

DXC.

Patriarchae Venetiarum et episcopo Esculano, ut Philippo Foscari civi Veneto super bonis per Polidorum archiepiscopum Iadrensem eidem relictis iustitiam faciant Reg. Au. I. Tom. 2. fol. 156.

CALISTUS EPISCOPUS etc. Venerabilibus fratribus Patriarche Venetiarum et Episcopo Esculano in Civitate Venetiarum residenti, salutem etc. Sincere devotionis affectus, quem dilectus filius nobilis vir Philippus Foscari civis Venetiarum ad nos et Romanam gerit ecclesiam, non indigne meretur, ut ad ea favorabiliter intendamus, per que sublatis quibusvis dispendiis sibi per nos facte concessiones et gratie eo peramplius reddantur profuture, ac suum, ut est dccens et congruum, sortiantur effectum. Sane, sicut nonnullorum fidedignorum relatione percepimus, licet olim bone memorie Polidoro Archiepiscopo Iadrensi vita functo fel. record. Nicolaus papa V., predecessor noster, motu proprio et ex certa scientia dictum Philippum in omnibus bonis mobilibus eiusdem Polidori Archiepiscopi, que ipse Archiepiscopus ante tempus et tempore mortis sue tenebat et possidebat, et ad illum quovismodo pertinebant, etiam si ex

bonis ecclesiarum, quibus prefuerat, et pro tempore illi commissarum in quibuscumque annis acquisita fuissent, succedere debere, ipsumque Philippum dicti Archiepiscopi universalem heredem fore, ac omnia bona huius ad eum spectare et pertinere per quasdam suas litteras inter cetera concesserit, statuerit et decreverit: tamen nonnulli et presertim quedam mulier in Civitate Veneciarum commorans, ut verisimiliter creditur, cum dictus Polidorus Archiepiscopus honeste vite fuerit, neque quod similes excessus commiserit, de eo fama aliqua habeatur, falso pretendens se quondam filium ex predicto Polidoro Archiepo concepisse, ac ipsum Polidorum Archiepiscopum ante sui a prefata Civitate recessum in presentia nonnullorum testium eidem puero quandam et sibi aliam, ac monasterio Monialium sancti Iheronimi de Veneciis aliam pecuniarum summas reliquisse, et nonnulla alia legata fecisse, et certos indices seculares dicte Civitatis ad hoc etiam deputatos pro levando, seu redigendo in scriptis seu publicam formam dicta relicta, que ultimam voluntatem appellant, recurrere ac per ipsos indices levationem seu redactionem huiusmodi fieri mandare et fieri facere, ipsumque Philippum super premissis et eorum occasione coram prefatis et nonnullis aliis indicibus in iudicio et extra vexare ac molestare, quominus ipse Philippus iuxta concessionem per predecessorem ei factam predicta bona sibi concessa huiusmodi pacifice possedere possit et possedeat, impedire ac facere multipliciter presumpserunt, et presumunt in non modicum dicti Philippi preiudicium atque dampnum. Nos igitur attendentes, quod dictus Polidorus Archiepiscopus, nisi forsan sufficienti desuper a sede apostolica facultate sufultus fuerit, de dictis per predecessorem concessis bonis predicta seu quevis alia relicta seu legata facere, aut de illis disponere nullatenus potuit, et per eum facta nullius sint roboris vel momenti, ac volentes eidem Philippo tali providere remedio, per quod, sublatis predictis et quibusvis aliis indebitis litigiorum dispendiis, sibi concessorum bonorum predictorum possessione pacifica gaudere valeat, fraternitati vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus vos vel alter vestrum per vos vel alium seu alios prefata, ac omnia alia et singula donationes ex causa mortis, institutiones, relicta, legata seu quascumque alias ultimas dispositiones per dictum Archiepiscopum de bonis, que ad eum per ecclesias, quibus prefuit, aut alias ex proventibus ecclesiasticis pervenerunt, quibusvis personis etiam ecclesiasticis, monasteriis seu piis locis, aut etiam ad quascumque pias causas facta, quorum omnium et singulorum tenores de verbo ad verbum presentibus haberi volumus pro expressis, nisi dictus Archiepiscopus sufficienti desuper facultate suffultus fuerit, irrita et inania nulliusque roboris vel momenti fuisse et esse auctoritate nostra decernatis, ac quotiens pro parte dicti Philippi desuper fueritis requisiti, per vos vel alium seu alios prefatis, ac omnibus et singulis aliis indicibus et personis quocumque officio et quavis dignitate fungentibus, ac cuiuscumque status, gradus vel conditionis fuerint, in virtute sancte obedientie et censuris ecclesiasticis et aliis iuris remediis, de quibus vobis videbitur, dicta auctoritate inhibeatis, ne se de causis, quas predicti seu quivis alii super concessis bonis huiusmodi, vel eorum occasione contra dictum Philippum movere iam ceperint, vel imposterum movebunt, quoquomodo se intromittant, quinymo eas ad vestrum seu alterius vestrum forum remittant, vosque illas, si forsan eas moventes seu movere volentes allegaverint, et etiam coram vobis legitime probaverint dictum Polidorum Archiepiscopum sufficienti desuper facultate suffultum fuisse, vocatis dicto Philippo et aliis qui fuerint evocandi, summarie, simpliciter et de plano sine strepitu et figura iudicii, sola facti veritate inspecta, audiatis et debito fine decidatis, facientes quod decreveritis per censuram ecclesiasticam firmiter observari, invocato ad hoc, si opus fuerit auxilio brachii secularis, Testes autem, qui fuerint nominati, si se gracia, odio vel timore subtraxerint, censura simili, appellatione cessante, compellatis veritati testimonium perhibere, Non obstantibus premissis ac constitutionibus et ordinibus, necnon statutis et consuetudinibus etiam municipalibus dicte Civitatis iuramento, confirmatione apostolica vel quavis alia firmitate roboratis ceterisque contrariis quibuscumque, Aut si iudicibus et personis prefatis seu quibusvis aliis communiter vel divisim ab eadem sit sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno etc. Millesimo quadringentesimo quinquagesimoquinto, x. Kalendas Iulii, Pontificatus nostri Anno Primo.

DXCI.

Ioanni S. Angeli cardinali legato in Germania et Hungaria committitur, ut de fraudibus circa episcopatum Zagrabiensem per Thomam de Debrenthe commissis sese informet et referat. Reg. An. I. Tom. 3. fol. 238.

CALIXTUS EPISCOPUS etc. Dilecto filio Iohanni Sancti Angeli diacono Cardinali per Germaniam, Ungariam, regna et loca Turcis subiecta, illisque finitima nostro et apostolice sedis Legato de latere,

salutem etc. Cum nuper tam Carissimus in Christo filius noster Ladislaus Ungarie Rex illustris, quam dilectus filius nobilis vir Ulricus Comes Cilie per eorum litteras nobis significassent, quod dilectus filius Thomas de Debrenthe non sine calliditatis astutia prefato persuaserat Regi, quod Comiti prefato gratus extiterat, quodque in sua ad ecclesiam Zagrabiensem, tunc per obitum bone memorie Benedicti Episcopi Zagrabiensis extra Romanam Curiam defuncti pastoris solatio destitutam, promotione votum Comitis antedicti incurrebat, idem Thomas tali mediante suasione litteras a Rege prefato super sua ad eandem ecclesiam Zagrabiensem promotione ad fel. record. Nicolaum pp. V. predecessorem nostrum extorsisset, ipseque Thomas se ad eandem Zagrabiensem ecclesiam per prefatum predecessorem nostrum, preter tamen Regis et Comitis predictorum mentem et voluntatem et excogitatam eorumdem circumventionem promoveri procurasset, et quod eadem promotio mala quamplurima atque scandala parturire, et ipsi ecclesie Zagrabiensi quamplurimum dampnosa esse posset, quodque prefatus Comes, prout ex privilegiis Regis et antiqua consuetudine poterat, dilectum filium Balthasarom de Motschiedel, decretorum doctorem, et ut accepimus de militari genere ex utroque parente procreatum, ad ipsam ecclesiam sic vacantem de consensu dicti Regis presentaverat, ac etiam dilecti filii Capitulum dicte ecclesie per eorum patentes litteras nobis scripsissent, quod ipsi in prefatum Balthasarem ad hoc, ut nos de persona sua eidem ecclesie provideremus, expresse consentiebant: nos malis et detrimentis huiusmodi obviare, necnon Regis et Comitis predictorum votis, quantum cum deo possumus, satisfacere cupientes, dilecto filio nostro Dominico tituli sancte Crucis in Ierusalem presbitero Cardinali, et tibi vive vocis oraculo dedimus in mandatis, ut de premissis et circumstantiis universis vos informaretis, nobis quod compereretis et cause merita in consistorio relaturi. Cum autem de per vos compertis relationem nobis in consistorio feceritis plenariam et fidelem, nos, ne ecclesia ipsa in spiritualibus et temporalibus ampliora detrimenta sustineat, causam et causas huiusmodi ad nos harum serie advocantes tibi, quem de Venerabilium fratrum nostrorum, de quorum numero existis, consilio ad partes Germanie, Ungarie regnorumque et locorum Turchis subditorum eisquo finitimorum legatum duximus destinandum, per apostolica scripta mandamus, quatenus etiam extra civitatem et diocesim Zagrabienses ultra duas dietas de circumventione ac fraudibus per ipsum Thomam, ut asseritur, in huiusmodi sua promotione inventis et commissis, eodem Thoma et aliis vocatis qui fuerint vocandi, summario, simpliciter et de plano sine strepitu et figura iudicii, sola facti veritate inspecta, auctoritate nostra te diligenter informes, et quicquid per eandem informationem reppereris veritate subniti, nobis per tuas litteras quantocitius significare procures, et nichilominus ut saluti animarum consulatur, omnes et singulas sententias, censuras et penas in litteris prefato Thome concessis contentas eadem auctoritate, si tibi videbitur per huiusmodi informationem posse constare, eundem Thomam fraudes et circumventiones predictas commisisse, usque ad sedis apostolice beneplacitum suspendas, Non obstantibus premissis ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon statutis et consuetudinibus dicte ecclesie iuramento et confirmatione apostolica, vel quavis alia firmitate roboratis, ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno etc. M.CCCC.LV. tertiodecimo Kalendas Octobris, Pontificatus nostri Anno Primo.

DXCII.

Episcopo Signiensi, ut conductionem quorumdam presbyterorum per abbatem monasterii s. Nicolai de Ottozac pro parrochiali ecclesia in castro et burgo prope dictum monasterium per Sigismundum de Frangipanibus sedificatis factam confirmet. Reg. An. II. Tom. 23. fol. 24.

Calistus episcopus etc. Venerabili fratri Episcopo Signiensi, salutem etc. Romani pontificis providentia circumspecta hiis, que pro divini cultus augmento et animarum salute provide facta sunt, ut illibata porsistant, libenter robur adiicit apostolice firmitatis. Sane pro parte dilecti filii Iohannis Abbatis Monasterii sancti Nicolai de Ottozac ordinis sancti Benedicti tue diocesis petitio contienebat, quod cum olim ipse propter carentiam monachorum in partibus illis curam animarum parrochianorum Castri et Burgi, prope ipsum Monasterium per dilectum filium Nobilem virum Sigismundum de Frangepanibus Comitem Signicnsem noviter constructorum et edificatorum, eiusdem Abbatis cure, pro eo quod alia parrochialis ecclesia ibidem non existit, commissorum solus gerere et exercere non posset, ne parrochiani predicti in missis et aliis divini officiis, et sacramentorum ecclesiasticorum administratione paterentur quomodolibet detrimentum ex defectu huiusmodi monachorum, sex presbiteros seculares et duos clericos conduxit, eisque ut sibi assisterent, necnon animarum curam huiusmodi simul et alia ei pro tempore incumbentia onera secum una subirent, ac missas statutis diebus celebrarent, certam partem

fructuum, redditumm et proventuum ipsius Monasterii sive mense sue Abbatialis assignavit: Idem quoque Comes ultra portionem predictam pro ampliori presbitorum et clericorum eorumdem sustentatione, ac aliis suis necessitatibus eis nonnulla alia immobilia bona sive illorum fructus, redditus et proventus dedit ac etiam assignavit, prout in nonnullis instrumentis publicis desuper confectis dicitur plenius contineri: Quare pro parte Abbatis ac Comitis predictorum nobis fuit humiliter supplicatum, ut assignationi et aliis premissis omnibus et singulis pro eorum subsistentia firmiori robur apostolice confirmationis adhibere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur de premissis certam notitiam non habentes, bonorum eorumdem qualitates, quantitates, confines et verum valorem pro expressis haberi volentes, huiusmodi supplicationibus inclinati fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenus de premissis omnibus et singulis, ac eorum circumstantiis universis auctoritate nostra te diligenter informes, et si per informationem huiusmodi ita esse repereris, super quo tuam conscientiam oneramus, conductionem et deputationem presbiterorum et aliorum, necnon concessionem et assignationem bonorum eorumdem, ac prout illas contingunt quecunque in ipsis instrumentis contenta, et inde secuta auctoritate nostra approbes et confirmes, suppleasque defectus, si qui forsan intervenerint in eisdem, Non obstantibus constitutionibus, ordinationibus apostolicis, necnon statutis et consuetudinibus Monasterii et ordinis predicatorum iuramento, confirmatione apostolica vel quacunque firmitate alia roboratis, ceterisque contrariis quibuscunque. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis dominice Millesimo quadringentesimo quinquagesimosexto, Kalendis Iunii, Pontificatus nostri Anno Secundo.

DXCIII.

Episcopo Parensi conceditur, ut fructus quorumdam beneficiorum distributionibus quotidianis in sua ecclesia clericis faciendis assignare possit. Reg. Aa. II. Tom. 23. fol. 9.

Calistus episcopus etc. Venerabili fratri Thome Episcopo Pharensi, salutem etc. Ad ea ex paterne caritatis officio libenter intendimus, per que cum divini propagatione cultus ac ecclesiarum, presertim Cathedralium, decore personis in eis obsequio domini mancipatis de congruentis sustentationis auxilio valeat salubriter provideri. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte tua peticio continebat, quod licet in tua ecclesia Cathedrali Pharensi nonnulli clerici beneficiis ecclesiasticis carentes in divinis officiis inibi servientes existant, iidem tamen de proventibus ecclesie nullam percipiant portionem, suis stipendiis contra instituta canonica militantes. Cum autem, sicut eadem peticio subiungebat, tu ex debito pastoralis officii, quo ipsi ecclesie afficeris, ac singularis devotionis ardore huiusmodi cultum in predicta ecclesia augeri exoptes, et propterea tam eisdem clericis quam etiam aliis, (ut) inibi eo commodius deservire valeant, de aliquibus beneficiis ecclesiasticis ad tuam collationem et provisionem spectantibus vacantibus, seu vacaturis providere intendas, ut de fructibus beneficiorum predictorum distributiones quotidiane fierent, quibus eis aliqua licet vite necessaria ministrentur: quare pro parte tua nobis fuit humiliter supplicatum, ut super hiis paterna caritate consulere, et opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, qui cultum ipsum nostris maxime temporibus augeri et conservari totis desideriis affectamus, huiusmodi supplicationibus inclinati, fraternitati tue aliqua ex beneficiis ad ad tuam collationem seu quamvis provisionem spectantibus, si vacant ad presens, aut cum primo vacaverint, que duxeris eligenda, etiam si dispositioni apostolice reservata forent, et eorum fructus, redditus et proventus usque ad centum florenos auri de Camera secundum communem extimationem valorem annuum non excedant, cum omnibus iuribus et pertinenciis suis ad opus huiusmodi auctoritate apostolica deputandi et applicandi, et de eisdem beneficiis clericis huiusmodi providendi, ac fructus unius cuiusque predictorum beneficiorum distributionibus predictis assignandi, et de illis etiam providendi plenam et liberam auctoritate apostolica tenore presentium concedimus facultatem, Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno etc. M.CCCC.LVI., VIII. Idus Iulii, Pontificatus nostri Anno Secundo.

DXCIV.

Laurentio archiepo Spalatensi monasterium s. Stephani ordinis s. Benedicti Spalatensis dioecesis in commendam conceditur. Reg. Aa. III. Secret. Tom. 29. fol. 108.

Calistus episcopus etc. Venerabili fratri Laurentio Archiepiscopo Spalatensi, salutem etc. Inter solicitudines varias, quibus assidue premimur, presertim illa potissime pulsat et excitat mentem nostram, ut circa statum ecclesiarum et monasteriorum omnium, ne in spiritualibus et temporalibus detrimenta

sustineant, quantum nobis ex alto conceditur, saluberiter consulamus, necnon desideria iusta petentium, que a rationis tramite non discordant, libenter favore prosequamur gratioso. Cum itaque hodie Venerabilis frater noster Bissarion Episcopus Tusculanus regimini et administrationi monasterii sancti Stephani ordinis sancti Benedicti tue diocesis, et dudum sibi de illo, necnon tu dudum tibi de parrochiali ecclesia de Garda, Archipresbiteratu nuncupata, Veronensis diocesis, que tunc ex concessione et dispensatione sedis apostolice in commendam obtinebatis, auctoritate apostolica factis commendis, desiderantes monasterium et parrochialem ecclesiam predicta ex cortis rationabilibus causis invicem permutare, ex causa permutationis huiusmodi in manibus nostris sponte et libere cesseritis, nosque cessiones huiusmodi ex eadem causa duxerimus admittendas: Nos votis tuis in hac parte favorabiliter annuentes, ac verum dicti monasterii vacationis modum presentibus pro expresso haberi volentes, monasterium predictum, cuius fructus, redditus et proventus quingentorum florenorum auri de Camera secundum communem extimationem valorem annuum, ut asseritur, non excedunt, quomodocumque vacet, etiam si eius dispositio ad sedem predictam ex quavis causa specialiter vel generaliter pertineat, cum omnibus iuribus et pertinentiis suis tibi per te, quod vixeris, unacum Spalatensi, cui preces, vel alia, ad quam te forsan imposterum transforri contigerit, metropolitana vel cathedrali, necnon Ierosolimitana, quam hodie tibi in commendam et administrationem sub certis modo et forma concessimus, aliisque ecclesiis et beneficiis ecclesiasticis, qui te imposterum canonice assequi contigerit, in spiritualibus et temporalibus tenendum, regendum et gubernandum auctoritato apostolica tenore presentium commendamus, curam, regimen et administrationom ipsius monasterii sancti Stephani tibi in cisdem spiritualibus et temporalibus plenarie committendo. Volumus autem, quod propter commendam huiusmodi solitus monachorum et ministrorum numerus in dicto monasterio nullatenus minuatur, quodque, debitis et consuetis ipsius monasterii supportatis oneribus, de reliquis illius fructibus, redditibus et proventibus disponere et ordinare libere et licite valeas, sicuti veri Abbates dicti monasterii, qui fuerunt pro tempore, de illis disponere et ordinare potuerunt seu etiam debuerunt, Alicuatione tamen quorumcumque bonorum immobilium et pretiosorum mobilium dicti monastorii tibi penitus interdicta. Quocirca fratrnitati tue per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus curam, regimen et administrationem huiusmodi per te vel alium seu alios sic exercere studeas solicite, fideliter et prudenter, quod monasterium ipsum utili gubernatori et fructuoso administratori gaudeat se commissum, tuque preter eterne retributionis premium et humane laudis preconium exinde nostram, et dicte sedis benedictionem et gratiam uberius consequi merearis. Nostro tamen existit intentionis, quod ex commenda nostra huiusmodi nullum tibi ius in dicto monasterio quomodolibet acquiratur, nisi illud prefato Bissarioni Episcopo et dicta parrocchialis ecclesia tibi canonice commendata fuerint, aut vos alias in illis ius habueritis tempore resignationum earumdem. Nulli ergo omnino etc. nostro constitutionis et voluntatis infringere etc. Si quis autem etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno etc. M.CCCC.LVII. pridie Kalendas Februarii, Pontificatus nostri Anno Tertio.

In e. m. Episcopis Spoletano et Farensi, ut predictas exequantur litteras.

DXCV.

Idem Laurentius archiepiscopus Spalatensis constituitur administrator ecclesiae Hierosolymitanae.
Reg. An. IV. Secret. Tom. 29. fol. 107.

CALISTUS EPISCOPUS etc. Venerabili fratri Laurentio Archiepiscopo Spalatensi, salutem etc. Regimini universalis ecclesie etc. Dudum siquidem fel. record. Nicolaus papa V. predecessor noster provisiones omnium ecclesiarum Cathedralium ac Patriarchalium apud sedem apostolicam tunc vacantium, et inantea vacaturarum ordinationi et dispositioni sue reservavit, decernentes extunc irritum et inane, si secus super hiis per quoscunquo quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari. Et deinde ecclesia Ierosolimitana, cui bone memorie Blasius Patriarcha Ierosolimitanus, dum viveret, presidebat, per obitum ipsius Blasii Patriarche, qui apud sedem predictam diem clausit extremum, vacante, prefatus Nicolaus predecessor ecclesiam ipsam sic vacantem, et antea dispositioni apostolice reservatam bone memorie Christophoro Episcopo Coronensi, per eum usque ad suum et dicte sedis beneplacitum pur quasdam primo, et successivo cum ipse Nicolaus predecessor commendam Christophoro Episcopo factam huiusmodi ex dictis rationabilibus causis per quasdam alias snas litteras ravocasset, cassasset et annullasset, ac nullius roboris vel momenti fore decrevisset, ipse Nicolaus predecessor tunc ecclesiam ipsam adhnc, ut prefertur, vacantem Venerabili fratri nostro Bissarioni Episcopo Tusculano per eum etiam usque ad suum et dicte sedis beneplacitum tenendam, regendam et gubernandam

auctoritate apostolica commendavit. Cum itaque hodie prefatus Bissarion Episcopus commende huiusmodi, necnon regimini et administrationi dicte ecclesie Ierosolimitane in manibus nostris sponte et libere cesserit, nosque cessionem huiusmodi duxerimus admittendam, dictaque ecclesia adhuc, ut prefertur, vacare noscatur, nullusque de provisione eiusdem preter nos hac vice disponere potuerit sive possit, pro eo quod nos dudum omnium Cathedralium et Patriarchalium ecclesiarum provisiones, quas dictus predecessor ordinationi et dispositioni sue cum interpositione decreti reservaverat, et (que) tempore obitus dicti predecessoris vacabant, et si commendata (?) non fuissent, etiam tunc vacarent, declaravimus remansisse et remanere per huiusmodi reservationem et decretum affecta, nullumque de illis preter Romanum pontificem ea vice se intromittere vel disponere potuisse sive posse quoquomodo, decernentes irritum et inane, si secus de illis attemptatum forsan erat tunc, vel imposterum contingeret attemptari: Nos tam dicte ecclesie, ut feliciter gubernetur, eiusque bona et iura ab iniquorum manibus defenseutur, de gubernatore secundum cor nostrum utili et idoneo, per quem circumspecte regi et salubriter dirigi valeat, quam tibi, qui hodie commeude dudum tibi de parrochiali ecclesia de Garda, Archipresbiteratu nuncupata, Veronensis diocesis auctoritate apostolica facte in manibus nostris sponte et libere cessisti, nosque cessionem ipsam duxerimus admittendam, ut statum tuum decenter tenere valeas, de alicuius subventionis auxilio providere volentes, ac sperantes, quod tu gubernationem et defensionem huiusmodi, auctore domino, scias et poteris salubriter exercere, motu proprio, non ad tuam vel alterius persone nobis super hoc oblate petitionis instantiam, sed de nostra mera dispositione et voluntate ecclesiam Ierosolimitanam predictam cum omnibus iuribus et pertinentiis suis tibi per te unacum Spalatensi, cui preesse dinoscris, et alia, ad quam te forsan canonice transferri contigerit, metropolitana vel cathedrali ecclesia, necnon monasterio sancti Stephani ordinis sancti Benedicti tue diocesis, quod hodie tibi in commendam concessimus, ac aliis quibusvis beneficiis cuiuscumque qualitatis fuerint, que te imposterum canonice obtinere contigerit, usque ad nostrum et dicte sedis beneplacitum tenendam, regendam et gubernandam tam in spiritualibus quam temporalibus eadem auctoritate apostolica commendamus, et in administrationem concedimus, curam, regimen et administrationem ipsius Ierosolimitane ecclesie tibi in eisdem spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, ita quod de fructibus, redditibus et proventibus ad mensam Patriarchalem Ierosolimitanam spectantibus huiusmodi commenda durante disponere, et ordinare libere et licite valeas, sicuti veri Patriarche Ierosolimitani, qui fuerint pro tempore, de illis disponere et ordinare potuerunt seu etiam debuerunt, alienatione tamen quorumcumque bonorum immobilium et pretiosorum mobilium dicte ecclesie Ierosolimitane tibi penitus interdicta. Tu igitur circa regimen et administrationem eiusdem ecclesie Ierosolimitane solicite exercenda sic te studiosum exhibeas, quod ecclesia ipsa, divina tibi favente clementia, sub administratione tua provida ac salubri in spiritualibus et temporalibus amplietur, et commodis et salubribus proficiat incrementis, nosque tue circumspectionis et diligentie studium fructuosum dignis possumus in domino laudibis commendare. Nos enim universis subditis et vassallis ipsius ecclesie Ierosolimitane, ut tibi obedientiam et reverentiam debitam et devotam exhibeant, districtius iniungimus per presentes: alioquin sententiam sive penam, quam rite tuleris seu statueris in rebelles, ratam habebimus et faciemus, auctore domino, usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Datum Rome apud S. Petrum Anno etc. M.CCCC.LVII. pridie Kalendas Februarii, Pontificatus nostri Anno Tertio.

DXCVI.

Universis Christi fidelibus ecclesiam B. Marie domus de Podulo Spalatensis dioecesis visitantibus et adiuvantibus indulgentiae conceduntur. Reg. Aa. III. Tom. 25. fol. 153.

CALISTUS EPISCOPUS etc. Universis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis, sal. etc. Splendor paterne glorie, qui sua mundum illuminat ineffabili claritate, pia vota fidelium de clementissima ipsius maiestate sperantium precipue benigno favore prosequitur, cum devota ipsorum humilitas sanctorum precibus et meritis adiuvatur. Cupientes igitur, ut ecclesia beate Marie domus de Podulo fratrum ordinis sancti Francisci de observancia nuncupatorum Spalatensis diocesis congruis honoribus frequentetur, ac in suis structuris et edificiis, necnon libris, calicibus et aliis ornamentis ecclesiasticis reparetur pariter et conservetur, et ut Christi fideles eo libentius causa devotionis confluant ad eandam, quo ibidem uberius dono celestis gratie conspexerint se refectos, de omnipotentis dei misericordia et beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus vere penitentibus et confessis, qui in primis dominicis diebus cuiuslibet mensis, necnon in Annunciationis, Conceptionis, Visitationis, Nativitatis, Purifica-

tionis et Assumptionis beate Marie Virginis, necnon ipsius beate Marie ad nives ac sancti Ieronimi festivitatibus ecclesiam devote visitaverint annuatim, et ad reparationem et conservationem predictas manus porrexerint adiutrices, totiens quotiens id fecerint, septem annos et totidem quadragenas de iniunctis eis penitenciis misericorditer relaxamus. Presentibus perpetuis futuris temporibus duraturis. Volumus autem, quod si alias ecclesiam ipsam visitantibus, vel ad repationem et conservationem huiusmodi manus adintrices porrigentibus aliqua alia indulgencia perpetuo, vel ad tempus nendum elapsum per nos concessa fuerit, presentes nostre littere nullius existant roboris vel momenti. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno etc. Millesimo quadringentesimo quinquagesimoseptimo, undecimo Kalendas Maii, Pontificatus nostri Anno Tercio.

DXCVII.

Episcopo Veglensi, ut monasteria s. Michaelis et s. Laurentii ab invicem et ab ecclesia Veglensi, cui incorporata erant, separet et in pristinum statum restituereat etc. Reg. An. III. Tom. 25. fol. 199.

Calistus episcopus etc. Venerabili fratri Episcopo Veglensi, salutem etc. Inter ceteras curas, quibus assidue premitur pontifex Romanus, in hoc potissime eius providentia ferventius agitatur, ut ecclesiarum et monasteriorum omnium, que ad laudem divini nominis pie constructa existunt, status preservetur indemnis, et in illis cultus divinus augeri, illorumque structure et edificia congrue valeant restaurari: et si que in ecclesiarum seu monasteriorum divinique cultus huiusmodi detrimentum cedant, facta esse pontifex ipse comperit, illa libenter, ut ex debito sui pastoralis officii tenetur, revocari, cassari et annullari mandat, prout temporum et locorum qualitate pensata convenit, et sibi videtur expedire. Dudum siquidem fel. record. Nicolao pape V. predecessori nostro pro parte Venerabilis fratris nostri Francisci tunc Veglensis, nunc vero Corbavicnsis Episcopi exposito inter cetera, quod fructus, redditus et proventus ecclesie Veglensis adeo tenues et exiles existebant, quod ipse Episcopus ex illis iuxta pastoralis dignitatis decentiam se commode sustentare, et statum suum deconter tenere non poterat, quodque monasterium sanctorum Michaelis intra et Laurentii extra muros Veglenses ordinis sancti Benedicti tunc erat Abbatis regimine destitutum: idem predecessor per suas litteras ad ipsius Episcopi supplicationem dilecto filio Abbati monasterii sancti Georgii de Lissazio Segniensis diocesis, eius proprio nomine non expresso, commisit ac dedit in mandatis, ut se de premissis et aliis tunc expressis diligenter informaret, et si per informationem huiusmodi ita esse repperiret, ordinem et Abbatialem dignitatem in dicto monasterio auctoritate apostolica supprimeret penitus et extingueret, et monasterium prefatum cum omnibus iuribus et pertinentiis suis dicte ecclesie eadem auctoritate imperpetuum incorporaret, uniret et annecteret, prout in ipsius predecessoris litteris dicitur plenius contineri. Cum autem, sicut exhibita nobis pro parte dilecti filii nobilis viri Iohannis de Frangipanibus Comitis et domini Veglensis petitio continebat, postmodum dilectus filius Bartholomeus Abbas dicti monasterii sancti Georgii commissionis et mandati, ac litterarum huiusmodi vigore monasterium sanctorum Michaelis et Laurentii prefatum cum omnibus iuribus, et pertinentiis supradictis ecclesie predicte perpetuo incorporaverit, unierit et annexerit, ordinem et dignitatem Abbatialem ipsos, ut prefertur, supprimendo penitus et extinguendo, dictusque Episcopus incorporationis, unionis et annexionis earumdem vigore monasterii sanctorum Michaelis et Laurentii huiusmodi, iuriumque et pertinentiarum predictorum possessionem apprehenderit, et quamdiu dicte ecclesie prefuit, retinuerit: et sicut eadem petitio subiungebat, sanctorum Michaelis et Laurentii huiusmodi duo monasteria ordinis prefati dudum extiterint, et a prima eorum fundatione notabilibus edificiis constructa ac per singulos Abbates regi et administrari, in illis quoque plures monachi altissimo deservientes residere consueverint, licet tempore date litterarum dicti predecessoris illa invicem velut unita unum monasterium censerentur, et per unum tantum Abbatem regerentur, dictusque Comes, qui ad monasteria ipsa singularem gerit devotionis affectum, illa, quorum edificia partim ruine sunt dedita, partim vero non longe, nisi cis debite reparationis remedio succurratur, ruynam expectant, congrue de bonis sibi a deo collatis pro sua et suorum animarum salute reparare et restaurare, bonisque predictis decenter pro singulorum ipsorum monasteriorum Abbatum et aliorum monachorum in eis introducendorum sustentatione dotare desideret: pro parte eiusdem Comitis nobis fuit humiliter supplicatum, ut sancti Michaelis et sancti Laurentii monasteriorum huiusmodi ab invicem, ot a dicta ecclesia separare et in eis ordinem sancti Benedicti, ac in quolibet eorum Abbatialem dignitatem erigere, creare et instituere, necnon ad pristinum, quo antequam invicem et ecclesie prefate unita essent, erant, statum reducere, reponero et reintegrare, ac alias super premissis opportune providere de benignitate apostolica

dignaremur. Nos igitur, qui de premissis certam noticiam non habemus, et quod ecclesie et monasteria aliaque pia loca ad laudem divini nominis constructa suis in structuris, et edificiis debita reparatione nostris potissime temporibus letentur, in eis quoque divini cultus succedat incrementum, summis affectibus desideramus, ipsius Comitis pio et laudabili desiderio annuere cupientes, eius in hac parte supplicationibus inclinati fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenus vocatis vocandis de premissis omnibus et singulis, eorumque circumstantiis universis auctoritate nostra te diligenter informes, et si per informationem huiusmodi tibi constiterit premissa veritate subniti, dictusque Comes monasteria unita huiusmodi de bonis suis predictis ad decentem Abbatum et monachorum illorum sustentationem, qui pro tempore fuerint, dotare voluerit, postquam illa sic dotaverit, uniones, annexiones et incorporationes predictas, ac quecumque inde secuta auctoritate eadem casses, revoces et annulles, necnon sancti Michaelis et sancti Laurentii monasteria predicta ab invicem et ecclesia prefata separes et disiungas, ac in pristinum, quo, antequam invicem et dicte ecclesie unita et incorporata essent, erant, statum restituas, reintegres et reponas, necnon ordinem et Abbatialem dignitatem suppressos et extinctos huiusmodi in eis et eorum quolibet de novo erigas, crees et instituas, ac quod sancti Michaelis et sancti Laurentii monasteria ipsa ex tunc imperpetuum per singulos Abbates regi et gubernari, et in eis monachi ordinis eiusdem Conventuales alias iuxta ipsius ordinis instituta remanere possint, decernas, nec non ipsorum sancti Michaelis et sancti Laurentii monasteriorum Abbatibus pro tempore existentibus, quod mitra et baculo, sicut qui dudum ante unionem et suppressionem predictas monasteriorum eorumdem Abbates fuerunt, utebantur, in monasteriis iisdem similiter uti, et quibusvis ydoneis personis religionem dicti ordinis in monasteriis predictis ingredi, et habitum ordinis eiusdem ibidem suscipere, ac ordinem predictum profiteri volentibus habitum ipsum impendere, et professionem per monachos dicti ordinis emitti solitam ab eis recipere valeant, concedas, ceteraque omnium alia et similia circa premissa necessaria et opportuna facias et exequaris, Non obstantibus litteris predictis ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon dicti ordinis etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quacumque firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno etc. Millesimo quadringentesimo quinquagesimoseptimo, VI. Idus Maii, Pontificatus nostri Anno Tertio.

DXCVIII.

Iacobo de Marchia ord. Minorum in Hungariam et Bohemiam a pontifice misso quaedam facultates concedantur. Reg. An. III. Brev. fol. 91.

Dilecto filio fratri Iacobo de Marchia ordinis Minorum professori.

CALISTUS PP. III. Dilecte fili, salutem etc. Cum pro nonnullis nostris et religionis christiane arduis negotiis, et presertim sancte Cruciate ad partes Ungarie et Bohemie et alias impresentiarum mandato nostro te conferas, ut ea, que ad honorem et exaltationem ipsius religionis cedunt, eo efficacius facere et exequi possis, quo ampliori a nobis et sede apostolica fueris facultate suffultus, tenore presentium concedimus tibi facultatem et potestatem tam in dictis regnis, quam alibi, ubi tibi necessarium esse videbitur, in quoscumque hereticos inquirendi, et contra eos procedendi incarcerandique, ac penis et sententiis condignis afficiendi, eosque, si ad cor redire voluerint et ad veram cognitionem fidei converti, abiurata heresi absolvendi, et etiam cum eis super irregularitatibus inde contractis dispensandi auctoritate apostolica concedimus per presentes. Et quia propter huiusmodi commissiones nostras varios te oportebit subire labores, ad eos levandum concedimus tibi, ut de ordine tuo eligere possis eum numerum fratrum, qui tibi necessarii fore videbuntur, te ad partes, ad quas proficisceris, sequantur, mandatisque tuis in omnibus pareant et obtemperent, Mandantes harum tenore eis et eorum cuilibet in virtute sancte obedientie et sub excommunicationis pena, ut cum primum a te fuerint requisiti, sine dilatione se ad iter tuum accingant, et tuas ordinationes ac mandata obedientur et in cunctis exequantur. Datum (Rome) etc. die XVII. Maii M.CCCC.LVII. (Pontificatus nostri Anno Tertio.)

DXCIX.

Cardinali S. Angeli legato praedictum Iacobum de Marchia pontifex commendat. Reg. An. III. Brev. fol. 92.

Dilecto filio Iohanni Cardinali Sancti Angeli.

CALISTUS PP. III. Dilecte fili, salutem etc. Ad recreandum animos Christi fidelium et crucifererum mittimus ad eas partes dilectum filium fratrem Iacobum de Marchia ordinis Minorum, virum

singulari devotione et zelo fidei christiane, et prestanti sanctimonia vite preditum, qui paratus est, et cum maximo animi fervore advenit, ut divinis admonitionibus et predicationibus populum dei cohortetur ad invadendum hostes crucis. Ut autem possit efficacius exequi, que sibi commisimus, et ad que agredienda ipse ultro paratus advenit, omnes bullas, quas contra hereticos et alios olim a fel. rec. Eugenio papa IIII. habuerat, quatenus honorem dei, augmentum fidei, honorem nostrum et apostolice sedis animarumque salutem concernunt, confirmamus. Non autem dubitamus huius adventum circumspectioni tue fore gratissimum: scis enim, quantum adiumentum in similibus conferant tales viri, quorum vita bonorum operum exemplis decora, et evangelizatione divini verbi illustrata mirum in modum commoverit animos populorum. Quare studeas diligenter, ut ipsi fratri Iacobo a Carissimo in Christo filio nostro Rege Hungarie et aliis principibus et prelatis oportuni favores in cunctis exhibeantur. Tuque eum benigne recipias et ei assistas, quemadmodum opus erit, et de tua circumspectione confidimus et speramus. Datum (Rome) etc. die XVII. Maii M.CCCC.LVII. (Pontificatus nostri Anno Tertio.)

DC.

Iudicibus, ut de abusibus etc. Pauli archiepiscopi Croiensis inquirant, eumque, si ita esse invenerint, ab officiis et administratione ecclesiae suspendant. Reg. An. III. Tom. 13. fol. 54.

CALISTUS EPISCOPUS etc. Venerabili fratri ... Episcopo Zapatensi et dilecto filio Guillelmo de Lauro familiari nostro, in Theologia bacchallario, salutem etc. Non immerito indignationis acculeus interiora nostra commovet, dum ecclesiarum prelati in partem solicitudinis evocati, quibus, ea confidentia concepta, quod in commissis fiducialiter agant, sancte Romane ecclesie negocia pro fidei Catholice tuicione et incremento gerenda committimus, concessam eis auctoritatem in perniciem vertunt, et adversus commissa gratia in ipsius fidei dispendium negociari moliuntur, ut debita animadversione eorum repressa malicia, pena condigna ipsorum excessus puniat et eos note contracte rubore perfundat. Sane plurimorum insinuacione lamentabili ad nostrum pervenit auditum, quod Venerabilis frater noster Paulus Archiepiscopus Craiensis, quem dudum nostrum et apostolice sedis nuntium ad Albanie et Cervie ac illis vicinas partes destinavimus, concessis sibi verbum Crucis populo predicandi, ac crucis huiusmodi signum cunctis fidelibus adversus perfidum Machomectum Turcorum principem profecturis dandi, aliisque diversis facultatibus in nostris inde confectis litteris tunc expressis, eisdem facultatibus, quibus confidebamus ipsorum fidelium salutem et fidei catholice protectionem exquirere debuisse, abusus illas in perniciem vertit, ac in Venerabilis fratris nostri Nicolai Polatensis Epi ac plurimorum nobilium et gravium presentia publice predicare veritus non fuit, fidem Grecorum veriorem fide, quam docet et tenet sancta Romana ecclesia, et eorumdem Grecorum ritum dicte Romane ecclesie ritui prevadere, quodque nos in omnes et singulos, qui Grecis et Rossianis scismaticis et infidelibus contradicerent, excommunicationis sententiam promulgassemus. Insuper dilectum filium nobilem virum Paulum Ducaginum Catholicum principem, et eius subditos absque rationabili causa excommunicavit, et ipsis omnia ecclesiastica sacramenta interdixit, unde maxima in Albania subsecuta sunt scandala. Impedivit etiam, prout impedit, ne scismaticis et Rossianis verbum dei predicari, et infideles converti et baptizari possint, sed infideles et hereticos in eorum perfidia fovet et attollit. Preterea crucem erectam ante se defferri facit, et se Papali potestate fungi asserens Romam pervenire prohibet eos, qui pro apostolice sedis gratiis consequendis sedem ipsam accessuri forent, aliaque gravia et enormia committit, ex quibus, nisi super hiis opportune per sedem provideatur eandem, peiora succedent, que in divini nominis et dicte Catholice fidei magnam pretendentur offensam. Nos itaque premissa sub dissimulationis connivencia pertransire nequeuntes, discretioni vestre per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus, vocatis dicto Archiepiscopo et aliis qui fuerint evocandi, vos vel alter vestrum super premissis in dictis Albanie et Cervie partibus inquiratis auctoritate nostra diligentius veritatem, et si per inquisitionem huiusmodi ea repperitis subniti veritate, eadem auctoritate predicto Archiepiscopo tam predicationis quam pontificale interdicatis officium, ipsumque a regimine et administratione ecclesie sue suspendatis, sibique terminum statuatis competentem, infra quem personaliter se coram nobis representet, super premissis per nos adversus eum ad ulteriora procedi visurus, prout faciendum fuerit iuxta Canonicas sanctiones, facientes omnia et singula, que in premissis decreveritis per ipsum Archiepiscopum eadem auctoritate, appellatione postposita, firmiter observari, Invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis, remittendo nobis in autentica forma processum per vos in his habendum, Non obstantibus pie memorie Bonifacii pape VIII. prodecessoris nostri, quibus cavetur, ne quis extra suam Civitatem

et diocesim nisi in certis exceptis casibus, et in illis ultra unam dietam a fine sue diocesis ad indicium evocetur, Seu ne iudices a sedo apostolica deputati extra Civitatem vel diocesim, in quibus deputati fuerint, contra quoscunque procedere, aut alii vel aliis vices suas committere, seu aliquos ultra unam dietam a fino diocesis eorumdem trahere presumant, et de duabus dietis in Concilio generali editis, et aliis apostolicis constitutionibus contrariis quibuscunque, Aut si prefato Archiepiscopo vel quibusvis aliis communiter vel divisim a dicta sit sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari, aut extra vel ultra certa loca ad iudicium evocari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno etc. Millesimo quadringentesimo quinquagesimoseptimo, Kalendis Iunii, Pontificatus nostri Anno Tertio.

DCI.

Conceduntur certae indulgentiae cunctis Christi fidelibus, qui ecclesiam s. Nicolai Alesiensis devote visitaverint annuatim et manus ad eius restaurationem porrexerint adiutrices. Reg. An. III. Tom. 14. fol. 170.

Calistus episcopus etc. Universis Christifidelibus presentes litteras inspecturis, salutem etc. Licet is, de cuius munere venit, ut sibi a suis fidelibus digno et laudabiliter serviatur, de habundancia sue pietatis, que merita supplicum excedit et vota, boneservientibus sibi multo maiora tribuat, quam valeant promereri: desiderantes tamen domino populum reddere acceptabilem et bonorum operum sectatorem, fideles ipsos ad complacendum et quasi quibusdam allectivis muncribus, indulgonciis scilicet et remissionibus, invitamus, ut exinde reddantur divine gratie aptiores. Cum itaque, sicut exponi fecit nobis dilectus filius nobilis vir Georgius Castrioti dictus Scanderboch Albanie dominus, ecclesia Alesiensis, que in honorem et sub vocabulo sancti Nicolai confessoris edificata ost, antiquis collapsis et dirutis edificiis, de novo aucta construatur et roparetur, et ad constructionem et reparationem huiusmodi Christifidelium suffragia sint plurimum opportuna: Nos cupientes, ut ecclesia ipsa a Christifidelibus congruis honoribus frequentetur, et ut fideles ipsi oo libentius causa dovotionis confluant ad eandem, ac ad constructionem, reparationem et conservationem ipsius manus promptius porrigant adiutrices, quo ex hoc ibidem celestis dono gratie uberius conspexerint se refectos, de omnipotentis dei misericordia et beatorum Petri et Pauli Apostolorum auctoritate confisi, omnibus vere penitentibus et confessis, qui in sancti Nicolai, Purificationis beate Marie Virginis gloriose et dedicationis sancti Michaelis festivitatibus eandem ecclesiam devote visitaverint annuatim, et ad huiusmodi constructionem, reparationem et conservationem manus porrexerint adiutrices, singulis videlicet festivitatum prenominatarum diebus septem annos et totidem quadragenas de iniunctis eis penitenciis misericorditer relaxamus, presentibns perpetuis temporibus valituris. Volumus autem, quod si aliis visitantibus dictam ecclesiam, vel ad eius fabricam seu conservationem manus porrigentibus adiutrices, aut alias inibi pias elemosinas erogantibus, sen alias aliqua alia indulgoncia imperpetuum vel ad certum tempus nondum elapsum duratura per nos concessa fuerit, huiusmodi alias facta concessio nullius existat roboris vel momenti. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno etc. M.CCCC.LVII., XV. Kal. Septembris, Pont. nostri Anno Tertio.

DCII.

Abbati monasterii s. Venere de Curbino Croiensis diocesis, ut monasterio b. Mariae de Trafandena diocesis Arbanensis ecclesiam s. Georgii unire et incorporare possit. Reg. An. III. Tom. 14. fol. 169.

Calistus episcopus etc. Dilecto filio Abbati Monasterii sancte Venere de Curbino Croiensis diocesis, salutem etc. Ad ea, per que ecclesiarum et monasteriorum et in illis divinis laudibus deditarum personarum omnium commodo consulitur et opportunitatibus subvenitur, ex iniuncto nobis desuper apostolice servitutis officio libenter intendimus, eaque favoribus, quantum cum deo possumus, prosequimur opportunis. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Abbatis, et Conventus monasterii beate Marie de Trefandena Arbanensis diocesis ordinis sancti Benedicti peticio continebat, quod dictum monasterium adeo in redditibus tenue est, quod ex illius fructibus, redditibus et proventibus, qui triginta florenorum auri de Camera secundum communem extimationem valorem annuum non excedunt, Abbas qui illi pro tempore preest, et eius Conventus commodo vivere non possunt, nec ad reparationem et conservationem eiusdem, quod a Teucris invasum et combustum extitit, sufficient, cui si ecclesia sancti Georgii loci et diocesis predictorum, que per clericos seculares regi solita et sino cura et ab eisdem Teucris combusta est, necnon pro tercia parte miliaris ab ipso monasterio distare dino-

scitur, unirctur et incorporaretur, Abbas et Conventus predicti vivere et reparationi ac conservationi et fabrice monasterii et ecclesie huiusmodi intendere possent, et in fabrica et reparatione ac conservatione structurarum et edificiorum eorundem aliquo susciperent relevamen: Quare pro parte Abbatis exponentis et Conventus predictorum nobis fuit humiliter supplicatum, ut super hoc eorum ac monasterii et ecclesie huiusmodi statuti opportune providere de benignitate apostolica dignaremus. Nos igitur de premissis certam noticiam non habentes, huinsmodi supplicationibus inclinati, discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus de premissis omnibus et singulis ac eorum circumstanciis universis auctoritate nostra te diligenter informes, et si per diligentem informationem ea vera esse repereris, super quo tuam consciencium oneramus, ecclesiam predictam, cuius fructus, redditus et proventus decem florenorum similium secundum eandem extimationem valorem annuum, ut Abbas et Conventus ipsi etiam asserunt, non excedunt, cum omnibus iuribus et pertinenciis suis eidem monasterio auctoritate predicta perpetuo unias, incorpores et annectas, ita quod cedente vel decedente eiusdem ecclesie Rectore, seu illam alias quomodolibet dimittente, liceat Abbati pro tempore et Conventui profatis per se vel alium seu alios corporalem possessionem ecclesie, iuriumque et pertinenciarum predictorum auctoritate propria libere apprehendero ot perpetuo retinero, ac illius fructus, redditus et proventus in fabricam et conservationem ac reparationem predictas perpetuo convertere et exponere, diocesani loci et cuiuscumque alterius licencia desuper minime requisita, Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis ac monasterii et ordinis predictorum iuramento, confirmatione apostolica vel quavis alia firmitate roboratis statutis et consuetudinibus contrariis quibuscumque, Aut si aliqui super provisionibus sibi faciendis etc. mentio specialis. Volumus autem, quod per unionem huiusmodi, se illam vigore presentium fieri et effectum sortiri contigerit, profata ecclesia debitis non fraudetur obsequiis, et eius debite supportentur onera consueta. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno etc. M.CCCC.LVII., XV. Kal. Septembris, Pontificatus nostri Anno Tertio.

DCIII.

Paulo abbati monasterii s. Marie de Trofandena Arbanensis diocesis salvusconductus conceditur.
Reg. An. III. Tom. 14. fol. 170.

CALISTUS EPISCOPUS etc. Universis et singulis presentes litteras inspecturis, salutem etc. Cum dilectus filius Paulus Abbas monasterii sancte Marie de Trofandena ordinis sancti Benedicti Arbanensis diocesis, nuncius noster, pro nostris arduis et Romane ecclesie negociis ad partes Albanie, Dalmatie, Bosne et Greecio personaliter habeat se transferre: Nos cupientes eundem Paulum Abbatem cum quatuor sociis seu familiaribus, ac bonis et rebus suis omnibus in eundo, stando et redeundo plena ubique securitate et immunitate ac favorabili tractatione gaudere, Universitatem vestram et vestrum singulos requirimus et hortamur in domino, subditis vero nostris et gentium armigerarum Capitaneis, et conductoribus ad nostra et dicte ecclesie stipendia militantibus districte precipiendo mandamus, quatenus eundem Abbatem cum dictis sociis seu familiaribus equostribus vel pedestribus cum rebus et bonis suis predictis per nostra et vestra territoria, passus, portus et loca quelibet tam per aquam quam per terram absque solutione alicuius datii, pedagii, passagii, theolonii, fundi navis vel gabelle, aut alterius cuiuscumque indicte vel indicende exactionis iro, stare, transire et redire pro nostra et apostolice sedis reverentia libere permittatis, nullamque sibi aut eius sociis vel familiaribus in personis, equis aut bonis eorum inferatis iniuriam, molestiam vel offensam, aut aliam noxiam vel novitatem, nec ab aliis, quantum in vobis fuerit, permittatis, quinymo ipsum, socios vel familiares predictos benigne recipientes, quotiens ab eis vel ipsorum aliquo seu pro eorum parte fuoritis requisiti, eis de securo transitu, scorta vel salvoconductu et receptu sic liberaliter providere curetis, quod vestra exinde devotio possit apud nos et sedem ipsam merito commendari. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno etc. M.CCC.LVII. Nonis Septembris, Pontificatus nostri Anno Tertio.

DCIV.

Ioanni Navarr commissario mandatur, ut pecunias ex decimis in Dalmatia collectas in tres partes dividat, et unam regi Hungariae, alteram regi Bosniae, et tertiam quamprimum Scanderbech a Turchis obsesso assignet.
Reg. An. III. Tom. 14. fol. 169.

CALISTUS EPISCOPUS etc. Dilecto filio Iohanni Navarr Scutifero honoris et Commissario nostro, salutem etc. Cum acris quedam et innarrabilis anxietas cordi nostro insideat, nichilque aliud fere

cogitemus, quam ut impios Turchorum conatus retundamus, merito illis Christifidelibus subsidium et opem afferre intendimus, qui quo ipsis Turchis propriores terras incolunt, eo crebriores incursus et impetus bellorum austinere, et manifestioribus periculis pro tutela fidei orthodoxe sese obicere cogantur. Ob eam itaque rem considerantes, quot labores et discrimina perpessi hactenus sint, et in dies patiantur Carissimi in Christo filii nostri Hungarie et Bosne Reges Illustres, necnon dilectus filius nobilis vir Georgius Castrioti dictus Scanderbech Albanie dominus, qui prope soli oppositi sunt furori barbarorum et Turchorum, prohibent aditu, ne scelerato impetu in Christianitate irruant, ut maiori animo sanctum propositum amplectantur et viriliter resistant inimicis Christi, te, de cuius fide, probitate et rerum experiencia plenam in domino fiduciam obtinemus, harum serie nostrum et sedis apostolice Commissarium facimus, constituimus et deputamus, ut quandoquidem multi et fidedigni ad nos nuncii perferuntur de Turchorum irruptione in Albania facta et de clade, qua Christiani in partibus illis affecti sunt, obscso etiam a Turchorum exercitu et circumvallato eodem Scanderbech, te, quam celerrime potes, personaliter ad partes Albanie conferas, omnesque et singulas pecunias tam ratione decimarum quam quovismodo pro sancta Cruciata collectas, et in futurum colligendas in Civitatibus Ragusii et Antibari, necnon ubique per totam Dalmatiam, decem mille ducatis de Camere exceptis, qui de mandato nostro mercatoribus societatis de Pazis apud illas partes moram trahentibus consignari debent, et ex dictis pecuniis omnino, nisi iam consignati fuerint, consignari mandamus, ratione maioris summe, de qua mercatores predicti pro hoc sancto opere nobis subvenerunt, a quibuscumque Collectoribus, Succollectoribus, depositariis et aliis, apud quos quovismodo sunt et esse contingent habere procures, easque in partes tres equas dividas, quarum unam prefato Regi Hungarie, alteram Regi Bosne, terciam vero memorato Scanderbech aut eorum procuratoribus effectualiter consignes, prout nos harum serie eis et cuilibet eorum damus et consignamus, mandantes universis et singulis Collectoribus, Succollectoribus et depositariis predictis et aliis quibusvis, apud quos pecunie huiusmodi existant aut in futurum esse contingent, ut tibi, aut cui in nostro nomine mandaveris, integre sine mora aut dilatione sub pena nostra indignationis ac maledictionis eterne tradant et realiter persolvant, Non obstantibus quibuscumque. Tu vero adhibita pro magnitudine rei et periculi celeritate, receptis dictis pecuniis factaque equa divisione, quam primum cures, ut portio dicto Scanderbech destinata solvatur, ut earum subsidio periculum, in quod adductus esse dicitur, propulsare valeat: in quibus exequendis ita diligentem et solicitum te prebeas, ut valeas a nobis merito commendari. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno etc. M.CCCC.LVII., quarto Idus Septembris, Pontificatus nostri Anno Tertio.

DCV.

Stephano duci Bosnensi, ut predicto Ioanni Navarr fidem adhibeat. Reg. An. III. Brev. fol. 121.

Dilecto filio Nobili viro Duci Stephano de Bosna.

Calistus PP. III. Dilecte fili, salutem etc. Mittimus ad partes illas pro nonnullis negotiis statum fidei catholice et religionis christiane concernentibus dilectum filium Iohannem Navarr, familiarem et scutiferum nostrum, presentium exhibitorem, eidem super premissis commissimus nonnulla nobilitati tue nostri parte referenda, super quibus velis sibi tanquam persone nostre plenam fidem adhibere. Datum (Rome) etc. XIIII. Septembris 1457. (Pontificatus nostri Anno Tertio.)

DCVI.

Georgio C. Scanderbech de Ioanne Navarr ad eum miso etc. pontifex scribit. Reg. An. III. Brev. fol. 121.

Dilecto filio Nobili viro Georgio Castriotti Scanderbech Albanie domino.

Calistus PP. III. Dilecte fili, salutem etc. Scribimus tue nobilitati per alias litteras nostras sub bulla plumbea respondendo his, que tuo nomine nobis exposuit dilectus filius Abbas etc. quem ad nos misisti. Postea vero intelleximus Venerabilem fratrem nostrum Archiepiscopum Croiensem ab hac luce migrasse, qui, quoniam nuncius et collector noster erat, et ut intelleximus, nonnullas pecunias ratione collectorie et cruciate collectas habebat, mandavimus dilecto filio Iohanni Navarr exhibitori presentium, quem ad tuam nobilitatem mittimus, ut omnes pecunias, que per dictum collectorem nostrum de prefatis etiam dimisse reperientur, et quascumque alias ratione cruciate in Albania per quoscumque nostros collectores, succollectores seu nuntios collectas et in futurum colligendas, et penes quoscumque existentes tue nobilitati consignari nostro nomine faciet. Itaque, dilecte fili, ut fecis, persevera in tua sincera devotione tuende et defendende fidei catholice: nam deus, cuius res agitur, non deseret causam

suam, sed tibi et aliis Christianis de perditissimis Turchis et aliis infidelibus victoriam cum summa gloria et trinmpho pro certo dabit. Nosque etiam ultra vires nostras in his promptos habebis, ut latius intelligere poteris ab eodem Iohanne Commissario nostro, quem tibi specialiter commendamus. Datum (Rome) etc. XVII. Septembris 1457. (Pontificatus nostri Anno Tertio.)

DCVII.

Nicolao Iaroli Testae nobili regni Bosnensis licentia presbyterum in certa ecclesia instituendi conceditur.
Reg. An. III. Secret. Tom. 2. fol. 122.

CALISTUS EPISCOPUS etc. Dilecto filio Nicolao Iaroli Teste nobili de Regno Bosne, salutem etc. Sincere devotionis affectus, quem ad nos et Romanam geris ecclesiam, non indigne meretur, ut petitionibus tuis, que divi cultus (augmentum) et anime tue salutem respiciunt, quantum cum deo possumus, favorabiliter annuamus. Cum itaque pro parte tua nobis fuit nuper expositum, tu, qui devotionis fervore accensus in quadam parrochiali ecclesia in Castronovo Regni Bosne sita pro divini cultus augmento nonnullos presbiteros seculares, qui in eadem deserviunt, deputare desideres: Nos votis tuis in hac parte favorabiliter annuentes, tuis in hac parte devotis supplicationibus inclinati, tibi, ut aliquem ydoneum presbiterum secularem, quem ad hoc duxeris eligendum, ad deserviendum eidem ecclesie missis et aliis divinis officiis, alicuius super hoc licencia minime requisita, deputare possis et valeas, dummodo ad id eiusdem presbiteri accedat assensus, auctoritate apostolica tenore presentium concedimus et pariter indulgemus, Non obstantibus quod in partibus illis ordinis fratrum Minorum professores in similibus parrochialibus ecclesiis et locis deputari consueverint, ac constitutionibus et ordinationibus, necnon privilegiis, indulgeneiis et litteris apostolicis eisdem fratribus por sedem apostolicam concessis, etiam si de illis eorumquo totis tenoribus de verbo ad verbum habenda esset in presentibus mentio specialis, ceterisque contrariis quibuscumquo. Nulli ergo etc. nostre concessionis et voluntatis infringere etc. Si quis etc. Datum Rome apud S. Petrum etc. M.CCCC.LVII. Nonis Novembris, Pont. nostri Anno Tercio.

DCVIII.

Radmoy germano regis Bosnie licentia aliquos presbyteros in capella loci de Podenubac instituendi conceditur.
Reg. An. III. Secret. Tom. 2. fol. 122.

CALISTUS EPISCOPUS etc. Dilecto filio nobili viro Radmoy Carissimi in Christo filii nostri Stephani Regis Bosne germano, salutem etc. Dum alti sanguinis prosapiam, que tuis dedit ortum natalibus, ac eximie devotionis affectum, quem ad nos et Romanam geris ecclesiam, diligenter attendimus, dignum reputamus et debitum, ut petitionibus tuis, que divini cultus augmentum et anime tue salutem respiciunt, quantum cum Deo possumus, favorabiliter annuamus. Cum itaque, sicut pro parte tua nobis fuit nuper expositum, tu, qui devotionis fervore accensus infra limites Regni Bosne in loco de Podenubac quandam capellam ad honorem gloriose Virginis Dei genitricis Marie sumptuoso opere a solo fabricari fecisti, pro divini cultus augmento nonnullos seculares presbiteros, qui in eadem capella deserviant, deputare desideres: nos votis tuis in hac parte favorabiliter annuentes, tuis in hac parte devotis supplicationibus inclinati, tibi, ut aliquos ydoneos presbiteros, quos ad hoc duxeris eligendos, ad deserviendum eidem capelle in missis et aliis divinis officiis, alicuius super hoc licencia minime requisita, deputare possis et valeas, dummodo ad id eorumdem presbiterorum accedat assensus, auctoritate apostolica tenore presentium concedimus et pariter indulgemus, Non obstantibus quod in partibus illis ordinis fratrum Minorum professores in similibus capellis et locis deputari consueverint, ac constitutionibus et ordinationibus, necnon privilegiis, indulgeneiis et litteris apostolicis eisdem fratribus per sedem apostolicam concessis, etiam si de illis eorumque totis tenoribus de verbo ad verbum habenda esset in presentibus mentio specialis, ceterisque contrariis quibuscumque. Nulli ergo etc. nostre concessionis et voluntatis infringere etc. Si quis etc. Dat. Rome apud S. Petrum etc. M.CCCC.LVII. Nonis Novembris, P. n. Anno III.

DCIX.

Episcopis Spoletano et Urbevetano et officiali Antibarensi, ut parochialem ecclesiam sancti Nicolai de Iguena Antibarensis dioecesis vacantem Theodoro Marini de Servia presbytero eiusdem dioecesis conferendam curent. Reg. An. III. Tom. 2. fol. 314.

CALISTUS EPISCOPUS etc. Venerabilibus fratribus Spoletano et Urbevetano Episcopis, ac dilecto filio Officiali Antibarensi, salutem etc. Vite ac morum honestas aliaque laudabilia probitatis et

virtutum merita, super quibus dilectus filius Theodorus Marini de Servia presbiter Antibarensis diocesis apud nos fidedigno commendatur testimonio, nos inducunt, ut sibi reddamur ad gratiam liberales. Cum itaque, sicut accepimus, parrochialis ecclesia sancti Nicolai de Iaguena, plebs vulgariter nuncupata, dicte diocesis, quam quondam Iohannes de Walmis ipsius ecclesie Rector, dum viveret, obtinebat, per obitum eiusdem Iohannis, qui extra Romanam Curiam diem clausit extremum, vacaverit et vacet ad presens, nos volentes dicto Theodoro premissorum meritorum suorum intuitu gratiam facere specialem, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus vos vel duo aut unus vestrum per vos vel alium seu alios ecclesiam predictam, cuius fructus, redditus et provontus Quindocim librarum turonensium parvorum secundum communem extimationem valorem annuum, ut idem Theodorus asserit, non excedunt, sive ut premittitur, sive alias quovis modo, aut ex alterius cuiuscunque persona, seu per liberam resignationem dicti Iohannis, aut alicuius alterius de illa extra dictam Curiam etiam coram Notario publico et testibus sponte factam, aut Constitutionem felicis recordationis Iohannis pp. XXII. predecessoris nostri, que incipit, Execrabilis, vacet, etiam si tanto tempore vacaverit, quod eius collatio iuxta Lateranensis statuta concilii ad sedem apostolicam legitime devoluta, ipsaquo ecclesia dispositioni apostolice specialiter reservata existat, et super ea inter aliquos lis, cuius statum presentibus haberi volumus pro expresso, pendeat indecisa, dummodo tempore date presentium non sit in ea alias alicui specialiter ius quesitum, cum omnibus iuribus et pertinenciis suis eidem Theodoro auctoritate nostra conferre et assignare curetis, inducentes eum vel procuratorem suum in corporalem possessionem ecclesio iuriumque et pertinenciarum predictorum, ot defeudentos inductum, amoto exinde quolibet illicito detentore, facientes sibi do ipsius ecclesie fructibus, redditibus, proventibus, iuribus et obventionibus universis integre responderi, Contradictores auctoritato nostra, appellatione postposita, compescendo, Non obstantibus pio memorie Bonifacii pape VIII. etc. usquo contigerit attemptari. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno etc. M.CCCC.LVII. sexto Idus Iunii, Pontificatus nostri Anno Tertio.

DCX.

Vicario generali archiepiscopi Ragusini, ut Ioanni de Tripussa presbytero Catharensi de ecclesia s. Nicolai de Ortis extra muros eiusdem civitatis provideat. Reg. Au. 111. Tom. 15. fol. 107.

CALISTUS EPISCOPUS etc. Dilecto filio Vicario Venerabilis fratris nostri Archiepiscopi Ragusini in spiritualibus generali, salutem et apostolicam benedictionem. Dignum arbitramur et congruum, ut illis se reddat sedes apostolica gratiosam, quibus ad id propria virtutum morita laudabiliter suffragantur. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dilecti filii Iohannis de Tripussa presbiteri Catharensis petitio continebat, quod olim ecclesia sancti Nicolai de Ortis extra muros Catharenses, que de iure patronatus laicorum existit, et quam quondam presbiter Marinus Natalini ipsius ecclesie Rector, dum viveret, obtinebat, per eiusdem Marini obitum, qui extra Romanam Curiam diem clausit extremum, vacante, posito edicto por Venerabilem fratrem nostrum Angelum Episcopum Catharensem iuxta consuetudinem illarum partium, ut pretendontes se patronos coram eo se exhiborent, et personam idoneam ad ecclesiam huiusmodi sibi presentarent: et deinde patroni ipsi coram prefato Episcopo comparentes aliqui eorum prefatum Iohannem, alii vero dilectum filium Dragonom de Dragonibus presbitorum Catharensem ad eandem ecclesiam presentarent in Rectorem, idem Episcopus discussis patronorum huiusmodi votis prefatum Iohannem a maiori parte patronorum eorumdem presontatum fore reperiens, ipsum in dicta ecclesia ordinaria auctoritate instituit in Rectorem, ot non obstantibus protestationibus factis ac exceptionibus per Dragonem predictum interpositis, eundem Iohannem in corporalem possessionem poni fecit. Cum autem, sicut eadem petitio subiungobat, profatus Iohannes presentationem et institutionem huiusmodi, ac inde secuta cx certis causis dubitet viribus non subsistere, et sicut accepimus, dicta ecclesia a nonnullis adhuc vacare censeatur, nos qui dudum inter alia voluimus, quod de cetero in quibuscunque boneficialibus impetrationibus non obstantie beneficiales impotrantium exprimcrentur, et quecunque super huiusmodi impetrationibus sive oxpressione dictarum non obstantiarum pretextu impetrande fortassis concessionis, quod non obstantie huiusmodi pro expressis haberentur, expediende littere nullius existerent roboris vel momenti, omnia et siugula beneficia ecclesiastica cum cura et sine cnra, que idom Iohannes etiam ex quibusvis apostolicis dispensationibus obtinet et expectat, ac in quibus et ad que ius sibi qnomodolibet competit, quecunque, quotcunque et qualiacunquo fuerint, eorumque fructuum, redditnum et proventuum veros valores annuos ac huiusmodi dispensationum tonores presentibus pro expressis habentes, prefatumque Iohannom a quibuscunque excommunicationis, suspensionis ot interdicti,

aliisque ecclesiasticis sentenciis, censuris et penis a iure vel ab homine latis, quibus quavis occasione vel causa quomodolibet forsan irretitus existit, quoad hoc ut presentium dumtaxat consequatur effectum, absolventes et absolutum fore censentes, ac secum super irregularitate, si quam huiusmodi sentenciis et censuris ligatus missas et alias divina officia celebrando, vel alias se illis immiscendo, non tamen in contemptum clavium, quomodolibet contraxerit, dispensantes, omnemque inhabilitatis et infamie maculam sive notam premissorum occasione per eum forsan contractam eadem auctoritate penitus abolentes, presentationem et institutionem de Iohanne factas huiusmodi et inde secuta approbantes et confirmantes, necnon dictum Iohannem, apud nos de vite ac morum honestate aliisque probitatis et virtutum meritis multipliciter commendatum, horum intuitu gratioso favore prosequi volentes, discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus si per diligentem examinationem eundem Iohannem ad hoc idoneum esse repereris, super quo tuam conscientiam oneramus, ecclesiam predictam, que sine cura est, et cuius fructus, redditus et proventus viginti quatuor florenorum auri de Camera secundum communem extimationem valorem annuum, ut idem Iohannes asserit, non excedunt, sive ut premittitur, sive alias quovis modo, aut ex alterius cuiuscunque persona, seu per liberam resignationem dicti Marini, vel alterius de illa extra dictam Curiam etiam coram Notario publico et testibus sponte factam vacet, etiam si tanto tempore vacaverit, quod eius collatio iuxta Lateranensis statuta Concilii ad sedem predictam legitime devoluta, ipsaque ecclesia apostolice dispositioni specialiter reservata existat, et super ea inter aliquos lis, cuius statum presentibus haberi volumus pro expresso, in dicta Camera vel extra eam pendeat indecisa, dummodo tempore date presentium non sit in ea alicui specialiter ius quesitum, cum omnibus iuribus et pertinenciis suis prefato Iohanni auctoritate nostra conferas et assignes, inducens per te vel alium seu alios eundum Iohannem, vel procuratorem suum eius nomine in corporalem possessionem ecclesie iuriumque et pertinenciarum predictorum, et defendens inductum, amoto exinde quolibet illicito detentore, ac faciens sibi de ipsius ecclesie fructibus, redditibus, proventibus, iuribus et obventionibus universis integre responderi, Contradictores auctoritate nostra, appellatione postposita, compescendo, Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii pape VIII. etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno etc. Millesimo quadringentesimo quinquagesimoseptimo, Nonis Novembris, Pontificatus nostri Anno Tertio.

DCXI.

Ioanni Baptistae de Sabellis subdiacono monasterium s. Luciae de Bescha ord. s. Benedicti Veglensis dioecesis in commendam conceditur. Reg. An. III. Tom. 15. fol. 137.

Calistus episcopus etc. Dilecto filio Iohannibaptiste de Sabellis subdiacono nostro, salutem etc. Romani pontificis providencia circumspecta ecclesiis et monasteriis, que vacationis incommoda deplorare noscuntur, ut gubernatorum utilium fulciantur presidio, prospicit diligenter, necnon dignis beneme ritisque personis, sedi apostolice percipue obsequentibus ac generis nobilitate conspicuis, ut statum suum decentius tenere valeant, prout decens et congruum est, de subventionis auxilio providet opportuno. Olim siquidem, ut nuper accepimus, monasterio sancte Lucie de Bescha ordinis sancti Benedicti Veglensis diocesis ex eo vacanti, quod quondam Matheus Monachus tunc illius Abbas ex certis rationabilibus causis ad id animum suum moventibus regimini et administrationi dicti monasterii, cui tunc preerat, in manibus Venerabilis fratris nostri Franciscl tunc Veglensis, nunc vero Corbaviensis Episcopi extra Romanam curiam sponte cessit, idemque Franciscus Episcopus cessionem predictam extra eandem curiam duxit auctoritate ordinaria admittendam: Franciscus Episcopus prefatus dictum monasterium sic vacans dilecto filio Nicolao Maebin Electo Segniensi, tunc clerico Catharensis diocesis, sub certis modo et forma commondavit, licet de facto, ipseque Nicolaus pretextu commonde huiusmodi regiminis et administrationis bonorum monasterii huiusmodi possessionem vel quasi assecutus pacifice extunc monasterium ipsum detinuit, prout etiam detinet de presenti de facto. Cum itaque, postmodum de persona dicti Nicolai Electi ecclesie Segniensi tunc pastoris regimine destitute duxerimus auctoritate apostolica providendum, proficiendo ipsum eidem ecclesie in Epum et pastorem, ipsumque monasterium adhuc vacare noscatur, nos commendam predictam, utpote de facto attemptatam, irritam prout est et inanem reputantes, necnon cessionem per eundem Matheum factam ratam et gratam habentes, et tam dicto monasterio de gubernatore secundum cor nostrum utili et idoneo, per quem circumspecte regi et salubriter gubernari valeat, quam tibi, qui, ut etiam accepimus, de Barenum genere ex utroque parente procreatus, ac dilecti filii nostri Prosperi sancti Georgii ad Velum aureum diaconi Cardinalis familiaris continuus

commensalis existis, ut statum tuum decentius tenere valeas, de alicuius subventionis auxilio providere volentes, motu proprio, non ad tuam vel alterius pro te nobis super hoc oblate petitionis instantiam, sed de nostra mera liberalitate monasterium predictum, cuius fructus, redditus et proventus in Camera apostolica ad Quinquaginta florenos auri taxati existunt, sive ut premittitur, sive alias quovis modo, aut ex alterius cuiuscunque persona vacet, eiusque proviso ex quavis causa ad sedem apostolicam specialiter vel generaliter pertineat, cum omnibus iuribus et pertinentiis suis tibi tenendum, regendum et gubernandum per te, quoad viveris, auctoritate apostolica concedimus, curam, regimen et administrationem ipsius monasterii, si vacat exnunc, alioquin cum primum illud per promotionem huiusmodi et munus consecrationis eidem Electo impendendum, aut lapsum temporis de consecrandis Episcopis a canonibus diffiniti, vel alias quovis modo vacare contigerit, tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, sperantes, quod dirigente domino actus tuos prefatum monasterium per tue circumspectionis industriam, et studium fructuosum regetur utiliter et prospere dirigetur, ac grata in eisdem spiritualibus et temporalibus suscipiet incrementa. Quocirca discretioni tue ac dilectis filiis Conventui et Vassallis eiusdem monasterii per apostolica scripta mandamus, videlicet tu regimen et administrationem predicta sic geras solicite, fideliter et prudenter, quod monasterium ipsum gubernatori provido et administratori fructuoso gaudeat se commissum, tuque preter eterne retributionis premium nostram et sedis apostolice benedictionem et gratiam exinde uberius consequi merearis, ac Conventus obedienciam et reverenciam debitas et devotas, necnon Vassalli et subditi predicti consueta iura et servicia tibi ad eandem vitam tuam integre exhibere studeant atque procurent, alioquin sentenciam sive penam, quam rite tuleris in rebelles, ratam habebimus et faciemus, auctore domino, usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari, Non obstantibus Constitutionibus etc. alienatione tamen quorumcunque bonorum immobilium et preciosorum mobilium ipsius monasterii tibi interdicta. Nulli ergo etc. nostrorum commende, mandati et voluntatis infringere etc. Si quis autem etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno etc. Millesimo quadringentesimo quinquagesimoseptimo, XVIII. Kal. Decembris, Pont. nostri Anno Tertio.

DCXII.

Andreas Sarabax iudex ordinarius et generalis, Theodorus Albo Vaivodo generalis contra Turcas capitaneus, et Io. Ducasoubrun procurator et sindicus in quibusdam provinciis a nunzio apostolico nominati confirmantur.
Reg. Aa. III. de Curia Tom. 15. fol. 286.

CALISTUS EPISCOPUS etc. Dilectis filiis nobilibus viris Andree Sarabax et Theodoro Albo Vaivodo ac Iohanni Ducasoubrun in de Carrabis, de Gelina et de Paysa ac Scoinbin, aliisque adiacentibus provinciis vestris constitutis, salutem etc. Meruit vestre devotionis affectus, quem ad nos et Romanam ecclesiam gerere comprobamini, ut personas vestras in hiis, que tranquillitatem et pacem ac conservationem provinciarum et terrarum ad nos et sedem apostolicam spectantium concernere dinoscuntur, condignis honoribus et graciis attollamus. Dudum siquidem dilectus filius Guillermus de Lauro Canonicus ecclesie Dertusensis ordinis sancti Benedicti, familiaris noster continuus commensalis, tunc de partibus de Carrabis, de Gelina et aliis circumvicinis, in quibus a nobis specialiter deputatus fuerat nuntius, te Andream Iudicem ordinarium et generalem omnium ipsarum provinciarum ad nos tunc reductarum, te vero Theodorum generalem Capitaneum pro patrie contra Turchorum rabiem deffensione, necnon te Ducam procuratorem et Sindicum etiam generalem, Cephalum nuncupatum, auctoritate sue nunciationis constituit, ordinavit et deputavit, vosque et vestrum quilibet officia huiusmodi vestra laudabiliter et utiliter extunc exercuistis, prout exercetis de presenti. Hinc est, quod nos de vestra erga nos voluntate et benivolencia ac probitate, fide et rerum experiencia, de quibus idem Guillermus nobis rationem fecit condignam, specialem in domino fiduciam obtinentes, vos et vestrum quemlibet in huiusmodi vestro officio harum serie confirmamus et approbamus, vosque ad illa tenenda, regenda et exercenda, prout vestrum quemlibet et officia huiusmodi tangere potest, de novo, salva nostra et apostolice sedis auctoritate et reverentia, usque ad nostrum et eiusdem sedis beneplacitum constituimus, deputamus et ordinamus, dantes et concedentes vobis et vestrum cuilibet suum officium, et omnia ad illius exercitium spectantia auctoritate apostolica exequendi, gerendi et exercendi plenam et liberam licentiam et facultatem. Volumus autem, quod postquam presentes littere vobis fuerint exhibite vel ostense, a vestrorum abstineatis officiorum exercitio, donec in manibus Venerabilis fratris nostri Iohannis Episcopi Conamensis, vel eiusdem Guillermi, vel eiusdem Episcopi in spiritualibus Vicarii fidelitatis debite solitum prestiteritis iuramentum, quodque idem Episcopus, Guillermus vel Vicarius formam

iuramenti, quod vos prestare contigerit, nobis aut Camere apostolice de verbo ad verbum per suas patentes litteras suo sigillo munitas quantotius destinare procuret. Nulli ergo etc. nostre confirmationis, approbationis, constitutionis, deputationis, ordinationis, dationis, concessionis et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno etc. Millesimo quadringentesimo quinquagesimoseptimo, v. Kal. Ianuarii, Pontificatus nostri Anno Tercio.

DCXIII.

Mariano de Senis ord. Minorum collectori in provincia Ragusina mandatur, ut mercatoribus Florentinis xm. ducat. ex pecuniis istic collectis et residuum Ioanni Navarr quamprimum assignet. Reg. An. III. Brev. fol. 122.

Dilecto filio Mariano de Senis ordinis Minorum Nuntio et Collectori apostolico.

Calistus PP. III. Dilecte filii, salutem etc. Admirati fuimus et sumus de tarditate et negligentia istic habita circa ea, que iam pridem iteratis litteris tam Ragusinis, quam tibi scripsimus super pecuniis istic collectis et depositis pro sancta Cruciata, ut videlicet illas consignares et consignari faceres Martino Clarini mercatori Florentino commoranti Ragusii, recipientique nomine dilecti filii Petri et Iacobi de Pazis sociorum de Romana curia, qui in magnis negotiorum Cruciate necessitatibus de magnis pecuniarum summis nobis subvenerunt. Quare, ut ex predictis pecuniis satisfiat eisdem mercatoribus usque ad summam decemmilium ducatorum, et residuum distribuatur inter Carissimos in Christo filios Hungarie et Bosne Regos illustres, dilectum filium nobilem virum Scandarbech Albanie dominum, mittimus ad partes illas dilectum filium Io. Navarr scutiferum nostrum et presentium exhibitorem, ut plenius videbis in bulla commissionis per nos sibi facte. Itaque devotionem tuam hortamur, eidem in virtute sancte obedientie et excommunicationis sententie late mandamus, ut omni studio, cura, industria et diligentia des operam, ut de pecuniis per te collectis dictis mercatoribus usque ad summam xm. ducatorum consignetur, et de reliquo collecto et colligendo voluntas nostra omnino exequatur, quemadmodum prefato Io. commisimus: in quo talitor te habeas, ut a nobis, prout facimus, non immerito commenderis, teque gratiis et beneficiis prosequi valeamus, et caveas de contrario, ne te, si contrarium attemptaveritis, aliis gravissimis penis affligere cogimur: et etiam contra Ragusinos et quosvis alios detentores ex Cruciata provenientium, si quoquomodo tam iustis mandatis nostris non paruerint, vel quoquomodo distulerint, excommunicationis et interdicti ac aliis censuris et penis ita insurgemus contra eos, quod contraire mandatis huiusmodi apostolicis penitebit. Dat. Rome etc. xviii. Decembris m.cccc.lvii. Pontificatus nostri Anno Tercio.

DCXIV.

Episcopo Veglensi, ut Marinum de Maffeis monasterio s. Lucie de Bescha Veglensis dioecesis in abbatem praeficiat. Reg. An. III. Tom. 16. fol. 110.

Calistus episcopus etc. Venerabili fratri Episcopo Veglensi, salutem etc. Solicite considerationis indagine, prout officii pastoralis solicitudo requirit, circa statum ecclesiarum et Monasteriorum omnium prospero dirigendum operose diligentie studium libenter impendimus, ut ipsis, ne cuiusvis vacationis pregraventur ineommodis, de celeris provisionis remedio salubriter succurratur. Cum itaque, sicut accepimus, Monasterium sancte Lucie de Bescha ordinis sancti Benedicti tue diocesis, quod, ut asseritur, de iure patronatus dilecti filii nobilis viri Iohannis de Frangepanibus Comitis Signiensis, qui Civitatis Vegle et totius Insule Veglensis dominus existit, cui quondam Matheus ipsius Monasterii Abbas, dum viveret, presidebat, per obitum eiusdem Mathei, qui extra Romanam Curiam debitum mature persolvit, ad presens Abbatis regimine destitutum existat: Nos cupientes eidem Monasterio, ne prolixe vacationis detrimenta sustineat, de persona utili et ydonea, per quam circumspecte regi et salubriter dirigi valeat, provideri, ac de meritis et ydoneitato dilecti filii Marini de Maffeis monachi Monasterii sancti Firminminoris Veronensis dicti ordinis, qui, ut asserit, in decretis licentiatus existit, et cum que dudum, ut de ordine fratrum Predicatorum, cuius tunc professor erat, ad Monasterium sancti Firminminoris predictum transire, et regularem habitum per illius Monachos gestari solitum assumero, ac in illo perpetuo remanere, necnon quodcumque beneficium ecclesiasticum cum cura vel sine cura per predicti seu cuiuscumque in Civitato Veronensi, vel eius dioecesi dumtaxat consistentis eiusdem ordinis sancti Benedicti Monasterii monachos gubernari solitum, etsi prioratus, prepositura, dignitas, personatus, administratio, vel officium et dignitas conventualis, aut officium huiusmodi claustrale foret, et ad dignitatem, personatum vel officium huiusmodi consuevisset quis per electionem assumi, eique cura

imincret animarum, si sibi alias canonice conferretur, aut ipse eligeretur vel assumeretur ad illud, recipere et retinere libere liciteque valeret, auctoritate apostolica disponsatum fuit, apud nos de religione zolo, litterarum scientia, vite munditia, honestate morum, spiritualium providentia et temporalium circumspectione aliisque probitatis et virtutum meritis multipliciter commendati certam notitiam non habentes, discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus de meritis et de ydoneitate huiusmodi auctoritate nostra te diligenter informes, et si por informationem huinsmodi oundem Marinum, pro quo dictus Comes nobis super hoc humiliter supplicavit, ad regimen et gubernationem dicti Monasterii sancte Lucie utilem et ydoneam esse reppereris, super quo tuam conscientiam oncramus, de persona sna eidem Monasterio sancte Lucie, cuius fructus, redditus et proventus ad quinquaginta florenorum auri in Camera apostolica, ut ipse Marinus etiam asserit, taxati existunt, sivo ut premittitur, sive alias quovis modo, aut ex alterins cuiuscumquo persona vacet, eiusque provisio ex quavis causa ad sedem apostolicam specialiter vel generaliter pertineat, dummodo tempore dato presentium ci de Abbate canonice provisum non sit, eadem auctoritate provideas, ipsum illi in Abbatem preficias, curam, regimen et administrationem dicti Monasterii sancte Lucie sibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, ac faciendo ei a dilectis filiis Conventu obedientiam et reverentiam congruentes, necnon a vassallis et aliis snbditis eiusdem Monasterii sancte Lucie consueta iura et servitia exhiberi, Contradictores per censnram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo, Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon Monasterii et ordinis predictorum iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus contrariis quibuscumque, aut si Conventui, vassallis et subditis prefatis, vel quibusvis aliis communiter vel divisim ab eadem sit sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huinsmodi mentionem. Et insuper oidom Marino, si de persona sna prefato Monasterio sancte Lucie provideris, ut prefertur, munus benedictionis impendas, vel ut illud a quocumque Antistite gratiam et communionem dicte sedis habente suscipere valeat, ipseque Antistiti, ut illud sibi impendere possit, libere et licite eadem auctoritate concedas. Volumus autem, quod tu vel idem Antistes, qui eidem Marino munus predictum impendes vel impendet, postquam illud sibi impenderis vel impenderit, ab eo nostro et Romane ecclesio (nomine) fidelitatis debite solitum recipias seu recipiat iuramentum iuxta formam, quam sub bulla nostra mittimus interclusam, ac formam iuramenti, quod ipso Marinus prestabit, nobis de verbo ad verbum per tuas vel eius patentes litteras sub tua vel oius sigillo signatas per proprium nuntium quantotius destinare procures seu procuret, quodque per hoc tibi, cni Monasterium ipsum ordinario iure subesse dinoscitur, nullum imposterum preiudicium generetur. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno etc. M.CCCC.LVII. decimo Kalendas Aprilis, Pontificatus nostri Anno Tertio.

DCXV.

Scardonensi et Corrulensi epis committitur, ut Ioanni Vitalich canonico ecclesiae Farensis primicoriatum eiusdem ecclesiae vacantem conferant. Reg. An. III. Tom. 17. fol. 121.

CALISTUS EPISCOPUS etc. Venerabilibus fratribus Scardonensi et Corzulensi Episcopis, salutem etc. Vite ac morum honestas aliaque laudabilia probitatis ot virtutum merita, super quibus apud nos dilectus filius Iohannes Michaclis Vitalich Canonicus ecclesie Farensis fidedigno commondatur testimonio, nos inducunt, ut sibi reddamur ad gratiam liberales. Dudum siquidem fel. record. Nicolaus papa V. predecessor noster Venerabili fratri nostro Thome Episcopo Farensi pro decem personis ydoneis, quas ad hoc duceret eligendas, decem beneficia ecclesiastica cum cura et sine cura, etiam si Canonicatus et prebende, ac dignitates, personatus, administrationes vel officia ecclesio Farensis, cui etiam tunc preerat, forent, dummodo aliqua dignitatum earumdem post pontificalem maior non existeret, in suis Civitate et diocesi consistentia, et ad suam et dilectorum filiorum Capituli dicte ecclesie collationem, provisionem, presentationem seu quamvis aliam dispositionem pertinentia, si qua vacabant tunc, vel inantea simul aut successive vacarent, que dicte persone infra certi tunc expressi temporis spatium acceptarent, singula videlicet beneficia huiusmodi conferenda singulis personis, eisdem post acceptationem predictam cum omnibus iuribus et pertinenciis suis ea vice dumtaxat auctoritate apostolica reservandi, ac singula personis singulis conferendi, et do illis etiam providendi per suas litteras facultatem concessit, prout in dictis litteris plenius continetnr. Postmodum vero, sicut exhibita nobis nuper pro parte dicti Iohannis petitio continebat, primiceriatu dicte ecclesie, quem quondam Nicolaus Stiporenich olim ipsius ecclesie

Primicerius, dum viveret, obtinebat, per obitum eiusdem Nicolai, qui extra Romanam Curiam diem clausit extremum, vacante, Thomas Episcopus prefatus primiceriatum predictum *sic* vacantem dilecto filio Antonio Gasari ipsius ecclesie Canonico facultatis et litterarum earumdem pretextu contulit, et providit etiam de eodem licet de facto, ipseque Antonius collationis et provisionis earumdem obtentu dictum primiceriatum assecutus per annos sex vel circa, citra tamen septem detinuit, prout detinet occupatum similiter de facto. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, collatio et provisio eidem Antonio contra sanctiones canonicas, ut premittitur, facte, pro eo quod ex facultate et litteris antedictis nulla eidem Eo beneficia huiusmodi personis alia beneficia ecclesiastica obtinentibus conferendi fuit attributa potestas, viribus non subsistant, ipseque primiceriatus adhuc, ut prefertur, vacare noscatur, nos eidem Iohanni premissorum meritorum suorum intuitu specialem gratiam facere, ipsumque in eadem ecclesia amplius honorare volentes, fraternitati vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus vos vel alter vestrum, si vocatis dicto Antonio et aliis qui fuerint evocandi, primiceriatum predictum, quod in eadem ecclesia dignitas non tamen maior post pontificalem existit, et per illius ecclesie Canonicos obtineri consuevit, cuique cura non imminet animarum, et cuius fructus, redditus et proventus duodecim florenorum auri de Camera secundum communem extimationem valorem annuum, ut idem Iohannes asserit, non excedunt, sive ut premittitur, sive alio quovis modo, aut ex alterius cuiuscunque persona, seu per liberam resignationem alicuius de illo extra Romanam Curiam etiam coram notario publico et testibus sponte factam vacare reppereritis, illum, etiam si tanto tempore vacaverit, quod eius collatio inxta Lateranensis statuta Concilii ad sedem apostolicam legitime devoluta, ipseque primiceriatus dispositioni apostolice specialiter reservatus existat, et ad illum consueverit quis per electionem assumi, super eo quoque inter aliquos lis, cuius statum presentibus haberi volumus pro expresso, pendeat indecisa, dummodo tempore date presentium non sit in eo alicui specialiter ius quesitum, cum omnibus iuribus et pertinenciis suis eidem Iohanni auctoritate nostra conferre et assignare curetis, indneentes per vos vel alium seu alios eundem Iobannem, vel procuratorem suum eius nomine in corporalem possessionem primiceriatus iuriumque et pertineneiarum predictorum, et defendentes inductum, amoto exinde dicto Antonio et quolibet alio illicito detentore, ac facientes ipsum Iohannem vel dictum procuratorem pro eo ad primiceriatum ipsum, ut est moris, admitti, sibique de illius fructibus, redditibus, proventibus, iuribus et obventionibus universis integre responderi, Contradictores auctoritate nostra, appellatione postposita, compeseendo, Non obstantibus pie memorie Bonifacii pape VIII. predecessoris nostri etc. usque contigerit attemptari. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno etc. M.CCCC.LVIII. sexto Idus Iunii, Pontificatus nostri Anno Quarto.

DCXVI.

Concordiam inter patronos initam super presentatione clericorum ad duo beneficia vacantia in ecclesia omnium Sanctorum Ragusina pontifex confirmat, idoneos instituendi generali archiepi Ragusini in spiritualibus vicario facta potestate.
Reg. An. IV. de Curia Tom. 17. fol. 65.

Calistus episcopus etc. Dilecto filio Vicario Venerabilis fratris nostri Archiepiseopi Ragusini in spiritualibus generali, salutem etc. Debitum pastoralis officii nobis licet immeritis ex dispositione divina commissi exigit, ut ab universis nostre vigilantie creditis iurgiorum contentionumque sublatis dispendiis, pacis et quietis presidia eis feliciter ministremus, et illa apostolice confirmationis munimine roborari mandemus, que ad ipsarum pacis et quietis sollidationem cum utilitate et profectu ecclesiarum, ac eis presidentium personarum voluntariis partium mediis novimus processisse. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Georgii et Nicolai Simonis et aliorum de Gocis, tanquam ex illis de Palpafico seu de Pecurario procedentium, necnon Nicolai et Zore fratrum filiorum Marini de Dersa, ac Bartholi quondam Thomasini Lonchovic natorum ex illis de Sessa civium Ragusinorum petitio continebat, quod vertente lite in Romana curia coram Antonio de Thosabetis quondam Auditore causarum nostri sacri palatii apostolici, Capellano nostro, super iure presentandi ad ecclesiam omnium Sanctorum Ragusinam, que sine cura ac de iure patronatus laicorum existit, et per duos ut plurimum regi solita est Rectores, cum pro tempore vacat, et una, videlicet illorum de Gocis dilectum filium Matheum de Gocis, et alia partium litigantium predictarum, videlicet de Sessa, dilectum filium Franciscum de Pernosy presbiteros Ragusinos ad ecclesiam predictam, tunc per Mathei de Georgio et Michaelis Iohsnnis de Gocis illius ultimo loco Rectorum obitus extra Romanam curiam defunctorum vacantem, presentassent, asserens unaqueque partium predictarum ius presentandi duos Rectores ad eandem, cum pro tempore vacat,

simul vel successive ad se spectare, et super huiusmodi causa ad nonnullos actus, citra tamen conclusionem in causa coram dicto Auditore devontum foret, tandom partes ipse, ut laboribus parcerent et expensis, ad hanc concordiam dovenerunt, videlicet quod Matheus et Franciscus predicti, ut premittitur, tibi presontati re et nomine, et fructuum reddituumque et proventuum ac eorum perceptione, et eorum in illis successorum equales sint, ac quod cedentibus vel decedentibus Francisco et eius in dicta ecclesia successoribus Rectoribus, illi de Sessa absque consensu et requisitione illorum do Gocis alium, ac dicto Matheo et eius in dicta ecclesia successoribus cedentibus vel decedentibus, illi de Gocis etiam alium in Rectores eiusdem ecclesie absque consensu similitor et requisitione illorum de Sessa perpetuis futuris temporibus presentare possint instituendos, prout in instrumento publico desuper confecto asseritur plenius contineri. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, partes ipse dubitent concordiam huiusmodi viribus non subsistere, nisi sedis apostolice confirmationis munimine roboretur, quare pro parte eorumdem nobis fuit humiliter supplicatum, ut concordiam huiusmodi ac in dicto instrumento contenta, prout illam tangunt et concernunt, pro eorum subsistentia firmiori apostolica auctoritate approbare et confirmare, necnon omnes defectus, si qui intervenerint in eisdom, supplere, litem quoque huiusmodi extinguere ac Matheum et Franciscum predictos in illa restituere, et alias providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, qui de premissis certam notitiam non habemus, litis et cause huiusmodi statum presentibus pro expressis habentes, ipsasque ad nos harum serie advocantes et eas penitus extinguentes, huiusmodi supplicationibus inclinati discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus vocatis de Gocis et Sessa ac Matheo et Francisco predictis et aliis, qui fuerint evocandi, de premissis omnibus et singulis ac eorum circumstantiis universis auctoritate nostra te diligenter informes, et si per informationem huiusmodi ita esse reppereris, super quo tuam conscientiam oneramus, concordiam prodictam, postquam de illa tibi legitime constiterit, ac in huiusmodi instrumento contenta, si licita fuerint, auctoritate nostra approbes et confirmes suppleasque defectus, si qui intervenerint in eisdem. Nec non nos, qui dudum inter alia voluimns, quod decetero in quibuscunque beneficialibus impetrationibus a nobis inantea obtinendis non obstantie beneficiales impetrantium exprimerentur, et quecumque super huiusmodi impotrationibus sive expressione dictarum non obstantiarum pretextu impetrande fortassis concessionis, quod non obstantie huiusmodi pro expressis haberentur, expediende littere nullius existerent roboris vel momenti, ac omnia et singula beneficia ecclesiastica cum cura vel sine cura, que etiam ex quibusvis apostolicis dispensationibus dicti Matheus et Franciscus obtinent et expectant, ac in quibus et ad que ius eis quomodolibet competit, quecunque, quotcunque et qualiacunque fuerint, eorumque fructuum, reddituum et proventuum veros valores annuos ac dispensationum huiusmodi tenores presentibus pro expressis habentes, tenore presentium tibi committimns, ut si prefatos Matheum et Franciscum, apud nos de vite ac morum honestate aliisque probitatis et virtutum meritis multipliciter commendatos, per diligentem examinationem ydoneos et per dictos patronos, ut prefertur, presentatos esse reppereris, super quo tuam etiam conscientiam oneramus, in Rectoriis predictis, quarum uniuscuiusque fructus, redditus et proventus duodecim florenorum auri de Cameram secundum communem extimationem valorem annnum, ut patroni ipsi asserunt, non excedunt, sive ut premittitur, sive alio quovis modo, aut ex alterius cuiuscunque persona, sive per liberam resignationem alicuius alterius de illis extra dictam Curiam etiam coram Notario publico et testibus aponte factam vacent, etiam si tanto tempore vacaverint, quod eorum collatio seu institutio iuxta Lateranensis statuta Concilii ad sedem apostolicam legitime devoluta, ipseque Rectorie dispositioni apostolice specialitor reservate existant, et super eis inter aliquos lis, cuius statum presentibus haberi volumus pro expresso, pendeat indecisa, dummodo tempore date presentium non sit in eis aliquibus specialiter ius quesitum, prefatos Matheum et Franciscum instituas in Rectores, et eis Rectorias huiusmodi cum omnibus iuribus et pertinontiis suis auctoritate nostra conferas et assignes, inducens per te vel alium seu alios eosdem Matheum et Franciscum, vel eorum procuratores eorum nominibus in corporalem possessionem Rectoriarum, iuriumque et pertinentiarum predictorum, et defendens inductos, amotis quibuslibet illicitis detentoribus ab eisdem, ac facieus eis de earundem Rectoriarum fructibus, redditibus, proventibus, iuribus et obventionibus universis integre responderi, Contradictores auctoritate nostra, appellatione postposita, compescendo, Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii pape VIII. predecessoris nostri, et aliis apostolicis constitutionibus contrariis quibuscunque, Aut si aliqui super provisionibus sibi faciendis de huiusmodi Rectoriis, vel aliis beneficiis ecclesiasticis in illis partibus speciales vel generales dicte sedis vel legatorum eius litteras impetrarint, etiam si per eas ad inhibitionem, reservationem et decretum vel alias quomodolibet sit processum, quibus

omnibus profatos Matheum et Franciscum in assecutione Rectoriarum predictarum dicte ecclesie volumus anteferri, sed nullum per hoc eis quoad assecutionem beneficiorum aliorum preiudicium generari, Seu si Venerabili fratri nostro Archiepiscopo Ragusino, vel quibusvis aliis communiter vel divisim ab eadem sedo indultum exist at, quod ad receptionem vel provisionem alicuius minime teneantur, vel ad id compelli, aut quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint, quodque de huiusmodi vel aliis beneficiis ecclesiasticis ad eorum collationem, provisionem, presentationem, vel quamvis aliam dispositionem coniunctim vel separatim spectantibus nulli valeat provideri per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum do indulto huiusmodi mentionem, et qualibet alia dicte sedis indulgentia generali vel speciali, cuiuscunque tenoris existat, per quam presentibus non expressam vel totaliter non insertam effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri, et de qua cuiusque toto tenore habenda sit in nostris litteris mentio specialis. Et insuper si dicti Matheus et Franciscus ad hoc reperti fuerint ydonei, ut prefertur, exnunc perinde irritum decernimus et inane, si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari, ac si die date presentium eisdem Matheo et Francisco ad hoc repertis ydoneis de dictis Rectoriis cum interpositione decreti mandavissemus provideri. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno etc. Millesimo quadringentesimo quinquagesimooctavo, x. Kal. Maii, Pontificatus nostri Anno Quarto.

DCXVII.

Universis Christi fidelibus ecclesiam cathedralem s. Nazarii Iustinopolitanam certis festivitatibus visitantibus ad eiusque reparationem opem contribuentibus indulgentiae conceduntur. Reg. An. IV. Tom. 17. fol. 335.

Calistus episcopus etc. Universis Christifidelibus presentes litteras inspecturis, salutem etc. Ante tronum divine maiestatis fideles Christi sanctorum piis adiuti suffragiis ad eorum colenda festiva solennia eo dobent ferventius invitari, quo talium patronorum fulti presidiis potiora retributionis premia valeant promereri. Unde more pastoris vigilis oves curo nostre commissas, quas cupimus in loco pascue collocari, ad eorumdem sanctorum trahimus libenter obsequia, ut eos in conspectu domini devota veneratione collaudent. Cupientes igitur, ut ecclesia Cathedralis Civitatis Iustinopolis provincie Istrie sub vocabulo sancti Nazarii dedicata congruis honoribus frequentetur, ac in suis structuris, ornamentis et cerimoniis, quibus ob temporum malignitatem non mediocriter diminuta est, restauretur, augeatur et conservetur, ipsique fideles devotionis causa confluant ad eandem, ac ad huiusmodi reparationem, augmentum et conservationem manus promptius porrigant adiutrices, quo ex hoc ibidem dono celestis gratie uberius conspexerint se refectos, de omnipotentis dei misericordia et beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus vere penitentibus et confessis, qui in domini nostri Ihesu Christi Nativitatis, Resurrectionis et Pentecostes ac ipsius sancti Nazarii, necnon omnium Apostolorum et dedicationis ecclesie memorate festivitatum et singularum dominicarum diebus a primis vesperis usque ad secundas vesperas ecclesiam prefatam visitaverint annuatim, et ad augmentum et conservationem predicta manus adiutrices porrexerint, ut prefertur, septem annos et totidem quadragenas in singulis festivitatibus et dominicis predictis de iniunctis eis penitonciis misericorditer relaxamus, presentibus futuris perpetuis temporibus duraturis. Datum Rome apud S. Petrum Anno Millesimo quadringentesimo quinquagesimo octavo, III. Nonas Iunii, Pontificatus nostri Anno Quarto.

DCXVIII.

Iisdem ecclesiam b. Mariae apud flumen Tarsii et prope Tersadis oppidum Corbaviensis dioec. visitantibus et ediuvantibus indulgentiae conceduntur. Reg. An. IV. Tom. 17. fol. 336.

Calistus episcopus etc. Universis Christifidelibus presentes litteras inspecturis, salutem etc. Dum preclsa moritorum insignia, quibus Regina celorum virgo dei genitrix gloriosa sedibus prelata sidereis quasi stella matutina prerutilat, devote consideracionis indagine perscrutamur, dumque infra pectoris archana revolvimus, quod ipsa utpote mater misericordie, gratie et pietatis amica ac humani generis consolatrix pro salute fidelium, qui delictorum onere pregravantur, sedula exoratrix et pervigil ad regem, quem genuit, intercedit, dignum quin potius debitum arbitramur, ut ecclesias in honorem sui nominis dedicatas gratiosis remissionum prosequamur impendiis et indulgentiarum muneribus decoremus. Cupientes igitur, ut ecclesia beate Marie apud flumen Tarsii et prope Tersadis opidum Corbaviensis diocesis sita congruis honoribus frequentetur, ac in suis structuris, ornamentis et cerimoniis augeatur ac conservetur, et ut Christifideles eo libentius devotionis causa confluant ad candem, et ad augmentum

et conservationem huiusmodi manus promptius porrigant adiutrices, quo ex hoc ibidem dono celestis gratie uberius conspexerint se refectos, de omnipotentis dei misericordia et beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus vere penitentibus et confessis, qui in domini nostri Ihesu Christi Nativitatis, Resurrectionis et Pentecostes ac ipsius gloriose Marie Virginis, necnon omnium Apostolorum et dedicationis ecclesie memorate festivitatum singularumque dominicarum diebus a primis vesperis usque ad secundas vesperas ecclesiam prefatam devote visitaverint annuatim, et ad augmentum et conservationem predicta manus adiutrices porrexerint, ut prefertur, septem annos et totidem quadragenas in singulis festivitatibus et dominicis predictis de iniunctis eis penitenciis misericorditer relaxamus, presentibus futuris perpetuis temporibus duraturis. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno etc. Millesimo quadringentesimo quinquagesimooctavo, III. Nonas Iunii, Pontificatus nostri Anno Quarto.

DCXIX.

Iisdem ecclesiam s. Mariae in terra Muglae Tergestinae dioec. ad confraternitatem disciplinatorum utriusque sexus pertinentem visitantibus etc. indulgentiae conceduntur. Reg. An. IV. Tom. 17. fol. 336.

CALISTUS EPISCOPUS etc. Universis Christifidelibus presentes litteras inspecturis, salutem etc. Dum precelsa meritorum insignia etc. Cupientes igitur, ut Confraternitas disciplinatorum utriusque sexus sub vocabulo sancte Marie terre Mugle Trigestine diocesis, per quam complura, ut accepimus, pietatis ac caritatis opera exercentur, laudabile suscipiat incrementum, et ecclesia sive cappella Confraternitatis predicte congruis honoribus frequentetur, et in suis edificiis ac ornamentis augeatur et conservetur, et ut Christifideles eo ardentius Confraternitati prefate aggregentur, et ad augmentum ac conservationem predicta manus promptius porrigant adiutrices, quo ex hoc ibidem dono celestis gratie uberius conspexerint se refectos, de omnipotentis dei misericordia et beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus utriusque sexus personis in ipsa Confraternitate descriptis, et qui per tempora describentur et eam ingredientur, aliis quoque vero penitentibus et confessis, qui in dñi nostri Ihesu Christi Nativitatis, Resurrectionis et Pentecostes et ipsius gloriose Marie Virginis, necnon omnium Apostolorum celebritate et singularum dominicarum diebus a primis vesperis usque ad secundas vesperas ecclesiam prefatam sive cappellam visitaverint annuatim, et ad augmentum ac conservationem predicta manus adiutrices porrexerint, ut prefertur, septem annos et totidem quadragenas in singulis festivitatibus et dominicis predictis de iniunctis eis penitenciis misericorditer relaxamus, presentibus perpetuis futuris temporibus duraturis. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno etc. Millesimo quadringentesimo quinquagesimooctavo, III. Nonas Iunii, Pontificatus nostri Anno Quarto.

DCXX.

Thome episcopo Farensi indulgetur, ut quatuor beneficia in sua ecclesia reservare et ad libitum clericis idoneis conferre possit. Reg. An. IV. Tom. 17. fol. 259.

CALISTUS EPISCOPUS etc. Venerabili fratri Thome Episcopo Farensi, salutem etc. Personam tuam nobis et apostolice sedi devotam, tuis exigentibus meritis, paterna benivolentia prosequentes illa tibi libenter concedimus, per que te possis aliis reddere gratiosum. Volentes igitur tuam honorare personam, et per honorem tibi exhibitum aliis provideri, fraternitati tue providendi auctoritate nostra hac vice dumtaxat quatuor personis ydoneis, quas ad hoc duxeris eligendas, necnon reservandi donationi tue auctoritate prefata scilicet quatuor beneficia ecclesiastica cum cura et sine cura, etiam si Canonicatus et prebende, ac dignitates, personatus, administrationes vel officia ecclesie Farensis, cui preesse dinosceris, fuerint, dummodo aliqua dignitatum earumdem post pontificalem maior non existat, in tuis Civitate et diocesi consistentia, et ad tuam vel cuiuscunque seu communiter vel divisim tuam et dilectorum filiorum Capituli dicte ecclesio collationem, provisionem, presentationem seu quamvis aliam dispositionem pertinentia, cuiuscunque taxe seu annui valoris illorum et cuiuslibet eorum fructus, redditus et proventus existant, siqua tempore reservationis huiusmodi vacant, et extunc inantea simul vel successive vacaverint, que dicte persone per se vel procuratores suos ad hoc legitime constitutos infra unius mensis spatium, postquam ipsis vel eisdem procuratoribus illorum vacationes innotuerint, duxerint acceptanda, singula videlicet beneficia huiusmodi conferenda post acceptationem predictam cum omnibus iuribus et pertinentiis suis singulis, pro quibus illa reservaveris, personis, etiam quecunque, quotcunque et qualiacunque quorumcunque annuorum valorum ecclesiastica beneficia, etiam ex quibusvis apostolicis dispensationibus, quarum tenores ac dictorum beneficiorum nomina, cognomina et veros

annuos valores presentibus pro expressis haberi volumus, obtinentibus et expectantibus, *districtius* quoque inhibendi successoribus tuis Farensibus Episcopis, qui pro tempore fuerint, et prefatis Capitulo, ne do beneficiis huiusmodi interim etiam ante acceptationem eandem, nisi postquam eis constiterit, quod persone vel procuratores predicti illa noluerint acceptare, disponere quoquomodo presumant, et nichilominus beneficia huiusmodi, que reservabis, si vacant vel cum vacaverint, ut prefertur, personis prefatis, pro quibus illa reservabis, post acceptationem predictam cum omnibus iuribus et pertinentiis supradictis eadem auctoritato conferendi, et do illis etiam providendi, ac per te vel alium seu alios personas easdem, vel ipsarum nominibus procuratores suos in corporalem possessionem beneficiorum, iuriumque et pertinentiarum predictorum inducendi, et inductas defendendi, necnon faciendi personas vel pro eis procuratores predictos ad beneficia huiusmodi iuxta formam reservationem earumdem, ut est moris, admitti, eisque, prout quemlibet eorum contigerit, de dictorum beneficiorum fructibus, redditibus, proventibus, iuribus, et obventionibus universis integre responderi, Contradictores quoque per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendi pleuam et liberam, dummodo aliam super conferendis beneficiis huiusmodi sex alternatis mensibus facultatem a nobis minime obtinueris, concedimus tenore presentium facultatem, Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon prefate et aliarum, in quibus beneficia huiusmodi forsan fuerint, ecclesiarum iuramento, confirmatione apostolica, vel quacunque firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus contrariis quibuscunque, Aut si aliqui super provisionibus sibi faciendis de huiusmodi, vel aliis beneficiis ecclesiasticis in illis partibus specialos vel generales dicte sedis, vel legatorum eius litteras impetrarint, etiam si per eas ad inhibitionem, reservationem et decretum vel alias quomodolibet sit processum, quibus omnibus ac aliis gratias expectativas, genorales reservationes et de sic reservatis conferendi mandata, privilegia sive alias dicte sedis vel legatorum eius litteras, etiam motu proprio et ex certa scientia, ac intuitu vel contemplatione cuiusounque cum quibusvis prerogativis, antelationibus, decretis, etiam per modum reductionis ad ius commune ac talibus clausulis, quod eis nisi ex certa nostra scientia derogari non possit, in genere vel in specie habentibus et habituris, etiam si in dictis beneficiis sint recepti, ac in processibus diligentiores, vel ad instar familiarium nostrorum cum declaratione postea consecuta prerogativati existant, eisdem familiaribus continuis commensalibus ac officialibus nostris in Romana Curia officia exercentibus dumtaxat exceptis, eligendas personas huiusmodi in beneficiorum predictorum assecutione volumus anteferri, sed nullum per hoc eis quoad assecutionem beneficiorum aliorum preiudicium generari, Seu si successoribus et Capitulo prefatis, vel quibuscunquo aliis communiter vel divisim a dicta sit sedo indultum, quod ad receptionem vel provisionem alicuius minime teneantur, et ad id compelli, aut quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint, quodque de huiusmodi vel aliis beneficiis ecclesiasticis ad eorum collationem, provisionem, presentationem, seu quamvis aliam dispositionem coniunctim vel separatim spectantibus nulli valeat provideri per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, et qualibet alia dicte sedis indulgentia generali vel speciali, cuiuscunquo tenoris existat, per quam presentibus non expressam vel totaliter non insertam offectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri, et de qua cuiusque toto tenore habenda sit in nostris littoris mentio specialis, Aut si prefate eligende persone presentes non fuerint ad prestandum de observandis statutis et consuetudinibus dictarum ecclesiarum, prout cas contigerit, solita iuramenta, dummodo in earum absentia per procuratores idoneos, et cum ad ecclesias ipsas accesserint, corporaliter illa prestent, Seu si hodie pro alio vel aliis super equali vel equalibus gratia seu gratiis de similibus beneficiis ad similes collationem, provisionem, presentationem seu quamvis aliam dispositionem spectantibus litteras nostras duxerimus concedendas, nos enim tam illas quam presentes effectum sortiri volumus, quacunque constitutione apostolica contraria non obstante. Volumus autem, quod persone, pro quibus beneficia huiusmodi vigore presentium per te reservari contigerit, quamprimum illa fuerint pacifice assecute, illa ecclesiastica cum eis incompatibilia, que per tenores dispensationum de talibus incompatibilibus beneficiis insimul retinendis, si qua forsan habuerint, obtinere possent, et tunc obtinuerint, ac que extunc vacare decernimus, omnino dimittere teneantur, ac gratie et littere, per quas alia incompatibilia beneficia huiusmodi, que modo premisso obtinere non possunt, expectabunt et processus habiti per easdem et quecumque inde secuta quoad ipsa incompatibilia beneficia dumtaxat sint cassa ot irrita, nullinsque roboris vel momenti, nisi prefate persone super insimul retinendis incompatibilibus beneficiis apostolicis fuerint dispensationibus suffulte, quibus ex dictis incompatibilibus beneficiis tot recipere et retinere licebit, ad quot cum eis fuerit dispensatum, quodque de nominibus e[illegible]

cognominibus personarum, quas per te vigore presentium eligi contigerit, ac beneficiorum huiusmodi, ad que illas elegeris, vel quibus beneficia huiusmodi contuleris, ac diebus collationum et provisionum faciendarum huiusmodi, ut prefertur, gentes Camere apostolice, aut Collectorem vel Succollectorem fructuum ac proventuum eidem Camere debitorum in partibus illis deputatum quantocius certificare procures, et insuper exnunc irritum decernimus et inane, si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno etc. Millesimo quadringentesimo quinquagesimooctavo, XV. Kal. Iulii, Pontificatus nostri Anno Quarto.

DCXXI.

Iisdem ecclesiam s. Bernardini extra moenia oppidi Pirani Iustinopolitanae dioc. visitantibus et adiuvantibus indulgentiae concedantur. Reg. An. IV. Tom. 17. fol. 336.

CALISTUS EPISCOPUS etc. Universis Christifidelibus presentes litteras inspecturis, salutem etc. Ante tronum divine etc. Cupientes igitur, ut ecclesia sancti Bernardini extra muros opidi Pirani Iustinopolitane diocesis congruis honoribus frequentetur, ac in suis edificiis et structuris ac ornamentis augeatur et conservetur, et ut Christifideles eo libentius devotionis causa confluant ad eandem, ac ad augmentum et conservationem huiusmodi manus promptius porrigant adiutrices, quo ex hoc ibidem dono celestis gratie uberius conspexerint se refectos, de omnipotenti dei misericordia et beatorum Petro et Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus vere penitentibus et confessis, qui in domini nostri Ihesu Christi Nativitatis, Resurrectionis et Pentecostes ac ipsius sancti Bernardini, necnon omnium Apostolorum et dedicationis ecclesie memorate festivitatum, celebritatis et singularum dominicarum diebus a primis vesperis usque ad secundas vesperas ecclesiam prefatam devote visitaverint annuatim, ac ad augmentum et conservationem predicta manus adiutrices porrexerint, ut prefertur, septem annos et totidem quadragenas in singulis festivitatibus et dominicis predictis de iniunctis eis penitenciis misericorditer relaxamus, presentibus futuris perpetuis temporibus duraturis. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno etc. Millesimo quadringentosimo quinquagesimooctavo, III. Nonas Iunii, Pont. nostri Anno Quarto.

DCXXII.

Tragurienesi et Scardonensi episcopis et archipresbytero ecclesiae Spalatensis, ut ab episcopo Farensi cessionem commendae monasterii s. Silvestri de Lissa recipiant, illudque ecclesiae Farensi perpetuo uniant, fructuum divisione praescripta. Reg. An. IV. de Curia Tom. 17. fol. 257.

CALISTUS EPISCOPUS SERVUS etc. Venerabilibus fratribus Tragurienesi ac Scardonensi Episcopis, ac dilecto filio Archipresbitero ecclesie Spalatensis, salutem etc. Ex iniuncto nobis desuper apostolice servitutis officio circa ecclesiarum presertim cathedralium, et in illis divinis laudibus deditarum et ecclesiasticarum personarum quarumlibet statum, annuente domino, prospero dirigendum curis pulsamur assiduis, ut nostram ad ea solicitudinem dirigamus, per que etiam cum divini cultus augmento ecclesiis et personis ipsis valeat in suis necessitatibus subveniri. Sane ad nostram notitiam deducto, quod ecclesia Farensis in reparationibus non parvo indiget auxilio, ac personis inibi in divinis servientibus nisi de alicuius subventionis auxilio provide succurratur, divinus cultus in illa futuris temporibus minuetur, et ob hoc Venerabilis frater noster Thomas Episcopus Farensis, qui Monasterium sancti Nicolai de Lissa, alias sancti Silvestri de Scopulobuci Farensis diocesis ordinis sancti Benedicti, certo modo vacans apostolica auctoritate obtinet in commendam, attente considerans, quod fructus, redditus et proventus tam Episcopalis quam Capitularis mense ecclesie Farensis adeo tenues sunt, quod ad preferendum diversa, que eisdem pro tempore incumbunt, onera et pro ipsius ecclesie prelatorum, canonicorum ac beneficiatorum, qui plures numero sunt, sustentatione deceuti nequaquam sufficiant, quodquo cuiuslibet ipsius ecclesie prebende fructus, redditus et proventus ultra sexdecim florenorum auri de Camera secundum communem extimationem valorem annuum non excedunt annuatim, ac propterea prelibati canonici ac beneficiati predicti divinis in ipsa ecclesia, prout deberent, intereese non possunt officiis, quibus si dictum monasterium cum omnibus iuribus ac pertinentiis suis, suppressis in illo Abbatiali dignitate et ordine predicto, perpetuo uniretur, annecteretur et incorporaretur, ecclesia ipsa in suis opportunitatibus non modicum susciperet relevamen, ac divinus cultus augeretur in illa. Cum itaque deinde, sicut accepimus, prefatus Episcopus, premissis per eum attentis, ad hoc quod dignum dei devote in dicta ecclesia peragatur officium, ipsiquo canonici et beneficiati ut divinis huiusmodi inibi congruentius intendere valeant, commendam huiusmodi monasterii, ut illius fructus, redditus et proventus, qui ducen-

torum florenorum auri similium secundum communem extimationem valorem annuum non excedunt, ad opus quotidiane distributionis inter illos, qui apud eandem ecclesiam pro tempore residerent, et premissis divinis interfuerint, ac reparationis predicto fiende dividantur, sponte et libere cedere proposuerit et proponat: nos votis eiusdem Episcopi in hac parte favorabiliter annuentes, ac fabrice et reparationi necnon divino cultui in ipsa ecclesia exhibendo intendentes, et dicti monasterii vere vacationis modum pro expresso habentes, et Abbatialem dignitatem ac ordinem predictum in illo supprimentes et extinguentes, motu proprio, non ad alicuius nobis super hoc oblate petitionis instantiam, sed de nostra mera liberalitate discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus vos vel duo aut unus vestrum ab eodem Episcopo, vel procuratore suo ad hoc ab eo specialiter constituto cessionem huiusmodi, si eam in vestris manibus facere voluerit, ut prefertur, auctoritate nostra hac vice dumtaxat recipiatis et admittatis, eaque per vos recepta et admissa monasterium predictum, quod in loco silvestri positum et sine cura est, sive per cessionem huiusmodi tunc, sive alias quovis modo aut ex alterius cuiuscunque persona vacet, ac illius commenda expiret, aut quod generaliter vel specialiter illius dispositio ad apostolicam sedem pertineat, cum omnibus iuribus et pertinentiis suis, dummodo illi de Abbate canonice provisum, aut illud alteri commendatum non fuerit, eidem ecclesie sub infrascriptis illius fructuum, redditauum et proventuum divisionibus, videlicet ut illorum quarta Episcopali mense pro illius oneribus supportandis, ac due in quotidianis distributionibus inter canonicos et beneficiatos, ac alios clericos deservientes et divinis interessentes in eisdem ecclesia et monasterio iuxta vestram et ordinarii loci dispositionem, et reliqua partes pro fabrica et reparatione ecclesie et monasterii predictorum deputentur, applicentur et distribuantur, apostolica auctoritate perpetuo unire, annectere et incorporare, et illius fructus, ut premittitur, appropriare et applicare curetis, ita quod liceat Episcopo, prefatis canonicis, beneficiatis et aliis personis predictis, postquam unionem, incorporationem, annexionom, appropriationem et applicationem huiusmodi feceritis, ut prefertur, illius possessionem propria auctoritate libere apprehendere et perpetuo retinere, necnon fructus, redditus ot provontus monasterii huiusmodi petero, exigere, percipere, ac inter se, prout premittitur, dividere et distribuere, ac in suos et ecclesie ac monasterii predictorum usus convertere, diocesani loci et cuiuslibet alterius super hoc licentia minime requisita, Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon ecclesie et monasterii ac ordinis predictorum iuramento, confirmatione apostolica vel quavis alia firmitate roboratis statutis et consuetudinibus, necnon quibuslibet privilegiis, indulgentiis ac litteris apostolicis generalibus vel specialibus, quorumcunque tenorum existant, per que presentibus non expressa, vel totaliter non inserta effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri, et de quibus quorumque totis tenoribus de verbo ad verbum habenda sit in nostris litteris mentio specialis. Volumus autem, quod per unionem, annexionem et incorporationem huiusmodi, se illas vigore presentium fieri et effectum sortiri contingat, ecclesie et monasterii huiusmodi bona, sive mobilia sive immobilia existant, ad prophanos usus velut hereditas minime rediganter, sed eorum debite supportentur onera consueta, et insuper irritum decernimus et inane, si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno etc. Millesimo quadringentesimo quinquagesimooctavo, XIII. Kalendas Iulii, Pontificatus nostri Anno Quarto.

EPISTOLAE PII PP. II.

DCXXIII.

Episcopo Traguriensi eiusque collegis, ut monasterium s. Silvestri de Liesa Parensis dioecesis ecclesiae Parensi uniant et incorporent etc. ut in superiori. Reg. An. 1. de Curia Tom. 3. fol. 137.

PIUS EPISCOPUS etc. Venerabilibus fratribus Traguriensi et Scardonensi Episcopis ac dilecto filio Archipresbitero ecclesie Spalatensis, salutem etc. Ex iniuncto nobis desuper apostolice servitutis

officio circa ecclesiarum presertim Cathedralium, ac in illis divinis laudibus deditarum ecclesiasticarum personarum quarumlibet statum, annuente domino, prospere dirigendum curis pulsamur assiduis, ut nostram ad ea solicitudinem dirigamus, per que etiam cum divini cultus augmento ecclesiis et personis ipsis valeat in suis necessitatibus subveniri. Dudum siquidem fel. record. Calistus papa III. predecessor noster, ad eius noticiam deducto, quod ecclesia Farensis in omnibus eius reparationibus non parvo indigebat auxilio, ac personis inibi in divinis servientibus nisi de alicuius subventionis auxilio provide succurreretur, divinus cultus in illa futuris temporibus minueretur, et ob hoc Venerabilis frater noster Thomas Episcopus Farensis, qui monasterium sancti Nicolai de Lissa, alias sancti Silvestri de Scopulo Buci Farensis diocesis ordinis sancti Benedicti, certo modo vacans apostolica auctoritate obtinet in commendam, attente considerans, quod fructus, redditus et proventus tam Episcopalis quam Capitularis mense ecclesie Farensis adeo tenues erant, quod ad proferendum diversa, que eiadem pro tempore incumbunt, onera et pro ipsius ecclesie Prelatorum, Canonicorum et beneficiatorum, qui plures numero sunt, sustentatione nequaquam sufficiebant, cum cuiuslibet ipsius ecclesie prebende fructus, redditus et proventus ultra sexdecim florenos auri de Camera secundum communem extimationem valorem annuum non excedant, ac propterea Prelati, Canonici et beneficiati predicti divinis in ipsa ecclesia, prout debebant, officiis non poterant interesse, quibus si dictum monasterium cum omnibus iuribus et pertinenciis suis, in illa Abbatiali dignitate ac ordine predicto suppressis, uniretur, annecteretur et incorporaretur, ecclesia ipsa in suis opportunitatibus non modicum susciperet relevamen ac divinus cultus augeretur in illa, et quod prefatus Episcopus, attentis premissis, in favorem unionis huiusmodi commende eiusdem monasterii, ut ad opus quotidiane distributionis fructus, redditus et proventus dicti monasterii, qui ducentorum florenorum similium secundum extimationem predictam valorem annuum non excedebant, inter predictos, qui in eadem ecclesia pro tempore residerent et divinis officiis interessent, ac reparationis predicte fiende dividerentur, sponte et libere cedere proposuerat et proponobat: vobis suis litteris dedit in mandatis, quatenus vos vel duo aut unus vestrum ab eodem Episcopo, vel procuratore suo ad hoc ab eo specialiter constituto cessionem huiusmodi, si eam in vestris manibus facere voluisset, auctoritate apostolica recipieretis et admitteretis, eaque per vos, ut prefertur, recepta et admissa, monasterium ipsum, quod in loco silvestri positum et sine cura est, sive premisso sive alio quovis modo vacaret, eidem ecclesie sub certis modo et forma uniretis et incorporaretis, et alia faceretis, prout in eisdem litteris plenius continetur. Cum itaque, postmodum, sicut exhibita nobis nuper pro parte dicti Episcopi petitio continebat, vos dicti predecessoris superveniente obitu ad executionem dictarum litterarum minime processeritis, nosque divina favente clementia ad apicem summi apostolatus assumpti, inter alia omnes minores annexiones et incorporationes de quibusvis monasteriis cathedralibus ecclesiis, et earum Episcopalibus sen Capitularibus mensis quomodolibet apostolica vel alia quavis auctoritate factas, que nondum sortite fuerant effectum, et propter quas illi, quorum intererat, sic unitorum possessionem pacificam assecuti non extiterant, ac quecumque concessiones et mandata super unionibus, annexionibus et incorporationibus taliter faciendis revocavorimus, cassaverimus et annullaverimus nulliusque decreverimus existere firmitatis: Quare pro parte dicti Episcopi nobis fuit humiliter supplicatum, ut attentis plurimis impensis per eum factis pro huiusmodi unione implenda super hiis, ac dicte ecclesie Farensis statui opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos votis eiusdem Episcopi in hac parte favorabiliter annuentes, ac reparationi et divino cultui in ipsa ecclesia exhibendo intendentes, dictique monasterii vere vacationis modum prout in dicti predecessoris litteris pro expresso habentes, ac Abbatialem dignitatem et ordinem predictum in illo supprimentes et extinguentes, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus, veris existeutibus premissis, vos vel duo aut unus vestrum ab eodem Episcopo, vel procuratore suo ad hoc ab oo specialiter constituto cessionem huiusmodi, si eam in vestris manibus facere voluerit, ut prefertur, auctoritate nostra hac vice dumtaxat recipiatis et admittatis, eaque per vos recepta et admissa, monasterium predictum, sive per cessionem huiusmodi tunc, sive alias quovis modo aut ex alterius cuiuscumque persona vacet, aut illius commenda expiret, seu quod alias generaliter vel specialiter illius dispositio ad sedem apostolicam pertineat, cum omnibus iuribus et pertinenciis, dummodo illi de Abbate canonice provisum aut illud alteri commendatum non fuerit, eidem ecclesie sub infrascriptis illius fructuum, redditauum et proventuum divisionibus, videlicet ut illorum quarta Episcopali mense pro illius oneribus supportandis, ac due in quotidianis distributionibus inter Canonicos et beneficiatos ac alios clericos deservientes, et divinis interessentes in eisdem ecclesia et monasterio iuxta nostram et ordinarii loci dispositionem, ac reliqua partes pro fabrica

et reparatione ecclesie et monasterii predictorum deputentur, applicentur et distribuantur, apostolica auctoritate perpetuo unire, annectere et incorporare, ac illius fructus, ut premittitur, appropriare et applicare curetis, ita quod liceat ordinario loci, Canonicis, beneficiatis et aliis personis prefatis, postquam unionem, incorporationem, annexionem, appropriationem et applicationem huiusmodi feceritis, ut prefertur, illius possessionem propria auctoritate libere apprehendere ac perpetuo retinere, necnon fructus, redditus et proventus dicti monasterii petere, exigere, percipere et mense, ut premittitur, applicare, ac dividere, distribuere et in suos ac ecclesie et monasterii predictorum usus convertere, cuiusvis alterius licentia super hoc minime requisita, ut in litteris dicti predecessoris super hoc confectis plenius continetur, Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon ecclesie, monasterii et ordinis predictorum iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, necnon quibuslibet indulgentiis, privilegiis et litteris apostolicis generalibus vel specialibus quorumcumque tenorum existant, per que presentibus non expressa vel totaliter non inserta effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri, et de quibus quorumque totis tenoribus de verbo ad verbum habenda sit in nostris litteris mentio specialis. Volumus autem, quod per unionem, annexionem et incorporationem huinsmodi, si illas vigore presentium fieri et effectum sortiri contingat, ecclesie et monasterii huiusmodi bona, sive mobilia ac immobilia existant, ad profanos usus velut hereditas minime rediganlur, sed eorum debito supportentur onera consueta: et insuper ex nunc irritum decernimus ot inane, si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno etc. M.CCCO.LVIII. pridie Kalendas Octobris, Pontificatus nostri Anuo Primo.

DCXXIV.

Universis Christi fidelibus, qui Matthaeo Nicolai civi Iadrensi elemosinas pro ipso eiusque uxore et filiis captivis redimendis elargiuntur, indulgentia conceditur. Reg. An. I. Tom. 1. fol. 287.

Pius episcopus etc. Universis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis, salutem etc. Pium et maxime meritorium apud deum sueque maiestati non modicum acceptabilem fore indubie reputantes, pauperibus Christianis in infidelium servitute detentis pro eorum redemptione manus porrigere adiutrices, libenter Christi fideles ad impendendum talibus opportuna suffragia indulgentiis et remissionibus invitamus. Cum itaque, sicut accepimus, dilectus filius Matheus Nicolai civis Iadrensis una cum eius uxore et liberis tempore perdicionis Civitatis Constantinopolitane, in qua tunc cum sua familia residebat, in potestatem Turcliorum, universis suis rebus et bonis deperditis, pervenerit, et per eos in huiusmodi captivitate in Civitatem eorum Salonichiam adductus fuerit cum summo dedecore et detrimento, ipsique Turchi dictum Matheum, ut pro sua suorumque redemptione in terris Christianorum elemosinas mendicaret, retentis sibi in vadium uxore et liberis autedictis, dimiserint. Nos redemptionem pauperum Christianorum in huiusmodi servitute ab infidelibus detentorum inter potissima misericordie et pietatis opera non immerito numerantes, Universitatem vestram attente requirimus et hortamur, vobis nichilominus in vestrorum (peccatorum) remissionem iniungentes, quatenus de bonis vobis a deo collatis pro redemptione huiusmodi prefato Matheo pias elemosinas et caritativa subsidia erogetis, ut per subventionem vestram huiusmodi tam Matheus, quam eius uxor et filii predicti ab huiusmodi servitute eripi, et ad incolendum Christianorum terras redire valeant, vosque per hec et alia bona, que domino inspirante feceritis, ad eterna possitis felicitatis gaudia pervenire. Nos enim de omnipotentis dei misericordia et beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, omnibns et singulis utriusque sexus personis, qui pro redemptione ac liberatione captivorum predictorum eidem Nicolao (Matheo) usque ad valorem trium quatrinorum tam in pecunia numerata, quam alias contulerint, unum annum de iniunctis eis penitentiis relaxamus in forma ecclesie consueta, presentibus post annum minime valituris. Datum Rome apud S. Petrum Anno etc. Millesimo quadringentesimo quinquagesimo octavo, pridie Kalendas Octobris Pontificatus nostri Anno Primo.

DCXXV.

Laurentio archiepiscopo Spalatensi conceditur, ut cum populo suae dioecesis super decimis sibi debitis compositionem ad certam annuam summam per eos persolvendam inire possit. Reg. An. I. Tom. 2. fol. 384.

Pius episcopus etc. Venerabili fratri Laurentio Archiepiscopo Spalatensi, salutem. Inter cetera cordis nostri desideria id intensis exoptamus affectibus, quod inter prelatos quoslibet, presertim metro-

politanis ecclesiis presidentes, eorumque cure commissos, precisis quarumlibet discordiarum materiis, caritatem concordie vinculum nutriat, ac pacem caritatis firmet amenitas: pro quo quidem tam salutari bono interdum telleramus aliqua, que alias tolleranda non essent, quin potius acriter corrigenda. Cum itaque, sicut nuper pro parte tua propositum est coram nobis, inter nonnullos predecessores tuos Archiepiscopos Spalatenses, qui fuerunt pro tempore, prout etiam inter te et dilectos filios populum et Universitatem civitatis et diocesis tue Spalatensis occasione decimarum fructuum in eisdem civitate et diocesi excrescentium tibi et prefate ecclesie debitarum, quas prefati predecessores ac tu eidem ecclesie integras, populus vero et Universitas antedicti ad certam taxam solvi debere asserebatis, varie et periculose contentiones cum periculo animarum plurium ex eisdem populo rebellium, et induratarum etiam non sine eorum in quorundam ex ipsis predecessoribus perniciem machinatione sepenumero orte fuerunt, et quotienscumque de huiusmodi decimis persolvendis agitur, oriantur: Quare pro parte tua nobis humiliter fuit supplicatum, ut super gravissimis huiusmodi scandalis aliquod remedium adhibere de benignitate apostolica diguaremur. Nos igitur, qui de qualitate civitatis et diocesis, ac frugum et aliorum fructuum predictorum per relationem tuam plene informati sumus, ac de prudentia, circumspectione et probitate tuis, ac erga prefatam ecclesiam affectione specialem in domino fiduciam obtinemus, sperantes, quod eiusdem ecclesie profectus et commoda in premissis tibi erunt propensius commendata, cupientesque scandalis huiusmodi viam precludere, fraternitati tue cum eisdem populo et Universitate de aliqua quam maiori poteris summa, et non minori quam tibi vel alicui predecessorum tuorum de retroactis temporibus propterea annuatim persoluta fuerit, tibi et successoribus tuis Archiepiscopis Spalatensibus pro tempore existentibus, ac eidem ecclesie et dilectis filiis illius Capitulo occasione predialium et personalium decimarum tibi, et illis quomodolibet in dicta civitate et diocesi debitarum, ab eisdem populo et Universitate in certo inter te et ipsos statuendo termino annis singulis in perpetuum persolvenda componendi et paciscendi, ita videlicet quod, si et postquam dictam summam annuatim persolverint, ad aliquod alterius ratione dicte decime persolvendum minime teneantur, et de transacto tempore super non solutis per eos huiusmodi decimis in aliqua summa, de qua tibi videbitur, conveniendi et concordandi, ac prefatos populum et Universitatem, eorumque heredes et successores de residuo quitandi et perpetuo liberandi et absolvendi, necnon omnia et singula in premissis et circa ea necessaria et quomodolibet oportuna faciendi, gerendi et exequendi auctoritate apostolica tenore presentium plenam et liberam concedimus facultatem, Non obstantibus statutis et ordinationibus apostolicis, ac statutis et consuetudinibus dicte ecclesie iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem et dicta auctoritate decernimus, quod si forsan populus et Universitas prefati in solutione summe, de qua cum eis concordaveris, per tres menses post eundem terminum contumaciter cessaverint, extunc compositio et concordata ipsa sint cassa et irrita, nulliusque roboris vel momenti, ipsique ad solvendum integram decimam, prout alias de iure tenentur, efficaciter sint astricti. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno etc. M.CCCC.LVIII. decimoquinto Kalendas Ianuarii, Pontificatus nostri Anno Primo.

DCXXVI.

Christifidelibus ecclesiam Tergestinam in eius dedicationis festo visitantibus indulgentia conceditur, et sex presbiteris ab episcopo deputandis, ut eos in casibus reservatis absolvere possint. Reg. An. I. Tom. 31. fol. 172.

PIUS EPISCOPUS etc. Universis Christifidelibus presentes litteras inspecturis, salutem etc. Inter ceteras orbis ecclesias cure et gubernationi nostre commissas ecclesiam Tergestinam, cui nos, dum essemus in minoribus constituti, prefuisse constat, precipua benivolencia et paterna caritate complectimur, eamque, quantum cum deo possumus, honore et gloria decorare decrevimus, ne ipsius immomores esse videamur. Cupientes igitur, ut dicta ecclesia Tergestina congruis honoribus frequentetur, et ut fideles ipsi eo libentius causa devotionis confluant ad eandem, quo ex hoc ibidem dono celestis gratie conspexerint uberius se refectos, de omnipotentis dei misericordia ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus vere penitentibus et confessis, qui in die dedicationis eiusdem ecclesie prefatam ecclesiam devote visitaverint annuatim, plenariam omnium peccatorum suorum remissionem usque ad triennium tenore presentium indulgemus, et deinde septem annos et totidem quadragenas eadem imperpetuum de iniunctis eis penitenciis misericorditer relaxamus. Et insuper Venerabili fratri nostro Episcopo Tregestino(sic), ut ipse sex presbiteros ydoneos deputare possit, qui quascunque personas ad dictam ecclesiam pro indulgentia huiusmodi consequenda confluentes, earum confessionibus

diligenter auditis, in omnibus casibus etiam sedi apostolice reservatis dicto die absolvere possint et valeant, prefato dumtaxat triennio durante, plenam et liberam auctoritate predicta harum serie concedimus facultatem. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis dominice Millesimo quadringentesimo quinquagesimo octavo, III. Kal. Ianuarii, Pontificatus nostri Anno Primo.

DCXXVII.

Antonius episcopus Tergestinus a simoniaca labe in eiusdem sedis impetratione contracta iterum absolvitur, omnesque fructus inde perceptos eidem gratiose donantur. Reg. An. I. Tom. 31. fol. 61.

Pius episcopus etc. Venerabili fratri Antonio Episcopo Tergestino, salutem etc. Regimini universalis ecclesie licet immeriti, disponente domino, presideutes ad ea partes nostre solicitudinis libenter dirigimus, per que prelatorum quorumlibet presertim cathedralium ecclesiarum et sue cure commissarum animarum saluti, ac ipsarum ecclesiarum statui et indemuitatibus opportune valeat provideri. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte tua petitio continebat, quod olim felicis recordationis Calisto papa predecessori nostro per te exposito, quod postquam pie memorie Martinus papa V. etiam predecessor noster omnes excommunicationis, suspensionis et interdicti aliasque sentencias, censuras et penas antea a summis pontificibus predecessoribus suis in simoniacos latas et promulgatas, quas ipso facto omnem manifestum vel occultum simoniacum incurrere voluit, innovaverat et confirmaverat, absolutione et relaxatione sibi et successoribus etiam Romanis pontificibus canonice intrantibus dumtaxat, preterquam in mortis articulo, reservando, tu ad ecclesiam Tergestinam, que tunc certo modo vacabat, aspirans cuidam principi, sub cuius temporali dominio prefata ecclesia consistebat, certam pecunie summam promisisti, si ut de persona tua ecclesie provideretur eidem, procuraret, quam quidem summam expost, cum ad dictam ecclesiam procurante dicto principe promotus fuisses, efficaciter persolvisti huiusmodi senteacias, censuras et penas incurrendo: ac pro parte tua ipsi Calisto predecessori supplicato, ut statui tuo in premissis opportune providere dignaretur, prefatus Calistus predecessor tunc te ab huiusmodi sentenciis, censuris et penis, quas propter premissa quomodolibet incurreras, in foro consciencie dumtaxat absolvit, ac omnia per te circa regimen et administrationem dicte ecclesie tam in spiritualibus quam in temporalibus gesta et facta rata et grata habuit, ac auctoritate apostolica confirmavit. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, tu inter provisionis et absolutionis huiusmodi, ac etiam expost usque in hodierna tempora fructus, redditus et proventus ex eadem ecclesia Tergestina obvenientes licet de facto perceperis, quorum partem in illius partem, non in tuos usus proprios convertisti: pro parte tua nobis fuit humiliter supplicatum, ut absolutionem et alia premissa confirmare et approbare, ac eosdem fructus, redditus et proventus tibi et eidem ecclesie remittere et donare, aliasque statui tuo super hiis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur huiusmodi supplicationibus inclinati absolutionem et confirmationem prefatas, necnon omnia et singula per te circa regimen et administrationem predicta, ac alias circa executionem tui ordinis rite gesta rata habentes et grata, illa auctoritate apostolica confirmamus et approbamus, ac plene firmitatis robur obtinere decernimus, supplentes omnes defectus, siqui forsan quomodolibet intervenerint in eisdem, et nichilominus omnem inhabilitatis et infamie maculam sive notam per te quomodolibet premissorum occasione contractam abolentes, tecum super irregularitate, quam huiusmodi sentenciis, censuris et penis vel earum aliqua ligatus munus consecrationis recipieudo, aut missas et alia divina officia, non tamen in contemptum clavium, celebrando aut to illis immiscendo, seu pontificalia exercendo, vel alias premissorum occasione quomodolibet incurristi, utque pontificali officio uti ac in rite per te susceptis ordinibus ministrare, necnon prefate ecclesie etiam absque alia nova provisione, vel de persona tua ad ecclesiam ipsam prefectione preesse, illamque in spiritualibus et temporalibus regere et gubernare libere ac licite valeas, de apostolice potestatis plenitudine et ex certa sciencia dispensamus, ac insuper omnes et singulos fructus, redditus et proventus ex eadem ecclesia interim per te rceptos huiusmodi tibi, et eidem ecclesie potestate et sciencia similibus remittimus liberaliter et donamus, Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon statutis et consuetudinibus eiusdem ecclesie iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis ceterisque contrariis quibuscunque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre confirmationis, approbationis, suppletionis, abolitionis, dispensationis, remissionis et donationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Siquis autem etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis dominice Millesimo quadringentesimo quinquagesimo octavo, pridie Kal. Ianuarii, Pontificatus nostri Anno Primo.

DCXXVIII.

Eidem conceditur, ut quasdam legata incerta ad pias causas monasterio s. Benedicti de Cela (al. de la Celle) applicare, aut in alia pietatis opera convertere possit. Reg. An. 1. Tom. 31. fol. 64.

Pius episcopus etc. Venerabili fratri .... Episcopo Tergestino, salutem etc. Romani pontificis providentia circumspecta circa statum monasteriorum et aliorum religiosorum locorum utiliter dirigendum, prout ex debito pastoralis tenetur officii, diligenter intendit, ac nonnunquam pia legata fidelium in melius mutando convertit, prout personarum, locorum et temporum qualitate pensata pro divini cultus augmento, ac observantia regulari id in domino conspicit salubriter expedire. Hinc est, quod nos de quibusdam legatis incertis ad pias causas in quibusdam testamentis plenius contentis, videlicet quondam Clareli de Clarelis et Michaelis de Adamo civium Tergestinorum, et quondam Bartholomee relicte vidue Nicolai de Adamo mulieris Tergestine, quorum quidem legatorum fructus, redditus et proventus quadraginta florenorum Camere secundum communem extimationem valorem annuum, nt accepimus, non excedunt, fraternitati tue disponendi, necnon ut tu partem dictorum legatorum, seu omnia etiam ipsa legata Monasterio monialium sancti Benedicti de Cela Tergestino ordinis eiusdem sancti applicare, seu in aliqua alia pietatis opera, prout consciencie tue videbitur, commutare, et circa ea, prout fore conspexeris opportuuum, facere et administrare libere et licite possis et valeas, dummodo legata huiusmodi in aliquas pias causas distribuantur, super quo tuam conscienciam oneramus, eidem fraternitati tue auctoritate apostolica plenam et liberam tenore presentium concedimus facultatem, Non obstantibus testamentis premissis, que presentibus haberi volumus pro expressis, necnon constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac legibus imperialibus et statutis municipalibus ceterisque contrariis quibuscunque, etiam si de ipsis eorumque totis tenoribus presentibus habenda sit mentio specialis. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis dominice Millesimo quadringentesimo quinquagesimo nono (octavo) Kal. Ianuarii, Pontificatus nostri Anno Primo.

DLXXIX.

Eidem episcopo Tergestino, ut canonicis suae ecclesiae almutias concedere, ipsisque mandare possit, ut eas portare teneantur. Reg. An. 1. Tom. 31. fol. 172.

Pius episcopus etc. Venerabili fratri Episcopo Tregestino(sic), salutem etc. Ad ea libenter intendimus, que in decorem et ornamentum ecclesie Tregestine redundare cognoscimus, presertim cum non immemores simus nos, dum essemus in minoribus constituti, eidem ecclesie prefuisse: nunc vero divina favente clemencia ad summi apostolatus apicem assumpti dignum et congruum esse censemus, nt eandem ecclesiam ac Canonicos eiusdem specialibus favoribus prosequamur, necnon personam tuam paterna benivolencia prosequentes ea tibi favorabiliter concedamus, per que eisdem Canonicis te possis reddere gratiosum. Nos itaque ecclesiam predictam decorare volentes, fraternitati tue omnibus et singulis Canonicis dicte ecclesie tam presentibus quam futuris, ut Almucias libere et licite portare possint et valeant, quemadmodum ceteri Canonici aliarum Civitatum portare consueverunt, auctoritate nostra concedere, ipsisque et cuilibet eorum, ut Almucias huiusmodi portare teneantur, mandare, et que circa hec tibi opportuna videbuntur, disponere et ordinare possis et valeas, plenam et liberam eadem auctoritate tenore presentium concedimus facultatem, Non obstantibus tam apostolicis quam provincialibus et sinodalibus constitutionibus, ac statutis et consuetudinibus dicte ecclesie etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis alia firmitate roboratis ceterisque contrariis quibuscunque. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis dominice Millesimo quadringentesimo quinquagesimo octavo, Kal. Ianuarii, Pontificatus nostri Anno Primo.

DCXXX.

Capellae s. Cipriani donatio monasterio s. Benedicti de Cela per capitulum ecclesiae Tergestinae facta apostolica auctoritate sancitur. Reg. An. 1. Tom. 31. fol. 63.

Pius episcopus etc. Ad futuram rei memoriam. Ex iniuncto nobis apostolatus officii debito ad ea, per que religiosorum locorum ac in eis sub regulari castimonia pie vite studio incumbentium, aliarumque nobis et apostolice sedi devotarum personarum statui consulitur, libenter inteudimus, et presertim Monasterium sancti Benedicti de Cela Tergestinum ordinis eiusdem sancti, ac religiosas et devotas personas in eo existentes favoribus prosequimur oportunis. Nam cum essemus in minoribus constituti et ecclesie Tergestine presideremus, ipsum Monasterium tunc desolatum, divina favente,

clementia, ad pium ac devotum statum reduximus: nunc vero licet immeriti gerentes Christi vices in terris pro ipsius Monasterii commodis feliciter augendis, ac pro ipsarum religiosarum personarum pace et tranquillitate ac animarum salute curam et diligentiam adhibemus. Cum itaque in quoddam dicti Monasterii claustro quedam Capella sancti Cipriani sita esse noscatur, que de mensa Capituli dicte ecclesie Tergestine existebat, cum onero tamen quod Capitulum ipsum per quemdam Capellanum in dicta Capella duodecim missas annis singulis celebrare teneretur, ac nuper prefatum Capitulum ex certis rationabilibus causis Capellam prefatam, cuius fructus, redditus, proventus quadragintaocto solidorum monete in illis partibus currentis (sic), eidem Monasterio donaverint, tradiderint, assignaverint, prout in instrumento publico, cuius tenorem presentibus haberi volumus pro sufficienter expresso, plenius continctur: Nos mature considerantes donationem, traditionem et assignationem predictas consonas esse rationi pariter et equitati, ratasque ot gratas habentes illas auctoritate apostolica tenore presentium approbamus et confirmamus, ac presentis scripti patrocinio communimus, necnon Capellam predictam eidem Monasterio de novo concedimus, annectimus et incorporamus, supplentes omnes defectus, si qui intervenerint in eisdem. Et iusuper ut Abbatissa et moniales dicti Monasterii pro tempore existentes absque molestia vitam ducere possint honestam, ipsas a quacunque solutione tam apostolica quam alia quavis auctoritate imponenda harum serie litterarum eximimus, ac exemptas fore decernimus, districtius inhibentes quibuscunque Collectoribus seu nuntiis apostolicis, quocunque nomine nuncupentur, ut Monasterium ac Abbatissam et moniales predictas minime visitare, seu ab ipsis aliquid petere vel exigere presumant, nisi de huiusmodi litteris plena et expressa, ac de verbo ad verbum fiat mentio specialis. Et nichilominus, ut omnis temeritas compescatur, providore cupientes, quod quicunque per muros ant alias, quam per hostium in prefatum Monasterium intrare presumpserit, ipso facto excommunicatione maiori excommunicatus sit et esse censeatur, auctoritate prefata decernimus et declaramus, Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis ceterisque contrariis quibuscunque, etiam si de ipsis eorumque totis tenoribus presentibus habenda foret mentio specialis. Nulli ergo etc. nostre voluntatis, approbationis, communitionis, concessionis, incorporationis, annexionis, suppletionis, exceptionis, constitutionis, inhibitionis et declarationis infringere etc. Si quis etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis dominice Millesimo quadringentesimo quinquagesimo octavo, Nonis Ianuarii, Pontificatus nostri Anno Primo.

DCXXXI.

Francisco episcopo Corbaviensi facultas testandi conceditur. Reg. An. 1. Tom. 22. fol. 103.

Pius episcopus etc. Venerabili fratri Francisco Episcopo Corbaviensi, salutem etc. Quia presentis vite conditio statum habet instabilem, et illa, que visibilem habent essentiam, tendunt visibiliter ad non esse: tu hoc salubri meditatione premeditans diem tue peregrinationis extremum dispositione testamentaria desideras prevenire. Nos itaque tuis in hac parte supplicationibus inclinati, ut do bonis tuis undecunque non per ecclesiam seu ecclesias tibi commissas, alias tamen licite acquisitis, que ad te pertinere omnimode dinoscuntur, libere testari valeas, ac de bonis mobilibus ecclesiasticis tue dispositioni seu administrationi commissis, que tamen non fuerint altaris seu altarium ecclesiarum tibi commissarum ministerio seu alicui speciali earumdem ecclesiarum divino cultui seu usui deputata, necnon de quibuscunque bonis mobilibus a te per occlesiam seu ecclesias licite acquisitis pro decentibus et honestis expensis tui funeris, et pro remuneratione illorum, qui tibi viventi serviverint, sive sint consanguinei sivo alii, iuxta servitii meritum, moderate tamen disponere et erogare, et alias in pios ac licitos usus couvertere possis, prius tamen de omnibus predictis bonis ere alieno, et que pro reparandis domibus seu edificiis consistentibus in locis ecclesiarum vel beneficiorum tuorum culpa vel negligentia tua, seu tuorum procuratorum destructis seu deterioratis, necnon restaurandis aliis iuribus earumdem ecclesiarum vel beneficiorum deperditis ex culpa vel negligentia supradictis fuerint oportuna, deductis, plenam et liberam fraternitati tue auctoritate presentium concedimus facultatem. Volumus autem, ut in eorumdem ecclesiastiocrum dispositione bonorum iuxta quantitatem residui erga ecclesias, a quibus eadem percepisti, te liberalem exhibeas, prout conscientia tibi dictaverit, et anime tue saluti videris expedire, Mandautes omnibus et singulis, quorum interest, seu quomodolibet interesse poterit in futurum, quatenus sub pena maledictionis eterne testamentum et ultimam voluntatem huiusmodi observare teneantur, ac decernentes, quod omnes ot singuli Epi et Prelati circumvicini sub pena predicta post obitum tuum ipsum testamentum, et ultimam voluntatem ac dispositionem tuam publicent et faciant inviolabiliter

observari, Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac ecclesiarum predictarum statutis et consuetudinibus etiam iuramento, confirmatione apostolica, aut quavis alia firmitate roboratis ceterisque contrariis quibuscunque, etiam si de ipsis eorumque totis tenoribus presentibus habenda foret mentio specialis. Datum Senis Anno etc. Millesimo quadringentesimo quinquagesimonono, pridie Kal. Aprilis, Pontificatus nostri Anno Primo.

DCXXXII.

Universis Christi fidelibus capellam s. Georgii in castro Crovinio Corbaviensis dioec. festo eiusdem sancti visitantibus aut ei quoquomodo opitulantibus indulgentia conceditur. Reg. An. 1. Tom. 32. fol. 227.

Pius episcopus etc. Universis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis, salutem etc. Splendor etc. Cupientes igitur, ut Capella sub vocabulo sancti Georgii sita in Castro Crovinio Corbaviensis diocesis, quam sicut accepimus, dilectus filius Iacobus de Crobineo presbiter de bonis sibi a deo collatis construi et edificari fecit, eamque dotavit, necnon in eadem divina celebrantur officia, congruis honoribus frequentetur, et ut fideles ipsi eo libentius confluant ad eandem ac manus promptius porrigant adiutrices, quo ex hoc ibidem dono celestis gratie uberius conspexerint se refectos, de omnipotentis dei misericordia ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus vere penitentibus et confessis, qui in dicto festo sancti Georgii prefatam Capellam devote visitaverint annuatim, et manus porrexerint adiutrices, ut prefertur, septem annos et totidem quadragenas de iniunctis eis penitentiis misericorditer relaxamus, presentibus imperpetuum valituris. Volumus autem, quod si alias visitantibus dictam Capellam, aut ad reparationem sive fabricam manus porrigentibus adiutrices, seu pias inibi elemosinas erogantibus, aut alias aliqua alia indulgentia imperpetuum vel ad certum tempus nondum elapsum duratura per nos concessa fuerit, presentes littere nullius existant roboris vel momenti. Datum Senis Anno Incarnationis dominice Millesimo quadringentesimo quinquagesimonono, pridie Kal. Aprilis, Pontificatus nostri Anno Primo.

DCXXXIII.

Marino de Ragina canonico Ragusino, ut mensae episcopali Catherensi capellas beatae Mariae et s. Nicolai de Prienlacha Catherensis dioeceseos unias et incorporet. Reg. An. 1. Tom. 7. fol. 340.

Pius episcopus etc. Dilecto filio Marino de Ragina Canonico Ragusino, salutem etc. Pastoralis officii debitum nos excitat, ut illa favorabiliter concedamus, per que ecclesiarum cathedralium et prelatorum earundem, qui in partem apostolice (solicitudinis) sunt evocati, utilitatibus valeat provideri. Dudum siquidem per fel. record. Nicolaum papam V. predecessorem nostrum accepto, quod beate Marie et sancti Nicolai de Prienlacha Catharensis diocesis capelle vacabant tunc, et tanto tempore vacaverant, quod de illarum veris vacationum modis certa noticia haberi non poterat, ac earum collatio iuxta Lateranensis statuta concilii ad sedem apostolicam erat legitime devoluta: idem predecessor ipsarum capellarum veros vacationum modos ac nomina et cognomina habens suis litteris pro expressis, de eisdem capellis dilecto filio Antonio de Drusco presbitero Catharensi per quasdam suas provideri mandavit. Et deinde pie memorie Calisto pape III. etiam predecessori nostro pro parte ipsius Antonii exposito, quod a nonnullis assereretur dictas capellas per presbiteros Sclavos vel Grecos; a quibusdam vero per Metropolitam de Cayria seu Prienserem Grecum vel Sclavum, qui tunc ecclesiam seu monasterium sancti Michaelis de Prienlacha predicte diocesis obtinebat, regi consuevisse; a nonnullis eas membra ecclesie seu monasterii sancti Michaelis huiusmodi vel alterius fuisse, sive et ad illas vel illud pleno iure spectare vel pertinere; a diversis quoque aliis diversa asserentur: idem Calistus predecessor voluit et concessit, quod littere predecessoris huiusmodi et processus habiti per easdem, necnon illorum vigore eidem Antonio de ipsis capellis facte collatio et provisio, et quecumque indo secuta valerent, plenamque roboris firmitatem obtinerent in omnibus et per omnia ac si in dictis litteris, quod eedem capelle per Sclavos vel Grecos presbiteros, seu Metropolitam aut Prienserem Grecum vel Sclavum predictos regi consuevissent, vel membra ecclesie seu prefati monasterii fuissent, et ad illam vel illud pleno iure spectarent et pertinerent, expressa mentio facta fuisset, et nichilominus in quantum eorundem membra essent, vel ad illam vel ad illud pleno iure spectarent, eas dictus Antonius quoad vixeret tenere, regere et gubernare posset, gratiose concessit prout in singulis litteris. Cum itaque, postmodum capelle predicte per liberam resignationem dicti Antonii Acoliti nostri de illis, quas tunc obtinebat, per dilectum filium Magistrum Iacobum de Vacarinis de Anagnia, decretorum doctorem ac litterarum apostolicarum

abbreviatorem, procuratorem suum ad hoc ab eo specialiter constitutum, in manibus nostris sponte factam et per nos admissam apud sedem ipsam vacaverint, et vacent ad presens, nullusque de illis preter nos hac vice disponere potuerit sive possit, pro eo quod nos dudum omnia beneficia ecclesiastica secularia et regularia ordinum quorumcumque apud sedem ipsam tunc vacantia, et inantea vacatura collationi et dispositioni nostre reservavimus, decernentes extunc irritum et inane, si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari; et, sicut accepimus, fructus, redditus et proventus mense Episcopalis Catharensis sunt adeo tenues et exiles, quod ex illis, qui ducentorum florenorum auri de Camera secundum communem extimationem valorem annuum non excedunt, Catharensis Episcopus pro tempore existens iuxta Episcopalis exigenciam dignitatis statum suum tenere, ac onera sibi incumbentia supportare non potest, et si dicte capelle cum omnibus iuribus et pertinenciis suis eidem mense perpetuo unirentur, annecterentur et incorporarentur, idem Episcopus in suis necessitatibus aliquale susciperet relevamen: Nos attendentes, quod ecclesiarum Cathedralium prelatis et Coepiscopis nostris, ne rerum temporalium carencia tante dignitatis decus obnubilet, ex iniuncto nobis pastoralis officii providere astringimur, motu proprio, non ad ipsius Episcopi vel alterius pro eo nobis super hoc oblate peticionis instanciam, sed de nostra mera deliberatione discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus si vocatis qui fuerint evocandi, tibi constiterit de premissis, capellas predictas, que sine cura sunt et quarum fructus, redditus et proventus viginti quatuor florenorum auri similium secundum extimationem predictam valorem annuum, ut etiam accepimus, non excedunt, sive ut premittitur, sive aliis quibusvis modis aut ex aliorum quorumcumque personis vacent, cum omnibus iuribus et pertinenciis earumdem mense prefate auctoritate nostra perpetuo unias, incorpores et annectas, ita quod liceat Episcopo prefato per se vel alium seu alios corporaliter possessionem capellaniarum, iuriumque et pertinenciarum predictorum auctoritate propria apprehendere et perpetuo retinere, ac illarum fructus, redditus et proventus huiusmodi in suos necnon cappellaniarum et mense predictarum usus et utilitatem convertere, aliquius super hoc licencia minime requisita, Non obstantibus constitutionibus etc. Datum Senis Anno etc. M.CCCC.LVIIII., quartodecimo Kalendas Maii, Pontificatus nostri Anno Primo.

DCXXXIV.

Archiepiscopo Spalatensi et aliis, ut omnes detentores bonorum quorumcunque ad ecclesiam Corbaviensem spectantium ad ea episcopo restituenda, et de illis satisfaciendum sub poena excommunicationis monent et compellant. Reg. An. I. Tom. 32. fol. 115.

Pius episcopus servus servorum dei. Venerabilibus fratribus Spalatensi et Iadrensi Archiepis, et Zagrabiensi et Segniensi, Tiniensi et Nonensi Epis, ac dilectis filiis Abbatibus et Prepositis, necnon Plebanis in eorum diocesibus constitutis, salutem etc. Significavit nobis Venerabilis frater noster Franciscus Episcopus Corbaviensis, quod nonnulli domini temporales, Comites, Nobiles, Barones, Milites, layci et alii iniquitatis filii tam ecclesiastici quam seculares decimas, primitias, redditus, proventus, obventiones, agros, domos, possessiones, terras, vineas, prata, pascua, molendina, iura, iurisdictiones et alia bona mobilia et immobilia ad ecclesiam Corbaviensem, et illius specialem mensem legitime spectantia detinent indebite occupata, ac eius iurisdictionem impediunt et facinnt, quominus illam exercere possit, et ea detinentibus prestant consilium, auxilium et favorem in animarum suarum periculum, Francisci Episcopi, ecclesie ac mense predictorum non modicum detrimentum, ac pernitiosum exemplum et scandalum plurimorum: super quo idem Episcopus apostolice sedis remedium imploravit. Quocirca discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus omnes huiusmodi detentores decimarum, primitiarum, iurium et aliorum bonorum predictorum ex parte nostra publice in ecclesiis coram populo per vos vel alium seu alios, quotiens per ipsum Corbaviensem Episcopum seu eius procuratorem fueritis requisiti, seu alter vestrum fuerit requisitus, moneatis, ut infra competentem terminum, quem eis prefixeritis, ea prefato Episcopo a se debita restituant et revelent, ac de eis plenam et debitam satisfactionem impendant: quod si id non adimpleverint infra alium competentem terminum, quem eis ad hoc peremptorie duxeritis profigendum, extunc in eos generalem excommunicationis sententiam proferatis, et eam faciatis, ubi et quando expediens videritis, usque ad satisfactionem condignam sollempniter publicari. Quod si non omnes hiis exequendis potueritis interesse, duo aut unus vestrum ea nichilominus exequantur. Datum Senis Anno etc. Millesimo quadringentesimo quinquagesimonono, secundo Nonas Aprilis, Pontificatus nostri Anno Primo.

DCXXXV.

Natali episcopo Nonensi, ut Ioannem Nicolai canonicum Spalatensem ad canonicatus et beneficia, quibus episcopus Farensis et alii eum spoliaverant, restituat. Reg. An. 1. Tom. 4. fol. 380.

Pius episcopus etc. Venerabili fratri Natali Episcopo Nonensi, salutem etc. Ad ea, per que persone ecclesiastice (in) suis iuribus tueantur et preserventur, easque indebite molestantes ac in eisdem iuribus perturbantes et impedientes animadversione debita compescantur, ex iniuncto nobis desuper apostolice servitutis officio libenter intendimus, illaque favoribus, quantum cum deo possumus, prosequimur oportunis. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dilecti filii Iohannis Nicolai Canonici Spalatensis peticio continebat, quod olim, postquam ipse vigore quarumdam litterarum fel. record. Calisti pape III. predecessoris nostri, per quos motu proprio et ex certa scientia unum, duo, tria vel plura beneficia ecclesiastica, quorum fructuum, redditum et proventuum veri valores annui ducentos florenos auri de Camera et non ultra ascenderent, etiam si Canonicatus et prebende, dignitates, personatus, administrationes vel officia in Cathedralibus, etiam Motropolitanis vel Collegiatis ecclesiis, et ad dignitates, personatus, administrationes vel officia huiusmodi consuevissent qui per electionem asumi, eique cura immineret animarum, dummodo aliqua dignitatum ipsarum in eadem Cathedrali, etiam Metropolitana, maior post pontificalem, vel in Collegiata ecclesia, huiusmodi similis non foret, primo vacatura ad cuiuscunque sen communiter vel divisim quorumcunque collatorum seu collatricum secularium vel quorumvis ordinum regularium, etiam ratione dignitatum, personatuum et officiorum, que inibi obtinent, et in patria sive provincia Dalmatie ubicunque existentium collationem, provisionem, presentationem, electionem seu quamvis aliam dispositionem communiter vel divisim pertinentia, quamprimum simul vel successive per cessum vel decessum aut dimissionem illa obtinentis vel obtinentium, seu alias qualitercunque, preterquam per resignationem ex causa permutationis, etiam si ex quavis causa dispostioni apostolice generaliter reservata existerent, sue et sedis apostolice dispositioni et ordinationi auctoritate apostolica specialiter reservaverat, ac eidem Iohanni cum omnibus iuribus et pertinentiis suis conferri per easdem litteras mandaverat certis desuper executoribus deputatis, pront in illis plenius continetur, ac ipse Iohannes sancti Martini de Crusevic et sancti Michaelis de Lusana invicem canonice unitis diocesis Spalatensis sine cura ecclesias predictas assecutus extiterat, illasque per menses quatuor vel circa pacifice tenuerat et possederat: Venerabilis frater noster Thomas Episcopus Farensis pretextu quarumdam litterarum in forma Brevis per eundem predecessorem ad instantiam dilecti filii Aloisii Zanne clerici Venetiarum sibi directarum, absque aliqua causc cognitione, parte non citata, ex abrupto procedens eundem Iohannem dictis ecclesiis, quas, ut premittitur, obtinebat, manu violenta et de facto spoliavit, a quibus quidem et certis aliis gravaminibus, cum pro parte dicti Iohannis fuisset ad sedem apostolicam appellatum, prefatus Epus appellationi huiusmodi per eum non delate eadem die, qua dictum Iohannem spoliaverat, prefatum Aloisium in ipsis ecclesiis etiam de facto intrusit; necnon ordine iuris et rationis liberamine penitus abiectis, idem Epus nimia, ut creditur, decrepitate gravatus prefatum Iohannem a sibi illatis gravaminibus, violentiis et excessibus huiusmodi reclamantem propter reclamationem huiusmodi sententiam excommnnicationis incurrisse denunciavit, ipsumque tanquam excommuuicatum Spalatensis et Traguriensis ecclesiarum Canonicatibus et prebendis, nec non ecclesia sine cura sancti Maximi Spalatensis, quos idem Iohannes per quindecim ac alios quinque annos vel circa pacifice tenuerat et possederat, similiter de facto privavit: nec non Venerabilis frater noster Laurentius Archiepiscopus Spalatensis, ipsius Aloisii germanus, una cum Capitulo ecclesie Spalatensis, ipsius Spalatensis et ecclesiarum, ac dilectus filius Nicolaus Abbas Monasterii sancti Iohannis Baptiste Traguriensis ordinis sancti Benedicti, Vicarius Venerabilis fratris nostri Iacobi Episcopi Traguriensis in spiritualibus, ut dicitur, generalis, Tragnriensis ecclesiarum predictarum Canonicatus et prebcndas tanquam per privationem huiusmodi vacantes dilectis filiis Luce Dominici clerico Spalatensi, et Marco Tragurieusi presbitero de facto similiter contulerunt. Nos attendentes, quod ea, que de facto vel sine iuris ordine emanarunt, nullis omnino viribus subsister possunt, omnium et singulorum in premissis et circa premissa actorum, gestorum et actitatorum, alias seriem, ordinem, modum et tempus ac eorundem qualitates presentibus pro expressis habentes, ac dicti Iohannis, qui de nobili genere procreatus, ac dilecti filii nobilis viri Nicolai Testa militis Traguriensis, et Carissimi in Christo filii nostri Stephani Thome Regis Bosne Illustris oratoris ad nos destinati ncpos existit, in hac parte supplicationibus inclinati fraternitati tue per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenns ad Spalatensem et Traguriensem Civitates earumque dioceses personaliter accedens, vocatis prius partibus, si tibi de premissis legitime

constiterit, ipsum Iohannem in et ad sancti Martini et sancti Michaelis, nec non sancte Marie et sancti Iacobi et sancti Maximi, ac Spalatensis et Tragurien sis ecclesiarum predictarum Canonicatnum et prebendarum realem et actualem possessionem in eo statu, quo erat, antequam spolium, intrusio, privatio, collationes et alia premissa emanarunt, auctoritate nostra per te ipsum restituas et reponas, ac restitutum et repositum eadem aucteritate defendas, amotis Aloisio, Luca, Marco et quibuslibet aliis illicitis detentoribus ab eiusdem, non permittens eundem Iohannem super possessione ecclesiarum et Canonicatuum et prebendarum predictorum quomodolibet molestari seu perturbari, Contradictores, molestatores et perturbatores quoslibet et rebelles per censuram ecclesiasticam, et alia iuris remedia, appellatione postposita, compescendo, invocato ad hoc si opus fuerit auxilio brachii secularis, ac Aloisio, Luce et Marco prefatis, et quibuscunque aliis similiter intrusis super ecclesiis ac Canonicatibus et prebendis huiusmodi eadem auctoritate perpetunm silentium imponendo, Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac Spalatensis et Traguriensis ecclesiarum predictarum iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus contrariis quibuscunque, Aut si Aloisio, Luce et Marco prefatis, vel quibusvis aliis communiter vel divisim ab apostolica sit sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Datum Mantue Anno etc. M.CCCC.LVIIII. pridie Nonas Iulii, Pontificatus nostri Anno Primo.

DCXXXVI.

Archiepiscopo Spalatensi, ut bona Georgii abbatis monasterii s. Nicolai ord. s. Benedicti extra muros Sibinicenses priori et domui Venetiarum ord. Praedictorum adiudicet. Reg. An. I. Tom. 5. fol. 45.

Pius episcopus etc. Venerabili fratri Archiepiscopo Spalatensi, salutem etc. Dudum tibi ad querelam dilectorum filiorum Prioris et fratrum domus sancti Dominici Sibinicensis ordinis Predicatorum super certa causa, que inter eos et dilectum filium Georgium Abbatem Monasterii sancti Nicolai ordinis sancti Benedicti extra muros Sibinicenses super certis bonis mobilibus, et immobilibus in dicta diocesi Sibinicensi consistentibus vertitur, inter cetera dedimus in mandatis, ut vocatis qui forent evecandi, ac constituto tibi de assertis, eundem Abbatem ad restitutionem integram ipsorum bonorum cum omnibus damnis et interesse auctoritate nostra, etiam in vim censurarum apostolicarum cogeres et compelleres, prout in nostris super hoc tibi directis litteris plenius continetur. Cum autem, sicut pro parte dilectorum filiorum Prioris et Conventus domus sanctorum Iohannis et Pauli Venetiarum dicti ordinis Predicatorum nobis fuit expositum, dudum prefatus Georgius, qui in Conventu Venetiarum huiusmodi professionem emisit regularem, ac eiusdem Conventus secundum ortum spiritualem filius nativus existit, bona predicta existens in dicto Conventu Venetiarum ex sua industria legitime acquisiverit, illaque de licentia Magistri generalis dicti ordinis, accedente consensu Prioris et fratrum prefate domus Venetiarum, usufructuanda ad cius vitam detineat, ita tamen quod dicto Georgio decedente bona ipsa ad Conventum Venetiarum, in quo profcssionem emiserit, ut prefertur, devenire debeant: pro parte Prioris et fratrum Venetiarum predictorum nobis fuit humiliter snpplicatnm, ut ipsis super hoc de oportuno remedio providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur statum cause huiusmodi pro expresso habentes fraternitati tue per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus vocatis vocandis, si tibi, quod dictus Georgius in Conventu Venetiarum professionem emiserit et ibi existens bona predicta acquisiverit, legitime constiterit, illa, quorum qualitates, quantitates, verum valorem et confines haberi volumus pro expressis, eisdem Priori, fratribus et domui Venetiarum auctoritate nostra adindices, prout de iure fuerit faciendum, prefatis Priori et fratribus domus Sibinicensis super illis perpetuum silentium imponendo, Contradictores per censuras ecclesiasticas et alia iuris remedia, appellatione postposita, compescendo, Non obstantibus quibuscumque. Datum Mantue Anno etc. M.CCCC.LVIIII., octavo Kalendas Septembris, Pontificatus nostri Anno Primo.

DCXXXVII.

Universis Christi fidelibus ecclesiam s. Nicolai ac bestae Mariae ei adnexam in terra Novimontis Antibarensis dioc. certis diebus visitantibus, eique quomodolibet opitulantibus indulgentiae concedantur. Reg. An. I. Tom. 32. fol. 61.

Pius episcopus etc. Universis Christifidelibus presentes litteras inspecturis, salntem etc. Licet is, de cuius muncre etc. Cupientes igitur, ut ecclesia sancti Nicolai Terre Novimontis Servie Antibarensis

diocesis, et beate Marie eius annexe, que inibi principalis existens proximis temporibus a Turchis Christi immanissimis hostibus tecto, campanis, calicibus, crucibus, libris et aliis ornamentis venundata fuit, decenter restauretur et reparetur, ac congruis honoribus frequentetur, necnon ut fideles ipsi eo libentius causa devotionis confluant ad eandem, et ad reparationem et restaurationem ipsius manus promptius porrigant adiutrices, quo ex hoc ibidem celestis dono gratie uberius conspexerint se refectos, de omnipotentis dei misericordia et beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus vere penitentibus et confessis, qui in sancti Nicolai, beato Marie Virginis ac sancti Blasii festivitatibus eandem ecclesiam et annexam per se vel alios devote visitaverint, et ad huiusmodi restaurationem et reparationem per se vel alios adiutrices manus porrexerint, singulis videlicet festivitatum predictarum diebus decem annos et totidem quadragenas de iniunctis eis penitentiis misericorditer relaxamus, presentibus perpetuis temporibus valituris. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis dominice Millesimo quadringentesimo quinquagesimooctavo, VI. Kal. Octobris, Pontificatus nostri Anno Primo.

DCXXXVIII.

Abbatissae et monialibus monasterii s. Benedicti dela Cella Tergestini licentia conceditur confessorem sibi eligendi, ipsisque necnon Christi fidelibus earum ecclesiam visitantibus et adiuvantibus indulgentiae conceduntur. Reg. An. II. Tom. 24. fol. 172.

Pius episcopus etc. Ad futuram rei memoriam. Sancte Religionis, sub qua dilecte in Christo filie Abbatissa et moniales Monasterii sancti Benedicti dela Cella Tergestini ordinis eiusdem sancti devotum exhibent domino famulatum, promeretur honestas, ut ipsas et prefatum earum Monasterium, cuius dum eramus in minoribus constituti, initium et reparationis causa fuisse non immemores sumus, spiritualibus favoribus et gratiis prosequamur. Hinc est, quod nos omnibus et singulis Abbatisse et monialibus predictis presentibus in dicto Monasterio usque ad viginti annos futuros, ut sacerdotem ydoneum secularem vel regularem in earum possint eligere confessorem, qui confessione illarum diligenter audita pro commissis per eas criminibus, excessibus et peccatis etiam in singulis sedi apostolice reservatis casibus semel dumtaxat debitam eis absolutionem in forma ecclesie consueta impendere, et penitentiam salutarem iniungere, necnon ut confessor predictus vel alius, quem duxerimus eligendum, omnium peccatorum eorum, de quibus corde contriti et ore confessi fuerint, etiam semel dumtaxat in mortis articulo plenam remissionem eis in sinceritate fidei, unitate sancte Romane ecclesie, ac obedientia et devotione nostra vel successorum nostrorum Romanorum pontificum canonice intrantium persistentibus auctoritate apostolica concedere valeat, earum devotioni tenore presentium indulgemus, sic tamen quod idem confessor de hiis, de quibus fuerit alteri satisfactio impendenda, eam eis per eas, si supervixerint, vel per alios, si forte tunc transierint, faciendam iniungat, quam ipse vel illi facere teneantur, ut prefertur. Ut ne, quod absit, propter huiusmodi gratiam sint, aut reddantur procliviores ad illicita imposterum committenda, volumus, quod si hactenus in nos vel predecessores nostros Romanos pontifices, aut in ipsorum mandatorum contemptum, seu in apostolice sedis aut ecclesiastice libertatis offensam aliqua forte committerent, quoad illa predicta remissio eis nullatenus suffragetur, quodque per unum annum a tempore, quo presens nostra concessio ad earum pervenerit noticiam, computandum singulis sextis feriis, impedimento legitimo cessante, ieiunent. Et si predictis feriis ex precepto ecclesie et regulari observantia iuniuncta penitentia, voto vel alias ieiunare teneantur, una alia die singularum septimanarum eiusdem anni, quo ad ieiunandum, ut premittitur, non sint astricte, ieiunent, et si in dicto anno vel aliqua eius parte easent legitime impedite, anno sequenti, vel alias quamprimum poterunt, modo simili supplere huiusmodi ieiunium teneantur. Porro si forsan aliss prelibatum ieiunium in toto vel in parte quomodocunque adimplere commode nequiverint, eo casu confessor predictus ieiunium ipsum in alia pietatis opera commutare valeat, prout animarum suarum saluti viderit expedire, que ipsi pari modo adimplere teneantur, alioquin presens nostra concessio quo ad plenam remissionem huiusmodi nullius sit roboris vel momenti. Necnon ut Abbatissa et moniales predicte, quia ipse ex earum Monasterio exire nequeunt, omnes indulgentias in Civitate et diocesi Tergestina quomodolibet concessas consequantur, ac si ecclesias seu loca, in quibus huiusmodi indulgentie esse noscuntur, personaliter visitarent, dummodo ipse confesse et contrite Capellas dicti sui Monasterii devote visitent, harum serie decernimus ac etiam pro ipsarum Abbatisse et monialium conscientie serenitate, quoniam pauperes sunt et quandoque Capellanum, qui missas singulis diebus festivis eis celebret, habere nequeunt, et de clausura commode exire non possunt, ea die qua Capellanum huiusmodi ad celebrandum habere non poterunt, peccati penam minime

incurrant, sed bona voluntas pro facto reputetur, preterquam in festivis solemnibus perpetuo, earumdem tenore presentium declaramus. Et insuper cum dictum Monasterium non parva reparatione indigere noscatur, sintque ipsi Monasterio Christifidelium suffragia plurimum opportuna, nos cupientes, ut ecclesia sancti Cipriani eiusdem Monasterii congruis honoribus frequentetur, et Monasterium ipsum in suis structuris et edificiis reparetur et conservetur, et ut Christifidelcs eo libentius causa devotionis confluant ad eandem, ac ad roparationem et conservationem huiusmodi manus promptius porrigant adintrices, quo ex hoc ibidem dono celestis gratie conspexerint uberius se refectos, de omnipotentis dei misericordia et beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus vere penitentibus et confessis, qui in sancti Benedicti et sanctorum Cornelii et Cipriani festivitatibus prefatam ecclesiam devote visitaverint annuatim, et ad reparationem et conservationem huiusmodi manus porrexerint adiutrices, ut prefertur, Tres annos et totidem quadragenas de iniunctis eis penitenciis imperpetuum misericorditer rolaxamus. Nulli ergo etc. nostre concessionis, voluntatis, constitutionis et declarationis infringere etc. Si quis autem etc. Datum Mantue Anno etc. Millesimo quadringentesimo quinquagesimonono, v. Nonas Octobris, Pontificatus nostri Anno Secundo.

DCXXXIX.

Antonio episcopo et comiti Tergestino facultatem testandi conceditur. Reg. An II. Tom. 34. fol. 173.

Pius episcopus etc. Venerabili fratri Antonio Episcopo et Comiti Tergestino, salutem etc. Quia presentis vite conditio statum habet instabilem, et ea, que visibilem habent essentiam, tendunt visibiliter ad non esse: tu hec salubri meditatione premeditans diem tue peregrinationis extremum dispositione testamentaria desideras prevenire. Nos itaque tuis in hac parte supplicationibus inclinati, ut de bonis tuis undecunque non per ecclesiam seu ecclesias tibi commissas, alias tamen licite acquisitis, que ad te pertinere omnimode dinoscuntur, libere testari valeas, ac de bonis mobilibus ecclesie tue dispositioni seu administrationi commissis, que tamen non fuerint altaris seu altarium ecclesiarum tibi commissarum ministerio, seu alicui speciali earumdem ecclesiarum divino cultui seu usui deputata, necnon de quibuscunque bonis mobilibus a te per ecclesiam seu ecclesias licite acquisiti pro decentibus et honestis expensis tui funeris, et pro remuneratione illorum, qui tibi viventi serviverint, sive sint consanguinei sive alii, iuxta servitii moritum, moderate tamen disponere et erogare, et alias in pios et licitos usus convertere possis, prius tamen de omnibus predictis bonis cre alieno, et hiis, que pro reparandis domibus seu hedificiis consistentibus in locis ecclesiarum vel beneficiorum tuorum culpa vel negligencia tua, seu tuorum procuratorum destructis seu detrioratis, necnon restaurandis aliis iuribus earumdem ecclesiarum vel beneficiorum deperditis ex culpa vel negligencia supradictis fuerint oportuna, deductis, plenam et liberam fraternitati tue auctoritate presentium concedimus facultatem. Volumus autem, ut in eorumdem dispositione bonorum iuxta quantitatem residui crga ecclesias, a quibus eadem percepisti, te liberalem exhibeas, prout conscentia tua dictaverit, et anime tue saluti videris expedire. Datum Mantue Anno etc. Millesimo quadringentesimo quinquagesimonono, xvi. Kal. Novembris, Pontificatus nostri Anno Secundo.

DCXL.

Manueli episcopo Scutarensi, ut Petrum Czavonis abbatem monasterii s. Ioannis de Scivalio Drivastensis dioec. in possessionem eiusdem monasterii restituat. Reg. An. II. Tom. 7. fol. 174.

Pius episcopus etc. Venerabili fratri Manueli Episcopo Scutarensi, salutem etc. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dilecti filii Petri Czavonis Abbatis monasterii sancti Iohannis de Scivalio ordinis sancti Benedicti Drivastensis diocesis peticio continebat, quod vacante dudum dicto monasterio per obitum quondam Andree Marsan ipsius monasterii Abbatis, cui, dum viveret, presidebat, qui extra Romanam curiam diem clausit extremum, fel. rec. Martinus papa V. primo, et deinde bone memorie Eugenius papa IIII. predecessores nostri prefato Petro, ordinem predictum expresse professo et in sacerdocio constituto, de dicta Abbacia premisso vel alio quovis modo vacante, ne euiusvis vacacionis incommodis pregravarotur, successive et seorsum gracioso providerunt, eundem Petrum dicto monasterio preficiendo in Abbatem, prout in litteris dictorum predecessorum latius dicitur contineri: ipseque Petrus huiusmodi provisionum virtute possessionem dicte Abbacio, ac rerum et bonorum eiusdem monasterii administrationem in spiritualibus et temporalibus pacifice extitit assecutus, ac possessionem et administrationem predictas per viginti quatuor annos et ultra continuavit quiete, prout continuat et possidet de presenti.

Cum autem, sicut eadem peticio subiungebat, quidem Paulus Angelus pro presbitero seculari se gerens quamdam commissionem ad Venerabilem fratrem nostrum ... Archiepiscopum Dirachiensem, tacito de premissis, a nobis impetraverit: qui Archiepiscopus huiusmodi commissionis sibi facte pretextu procedens ad prefati Pauli instanciam, dictum Petrum ultra maritimas partes et extra limites et terminos a iure diffinitos ad respondendum, dicendum et excipiendum contra proposita et interrogata vocasse dicitur, et in causas traxisse: unde idem Petrus senciens se premissorum occasione indebite fore gravatum, ab eisdem sibi illatis gravaminibus ac huiusmodi requisitione et vocacione ad nos et sedem apostolicam appellavit. Quare pro parte dicti Abbatis nobis fuit humiliter supplicatum, ut sibi et statui suo in premissis oportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur causam huiusmodi a quibuscumque iudicibus harum serie ad nos advocantes, ac statum illius pro expresso habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati fraternitati tue per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus si et postquam vocatis dicto Paulo et aliis, qui fuerint evocandi, summarie, simpliciter et de plano, sine strepitu et figura iudicii, sola facti veritate inspecta, tibi legitime constiterit de premissis, dummodo contra eundem Abbatem civiliter agatur, illa tamquam temere attemptata revoces, dictisque Archiepiscopo et Paulo facere minime licuisse, auctoritate nostra declares, ac ea casses et annulles, nulliusque roboris vel momenti fuisse pronuncies, prefatumque Petrum Abbatem in huiusmodi possessione sua manuteneas et defendas, ac alia facias, que in premissis necessaria fuerint aut etiam quomodolibet oportuna, faciens, quod decreveris per censuram ecclesiasticam firmiter observari, eidem Paulo super premissis nichilominus perpetuum silentium imponendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis, Contradictores etc. Non obstantibus etc. mentionem. Datum Mantue Anno etc. M.CCCC.LVIIII., decimonono Kalendas Ianuarii, Pontificatus nostri Anno Secundo.

DCXLI

Capitulo Tergestino conceditur, ut suae ecclesiae certa beneficia uniantur. Reg. An. II. Tom. 10. fol. 140.

Pius episcopus etc. Dilectis filiis Capitulo et Canonicis ecclesie Tergestine, salutem etc. Ex iniuncto nobis desuper apostolice servitutis officio circa ecclesiarum et presertim Cathedralium, earumque personarum statum, annuente domino, prospere dirigendum curis pulsamur assiduis, ut nostram ad ea solicitudinem dirigamus, quod etiam cum divini cultus augmento personis ipsis valeat in suis necessitatibus subveniri. Sane pro parte vestra nobis nuper exhibita petitio continebat, quod olim Nicolaus de Valla condens in eius ultima voluntate testamentum, inter cetera legavit quibusdam Iacobo de Ricarda et Martino de Ranzano, etiam tunc Canonicis Tergestinis, totum suum fundamentum salinarum, quod ipse in contrata Zaulis districtus Tergestini tam successorio nomine parentum suorum, quam quocumque alio nomine vel causa possidebat, cum onere videlicet, quod dicti Iacobus et Martinus, donec viverent, omni septimana bis vel ter in ecclesia sancti Michaelis de Carnario Tergistina celebrare tenentur, ac etiam conditione adiecta, quod quandocumque contingeret, alterum ex dictis Iacobo et Martino decedere, pars dicti fundamenti, quam ipse decedens tunc possideret, ad alterum superviventem perveniret, et deinde morientibus utroque Iacobo et Martino predictis, prefatum tunc fundamentum dictarum salinarum ad unum vel duos alios presbiteros ydoneos pervenire voluit, videlicet quod de presbitero in presbiterum deveniret, prout presbiteris possidentibus melius videretur, quemadmodum in quodam publico instrumento desuper confecto plenius continetur. Et sicut eadem petitio subiungebat, fructus, redditus et proventus mense Capitularis vestre Tergestine adeo sunt tenues et exiles, quod eius Canonici in eadem ecclesia Tergestina residere non possuut, et si dictum fundamentum salinarum cum onere supradicto eidem mense Capitulari uniretur, aunecteretur et incorporaretur, plures ex Canonicis ipsius ecclesie in eadem ecclesia residere possent, cultusque divinus in illa augeretur: Quare pro parte vestra nobis fuit humiliter supplicatum, ut fundamentum predictum eidem mense Capitulari, ad quod, ut asseritis, dilectorum filiorum Francisci Mirez Decani et Michaelis Suta Canonici ipsius ecclesie fundamentum predictum possedentium expresse accedit assensus, cum onere huiusmodi nnire, annectere et incorporare de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur cupientes, ut ipsi ecclesie Tergestine laudabiliter deserviatur in divinis, huiusmodi supplicationibus inclinati fundamentum salinarum predictum, cuius necnon mense Capitularis predicte fructus, redditus et proventus presentibus haberi volumus pro expressis, eidem mense Capitulari auctoritate apostolica tenore presentium cum onere prefato unimus, annectimus et incorporamus, ita quod, cedentibus vel decedentibus Francisco et Michaele predictis, liceat vobis per vos vel alium seu alios corporalem possessionem, necnon iurium et pertinentiarum suo-

rum libere et licite apprehendere, ac fructus, redditus et proventus huiusmodi in mense predicte usus et utilitatem convertere, diocesani loci ac cuiuslibet alterius licentia minime requisita, Non obstantibus premissis ac volnntate dicti testatoris, necnon constitutionibus et ordinationibus apostolicis ac nostris, illis presertim, quibus inter cetera voluimus, quod in unionibus semper commissio fieret ad partes, vocatis quorum interest, ceterisque contrariis quibuscumque etiam si de ipsis eorumque totis tenoribus presentibus habenda foret mentio specialis, Nos enim exnunc irritum decernentes et inane, si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari. Nulli ergo etc. nostre unionis, annexionis, incorporationis et constitutionis infringere etc. Si quis autem etc. Datum Mantue Anno etc. M.CCCC.LVIIII., VIIII. Kal. Ianuarii, Pontificatus nostri Anno Secundo.

DCXLII.

Oblationum ecclesie Tergestinae ex indulgentiarum loero, missis et elemosynis obvenientium custodia nonnon divisio pro ecclesiae reparatione episcopo et capitulo praescribitur. Reg. An. II. Tom. 34. fol. 411.

Pius episcopus etc. Ad futuram rei memoriam. Fidei et devotionis integritas, quam dilecti filii Communitas et homines Civitatis Tergestine ad nos et Romanam gerunt ecclesiam, non indigne meretur, ut petitiones suas, illas presertim, que in ecclesiarum et personarum ecclesiasticarum commodum et utilitatem proveniunt, ad exauditionis gratiam admittamus. Nuper siquidem volentes ecclesiam Tergestinam divinis decorare muneribus, ac cupientes, ut ipsa ecclesia congruis frequentetur honoribus, indulgentiam plenariam ad triennium dicte ecclesie per nos concessam prorogavimus, et nonnulla alia concessimus, prout in litteris nostris inde confectis latius continetur. Nos igitur Communitatis et hominum predictorum supplicationibus inclinati, ut oblationes, que ex indulgentia et concessione huiusmodi tam ipsi ecclesie, quam omnibus celebrantibus in ea, necnon sacriste et confessoribus in eadem ecclesia deputatis (proveniunt) quomodocunque tradite et donate, sub sacriste et confessorum predictorum iuramento in uno cumulo in quibusdam capsis clausis cum aliquibus clavibus poni debeant, de quibus quidem clavibus Episcopus unam, Capitulum alteram et Thesaurarii sive Canaparii fabrice ecclesie predicte terciam habeant, auctoritate apostolica tenore presentium decernimus, necnon ut de omnibus redditibus et oblationibus talis divisio fieri debeat, videlicet quod medietas oblationum predictarum ad fabricam dicte ecclesie Cathedralis, seu ad manus dictorum Thesaurariorum seu Canapariorum, ad hoc ut ipsa ecclesia reparari et reedificari possit, et quedam Cappella construi debeat in eadem, in qua pro felici statu nostro et sancte Romane ecclesie imperpetuum celebretur, de alia vero medietate oblationum et pecuniarum huiusmodi due partes fiant, ex quibus una Episcopo predicto, altera vero Capitulo eiusdem ecclesie proveniat, et quod sacrista partem eius tanquam unus Canonicus et nichil ultra percipiat, eadem auctoritate statuimus et ordinamus, Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac dicte ecclesie statutis et consuetudinibus etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quacunque firmitate alia roboratis ceterisque contrariis quibuscunque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostri statuti et ordinationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Siquis autem etc. Datum Mantue Anno Incarnationis dominice Millesimo quadringentesimo quinquagesimonono, XVI. Kal. Ianuarii, Pontificatus nostri Anno Secundo.

DXLIII.

Capitulo Tergestino confirmatio unionis quarumdam capellarum et ecclesiarum eidem per episcopum factae conceditur. Reg. An. II. Tom. 10. fol. 142.

Pius episcopus etc. Ad perpetuam rei memoriam. Desiderantes statum ecclesiarum presertim Cathedralium, quarum nobis cura imminet, salubriter dirigi et augeri, ea que pro ecclesiarum huiusmodi utilitate provide facta sunt, ut illibata persistant, libenter volumus, cum a nobis petitur, apostolice roboris firmitate muniri. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Capituli et Canonicorum ecclesie Tergestine petitio continebat, quod dudum bone memorie Nicolaus tunc Episcopus Tergestinus, provide considerans labores Canonicorum ecclesie Tergestine, et quod facultates ipsius ecclesie adeo tenues erant et exiles, quod Canonici in ea residentes de illis commode vivere non poterant, nisi quilibet eorum aliquid in patrimonialibus habuisset, ac etiam ut parrochiales ecclesie plebes nuncupate sancti Petri de Dornec et sanctorum Apostolorum Petri et Pauli in Thomai Tergestine diocesis, tunc per quosdam Scismaticos, ac etiam nunc in eis per potenciam nonnullorum Tirannorum pretendentium se habere iuspatronatus in illis, licet contra eos et pro Episcopo seu pro alio suo prede-

cessore tres sentencie conformes late fuissent, que in rem transiverant iudicatam, intrusos occupate, manibus ipsorum intrusorum et Tirannorum facilius eripi possent, ecclesias predictas necnon s. Marie de Helsaco, etiam plebem nuncupatam, certis modis successive vacantes tunc Capitulari mense et dicte ecclesie Tergestine univit, annexevit et incorporavit, prout in eius litteris latius dicitur contineri: Quare pro parte Capituli et Canonicorum predictorum nobis fuit humiliter supplicatum, ut unionibus, annexionibus et incorporationibus huiusmodi robur apostolice confirmationis adiicere, et alias super hiis oportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, ecclesiarum predictarum nec non mense huiusmodi veros valores annuos presentibus pro expressis habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati uniones, annexiones, incorporationes predictas auctoritate apostolica tenore presentium approbamus et confirmamus, ac presentis scripti patrocinio communimus, supplentes omnes defectus, si qui intervenerint in eisdem, Non obstantibus premissis necnon constitutionibus et ordinationibus apostolicis atque nostris, illis presertim, quibus inter cetera voluimus, quod semper in unionibus ac unionum factarum confirmationibus commissio fieret ad partes, vocatis qaorum interest, ceterisque contrariis quibuscumque, etiam si de ipsis eorumque totis tenoribus presentibus habenda foret mentio specialis. Nos enim exnunc irritum decernimus et inane, si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari. Nulli ergo etc. nostre approbationis, confirmationis, communitionis, suppletionis et constitutionis infringere etc. Datum Mantue Anno etc. M.CCCC.LVIIII., VIII. Kal. Ianuarii, Pontificatus nostri Anno Secundo.

DCXLIV.

Universis fidelibus ecclesiam s. Sebastiani Tergestinam visitantibus indulgentia trium annorum et totidem quadragenarum in eiusdem sancti festo conceditur. Reg. An. II. Tom. 35. fol. 51.

PIUS EPISCOPUS etc. Universis Christifidelibus presentes litteras inspecturis, salutem etc. Splendor eterne glorie etc. Cupientes igitur, ut capella sancti Sebastiani de Trigesto, quam, ut nuper accepimus, quondam bone memorie Nicolaus Episcopus Trigestinus de bonis suis a deo collatis dotavit, congruis honoribus frequentetur, et ut Christifideles eo libentius confluant ad camdem, quo ex hoc ibidem dono celestis gratie conspexerint uberius se refectos, de omnipotentis dei misericordia et beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi omnibus vere penitentibus et confessis, qui in vigilia dicti sancti Sebastiani hora vesperarum usque ad sequentem diem eiusdem sancti Sebastiani etiam hora vesperarum prefstam capellam devote visitaverint annuatim, Tres annos et totidem quadragenas de iniunctis eis penitentiis misericorditer relaxamus, presentibus imperpetuum valituris. Datum Mantue Anno Incarnationis dominice Millesimo quadringentesimo quinquagesimonono, VII. Kalendas Ianuarii, Pontificatus nostri Anno Secundo.

DCXLV.

Legatum a Nicolao episcopo Tergestino capellae s. Sebastiani Tergestinae relictum, petente commissario testamentario, apostolica auctoritate confirmatur. Reg. An. II. Tom. 35. fol. 51.

PIUS EPISCOPUS etc. Ad perpetuam rei memoriam. Inter alia cordis nostri desideria illo frui non tepescimus, per quod pia honestsque testantium vota, ea presertim, per que cum divini cultus propagatione animsrum saluti consulitur, votivum ubilibet consequantur effectum. Sane pro parte dilecti filii Antonii de Loe civis Tergestini nobis nuper exhibita petitio continebat, quod dudum bone memorie Nicolaus Episcopus Tergestinus condens de bonis suis in eius ultima voluntate testamentum inter cetera quandam domum, necnon aliquas possessiones ex suo patrimonio ad eum pleno iure spectantes, cum pertinentiis suis eidem Capelle sancti Sebastiani de Tergesto, quam etiam de bonis propriis edificari fecerat, in dicto testamento legavit, necnon ordinavit, ut unus Capellanus in ea denuo permanendo, et possessiones ipsas usufructuando perpetuo in dicta Capella celebrare deberet, hac etiam conditione adiecta, quod Communitas Tergestina una cum dicto Antonio de Loe tanqnam Commissarii sui testamentarii, et alii per eos substituendi plenariam iurispatronatus, et eligendi personam ydoneam, ac imponendi ipsum Capellanum in eadem Capella imperpetuum, ipsumque revocandi facultatem haberent, cui quidem testamento seu legato huiusmodi expressus dilectorum filiorum Capituli ecclesie Tergestine seu sanioris partis eorum accessit assensus promittentium atque se ipsos obligantium, quod nullo unquam tempore dicto legato per prefatum Episcopum ipsi Capelle cum conditione huinsmodi facto sub obligatione omnium bonorum ipsius Capituli non contravenirent, prout in instrumento publico dicitur

plenius contineri. Quare pro parte Antonii predicti nobis fuit humiliter supplicatum, ut legato predicto robur apostolice confirmationis adiicere, necnon sibi et aliis Commissariis etiam, ut prefertur, substituendis iuspatronatus Capelle huiusmodi reservare, et alias super hiis oportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur cupientes, ut pie testantium voluntates debitum sortiantur effectum, necnon instrumenti prefati tenorem presentibus pro expressis haberi volentes, huiusmodi supplicationibus inclinati legatum predictum cum conditionibus, et aliis in dicto instrumento contentis et legatum huiusmodi concernentibus, necnon omnia inde secuta auctoritate apostolica tenore presentium approbamus et confirmamus, ac presentis scripti patrocinio communimus, supplentes omnes defectus, si qui intervenerint in eisdem, nichilominus Communitati atque Antonio et omnibus aliis Commissariis per eum subsituendis iuxta dicti testatoris voluntatem iuspatronatus, et imponendi Capellanum in eadem Capella eadem auctoritate harum serie indulgemus, Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac dicte ecclesie Tergestine statutis et consuetudinibus etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis ceterisque contrariis quibuscunque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre approbationis, confirmationis, commnnitionis, suppletionis et concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare etc. Datum Mantue Anno Incarnationis dominice Millesimo quadringentesimo quinquagesimonono, VII Kalendas Ianuarii, Pontificatus nostri Anno Secundo.

DCXLVI.

Nicolao Pauli de Gondola conceditur, ut in quadam ecclesia in possessionibus Ragusinae ecclesiae monasterium ordinis s. Benedicti erigere possit. Reg. An. II. Tom. 13. fol. 287.

PIUS EPISCOPUS etc. Dilecto filio Nobili viro Nicolao Pauli de Gondola civi Ragusino, salutem etc. Pia vota fidelium, illa presertim, que ipsorum animarum salutem et sacre religionis augmentum respicere dinoscuntur, apostolico favore prosequimur et eis gratiosum et benivolum impartimur assensum. Sane pro parte tua nobis nuper exhibita peticio continebat, quod cum tu, qui nonnullas possessiones in insula Lagnani Ragusine diocesis sitas ad mensam Capitularem ecclesie Ragusine spectantes pro anno canone duorum florenorum auri de Camera vel circa tenes et possides, in quibus nonnulla vestigia ecclesie apparebant sub vocabulo sancti Ysidori, que, ut a nonnullis asseritur, Monasterium ordinis sancti Benedicti extiterat, et quam zelo devotionis ductus sub eodem vocabulo de licencia ordinarii erexisti et hedificasti, cogitans de propria salute cupias terrena in celestia, et transitoria in eterna felici commercio commutare, ac geras ad eiusdem sancti Benedicti religionem specialem devotionis affectum, de bonis tibi a deo collatis ecclesiam ipsam in Monasterium monachorum dicti ordinis cum campanili, campana, cimiterio, domibus, ortis et ortiliciis ac aliis necessariis officinis erigere et edificare, atque de dictis possessionibus et aliis propriis bonis pro Abbate et monachis eiusdem ordinis sufficienter et perpetuo dotare, reservato tamen tibi et successoribus tuis iure monachum eiusdem Monasterii ydoneum nunc, et cum pro tempore vacaverit ad illud in Abbatem presentandi et nominandi, sed id nequeas sine sedis apostolice licencia adimplere: quare pro parte tua nobis fuit humiliter supplicatum, (ut) tibi faciendi premissa licenciam et facultatem de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur huiusmodi tuum propositum plurimum in domino commendantes, huiusmodi supplicationibus inclinati tibi, postquam dictum Monasterium erigendum, fundandum et construendum de dictis possessionibus, perpetuo reservato tamen canone huiusmodi dicte mense tribuendo, ac bonis aliis propriis sufficienter dotaveris et dotem ipsam assignaveris, ecclesiam predictam in Monasterium cum campanili, campana, cimiterio, domibus, ortis et ortiliciis ac aliis necessariis officinis erigendi, fundandi et construendi devotioni tue, alicuius super hoc licencia minime requisita, apostolica auctoritate licenciam et facultatem elargimur. Et nichilominus si Monasterium huiusmodi erigi, fundari, construi et dotari per te contigerit, ut prefertur, illi ac Abbati, monachis et personis, qui ibidem pro tempore fuerint, ut ipsi omnibus et singulis privilegiis, indulgenciis, libertatibus et immunitatibus aliis Monasteriis, Abbatibus, monachis et personis eiusdem ordinis a sede apostolica concessis et concedendis uti et potiri valeant pariter et gaudere, tenore presentium indulgemus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre elargitionis et concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis dei et beatorum Petrum et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum. Datum Senis Anno Incarnationis dominice Millesimo quadringentesimo quinquagesimonono, III. Nonas Martii, Pontificatus nostri Anno Secundo.

DCXLVII.

Episcopo Parentino, ut litteras apostolicas de uniendo monasterio s. Theodori archidiaconatui Polensi subreptitias impetratas revocet et annullet. Reg. An. II. Tom. 36. fol. 132.

PIUS EPISCOPUS etc. Venerabili fratri Episcopo Parentino, salutem etc. Ex salubri sedis apostolice presidio debet non immerito provenire, ut Romanus pontifex litteras, concessiones et gratias, que ab ipso emanantur, cum illas minus rationabiliter et in alieni iuris preiudicium comperit processisse, cassetur, irritet et annullet, ac in pristinum statum iustitia suadente reducat, prout rerum circumstantiis ponderatis ecclesiis et monasteriis precipue monialium conspicit salubriter expedire. Nuper siquidem pro parte dilecti filii Nicolai Polani Archidiaconi ecclesie Polensis nobis exposito, quod licet Archidiaconatus dicte ecclesie inibi dignitas post pontificalem maior existat, tamen illius fructus, redditus et proventus adeo tenues et exiles erant, quod ex illis Archidiaconus dicte ecclesie pro tempore existens commode sustentari, et onera sibi ratione dicti Archidiaconatus incumbentia, prout dicebat, supportare non poterat, quodque si Monasterium monialium sancti Theodori Polensis per Priorissam soliti gubernari ordinis sancti Benedicti, in quo moderna illius Priorissa cum una moniali dumtaxat, que ambe antique erant, commorabantur, tunc suppressis in eo Priorissali dignitate et ordine predictis penitus et extinctis, eidem Archidiaconatui perpetuo uniretur, annecteretur et incorporaretur, prefatus Archidiaconus decentius sustentari et onera predicta commodius supportare valeret: Nos tunc dilecto filio Abbati Monasterii sancte Marie de Cancto Polensis, eius proprio nomine non expresso, per alias nostras litteras dedimus in mandatis, ut vocatis Priorissa et moniali predictis, et aliis qui forent evocandi, de premissis omnibus et singulis eorumque circumstantiis universis auctoritate nostra se diligenter informaret, et si per informationem huiusmodi ita esse repperiret, Monasterium predictum, cum illud per cessum vel decessum moderne Priorisse prefate vacare contingeret, suppressis in eo Priorissali dignitate et ordine predictis penitus et extinctis, necnon reservata prefate moniali, si superviveret, super illius fructibus, redditibus et proventibus portione condecenti, ex qua commode sustentari valeret, et in domibus dicti Monasterii habitatione opportuna, cum omnibus iuribus et pertinentiis suis prefato Archidiaconatui eadem auctoritate perpetuo incorporaret, annecteret et uniret, ita quod extunc liceret Nicolao vel pro tempore existenti Archidiacono antedicto per se vel alium seu alios corporalem possessionem Monasterii, iuriumque et pertinentiarum predictorum auctoritate propria libere et licite apprehendere et perpetuo retinere, ac illius fructus, redditus et proventus, soluta dicta portione, in suos necnon Archidiaconatus et Monasterii predictorum usus et utilitatem convertere, diocesani loci et cuiusvis alterius licentia desuper minime requisita, prout in dictis litteris plenius continetur. Cum autem, sicut exhibita nobis nuper pro parte dilecti filii nobilis viri Pascalis Malipetro Ducis Venctiarum petitio continebat, prefatum Monasterium, quod unicum in Civitate Polensi et partibus illis existit, et quod ipsius Civitatis cives et incolo semper et religiosissime coluerunt, et singulare honestatis esse refugium, quo vel parentes vel sorores aut filie eorum pro devotione ac religionis honore possent commode et honeste se recipere arbitrati sunt, et in quo Priorissa etatis provectione, integritate et moribus ac alie quamplures honeste vite deo dicate moniales commorantur, non ita, ut predictus Archidiaconus minus veraciter asseruit, illius ordinis regularis et diguitatis Priorissalis quasi loci derelicti suppressionem exposcendo, desolationi subiaceat, neque personarum regularium numero et cura destitutum remanserit, sed per Priorissam et moniales predictas ac alias, quo ob frugem melioris vite in eo altissimo sub regulari habitu famulari affectant, posset et debeat laudabiliter et provide gubernari, et si unio, annexio et incorporatio predicte sortirentur effectum, nichil eiusdem civibus molestius evenire posset aut ipsorum omnium animos vehementius perturbaret: pro parte eiusdem Ducis nobis fuit humiliter supplicatum, ut premissis ac earumdem litterarum surreptione debita consideratione attentis, litteras et mandatum de uniendo huiusmodi, ac illorum pretextu quecumque inde secuta utpote per falsam suggestionem extorta nulla et inefficacia fore, aut illa revocare, cassare et annullare nulliusque roboris vel momenti fuisse et esse decernere et declarare, ac alias super hiis Monasterii, Priorisse et monialium predictarum statui et indempnitatibus opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos itaque de premissis certam noticiam non habentes, huiusmodi snpplicationibus inclinati, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenus si et postquam vocatis dicto Nicolao et aliis, qui fuerint evocandi, de eisdem premissis omnibus et singulis ac eorum circumstantiis universis auctoritate nostra te diligenter informes, et si per informationem huiusmodi ita esse reppereris, litteras et mandatum predicta et quecumque inde secuta eadem auctoritate cassare, revocare et irritare nulliusque roboris vel momenti fuisse et esse decernere et declarare, eique Nicolao

super dicto Monasterio perpetuum silentium imponere eadem auctoritate procures, Non obstantibus fel. record. Bonifacii pape octavi predecessoris nostri, illis presertim, quibus cavetur, ne quis extra Civitatem et diocesim nisi in certis exceptis casibus, et in illis ultra unam dietam a fine sue diocesis ad iudicium evocetur, Seu ne iudices a sedo predicta deputati extra Civitatem et diocesim, in quibus deputati fuerint, contra quoscumque procedere, sive alii vel aliis vices suas committere presumant, necnon aliis apostolicis constitutionibus atque litteras et mandato predictis, etiam si ad illarum foret processum executionem, ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Petricoli Vulterane diocesis Anno etc. Millesimo quadringentesimo sexagesimo, Idibus Iunii, Pontificatus nostri Anno Secundo.

DCXLVIII.

Abbati s. Iacobi de Visgniza, ut institutionem etc. archipresbyteratus in ecclesia Ragusina per capitulum eiusdem ecclesiae factam auctoritate apostolica approbet. Reg. An. II. Tom. II. fol. 3.

Pius episcopus etc. Dilecto filio Abbati Monasterii sancti Iacobi de Visgniza Ragusine diocesis, salutem etc. Gerentes licet immeriti super universas orbis ecclesias divina institutione primatum, illa libenter iugi vigilantia et attenta meditatione prosequimur, per que ecclesiis ipsis, precipue cathedralibus, cum divini cultus augmento decus et venustas accrescant, ac his, qui propterea comperimus processisse, benignum, cum a nobis petitur, munimen impartimur pariter et assensum. Sane pro parte dilectorum filiorum Capituli ecclesie Ragusine nobis nuper exhibita petitio continebat, quod ipsi cupientes prefatam ecclesiam, que Metropolitana et insignis atque ornamentis ecclesiasticis predita est, dignitatibus et honoribus, quantum in eis fuit, extollere ac etiam decorare, ultra alias ipsius ecclesie dignitates dudum in ea constitutas archipresbiteralem dignitatem, non tamen post pontificalem maiorem, pro uno archipresbitero in prefata ecclesia constituendo, bone memorie Iacobi tunc Archiepiscopi Ragusini ad id postmodum accedente consensu, capitulariter erexerunt ac nonnullas possessiones tunc expressas ad eorum mensam capitularem legitime pertinentes, quarum fructus, redditus et proventus ad valorem quatordecim florenorum auri de Camera secundum communem extimationem annuatim ascendit, pro dote ipsius erecte dignitatis deputarunt, necnon dilectum filium Rusconem de Seratha Canonicum ipsius ecclesie in illius archipresbiterum concorditer elegerunt. Quare pro parte Capituli et Rusconis predictorum nobis fuit humiliter supplicatum, ut erectioni dignitatis, dotis assignationi, ac etiam de ipso Rusconе facte electioni huiusmodi pro earum subsistentia firmiori robur apostolice confirmationis adiicere, ac alias super his oportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos itaque de premissis certam noticiam non habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus si et postquam de premissis tibi legitime constiterit, erectionem, dotationem et electionem predictas auctoritate nostra approbes et confirmes, supplendo omnes defectus si qui forsan intervenerint in eisdem. Nos enim, si approbationem, confirmationem et suppletionem huiusmodi per te vigore presentium fieri contigerit, ut prefertur, Rusconi et pro tempore existenti ipsius ecclesie archipresbitero, quod omnibus et singulis honoribus et preeminentiis, prerogativis, privilegiis et indultis, quibus alii archipresbiteri ecclesiarum Cathedralium vicinarum utuntur et gaudent, in omnibus et per omnia uti valeant pariter et gaudere, concedimus per presentes, Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon statutis et consuetudinibus dicte ecclesie Ragusine iuramento, confirmatione apostolica, vel quacunque firmitate alia roboratis ceterisque contrariis quibuscunque. Datum Senis Anno etc. M.CCCC.LX. quarto Nonas Septembris Pontificatus nostri Anno Secundo.

DCXLIX.

Constitutio, qua hospitali s. Hieronymi nationis Slavonum in Urbe bonorum medietas omnium dictae nationis, qui in Urbe eiusque districtu sine haeredibus proximis ab intestato decedunt, applicetur. Reg. An. III. Tom. I. fol. 112.

Pius episcopus etc. Ad futuram rei memoriam. Inter cetera apostolicum occupantia pectus illa rebus preferenda veniunt in omnibus, per que pauperum et infirmorum necessitati consulitur, et caritatis sperantur obsequia peramplius propagari. Sane pro parte dilectorum filiorum Castaldionum et administratorum hospitalis sancti Ieronimi nationis Sclavonum de Urbo nobis nuper exhibita peticio continebat, quod licet natio prefata, sicut et quedam alie nationes in eadem Urbe, prefatum hospitale pro usu pauperum et miserabilium personarum de dicta natione titulo Cardinalatus sancti Laurentii in Lucina subiectum habeat, tamen ipsius hospitalis fructus, redditus et proventus adeo tenues et exiles sunt, ut ad perferenda onera huiusmodi hospitalibus iminere consueta, cum presertim plures de predicta quam de

aliis nationibus in eadem Urbe pauperes reperiantur, minime sufficere possint, et sicut eadem peticio subiungebat, si bona decedentium ab intestato de ipsa natione in Urbe et districta predictis dumtaxat proximos heredes non habentium eidem hospitali saltem pro medietate applicarentur et debita forent, ex hoc non mediocriter dicti hospitalis facultas augeretur eiusque redditus et proventus ad huiusmodi perferenda onera longe copiosius sufficere possent: quare pro parte Castaldionum et administratorum predictorum asserentium, quod fel. record. Calistus papa III. predecessor noster eis super his prope similem gratiam concessit, licet super huiusmodi concessionis gratia apostolice littere eius superveniente obitu confecte non fuerunt, nobis fuit humiliter supplicatum, ut hospitalis predicti et pauperum atque infirmorum de ipsa natione in eo pro tempore degentium statui et commodo super his oportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, qui ad procurandum pauperum et infirmorum utilitatem manus operarias libenter apponimus, huiusmodi supplicationibus inclinati auctoritate apostolica tenore presentium statuimus et ordinamus, quod de cetero perpetuis temporibus omnium et singulorum de predicta natione Sclavonum in eadem Urbe vel eius districtu ab intestato decedentium, et patrem vel matrem, aut uxorem, filios, fratres, sorores, nepotes vel neptes ex filio, filia, fratre et sorore non habentium bona mobilia et immobilia quecunque, etiam in nominibus debitorum consistentia, ad ipsum hospitale pro medietate dumtaxat devolvantur, ipsumque hospitale dictis sic ab intestato decedentibus succedat eo ipso, ita quod liceat Castaldionibus et administratoribus hospitalis huiusmodi pro tempore existentibus medietatis eorundem bonorum taliter decedentium, et proximos heredes, ut prefertur, non habentium possessionem per se vel alium seu alios auctoritate propria libere et licite apprehendere, et pro dicto hospitali perpetuo retinere, ac illorum fructus, redditus et proventus in usus pauperum et infirmorum convertere, alicuius licentia desuper minime requisita. Volumus autem, quod alia medietas bonorum predictorum Camere apostolice applicetur, ipsaque Camera in eadem medietate sicut prefertur decedentibus succedat eo ipso, Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon privilegiis, indultis et litteris apostolicis dilectis filiis Archipresbitero et Capitulo Basilice principis Apostolorum de Urbe, ot Abbati ac Conventui Monasterii sancti Pauli extra muros eiusdem Urbis ordinis sancti Benedicti ab apostolica sede concessis, presertim quibus caveri dicitur, quod Archipresbiteri et Capitulum ac Abbas et Conventus prefati huiusmodi ab intestato decedentium bonis succedere debeant, quibus quoad sic decedentes de eadem Sclavonum natione dumtaxat, illis alias in suo robore permansuris, derogamus expresse, ceterisque contrariis quibuscunque. Nulli ergo etc. nostrorum statuti, ordinationis, voluntatis et derogationis infringere etc. Si quis autem etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno etc. M.CCCC.LXI. quarto Kalendas Maii, Pontificatus nostri Anno Tercio.

DCL.

Francisco Damiani archidiacono Iadrensi quoddam partum cum Iacobo Fuscaro de monasterio ss. Cosmae et Damiani Iadrensis dioc. initum confirmatur. Reg. Au. III. Tom. 38. fol. 353.

Pius episcopus etc. Dilecto filio Francisco Damiani Archidiacono ecclesie Iadrensis, salutem etc. Vite ac morum honestas aliaque laudabilia probitatis et virtutum merita, super quibus apud nos fidedigno commendaris testimonio, nos inducunt, ut te specialibus gratiis et favoribus prosequamur. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte tua petitio continebat, quod licet olim dilectus filius Magister Petrus Fuscarus primicerius ecclesie sancti Marci Venetiarum, notarius noster, qui monasterium sanctorum Cosme et Damiani ordinis sancti Benedicti Iadrensis diocesis ex concessione et dispensatione sedis apostolice obtinet in commendam, ex certis rationabilibus causis te in vicarium suum in spiritualibus et temporalibus, et etiam in gubernatorem dicti monasterii usque ad certum tempus tunc expressum deputaverit, necnon omnes et singulos fructus, redditus et proventus dicti monasterii ac dilectorum filiorum conventus eiusdem, debitis et consuetis supportatis oneribus, per idem tempus ad firmam sub annua pensione per te sibi annis singulis tempore durante predicto persolvenda concesserit, prout in quodam publico instrumento desuper confecto dicitur contineri: tamen tu deputationem et concessionem predictas dubitas ex certis causis viribus non subsistere, quare pro parte tua nobis fuit humiliter supplicatum, ut tibi, qui, ut asseris, magnam pecuniarum summam pro ipsius monasterii reparatione ac paramentorum et ornamentorum eiusdem refectione, et alias in ipsius utilitatem propterea exposuisti, tueque indemnitati super hiis oportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos itaque huiusmodi supplicationibus inclinati deputationem et concessionem predictas, et prout illas contingunt quecumque in dicto instrumento contenta, prout alias rite et rationabiliter processeruut, auctoritate

apostolica tenore presentium approbamus et confirmamus, et presentis scripti patrocinio communimus, supplendo omnes defectus, si qui intervenerint in eisdem, et nichilominus quod propterea aut alios quoscumque fictus per loci ordinarium vel alium quomcunque molestari vel inquietari nequeas, eadem auctoritate concedimus per presentes, non obstantibus concessionibus et ordinationibus apostolicis, necnon statutis et consuetudinibus monasterii et ordinis predictorum, quodque tu a certo mandato tibi per Venerabilem fratrem nostrum Archiepiscopum Iadrensem de quibuscunque fictibus per te admittendis facto ad sedem apostolicam duxeris appellandum, ceterisque contrariis quibuscunque. Nulli ergo etc. nostre approbationis, confirmationis et concessionis infringere etc. Si quis autem etc. Datum Tibure Anno etc. M.CCCC.LXI. Nonis Augusti, Pontificatus nostri Anno Tertio.

DCLI.

Universis fidelibus ecclesiam s. Marie in Iaica Bosnensis dioec. certis diebus festivis visitantibus indulgentiae concedantur. Reg. An. IV. Secret. Tom. 38. fol. 93.

Pius episcopus etc. Universis Christifidelibus presentes litteras inspecturis, salutem etc. Splendor paterne etc. adiuvatur. Cum itaque Carissimus in Christo filius noster Stephanus Rex Bosne Illustris nobis significare curaverit, in regno suo Bosne populorum opinione teneri sancti Luce Evangeliste corpus in ecclesia sancte Marie in Iaica Bosnensis diocesis terra servari, et multis sepenumero clarere miraculis, eodem nobis supplicante Rege cupientes, ut eadem ecclesia congruis honoribus frequentetur, et ut Christifideles eo libentius devotionis causa confluant ad eandem, quo ex hoc ibidem dono celestis gratie uberius conspexerint se refectos, de omnipotentis dei misericordia et beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus et singulis vere penitentibus et confessis, qui dictam capellam (ecclesiam) in Annuntiationis, Assumptionis, Nativitatis et Purificatiouis beate Marie Virginis festivitatibus et earundem octavis devote visitavorint annuatim, singulis festivitatum earundem quinque annos et totidem quadragenas, octavarum vero diebus centum dies de iniunctis eis penitentiis misericorditer relaxamus, presentibus imperpetuum valituris. Volmus autem, quod si visitantibus dictam capellam alias aliqua indulgentia imperpetuum, vel ad certum tempus nondum elapsum per nos concessa fuerit, presentes littere nullius roboris vel momenti existant. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis dominice M.CCCC.LXI., VII. Idus Novembris, Pontificatus nostri Anno Quarto.

DCLII.

Primicerio ecclesiae Traguriensis, ut ecclesiam s. Nicolai de Lissa alias s. Silvestri de Scopulobuci Farensis dioecesis, eiusque monasterium cum abbatiali dignitate in pristinum statum reponat. Reg. An. IV. Tom. 18. fol. 291.

Pius episcopus etc. Dilecto filio Primicorio ecclesie Traguriensis, salutem etc. Circumspecte sedis apostolice providentia aliquando ea, que certis causis suadentibus concessisse cognoscit, recensitis inde circumstantiis et aliis, quo iuri et equitati conveniunt, rationibus, adimit et retractat, ac iura illa providet, prout locorum et temporum ac personarum qualitate pensata id conspicit in domino salubriter expedire. Dudum siquidem Calistus papa III. predecessor noster, ad eius notitiam deducto, quod ecclesia Farensis in eius reparationibus non parvo indigebat auxilio, ac personis inibi in divinis deservientibus nisi de alicuius subventionis auxilio provide succurreretur, divinus cultus in illa futuris temporibus minueretur, et ob hoc Venerabilis frater noster Thomas Episcopus Farensis, qui Monasterium sancti Nicolai de Lissa, alias sancti Silvestri de Scopulobuci, Farensis diocesis ordinis sancti Benedicti certo modo vacans auctoritate apostolica obtinebat in commendam, attente considerans, quod fructus, redditus et proventus tam Episcopalis quam Capitularis mense ecclesie Farensis adeo tenues erant, quod ad perferendum diversa, que in eisdem pro tempore incumbebant, onera et pro ipsius ecclesie Prelatorum, Canonicorum et beneficiatorum, qui plures numero erant, sustentatione nequaquam sufficiebant, cum cuiuslibet ecclesie prebende fructus, redditus et proventus ultra sexdecim florenorum auri de Camera secundum communem extimationem valorem annuum non excederent, ac propterea Prelati, Canonici et beneficiati predicti divinis in ipsa ecclesia, prout debebant, officiis non poterant interesse, quibus si dictum Monasterium cum omnibus iuribus ut portinentiis suis, in illo Abbatiali dignitate ac ordine predicto suppressis, uniretur, annecteretur et incorporaretur, ecclesia ipsa in suis opportunitatibus non modicum susciperet relevamen, ac divinus cultus augeretur in illa; et quod prefatus Episcopus, attentis premissis, in favorem unionis huiusmodi commendo eiusdem Monasterii, cuius fructus ducentorum florenorum similium secundum extimationem predictam valorem annuum non excedebant, inter

predictos, qui in eadem ecclesia pro tempore residerent et divinis officiis interessent, ac reparationis predicte fiende dividerentur, sponte et libere cedere proposuerat et proponebat: certis dari voluit Iudicibus in mandatis, quatenus ipsi vel duo aut unus eorum ab eodem Episcopo, vel procuratore suo ad hoc ab eo specialiter constituto cessionem huiusmodi, si eam in suis manibus facere voluisset, auctoritate apostolica reciperent et admitterent, eaque per ipsos recepta et admissa, Monasterium ipsum, quod in loco silvestri positum et sine cura est, sive premisso sive alio quovis modo vacaret, eidem ecclesie sub certis modo et forma uniretur et incorporaretur. Et deinde pro parte dicti Episcopi nobis exposito, quod ipsi Iudices per prefatum Calistum predecessorem deputati, eiusdem predecessoris superveniente obitu, ad executionem dictarum litterarum minime processissent, nos qui inter alia omnes uniones, annexiones et incorporationes de quibusvis Monasteriis Cathedralibus ecclesiis, et eorum Episcopalibus sen Capitularibus mensis quomodolibet apostolica vel alia quavis auctoritate factas, que nondum sortite fuerant effectum, et propter quas illi, quorum intererat, sic unitorum possessionem pacificam assecuti non existerant, et quecunque concessiones et mandata super unionibus, annexionibus et incorporationibus causantibus annullavimus, nulliusque decrevimus existere firmitatis, eiusdem Epi asscrentis se pro huiusmodi unione adimplenda plures expensas fecisse, supplicationibus in hac parte favorabiliter annuentes, ac reparationi et divino cultui in ipsa ecclesia intendentes, dictique Monasterii vere vacationis modum prout in dicti predecessoris litteris pro expresso habentes, ac Abbatialem dignitatem et ordinem predictos in illo supprimentes et extinguentes etiam certis dari voluimus Iudicibus in mandatis, quatenus veris existentibus premissis, ipsi vel duo aut unus eorum ab eodem Episcopo vel procuratore suo ad hoc ab eo specialiter constituto cessionem huiusmodi, si eam in manibus suis facere vellet, ut prefertur, auctoritate nostra ea vice dumtaxat reciperent et admitterent, eaque per eos recepta et admissa Monasterium predictum, sive per cessionem huiusmodi tunc, sive alias qnovis modo aut ex alterius cuiuscunque persona vacaret, aut illius commenda expiraret, seu quod alias generaliter vel specialitor illius dispositio ad sedem apostolicam pertineret, cum omnibus iuribus et pertinentiis suis, dummodo illi de Abbato canonice provisum, aut illud alteri commendatum non foret, eidem ecclesie sub infrascriptis illius fructuum, redditnum et provontuum divisionibus, videlicet ut illorum quarta Episcopali mense oneribus supportandis, ac due in cotidianis distributionibus inter Canonicos et beneficiatos, ac alios ecclesiasticos deservientes in divinis interessentes in oisdem ecclesia et monasterio iuxta ipsorum et ordinarii loci dispositionem, ac reliqua partes pro fabrica et reparatione ecclesie et Monasterii predictorum deputarentur, applicarentur et distribuerentur, apostolica auctoritate perpetuo unire, annectere et incorporare, ac illius fructus, ut premittitur, applicare et appropriare curarent; ita quod liceret Ordinario loci, Canonicis, beneficiatis et aliis personis prefatis, postquam unionem, incorporationem, anxionem, appropriationem et applicationem huiusmodi fecissent, ut prefertur, illius possessionem propria auctoritate apprehendere et perpetuo retinere, necnon fructus, redditus et proventus dicti Monasterii petere, exigere, percipere, et mense prefate, ut prefertur, applicare et dividere ac distribuere, in suos ac ecclesie et monasterii predictorum usus convertero, cuiusvis licentia super hoc minime requisita, prout tam in ipsius Calisti predecessoris, quam nostris litteris desuper confectis latius continetur. Cum autem sicut exhibita nobis nuper pro parte Communitatis Farensis peticio continebat, quod aliqua dignitas in Civitate aut diocesi Farensi huiusmodi preter dignitates in ecclesia Farensi existentes, seu aliqnod Monasterium minime esse noscatur, pro parte Communitatis predictorum nobis fuit humiliter supplicatum, ut unionem, annexionem et incorporationem huiusmodi dissolvore, ac ecclesiam s. Nicolai seu sancti Silvestri predictam in Monasterium sancti Benedicti prefati, ot in illo Abbatialem dignitatem de novo erigere et instituere de consensu dicti Episcopi, ac quartum partem fructuum, reddituum et proventuum huiusmodi Episcopali mense predicte pertinentem relaxare, ac vigintiquinque florenos auri ex medietate fructuum huiusmodi pro quotidianis distributionibus eidem Capitulo attributis, pro fabrica dicte ecclesie Farensis per operarios eiusdem ecclesie pro tempore existentes annuatim exponendos deputare, ac medietatem fructuum, redditnum et proventuum predictorum mense Capitulari ecclesie Farensis huiusmodi pro prefatis distributionibus quotidianis divinis officiis interessentibus distribuendam, et pro dictis vigintiquinque florenis, ut premittitur, oxolvendis, roliquam vero medietatem Abbati dicti Monasterii pro tempore existenti reservare, et alias super hiis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur eidem Monasterio, ut prefertur, erigendo, ne longe vacationis exponatur incommodis, de persona utili et ydonea, per quam circumspecte regi et salubriter dirigi valeat, providere cupientes, necnon de premissis ac de meritis et ydoneitate persone dilecti filii Laurencii

Perancii de Sancto Severino Camerinensis diocesis ordinis Predicatorum certam notitiam non habentes, discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus vocatis qui fuerint evocandi, de premissis omnibus et singulis, necnon de huiusmodi meritis et ydoneitate einsdem Laurencii apud nos de religionis zelo, litterarum sciencia, vite mundicia, honestate morum, in spiritualibus providencia et in temporalibus circumspectione multipliciter commendati auctoritate nostra te diligenter informes, et si per informationem huiusmodi ita esse et ad hoc Episcopi et Capituli predictorum accedat assensus, unionem, annexionem et incorporationem predictas dissolvas, necnon ecclesiam sancti Nicolai seu sancti Silvestri predictam in Monasterium sancti Benedicti prefati, et in illo Abbatialem dignitatem erigas et instituas, ac quartam partem fructuum, redditnum et proventuum huiusmodi Episcopali mense predicte pertinentem relaxes, et vigintaquinque florenos auri ex medietate fructuum, redditnum et proventuum predictorum pro quotidianis distributionibus Capitulo prefato attributis, pro fabrica dicte ecclesie Farensis per operarios eiusdem ecclesie Farensis pro tempore existentes singulis annis exponendos constituas et deputes, necnon medietatem fructuum, redditnum et proventunm huiusmodi pro qnotidianis distribntionibus huiusmodi divinis officiis interessentibus distribuendam, et pro dictis vigintiquinque florenis, ut premittitur, exsolvendis, reliquam vero medietatem Abbati dicti Monasterii pro tempore existenti de Episcopi et Capituli predictorum consensu reservare procures. Et nichilominus si dissolutionem, erectionem et institutionem huiusmodi per te fieri contigerit, ac oundem Laurencium, qui ut asserit, dictum ordinem Predicatorum expresse professus extitit, ad regimen ipsius Monasterii utilem et ydoneum fore repereris, super quo tuam conscienciam oneramus, do persona sua prefato Monasterio, cuius fructus, redditus et proventus ducentorum florenorum auri de Camera secundum dictam extimationem valorem annuum, ut asseritur, non excedunt, sive ut premittitur, sive alias quovis modo aut ex alterius cuiuscunque persona vacet, et ex quavis causa, cum ipsius dispositio ad sedem predictam specialiter vel generaliter pertineat, dummodo tempore date presentium non sit ei de Abbate canonice provisum, auctoritate prefata provideas, ipsumque illi preficias in Abbatem curam et administrationem ipsius Monasterii sibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, ac faciendo sibi a suis subditis obedienciam et reverenciam debitas, necnon consucta servicia ac iura sibi ab eis debita exhiberi, Contradictores auctoritate nostra, appellatione postposita, compescendo, Non obstante si aliquibus communiter vel divisim a dicta sede indultum existat, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Nos enim prefato Laurencio, si de ipsius persona eidem Monasterio provideris, ut prefertur, ut a quocunque maluerit catholico Antistite gratiam et communionem dicte sedis habente munus benedictionis recipere, ac eidem Antistiti, ut munus prefatum impendero libere sibi possit, plenam et liberam concedimus tenore presentium facultatem. Volumus autem, qnod idem Antistes, qui prefatum munus dicto Laurencio impendet, postquam sibi illud impenderit, ab eodem Laurencio nostro et ecclesie Romane nomine fidelitatis debite solitum recipiat iuramentum iuxta formam, quam sub bulla nostra mittimus interclusam, ac formam iuramenti, quod ipse Laurencius prestabit, nobis de verbo ad verbum per eius patentes litteras suo sigillo signatas idem Antistes per proprium nuncium destinare procurct quantocius: quodque per hoc Episcopo Farensi pro tempore existenti, cui prefatum Monasterium ordinario iure subesse dinoscitur, nullum imposterum preiudicium generetur: quodque etiam idem Laurencius quamprimum vigore presentium possessionem vel quasi regiminis et administrationis bonorum Monasterii huiusmodi fuerit pacifice assecutus, illum gestet habitum, qui in eodem Monasterio geritur et habetur, eiusque institutis regularibus se conformet. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis dominice Millesimo quadringentesimo sexagesimoprimo, quarto Nonas Ianuarii, Pontificatus nostri Anno Quarto.

DCLIII.

Magistro Georgio Pelmi commendatario monasterii b. Marine de Rotetio Antibarensis diocc. restitutio omnium rerum in bello contra infideles catholicis ablatarum remittitur. Reg. Au. IV. Tom. 39. fol. 193.

Pius episcopus etc. Dilecto filio Magistro Georgio Pelmi Commendatario Monasterii beate Marie de Rhotetio Antibarensis diocesis, Notario nostro, salutem etc. Grata devotionis obsequia, que nobis et apostolice sedi hactenus impendisti, et adhuc solicitis studiis fideliter impendere non desistis, merito nos inducunt, ut tibi et statui tuo, in hiis presertim, que tue salutem anime respiciunt, quantum cum deo possumus, salubriter consulamus. Hinc est, quod nos volentes te, qui labores et expensas non modicas in Apulia una cum dilecto filio nobili viro Georgio Castriot alias Scanderbeg, ad qnem per nos

deputatus fuisti, tum etiam contra Turchos in Albania et alibi substulisti et fecisti, horum intuitu favore prosequi gratioso, tuis in hac parte supplicationibus inclinati ablata per te, seu tuo nomine tam a Turchis predictis et Sclavis scismaticis, a quibus res et bona aliquot forte scis abstulisse et eos defraudasse, seu id fieri procurasse, quam ab aliis catholicis, quos forte defraudasti, et defraudata atque male ablata catholicorum huiusmodi incerta habes, et quorum fuerint ignoras, vel ipsi forsan non extant, tibi auctoritate apostolica tenore presentium remittimus et donamus, teque ab illis absolvimus et liberamus, et ad restitutionem de eis alicui de cetero faciendam decernimus non teneri, Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscunque. Nulli ergo etc. nostrorum remissionis, donationis, absolutionis, liberationis et decreti infringere etc. Siquis autem etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis dominice Millesimo quadringentesimo sexagesimoprimo, XIX. Kal. Februarii, Pontificatus nostri Anno Quarto.

DCLIV.

Franciscus Damiani archidiaconus Iadrensis constituitur in Istriae et Dalmatiae provinciis proventuum camerae apostolicae collector. Reg. An. IV. Offic. Lib. 2. fol. 70.

PIUS EPISCOPUS etc. Dilecto filio Francisco Damiani Archidiacono ecclesie Iadrensis apostolice sedis Acolito et Cappellano, ac nostro et dicte sedis nuntio et iurium, fructuum, redditumm et proventuum Camere apostolice debitorum in Istria et Dalmatia Collectori, sal. etc. EX fideli, solicita et diligenti providentia, probitate quoque circumspecta aliisque virtutum donis, quibus personam tuam novimus insignitam, presumimus evidenter, quod ea, que tibi commiserimus, solerti diligentia fideliter exequeris. Hinc est, quod nos de tua probitate plurimum in domino confidentes te, qui et Acolitus noster et Cappellanus existis, in provinciis Istrie et Dalmatie nuntium apostolicum ac fructuum, redditumm et proventuum, censuum aliorumque iurium quorumcumque nobis et Romane ecclesie ac Camere apostolice inibi debitorum et debendorum Collectorem, et generalem receptorem usque ad nostrum et sedis apostolice beneplacitum facimus, constituimus et etiam deputamus, omnes alios et singulos huiusmodi iurium, fructuum, redditumm et proventuum collectores, receptores ot succollectores in partibus, civitatibus, diocesibus, terris et locis Istrie et Dalmatie predictis per nos, aut nostra seu quacumqne alia auctoritate deputatos, ac commissiones super huiusmodi collectiorie et recceptionis officiis aliis quam tibi sub quavis forma verborum per dictam sedem, aut alia auctoritate factam penitus revocando, ipsosque collectores, succollectores et receptores ab eorum officiis et commissionibus alias eis commissis seu factis specialiter vel generaliter realiter amovendo, tibiquo nichilominus per te vel alium seu alios clericos dumtaxat, fide tamen et facultatibus ydoneos, nostro et Camere apostolice nominibus a quibuscumque Prelatis, Collegiis, Capitulis, Conventibus ecclesiarum et monasteriorum quorumlibet, aliisque ecclesiasticis secularibus et regularibus exemptis ordinum quorumcumque, ac etiam laicalibus personis, necnon Universitatibus et Communitatibus civitatum, terrarum, castrorum, villarum et locorum quorumlibet partium, civitatum, diocesum, terrarum et locorum predictorum omnes et singulas pecuniarum summas, rerum et bonorum quantitates, etiam si bona huiusmodi confiscata fuerint, necnon fructus, redditus et proventus primi anni beneficiorum ecclesiasticorum collatorum et inantea conferendorum, ac omnia alia et singula inra nobis, ecclesie et Camere predictis in partibus, civitatibus, diocesibus, terris et locis huiusmodi quacumque ratione vel causa debita seu debenda, ac ad nos et easdem ecclesiam ac Cameram nunc et imposterum pertinentia, quecumque, quotcumque et qualiacumque fuerint, communibus et minutis serviciis prelatorum ad quorumcumque ecclesiarum et monasteriorum regimina promotorum dumtaxat exceptis, petendi, levandi, exigendi et recipiendi, rationes quoque et computa a quibuscumque collectoribus succollectoribus et receptoribus, necnon inquisitoribus heretice pravitatis et officialibus aliis pro dicta Camera in partibus, civitatibus, diocesibus, terris et locis predictis deputatis hactenus, et personis aliis in quantum negocia et utilitatem Camere memorate concernunt, audiendi et examinandi, ipsosque, si necesse fuerit, compellendi et cohercendi, ac per ipsos recepta etiam petendi, exigendi et recipiendi, ac de receptis dumtaxat quitandi, liberandi et peuitus absolvendi, necnon contradictores quoslibet et alios rebelles, cuiuscumque status, gradus, ordinis, conditionis vel preeminencie existant, etiam si pontificali vel alia qnavis prefulgeant diguitate, auctoritate predicta per censuram ecclesiasticam et bonorum suorum sequestrationem aliaque iuris remedia oportuna, appellatione postposita, compescendi, necnon quoscumque tibi vel succollectoribus, receptoribus et aliis tuis officialibus iniuriantes, seu te vel eos coniunctim et divisim in executione negociorum dicte Camere directe vel indirecte quomodolibet

impedientes auctoritate predicta, prout ordo exigerit rationis, ac si necesse fuerit, ipsos ad comparendum coram nobis seu Camerario nostro aut locumtenente personaliter, aut alias legitime infra certum terminum competentem per te eis assignandum citandi, et etiam si opus fuerit, auxilium brachii secularis invocandi, sententias quoque excommunicationis, suspensionis et interdicti in contumaces, inobedientes et rebelles tam per te, quam predecessores tuos vel eorum succollectores coniunctim vel divisim latas et imposterum quomodolibet ferendas, si opus fuerit, aggravandi et reaggravandi, et cum ad obedientiam debitam pervenerint, tollendi vel suspendendi, ipsasque personas ab eisdem sententiis absolvendi, et cum ipsis super irregularitate, si qua sic legati non tamen in contemptum clavium celebrando divina, ministrando vel immiscendo se illis quomodolibet contraxerint, auctoritate nostra predicta dispensandi, Non obstantibus etc. Datum Rome apud S. Petrum Anno etc. M.CCCC.LXI. quintodecimo Kalendas Martii, Pontificatus nostri Anno Quarto.

DCLV.

Universis fidelibus ecclesiam b. Marie ad castrum Foraminis Tergestinae dioec. certis festis visitantibus, aut eidem quovismodo opitulantibus indulgentias concedantur. Reg. An. V. Tom. 30. fol. 311.

Pius episcopus etc. Universis Christifidelibus presentes litteras inspecturis, salutem etc. Dum precelsa etc. Cupientes igitur, ut ecclesia beate Marie sita prope Castrum Foraminis Tergestine diocesis, quam nos, dum in minoribus constituti ecclesie Tergestine prefate preessemus, consecravimus, et ad quam populi et habitatores illarum partium magnum gerunt devotionis affectum, congruis honoribus frequentetur et manutencatur, et ut ipsi Christifidelibus eo libentius devotionis causa confluant ad eandem, quo ex hoc ibidem dono celestis gratie uberius conspexerint se refectos, de omnipotentis dei misericordia ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus vere penitentibus et confessis, qui in dedicatione ipsius ecclesie et in festo Assumptionis beate Virginis Marie, ac in secunda die post festum Penthecostes singulis festivitatibus a primis vesperis usque ad secundas vesperas ecclesiam ipsam devote visitaverint annuatim, et ad ipsius ecclesie reparationem et manutentionem manus porrexerint adiutrices, quinque annos et totidem quadragenas de iniunctis eis penitentiis misericorditer in domino relaxamus, presentibus perpetuis futuris temporibus duraturis. Datum Pientie Anno Incarnationis dominice Millesimo quadringentesimo sexagesimosecundo, x. Kal. Octobris, Pontificatus nostri Anno Quinto.

DCLVI.

Universis Christi fidelibus ecclesiam sive capellam s. Bartholomei in litore maris Tergestinae dioecesis festo eiusdem sancti visitantibus et adiuvantibus indulgentia conceditur. Reg. An. V. Tom. 41. fol. 244.

Pius episcopus etc. Universis Christifidelibus presentes litteras inspecturis, salutem etc. Ante thronum etc. Cupientes igitur, ut ecclesia sive Capella sancti Bartholomei Tergestine diocesis, qui in litore maris situata existit, et ad quam populus illarum partium magnum gerit devotionis effectum, congruis honoribus frequentetur, ac in suis structuris et edificiis manuteneatur et augeatur, ipsique fideles eo libentius devotionis causa confluant ad eandem, quo ex hoc ibidem dono celestis gratie uberius conspexerint se refectos, de omnipotentis dei misericordia ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus vere penitentibus et confessis, qui ecclesiam ipsam in festo eiusdem sancti devote visitaverint annuatim, quinque annos et totidem quadragenas de iniunctis eis penitentiis misericorditer relaxamus, presentibus perpetuis futuris temporibus duraturis. Datum Petriolli Senensis diocesis Anno Incarnationis dominice Millesimo quadrigesimo sexagesimosecundo, III. Nonas Novembris, Pontificatus nostri Anno Quinto.

DCLVII.

Protectoribus Comperarum s. Georgii Ianuensis conceditur, ut omnes, qui civitatem Caphae moenia contra Turchos eingendam adiuvaverint, ad hoc opus pecunias elargiti sint aut alio quoquo modo contra ipsos Turchos auxilium tulerint, plenam omnium suorum peccatorum veniam assequi valeant. Reg. An. V. de Curia Tom. 25. fol. 35.

Pius episcopus etc. Dilectis filiis Protectoribus Comperarum sancti Georgii Civitatis Ianue, salutem etc. Cum in desideriis cordis nostri illa precipue versetur cogitatio, ut quantum humano consilio fieri potest, nephandissimis conatibus infidelium resistatur, ea libenter ordinamus et querimus, que ad defensionem Christifidelium et repressionem dictorum infidelium spectare videntur. Cum igitur fide

dignorum relatu intellexerimus, inhumanissimos christiani nominis hostes Turchos et Tartaros unanimi consensu deliberasse et statuisse preclaram urbem Capham, aliaque loca orientalia dominio Ianuensi subiecta de proximo invadere et occupare, ut fideles ex illis partibus eradicentur, vosque ad Civitatum et locorum eorumdem defensionem terra marique provisiones possibiles continuo faciatis, ceperitisque Civitatem ipsam cingere muro, fossa et barbacana, ut magis secura ab hostium impetu reddatur, in quibus maximis expensis opus est, nec ad presens in totum supplere valeatis propter afflictiones Civitatis vestre: Nos quantum possumus de Thesauro Christi Ihesu domini et redemptoris nostri vobis providere volentes, universos et singulos de locis et provinciis Brasonii, Sabini, Bistricie, Sacole et Septemscamini et in dictis locis commorantes seu negociantes, incolasque et habitatores dictorum locorum et provinciarum utriusque sexus, etiam clericos seculares et regulares tam in dictis locis et provinciis, quam alibi ubicumque terrarum habitantes vel negociantes, cuiuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis, conditionis et prehemiuentie existant, obsecramus in domino et per viscera misericordie dei nostri exhortamur atque requirimus, ut pro Civitatis illius et locorum suprascriptorum defensione, auxilio et favore, et maxime pro constructione dictorum menium velint personaliter, sive de bonis ac facultatibus sibi a deo collatis larga manu et libenti animo providere, recepturi a piissimo deo nostro bonorum omnium remuneratore in presenti seculo habuudantiam gratiarum, et post finitum humane conditionis cursum gloriam felicitatis eterne. Nos enim de omnipotentis dei misericordia ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi omnibus illis, qui aut personaliter accedent et manserint mensibus quatuor pro defensione loci illius Caphe, etiam si eundo ipsos in itinere forte mori contingeret, aut vobis aut ministris ecclesiasticis per vos deputandis decem florenos auri de Camera, singuli videlicet eorum, pro dicte Civitatis tutela aut dictis muris construendis persolverint, vel centesimum bonorum, que possident, et clerici, si decenter beneficiati essent, vicesimam annuorum reddituum suorum, si vero nobiles, artifices vel mercatores mediocriter opulenti ac etiam divites fuerint, vicesimam annui introitus sive lucri etiam per industriam acquisiti, si autem clerici exigue beneficiati et artifices ac mercatores paucorum lucrorum, personaliter accedere nequeuntes, de facultatibus suis iuxta prudentiam dictorum ecclesiasticorum per vos deputandorum pia manu erogaverint, auctoritate apostolica tenore presentium indulgentiam et remissionem plenariam suorum peccaminum concedimus, casibus infrascriptis dumtaxat exceptis, eamque impartimur, que in anno iubileo proxime elapso hiis, qui venerunt Romam, sive existentibus tempore cruciate in subsidium terre sancte tam per fel. record. Nicolaum papam V. quam per alios Romanos pontifices concessa fuit, et quam ipsi ex concessionibus huiusmodi consequi quomodolibet potuerunt. Predictis vero necnon ceteris de terris et locis predictis, qui nec personaliter ire nec subsidio huiusmodi persolvere potuerunt, sed pro facultatum suarum modulo iuxta eorum conscientias providi confessoris consilio formatas huic piissimo operi pecunias, arma vel alia bona contribuerint, ut confessor idoneus secularis vel cuiuslibet ordinis regularis, quem quilibet ipsorum duxerit eligendum, confessionibus suis diligenter auditis, pro catenus commissis excessibus atque delictis, etiam in casibus sedi apostolice reservatis, semel tantum debitam absolutionem impendere et iuiungere penitentiam salutarem, necnon si id humiliter petierint, ipsos a quibuscumque excommunicationum, suspensionum, irregularitatum, preterquam ex voluntario homicidio et bigamia contractis, et interdicti aliisque sententiis, censuris et penis ecclesiasticis a iure vel ab homine promulgatis, si quibus forsitan irriti existant, exclusis tantummodo hiis, qui contra apostolicam sedem et terras ecclesie immediate subiectas armati venissent, necnon omnibus et singulis, qui de crimine heresis iudicialiter convicti et condempnati fuissent, ac quibuscumque, qui presbiteros occidissent, seu qui Episcopum suum occidissent vel membro aliquo mutilassent, iniunctis sibi pro modo culpe penitencia salutari iuxta eiusdem confessoris discretionem, ac satisfactione per eundem confessorem districte imponenda, maxime hiis, qui vetita infidelibus Sarracenis et Turchis detulerunt, absolvere et super irregularitatibus huiusmodi dispensare, ac omnibus suprafatis personis vere penitentibus et confessis in mortis articulo plenariam omnium peccatorum suorum, de quibus corde contriti et ore confessi fuerint, indulgentiam et remissionem eis in sinceritate fidei, unitate sancte Romane ecclesie ac obedientia et devotione nostra, et successorum nostrorum Romanorum pontificum canonice intrantium persistentibus concedere prefata auctoritate valeat, facultatem et licentiam plenas et liberas elargimur, sic tamen quod idem confessor de hiis, de quibus fuerit alteri satisfactio impendenda eam sibi per se ipsos, si supervixerint, vel per alios, si tunc forte transierint, faciendam iniungat, quam ipsi facere teneantur. Volumus quoque, quod patres et matres familias, qui eiusmodi subsidium impenderint, easdem indulgentias et remissiones etiam pro uxoribus et liberis ac

familia domestica, si pro eisdem mediam dati a se muneris persolverint, consequantur, quodque etiam ipsi per vos deputandi clerici seculares vel regulares de quibuslibet male ablatis incertis, etiam usuram sapientibus, cum supranominatis et eorum quolibet debite componere et huiusmodi composita in idem pium opus convertere, eosdemque eadem auctoritate apostolica absolvere possint et valeant, prout fuerit opportunum, volentes nichilominus, quod si ex compositione huiusmodi a quoquam forsitan ultra centum florenos auri de Camera per vos exigi contigerit, dimidia eiusdem pluris ad Cameram apostolicam, reliqua vero ad vos in huiusmodi opus convertenda pertineant. Omnes quoque, qui vota peregrinationis cuiuscumque et quecumque alia vota preterquam religiouis ingressus, liminum Apostolorum, beati Iacobi in Compostella et ultramariua emisissent, ut confessor suus ipsos tantum in pecunia solventes, quantum in voto peregrinationis expendissent, vel quantum arbitrio confessoris pro voti qualitate et conditione videbitur, contribuentes absolvero similiter valeat, eodem tenore damus potestatem et similiter facultatem. Ceterum ut hanc rem ad optatum necessariumque effectum per idoneos ministros perducere possitis, devotioni vestre, ut ex consilio dilecti filii Iacobi tituli sancti Chrysogoni presbiteri Cardinalis Papiensis viros religiosos, doctos et idoneos sacerdotes et ecclesiasticos, prudentes et fideles, qui has litteras secum deferentes verbum dominicum predicare, et populos ad auxiliorum contributionem exhortari possint: et insuper ministros ex viris ecclesiasticis sive religiosis ordinum quorumcumque, quos idem Cardinalis ad hoc idoneos declarare et per litteras suas vobis designare decreverit, qui ad percipiendas supradictis omnibus modis pecunias et res per se ipsos, aut a se ipsis substituendos percipere ac vobis dare, deferre aut mittere debeant, deputare valeatis, concedimus per presentes. Quibus quidem religiosis et ecclesiasticis predicatoribus seu ministris in hoc exercitio per quatuor menses laborantibus, necnon vobis protectoribus scribisque et officialibus circa provisiones huiusmodi similiter operantibus, ac legato seu oratori, qui ad has impetrandas ad nos accessit et plurimum laboravit, ut confessor quoque, quem ipsorum et vestrum quilibet duxerit eligendum, semel in vita et in mortis articulo plenariam remissionem eis et vobis, ut prefertur, concedere valeat, simili modo concedendum duximus: et insuper deputandis per vos ac substituendis predictis ecclesiasticis, ac ipsorum cuilibet, ut super confessionibus predictis testimoniales litteras, que manu ipsorum subscripte vel etiam vestro et ipsorum deputandorum sigillo sunt signate, ubilibet plenariam et integram fidem faciant, libere et licite tradere possint et valeant, harum serie concedimus. Volentes atque mandantes has nostras litteras tribus annis, prima die mensis Septembris proxime venturi incepturis, inviolabiliter observari, ac supradictis tenore et auctoritate decernentes, omnes et singulos ex supradictis aut aliis quibuscumque, qui pecunias aut res vigore harum litterarum nostrarum quomodolibet perceptas, in alios usus quam huiusmodi subsidii contra infideles, et ut supradictum est, converterint, ministrorum et nunciorum vestrorum expensis et salariis dumtaxat exceptis, excommunicationis penam incurrere, a qua nisi a sede apostolica ex causa expressa absolutionis beneficium nequeant reportare, Non obstantibus suspensionibus indulgentiarum tam per nos quam felicis recordat. Nicolaum V. et Calistum III. Romanos pontifices predecessores nostros sub quacumque verborum forma factis, sub quibus presentes litteras et indulgentiam decrevimus et declaramus non fuisse nec esse comprehensas, ceterisque contrariis quibuscumque. Nulli ergo etc. nostrorum obsecrationis, exhortationis, requisitionis, concessionis, impartitionis, elargitionis, dationis, constitutionis, mandati et voluntatis iufringere etc. Si quis autem etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno etc. M.CCCC.LXIII. tertio Kalendas Iulii, Pontificatus nostri Anno Quinto.

DCLVIII.

Cardinalis Bessarion legatus de latere Nicolaum Iadrentinum episcopum Damnensem presidiatorem verbum Crucis in partibus Istriae contra Turchos constituit, et quasdam facultates et suas instructiones exhibet etc.
Reg. An. V. Divers. Camer. Lib. 3. Tom. 31. fol. 15.

Bessarion miseratione divina Episcopus Tusculanus, sancte Romane ecclesie Cardinalis, Patriarcha Constantinopolitanus et in Civitate Venetiarum locisque omnibus inclito Venetorum dominio ubique subiectis apostolice sedis Legatus de latere, Venerabili fratri dño Nicolao Iadrentino Epo Damnensi, Salutem in domino sempiternam. Quia in singulis, prout necesse foret, locis non possumus corporalem exhibere presentiam, nonnunquam viros fide et religione et prudentia preditos in partem solicitudinis destinamus, exemplo illius instructi, qui pro salute humani generis de supernis celorum sedibus ad infima mundi descendens discipulos, quos elegit, per universum orbem transmisit ad evangelium omni creature predicandum. Cum igitur instante impresentiarum christiane fidei necessitate et modis omni-

bus pro commisso nobis legationis officio duxerimus succurrendum, te, de cuius fide, prudentia et integritate singularem in domino fiduciam obtinemus, ad predicandandum in Foro Iulii ultra Talgiamentum per totam provinciam Histrie dominio Venetorum subiectam verbum sanctissime crucis, et hortandum ibidem christianum populum, ut contra impiissimum Turchum Christi domini salvatoris nostri inimicum ferventibus animis exurgens, adversus eum oiusdem sanctissime crucis signaculum assumat, cum privilegiis, potestatibus, auctoritatibus, facultatibus, commissionibus et mandatis, que in instructionibus per nos tibi mandatis, quibus plenariam adhiberi fidem volumus, latius continentur, duximus destinandum. Quocirca, ut commissum tibi negocium feliciorem exitum et celeriorem consequatur effectum, tibi iniungendi omnibus et singulis fratribus Predicatorum et Minorum, ac aliorum ordinum ubilibet constitutis idem predicationis officium in Foro Iulii ultra Talgiamentum et per totam provinciam Histrie, ubi opus esse duxeris, et alia quecumque prosequutioni et utilitati dicti negocii existimaveris oportuna, non obstantibus aliquibus indulgentiis eis specialiter vel generaliter concessis, plenam et liberam auctoritate apostolica tenore presentium concedimus facultatem, hortantes insuper Venerabiles in Christo patres, ac dilectos nobis in Christo abbates, priores, diaconos, archidiaconos et alios ecclesiarum prelatos tam exemptos quam non exemptos, necnon omnes et singulos quorumcumque ordinum religiosos, eis nichilominus eadem auctoritate mandantes, quatenus te et alios per te deputatos predicatores et coadiutores huiusmodi, immo potius nos in vobis benigne recipientes, humaniter tractantes vobis tamquam nostris et apostolicis nuntiis intendant in omnibus, et per populos sibi subditos humiliter et devote intendere procurent, monita et precepta vestra efficaciter adimplendo, dantes tibi nichilominus et aliis per te eligendis earumdem tenore plenariam potestatem contra omnes et singulos, qui forte, quod absit, officium vobis commissum impedire presumpserint, cuiuscumque conditionis et preeminentie fuerint, per censuras ecclesiasticas et alia iuris remedia eadem auctoritate procedendi, eosque compellendi et puniendi, quibuscumque in contrarium facientibus non obstantibus. In quorum omnium et singulorum fidem et testimonium premissorum presentes nostras litteras fieri, sigilliqne nostri fecimus et iussimus appensione communiri. Datum Venetiis in loco S. Georgii maioris Anno dñi M.CCCC.LXIII. pridie Kalendas Septembris, Pontificatus Sñi in Christo patris et dñi nostri Pii divina providentia pape II. Anno Quinto.

Instructio Rñi in Christo patris et dñi, dñi episcopi Tusculani, s. Romane ecclesie cardinalis ac patriarche Constantinopolitani, apostolice sedis legati, pro predicatoribus per eum deputatis ad predicandum crucem in inclita civitate et dominio Venetorum, et in provincia Histrie anno domini M.CCCC.LXIII., XXIIII. Augusti.

Quod nullus audeat impedire predicatores crucis.

In primis statuit idem Illustrissimus Dñus Legatus, quod si quis, quod absit, predicatores ad predicandam crucem deputatos, aut per eos eligendos et deputandos impediverit, quioumque sint et quacumque dignitate prefulgeant, habeant ipsi predicatores ac per eos substituendos plenariam apostolica auctoritate facultatem comprimendi eos, et oompellendi censuris ecclesiasticis et aliis iuris remediis, invocato etiam, si opus fuerit, auxilium brachii secularis.

Quod possint eligere alios predicatores.

Item quod possint iidem predicatores etiam alios predicatores eligere et deputare, et eos, si opus fuerit, quod si illi forte recusaverint, per easdem censuras compellere ad predicationem crucis faciendam.

De indulgentia danda per predicatores.

Item quod iidem predicatores habeant facultatem quibuscnmque Christifidelibus ad audiendum predicationem confluentibus penitentibus et confessis pro qualibet vice centum dies de iniunctis eis penitentiis auctoritate apostolica relaxandi.

De tempore et modo relaxandi.

Item quod iidem predicatores omnibus diebus festis et aliis, quibus videbitur, predicent in locis sibi deputatis, et hortentur populum per viscera misericordie domini nostri Iesu Christi ad Christiani populi et fidei nostre defensionem, et ad proficiscendum personaliter contra inimicos crucis pro his, qui possunt: si qui vero non possunt ad mittendum, saltem pro facultatibus suis contribuendum.

Item quod hortentur fideles ad sumendum supra se signum sacratissime crucis, quod signum sumitur primo ad excitandam spem victorie, cum ipsa sit signum efficacissimum salutis, in quo salvata

sunt primogenita populi Israhelitici ab angelo percutiente primogenita Egipti, et in quo Christus dñus legislator noster oporatus est salutem in medio terre, et in quo antiquum illum hostem expugnavit. Verum ad incitandum in nobis ardorem et hoc tam ex debito gratitudinis, quam ex spe retributionis, ut sanctam crucem aspicientes recordemur, nos pro eo subire pericula, qui pro nobis non dubitavit ignominiosissimam crucis mortem perferre: recordemur etiam nos pro illius iniuriis vindicandis labores subire, qui in cruce pendens latronem pro eo zelantem et conviciantem sibi conlatronem arctius coarguentem in paradisum introduxit.

Assignent causas predicationis, que sunt tres principaliter: Una ad vindicandum tot ineffabiles contumelias per tot nephandas iniurias per Turchos illatas Christo domino, sanctis suis, sanctorum reliquiis, templis et imaginibus sacris, ac fratribus christianis; Alia ad subveniendum innumerabili populo christiano per Turchos gravissime oppresso et in turpissimam servitutem redacto; Tertia ad defendendum nosmet ipsos et hoc, quod nobis restet, ne ad manus Turchorum perveniat.

Circam primam causam commemorent ipsi predicatores in captione ipsius Constantinopolis, et postea tot insularum, civitatum et terrarum viros crudelissime cesos, matronas stupratas, virgines raptas, sanctimoniales fedatas, adolescentes immaniter trucidatos, infantes inter ubera ad brachia matrum gladio confixos, matronas pregnantes ferro transfixas.

Item templa illa sacratissima et ornatissima infandis spurcitiis polluta, altaria profanata, statuas sanctorum infrustra disiectas, imagines sanctorum luto et stercore deturpatas: vestibus deo sacratis, quibus alteria sacraque misteria tegebantur, in obprobium doi et sanctorum canes tectos atque ornatos.

Item quod supra imaginem venerandissimam beate Marie Virginis, quam totus ille Constantinopolitanus populus pre ceteris omnibus summa cum religione venerabatur, evulso prius auro et argento et lapidibus presiosis, scelerati illi carnifices diu carnes incidorunt et tandem pedibus conculcatam securique divisam combuxorunt. Imagines etiam salvatoris in testudinibus templi depictas, quas delere manibus, stercore fedare non poterant, sagittis appetebant, procaciter insultantes et dicentes: Videamus si deus christianorum sciat nunc se eripere de manibus nostris.

Postea conari debent omni indignationis ac vindicte ardore populum commovere, si in nos ipsos quisquam contumeliaretur dicendo nos fures, aut mendaces, aut falsarios, vix possemus continere nos, quin statim ad vindictam consurgeremus. Item si in parentes nostros aut propinquos etiam vita functos aliquid ignomiosum diceretur, statim ultionis ardore inflammaremur. Si ergo adeo prompti et parati sumus ad ulciscendum adeo parvas et verbis tantum in nos vel nostros factas iniurias, quomodo non erubescit christianus sanguis tot blasphemias, tot contumelias atque iniurias deo creatori atque salvatori suo illatas tolerare? Quomodo audebit talis in conspctu dei et sanctorum suorum comparere, quando ei dicet dominus, tuas iniurias diligentissime vindicasti, meas contempsisti? Cum enim iuxta leges seculares non est dignus hereditate patris, qui mortem patris non ulciscitur: qua fronte partem potis in hereditate sanctorum, in hereditate mea, qui tot iniurias, tot blasfemias meo nomini sanctisque meis illatas vindicare contempsisti?

Item ostendenda est eis terribilis punitio eorum, qui vindictas huiusmodi sumere omiserunt. Sauli enim, quod Agaz regi, qui populum domini gravissime afflixerat, pepercit, divino iudicio regimen abrogatum est: et ipsi ergo Agab, quod Benadab regem Sirie vivum abire permiserat, dictum est a dño, quia dimisisti virum dignum morte, erit anima tua pro anima illius.

Circa secundam causam commemorandum est, quot milia christianorum in captivitate sunt et in servitute turpissima, quam sit eis compatiendum misericordes esse non debere: regnum enim celorum misericordia retribui, et operibus misericordie non exhibitis damnationis sententiam ferri, inaniter misericordiam a deo expectare eos, qui hanc non exhibeant proximo: beatos autem esse misericordes, quia ipsi misericordiam consequentur.

Circa tertiam causam de necessitate ostendatur, Turchum non contentum paratis, omni studio instare ad subigendum totum orbem terrarum, et in primis Italiam. Omnem dilationem pessimam esse, quia ille cotidie acquirit sibi unum regnum et potentior fit, nos unum regnum amittimus et efficimur debiliores: ideo ubi non moveret amor religionis et calamitas, moveat nos patria nostre, liberi, parentes, uxores.

Quod domini Veneti arma, que in Turchos sumpserunt, continuare debent usque ad ultimam interemptionem hostium, quoniam celesti favore potentissimi sunt christianorum omnium et digni, quorum exemplo ceteri moveantur. Preterea loca eorum Turchis esse viciniora, et hic laudare et commendare ample et dominium et populum devotione sua.

Item quod hi, qui hucusque male vixerunt, qui se cedibus, furtis, rapinis, incendiis ac omni genere scelerum involverunt, occasionem nunc habent sic bellandi, ut non modo horum delictorum nullum incurrant, verum etiam pleniorem remissionem omnium suorum peccatorum consequantur et vitam eternam, ut inferius patebit.

Hoc loco commendanda est elemosina quibuscumque panperibus facienda ex anctoritatibus sacre scripture: deinde per comparationem ostendendum, quanto hoc sit maior elemosina pro fide erogare, allegare passionem, martirum, et quod Christus pro nobis substinuit mortem. Sancti pro fide eius mortui sunt libenter, ostendere, et iam quod non solum pro fide, sed etiam pro liberatione multi sanctorum exposuerunt se morti.

Haberi possunt exempla ex libro Iudicum, non modo sancti, sed etiam gentiles pro patria mori voluerunt, non modo viri, sed etiam mulieres, et omnia bona sua et aurum et argentum et omnem ornatum suum pro patria exposuerunt, et tandem se ipsos morti devovere. Quod hec etiam sine spe resurrectionis fuerunt, quanto magis nos christiani hoc facere debemus, quia et maiora nostra sunt pericula et premia potiora.

Ne autem difficultates rei homines terreantur, suadenda est possibilitas belli et spes victorie, dicendum quod deus promittit ecclesiam suam et populos suos propter peccata aliorum variis tribulationibus agitari, non tamen deserit nos, sed tandem assistit populo suo. Debiles tandem futuras christianas vires: Turchorum potest allegari clades, quam cum parvo numero hominum intulit Turchis Ladislaus rex Polonie, et quam ceperunt Turchi in Belgrado a paucis cruce signatis.

Ex quibus omnibus adhortandi sunt christiani omnes, ut ad defensionem fidei incumbant et in ultionem christiani sanguinis assurgant, et qui apti sunt, crucem assumant et militie Christi se devoveant: qui attamen ad hoc non sunt apti viri, femine, seculares, ecclesiastici, religiosi et non religiosi, ut in negotio fidei in tam pia causa ac tam necessaria cooperentur et concurrant pro viribus suis, ac alios pro se mittant, aut aliis contribuant aut subveniant.

Quod possint predicatores affigere crucem.

Item possint iidem predicatores omnibus et singulis crucem supra se devote suscipere volentibus signum salutare crucis supra humeros affigere ubique locorum, preterquam in civitate Venetiarum vel ubi personaliter Rñus D. Legatus interfuerit, que loca sibi specialiter reservavit: debent tamen prius salutares admonitiones atque exhortationes facere, ut cum debita reverentia tam gloriosum signum suscipiant, illudque contra nepharios conatus Turchorum cordibus suis firmiter imprimant, et negotium ipsum magnis et ardentissimis animis prosequantur.

De modo affigendi signum crucis.

Item modus huiusmodi affigendi signum, qui in omnibus civitatibus, diocesibus atque locis sit conformis, et quam celerrime expedire possit, fit, sit talis, videlicet: facto signo ex serico vel panno rubro, signum ipsum cum acu in pectore affigant, quod suscipientes postea consuere poterunt atque firmare; affigens vero dicat hanc orationem. Oremus. Pretende, quesumus, domine, famulis tuis dexteram celestis auxilii, quos pro gloria tui nominis signo sacratissime crucis insignitos propugnatores fidei tue, populique fidelis contra perfidos Turchos esse voluisti. Per dominum nostrum Ihesum etc. Dominus vobiscum etc. Benedicamus domino etc.

De indulgentia plenaria crucesignatorum et aliorum.

Item annuntient omnibus et singulis cuiuscumque gradus, status, conditionis aut ordinis, qui in tanta fidei necessitate in exercitu Christi fidelium contra Turchos propriis personis et expensis intererint, et per octo vel sex menses perseveraverint, sive clerici, sive laici, vel quacumque ecclesiastica seu mundana dignitate prefulgeant, auctoritate omnipotentis dei, sanctissimi domini nostri pape ac de plenitudine potestatis celitus ei concessa plenissimam omnium peccatorum suorum remissionem et veniam, qualis in subsidium terre sancte proficiscentibus et in anno iubilei basilicas visitantibus dari consuevit, et in retributionem iustorum augmentum salutis polliceantur, confidentes omnium, quos ad hoc sanctum opus proficisci contigerit, etiam eorum, vel qui in itinere vel ante tempus octo vel sex mensium in bello forte obierint, animas sanctorum angelorum consortio in celestibus collocandas, et in consortes Christi factas perpetuo in eterna felicitate mansuras.

Item his, qui commode personaliter interesse nequiverint, et alium vel alios suis expensis secundum suarum facultatum vires destinaverint, qui vice sua in bellum saltem pro sex mensibus vel octo proficiscantur, tam ipsis quam ountibus alienis expensis, si pauperes fuerint et impotentes ad ferendos necessarios sumptus, plenam eis annuntient dicta auctoritate veniam peccatorum, et dictos aliorum nomine euntes, necnon etiam mittentes, si forte devotionis causa illud sumere voluerint, signo sanctissime crucis signare possint.

Item si forte ante tempus octo vel sex mensium negotium huiusmodi debitum finem sortiri contingeret, quod tempore, quo contra Turchos pugnaverint, etiam si sex mensibus brevius fuerit, proinde ac si totis octo mensibus interfuissent, plenariam indulgentiam annuntient.

Item omnibus et singulis cum dominis suis sive capitaneis in dicto exercitu proficiscentibus similiter indulgentiam annuntient.

Item ut omnis etas, sexus et cuiuslibet professionis homines huius sancte indulgentie participes esse possint, quecumque cenobia seu religiosa loca marium vel feminarum, cuiuscumque ordinis vel professionis existant, pro singulis decem suppositis claustri unum bellatorem destinaverint, et sumptus necessarios pro eodem tempore ministraverint, eis omnibus eandem indulgentiam annuntietis.

De revocatione indulgentiarum.

Item omnes et singuli predicatores et eligendi supradicti in predicationibus suis publice annuntient, indulgentias a sede apostolica ex summis pontificibus vel eorum auctoritate hactenus concessas pro utilitate huius sancte expeditionis fuisse, vel esse suspensas per totum inclitum dominium Venetorum et alibi, exceptis indulgentiis in festo Ascensionis ecclesie sancti Marci et sancti Iob Venetiarum et earum personarum, que tempore Nicolai V. aut Calisti III. occasione cruciate eas obtinuissent, et etiam eorum, qui signo salutifere crucis assumpto se ipsos pro defensione fidei devoverunt.

De aliis indulgentiis per predicatores concedendis.

Item facultatem habeant iidem predicatores omnibus et singulis, qui ad huiusmodi opus subsidia prestabunt, et ad eius prosequutionem quomodolibet operas suas impendent, similiter qui singulis diebus orationes et ieiunia ad deum pro victoria populi christiani porrigent, iuxta quantitatum laboris et subsidiorum, quotienscumque id fecerint, triginta aut sexaginta aut centum dierum indulgentiam concedendi.

De protectione pape pro crucesignatis.

Item denuntient iidem predicatores omnibus et singulis crucesignatis et in expeditionem ire volentibus, quod sanctissimus dominus noster papa eos et eorum quemlibet, ac ipsorum familias et bona post acceptum iter sub sua et beati Petri protectione exnunc prout extunc suscepit, eosque et familias et bona predicta habebit in domino commendatos.

De indulgentiis pro pauperibus.

Item facultatem habeant omnibus et singulis, cuiuscumque gradus, conditionis et sexus existant, qui non personaliter ire nequo alium propter inopiam commode mittere poterunt, si medietatem aut tertiam vel saltem quartam, ad minus quintam partem expensarum solverint, similiter omnium peccatorum suorum indulgentiam concedendi.

De capsa deputanda.

Item teneantur predicti predicatores ot per eos eligendi in singulis civitatibus seu oppidis, vel saltem ubi eis commode videbitur, deputare unam capsam in ecclesia matrice ipsius civitatis vel oppidi sufficientem et securam, in qua omnes dicte pecnnie vel ex elemosinis, vel alia quacumque largitione fidelium ponantur et conserventur; et similiter pecunie eorum, qui vice sua unum vel plures homines suis expensis mittere voluerint, si eis placuerit potius pecuniam solvere, quam homines reperire: que capse tres diversas habeant claves, ita ut una illarum deficiente aperiri nullatenus possint, quarum unam teneat ordinarius loci vel eius vicarius, alteram rector et tertiam ipse predicator.

Item similiter teneantur arma, pannos et res alias, que pia largitione fidelium offerentur, secure et diligenter custodire.

De processionibus, litaniis et orationibus faciendis.

Item publice in predicationibus suis auctoritate predicta, et pro parte Reverendissimi domini Legati nuncient et mandent sub censuris ecclesiasticis, quatenus exnunc inantea in omnibus et singulis metropolitanis, cathedralibus, collegiatis et parrochialibus ecclesiis atque conventibus per totam dictam dominicam constitutis qualibet septimana, videlicet in quarta feria cantetur missa pro dicti negotii fine felici et pro victoria adipiscenda: sic tamen quod antea quam missa huiusmodi inchoetur, dicantur septem psalmi penitentiales cum letania genibus flexis distincte, humiliter et devote, et cum in letaniis perventum fuerit ad illum versiculum, ut cuncto populo christiano, dicatur tribus vicibus hoc modo: Ut cuncto populo christiano pacem et unitatem, atque adversus paganorum feritatem victoriam largiri digneris, te rogamus audi nos; quibus finitis conclusio fiat cum his tribus collectis, videlicet: Ineffabilem misericordiam tuam, domine, nobis clemenler ostende, ut simul nos et a peccatis omnibus exuas et a penis, quas pro his meremur, eripias. Adesto, domine, supplicationibus nostris et viam famulorum tuorum in salutis tue prosperitate dispone, ut inter omnes vie et vite hnius varietates tuo semper protegantur auxilio. Omnipotens et misericors deus, qui subvenis in periculis et necessitatibus laborantibus, maiestatem tuam suppliciter exoramus, ut mittere digneris sanctum angelum tuum, quo famulos tuos in angustiis et necessitatibus consolationibus attollas, quibus et de presenti consequamur auxilium et eterna remedia comprehendant. Per Christum dominum nostrum, Amen.

Intra missam vero dicatur collecta: Omnipotens sempiterne deus, in cuius mann etc. Finita missa statim dicatur presens: Sepe expugnaverunt me a iuventute etc. cum gloria patri etc. et kirieleison, pater noster; quo finito dicatur: Dominus det nobis suam pacem, Salve Regina, ỹ In omni tribulatione et angustia nostra, ℟ Succurrere nobis piissima Virgo Maria. Oremus. Ecclesie tue, quesumus, domine, preces placatus admitte etc.

De confessoribus et absolutionibus.

Item quod predicatores prefati possint audire confessiones crucesignatorum confiteri volentium, et confessionibus eorum diligenter auditis, pro peccatis eorum et excessibus, nisi ita gravia fuerint, propter que sit sedes apostolica consulenda, et ipsis sic confessis absolutionis beneficium impendere ac penitentiam iniungere salutarem: nichil tamen a confitentibus ipsis, nisi quod illi pro cruciata dederint, accipere valeant sub excommunicationis et suspensionis penis, quas contrafacientes ipso facto incurrant.

Item similiter absolvere possint eos, qui unum vel plures miserint, vel pecunias pro mittendis contribuerint.

Item si qui emiserint vota sedi apostolice non reservata extra urbem Venetiarum vel in urbe ubicumque, ea commutare possint, sic quod votis ipsis astricti in propriis personis, si robur corporis et facultates assistant, debeant cum exercitu predicta contra Turchos transire, aut expensas, quas recta extimatione eundo, stando et redeundo verisimiliter fecissent, seu factum esset pro alio vel pro aliis transeunte vel transeuntibus, ad ipsum iuxta suam facultatem impendant.

Item quod idem circa mulieres dictis votis forsitan astrictas, dum tamen iuxta suas facultates et discretionem predicatorum ipsorum per se tantum, vel una cum alia seu aliis vel plures bellatorem vel bellatores ad premissum exercitum et contra dictos Turchos destinaverint, facere possint et valeant.

Item similiter possint et valeant iidem predicatores procedere adversus omnes concubinarios, sacrilegos et malefactores, eos in pena pecuniaria in dictum usum convertenda condemnare, ac etiam cum eis sic condemnatis componere.

Item ne forte predicationis officium impediri possit ad audiendum confessiones, alios sacerdotes, quos probos et idoneos putaverint, eligere et deputare possint, qui eadem auctoritate absolvant.

Item omnes et singulos, qui habuerint casus sedi apostolice reservatos, remittant ad nos, qui iuxta eundem modum saluti animarum suarum consulemus.

Item si qui vota etiam sedi apostolice reservata emiserint, similiter ad nos remittantur, et facta debita satisfactione commutabimus.

Item possint et valeant iidem predicatores extra urbem Venetiarum ubilibet in dicto dominio, preterquam in locis propinquis ad 03.(sic) miliaria residentie Rñi D. Legati, cum usurariis componere, et contra eos, qui componere nolnerint, auctoritate apostolica procedere, pecuniasque in eundem usum convertere. Qui vero propinqui erunt ad 03. miliaria ad Rñum D. Legatum remittantur.

Item relicta ad pios usus in locis predictis por 03. miliaria a residentia Rñi D. Legati distantibus possint in pium hoc opus convertere, reliquos ad prefatum D. Legatum remittere.

Item cum his, qui aliquam irregularitatem minorum miscendo se divinis contraxerint, sub eadem forma in favorem cruciate valeant dispensare auctoritate apostolica.

Item omnibus et quibuscumque clericis et beneficiatis, curatis et non curatis, volentibus suscipere crucem et ire personaliter cum effectu, possint eadem auctoritate prestare licentiam percipiendi fructus suos in absontia, proviso tamen ne ecclesie propterea debitis fraudentur obsequiis, sed per alium divinus cultus et cura debita in eis servetur.

De modo absolvendi.

Item modus absolvendi dictos confitentes sit iste: Dominus noster Ihesus Christus pro salute generis humani crucifixus dignetur te absolvere, et ego auctoritate eiusdem domini nostri Ihesu Christi, beatorum Petri et Pauli Apostolorum et sanctissimi in Christo patris et domini nostri Pii divina providentia pape II., in hac parte michi concessa, absolvo te ab omnibus et singulis excommunicationis maioris vel minoris, suspensionis et interdicti sententiis atque penis, in quibus ligatus es, si necesse fuerit, in nomine patris et filii et spiritus sancti, Amen. Eadem auctoritate absolvo te ab omnibus et singulis peccatis tuis, de quibus michi confessus es et libenter velles confiteri, si memorie tue occurrerent, et restituo te communioni fidelium et sancte matris ecclesie sacramentis in nomine patris et filii et spiritus sancti, Amen. Item qui signum sancte crucis pro expugnatione Turchorum ad divini nominis gloriam et honorem, ecclesie sue sancte reverentiam, orthodoxe catholice fidei defensionem ac Christifidelium pacem et salutem procurandam humiliter et devote suscipisti, dum tamen in exercitu Christifidelium contra ipsos Turchos congregando personaliter et propriis expensis vel aliter interfueris, et ad huiusmodi expeditionem cum aliis processeris, ut eidem exercitui interesses cum intentione contra dictos Turchos procedendi, et iter sine fraude arripueris, et forte dei nutu in itinere constitutus carnis debitum persolveris, auctoritate predicta plenam peccatorum tuorum, de quibus corde contritus et ore confessus es, veniam et indulgentiam impartior, ac in retributione iustorum salutis eterne polliceor augmentum, in nomine patris et filii et spiritus sancti, Amen.

Item pro illis, qui non vadunt in propriis personis.

Item tibi, qui pro expugnatione Turchorum ad divini nominis gloriam et ecclesie sacrosancte reverentiam, orthodoxe et catholice fidei defensionem ac fidelium salutem et pacem procurandam bellatorem vel bellatores tuis expensis destinasti, auctoritate predicta plenam peccatorum tuorum, de quibus corde contritus et ore confessus es, veniam et indulgentiam impartior, ac in retributione iustorum salutis eterne polliceor vel augmentum, in nomine patris et filii et spiritus sancti, Amen.

Item volumus, quod iidem predicatores publicent et denuntient omnium et quorumcumque sacerdotum, religiosorum et secularium, quibus a sede apostolica quomodolibet indultum sit, ut in casibus sedi apostolico reservatis unum vel plures possint absolvere, ac cum eis quomodolibet dispensare, auctoritatem talem durante huiusmodi cruciata esse suspensam.

De his, qui sunt incapaces indulgentiarum et absolvi non possunt.

Item predicent et denuntient, quod persone infrascripte omnino dictarum indulgentiarum incapaces sunt, ot tamquam excommunicati et anathematizati absolvi non possunt, videlicet omnes persone, que aliquam a sede apostolica approbatam regulam expresse vel tacite professe sunt, et extra illam vivunt in apostasia manentes: ille enim, quamdiu in obstinatione permanserint, incapaces sunt gratie dei. Item omnes fraudantes decimam pro hoc sancto negotio impositam, et eam integre non persolveates. Similiter ctiam solvere recusantes, cuiuscumque sexus, conditionis, honoris et preeminentie fuerint. Item omnes, qui arma aut aliquid genus machine ad Turchos vel eorum complices portaverint. Item omnes, qui crucesignatos quoqnomodo impedire vel molestare presumpserint, aut eis vi vel persuasionibus a tam sancto proposito revocaverunt. Item omnos simoniati, cum sint odibiles deo. Item omnes apostolice sedi et summo pontifici inobedientes. Item omnes violatores ecclesiarum. Item omnes usurarii non restituentes vel componentes. Item omnes, qui incendia in christianos commiserint. Item occupatores et detemptores alienorum bonorum. Item omnes et quicumque publice peccatores et peccatrices, quamdiu in publicis peccatis permanserint, sint huiusmodi gratie incapaces.

Item predicent ac denuntient predicatores, quod quicumque ex supradictis incapacibus se reducere, et vitam ad meliorem frugem mutare voluerint, et ad prediotam sanctam expeditionem opere prestiterint, Rñus D. Legatus benigne eos habebit in domino commendatos.

Postremo iidem predicatores omnes cum caritate admoneant, ut recedant a via mala et servent deo promissa, et dimittant non sua, et restituant tam damna quam altera, quantum eorum facultas se extendat. Si publica peccata dimittant animo ad ea non redeundi, et sic tandem orationibus deum placent, ut miseratur populi sui, et pro viribus quisque suis ad hanc sanctam expeditionem conferant, caventes, ne ipsis ut fatuis virginibus post clausam portam tante gratie dici contingat per Christum salvatorem nostrum: Amen, dico vobis, nescio vos; quo nichil eis horribilius accidere posset.

Ut attamen predicatores ipsi quousque in predicationibus huiusmodi occupati fuerint, et tam in eundo quam in redeundo necessarium victum habere possint et valeant, statuit idem Rñus D. Legatus, ut quilibet ex predicatoribus predictis possint ex elemosinis sive ex pecuniis, que ex huiusmodi predicationibus pro cruciata colligentur, accipere singulis mensibus ducatorum quinque et non plus pro suo et socii sui victu necessario, et tam in stando quam in eundo et redeundo. Datum Venetiis die primo mensis Septembris 1463.

Forma litterarum dandarum crucesignatis euntibus vel mittentibus.

Nicolaus Iadrentinus Episcopus Damnensis humilis predicator a sede apostolica deputatus, Dilecto in Christo nobili viro Antonio etc. Salutem in eo, qui pro salute nostra voluit crucifigi. Quoniam tu zelo fidei et devotionis accensus, signo vivifice crucis assumpto, in subsidium christiane fidei adversus Turchos propriis sumptibus decreveris proficisci: Idcirco auctoritate sedis apostolice, qua specialiter fungor in hac parte, te ac familiam et bona tua sub eiusdem sedis per totum id tempus, quo in itinere vel expeditione contra Turchos fueris, protectione suscipiens, tibi id quod offers adimplenti plenariam omnium peccatorum tuorum remissionem et indulgentiam, qualis in anno iubileo limina sanctorum Apostolorum de Urbe vel terram sanctam visitantibus dari consuevit, tenore presentium eadem auctoritate concedo. In quorum fide etc.

Pro his, qui non sumunt crucem et vadunt.

Cum tu zelo fidei et devotionis accensus in subsidium christiane fidei adversus Turchos etc.

Pro his, qui non vadunt, sed mittunt

Cum tu zelo fidei et devotionis accensus in subsidium christiane fidei adversus Turchos unum bellatorem vel duos, aut plures propriis sumptibus mittere decreveris: Idcirco auctoritate sedis apostolice, qua specialiter fungor in hac parte, te ac familias et bona tam tua quam illorum sub eiusdem sedis per totum id tempus, quo in itinere vel expeditione contra Turchos fuerint, protectione suscipiens, tibi id quod offers adimplenti, ac illi sic eunti vel illis euntibus etc. plenariam etc.

DCLIX.

Simon archiepiscopus Antibarensis constituitur procurator ecclesiae Segniensis. Reg. Aa. VI. Tom. 26. fol. 164.

Pius episcopus etc. Venerabili fratri Simoni Archiepiscopo Antibarensi, salutem etc. Romani pontificis circumspecta prudentia cunctis presertim Cathedralibus ecclesiis, que vacationis incommoda deplorare noscuntur, ut gubernatorum utilium presidio fulciantur, prospicit diligenter. Dudum siquidem Venerabilem fratrem nostrum Marchum tunc Segniensem, nunc vero Tiniensem Episcopum, pro eo quod ad ipsam ecclesiam Segniensem nec tnte acoedere, nec inibi secure absque manifesto periculo persone sue morari poterit, a vinculo, quo Segniensi ecclesie tenebatur, de fratrum nostrorum consilio et apostolice potestatis plenitudine absolventes, ipsum ad eandem ecclesiam Tiniensem tunc certo modo vacantem transtulimus, preficiendo ipsum Marcum eidem ecclesie Tiniensi in Episcopum et pastorem, curam, regimen et administrationem ipsius ecclesie Tiniensis sibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo. Cum itaque propterea ecclesia Segniensis predicta ad presens pastoris solatio destituta existat, ac illi ex certis causis rationabilibus de aliquins persona providere differendum duxerimus: nos, ne interim dicta ecclesia Segniensis in spiritualibus et temporalibus detrimenta sustineat, providere cupientes, de tue circumspectionis industria plurimum in domino confidentes, de eorumdem fratrum nostrorum consilio dicta auctoritate te, dicta vacatione durante, usque ad apostolice sedis

beneplacitum eidem ecclesie Segniensi in procuratorem concedimus, constituimus et etiam deputamus, tibi plenam et liberam ipsius ecclesie administrationem tam in spiritualibus quam temporalibus committentes, volentes dicta auctoritate et de eorum fratrum assensu decernentes, quod tu tandem ecclesiam Segniensem durante procuratione huiusmodi in spiritualibus et temporalibus nomine et vice nostri regere, et gubernare ac administrare, et omnia alia et singula facere et exercere libere et licite valeas, que Episcopi Segnienses pro tempore facere et exorcere potuerunt: fructus vero, redditus et proventus dicte ecclesie Segniensis, debitis supportatis oneribus, residuos in eos usus converti volumus, pront per alias nostras litteras tibi duxerimus ordinandum, nichilominus dilectis filiis Capitulo dicte ecclesie Signiensis, ac Clero et populo civitatis et diocesis Segniensis, nec non universis ipsius ecclesie subditis per apostolica scripta mandantes, quatenus te ad huiusmodi procurationis officium grato admittentes honore obedientiam et roverentiam fidelitatemque, ac iura et servitia ipsi ecclesie Segniensi ab eis debita tibi ratione procurationis huiusmodi integro exhiberi studeant, aliquin sententias sive penas, quas rite tuleris in rebelles, ratas habebimus, et faciemus, auctore domino, usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Quocirca fraternitati tue por eadom scripta mandamus, qnatenus onus procuartionis ecclesie Segniensis huiusmodi prompta devotione suscipiens, in eo sic te exercere studeas solicite, fideliter et prudenter, quod ecclesia Siguiensis durante procuratione huiusmodi gubernatori provido gaudeat se commissam, tuque preter eterne retributionis premium nostrum et dicte sedis benovolentiam et gratias uberius consequi merearis. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno etc. Millesimo quadringentesimo sexagesimo tertio, VI. Idus Octobris, Pontificatus nostri Anno Sexto.

DCLX.

Pius PP. II. universis Christi fidelibus se ipsum in expeditionem contra Turchos proximo profecturum annuntiat, excitando omnes, ut huic sacro bello presto sint etc. Ex originali.

PIUS EPISCOPUS SERVUS SERVORUM DEI. Universis ot singulis Christi fidelibus, Salutem et apostolicam benedictionem. Ezechielis prophete magni sententia est: Venientem gladium nisi annuntiaverit speculator animarum, que perierint, sanguinem do manu eius requirendum fore. Quod veriti sancte memorie predecessores nostri Nicolaus V. et Calistus III. ab eo tempore, qno Turchorum effronata rabies Constantinopolim expugnavit, venturum ad interiora Christianitatis hostilem gladium clamare non cessarunt, commonuere Christianos Principes ac populos, quanto in periculo esset nostra religio, nisi occurreretur hostibus priusquam amplius invalescerent: suasere, ut arma sumeront, defensionem catholice fidei subirent, furentibus bestiis obviam irent, nec sinerent immanem draconem Maumethom fideles devorare animas: videbant forocem illius animum, occupata Constantinopoli, minime quieturum, cuius inexplebilis osset dominandi cupiditas, nec dubium, quin orientali subacto imperio, ad occidentale aspirarct. Annuntiata est in tempore futura calamitas, sed non est credita. Non fuerunt audite sanctorum pastorum voces, utiles admonitiones surda pertransivit aure Christianus populus. Hungari tantum snb Calisto vigilantes arma sumpserunt, qui de tuendo Regno soliciti, dum suos fines observant, custodiunt nostros. Ex ipsis Hungaris ac Theutonibus et aliis vicinis non pauci, quamvis magna ex parte pauperes, et secundum soculum ignobiles, incliti vero in conspectu dei crucem domini assumpserunt, et magno in hostes spiritu porrexerunt. Quorum potissimo ausibus apud Albam Grecam, quam nostri Bolgradum vocant, Turcorum ingentes copie profligate sunt, et Maumethes ille terribilis ac ferox turpem arripuit fugam. Nationes alie tanquam nichil ad eos Turcorum facta pertinerent, in suis sedibus quiete manserunt. Nos deinde, sicut domino placuit, quamvis indigni tanto munere Calisto successimus, qui mox in apostolatus initio Mantuanum conventum indiximus, in quo de communi utilitate communibus Christianorum consiliis ageremus. Venit in mentem, quod per Ysayam scribitur: Super montem excelsum ascende tu, qui evangelizas Sion, exalta in fortitudine vocem tuam, qui evangelizas Ierusalem, exalta, noli timere. Dictum id nobis putavimus, satisfecimus nt putamus precepto, affuimus in tempore prefinito, non sine sumptu ot labore gravi ostendimus fidelibus Christianis vulnera sua, et que passi fnerant, et que passuri videbantur, nisi se ipsos adversus Turcos defenderent, clamavimus quasi tuba, exaltavimus vocem nostram. Audivit omnis occlesia, sed non oxaudivit verba nostra. Non fuit plus ponderis nostris qnam predecessorum nostrorum vocibus: frustra conati sumus, incassum abiere labores, Interea quantum creverint Turcorum vires, difficile dictu est, auditu miserum, a mari Pontico usque ad amnem Savum, et ab Egeo pelago usque ad Dannubium nobilissimas intoriacentes provincias sue possessionis fecere. Transiverunt ot ipsum Dannubium, Valachieque magnam partem occupaverunt, pene-

traverunt et Savum, atque agros Hungarie longe lateque vastaverunt. Hoc anno Bosnam invaserunt universumque Regnum sibi subiecerunt, et Insulam Lesbon. Quanta vero crudelitate in subactis urbibus ac provinciis usi sint, horret animus dicere. In Constantinopoli Grecorum Imperator obtruncatus est, et caput eius hasta suffixum per castra delatum, Rascianis Principibus eruti sunt oculi, in Lesbo multitudo puberum palo transfixa, in Bosna Regem, qui salutem pactus sese dederat, cum patruo suo Maumethes ipse humano sanguine insatiabilis sua manu, ut fertur, iugulavit. Quis nobiles viros, quis sacerdotes commemoraverit ad cedem raptos, senes ac iuvenes in plateis immanissime trucidatos, ubique cruor cesorum visus, ubique morientium gemitus auditus? Nulla reverentia matronarum, nulla virginum, fedum relatu est, quantum hoc genus hominum in libidinem sit immersum, cui omnes abominationes hominum pseudopropheta, quem venerantur, indulsit. Quid de sacrosanctis ecclesiis dixerimus? Templum illud sancte Sophie, Iustiniani opus toto orbe memorabile, Maumethcis spurcitiis reservatum est, reliqua sacraria aut diruta sunt aut poluta. Altaria disiecta atque protrita: imagines sanctorum delete aut luto fedate. Nulla salvatoris Christi, aut gloriosissime matris eius statua sine singulari probro dimissa: simulacrum Crucifixi per derisionem in castra delatum saxis et luto petitum, et tandem in ceno relictum. O domine deus! Venerunt gentes in hereditatem tuam, polluerunt templum sanctum tuum, posuerunt morticinia servorum tuorum escas volatilibus celi, carnes sanctorum tuorum bestiis terre, effuderunt sanguinem eorum, et non erat qui sepelliret. Quamvis non potest ledi tua maiestas, neque tua gloria minui, decet tamen servos tuos, decet nos miseros Christianos, que tuam veluti in contumeliam fiunt, totis conatibus avertere, atque ulcisci. Non tulit Phinces adulterantem Zambri, sed zelo incensus domini Madianite scortum et illum interficit. Vidit Mathathias sacrificantem ydolis Hebreum et doluit, et contremuerunt renes eius, et accensus est furor eius secundum iudicium legis, et insilicns trucidavit eum super aram. Sed quantus est zelus noster, que cura religionis? Blasfematur sancta Trinitas, conculcatur evangelium, sacra nostra prorsus abiiciuntur, christianum nomen funditus eradicatur, et subticemus: nemo est, qui pro communi salute assurgat. Stat mater ecclesia dolens et gemens, et non est qui consoletur eam. Et quid dici de nobis potest infelicibus Christianis, nisi propheticum illud: Facti sumus opprobrium vicinis nostris, suhsanatio et illusio his, qui in circuitu nostro sunt. Maiores nostri Ierosolimam perdidere, et omnem Asiam ac Libiam, nostro tempore Grecia est amissa, et Europe maxima pars in angulum orbis Christianitas redacta est: dei et domini nostri Ybesu Christi sepulcrum, nisi Sarraceni velint, videre non possumus. Questus causa nohis illud ostendunt. Patriarchales sedes veneratu dignissime Constantinopolitana, Anthiocensis, Alexandrina et Ierosolimitana iugo servitutis oppresse, aut a Sarracenis occupantur, aut a Turchis non sine dedecore atque ignominia Christiani nominis Romanam ecclesiam, matrem omnium fidelium ac magistram, quam beati Apostoli Petrus et Paulus sno martirio dedicarunt, nunc nohis eripere Maumethes interminatur, et faciet, nisi tandem excitamur a somno et conatus cius studemus elidere. Vhe nohis Christianis Principibus! vhe nobis, ut quid nati sumus videre contritionem populi nostri, et contritionem sacre religionis, videmus fratres nostros in manus inimicorum rapi, ct diversis excarnificari suppliciis, et non movemur! Videmus in dies Christianorum provincias ab infidelibus inundi, et non angimur: sed in domo quiescimus. Quot iam Regna ab evangclio sunt aliena, qne gens non iam hereditavit terram domini, et non ohtinuit spolia cius, sive Orientem respicimus, sive Meridiem, sive in Arton: vertimus oculos, omnis ecclesie compositio ahlata est, ancillam videmus, que fuit libera et domina gentium. Ecce sancta nostra et pulcritudo nostra, et claritas nostra magna ex parte desolata, coinquinaverunt eam Turchi et Sarraceni, et alie fedissime gentes. Quid nobis adhuc vivere, nisi cogitamus de tanta infamia surgere, ac pristinum recuperare decorem? Commovemur vehementer, dum talia mente volvimus, angimur, cruciamur, nec animo possumus esse quieto, nisi Principes Christianos pro tutela sacre religionis adversus impios Turchos arma sumere videamus. Pastoralis officii nostri est, quis nescit dominici gregis curam gerere, qui eius loco snccessimus, cui dictum est a domino: Pasce oves meas, oves Christi, fideles populi sunt. Hiis consulere nos oportet, has protegere, et totis conservare conatihus, ne luporum aut aliarum hestiarum morsibus pateant: sed qnid agat infelix pastor, ubi luporum innumerabiles turme gregem invadunt, iussique canes insurgere latrare ac defendere caulas obaudiunt ac diffugiunt! Hec impresentiarum conditio nostra est. Turchi tanquam lupi ct immanes bestie ovile dominicum, idest Christianam plebem, lacerare conantur et laceraut. Vocamus in auxilinm Principes tanquam custodes Christiane plebis, aures claudunt, nolunt audire vocem pastoris. Post sua quisque desideria pergit: quid agemus soli, ne lupos hoc est Turchos aggrediemur? Non sunt vires nostre, que tantam

vim forre queant: nimium crevit Turcorum potentia, non potest eorum imperium deleri, nisi Christianorum magno conatu, magnisque classibus et exercitibus. Non habet apostolica sedes, unde ista conqnirat, nisi Christiani Reges Christianique populi opem afferant: at hoc eis hactenus suadere non potuimus. Conventum fecimus, Legatos misimus, omnia temptavimus, que visa sunt ad excitandos animos pro tempore necessaria. Non profecimus: quomodo nunc profeciemus? Quid ergo? negligemusne fidei defensionem? minime quidem. Pastor bonus, inquit in evangelio veritas, animam suam dat pro ovibus suis: mercenarius autem, et qui non est pastor, cuius non sunt oves proprie, videt lupum venientem, et dimittit oves ot fugit, et lupus rapit et dispergit oves. Admonemur hiis verbis, quidnam agere debeamus? Extrema omnia tentanda sunt pro salute dominici gregis. In gravioribus morbis graviora adhibent remedia medici, idem et nos facere convenit: non decet pastorem suas oves relinquere, occurrere lupis oportet, etiam si sit anima pro grege ponenda, pastor bonus imitandus est dominus noster Yhesus, et optimi preceptoris vestigiis inhercndum, qui verbo quod docuit, opere adimplevit: alios hactenus exhortati sumus defensionem fidei suscipere, atque in bellum ire, missuri Legatos, et alia facturi que nostre facultates sufferre possent: mansuri pro necessitatibus ecclesie apnd septa ovium, que restant nondum expugnata. Nunc maiora promittemus, et quando aliter excitare Christianorum torpentia corda non valemus, nos ipsos periculis obiectabimns, nostrumque caput offerremus adversus Turcos in bellum, et quantum nobis ecclesia Romana et patrimonium beati Petri ministrare poterit, tantum pro fide Catholica protegenda exponemus, et profundemus in hoc itinere. Nec soli proficiscemur in hostes, clarissimo genere natus, et amabilis deo Princeps Philippns Burgundie Dux in hanc expeditionem venturum se offert, non sine delecta militum manu et exercito valido. Potentis et clari Venetorum Ducis Christophori Mauro ingens et formidanda classis superioribus mensibus in Greciam navigavit, totamqne fere Peloponnessum vi atque armis hosti eripnit, Isthmumque peninsule, qui sex millibus passuum inter duo maria patet, paucis, ut aiunt, diebus excitatis muris ac turribus clausit, memorabile factum, et inter preclara veterum opera numerandum: hec eadem classis, ut promissum est, nobis non deerit. Spondent quoque coteri Italie potentatus pro sua religione et in commune bonum affectione precipua tam sancto digno opere auxilia, favente nobis altissimo, maritimum bellum feliciter assolvemus, quoniam non sunt Turchi pares in pelago Venetis. Ex altera parte in terra pugnabunt Hungari, genus hominnm in bello ferox, et qui iam Turchos vincere didicerunt. Inclitus Rex gentis Mathias iam coronam et pacem in Regno consecutus ingentes poterit armare, atque in prelium ducere copias. Hec nobis certissima sunt belli presidia: cum hiis ibimus, cum hiis dei prelium certabimus. Erunt et Albani nobiscum et multi per Greciam, nt speramus, et alias hosti subiectas provincias a Turchis deficientes castra nostra sequentur: Christiani enim sunt, oderuntque Manmethem, hosti parent coacti metu, qui non est diuturnus magister officii, ut primum spes libertatis affuerit, adversus insolentes dominos cornua erigent. Nec deerunt in Asia motus, ut sunt in omni gente atque in omni provincia malo pacati homines et novitatum cupidi, qui tempus expectant. Non erit facile Turchis tot locis occurrere, difficile defenditur, qnod a multis oppugnatur. Quod si quis innumerabiles hostium copias esse dixerit, nec putaverit in castris fidelibus parem nnmerum cogi posse. Respondemus multum inter sese distare homines, et alios natura imbelles esse, alios feroces: virtus spectanda est magis, quam numerus. Non est in multitudine exercitus victoria belli, de celo fortitudo conceditur, tam facile deo nostro est in paucis vincere quam in multis, nostra causa dei est, pro lege dei pugnabimus: ipse dominus conteret hostes ante faciem nostram. Audivimus sussurrare aliquos, non desunt, qui murmurantes aiunt: Quid aget in bello senex, egrotus sacerdos, non est bellare suum: nec debes, nec potes ferire gladio, qui loco eius suffectus es, cui precepit dominus, ut gladium in vaginam mitteret: Reges tuo iussu tenentur enses exercere, tuum est iusta bella gerentibus benedicere. Fatemur, non convenit nobis effundere sanguinem, quando per alios possumus iustitie fideique necessitati subvenire: quod si religio in periculo est, et absque nostro non potest ferro defendi, non est nobis vetitum, quod Samueli et Elie inventur fuisse permissum. Sed non est hoc propositum nostrum, nt gladio pugnemus in bello: nam quo pacto strinxerimus ensem, vix mannm ad benedicendum populum possumus elevare? Oratione pugnabimus, non ferro, precibus adiuvabimus preliantes, non brachiis. Erimus in alta puppi, aut in aliquo monte propinquo, dum preliabitur, et nostris benedicemus, hostibus vero maledicemus, quemadmodum in Moise legitur in bello Amalechitarum, qno orante vincebat Ysrael, cessante orare succumbebat. Orabimus et nos sine intermissione pro bellatoribus nostris, hoc prestare poterimus, hoc sedulo facicmus: cor contritum et humiliatum non despiciet dominus. Possemus et hoc ipsum domi manentes facere, nec minus valerent preces: sed non est sola orationis causa,

que propriam sedem relinquere cogit, et in bellum trahit, ut alios excitemus, pergimus, exemplo nostro invitare quamplurimos studemus. Sequentur et nos Venerabiles fratres nostri sancte Romane ecclesie Cardinales, quemadmodum ad hoc ipsum, qui validi sunt, sponte se obtulerunt: sequentur et Episcopi complures, et alii minoris ordinis sacerdotes ac clerici, non oraturi tantum, verum etiam pugnaturi, cum res postulaverit. Expertas bellorum quoque et robustissimas militum cohortes, et fortis pectora iuvenum ex agris ecclesie ducemus ad prelium, qui, nobis oratione pugnantibus, ferro pugnent. Ibimus extenso crucis dominice vexillo, sacratissimi Christi corpus precedet, et sanctarum reliquiarum arcula: Salvatorem in bella vadentem sequemur, ipsi coherebimus, ipsi preces assiduas porrigemus, ab ipso salutem implorabimus. Miserebitur nostri, ut arbitramur, piissimus Yhesus, nec populum suum in hostium manus venire permittet: cuius pretiosissimus sanguis in ara crucis effusus a maligno nos hoste liberavit. Et quis erit Christianorum tam feri, tam lapidei, tam ferrei pectoris, qui audiens Romanum pontificem beati Petri successorem, domini nostri Yhesu Christi Vicarium, eterne vite clavigerum, patrem ac magistrum universorum fidelium, cum sacro senatu Cardinalium clerique multitudine bellum pro tuenda Religione proficiscentem libens domi remaneat: et que poterit excusatio quemquam iuvare, senex, debilis, egrotus in expeditionem pergit, et tu iuvenis sano ac robusto corpore domi delitesces? Summus Sacerdos, Caroinales, Episcopi prelium petunt, et tu Miles, tu Baro, tu Comes, tu Marchio, tu Dux, tu, Rex, tu Imperator in edibus propriis otiaberis? Siccine perverti hominum officia patiere, ut que sunt Regum sacerdotes agant, et que nobilitati conveniunt, subire clerum oporteat? Necessitas nos ire urget, quia non possumus alio pacto pro divine legis defensione Christianorum animos commovere. Utinam et hoc modo commoveamus!

Non pergimus in bellum, tanquam nostri sit officii, sed quoniam aliter consulere fidei non valemus. Nescimus an hoc sufficiens remedium erit. Mandavit dñus beato Petro, ut titubantes fratres sua conversione firmaret, dicens: Ego rogavi pro te, Petre, ut non deficiat fides tua, et tu aliquando conversus confirma fratres tuos. Quod Petro dictum est, et nobis dictum intelligimus: confirmare fratres, qui titubant, debemus. Confirmabimus nos fratres et filios, ut speramus, hac profectione nostra, et ita non prevalebunt porte inferi adversus ecclesiam dei nobis commissam. An denegabitis nobis auxilia vestra, et caput vestrum, patrem ac magistrum in hostes proficiscentem fideles Christiani relinquetis? En quanta gloria vobis erit crucem domini cum sacratissimo corpore Yhesu, ipsumque Romanum presulem sine vestris presidiis in hostem pergere? Noscite Reges et Principes officium vestrum: idcirco gladium geritis, ut ecclesiam fidemque tueamini, atque ut malos et iniquos homines debita pena coerceatis. Et quoniam homines peiores quam Turchi reperinntur, qui fidem sancte Trinitatis abiicientes, et salvatorem Christum verum deum esse negantes, abominabilem complexi legem Maumethis in omnia scelera prolabuntur, et iam maximam orbis partem suis nefandissimis abusibus fedaverunt, et legem conantur evangelicam dissipare: adversus hos gladium dedit vobis divina maicstas, in hos illum exercere debetis ac divinam ulcisci contumeliam. An non pudet tandiu tam fedam gentem tam turpiter in Christianos esse crassatam? An bellum non satis iustum, non satis nccessarium esse putatis advcrsus nationes, qne convenerunt disperdere nos, et sancta nostra? Accingimini iam tandem: et quoniam sine nobis ire non voluistis, ite nobiscum, sumite arma et scutum, et venite in auxilium vestrum et universe reipublice christiane. Exemplum de Philippo recipite, quem nec domestice delitie, quibus provincie sue plurimum habundant, nec suorum preces, nec itineris longitudo aut difficultas, nec senectus ipsa ex proposito suscipiendi contra Turcos belli usque in hanc diem deiicere potuerunt, neque favente domino in futurum deiicient. Imitamini hunc nobilissimum Principem. Mementote professionis vestre, quam in baptismate subiistis. Cogitate quantum deo teneamini et quantum proximo: reddite vicem pro susceptis beneficiis. Estote grati altissimo, qui vos creavit ex nichilo, nec animalia bruta, aut lapides, sed homines rationales esse voluit. Et cum primi parentis culpa damnati essetis ac mancipia facti demonum, misit filium suum in similitudinem carnis peccati, qui morte sua mortem vestram deleret. Stupenda et inextimabilis caritas, ut servum redimeret, filio non pepercit: dñus Yhesus in cruce pro nobis inter latrones pependit, innocens agnus cum sceleratis deputatus est: speciosus forma pre filiis hominum everberatus, laceratus ab impiis, deformis apparuit, a planta pedis usque ad verticem non erat in eo sanitas, neque species neque decor: sic placitum patri, qui propter peccata nostra tradidit illum, propitiatorem eum proposuit, eum per fidem in sanguine suo iniquitates nostras ipse portavit, et livore eius sanati sumus, qui cum inimici essemus reconciliati sumus deo per mortem filii eius. O crudelis Christiane! o ingrate! o mentis inops! potesnc ista audire et non animo commoveri, et non cupere pro

illo mori, qui pro te mortuus est, de honore illius agitur, qui te de diabolica servitute pretiosissimo sanguine suo redemit, de Christi nomine disceptatur, de fide Catholica, de Baptismo, de ceteris ecclesie sacramentis, de sacrosancto Evangelio? Adversus hec omnia Turchi militant, et evertere et prorsus delere conantur, et tu nichil contra moliris? Quis iners agis? Redde te gratum deo et cogita quonam pacto creatori redemptorique tuo aliqua ex parte satisfacias: et quoniam peccator es, redime tuas iniquitates hac tam sancta et salutifera profectione. An divitias bonitatis dñi et patientie et longanimitatis eius contempnis? An ignoras quoniam bonitas dei ad penitentiam te adducit? Cave ne secundum duritiem tuam et impenitens cor iram tibi thesaurizies in die ire et relevationis iusti iudicii dei, qui reddet unicuique secundum opera eius. Convertere et agito penitentiam ab omnibus iniquitatibus tuis, et non erit tibi ruina: propterea expectet dñus, ut misereatur tui: proiice prevaricationes antiquas et fac tibi cor novum et spiritum novum, et veni, milita pro dño, ne morte moriaris eterna. Cogita de proximis tuis et fratribus Christianis, qui vel sunt in captivitate Turcorum dura servitute oppressi, vel captivari in dies atque in servitutem rapi verentur. Si homo es, humanitas te trahere debet, ut opem feras homini indigna ferenti: si Christianus, pietas evangelica, qua inbemur proximos tanquam nos ipsos diligere. Considera proximorum tuorum Christifidelium erumpnas, in quos Turchi deseviunt, filii a complexu parentum et infantes ab uberibus matrum eripiuntur: violantur uxores in conspectu virorum, senes tamquam inutiles occiduntur, iuvenes tamquam boves aratro iunguntur et terram vomere vertunt. Miserere fratrum tuorum, affer opem tam dura ferentibus.

Quod si nichil horum te trahit, at saltem de tua salute cogita: nec te tutum idcirco existimes, quia mansionem fortasse procul a Turchis sortitus es: nemo tam remotus est, quin reperiri queat: si vicinum dimiseris in periculo, qui ante te proximus est igni, dimitteris et ipse similiter a vicino, qui retro te habitat. Tales nos esse oportet in alios, quales erga nos illos cupimus invenire. Nolite auxilia Gallorum sperare Theutones, nisi et vos Hungaris, nec vos Galli Ispanorum, nisi Theutonibus opem fertis: qua mensura metieritis, eadem remetietur et vobis, nec propterea sibi quispiam blandiatur, quoniam principatu polleat aut Regno. Constantinopolitanus Imperator et Trapezuntius et Rex Bosne et Rascie etiam dñi, et alii quamplures Principes capti et crudeliter occisi, quid sit expectandum edocent. Nichil tam contrarium Maumethi quam nomen Regium Orientis adeptus Imperium ad occidentale festinat novam eligere monarchiam, canatur uni Turchorum imperio, et uni Maumethe legi cuncta submittere studet. Si potestis talia ferre, Principes ac populi Christani, manete domi, nec iam de subvertenda formidabili Turchorum potentia cogitate: at si servile iugum horretis, si contumeliam dei et proximi tollerare nequitis, si pudet semiviros Asiaticos Grecorum gentem, quod nunquam antea fecerunt, subegisse, eoque superbie prorupisse, ut Europam sibi totam brevi tempore paritura sperent. Si cor virile vobis est, cor nobile, cor altum, cor Christianum, sequimini vestigia patris vestri, sequimini castra nostra. Venite in auxilium fidei. Venite in auxilium fratrum vestrorum. Opponite vos murum pro domo dei. Cagitate de vestra salute, de vestra gloria. Nolite permittere, ut sine vestris auxiliis proficiscamur in Turchos. Mittite subsidiarias acies, iuvate Christianum exercitum, quanto fortiores ibimus, tanto cicius, auxiliante dño, cum victoria revertemur. Nec putetis insuperabiles Turchos esse, vinci possunt, et sepe victi fuerunt. Quanta valerent arma Turchorum, Belgradus ostendit. Minor est Turchorum potentia, quam fama feratur. Imbellem atque inermem multitudinem ad prelium ducunt, quam tanquam pecudum gregem dissipare licebit: nec ipsa Turchorum agmina gravioris armature usum didicere. Raras loricas, rariores thoraces induunt, nec galeas more nostro lucentes ostendunt, rara teguntur corpora ferro, accinace utuntur et arcu, parma se protegunt, et galeris pilosa quadam materia dnraque contextis, quod si Latinas viderint acies, rigentes calibe, ferratasque hastas et cathafractos equos et manubalistarum sagiptas, intelligent cum mulieribus se hactenus pugnasse, nunc cum viris esse certandum. Diximus que nobis hactenus promissa sunt auxilia, et quanta spe victorie procedamus: quod si vos quoque coniunxeritis arma et auxiliatores addideritis turmas, multo alacriores ibimus, nec dubium quin orientales ingressi provincias tanto maiorem ad nos concursum inveniemus dedentium se populorum, quanto validior fuerit noster exercitus. Si movebimini vos, Christiani occidentales, et animarum vestrarum pastorem fueritis secuti, movebuntur et multi ex Grecia atque Asis Christiani, qui verum esse Christi Vicarium Romanum pontificem non dubitant. Ism dudum non fuit in Oriente Romanus presul, ut primum innotuerit adventasse Latinam classem Romanum vehentem presulem innumerabiles turme, non dubitamus, ad visitandum beati Petri successorem cum fletu et lacrimis sacros osculaturi pedes accurrent, seque et sua permittent ei.

Hac spe freti, Venerabiles fratres ac filii dilectissimi, hiis rationibus persuasi, hiis consiliis moti, Venerabilibus fratribus nostris Cardinalibus hoc ipsum suadentibus, corpus nostrum caniciemque nostram et seniles ac debiles artus huic sancte expeditioni consecramus, dominoque commendamus. Statuentes circa Nonas Iunias, que proxime instant, Anconam petere atque in eius portu navem conscendere, et cum ea classe, quam interim nostro et aliorum sumptu poterimus instruere, Adriaticum ingredi pelagus et ulterius recto itinere adversus hostes fidei proficisci, non dubitantes quin Philippus Burgundie Dux maritimis armatus copiis ad idem tempus presto assit: Venetique validam classem, do qua dictum est, expeditam in mari habeant, et tam ille quam isti seso nobis coniungant sub vexillis ecclesie ac vivifice crucis signo adversus impios Turcos, auctore domino, feliciter pugnaturi. Crucesignati autem, qui suis aut mittentium sumptibus in hac pia expeditione militaturi sunt, ut navigia equo pretio ad traiiciendum Venetiis habeant, curabimus. Eapropter vos omnes et singulos Cardinales, Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, Abbates et cuiuscumque conditionis viros ecclesiasticos, religiosos et seculares, qui de sorte dñi effecti estis, vos quoque Imperatores, Reges, Duces, Marchiones, Comites, Communitates, Barones, Nobiles, Milites, Cives et alios quoscumque fideles, sive in urbibus commoremini sive in agris, per viscera misericordie dñi nostri Yhesu Christi, per passionem eius qua nos redemit, per iudicium extremum, in quo stabitis ante tribunal eius accepturi unusquisque secundum opera sua, per spem vite eterne, quam promisit dominus diligentibus se, obnixe monemus, requiremus et obsecramus, ut que commode potestis in hanc sanctam expeditionem nobis auxilia prebere non differatis, sed in tempore predicto ad nos mittatis. Veniat per se ipsum qui validus est et commodo potest. Qui vero non venit, mittat alium aut alios secundum vires suarum facultatum: si neque alium mittere potest, de bonis sibi a deo collatis, quantum secundum conscientiam suam potest, per fideles manus in hanc expeditionem contribuat, aut in cistis reponat, que ad hoc opus in singulis diocesibus constituentur, nec dubitet quispiam magna premia consecuturos a domino eos, qui hoc tam sanctum opus ac tam necessarium pro suis viribus adiuraverint. Manifestum enim exploratumque est omnibus, qui sacrosanctam religionem fidemque orthodoxam adiuverint, auxerint, defenderint, certum esse in celo definitum locum, in quo beati evo sempiterno fruantur. Credendum est semper sacris veteribusque sermonibus post hanc vitam migrandum esse in alteram asserentibus, et qui pie in hoc seculo vixerunt legemque domini servaverunt, in altero vitam beatam sine fine consecuturos, alios vero miseram. Infallibile propheticum est illud, quod nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, que promisit dominus diligentibus se: et quod, Paulo teste, non sunt condigne passiones huius seculi ad futuram gloriam, que revelabitur in nobis. Iustissimus est retributor dominus, qui nec bona sine premio, nec mala sine pena preterit. Confidite in deo, et non confundemini. Date de bonis vestris ei, qui dedit vobis, et centum accipietis pro uno, et vitam eternam possidebitis: quam ut(eo) certius conscqui valeant, qui nostris exhortationibus obedientes hoc sanctum opus et necessarium iuxta possibilitatem suam adiuverint. Nos de omnipotentis dei misericordia et beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi de plenitudine potestatis celitus nobis concesse, omnibus vere penitentibus et confessis, qui in hanc expeditionem nobiscum venerint, aut per Hungariam vel aliam viam contra Turchos arma pertulerint, et per annum aut ad minus per sex menses, si amplius non potuerint, in bello perseveraverint, plenissimam omnium peccatorum suorum remissionem et veniam elargimur, ita ut pro satisfactione delictorum et penarum, que fuerant imponende, succedat labor itineris atque militie, nec sacerdos aliam penam confitentibus iniungat, qui venturi sunt. Volentes eos, qui ut premissum est ad hoc sanctum opus proficiscantur, omnem gratiam et indulgentiam consequi, quam nostri predecessores proficiscentibus in subsidium terre sancte et in annuo Iubileo Romam petentibus dare consueverunt, non dubitantes, quin anime illorum, quos ad hoc bellum proficisci bona mente contigerit, cum beatissimis beatorum patrum et angelorum dei spiritibus post hanc vitam in celestibus sedibus collocentur, et consortes in perpetuum Christi facte eterna felicitate fruantur. Quod si forsan anno non exacto ipsorum aliquos post iter arreptum in persecutione tam pii et tam sancti operis ex hac luce migrare contigerit, volumus et concedimus, ut tales nichilominus prefatam indulgentiam integraliter conscquantur. Similiter et eos, qui non venientes alium vel alios suis expensis secundum suarum virium facultatem tranamiserint vice sua ad annum, aut ad minus ad sex menses in hoc bello militaturos, ita ut non solum mittentes indulgentiam et gratiam huiusmodi consequantur, sed etiam missi. Et ut omnis etas et sexus et cuiuscumque professionis homines huius sancte indulgentie participes esse possint, volumus, ut persone quorumcumque Monasteriorum seu locorum religiosorum marum seu mulierum, cuiuscumque ordinis vel professionis existant, que pro singulis decem

suppositis claustri sui unum bellatorem destinaverint, hac eadem indulgentia et gratia plenarie gaudeant, et missus ipse gaudeat. Idem concedimus et indulgemus universis fidelibus, qui non valentes per se singuli alium mittere duo simul, treve aut quatuor, aut plures usque ad decem unum miserint, qui vice eorum in bello propugnaturus, aut aliud opus utile facturus interfuerit, volentes ut et ipse gratie participes fiat, si per annum aut ad minus per sex menses continuaverit, aut post iter arreptum in via decesserit. Insuper qui commode venire aut alium per se, vel cum alio aut aliis mittere non valens, quantum per ebdomadam cum familia sua exponere consueverit, in arca in sua Civitate vel diocesi ob hanc causam constituenda imposuerit, indulgentias huiusmodi pariter assequatur. Volumus autem et apostolica auctoritate mandamus, ut quicumque huic operi tam sancto se obligaverint, salutare signum vivifice crucis vestibus imprimant, et in humeris suis illius memoriam portent, cuius passione ab eterna dampnatione redempti sunt, ipsum imitantes, cui ad nostram redemptionem eunti factus est principatus super humeris eius, et qui nos admonens ad sectanda vestigia sua: Qui vult, inquit, venire post me, abneget semetipsum, et tollat crucem suam et sequatur me. Ne vero hec nostra profectio et ipsum profectionis tempus fideles populos lateat, mandamus omnibus et singulis per totum orbem Metropolitanis in vim eius quam nobis debent obedientie, ut ipsi, primum in ecclesiis eorum cantata Missa solempni spiritus sancti et convocato populo, has nostras litteras publicent et in circuitu ecclesiarum processiones faciant, deinde copias earum autenticas suffraganeis suis quantocitius mittant, illos monentes, ut et hoc ipsum in suis ecclesiis cum devotione et diligentia faciant. Ceterum in tanto Christiane religionis discrimine, quantum a Turchis impresentiarum cernitur imminere, nulli dubium esse debet, quin Christiani omnes tam Reges et Principes et alii potentatus, et privati homines ad defensionem catholice fidei et sancte legis evangelice iuxta possibilitatem suam cum bonis et corporibus suis de necessitate salutis viriliter assurgere, et indesinenter assistere teneantur. Espropter fideles ipsos Yhesu Christi cultores universos et singulos, cuiuscumque status et conditionis fuerint, sive pontificali, sive Imperatoria, vel Regali prefulgeant dignitate, harum serie monemus et requiremus, et in vim promissionis facte in sacri susceptione baptismi, et in vim iuramenti prestiti, cum dignitatem suarum infulas susceperunt, et per obedientiam nobis debitam eis et eorum singulis mandamus, ut hanc sanctam expeditionem, ad quam profecturi sumus non sine maximo corporis nostri dispendio, modis quibus possunt quam celeriter adiuvare et promovere festinent, ab illo cuius causa agitur exuberantia suscepturi premia et in presenti vita et in futura. Negligentes autem negligentur et in extremo iudicii die minime inter illos invenientur, quibus dictarus est dominus: Venite benedicti patris mei, percipite Regnum. Nam quo pacto cum Christo regnaturus est, qui corporale Regnum, aut delitias, aut voluptates pro Christi non vult relinquere, cum ipse Christus dicat in evangelio: Qui diligit patrem suum, aut matrem suam, aut uxorem, aut filios plus quam me, non est me dignus.

Considerate ista, fideles Christiani, et mente revolvite diligenter, ne ignorantes ignoramini et tandem peniteat non iuvisse in periculo constitutam Yhesu Christi religionem et fidem. Caveant sibi, qui tales extiterint. Tu vero quicumque fueris, Christiane fidelis, qui pro tuis facultatibus expeditionem contra Turchos subeundam adiuveris, benedictus esto in Civitate, et benedictus in agro, benedictus fructus ventris tui et fructus terre tue, fructusque iumentorum tuorum et armentorum et gregium, benedicta horrea tua et benedicte reliquie tue, benedictus esto ingrediens et egrediens: det dominus inimicos tuos, qui consurgunt adversum te, corruentes in conspectu tuo, et mittat dñus benedictionem super cellaria tua, et super omnia opera manum tuarum, et habundare te faciat omnibus bonis, et constituat te in caput et non in caudam. Tibi autem, qui nolens audire verba nostra, non modo iuvare opus sanctissimum, ad quod anhelamus, negligis, verum etiam volentes adiuvare impedis aut deterres, non solum novissima illa tremendi examinis dies coram redemptore tuo, cui omnia dedit pater in manus, ad sempiternum supplicium est expectanda, sed misera interim per omnem vitam timenda calamitas. Iustum est enim veri dei iudicium, iuste ultiones sue, considerat semitas pedum tuorum, nec falli in faciem potest: paratam vero bonorum et malorum operum gerens mercedem, nec irremuneratum quod bene, nec impunitum quod male gesseris, esse permittet. Fideles autem populi sui et sancte ecclesie sue et legis sue catholicam causam perturbans, ubicumque eris, invenieris ab eo, et que divine voces iniquis denuntiant, erunt tuo capiti omnibus horis trepidanda, ne videlicet maledictus sis in Civitate, maledictus in agro, ne mittat dñus super te exuriem et sitim et increpationem in omnia opera tua, ne egestate, febre et frigore te percutiat, ne sis semper calumpniam sustinens et oppressus cunctis diebus, et stupens ad terrorem eorum, que videbunt oculi tui, ne det tibi dominus cor providum et deficientes

oculos et animam errore (moerore) consumptam, et ne sit vita tua quasi pendens ante te, et ne timeas die ac nocte et non credas vite tue. Adversus vero hanc iram dñi dei tui potestas nulla tua, nomen nullum tuum, nec terrenum privilegium poterit prevalere. Sagitte eius acute penetrant ad intima cordis, et carbones desolatorii animam noscentem exurunt. Vos vero infelices pirate et infelices latrones, qui vel terra vel mari diabolo militantes in Christianos latrocinia exercetis, si euntes ad hanc sanctam expeditionem, si redeuntes ab ea impedire, capere vel expoliare quocumque pretextu eritis ausi: vos autem, qui adiutoribus vestris cum fautoribus, ac cruciatoribus anathema estote et ab ecclesia Christi penitus alieni: vos quoque, qui scienter hiis venditis aliquid, emitis aliquid, portum aut loca eis conceditis, cum eis publice vel occulte communicatis, anathema estote: in vos autem Universitates locorum et Civitatum mandamus per ecclesiarum Prelatos interdicti sententiam ferri, volentes ullum privilegium sedis collegiorumque ne quamcumque verborum vim habeat, vos ab hac pena defendat, etiam si de verbo ad verbum insori, vel particulatim illud exprimi vel recenseri oporteret. Ac tu dominus deus, qui nosti corda hominum et renes eorum scrutaris, et nichil ignoras eorum que fiunt, si bene agunt Christiani principes privatique homines, si de tuo honore soliciti sunt, si pro expeditione, quam pro tuendo evangelio preparamus, que prestare possunt, auxilia non denegant, adiuva eos, dirige gressus eorum, diesque multiplica, retribue mercem pro bene factis, conserva eis Regna et Principatus, patrimonia et possessiones auge, et tandem ad pinguia pascua tua et divites mensas accersito. Quod si corde indurato sua potius quam tua querentes, privatas causas magis quam publicas curant, avaritie student, voluptatibus ac delitiis indulgent, et nos ad tua bella vadentes nolunt associare aut auxilio iuvare, cum possint, quin potius opem ferre volentes impediunt, aut converte illo dñe, et sana quod infirmum est, aut quod noxium est, ne noceat, cohibeto. Angustias nostras aspicis pie deus de excelso sancto tuo, et nosti, quod preter gloriam nominis tui, et preter salutem gregis dominici nil aliud querit vox nostra. Memento domine Yhesu Christe, quoniam (quod) beato Petro et successoribus eius claves Regni celorum tradidisti, volens quecumque ligarentur ab eis in terra, ligata esse in celis, et solverentur, soluta. Ecce adsum beati Petri successor, impar meritis, auctoritate non minor, indignus Vicarius tuus, respice ad preces nostras et exaudi nos de alto solio tuo. Benedicite quibus ipsi benedicimus, et quibus maledixerimus, maledicite: ne memineris iniquitatum nostrarum antiquarum, cito anticipent nos misericordie tue. Adiuva nos deus salutaris noster, et propter gloriam nominis tui domine libera nos, et propicius esto peccatis nostris propter nomen tuum. Da felicem cursum ceptis nostris: ultio sanguinis servorum tuorum, qui effusus est a Turchis, introeat in conspectu tuo. Audi gemitus compeditorum, et redde inimicis nostris sextuplum in sinu eorum improperium ipsorum, quod exprobaverunt tibi. Respice super populum tuum benignis oculis, et fac nos ire cum prosperitate ad bellum tuum et reverti felices: da nobis victoriam de tuis hostibus, ut tandem recuperata Grecia per totam Europam tibi dignas cantemus laudes, tibique perpetuo serviamus, et omnis terra te adoret et nomini tuo psallat in secula seculorum. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis dominice Millesimoquadringentesimosexagesimotertio, duodecimo Kalendas Novembris, Pontificatus nostri Anno Sexto. P. de Rubeis.

DCLXI.

Bessarion cardinalis legatus episcopo Tragurinensi committit, ut Petro Fuscari commendatario abbatiae ss. Cosmae et Damiani de Rogono Iadrensis dioec. 500 iugera cuiusdam paludis ad eandem abbatiam pertinentis in emphiteusim concedendi concedat licentiam. Reg. An. V. Diverc. Camer. Tom. 31. fol. 63.

Bessarion miseratione divina Episcopus Tusculanus, sancte Romane ecclesie Cardinalis, Patriarcha Constantinopolitanus, et in Civitate Venetiarum locisque omnibus inclito Venetorum dominio ubique subiectis apostolice sedis Legatus de latere, Venerabili in Christo patri Episcopo Tragurinensi, salutem etc. Ad ea, per que ecclesiarum presertim regularium et monasteriorum omnium, ac personarum in eis degentium statui et indemnitati consulitur, libenter intendimus, illaque, quantum cum deo possumus, favoribus prosequimur oportunis. Sane pro parte Venerabilis in Christo patris domini Petri Foscari prothonotarii apostolici, et perpetui commendatarii Abbatie sanctorum Cosme et Damiani de Rogono Iadrensis diocesis nobis nuper exhibita petitio continebat, quod, cum dicta Abbatia sanctorum Cosme et Damiani inter cetera habeat in pertinentiis cuiusdam ville Verbiza nuncupate duo milia iugera paludis vel circa, ex quibus sic existentibus dicta Abbatia nullam omnino percipit, nec perceptura est utilitatem absque intollerabili expensa; sed si aliqua pars ipsius paludis alicui, qui eam ad culturam redigeret, in emphiteosim sive perpetuum livellum pro convenienti pretio concederetur, id procul dubio

in ipsius Abbatie evidentem utilitatem cederet, presertim quoad reliquam partem eius paludis remanentem, cui pars livellata ad culturam redacta multum profutura est: Idcirco pro parte domini Petri Foscari prothonotarii predicti nobis fuit humiliter supplicatum, quatenus auctoritate nostre legationis sibi [ut] quingenta iugera dicte paludis aut plura seu pauciora, prout expedire videbitur, in emphitheosim seu livellum perpetuum cuicumque seu quibuscumque concedendi, tradendi, assignandi de benignitate apostolica licentiam impertiri dignaremur. Nos igitur, qui statum monasteriorum intensis desideriis affectamus, de predictis certam notitiam non habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, discretioni tue auctoritate nostra prefata tenore presentium committimus et mandamus, quatenus de premissis omnibus et singulis, ac eorum circumstantiis universis te eadem auctoritate diligenter informes, et si per informationem huiusmodi ea vera esse, ac emphitcosim seu livellationem huiusmodi in evidentem prefate Abbatie sanctorum Cosme et Damiani utilitatem cedere repereris, super que tuam conscientiam oneramus, eidem domino Petro prothonotario et commendatario predicto quingenta iugera dicte paludis vel plura seu pauciora, prout tibi expedire videbitur, in emphitheusim seu livellum perpetuum cuicumque seu quibuscumque pro pretio vel pretiis, que tibi convenire videbuntur, concedendi, tradendi ac assignandi simili auctoritate licentiam tribuas et plenariam facultatem, et nichilominus si per huiusmodi licentiam partem predictam ipsius paludis per eundem dominum Petrum prothonotarium et commendatarium in emphiteusim, seu livellum perpetuum alicui seu aliquibus concedi, tradi et assignari contigerit, concessionem, traditionem et assignationem huiusmodi ac quecumque inde sequuntur, grata et rata habens auctoritate nostra confirmes et approbes, Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon Abbatie predicte iuramento, confirmatione apostolica vel quavis etc. In quorum omnium et singulorum testimonium premissorum presentes nostras litteras fieri, easque soliti nostri sigilli maioris appensione communiri iussimus. Datum Venetiis in Monasterii sancti Georgii maioris Anno domini Millesimo quadringentesimo sexagesimo tertio, undecimo Kalendas Decembris, Pontificatus Sanctissimi in Christo patris et domini nostri domini Pii divina providentia pape II. Anno Quinto.

DCLXII.

Pontifex concordiam circa iuspatronatus quarumdam ecclesiarum inter capitulum Tergestinum et Wolfgangum et Rampertum barones de Valse in Duino initam confirmat, inserto nonullis documentis. Reg. An. VI. Tom. 30. fol. 91.

Pius episcopus etc. Ad perpetuam rei memoriam. Cunctis orbis ecclesiis disponente domino presidentes circa illarum, ac personarum in eis divinis laudibus insistentium statum paternis invigilamus studiis, et hiis, que pro illarum indempnitatibus rite gesta esse comperimus, ut perpetuo illibata permaneant, libenter apostolici muniminis adiicimus firmitatem. Sane pro parte dilectorum filiorum Decani et Capituli ecclesie Tergestine, ac nobilium virorum Wlfangi et Ramperti de Valse in Duino fratrum domicellorum nobis nuper exhibita peticio continebat, quod cum dudum inter Decanum et Capitulum ex una, ac Wlfangum et Rampertum ex altera partibus super parrochialibus ecclesiis sanctorum Petri et Pauli in Thomai et sancti Petri in Dornech, ac super clericatu sive filiali ecclesia sancte Marie in Elsaco filiali ipsius ecclesie in Dornech, in diocesi Tergestina ac in temporali dominio domicellorum predictorum sitis, quas quidem ecclesias Decanus et Capitulum prefati vigore quarumdam unionum de illis mense Capitulari dicte ecclesie Tergestine ordinaria auctoritate factarum, et per quasdam nostras litteras confirmitarum ad ipsam mensam legitime pertinere, domicelli vero prediicti se in eis ius patronatus ac presentandi personas ydoneas ad easdem, cum pro tempore vacarent, habere pretendebant, varie lites et controversie exorte, et tam in Romana curia quam extra eam non sine maximis periculis, et utriusque partis dispendiis diutius agitate fuissent: demum Decanus et Capitulum necnon domicelli prefati cupientes huiusmodi scandalis et dispendiis viam precludere, inter se concordarunt et transigerunt hoc modo, videlicet quod moderni Rectores, Plebani nuncupati, dictarum ecclesiarum et cuiuslibet earum presentati per prefatos domicellos, seu eorum genitores vel progenitores forent et esse deberent et intelligerentur veri Rectores et Plebani ecclesiarum ipsarum, necnon quod ius patronatus ac presentandi personas ydoneas ad quamlibet ipsarum ecclesiarum, cum pro tempore vacarent, ad ipsos domicellos eorumque heredes et successores perpetuo pertinere deberent, tenereuturque et obligati forent ipsi Rectores seu Plebani tam presentes quam futuri predictarum et cuiuslibet earum, necnon aliarum infrascriptarum ecclesiarum annis singulis solvere Decano et Capitulo predictis imperpetuum census et pensiones infrascriptos, videlicet Rector ecclesie sancti Stephani in Cossana vigintiquatuor ducatos auri in duobus terminis, et Rector dicte ecclesie sancti Petri in Dornech decem et septem ducatos similes,

Rector ecclesie sanctorum Petri et Pauli in Thomai sexdecim ducatos auri etiam similes, Rector vero dicti clericatus seu filialis ecclesie quatuordecem, necnon Rector ecclesie sancti Bartholomei in Sanosechia vigintisex libras monete Venete nomine pensionis et census annui perpetui Capitulo predictis annis singulis solvere tenerentur, ita etiam quod ecclesiarum superius expressarum pro tempore Rectores omnibus privilegiis, immunitatibus et aliis gratiis gaudere deberent, quibus ceteri Rectores et Plebani aliarum dicte diocesis parrochialium ecclesiarum in genere gaudere possent et deberent, specialibus privilegiis et iuribus ipsarum ecclesiarum in omnibus semper salvis. Volentes etiam partes ipse quoscumque processus, sentencias, unionem, confirmationem aliaque huiusmodi concordie et transactioni obstantia nullius existere roboris vel momenti, necnon remiserunt sibi invicem iniurias atque damna hincinde illata, et quedam alia tunc expressa fecerunt, ceteris obligationibus, renunciationibus et cautelis tunc expressis adiectis. Postmodum vero dilectus filius tunc Vicarius Venerabilis fratris nostri Episcopi Tergestini in spiritualibus generalis transactioni et concordie predicte auctoritatem et decretum interposuit, prout in quodam publico instrumento desuper confecto, cuius tenorem inferius de verbo ad verbum inseri fecimus, plenius continetur. Quare pro parte Decani et Capituli ac domicellorum predictorum asserentium, quod dilecti filii Rectores ipsarum ecclesiarum premissis omnibus expressum prestiterunt assensum, nobis fuit humiliter supplicatum, ut transactioni, concordie et census seu pensionis predictarum constitutionibus huiusmodi pro illarum subsistentia firmiori robur apostolice confirmationis adiicere, ac alias super hiis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur huiusmodi supplicationibus inclinati, transactionem et concordiam ac censuum seu pensionum constitutiones huiusmodi ratas habentes et gratas, illas et prout eas concernunt omnia et singula in dicto instrumento contenta, et quelibet inde secuta auctoritato apostolica tenore presentium confirmamus et approbamus, ac plenum robur obtinere decernimus, supplentes omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui forsan intervenerint in eisdem, Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis ceterisque contrariis quibuscumque. Tenor vero dicti Instrumenti talis est:

In nomine sancte et individue Trinitatis, Amen. Ad removendas lites et controversias vertentes et versas inter venerabiles et honestos viros dominos Decanum, Canonicos et Capitulum Cathedralis ecclesie Tergestine ex una (parte) agentes seu agere intendentes, magnificosque et potentes Barones et dominos, dños Wlfangum et Rampertum germanos de Valse in Duino eiusque comitatu dominos ex altera defendentes de et occasione parrochialium ecclesiarum sancti Petri et Pauli in Thomai et sancti Petri in Dornech, necnon clericatus seu ecclesie sancte Marie in Elsaco filialis suprascripte ecclesie in Dornech, positarum in dominiis prefatorum dominorum de Valse et diocesi Tergestina, quas parrochiales ecclesias et clericatum prefati domini Canonici et Capitulum sibi pleno iure spectare et pertinere pretendebant, et pretendunt tum virtute quarundam unionum sibi successivis temporibus concessarum per Reverendum olim pie memorie in Christo patrem et dominum, dominum Nicolanm de Aldigardis tunc temporis dignissimum Episcopnm ac Comitem Tergestinum, super qnibus apparent patentes littere, quarum prima super unione ecclesie sive clericatus sancte Marie in Elsaco rogata extitit Millesimo quadringentesimo quadragesimotercio, Indictione sexta, die quartodecimo mensis Marcii, manu Ser Servadei Copa civis Tergestini, notarii etiam Episcopalis curie prefate, tunc temporis Cancellarii, quo incipit: Nicolaus de Aldigardis etc. et finit ante subscriptionem ipsius notarii anno tertiodecimo etc. alia vero super unione parrochialis ecclesie sancti Petri in Dornech apparet scripta manu Ser Antonii de Leo notarii publici, etiam civis Tergestini, currente Millesimo qnadringentesimo quadragesimosexto, Indictione nona, die Mercurii duodecima Octobris, et incipit: Nicolaus de Aldigardis etc. finit ante subscriptionem notarii mensis Octobris etc. tercia vero ipsarum unionum littera super uniono parrochialis ecclesio sanctorum Petri et Pauli in Thomai apparet scripta manu suprascripti Ser Antonii notarii sub proxime dictis Millesimo, Indictione et die rogata et scripta, que incipit: Nicolaus de Aldigardis etc. et finit ante subscriptionem notarii mensis Octobris etc. sigillo Pontificali eiusdem Reverendi domini Episcopi in cera ad cordulam sirici rubei pendenti munita et munite; tum etiam virtute cniusdam confirmationis apostolice ipsis dñis Canonicis et Capitulo per modernum Sanctissimum dominum nostrum, dominum Pium divina providentia papam II. facte, de et super unionibus parrochialium ecclesiarum et clericatus prefatorum, super qua apparent littere confirmationis patentes, Datum Mantue sub anno ab Incarnatione domini Millesimo quadringentesimo quinquagesimonono, nono Kalendas Ianuarii, Pontificatus vero Sanctissimi domini nostri Anno Secnndo, incipientes: Pius Episcopns etc. finientesque Anno Secundo etc. vera bulla plumbea ad cordulam fili rubei croceique coloris more Romane curie pendenti munite, non viciate, non cancellate, nec in aliqua sui

parte suspecte, per nos Notarios infrascriptos vise et lecte: dictique Magnifici domini de Valse ex adverso plebes ipsas sive parrochiales ecclesias et clericatum sibi tamquam fundatariis, et in eis et qualibet earum ius conferendi et seu presentandi habentes spectare et pertinere pleno iure pretendebant et pretendunt, quarum ecclesiarum, nedum inter ipsos dominos Canonicos et Capitulum, prefatosque Magnificos de Valse, verum etiam inter Reverendum olim pie recordationis dominum, dñum Marinum olim Episcopum et Comitem Tergestinum successoresque suos ex una (parte), Magnificumque olim pie memorie dominum Rampertum de Valse Baronem, prefatorum dominorum Wlfangi et Ramperti de Valse genitorem, ex altera plures et diverse suborte fuerunt et sunt licet diversis temporibus lites, cause et questiones super iure patronatus earundem parrochialium ecclesiarum, ut tribus seu quatuor sententiis autenticis successivis temporibus tam in Romana curia, quam in concilio Basiliensi per nonnullos dominos delegatos tam apostolicis quam per concilium predictum confirmatoriis latis difusius constat, per quas effectualiter plebes ipse seu parrochiales ecclesie predicte Episcopali mense Tergestine adiudicari videntur conferende, venerabiles patres et domini, domini presbiteri Franciscus de Mirce Decanus, Michael Suta Scolasticus et Petrus de Arenio Canonici ac Sindici speciales ad infrascripta venerabilium Canonicorum confratrum suorum et Capituli protacte Cathedralis ecclesie Tergestine, de quorum sindicatu apparet publicum instrumentum manu mei Cristofori de Bonomis Notarii infrascripti tenoris infrascripti, videlicet:

In Christi nomine, Amen. Anno Circumcisionis eiusdem Millesimo quadringentesimo sexagesimo tercio, Indictione undecima, die vero duodecima mensis Iunii, in Civitate Tergestina in contrata Caborii et in ecclesia Cathedrali sancti Iusti de Tergesto, ac in Sacrista ipsius ecclesie predicte posite iuxta suos confines, presentibus honesto viro domino Antonio de Burlis Diacono, Nicolao de Carlobo, Gregorio et Iohanne de Sancto Angelo civibus ac habitatoribus Tergesti, testibus ad hec specialiter habitis, vocatis et rogatis, ot aliis ibique convenientibus venerabilibus ac honestis viris dominis Canonicis ecclesie Cathodralis sancti Iusti prenominate, omnibus ad presens in ipsa ecclesia residentibus, simul ad sonum campane more solito pro Capitulo fiendo in loco predicto ad infrascripta specialiter congregatis, videlicet dñis presbitero Francisco de Mirce ipsius prelibate ecclesie Decano benemerito, Michaele Suta eiusdem Scolastico, Nicolao de Selesnich, Petro de Arenio, Lazaro de Ipari, Iohanne de Mirissa, Gasparino de Bristhia, Georgio quondam Guielmi et Thoma de Cantravo omnibus presentibus et consentientibus, ac maiorem et saniorem partem, ymmo verius ultra duas partes ipsius tocius Venerabilis Capituli Tergestini representantibus, tribus tamen aliis dominis Canonicis ad presens absentibus et non residentibus, ipsi venerabiles domini Canonici prelibati Nicolaus de Selesnich, Lazarus de Ipari, Iohannes de Mirissa, Gasparinus de Bristhia, Georgius quondam Guielmi et Thomas de Cantravo vice ac nomine ipsius Venerabilis Capituli infrascripti, et pro se ac vice et nomine successorum suorum, et omnium ac singulorum dominorum Canonicorum prefatorum de licentia, auctoritate, parabola ac voluntate Reverendi in Christo patris, domini domini A. de Gapo Episcopi et Comitis Tergestini, prout ibidem omnes asseruerunt ita fore, omni meliori modo, via, iure atque forma, quibus melius fieri potest atque debet, fecerunt, constituerunt et ordinaverunt Venerabiles et honestos viros dominos presbiteros Franciscum de Mirce Decanum, Michaelem Suta Scolasticum et Petrum de Arenio Canonicos supranominatos ibidem presentes, et infrascriptum Sindicatum in se sponte recipientes ac acceptantes, ipsius Venerabilis Capituli ac omnium ac singulolorum dominorum Canonicorum prefatorum veros ac indubitatos sindicos, actores, procuratores et nuncios ad omnia infrascripta generales et speciales, et specialiter in causa et questione ac controversia diu vertente et versa inter Magnificos dominos de Valse, ac ipsos dominos Canonicos et Capitulum prenominatos occasione Plebium Thomai, Dornec et Helsaci cum omnibus ipsis adiunctis, coniunctis atque annexis et ab eis dependentibus sitarum in dominio de Valse prefatorum, et earum occasione ad comparendum eorum nomine die crastina, que erit dies lune terciadecima mensis presentis, ad Castrum Sanosechie dominorum de Valse predictorum pro dieta deputata inter spectabiles commissarios dominorum prefatorum de Valse, ac ipsos dominos Canonicos et Capitulum pro concordia et compositione, deo cooperante, amicabiliter fienda, et quomodocumque occassione predictorum, si opus fuerit, conveniendi, componendi, transigendi, promittendi, obligandi et laudandi, Item ad compromittendum in unum vel plures tam de iure quam de facto, et sentenciam seu sentencias arbitramentales seu arbitrarias audiendi, auctoritates et decreta interponendi cum dominis commissariis dictorum dominorum de Valse super premissis, et finem dictis differenciis totaliter imponendum per publica et autentica instrumenta cum pena et bonorum ipsius Venerabilis Capituli obligatione, renunciatione et prorogatione necessariis

et opportunis, et generaliter ad omnia et singula facienda ....., que ipsi dñi Canonici et Capitulum suprascripti dicere, facere, componere, transigere et exercere possent, si personaliter interessent, secundum quod ipsis dominis Sindicis melius et utilius pro ipsis omnibus videbitur quomodocumque faciendum, dantes et concedentes eisdem dominis Sindicis in omnibus et singulis suprascriptis et circa predicta plenum, liberum et generale mandatum cum plena, libera et generali admiuistratione predicta omnia et singula faciendi, Promittentesque michi notario infrascripto vice ac nomine dictorum dominorum de Valse, seu dominorum commissariorum eorum se firma et rata habituros, quecumque eorum nomine in predictis et circa predicta duxerint facienda, sub obligatione omnium bonorum ipsius Venerabilis Capituli et dominorum Canonicorum prefatorum presentium et futurorum, cuiquidem mandato ot sindicatui ac omnibus suprascriptis venerabilis et honestus vir dominus presbiter Michael Suta Scolasticus, et Canonicus Tergestinus ac Plebanus in Lonca benemeritus, Reverendique in Christo patris domini A. Epi et Comitis Tergestini in spiritualibus Vicarius generalis, presens consensit, et in robur premissorum eiusdem Reverendi domini Episcopi profati omnimodam interposuit auctoritatem pariter et decretum. Ego Cristoforus de Bonomis civis Tergestinus, publicus Imperiali auctoritate Notarius, omnibus suprascriptis interfui, eaque rogatus scribere scripsi et autenticavi, in quorum robur me subscripsi signumque meum apposui consuetum, vice ac nomine prefatorum dominorum Canonicorum et Capituli ex una (parte), spectabilisque et generosus vir dominus Nicolaus de Foramine, benemeritus Capitaneus Duini et in Carsie, sepedictorum Magnificorum dominorum Wlfangi et Ramperti de Valse sindicus et procurator specialis ad infrascripta specialiter deputatus, ut patentibus litteris ipsorum dominorum constituentium veris sigillis eorumdem in cera rubea ad cartam pergameni pendentibus roboratis tenoris infrascripti, videlicet:

Ego Wlfangus Magister Curie ac Capitaneus supra Anason, et Ego Rampertus Baronus de Valse etc. germani domini Duini et Carsie recognoscimus per presentes, quod anno domini Millesimo quadringentesimo quinquagesimonono, die solis, que fuit decima mensis Decembris, omnibus melioribus modo, via, iure, causa et forma, quibus id melius fieri potuit et debuit, dedimus et concessimus, sicut et actu damus per presentes nobilibus et honorabilibus viris Nicolao de Foramine, Capitaneo nostro Duini et Carsie, Thome Elocar, Erasmo Stalder, Wlfango Fraytagh, Bertoldo Tischman et Vilugo Rotalier, familiaribus nostris, coniunctim et divisim ot cuilibet eorum insolidum cum mandato substituendi plenam, integram et omnimodam potestatem ac mandatum singulare in causa et causis differentiarum, que vertuntur inter Venerabilem Episcopum Torgestinum et cius Capitulum ac Illustrem Principem ac insigne dominium Venetorum ex una, et nos partibus ex altera tangentibus incorporationem quarumdam ecclesiarum in Carsia situatarum, et ex parte confinium in partibus Istrie, et generaliter in omnibus aliis nostris ac nostrorum subditorum in Carsia et Istria negociis, ot obstaculis nostro ac ipsorum nominibus iura in omnibus et per omnia defendendum, testes, litteras, scripturas, instrumenta, iura, munimenta et quecumque alia probationum genera in modum probationis producendum, et ex adverso produci videndum contra testes, eorumque dicta et personas excipiendum, et generaliter omnia et singula faciendum, dicendum, exercendum, que in premissis et circa ea quomodolibet necessaria fuerint et opportuna, et que nos in propria persona fecieremus seu facere possemus, etiam si mandata requirerent magis speciale, Promittentes vice ac nomine heredum et singulorum successorum et subditorum nostrorum, quod ea et singula omnia, que dicti nostri familiares nomine supradicto in predictis differentiarum causis nostro ac nostrorum nomine egerint seu fecerint amicabiliter seu iuris rigore et via, perpetuis futuris temporibns semper rata et grata habebimus, contradictione qualicunque seclusa. In cuius rei et evidens testimonium ipsis presentes tradidimus procuratorii litteras nostris sigillis munitas et roboratas. Acta sunt hec in lune die, hora et mense quibus supra etc.

Ex altera volentes et intendentes lites et causas, de quibus supra, et alias, que occasione parrochialium ecclesiarum sancti Stephani in Cossana et sancti Bartholomei in Sonosechia eiusdem Tergestine dioccsis, et in dominiis prefatorum Magnificorum dominorum de Valse situatarum snborte fuerant, seu suboriri possent occasione iuris presentandi seu patronatus aut alia quavis ratione vel causa, attendentes et desiderantes partes ipse, et presertim domini Canonici prefati occasione differentiarum guerras, bella et homicidia retroactis temporibus inter ipsos Magnificos dominos de Valse et magnificam Communitatem Tergestinam quamplura secuta fuisse, et que imposterum adhuc seqni sperabantur et poterant, necnon immensas expensas longis temporibus per ipsum Venerabile Capitulum occasione premissorum tam in iudicio quam extra factas, quarum occasione ipsum Veuerabile Capitulum ita dopauperatum extiterat atque extitit de presenti, qnod tales expensas de cetero tollerare non poterat neque posset,

considerantesque dictam causam fore dubiam, et presentem transactionis contractum fore ipsis dominis Canonicis et Capitulo magis utile quam damnosum, volentesque ipsas guerras, homicidia, iurgia et expensas et alia scandala, ut decet, amicabili medio sopire et de medio tollere, interveniente ad hoc nobili ac circumspecto viro domino Andrea de Leo honorato cive Tergestino, et ipsorum dominorum de Valse servitore et in hac causa mediatore speciali, omnipotentis dei, a quo cuncta bona procedunt, clementia cooperante, communiter et concorditer ac de plano et equo ad infrascripta transactionem, conventionem et pacta nominibus quibus supra amicabiliter devenerunt, videlicet:

Quare primo transigendo voluerunt et volunt, quod moderni Rectores ecclesiarum prefatarum et alterius earum presentati per antedictos Magnificos dominus de Valse seu genitorem et ascendentes eorum sint et esse debeant, ac intellingantur veri Plebani et Rectores ipsarum ecclesiarum et alterius earum, ad quam seu quas ipsi seu alter eorum sunt presentati, volentes ac expresse intendentes ex transactione inita, ut premittitur, quod futuris temporibus et imperpetuum in casu vacationis alterius dictarum ecclesiarum [alterius] prefati Magnifici de Valse et domini Duini presentes, eorumque heredes et successores habeant et habere debeant ius presentandi ad ipsas ecclesias et alteram ipsarum vacantem seu vacantes, dummodo sacerdotem ydoneum communionem fidelium tenentem presentent, qui tam presentes quam imposterum presentandi in casibus vacationis sint et esse intellingantur ac intitulentur Plebani, et sen Rectores ipsarum ecclesiarum teneantur, quod ipsi tam presentes quam futuri Plebani et seu Rectores dominis Canonicis et Capitulo prefatis singulis annis et imperpetuum in terminis infra limitatis exsolvere census et pensiones, de quibus infra, videlicet: Et primo Plebanus et seu Rector ecclesie sancti Stephani in Cossana perpetuis temporibus, ut prefertur, ipsis dominis Canonicis ac Capitulo Tergestinis et successoribus suis ducatos vigintiquatuor auri in duobus terminis, videlicet medietatem in festo sancti Georgii aliamque medietatem in festo sancti Martini exsolvendas, incipiendo in proximo futuro festo sancti Martini; Plebanus autem seu Rector in ecclesia parrochiali sancti Petri in Dornech perpetuo, ut prefertur, modis et temporibus supralimitatis ad pensionem ducatorum auri decem ot septem, Plebanus vero in parrochiali ecclesia sanctorum Petri et Pauli in Thomai ad pensionem ducatorum sexdecim auri modis et temporibus, ut prefertur, persolvendam; Rector autem clericatus in Elsaco ad pensionem ducatorum quatuor decem auri, ut premittitur, exolvendam, postremoque Rector ecclesie sancti Bartholomei Sonosechia libras vigintisex monete Venetorum nomine pensionis et census perpetui, ut prefertur, exolvendas teneantur, gaudeantque et gaudere debeant tam presentes quam futuri Rectores ecclesiarum prefatarum et alterius earum nominibus, inribus, privilegiis, immunitatibus, oneribus et honoribus, quibus ceteri Plebani et Rectores aliarum parrochialium ecclesiarum diocesis Tergestine tam ex forma sacrorum canonum, quam ex constitutionibus sinodalibus ipsins ecclesie Tergestine fruuntur et gandent, non derogantes propterea nec derogare intendentes inribus et privilegiis specialibus dictarum ecclesiarum nec alterius earum, si quod habent seu habet. Voluerunt que ipse partes contrahentes communiter vel concorditer ac expressim omnes processus, sentencias, uniones, confirmationem aliasque scripturas omnes et singulas et iura tam specificatas ut supra, quam non occasione dictarum parrochialium ecclesiarum et clericatus, seu alterius earum in favorem alterius ipsarum partium formatos seu formatas, quomodocumque et qualitercumque sint, fore et esse ac intelligi debere presentis instrumenti transactionis virtute nullas, cassas, irritas et inanes nulliusque valoris, efficacie vel momenti, presentis transactionis et concordie instrumento in suo robore et firmitate perpetuis temporibus inviolabiliter remanente; quas omnes et singulas sentencias, processus, uniones, confirmationem, scripturas et iura ipse partes hinc inde convenerunt actualiter exhibere in prompto incidendas, quandocumque contractus per Sanctissimum dominum nostrum papam canonice fuerit confirmatus, ut ipso ambe partes fieri pretendunt communibus expensis ipsorum contrahentium. Volentes insuper et transigendo, ut premittitur, expresse convenientes ipse ambe partes transigentes, quod neutra ipsarum partium per se vel alium seu alios ullo unquam tempore possit, valeat seu debeat partem aliam virtute processuum, sentenciarum, unionum, confirmationis seu alterius scripture premissorum occasione inter ipsas partes, seu Reverendos olim dominos Episcopos Tergestinos ipsosque Magnificos dominos de Valse quovis tempore actarum seu factarum, cuius seu quarum virtute ius aliquod alteri ipsarum partium competeret seu competere posset, aut quantitas seu res aliqua deberetur, inquietare, propulsare seu molestare in iudicio sive extra, seu alias quomodocumque ultra conventa per presens transactionis instrumentum. Item quod omnes lites, guerre, inimicitie, diffidationes, controversie et damna per ipsas partes, vel alium seu alios ipsarum partium seu alterius earum adherentes, subditos et familiares hincinde suborte, facto et passe seu passa quomodo-

cumque et qualitercumque totaliter remittentur, quas ut ipsi domini Sindici nominibus suprascriptis ac omnium, quorum interest, intererit vel interesse posset quomodolibet, ex pacto et expressum hinc inde remittunt, ita quod sopitis omnibus premissis per presons transactionis instrumentum neutra ipsarum partium partem aliam, vel adherentes eiusdem quovis quesito colore inquietare possit vel debeat in iudicio sive extra. Que vero omnia et singula suprascripta promiserunt vicissim, scilicet una pars alteri, ad invicem sollemnibus stipulationibus hincinde intervenientibus, certiorateque per nos Notarios infrascriptos super contractu huiusmodi, una simul ex pacto ot conventione inter ipsas partes expresse inito de beneficiis et privilegiis iuris tam specialibus quam generalibus, et presertim domini Canonici et sindici prefati de beneficio restitutionis in integrum et beneficiis de rebus ecclesie non alienandis, et omnibus aliis beneficiis sibi quomodocumque competentibus eisdem expresse renunciarunt, et manu tactis scripturis in animam principalium suorum iurarunt ad sacra dei evangelia, firma rataque habere et tenere perpetuo, et non contrafacere vel venire per se vel alium seu alios aliqua ratione vel causa de iure vel de facto, sub pena periurii et duorum millium ducatorum auri stipulatione premissa: qua pena pecuniaria soluta vel non, rata maneant omnia et singula suprascripta et infrascripta, volentes ipse partes et expresse convenientes, quod altera ipsarum partium presenti contractui contrafaciens vel veniens in aliqua sui parte ipso facto cadat ab omni iure suo, quod in dictis ecclesiis vel altera earum seu adversus aliam partem premissorum occasione habet vel habere posset, ultra omnes alias penas stipulationum premissarum. Item teneatur reficere et restituere una pars alteri ad invicem omnia et singula damna, expensas et interesse, quod vel quas altera ipsarum partium occasione alterius contravenientis sine culpa fecerit sive sustinuerit in iudicio sive extra, pro quibus omnibus et singulis firmiter observandis obligavit una pars alteri omnia bona tam sua quam principalium suorum. Postremo ad maiorem corroborationem ipsius contractus pacis et concordie de quibus supra, et ut presens instrumentum eo maturius censuratur, partes ipse communiter et concorditer convenerunt et pacto sunt, ut presens instrumentum per nos tres Notarios infrascriptos et nominatos una simul stipulantes rogetur sive stipuletur, super quo contractu duo unius et eiusdem tenoris conficiantur et confici debeant instrumenta, unum videlicet pro qualibet ipsarum partium, que per me Cristoforum Notarium infrascriptum ad id per collegas, et de partium voluntate deputatum manu mea propria in publicam formam redacta subscriptionibus nostrum Nicolai de Mercatellis et Dragoti quondam dñi Raynaldi Notariornm infrascriptorum roborentur, etiamsi opus fuerit, ad consilium sapientum. Actum in Burgo Sanosechie comitatus Duini et super Carsiis posito, in via publica et ante domum habitationis Federici Maysnar Mutarii ibidem, sub Anno a Nativitate domini Millesimo quadringentesimo sexagesimotercio, Indictione nndecima, die vero quintodecimo mensis Iunii, presentibus strenuis et generosis militibus dominis Martino et Iacobo Rannichar, spectabilibusque dominis Henrico Obremburger capitanco in Gothinem, Gasparo Furst capitaneo Castoc, Andrea de Leo et Bernardo de Pethachiis civibus Tergestinis, Matheo Donato de torra Fluminis Sanctiviti, Frederico Maysnar Mutario predicto, Iacobo Freyburger, Iohanne de Sancto Angelo cive Tergestino, testibus ad hec specialiter habitis, vocatis et rogatis, et aliis in numero copioso, presentique venerabili viro domino presbitero Iohanne Archidiacono et Canonico terre Fluminis ac Plebano in Thomai, et supradicto concordio et omnibus ac singulis suprascriptis, quantum interest, expresse consenciente. Cui contractui sive transactionis concordii instrumento ac omnibus et singulis in eo continentibus venerabilis dominus presbiter Michael Suta Canonicus Tergestinus, et in hac parte Reverendi in Christo patris et domini, domini Antonii Episcopi et Comitis Tergestini in spiritualibus Vicarius generalis, ut patentibus vicariatus litteris in quodam filio papiri scriptis sigillique episcopalis curie Tergestine impressione roboratis, quarum tenor sequitur et est talis, videlicet:

Antonius dei et apostolice sedis gratia Epus et Comes Tergestinus, venerabili nobis in Cbristo sincere dilecto presbitero Michaeli Suta Canonico Tergestino, et Plebano sancti Iohannis in Lonca nostre Tergestine diocesis, Salutem in domino. Suscepti regiminis nos cura optima solicitat, ut, quam per presentiam nostram exhibere non possumus, per alium nostra representetur auctoritas, qui sit fide probatus, consilio providus atque discretione poleat in agendis. Cum itaque personam tuam, que rerum expcrientia censetur magistra, disposuerimus congruis promotionibus ct favoribus extollendam: ideo de collata in te prudentia fiduciam gerentes in domino pleniorem, confidentes, ut ea, que discretioni tue duxerimus committenda, fideliter et solicite debeas exercere, te nostrum in spiritualibus ct temporalibus constituimus Vicarium generalem, volentes et tibi specialiter committentes, quod de cetero in quibuscumque causis iudicio nostro spectantibus usque ad diffinitivam cognoscas sentenciam, Tibi in omnibus,

que ad dicti Vicariatus officium spectant, plenam concedentes tenore presentium et liberam potestatem. Nos enim omnes processus et sentencias, quas et quos per te formari et fieri contigerit in rebelles et delinquentes, eodem modo ratos et ratas atque gratos et gratas habebimus, etiam si ad nos et ecclesiam nostram pertinebunt, facientes eas, auctorizante domino, usque ad satisfactionem condignam inviolabiter observari. Insuper nos tenore presentium omnes alios Vicarios nostros revocantes, si contingerit nos in iudiciis interesse, volumus, quod super omnibus et singulis causis, questionibus et controversiis, que ad nos sive Episcopatum et ecclesiam nostram spectant, debeas nostro nomine interesse, et ad eas, qualicumque modo videbitur ad nos spectare, debeas respondere, et circa predicta ea omnia singula facere et procurare, que nosmet facere et procurare potuissemus et possemus, si in presenti essemus, et ea omnia ac singula, que per te facta et ordinata erunt, tamquam si per nos ipsos facta fuissent, volumus habere rata et inviolabiliter observari. In cuius rei testimonium has nostras patentes, quas per Magistrum Federicum de Mercatellis Cancellarium nostrum fieri et scribi fecimus, iussimus sigilli Episcopalis curie nostre impressione roborari. Datum Tergesti in nostro Episcopali palacio et in aula nostra, presentibus dominis presbiteris Simone de Ipari, Marino de Bonomis Canonicis Tergestinis, et Petro Paduino quondam Ser Iohannis testibus ad hec specialiter habitis, vocatis, rogatis et aliis, sub Anno domini Millesimo quadringentesimo quinquagesimo octavo, Indictione sexta, die vicesimaquinta mensis Novembris otc.

Latissime constat, habito respectu ad merita ipsius contractus, cui utique favendum esse videtur, suam et officii sui necnon prefati Reverendi domini Episcopi et Episcopalis sedis Tergestine auctoritatem interposuit pariter et decretum omni meliori modo, via, iure et forma, quibus magis atque melius de iure fieri potest et debet. Ego Antonius de Leo Vicedomnus Communis Tergesti vicedominavi et me subscripsi. Ego Pastolus Chichio Vicedomnus Communis Tergesti me subscripsi. Et Ego Cristoforus de Bonamis civis Tergestinus, publicus Imperiali auctoritate Notarius, omnibus suprascriptis, dum sic fierent, presens fui, rogatusque unacum infrascriptis Ser Nicolao de Mercatellis et Ser Dragoto quondam domini Raynaldi Notariis, ad premissa ex pacto inter partes supra contrahentes expresse inito una meeum deputatis et rogatis, presens publicum instrumentum iuxta conventa per partes, et ipsorum collegarum meorum voluntatem et decretum in hanc publicam formam ad instantiam prefatorum dominorum Canonicorum, et Capituli Tergestini manu mea propria scripsi et publicavi, cui cum alio instrumento auctentico ad instanciam prefatorum Magnificorum dominorum Baronum de Valse per me relevato et scripto, unaque cum dominis Ser Nicolao et Ser Dragoto, connotariis deputatis ut supra, auscultato et omnino simili reperto, me mann propria subscripsi signumque meum apposui consuetum in fidem et robur in eo contentorum. Et Ego Nicolaus de Mercatellis civis Tergestinus, publicus Imperiali auctoritate Notarius et Iudex ordinarius, ac magnifice Communitatis Tergestine Cancellarius, rogatus unacum supradicto Ser Cristoforo, et Ser Dragoto supra et infra nominato ad premissa iuxta conventa per ipsos partes contrahentes suprascriptis omnibus et singulis, dum sic fierent et tractarentur, presens fui et concurrens cum prefatis condeputatis Notariis suprascriptis, instrumentum in publicam formam omnino simile alteri instrumento super eodem contractu relevato ad instanciam prefatorum Magnificorum dominorum de Valse contrahentium confecto, ad instanciam et requisitionem Venerabilium dominorum Canonicorum ot Capituli per manum suprascripti Ser Cristofori Notarii scripsimus, cui me manu propria subscripsi signum meum apponens consuetum in fidem et robur omnium in eo contentorum. Et Ego Dragotus quondam domini Raynaldi de Ancona, publicus Imperiali auctoritate Notarius, suprascriptis omnibus et singulis unacum suprascriptis Ser Nicolao et Ser Cristoforo notariis ad premissa per partes contrahentes condeputatis, assumptis et rogatis, presens fui, et rogatus cum collegis, ut premittitur, presenti instrumento ad instanciam et requisitionem Venerabilium dominorum Canonicorum et Capituli per manum suprascripti Ser Cristofori Notarii scripsimus, atque mann mea propria subscripsi signum meum apponens consuetum in fidem et robur omnium premissorum, Interfui.

Nulli ergo omnino hominum licet hanc paginam nostre confirmationis, approbationis, constitutionis et suppletionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem etc. Datum Anchone Anno Incarnationis dominice Millesimo quadringentesimo sexagesimoquarto, duodecimo Kalendas Augusti, Pontificatus nostri Anno Sexto.

EPISTOLAE PAULI PP. II.

DCLXIII.

Gesta ab archiepo Ragusino circa reformationem in visitatione monasterii s. Mariae Lacromensis eiusdem dioecesis pontifex approbat. Reg. Aa. II. Secret. Tom. 3. fol. 19.

PAULUS EPISCOPUS etc. Ad porpotuam rei memoriam. Inter varias, que nobis ex officio pastorali censentur incumbere, curas illas libenter amplectimur, ut teuemur, per quas in eccleaiis et monasteriis quibuslibet devoto solicitudinis studio benedicatur altissimus, animarum quoque propagata salute divinorum cultus cum religionis decore continuum suscipiat incrementum, ac hiis, que propterea provido processisse comperimus, ut perpetuo illibata persistant, apostolici muniminis adiicimus firmitatem. Olim siquidem fel. record. Pio papa II. predecessori nostro pro parte dilectorum filiorum Rectoris et Consilii Civitatis Ragusine exposito, quod ipsi ex magna devotione, quam ad ordinem sancti Benedicti gerebant, monasterium sancte Marie Lacromonse dicti ordinis Ragusinc diocesis ad regularem observantiam reduci magnopere affectabant, idem predecessor bone memorie Francisco Archiepiscopo Ragusino per alias suas litteras dedit in mandatis, ut ad ipsum monasterium personaliter accedens et habens pre oculis solum deum, illud auctoritate apostolica pro semel tantum, adhibitis socum duobus religiosis idoneis, auctoritate apostolica visitaret, corrigeret et reformaret secundum iuris dispositionem, ac eiusdem ordinis et sacrorum canonum instituta tam in capite quam in membris, necnon quecunque alia circa ipsius et personarum in eo degentium directionem et reformationem exequeretur et faceret, que in eo visitationis et reformationis officio conspiceret indigore. Et nichilominus statueret et decerneret, quod decetero in dicto monasterio pro tempore degontes persone sub regulari observantia dicti ordinis vivere, et per Abbatem et (seu) Priorem annualem per ipsius monasterii Conventum singulis annis eligendum iuxta regularia instituta, ritus, mores et consuetudines monachorum Congregationis sancte Iustine Paduane dicti ordinis monasterium ipsum regi et gubernari, ipsoque Abbas sen Prior, sue administrationis et officii anno completo, in Capitulo per eum et Conventum predictos in eodem monasterio celebrando regimini dicti monasterii sponte cedere, et alius idoneus eius loco eligi et ad ipsius monasterii regimen assumi deberet, nullusque ex ipsius monasterii Abbate sive Priore, qui essent pro tempore, illius immobilia seu preciosa mobilia bona alienare valeret quoquomodo: hospitale vero dicti monasterii in suo remaneret statu, et in reliquis secundum eius antiquam consuetudinem in omnibus et per omnia dictum monasterium gubernaretur: ac postremo ipsum monasterium cum personis in eo pro tempore degentibus ad instar aliorum monasteriorum congregationis eiusdem ab omni iurisdictione, dominio, potestate, visitatione, correctione et superioritate quorumcumque ordinariorum et aliorum iudicum perpetuo eximerot, ac illud sibi, doneo ipsi ecclesie praessot, subiiceret. Et insuper voluit, quod dictus Archiepiscopus dilecto filio Gregorio ipsius monasterii Abbati pro eius sustentatione de proventibus ipsius monasterii, prout discretioni sue viderctur, provideret et portionem congruam assignaret. Preterea eidem Gregorio Abbati, ut etiam post reformationom huiusmodi ubilibet, preterquam in dicto monasterio, Abbas nominari posset, eadem auctoritate concederet, prout in dictis litteris plenius continetur. Postmodum vero, sicut exhibita nobis nuper pro parte dicti Gregorii Abbatis necnon Rectoris et Consilii predictorum peticio continebat, idem Archiepiscopus ad ipsarum litterarum excutionem illarum forma servata, duobus religiosis idoneis secum adhibitis, rite procedens monasterium ipsum tam in capite quam in membris visitavit et reformavit, ac statuit et decrevit, quod regularis observantia huiusmodi in illo docetero vigeret perpetuo, ut prefertur, et eidem Gregorio Abbati, postquam ipsius monasterii regimini in manibus eiusdem Archiepi extra Romanam curiam sponte cesserat, pro eius sustentatione certam pensionem annuam tunc exprcssam eadem auctoritate assignavit, atque omnia alia et singula fecit, statuit et ordinavit iuxta ipsarum continentiam littorarun. Demum vero pro crectione et institutione regularis observantie secundum ritus et mores monachorum congregationis eiusdem in monasterio antedicto, et illius conservatione ac porsonarum in eo pro tempore degentium quietc et pace inter ipsos Rectorem et Consilium, necnon dilectos

filios Presidentes congregationis eiusdem nonnulla capitula inita et firmata fuere, in quibus inter cetera continetur, quemadmodum inter partes ipsas expresse conventum extitit, quod hospitale predictum taliter supprimi et extingui deberet, illiusque fructus, redditus et proventus eidem monasterio pro usu et sustentatione personarum congregationis eiusdem in illo pro tempore degentium applicaretur, et pauperibus in ipso hospitali degentibus aliunde iuxta ipsorum necessitates per ipsos Rectorem et Consilium provideri deberet: pro quorum omnium soliditate et complemento, postquam premissa omnia, reservato semper in premissis omnibus nostro et apostolice sedis beneplacito, inter partes ipsas conventa et conclusa, atque Rectoris et Consilii predictorum capitula et conventiones huiusmodi sigillo munita extiterant, idem Gregorius Abbas cessioni sic per eum, ut premittitur, facte inherendo, ac illam ratificando pro potioris cauthele suffragio iterum coram certis notario publico et testibus fidedignis extra dictam curiam sponte cessit, suumque in premissis, quantum in eo esset, consensum prestitit iterato, prout in quibusdam instrumentis publicis desuper confectis, necnon capitulis sive conventionibus antedictis dicitur plenius contineri. Cum autem, sicut eadem peticio continebat, premissa omnia in divine maiestatis honorem et gloriam, divini cultus augmentum, reformationem ipsius monasterii et religionis propagationem cum salute animarum cedere dinoscantur, pro parte Abbatis, Rectoris et Consilii predictorum nobis fuit humiliter supplicatum, ut eisdem premissis omnibus et singulis pro eorum subsistentia firmiori robur apostolice confirmationis adiicere, ac alias super hiis oportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, qui monasteriorum et locorum regularium instaurationem et reformationem, ac in eo degentium personarum directionem, ac statum prosperum et felicem cum ampliatione divinorum et animarum salute intensis desideriis affectamus, huiusmodi supplicationibus inclinati cessionem, admissionem, assignationem pensionis, statutum, ordinationem et processum per eundem Archiepiscopum habitum, capitula quoque sive conventiones predicta, et prout illa concernunt alia sic, ut premittitur, gesta rata habentes et grata, illa auctoritate apostolica tenore presentium approbamus et confirmamus, ac presentis scripti patrocinio communimus, supplentes omnes defectus, si qui forsan intervenerint in eisdem. Et nichilominus pro potiori robore premissorum cessionem predictam denuo admittentes monasterium predictum, cuius fructuum, redditumum et proventuum verum valorem annuum presentibus haberi volumus pro expresso, cum omnibus iuribus et pertinentiis suis congregationi predicte per illius monachos secundum ritus, mores et instituta predicta tenendum, regendum et gubernandum perpetuo concedimus et applicamus: hospitale vero predictum omnino supprimimus per presentes, ita quod liceat monachis congregationis eiusdem per se vel alium seu alios corporaliem possessionem monasterii, iurium et pertinentiarum eiusdem auctoritate propria libere apprehendere, et perpetuo retinere, alicuius super hoc licencia minime requisita, Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon statutis et consuetudinibus monasterii et ordinis predictorum, ac omnibus illis, que idem predecessor in dictis litteris voluit non obstare, ceterisque contrariis quibuscunque. Volumus autem, quod pauperibus in dicto hospitali degentibus de habitatione et vite necessariis per Rectorem et Consilium predictos perpetuo provideri debeat, ut est moris, ac ipsi Abbati annis singulis persolvatur pensio antedicta: alioquin presentes nullius sint roboris vel momenti. Nulli ergo etc. nostre ratibabitionis, approbationis, confirmationis, communitionis, suppletionis, admissionis, concessionis, applicationis, suppressionis et voluntatis infringere etc. Si quis autem etc. Datum Rome apud Sanctum Marcum Anno Incarnationis dominice Millesimo quadringentesimo sexagesimosexto, XI. Kal. Septembris, Pont. nostri Anno Secundo.

DCLXIV.

Iudicibus, ut locationem de possessione in insula Lachigrana sita a canonicis s. Mariae maioris Ragusinis congregationi s. Iustinae de Padua ad mille annos factam apostolica auctoritate confirmare possint.
Reg. An. IV. Secret. Tom. 5. fol. 31.

PAULUS EPISCOPUS etc. Venerabili fratri ... Episcopo Marcanensi in Civitate Ragusina residenti, ac dilecto filio Abbati Monasterii sancti Iacobi extra muros Ragusinos, salutem etc. Hiis, que pro evidenti utilitate religiosorum locorum ac personarum in eis altissimo famulantium provide facta sunt, ut firma perpetuo et illibata persistant, libenter, cum a nobis petitur, apostolici mandamus adiici muniminis firmitatem. Dudum siquidem a nobis emanarunt littere tenoris sequentis: Paulus Episcopus etc. Ad perpetuam rei memoriam. Cum in omnibus iudiciis sit rectitudo etc. Et deinde, sicut exhibita nobis nuper pro parte dilectorum filiorum universorum monachorum Congregationis sancte Iustine de Padua, ordinis sancti Benedicti regularis observantie, apud Civitatem Ragusinam commorantium peticio

continebat, dilectus filius Nicolaus Pauli de Gondola nobilis Ragusinus pridem ob singularem devotionem, quam gerebat, prout gerit, ad monachos dicte congregationis, quandam possessionem in insula Lachignana Ragusine diocesis consistentem cum domibus, capella, edificiis, terris, vineis, aquis, arboribus et nemoribus, quam dictus Nicolaus in prefata insula a dilectis filiis Capitulo ecclesie Ragusine, ad cuius mensam Capitularem proprietas ipsius possessionis pertinet, sibi sub annuo censu quatuor Iperperorum monete in partibus illis currentis, Capitulo huiusmodi persolvendorum, usque ad quartam generationem tantum nondum finitam concessam ab eisdem Capitulo tenebat pure et libere, ea donatione, que dicitur inter vivos, monachis seu congregationi huiusmodi donavit. Et subsequenter prefati Capitulum simili devotione ducti possessionem ipsam cum domibus et aliis premissis sub annuo censu decem Iperperorum eiusdem monete, eisdem Capitulo persolvendorum, dictis monachis usque ad mille annos, prout moris est in illis partibus, ad fictum seu livellum concesserunt et assignarunt, prout in quodam Instrumento publico inde confecto, cuius tenorem inspici et diligenter examinari, ac inferius de verbo ad verbum inseri fecimus, plenius continetur. Quare pro parte dictorum monachorum ascerentium, quod possessio ipsa non erat, nec est prefatis Capitulo incorporata, nobis fuit humiliter supplicatum, ut concessioni et assignationi predictis, necnon omnibus et singulis in dicto Instrumento contentis pro illarum subsistentia firmiori robur apostolice confirmationis adiicere, aliasque in premissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur de premissis certam notitiam non habentes, ac possessiones, domorum, vinearum, terrarum et nemorum huiusmodi qualitates, quantitates, confines et valorem presentibus pro expressis haberi volentes, huiusmodi supplicationibus inclinati discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus vos vel alter vestrum, vocatis Capitulo predictis et aliis qui fuerint evocandi, de premissis omnibus et singulis, et eorum circumstantiis universis auctoritate nostra inxta tenorem preinsertarum litterarum vos diligenter informetis, et si per informationem huiusmodi ita esse, ac concessionem et assignationem predictas in evidentem utilitatem mense Capitularis dicte ecclesie Ragusine cessisse et cedere repereritis, concessionem et assignationem huiusmodi, et illas concernentia omnia et singula in dicto Instrumento contenta, et inde secuta quecunque eadem auctoritate confirmetis et approbetis, supplendo omnes defectus, si qui forsan intervenerint in eisdem, non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac statutis et consuetudinibus ecclesie ot ordinis predictorum iuramento, confirmatione apostolica vel quavis alia firmitate roboratis, ceterisque contrariis quibuscunque. Tenor vero dicti Instrumenti talis est.

In Christi nomine Amen. Anno nativitatis eiusdem Millesimo quadringentesimo sexagesimoseptimo, Indictione quintadecima, die vicesimosecundo mensis Ianuarii Ragusii coram testibus infrascriptis, Cum nobilis vir Ser Nicolaus quondam Pauli de Gondola donaverit, et donationem irrevocabilem inter vivos fecerit sacre Congregationi sancte Iustine de Padua, ordinis sancti Benedicti de observantia, de possessione ipsius Ser Nicolai posita in Lachignana, ac de domibus, edificiis, terris, vineis, aquis, arboribus, nemoribus et iuribus omnibus, que ipse Ser Nicolaus habebat in insula Lachignane, prout de Instrumento dicte donationis apparet in libro Catastici diversorum Notariorum Ragusinorum, sub die quarto Novembris Millesimo quadringentesimo sexagesimoquinto, et in ipsa donatione nullam fecerit mentionem de Iperperis quatuor monete Ragusine, qui annuatim solvuntur Reverendo Capitulo dominorum Canonicorum ecclesie sancte Marie maioris Ragusii, postea Venerabilis in Christo pater dñus Iulianus de Genna (Ienua), monachus dicte Congregationis sancte Iustine, cum suis monachis infrascriptis venerit Ragusium, et acceptaverit Monasterium sancte Marie de la Croma Ragusine diocesis sub dicta Congregatione, et oognovorit revera, quod dicti Iperperi quatuor annuatim debebant solvi pro dicta possessione Lachignane ipsis dominis Canonicis, quia iam sunt anni centum et quadraginta vel circa, quod semper dicta Iperperi quatuor soluti fuerunt ipsis dominis Canonicis, ut continetur in Instrumento publico per Ser Bartholomeum de Sfondratis de Cremona, Notarium Communis Ragusii facto in Millesimo trecentesimo vicesimoseptimo, die duodocima mensis Iulii, volens ipse dominus Iulianus cum suis monachis infrascriptis recognoscere dictam possessionem et iura predicta ab ipsis dominis Canonicis, quorum est directum dominium dicte possessionis et iurium Lachignane, et offerens se nomine dicte Congregationis annuatim solvere Iperperos decem, ita quod ubi antea solvebantur Iperperi quatuor, deinceps solvantur et solvi intelligantur Iperperi decem Ragusii: predictum Capitulum ac dñi Canonici dicte ecclesie sancte Marie maioris, videlicet dominus Matheus de Goziis Archidiaconus, dñus Rusconus de Zaracha Archipresbiter, dominus Marinus de Ragnina, dominus Nicolaus Menze, dominus Andreas de Sorgo, dominus Matheus de Ragnina et dominus Nicolaus de Gotaldo, aliis absentibus a Civitate et

districtu Ragusii ac operam dantibus studio litterarum ad partes Italie, omni iure, via, modo et forma, quibus melius et validius fieri et esse potest, considerata consuetudine Civitatis Ragusii et dicti eorum Capituli, que servatur, quando aliqua proprietas locatur vel livellatur ad longum tempus, et servatis solemnitatibus servandis, pro evidenti commodo et utilitate dicti eorum Capituli dederunt, locarunt et livellarunt dicto domino Iuliano et suis monachis infrascriptis, nomine dicte Congregationis conducentibus, usque ad annos Mille proxime futuros dictam possessionem Lachignane cum ecclesia s. Ysidori super ea posita, ac omnibus et singulis terris, vineis, aquis, arboribus et iuribus omnibus, que habent in Lachignana predicta, ita quod ipsa Congregatio sancte Iustine predicte, vel agentes pro ea, predictam possessionem Lachignane, ac omnia iura predicta usque ad predictos annos Mille proxime futuros habeat, teneat, possideat, locet, livellet, laboret et omnia faciat pro voluntate ipsius Congregationis tanquam de re ipsius Congregationis, salvo semper affictu et livello infrascripto: pro qua quidem possessione et iuribus supra locatis ipse dominus Iulianus cum suis monachis infrascriptis obligat, et promittit nomine dicte Congregationis dare, et solvere ipsi Capitulo dñorum Canonicorum sancte Marie predicte omni et singulo anno Iperperos decem Ragusii pro dicto livello sive affictu predicto. Et ne ulla dubitatio unquam suboriri possit nec opponi, quin predicta possessio et iura predicta sint idoneo et equivalenti livello et affictu livellata et afficta, et quod plus mereretur de livello et affictu, id totum plus, quod dicte proprietates mererentur de affictu sive livello ultra dictos Iperperos decem annuos, quantulncunque esset, si quid esset, predictum Capitulum dominorum Canonicorum donat et donationem plenariam facit ipsi Congregationi sancte Iustine. Que omnia et singula supradicta ut validiori robore et salubriori firmamento a sacra sede apostolica consolidentur, predictus dominus Iulianus cum dictis suis monachis promittit, et debet omnibus expensis dicte Congregationis impetrare a sede apostolica infra unum annum proxime futurum dictam consolidationem et confirmationem. Nomina vero dictorum monachorum existentium cum dicto domino Iuliano sunt hec, videlicet predictus dominus Iulianus de Ienua, dominus Celsus de Mediolano, dominus Laurentius de Marostica, dominus Michael de Mntina, dominus Philippus de Mediolano, dominus Raphael de Barchinona et dominus Alexius de Crastoruza: et hoc factum fuit cum voluntate Rñdi dñi Petri de Alleiis Vicarii Rñi in Christi patris et dñi, dñi Antonii de Alleiis dei et apostolice sedis gratia Archiepiscopi Ragusini, qui suum in predictis prebuit consensum et suam interposuit auctoritatem. Renuntiantes(?). Hec autem carta nullo testimonio rumpi possit, Iudex Ser Michael de Volcio et Marchiucus Florii testes. Suprascriptum Instrumentum locationis et omnia et singula in eo contenta laudata, approbata et confirmata fuerunt per Magistrum dominum Rectorem Ragusii Ser Sigismundum de Georgio, et eius Consilium ad plenum nnmerum congregatum, ut apparet in libro minoris consilii sub die vigesimatertia presentis mensis Ianuarii. Ego David Bocarius de Placentia, Imperiali auctoritate Notarius, et Communis Ragusii iuratus Notarius et Cancellarius, predictis omnibus et singulis, dnm sic, ut premittitur, agerentur et fierent, rogatus interfui, et ea publice scripsi signoque et nomine meis appositis me subscripsi in fidem et testimonium premissorum.

Datum Rome apud Sanctum Marcum Anno Incarnationis dominice Millesimo quadringentesimo sexagesimoseptimo, XIII. Kal. Decembris, Pontificatus nostri Anno Quarto.

DCLXV.

Vicario archiepiscopi Iadrensis causa matrimonii inter Ioannem Luchodieh et Nicolinam Laurentii ab vicario generali episcopi Sibinicensis appellantem cognoscenda committitur. Reg. An. IV. Secret. Tom. 4. fol. 280.

Paulus episcopus etc. Dilecto filio Vicario Venerabilis fratris nostri Archiepiscopi Iadrensis in spiritualibus generali, salutem etc. Humilibus supplicum votis libenter annuimus, eaque favoribus prosequimur opportunis. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dilecte in Christo filie Nicoline Dominici Laurentii mulieris Sibinicensis peticio continebat, quod cum olim dilectus filius Iohannes Bartholomei Luchodich, laicus Sibenicensis, falso asserens, quod ipse cum prefata Nicolina matrimonium per verba legitime de presente contraxisset, eamdemque Nicolinam super hoc, petendo eam sibi adiudicari in uxorem, coram dilecto filio moderno Vicario Venerabilis fratris nostri Episcopi Sibinicensis in spiritualibus generali, non ex delegatione apostolica, traxisset in causam, pro parte ipsius Nicoline coram eodem Vicario fuit excipiendo propositum, quod ipsa eum ex certis tunc expressis legitimis causis in huiusmodi causa merito suspectum habebat, prout erat legitime probare parata, et ad eligendum arbitros cum parte altera, coram quibus causa suspitionis probari posset, ab eodem humiliter peciit se admitti. Et quia ipse Vicarius eam super hoc audire contra iusticiam recusavit, seque in huiusmodi causa

iudicem competentem fore interloquendo pronunciavit inique, pro parte ipsius Nicoline sentientis propterea ab eodem Vicario indebite se gravari fuit ad sedem apostolicam appellatum, nobisque postmodum humiliter supplicatum, ut causam appellationis huinsmodi et negotii principalis alicui probo viro in partibus illis committere, vel alias super hiis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, huiusmodi supplicationibus inclinati discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus si et postquam vocatis dicto Iohanne et aliis, qui fuerint evocandi, tibi de premissis legitime constiterit, auditis hinc inde propositis, etiam de principali negocio cognoscens legitime, quod canonicum fuerit, appellatione remota, decernas, faciens, quod decreveris, per censuram ecclesiasticam firmiter observari, Non obstante si eidem Iohanni vel quibusvis aliis communiter vel divisim ab eadem sit sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possent per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Datum Rome apud Sanctum Marcum Anno Incarnationis dominice Millesimo quadringentesimo sexagesimoseptimo, v. Idus Ianuarii, Pontificatus nostri Anno Quarto.

DCLXVI.

Iudicibus, ut causam de matrimonio inter Ioannem Marini de Ozoris et Margaritam Hectoris Antonii Farensem promisso vertentem audiant et decidant. Reg. An. V. Secret. Tom. 9. fol. 243.

Paulus episcopus etc. Dilectis filiis Primicerio Traguriensis et Iohanni Vitalich Canonico Farensis ecclesiarum, salutem etc. Humilibus supplicum votis libenter annuimus, eaque favoribus prosequimur opportunis. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dilecti filii Iohannis Marini de Ozoris, laici Farensis, peticio continebat, quod olim dilecta in Christo filia Margarita Hectoris Antonii, mulier Farensis, minus veraciter asserens se cum dicto Iohanne sponsalia contraxisse, et ab eo carnaliter cognitam extitisse, dictaque sponsalia per huiusmodi copulam in matrimonium de presenti transivisse, nostras super fedore matrimonii huiusmodi ad Episcopum Traguriensem, eius proprio nomine non expresso, sub certa forma litteras impetravit, eundem Iohannem super hoc, petendo eum cogi et compelli ad ipsam Margaritam traducendum et illi cohabitandum, ac eam maritali affectione tractandum, coram Venerabili fratre nostro moderno Episcopo Traguriensi fecit ad iudicium evocari, ipseque Episcopus in huiusmodi causa ad nonnullos actus inter partes ipsas dicitur processisse. Cum autem, sicut eadem peticio subiungebat, dictus Iohannes eundem Episcopum ex certis causis legitimis habebat in huiusmodi causa merito suspectum, pro parte dicti Iohannis, asserentis se propter hoc ad Romanam curiam personaliter accessisse, nobis fuit humiliter supplicatum, ut sibi suoque statui super his oportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur huiusmodi supplicationibus inclinati discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus in huiusmodi causa una cum prefato moderno Episcopo, cui vos in illa audienda et decidenda per presentes adiungimus, procedentes legitime, revocatoque in irritum quicquid post iter per ipsum Iohannem ad dictam curiam arreptum per prefatum Episcopum in huiusmodi causa attemptatum repereritis, vocatisque dicta Margarita et aliis, qui fuerint evocandi, et auditis hinc inde propositis, quod canonicum fuerit, auctoritate nostra decernatis, facientes quod decreveritis per censuram ecclesiasticam firmiter observari. Nos enim prefato Episcopo, ne in huiusmodi causa absque vobis inter partes ipsas procedat, districtius inhibemus, decernentes irritum et inane, quicquid in contrarium contigerit attemptari, Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis ceterisque contrariis quibuscunque. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis dominice m.cccc.lxix. sexto Idus Augusti, Pontificatus nostri Anno Quinto.

DCLXVII.

Stephanus rector parrochialis ecclesiae s. Georgii de Assanis Dalmensis dioec. ecclesiae Polatensi maiori in episcopum praeficitur. Reg. An. VII. Tom. 14. fol. 28.

Paulus episcopus etc. Dilecto filio Stephano Electo Polatensi, salutem etc. Divina disponente clementia, cuius inscrutabili providentia ordinationem suscipiunt universa, in apostolice dignitatis specula licet immeriti constituti ad universas orbis ecclesias aciem nostre considerationis extendimus, et pro earum statu saluberiter dirigendo apostolici favoris auxilium adhibemus: sed de illis propensius cogitare nos convenit, quas propriis carere pastoribus intuemur, ut eis iuxta cor nostrum viri preficiantur idonei, qui commissos sibi populos per suam circumspectionem provide et saluberiter dirigant et informent, ac bona ecclesiarum ipsarum non solum gubernent utiliter, sed multimodis efferant incrementis.

Dudum siquidem bone memorie Nicolao Episcopo Polatensi regimini ecclesie Polatensis maioris presidente, nos cupientes ipsi ecclesie, cum vacaret, per apostolice sedis providentiam utilem et idoneum presidere personam, provisionem eiusdem ecclesie dispositioni et ordinationi nostre duximus ea vice specialiter reservandam, decernentes ex tunc irritum et inane, si secus super hiis per quoscumque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari. Postmodum vero prefata ecclesia per obitum dicti Nicolai Episcopi, qui extra Romanam Curiam diem clausit extremum, vacante, nos vacatione huiusmodi fidedignis relatibus intellecta ad provisionem ipsius ecclesie celerem et felicem, de qua nullus preter nos hac vice se intromittere potuit nec potest, reservatione et decreto obsistentibus supradictis, ne ecclesia ipsa longe vacationis exponeretur incommodis, paternis et solicitis studiis intendentes, post deliberationem, quam de preficiendo eidem ecclesie personam utilem et fructuosam cum fratribus nostris habuimus diligentem, demum ad te Rectorem parrocchialis ecclesie sancti Georgii de Assanis Dainensis diocesis, qui apud nos de litterarum scientia, vite munditia, honestate morum, spiritualium providentia et temporalium circumspectione aliisque multiplicium virtutum donis fidedigno testimonio commendaris, direximus oculos nostre mentis: quibus omnibus debita meditatione pensatis, de persona tua, nobis et eisdem fratribus ob dictorum tuorum meritorum exigentiam accepta, eidem ecclesie Polatensi maiori de eorumdem fratrum consilio auctoritate apostolica providemus, teque illi preficimus in Episcopum et pastorem, curam, regimen et administrationem ipsius ecclesie Polatensis maioris tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, in illo, qui dat gratias et largitur premia, confidentes, quod dirigente domino actus tuos prefata ecclesia Polatensis maior per tue industrie et circumspectionis studium fructuosum regetur utiliter et prospere dirigetur, ac grata in eisdem spiritualibus et temporalibus suscipiet incrementa. Quocirca discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus impositum tibi a domino onus regiminis et administrationis dicte ecclesie Polatensis maioris suscipiens reverenter, sic te in eius cura salubriter et fideliter exercenda diligentem exhibeas et etiam studiosum, quod prefata ecclesia Polatensis maior gubernatori provido et fructuoso administratori gaudeat se commissam, tuque preter eterne retributionis premium et humane laudis preconium nostram et apostolice sedis benivolentiam et gratiam exinde uberiores consequi merearis. Volumus autem, quod bona immobilia et pretiosa mobilia dicte ecclesie Polatensis maioris nullatenus alienare presumas: alioquin penas in quadam per nos super hoc edita constitutione contentas eo ipso incurras. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis dominice Millesimo quadringentesimo septuagesimo, VII. Kalendas Novembris, Pontificatus nostri Anno Septimo.

DCLXVIII.

Stephano electo Polatensi indulgetur, ut a quocumque antistite catholico consecrationis munus recipere possit.
Reg. An. VII. Secret. Tom. 14. fol. 29.

PAULUS EPISCOPUS etc. Dilecto filio Stephano Electo Polatensi, salutem etc. Cum nos pridem ecclesie Polatensi pastoris regimine destitute de persona tua, nobis et fratribus nostris ob tuorum exigentiam meritorum accepta, de fratrum eorundem consilio auctoritate apostolica duxerimus providendum, preficiendo te illi in Episcopum et pastorem, prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur: Nos igitur ad ea, que ad tue commoditatis augmentum cedere valeant, favorabiliter intendentes, tuis supplicationibus inclinati tibi, ut a quocumque malueris catholico Antistite gratiam et communionem apostolice sedis habente, ascitis et in hoc sibi assistentibus duobus vel tribus catholicis Episcopis similem gratiam et communionem habentibus, munus consecrationis recipere valeas, ac eidem Antistiti, ut recepto prius per eum nostro et Romane ecclesie nomine a te fidelitatis debite solito iuramento iuxta formam presentibus annotatam, munus predictum auctoritate nostra impendere libere tibi possit, plenam et liberam concedimus earundem presentium tenore facultatem. Volumus autem et auctoritate predicta statuimus et decernimus, quod si non recepto a te per ipsum Episcopum dicto iuramento, idem Episcopus munus ipsum tibi impendere et tu illud suscipere presumpseritis, dictus Antistes a pontificalis officii exercitio, et tam ipse quam tu ab administratione tam spiritualium quam temporalium ecclesiarum vestrarum suspensi sitis eo ipso. Preterea volumus, quod formam huiusmodi a te tunc prestiti iuramenti nobis de verbo ad verbum per tuas patentes litteras tuo sigillo signatas per proprium nunciun quantocitius destinare procures, quodque per hoc Venerabili fratri nostro Archiepiscopo Antibarensi, cui prefata ecclesia metropolitico iure subesse dinoscitur, nullum imposterum preiudicium generetur. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis dominice M.CCCC.LXX. VII. Kal. Novembris, Pontificatus nostri Anno Septimo.

DCLXIX.

Laurentius Zane archiepus Spalatensis thesaurarius Marchiae Anconitanae etc. statuta artis lanae in civitate Cesenate edit. Reg. An. VII. Tom. 15. fol. 273.

Laurentius Zane dei gratia Archiepiscopus Spalatensis, Sanctissimi domini nostri pape Thesaurarius Marchie etc. ac gentium armorum Gubernator generalis, necnon Cesene et Romandiole Commissarius cum plena petestate generalis. Cum sicut nobis per enndem Sanctissimnm dominum nostrum receptio et cura magnifice Civitatis Cesene ad gremium sacrosancte Romane ecclesie redeuntis commissa fuit, ita nos ipsam Civitatem et cives omnes peculiari caritate et affectione fraterna prosequamur, non immerito ad ea libenter et ex toto corde intendimus, que ad ipsius populi exaltationem, dignitatem et commoda spectare videatur. Ad petitionem itaque, requisitionem et instantiam magnificorum Conservatorum Consilii LXXXXVI. et plurimnm civium eiusdem Civitatis suprascripta LXVII. capitula artis lane, que in his decem cartis continentur, per nos composita, edita et compilata, ex cuius artis exercitio totius Civitatis corpns maximam sentiet accessionem, pauperes enim ex laboribus suis viventes sustentabuntur, ceteri facultates suas propria industria ampliabunt, ad laudem et gloriam omnipotentis dei, gloriosissime Virginis Marie ac beate Catheriñe, cuius hodie festum celebramus, necnon ad conservationem fidelitatis et devotionis magnifici populi et Communis Cesene in Sanctissimum dominum nostrum et sanctam Romanam ecclesiam, ad decus etiam, augmentum et utilitatem prefate magnifice Civitatis Cesene, ut ipsa prefati Sanctissimi domini nostri gratiam quotidie uberiorem in se prospiciens prorogari tenacius in fidelitate et sinceritate sua perseveret, novis in dies beneficiis invitata ad filialem dilectionem et debitam obedientiam, tenore presentium approbamns, confirmamus, ratificamus et nostre prefate commissionis auctoritate roboramus, mandantes proinde ipsa omnia capitula et quodlibet ipsorum, prout iacent, inviolabiliter observanda esse et observari debere. In quorum fidem et testimonium presentes ficri et nostri consueti rotundi sigilli iussimus impressione muniri. Datum Cesene in palatio nostre residentie in Murata anno salutis christiane M.CCCC.LXX. die XXV. Novembris, Pontificatus eiusdem Pauli pape II. anno septimo. Laurentius Thesaurarius et Commissarius etc. supradictus mpp. Ia. de Minutolis.

EPISTOLAE SIXTI PP. IV.

DCLXX.

Zanetus de Utino magister ord. Minorum generalis ecclesiae Spalatensi in archiepiscopum praeficitur et de more commendatur. Reg. An. II. Tom. 13. fol. 172.

Sixtus episcopus etc. Dilecto filio Zaneto de Utino Electo Spalatensi, salutem etc. Credito nobis dispensationis urgemur officio, ut qui dispositione divina cunctis ecclesiis potestatis plenitudine nobis tradita presumus, earum utilitatem sic prospiciamus solicite, sicque vigilanter et salnbriter intendamus, ut nostre directionis ope ecclesiis singulis pastor accedat ydoneus et rector providus deputetur, qui populum sibi commissum salubriter dirigat et informet, ac ipsis ecclesiis votive prosperitatis afferat incrementa. Dudum siquidem provisiones omnium ecclesiarum etiam metropolitanarum, tunc per pastorum earumdem ad aliarum ecclesiarum regimina translationem vacantium, ordinationi et dispositioni nostre duximus reservandas, decernentes extunc irritum et inane, si secus super hiis per quoscumque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari. Postmodum vero ecclesia Spalatensi ex eo, quod nos nuper dilectum filium nostrum Petrum tituli sancti Sixti presbiterum Cardinalem a vinculo, quo eidem ecclesie Spalatensi, cui tunc ex dispensatione apostolica preerat, tenebatur, de fratrum nostrorum consilio et apostolice potestatis plenitudine absolventes, ipsum ad ecclesiam Florentinam tunc certo modo vacantem apostolica auctoritate transtulimus, ac illi in Archiepiscopum et pastorem prefecimns, pastoris solatio destituta, Nos provisionem dicte ecclesie Spalatensis celerem et felicem, de qna nullus preter nos hac vice se intromittere potuit sive potest, reservatione et decreto obsistentibus supradictis,

ne ecclesia ipsa longe vacationis exponatur incommodis, paternis et solicitis studiis intendentes, post deliberationem, quam de preficiendo oidem ecclesie Spalatensi personam utilem et etiam fructuosam cum fratribus nostris habuimus diligentem, demum ad te Theologie et ordinis fratrum Minorum professorem ac dicti ordinis Generalem, religionis zelo, vite ac morum honestate decorum, in spiritualibus providum et temporalibus circumspectum aliisque multiplicium virtutum donis, prout fidedignorum testimoniis accepimus, et etiam familiari experientia cognovimus, insignitum direximus oculos nostre mentis: quibus omnibus debita meditatione pensatis, de persona tua, nobis et eisdem fratribus ob dictorum tuorum exigentiam meritorum accepta, prefate ecclesie Spalatensi de dictorum fratrum consilio apostolica auctoritate predicta providemus, teque illi preficimus in Archiepiscopum et pastorem, curam et administrationem ipsius ecclesie Spalatensis tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, in illo, qui dat gratias et largitur premia, confidentes, quod ipsa ecclesia Spalatensis per tue circumspectionis industriam et studium fructuosum, gratia domini tibi assistente propitia, regetur utiliter et prospere dirigetur, ac grata in eisdem spiritualibus et temporalibus suscipiet incrementa. Quocirca discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus impositum tibi a domino onus regiminis et administrationis dicte ecclesie Spalatensis suscipiens reverenter, sic te in eius cura salubriter exercenda diligentem exhibeas et etiam studiosum, quod ipsa Spalatensis ecclesia gubernatori provido et fructuoso administratori gaudeat se commissam, tuque preter eterne retributionis premium nostram dicteque sedis benedictionem et gratiam exinde uberius consequi mercaris. Datum Tibure Anno etc. M.CCCC.LXXIII. decimo Kalendas Augusti, Pontificatus nostri Anno Secundo.

Eodem modo Dilectis filiis Capitulo et Vassallis ecclesie Spalatensis, Clero et populo Civitatis et diocesis Spalatensis.

DCLXXI.

Michaeli Radizosich canonico Sibinicensi, ut Bernardino Sporcych mansionariam ecclesiae Sibinicensis et quasdam alias ecclesias conferat. Reg. Ao. II. Tom. 29. fol. 157.

SIXTUS EPISCOPUS etc. Dilecto filio Michaeli Radizosich Canonico Sibinicensi, salutem etc. Dignum arbitramur et congruum, ut illis se reddat sedes apostolica gratiosam, quibus ad id propria virtutum merita suffragantur. Cum itaque mansionaria ecclesie Sibinicensis, et sancti Michaelis in Castro Sibinicensi, ad quam, dum pro tempore vacat, dilecti filii Comes et Consilium Sibinicenses ex antiqua et hactenus pacifice observata consuetudine personam ydoneam presentare consueverunt, et sicut accepimus sancti Martini apud leprosos extra mures Sibinicenses, que de iurepatronatus laicorum existit, ecclesie, capelle nuncupate, per liberam resignationem dilecti filii Martini Drobincych nuper Sibinicensis Mansionarii et dictarum ecclesiarum Rectoris de illis, quas tunc obtinebat, per eum in manibus nostris sponte factam, et per nos admissam apud sedem predictam vacaverint et vacent ad presens, nullusque de mansionaria et ecclesia sancti Michaelis predictis hac vice disponere potuerit sive possit, pro eo quod nos dudum omnia beneficia ecclesiastica apud sedem ipsam tunc vacantia, et inantea vacatura collationi et dispositioni nostre reservavimus, decernentes extunc irritum et inane, si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari: Nos volentes dilectum filium Bernardinum Bartholi Sporcych clericum Sibinicensem, qui, ut asserit, de genere nobili procreatus existit, apud nos de nobilitatis gencre, vite ac morum honestate aliisque probitatis et virtutum meritis multipliciter commendatum, horum intuitu gratioso favore prosequi, ac omnia et singula beneficia ecclesiastica cum cura et sine cura, que dictus Bernardinus etiam ex quibusvis dispensationibus apostolicis obtinet et expectat, ac in quibus et ad que ius sibi quomodolibet competit, quecumque, quotcumque et qualiacumque sint, eorumque fructuum, reddituum et proventuum veros valores annuos, ac huiusmodi dispensationum tenores presentibus pro expressis habentes, discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus si per diligentem examinationem eundem Bernardum ad hoc ydonenm esse reppereris, super quo tuam conscientiam oneramus, mansionariam huiusmodi, ad quam quis per electionem assumitur, et cuius quinque, ac sancti Michaelis, cuius duodecim, necnon sancti Martini, que sine cura sunt, ecclesias predictas, cuius quatuor florenorum auri de Camera fructus, redditus et proventus secundum communem extimationem valorem annuum, ut idem Bernardinus etiam asserit, non excedunt, sive ut premittitur, sive alias quovis modo aut ex alterius cuiuscumque persona, seu per similem resignationem alicnius alterius de illis in Romana curia vel extra eam, etiam coram notario publico et testibus sponte factam vacent, etiamsi tanto tempore vacuerint, quod earum cellatio iuxta Lateranensis statuta concilii ad sedem

predictam legitime devolnta, ipsaque mansionaria et sancti Michaelis generaliter, ac illa necnon sancti Martini ecclesie huiusmodi dispositioni apostolice reservate existant, et super eis inter aliquos lis, cuius statum presentibus haberi volumus pro expressis, pendeat indecisa, dummodo ipsarum mansionarie et ecclesie sancti Michaelis dispositio ad nos hac vice pertineat, tempore date presentium non sit in ecclesia sancti Martini huiusmodi alicui specialiter ius quesitum, et ad hoc dictorum patronorum accedat assensus, cum omnibus iuribus et pertinentiis suis prefat oBernardino auctoritate nostra conferas et assignes, inducens per te vel alium seu alios eundem Bernardinum, vel procuratorem suum eius nomine in corporalem possessionem mansionarie et sancti Michaelis et sancti Martini ecclesiarum predictarum, iuriumque et pertinentiarum predictorum, et defendens inductum, amotis a mansionaria et sancti Michaelis quolibet ac sancti Martini ecclesiis huiusmodi illicito detentoribus, ac faciens ipsum Bernardinum vel dictum procuratorem pro eo ad dictam mansionariam, ut est moris, admitti, sibique de illius ac sancti Michaelis et sancti Martini ecclesiarum fructibus, redditibus, proventibus, iuribus et obventionibus universis integre responderi, Contradictores auctoritate nostra etc. Non obstantibus fel. recordationis Bonifacii pape VIII. predecessoris nostri et aliis apostolicis constitutionibus etc. Datum Tibure Anno etc. M.CCCC.LXXIII. duodecimo Kalendas Septembris, Pontificatus nostri Anno Secundo.

DCLXXII.

Conventus s. Salvatoris alias s. Marie de Rotetio ord. s. Benedicti dioec. Antibarensis, quoad Simon archiepus Patracensis eius commendatarius fuerit, ab iurisdictione archiepi Antibarensis eximitur. Reg. An. III. Tom. 16. fol. 260.

SIXTUS EPISCOPUS etc. Ad futuram rei memoriam. Licet ecclesie et monasteria singula per universum orbem constituta sedi apostolice, que super illa obtinet divina dispositione primatum, sint subiecta, ipsa tamen sedes nonnulla ex eis ac personas in illis altissimo famulantes sibi aliquando usque ad certum tempus specialiter subdit, et a quorumlibet aliorum eximit potestate, pront in dño conspicit salubriter expedire. Hinc est, quod nos cupientes, ut dilecti filii Conventus Monasterii sancti Salvatoris, alias sancte Marie de Rothetio, ordinis Benedicti Antibarensis diocesis eo quietius et devotius possint altissimo famulari, quo magis se noverint a perturbationibus et molestationibus liberos et speciali privilegio coniunctos, Venerabilis fratis nostri Simonis Archiepiscopi Patracensis et Epi Iustinopolitani, Referendarii nostri, in Cancellaria apostolica pro Venerabili fratre nostro Roderico Episcopo Albanensi sancte Romane ecclesie Vicecancellario Locumtenentis, qui etiam tempore, quo ecclesie Antibarensi presidebat, monasterium predictum ex concessione et dispensatione sedis predicto in commendam obtinebat, pront una cum Patracensi et Iustinopolitana ecclesiis, quibus preesse dignoscitur, obtinet, in hac parte supplicationibus inclinati, tam ipsium Simonem Archiepiscopum et Commendatarium, quam Monasterium et Conventum predictos, singulosque Monachos, personas, vassallos, subditos et membra eiusdem Monasterii presentes et futuros cum omnibus et singulis eorum familiaribus et servitoribus, ac rebus et bonis mobilibus et immobilibus presentibus et futuris ab omni iurisdictione, dominio, potestate, superioritate, visitatione, correctione et punitione moderni et pro tempore existentis Archiepiscopi Antibarensis eiusque Vicariorum et officialium, quandiu idem Simon Archiepiscopus Monasterium ipsum obtinuerit dumtaxat, apostolica auctoritate tenore presentium penitus eximimus et totaliter liberamus, ac liberos ac exemptos liberaque et exempta fore decernimus et declaramus, ita quod ipsi Simon Archiepiscopus et Commendatarius, Conventus, Monachi, persone, vassalli, subditi, familiares et servitores interim non coram Archiepiscopo Antibarensi, Vicariis et officialibus prefatis, sed coram sede predicta aut legatis vel delegatis eiusdem dumtaxat teneantur cuilibet de iusticia respondere, ipsique Archiepiscopus Antibarensis, Vicarii et officiales nunc et pro tempore existentes nullam, etiam ratione delicti, contractus vel rei, de qua agitur, ubicumque committatur delictum, iniatur contractus aut res ipsa consistat, in eos vel ea tanquam prorsus exemptos et exempta iurisdictionem, dominim vel potestatem quomodolibet exercere, aut excommunicationis, suspensionis vel interdicti seu alias sententias et penas promulgare non possint nec debeant quoquomodo, decernentes exnunc omnes et singulos processus, sententias, censuras et penas, quos et quas contra exemptionem, decretum et declarationem huiusmodi forsan haberi vel promulgari, necnon quidquid secus a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter attemptari contigerit, irrita et inania nulliusque existere roboris vel momenti. Et nichilominus Venerabilibus fratribus nostris Ragusino et Duracensi Archiepiscopis ac Epo Urbinati per apostolica scripta mandamus, quatenus ipsi, duo aut unus eorum per se vel alium seu alios promissa omnia et singula, ubi et quando opus fuerit, ac pro parte dicti Simonis Archiepi et Commendatarii fuerint requisiti, solemniter publicantes,

prefatisque Simoni Archiepo et Commendatario, ac Conventui, Monachis, personis, vassallis, subditis, familiaribbs et servitoribus prefatis efficacis defensionis auxilio assistentes non permittant eos, seu aliquem ipsorum contra tenorem presentium per Archiepum Antibarensem, Vicarios et officiales predictos, vel quoscumque alios quomodolibet impediri, inquietari seu molestari, Contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo, Non obstantibus fel. record. Innocentii pape IIII. predecessoris nostri circa exemptos, que incipit, Volentes, et aliis apostolicis constitutionibus contrariis quibuscumque, aut si Archiepiscopo Antibarensi, Vicariis et officialibus prefatis vel quibusvis aliis communiter vel divisim ab eadem sit sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressum, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Nulli ergo etc. nostre exemptionis, liberationis, declarationis, constitutionibus et mandatis infringere etc. Si quis autem etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis dominice M.CCCC.LXXIII., nono Kalendas Aprilis, Pontificatus nostri Anno Tertio.

DCLXXIII.

Constitutio, qua Lucae epo Sibinicensi conceditur, ut monasterium s. Nicolai in portu Sibenicensi mense episcopali, quamdiu ipse ecclesiae Sibinicensi praefuerit, unistur. Reg. An. III. Tom. 21. fol. 146.

Sixtus episcopus etc. Ad futuram rei memoriam. Decet ex benigno sedis apostolice provenire subsidio, ut ecclesiarum prelatis, quos in partem solicitudinis evocavit altissimus, ne quando suscepte dignitatis decentiam rerum temporalium defectus obnubilet, de provisionis gratia congrue succurratur. Sane pro parte Venerabilis fratris nostri Luce Episcopi Sibenicensis nobis nuper exhibita petitio continebat, quod fructus, redditus et proventus mense Episcopalis Sibenicensis sunt adeo tenues et exiles, quod ex illis iuxta pontificalis dignitatis exigentiam statum suum tenere, et alia ei incumbentia onera perferre commode nequit, quodque si monasterium s. Nicolai in portu extra muros Sibenicenses ordinis sancti Benedicti dicte mense uniretur, annectcretur et incorporaretur, profecto exinde, postquam unio ipsa suum sortita foret effectum, ipse Episcopus se sustentare et onera predicta commodius perferre valeret. Quare pro parte dicti Luce Episcopi, asserentis predictum monasterium conventu et monachis de presenti carere, et illius centum et quinquaginta, ac mense predicte trecentorum florenorum auri de Camera fructus, redditus et proventus secundum communem cxtimationem valorem annuum non excederc, nobis fuit humiliter supplicatum, ut dictum monasterium prefate mense unire, annectere et incorporare, aliasque sibi in premissis oportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, qui dudum inter alia volumus, quod semper in unionibus commissio fieret ad partes, vocatis quorum interest, huiusmodi supplicationibus inclinati monasterium predictum mense prefate, quamdiu dictus Lucas Episcopus ecclesie Sibenicensi prefuerit, auctoritate apostolica tenore presentium unimus, annectimus et incorporamus, ita quod cedente vel decedente moderno eiusdem monasterii Abbate, seu alias monasterium ipsum quomodolibet dimittentc, liccat eidem Luce Epo per se vel alium seu alios possessionem regiminis ot administrationis, ac bonorum dicti monasterii propria auctoritate apprehendere, ac illius fructus, redditus et proventus in suos et dicte mense usus et utilitatem convertere, ac quamdiu prefate ecclesie prefuerit, retinere, cuiusvis licentia super hoc minime requisita, Non obstantibus voluntate nostra predicta et aliis apostolicis constitutionibus et ordinationibus, ac ecclesie, monasterii et ordinis predictorum iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, gratiis quibuscumque et quibuslibet aliis privilegiis, indulgentiis et litteris apostolicis generalibus vel specialibus, quorumcumque tenorum existant, per que presentibus non expressa vel totaliter non inserta effectus earum impediri valeat vel differri, et de quibus quorumque totis tenoribus habenda sit in nostris litteris mentio specialis, proviso quod propter unionem, annexionem et incorporationem predictas in dicto monasterio solitus monachorum et ministrorum numerus non minuatur, sed illius et conventus eiusdem pro tempore debite supportentur oncra consueta. Volumus autem, quod cedente vel decedente prefato Luca Episcopo, aut alias ecclesie predicte quomodolibet preesse desinente, unio predicta dissoluta sit, prefatumque monasterium per dissolutionem huiusmodi vacare censeatur, et in pristinum statum revertatur eo ipso. Et insuper ex nunc irritum decernimus ct inano, si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre unionis, annexionis, incorporationis, voluntatis et constitutionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis etc. Datum Rome apud S. Petrum Anno Incarnationis dominice M.CCCC.LXXIII. tertio Nonas Iulii, Pontificatus nostri Anno Tertio.

DCLXXIV.

Constitutio, qua ecclesia Drivastensis ecclesiae Antibarensi, quamdiu Stephanus archiepiscopus huic ecclesiae praefuerit, unitur. Reg. An 111. Tom. 24. fol. 129.

SIXTUS EPISCOPUS etc. Ad futuram rei memoriam. Sacrosancta Romana ecclesia, quam rerum creator altissimus super universas orbis instituit ecclesias, circa singularum presertim Metropolitanarum ecclesiarum utilitatem materne dilectionis ardore sedule pervigilans, ita illarum et eis presidentium prelatorum necessitatibus interdum etiam per ministerium unionis accommode solerter occurrit, prout rerum et temporum qualitate pensata id in dño conspicit salubriter expedire. Sane ecclesia Drivastensi ex eo pastoris solatio destituta, quod nos hodie Venerabilem fratrem nostrum Nicolaum tunc Drivastensem, nunc Durachiensem Archiepiscopum a vinculo, quo Drivastensi ecclesie, cui tunc preerat, tenebatur, de fratrum nostrorum consilio et apostolice potestatis plenitudine absolvimus, ipsum ad ecclesiam Durachiensem tunc certo modo vacantem duximus auctoritate apostolica transferendum, ipsumque illi prefecimus in Archiepiscopum et pastorem: Nos attendentes fructus, redditus et proventus mense Archiepiscopalis Antibarensis, cui Venerabilis frater noster Stephanus Archiepiscopus Antibarensis preesse dinoscitur, adeo tenues et exiles fore, quod idem Stephanus Archiepiscopus ex illis statum suum iuxta pontificalis dignitatis exigentiam congrue sustentare, et onera sibi incumbentia commode supportare non potest, et propterea tam eidem Drivastensi ecclesie, ne longioris vacationis exponeretur incommodis, quam prefato Stephano Archiepiscopo, ne in eo ob fructuum, redditumm et proventuum huiusmodi tenuitatem pontificalis minueretur auctoritas, oportune providere cupientes, post deliberationem, quam super hoc cum dictis fratribus habuimus diligentem, demum consideratis premissis ecclesiam Drivastensem predictam eidem Antibarensi ecclesie, quamdiu dictus Stephanus Archiepus Antibarensis vitam duxerit in humanis, et eidem Antibarensi ecclesie prefucrit, ita quod idem Stephanus Archiepus Antibarensis et Drivastensis ecclesiarum huiusmodi presul censeatur, liccatque sibi dicte Drivastensis ecclesie, illius regiminis et administrationis bonorum (possessioncm) per se vel alium seu alios auctoritate propria apprehendere, illiusqne regimen et administrationem in spiritualibus et temporalibus gerere et exercere, nec non illius fructus, redditus et proventus in suos et dicte Antibarensis ecclesie nsus et utilitatem convertere pariter et retinere, cuiusvis licentia minime requisita, de eorumdem fratrum consilio auctoritate apostolica unimus, annectimus pariter et incorporamus. Quocirca dilectis filiis Capitulo, Clero et populo, universis vassallis et subditis dicte Drivastensis ecclesie per apostolica scripta mandamus, quatenus pro nostra et apostolice sedis reverentia eidem Stephano Archiepiscopo, tanquam patri et pastori animarum suarum, devote parentes diligenter intendant, sibique obedientiam et reverentiam debitas et devotas, et vassalli et subditi prefati consueta servitia et iura sibi ab eis debita studeant exhibere: alioquin sententias sive penas, quas idem Stephanus Archiepiscopus rite tulerit sive statuerit in rebelles, ratas habebimus et faciemus, auctore domino, usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Volumus autem, quod cedente vel decedente dicto Stephano Archiepiscopo, aut regimini et administrationi dicte Antibarensis ecclesie preesse desistente, unio, annexio et incorporatio predicte existant penitus dissolute, ipsaque Drivastensis ecclesia in pristinum statum revertatur eo ipso. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac statutibus et consuetudinibus dictarum ecclesiarum etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, ceterisque contrariis quibuscumque. Nulli ergo etc. nostro nnionis, annexionis, incorporationis et mandati infringere etc. Si quis autem etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno etc. M.CCCC.LXXIIII. tertiodecimo Kalendas Augusti, Pontificatus nostri Anno Tertio.

DCLXXV.

Vicario episcopi Polensis, ut Oreum de Gavardis ord. Minorum monasterio s. Crucis de Cameto ord. s. Benedicti Polensis dioecesis, expulso Daniele de Carlevariis simoniaco, in abbatem praeficiat. Reg. An. 1V. Tom. 21. fol. 13.

SIXTUS EPISCOPUS etc. Dilecto filio Vicario Venerabilis fratris nostri Episcopi Polensis in spiritualibus generali, salutem etc. Solicite considerationis indagine, prout officii pastoralis solicitudo requirit, circa statum ecclesiarum et monasteriorum omnium, que vacationis incommoda deplorare noscuntur, operose diligentie studium diligenter impendimus, ut ipsis, ne longe vacationis cuiusvis pregraventur incommodis, de salubris provisionis remedio succurratur. Ad audientiam siquidem nostram, dilecto filio Oreo de Gavardis ordinis fratrum Minorum professore referente, pervenit, quod dilectus filius Daniel de Carlevariis, Prepositus ecclesie sanctorum Felicis et Fortunati extra muros Aquilegenses, ad monaste-

rium sancte Marie de Canneto ordinis sancti Benedicti Polensis diocesis ambitiose aspirans, cum dilecto filio Benedicto tunc ipsius monasterii Abbate convenit et pepigit, quod si idem Benedictus regimini et administrationi dicti monasterii, quibus tuno precrat, cederet dictumque monasterium ipsi Danieli commendaretur, certam annuam pensionem eidem Benedicto et illius occasione centum ducatos vel circa ante tempus solutionis pensionis huiusmodi persolveret: quibus quidem conventione et pacto precedentibus, dictus Benedictus Abbas regimini et administrationi prefati monasterii in manibus fel. record. Pauli pape II. predecessoris nostri alias sponte et libere cessit, idemque predecessor, cessione huiusmodi per eum admissa, monasterium predictum prefato Danieli sub certis modo et forma commendavit, nec non eidem Benedicto pensionem annuam triginta quinque florenorum auri de Camera super fructibus, redditibus et proventibus dicti monasterii per eundem Danielem, et successores suos eidem Benedicto annis singulis etiam sub certis modo et forma persolvendam reservavit, constituit et assignavit, certis desuper executoribus deputatis, prout continetur in litteris dicti predecessoris, quarum pretextu monasterium huiusmodi eidem Danieli commendatum existit: ipseque Daniel, centum ducatis huiusmodi per eum eidem Benedicti ante tempus iuxta conventionem et pactum huiusmodi realiter et cum effectu persolutis, obtentu dicte commende possessionem regiminis et administrationis ipsius monasterii apprehendens, illud ex tunc per quinque annos vel circa detinuit, prout detinet indebite occupatum, symonie labem et alias censuras et penas in tales latas damnabiliter incurrendo, nec non in reprobum sensum datus culpa et negligentia sua ipsius monasterii vineas et alia bona immobilia ad desolationem et sterilitatem devenire, illudque spiritualibus et temporalibus detrimentis et iacturis subiacere permisit in anime eue periculum et perniciosum exemplum et scandalum plurimorum. Nos igitur attendentes, quod veris existentibus premissis, si commenda huiusmodi viribus non subsistat, dictum monasterium adhuc, ut prefertur, vacare dinoscitur, ac cupientes eidem monasterio de gubernatore utili et ydoneo, per quem circumspecte rogi et salubriter dirigi valeat, providere, noo non de meritis et ydoneitate prefati Orei, pro quo dilooti filii Communitas Civitatis Polensis super hoc nobis humiliter supplicavit, apud nos de religionis zelo, vite munditia, honestate morum, spiritualium prudentia et temporalium circumspectione aliisque virtutum meritis multipliciter commendati certam noticiam non habentes, ac ipsum Oreum ab omnibus et singulis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticie cententiis, censuris et penis a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existat, ad effectum presentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes et absolutum fore censentes, discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus si dictus Oreus prefatum Danielem commendatarium super relatis eisdem coram te accusare, seque ad aliquam penam extraordinariam per te statuendam et aliae in forma iuris inscribere voluerit, postquam eum accusaverit et ee inscripserit, ut prefertur, vocatis dicto Daniele commendatario et aliis qui fuerint evocandi, super relatis eisdem inquiras auctoritate nostra diligentius veritatem, et si per inquisitionem huiusmodi repereris relata ipsa veritate subniti, commendam eidem Danieli factam huiusmodi, et inde secuta quecumque nullius roboris vel momenti fuisse et esse auctoritate nostra declares, eundem Danielem a regimine et administratione dicti monasterii realiter amoveas, ei et prout de iure fuerit faciendum, et nichilominus ei declarationem et amotionem huiusmodi per te vigore presentium fieri contigerit, ut prefertur, de huiusmodi meritis et ydoneitate eiusdem Orei, qui, ut asseritur, de nobili genere ex utroque parente procreatue ac ordinis fratrum Minorum expresse professus oxistit, auctoritate nostra te diligenter informes, et si per informationem huiusmodi eundem Oreum ad regimen et administrationem dicti monasterii utilem et ydoneum esso repereris, super quo tuam conscientiam oneramus, de persona ipsius Orei eidem monasterio, cuius fructus, redditus et proventus centum florenorum auri de Camera secundum communem extimationem valorem annuum, ut idem Oreus etiam asserit, non exeddnt, sive ut premittitur sive alias quovis modo aut ex alterius cuiuscumque persona vacet, eiusque provisio ex quavie causa ad sedem apostolicam specialiter vel generaliter pertineat, dummodo tempore date presentium non sit eidem monasterio de Abbate canonice provisum, eadom auctoritate nostra provideas, ipsumque illi proficias in Abbatem, curam, regimen et administrationem eiusdem monasterii eibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, ac faciondo sibi a dilectis filiis Conventu obedientiam et reverentiam debitas et devotas, a vassallis et aliis subditis dicti monasterii consueta servitia et iura exhiberi, Contradictoree per censuram etc. Non obstante ei Conventui nocnon vassallis et subditis prefatis, vel quibuavis aliis communiter vel divisim a dicta sit sede indultum, quod interdici, suspondi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi

mentionem. Nos enim prefato Oreo, si de eius persona dicto monastorio per te vigore presentium provideri, ipsumquo illi in Abbatem prefici contigerit, ut prefertur, a quocumque maluerit catholico Antistite gratiam et communionem dicte sedis habente munus benedictionis recipere, ac eidem Antistiti, ut illud eadem auctoritate sibi impondere libere et licite valeat, concedimus per presentes. Volumus autem, quod per hoc Venerabili fratri nostro Episcopo Polensi, cui prefatum monasterium ordinario iure subesse dinoscitur, nullum imposterum preiudicium generetur, et quod ipso Oreus, postquam de persona sua eidem monasterio vigore presentium provisum fuerit, ipseque illi in Abbatem prefectus extiterit, illum gestet habitum, qui in dicto monasterio geritur et habetur, illiusque regularibus institutis se conformet. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis dominice Millesimo quadringentesimo septuagesimoquarto, undecimo Kalendas Decembris, Pontificatus nostri Anno Quarto.

DCLXXVI.

Iudicibus, ut Ioanni archiepiscopo Ragusino licentiam certas menses archiepiscopalis possessiones lapidosas iuxta portus Gravosine extra muros Ragusinos vendendi etc. concedant. Reg. An. IV. Tom. 23. fol. 118.

Sixtus episcopus etc. Dilectis filiis Francisco do Gradibus et Blasio de Gondolis Canonicis ecclesie Ragusine, salutem etc. Ad ea ex apostolice servitutis officio libenter intendimus, per que ecclesiarum quarumlibet presertim Cathedralium et Metropolitanarum utilitati ac indemnitati consulitur, illisque, cum a nobis petitur, favorem benivolum impertimur. Dudum siquidem a fel. record. Paulo papa II. predecessore nostro emanarunt littere tenoris subsequentis. Paulus Episcopus etc. Ad perpetuam rei memoriam. Cum in omnibus iudiciis sit rectitudo iusticie et conscientie puritas observanda etc. Et deinde, sicut exhibita nobis nuper pro parte Venerabilis fratris nostri Iohannis Archicpiscopi Ragusini peticio continebat, licet ipse habeat duas possessiones lapidosas mari propinquas et parum fertiles, et pro magna parte incultas iuxta portus Gravosie penisule Medii extra muros Ragusinos consistentes, et ad mensam Archiepiscopalem Ragusinam legitime spectantes et pertinentes, quarum fructus annui valorem octo florenorum auri de Camera communi extimatione non exceduut: tamen quia non sine magna impensa ad culturam reduci possent, prefate mense redduntur parum utiles. Cum autem, sicut eadem peticio subiungebat, si possessiones predicte, que personis aliis, presertim nautis et piscatoribus sunt magis accommode, cum exinde navigiis et piscationibus eorum melius intendere valerent, venderentur et pretium inde provenicns in reparationem aliarum possessionum dicte mense, seu alia opera necessaria pro eadem mensa converteretur, facile reperirentur, qui possessiones predictas carius emerent, quam communi extimatione valere possiut, et venditio huiusmodi cum conversione pretii in alia opera utiliora, ut prefertur, procul dubio cederent in evidentem utilitatem dicte mense. Quare pro parte dicti Archiepiscopi, qui, ut asserit, dilecti filii Antonii Iacobi tituli sancti Viti presbiteri Cardinalis nepos existit, nobis fuit humiliter supplicatum, ut sibi vendendi et alicnandi dictas duas possessiones lapidosas quibusvis personis, cum quibus suam et dicte monse conditionom efficere poterit meliorem, et pretium, quod inde porvonit, in evidentem utilitatem cum augmento fructuum dicte mense convertendi licentiam concedere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, qui de premissis certam noticiam non habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus servata forma preinsertarum litterarum Pauli predecessoris huiusmodi, ac specificatis coram nobis possessionibus vendendis predictis, de premissis omnibus et singulis eorum circumstantiis universis auctoritate nostra vos coniunctim diligenter iuformetis, et si per informationem ipsam ita esse, et venditionem predictam et huiesmodi conversionem pretii in evidentem utilitatem cum augmento fructuum dicte mense cedere repereritis, prefato Iohanni Archiepiscopo, quod dictas duas possessiones petrosas plus offerenti seu offerentibus vendere et alienare, ac pretium inde proveniens in evidentem utilitatem, ut prefertur, dicte mense convertere libere et licite possit ad valeat, auctoritate nostra licentiam concedatis, Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis ac dicte ecclesie iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, quod pretium ex venditione dictarum possessionum minus utilium provenicns penes aliquam sacram edem deponatur in utilitatem et augmentum fructuum dicte mense, et non in alios usus convertendum, cum cautelis in talibus adhibcri solitis. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis dominice Millesimo quadringentesimo septuagesimoquinto, pridie Idus Iunii, Pontificatus nostri Anno Quarto.

DCLXXVII.

Iudicibus committit, ut in causa inter canonicos et archiepiscopum Iadrenses super quarta decimarum sententiam ferant, et indicata executioni mandanda curent. Reg. An. V. Tom. 25. fol. 41.

Sixtus episcopus etc. Venerabilibus fratribus Mapheo Patriarche Venetiarum et Iacobo Episcopo Nonensi in Civitate Iadrensi commoranti, salutem etc. Ad ea, per que Christifidelium ab infidelibus defensionum et eorum, per(sic) que pro restaurandis dei templis presertim pontificali dignitate preditis, et restauratis pro tempore conservandis ac ad decentem divinorum celebrationem emanasse noscuntur, observationi providetur, et de facto attemptata ad iusticie terminos reducantur, libenter intendimus, et partes nostre solicitudinis adhibemus. Sane pro parte dilectorum filiorum nonnullorum Canonicorum et Francisci Damiani Archidiaconi ecclesie Iadrensis, ac Communitatis Civium Iadrensium nobis nuper exhibita petitio continebat, quod olim pro parte dicti Francisci felicis recordationis Pio pape II. predecessori nostro exposito, quod si omnes decime seu fructus decimales undecunque ad ecclesiam predictam provenientes in quatuor dividi deberent portiones, quarum unam Archiepiscopus Iadrensis pro tempore existens, duas Capitulum percipiant, quartam vero portionem huiusmodi in fabricam ipsius ecclesie duo procuratores eiusdem fabrice, quorum unus Archidiaconus dicte ecclesie pro tempore existens, alter vero ex optimatibus Civitatis Iadrensis Civibus esse consueverunt a tanto tempore citra, quod in contrarium memoria non existebat, convertere tenebantur et debebant, prout ipsius ecclesie vetustissima consuetudo eatenus observaverat, tamen Venerabilis frater noster Mafeus Archiepiscopus Iadrensis, nulla rationabili causa subsistente, quartam decimarum earumdem partem ad usum dicte fabrice deputatam pro sue libito voluntatis dispensare, et de ea aliter disponere presumpserat: et quamvis idem Archiepiscopus pluries pro parte eiusdem Francisci Archidiaconi ipsius fabrice procuratoris, ut ipsum Franciscum decimarum sive fructuum eorumdem partem predictam in usus et utilitatem dicte fabrice, pront suo incumbebat officio, convertere permitteret, ac dictus Archiepiscopus de receptis et administratis per eum rationem redderet congruis loco et tempore, humiliter requisitus extitisset, idem tamen Archiepiscopus id facere contra insticiam recusaverat, eumdemque Archidiaconum, quominus Archidiaconatus officii iuxta ipsius ecclesie statuta et consuetudines etiam per sedem apostolicam approbata exercere, necnon Canonicos congruo tempore convocare et congregare, ac alia, que sibi de consuetudine vel de iure competere dinoscebantur, facere valeret, impediverat et impediebat in ipsorum ecclesie Canonicorum et Archidiaconi non modicum detrimentum, et in eadem expositione subiuncto, quod ex premissis et nonnullis aliis contra iuris dispositionem per eundem Archiepiscopum attemptatis non parva in Clero et populo Iadrensi murmuratio exorta erat, et pro eo quod pecunie in fabricam dicte ecclesie vetustate consumpte et reparatione non modica egentis, ut premittitur, convertende in usus alios exponebantur: idem Pius predecessor tibi, frater Episcope, et Archidiacono ac Archipresbitero ecclesie Sibinicensis, tuo et illarum propriis nominibus non expressis, suis litteris dedit in mandatis, ut vocatis dicto Archiepiscopo et aliis, qui forent evocandi, tu, Episcope, et Archidiaconus ac Archipresbiter prefati, vel duo aut unus vestrum super premissis omnibus et singulis summarie, simpliciter et de plano ac sine strepitu et figura iudicii vos informaretis, et si ita esse reppereritis, eundem Archidiaconum in pristinum et eundem statum, in quo eius predecessores tam ratione Archidiaconatus quam ratione fabrice predictorum eatenus fuerant, restitueretis, ac eidem Archiepiscopo, ut de cetero per impressionem et minas quicquid ab Archidiacono et Canonicis prefatis exigere, seu ipsis preter debitum iniungere vel mandare, aut exactionibus indebitis gravare, sive proventus dicte fabrice in alios usus convertere presumeret, sub censuris et penis formidabilibus districtius inhiberetis, prout in dictis litteris plenius continetur. Et licet deinde earumdem litterarum vigore quondam Iacobus User Archidiaconus, et dilectus filius Stephanus Archipresbiter dicte ecclesie Sibinicensis ad dictarum litterarum executionem procedentes, pro ipso Francisco Archidiacono et contra dictum Mafeum Archiepiscopum sententiam promulgaverint, quia tamen postmodum sententia ipsa ex defectu processus forsan male agitati in illis partibus, aut alias per tres conformes sententias in Romana curia nulla declarata extitit, cum expensarum condemnatione, que postmodum taxate et eidem Archiepiscopo solute fuerunt: Franciscus Archidiaconus et fabrica ac Canonici predicti litterarum predictarum effectum consecuti non fuerunt, prefatusque Archiepiscopus perceptionem quartam decimarum earumdem ad fabricam predictam pertinentem continuavit, et continuat etiam de presenti, illam in prefate ecclesie fabricam huiusmodi integraliter minime convertendo in non modicum eiusdem ecclesie detrimentum. Quare pro parte Communitatis et Francisci predictorum, seu nonnullorum Canonicorum prefatum Archiepiscopum minime formidantium, et solum

deum ac defensionem iurium ecclesie prediligentium nobis fuit humiliter supplicatum, ut eis et ecclesie prefate super hiis subvenire, iustitia mediante, de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur huiusmodi supplicationibus inclinati fraternitati vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus vos vel alter vestrum, vocatis dicto Mafeo Archiepiscopo et aliis, qui fuerint evocandi, causam ipsam ex integro audiatis, et iuxta dictarum littorarum Pii predecessoris prefati continentiam atque tenorem, perinde ac si littere ipse nostre forent et vobis dirigerentur, procedatis, et auditis hinc inde propositis, quod iustum fuerit, appellatione remota, decernatis, facientes quod decreveritis ab eodem Mafeo Archiepiscopo auctoritate nostra, ab aliis vero per censuram ecclesiasticam ac alias iuxta dictarum litterarum continentiam firmiter observari. Testes autem, qui fuerint nominati, si se gratia, odio vel timore subtraxerint, censura simili, appellatione cessante, compellatis veritati testimonium perhiberе. Et nichilominus, si vobis constiterit eandem quartam decimarum ad predictam fabricam rationabiliter pertinere, et in illa converti debere, sive huiusmodi conversio per Archiepiscopum sive per procuratores predictos fieri debeat, eundem Mafeum Archiepiscopum ad roddendum computa et rationes omnium, que occasione huiusmodi quarte ad eum pervenerunt, eadem auctoritate compellatis, et eius quantitatem, quam ad eum pervenisse vobis constituerit, et ipso in fabricam huiusmodi convertisse non docuerit, medietatem in Civitate Venetiarum apud edem sacram, aut fide et facultatibus idoneam personam, convertendam iuxta ordinationem nostram in defensionem Civitatis predicte Iadrensis et aliarum partium Dalmatie ab oppressionibus et incursibus Turchorum deponi faciatis cum effectu, reliquam vero medietatem ab eo pro nobis et Camera apostolica in subventionem expensarum, quas subire continuo non cessamus pro fidei prefato defensione ab eisdem Turchis in aliis partibus exigatis, et exactam fideliter ad Cameram ipsam transmittatis. Non obstantibus promissis ac felicis recordationis Bonifacii pape VIII. predecessoris nostri, quibus cavetur, ne quis extra suam Civitatem et diocesim nisi in certis exceptis casibus, et in illis ultra unam diotam a fine sue diocesis ad iudicium evocetur, seu ne iudices a sede apostolica deputati extra Civitatem et diocesim, in quibus deputati sunt, contra quoscunque procedere, aut alii vel aliis vices suas committere presumant, dummodo aliquis ultra duas dietas auctoritate presentium non trahatur, et de duabus dietis in Concilio generali ac aliis apostolicis constitutionibus, necnon omnibus illis, que idom Pius predecessor in dictis litteris voluit non obstare, contrariis quibuscunque, Aut si dicto Archiepiscopo vel quibusvis aliis communiter vel divisim a sede predicta indultum existat, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno etc. Millosimo quadringentesimo septuagesimoquinto, XIIII. Kalendas Octobris, Pontificatus nostri Anno Quinto.

DCLXXVIII.

Iubilaeus anni sancti civitati Ragusinae conceditur. Reg. An. V. Tom. 28. fol. 234.

SIXTUS EPISCOPUS etc. Ad futuram rei memoriam. Pastoris eterni, qui pro salute gregis dominici se in premium immolare non abnuit, vices quamvis immeriti gerentes in torris circa gregem ipsam nobis commissum, quem indefessa solicitudine cupimus in loco pascue collocari etc. Cum autem, sicut dilecti filii Rectores et Consilium Civitatis Ragusii nobis por suum oratorem exponi fecerunt, quamplures utriusque sexus persone de dicta Civitate et eius districtu tam cives quam forenses, et tam ecclesiastici quam seculares, aliique incole et habitatores ac stipendiati devotissimi quidom et affecti ac cupidi salutis suarum animarum et indulgentiarum Urbis, tam qui anno huiusmodi Iubilei durante Basilicas et alias de Urbe predictas ecclesias pro consequenda indulgentia et remissione huiusmodi ab eodem Paulo predecessore concessa, et a nobis innovata libenter visitarent, si senio, debilitate corporis, inopia, impotentia, divinorum aut humanorum obsequiorum vel aliorum negociorum occupatione non deterrerentur, necnon viarum discrimina, longam itineris distantiam aliosquo sinistros eventus non formidarent, quam etiam qui nullo impedimento detenti Basilicas et ecclesias ipsas visitare hactenus non proposuerunt nec proponero intondunt, cupiant alias huiusmodi indulgentie et iubilei fieri participes: Nos, qui cunctorum Christi fidelium animarum salutem intensis dissideriis affectamus, eosdem tam de Civitate quam districtu Ragusino, et alios, ut prefertur, quos propter eorum sincere devotionis affectum, quem erga Romanam ecclesiam ostendunt, in visceribus gerimus caritatis, favoribus gratiosis ac indulgentiarum muneribus prosequi cupientes, volumus et apostolica auctoritate presentium tenore statuimus et ordinamus, quod illi ex predictis Christi fidelibus utriusque sexus, qui vere penitentes et confessi a prima

die, qua presentate fuerint presentes littere, per menses quinque proxime futuros Cathedralem Ragusinam, sancte Marie et sancti Blasii, ac sancti Dominici Predicatorum necnon sancti Francisci Minorum ordinum ecclesias intra muros dicte Civitatis Ragusine semel dumtaxat devote visitaverint, et ibidem ter septem psalmos penitentiales cum letaniis, aut sexagesies dominicam orationem cum angelica salutatione devote dixerint, ac in subsidium sancte Cruciate ac pro fidei orthodoxe exaltatione, necnon murorum eiusdem Civitatis Ragusine, qui, sicut eadem expositio subiungebat, non modica reparatione indigent, (maxime cum in confinibus Turchorum ea Civitas constituta sit, et continue pro fide ipsa orthodoxa viriliter pugnat,) fabrica iuxta eorumdem Christi fidelium etiam utriusquo sexus, cuiuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis, conditionis, nobilitatis et preeminentie fuerint, qualitates et exigentiam, videlicet Archiepiscopus, Episcopi, Marchiones et Comites quatuor, Abbates et Barones tres, Nobiles et Doctores duos, alii vero tam seculares quam ecclesiastici unum florenos monete in dicta Civitate cursum habentis, et qui aliquam summarum predictarum solvere non poterunt, iuxta facultatum suarum possibilitatem et consciontie sue arbitrium elemosinam, sive certam pecuniarum quotam sive summam, in archa sive capsa per Venerabilem fratrem nostrum Blasium Episcopum Mercanensem(sic) in prefata Civitate Ragusina residentom, in ecclesia Cathedrali prefata constituonda realiter et cum effectu in pecunia numerata pie erogaverint, vel ctiam qui adeo pauperes extiterint, quod nichil penitus erogare poterant, dummodo semel dumtaxat dictas ecclesias iuxta formam superius datam, ut premittitur, devote visitaverint, eandem prorsus plenariam anni predicti Iubilei indulgentiam et peccatorum remissionem, ac cum altissimo reconciliationem omnimodam consequantur, ac si anno Iubiloi noviter exacto Romam profecti statuto quindecim dierum tempore Apostolorum Basilicas et Lateranensem ac beate Marie maioris ecclesias iuxta Pauli predecessoris prefati et nostram ordinationem predictam visitassent. Et ut fideles ipsi huiusmodi indulgentie possint fieri participes, Venerabili fratri Episcopo Mercanensi prodicto, cui in hac parte plenam et liberam facultatem concedimns deputandi auctoritate nostra in dicta ecclesia eum numerum presbiterorum secularium vel religiosorum idoncorum, de quo sibi videbitur, ad audiendum eorumdem fidelium pro indulgentia huiusmodi consequenda ad ecclesias ipsas, in quibus dcputati fuerint, confluentium confessiones, ot eisdem presbiteris secularibus et religiosis, quos per prefatum Episcopum Mercanensem ad id doputari contigorit, a die, qna presentes littere presentate fuerint Rectori et Consilio Civitatis Ragusii, per menses quinque proximo futuros immediate sequentes, ut prefertur, eorumdem fidelium confessione diligenter audita, pro commissis per ipsos fideles excessibus et peccatis quibuslibet, etiam si talia forent, propter que ossct sedes apostolica merito consulenda, eis de absolutionis beneficio providendi et penitentiam salutarem iniungendi, necnon vota per eos emissa qnecumque, peregrinationis ultramarine, visitationis liminum Petri et Pauli de Urbe ac Iacobi in Compostella Apostolorum, necnon continentie et religionis votis dumtaxat excoptis, in opus sancte Cruciate predicte commutandi plenam et liberam auctoritate apostolica tenore presentium concedimus facultatem. Et ut illi, qui peregrinari et ecclesiam predictam pro consequenda indulgentia huiusmodi commode et honeste visitare non poterunt, utpote infirmi, decrepiti divinisque aut humanis servitiis ponitus mancipati, effectu non careant indulgentie memorate, volumus, quod tales huiusmodi aut aliis quibusvis impedimentis ecclesiam ipsam visitare impediti sint vere penitentes et confossi, ubilibet psalmos et orationes predictas dixerint, et elemosinam sive pecuniarum summam et quotam huiusmodi iuxta formam predictam in capsa sive archa predicta, ut prefertur, poni fecerint, eandem anni predicti indulgentiam consequantur, ac si ecclesiam ipsam visitarent, liceatque prefato Episcopo Morcancnsi pro talibus impoditis in singulis locis, de quibus sibi videbitur, confessores deputare idoneus, qui circa impeditos eosdem pari qna alii confessores predicti erga visitantes dictam ecclesiam auctoritate fungantur. Rursus quia facile contingere posset aliquos dubitare, in quo genere personarum de quibus supra computari pro consequenda indulgentia predicta, et nonnullos esse dubios vel incertos, an eorum impotentia, infirmitas vol servitii occupatio sit adeo excusabilis, notabilis et legitima, quod iuxta premissa ad visitationem faciendam astringi non debeant, ut indulgentiam huiusmodi consequantur, sed pro illa consequenda sufficiat eis quantitatem aliquam ex premissis iuxta eorum conditionem in dicta capsa seu archa poni facere, volumus, quod tam Episcopus Mercanensis prefatus et cui vices suas in genere vel in specie duxerit committendas, quam confcssor, quem tales dubii et incerti ex predictis deputandi, ut prefertur, adierint, possint eis huiusmodi dubietates, pront eorum statui et indemnitati animarumque saluti et conscientie quieti ac paci salubrius expedire cognoverint, decidere et determinare, ac huiusmodi visitationom, de qua dubitarent, eosdem ad visitandum ecclesias penitus impotentes existere dcclararo, habeanturque tales dubii et iuxta declarationem huiusmodi facientes quo

ad effectum consequutionis indulgentie memorate pro vere penitentibus visitantibus, solvendo tamen prius aliquam ex summis sive taxis predictis, proviso quod confessor prefatus eisdem impeditis loco visitationis huiusmodi alia iniungat opera pietatis. Et ut oblationes huiusmodi fideliter conserventur et illarum media pars in fabricam ac reparationem murorum Civitatis predicte, residuum vero in fidei prefate subsidium huiusmodi et non in aliam causam convertantur, volumus, quod prefatus Mercanensis Episcopus necnon duo alii cives per ipsos Rectores et Consilium Civitatis Ragusii deputandi capsam, sive arcam predictam cum tribus clavibus clausam teneant, quorum quilibet unam ab alia diversam penes se habeat, et quicquid ex dicta capsa sive archa extrahi continget, per autenticas personas annotari, et dimissa ex oblationibus, que fient, earum modia parte pro reparatione et fabrica murorum eiusdem Civitatis prefatis Rectoribus et Consilio assignanda, residuum in promissam causam fidei dumtaxat convertendam sub pena excommunicationis late sententie, quam fraude vel detentione sive alienatione dictarum pecuniarum Camere apostolice, sicut premittitur, applicandarum vel alicuius minime partis earumdem per quascumque personas quavis occasione facta eo ipso incurrere volumus, fideliter ad Cameram apostolicam predictam transmittere procurent. Et si forsan super premissorum exequutione ac litterarum presentium interpretatione aliqua dubia exorirentur, eiusdem Episcopi Mercanensis declarationi stari debere decernimus. Preterea quia difficile esset litteras ipsas presentes ad loca quecumque, in quibus expediens foret, deferri, quod earumdem litterarum transumpto duorum notariorum publicorum subscriptione, et dicti Episcopi Mercanensis sigillo munito eadem prorsus fides detur, que daretur presentibus litteris, ac si essent exhibite vel ostense. Presentibus post quinque menses predictos minime valituris. Nulli ergo etc. nostre voluntatis, statuti, ordinationis, concessionis et constitutionis infringere etc. Si quis autem etc. Datum Rome apud S. Petrum Anno etc. M.CCCC.LXXVI. octavo Idus Aprilis, Pont. nostri Anno Quinto.

DCLXXIX.

Constitutio et declaratio super unione monasterii sancti Nicolai de portu extra muros Sibinicenses mense episcopali Sibinicensi facta. Reg. An. V. Tom. 28. fol. 257.

SIXTUS EPISCOPUS etc. Ad futuram rei memoriam. Decet Romanum pontificem ex paterna benignitate, qua cunctorum paci et quieti studet providere, votis litigantium, eorum presertim, qui sunt ecclesiastici ot in ecclesiastica dignitate constitute persone, super sedandis litibus et concordia componenda favorabiliter annuere, et ea, que rationis tramite non deviant, apostolica auctoritate comprobare. Nuper siquidem nobis pro parte Venerabilis fratris nostri Luce Episcopi Sibinicensis, et dilecti filii Georgii Michaelis Abbatis monasterii sancti Nicolai de Portu extra muros Sibinicenses ordinis s. Benedicti fuit expositum, quod cum alias ad supplicationem dicti Episcopi exponentis redditus et proventus menso sue Episcopalis Sibinicensis esse adeo tenues, quod secundum convenientem dignitatem vix posset statum suum tenere, dictum monasterium mense ipsius Episcopali predicte univerimus, eousque dumtaxat dicta unione durante, donec idem Lucas Episcopus predicte Sibinicensi preesset ecclesie, ita quod cedente vel decedente dicto Georgio ipsius Abbate vel alias quomodolibet ipsum dimittente, liceret eidom Epo dicti monasterii ac bonorum ipsius possessionem propria auctoritate apprehendere, prout in nostris litteris superinde confectis latius dicitur contineri. Idem postmodum Episcopus pretendens dictum Georgium Abbatem predicto monasterio cessisse, ipsumque monasterium aliis quibusdam modis ex persona dicti Georgii vacare, illius possessionem propria auctoritate apprehendit, ipsumque Georgium Abbatem voluit ab eo amovere. Ex quo orta inter ipsos lite et materia questionis, idem Abbas super molestationibus, quas sibi superinde a dicto Epo inferri dicebat, coram certo palatii nostri causarum Auditore ex commissione nostra in indicium evocavit, coram quo cum ad aliquos actus processum fuisset, dilecto filio nostro Oliviero tituli sancti Eusebii presbitero Cardinali, et Venerabili fratre Iohanne Archiepiscopo Spalatensi, qui eidem Episcopo Sibinicensi preost iure metropolitico, commuuibus amicis intervenientibus, ad hoc tandem, si tamen id nobis placeret et si nos ad id nostrum prestaremus assensum, nullo quidem adhibito publico notario, sed tantum in dictorum Olivorii Cardinalis et Iohannis Archiepiscopi presentia concorditer convenerunt, quod predicta per nos, ut dicitur, facta de monasterio memerato mense Episcopali Sibenicensi predicte eo ipso, quo prefatam eorum concordiam per nos contingeret approbari, suum debitum sortiretur effectum, ipsumque monasterium predicte mense Episcopali in totum ac cum effectu, et alias iuxta tenorem datarum nostrarum litterarum foret et intelligeretur esse unitum, ita tamen quod quousque dictus Georgius Abbas vixerit, prefatus Episcopus nullo modo neque per se, neque per procuratores snos vigore dicte unionis de prefato monasterio, aut aliquibus redditibus seu aliis bonis

ipsius quibuscumque se valeat intromittere, sed idem Georgius Abbas vita sua durante illi presit, ac de proventibus et bonis ipsius predictis libere ac licite disponat et ordinet, ut verus Abbas monasterii memorati, hoc etiam addito et declarato, quod si dictus Lucas Epus ante dictum Georgium Abbatem decederet, aut quovismodo ante ipsius obitum dicte ecclesie Sibenicensi presse desineret, vel monasterium pridictum, sicut premittitur, unitum ab ipsa mensa Episcopali rursus dividi et separari contingeret, idem Georgius Abbas eo ipso ad prefatum monasterium omnino in eum statum foret et intelligeretur apostolica auctoritate repositus, restitutus et reintegratus, in quo erat ante dictas nostras litteras unionis prefate. Quare pro parte eorumdem nobis fuit humiliter supplicatum, ut premisse ipsorum concordie nostrum asseusum prestare de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur attendentes bonum esse, quod lites sopiantur, et ne dictus Georgius Abbas, qui iam, ut accepimus, processit in senium et gravi etiam solet egritudine laborare, in senectute sua necessitatibus involvatur, huiusmodi supplicationibus inclinati litem predictam, cuius statum presentibus haberi volumus pro sufficienter expresso, ad nos advocantes et penitus extinguentes, premissa omnia et singula super dicta concordia inter prefatos Episcopum et Abbatem conventa, quo ita, ut supra est expositum, in omnibus et per omnia perinde haberi volumus ac si etiam (in) publicis monumentis continerentur, rata et grata habemus eaque presentis scripti munimine roborantes apostolica auctoritate comprobamus, et nichilominus eadem auctoritate presentium tenore super premissis omnibus et singulis similiter disponimus et ordinamus, decernentes unionem predictam ex apprehensione possessionis, ut prefertur, plenarium effectum suum sortitam fuisse et esse, ita ut deinceps sub quibuscumque regulis per nos forsan vel successores nostros edendis, per quas uniones, que suum sortite non essent effectum, quomodolibet revocari contingeret, huiusmodi unio nullatenus comprehendatur, sed eis non obstantibus in suo robore permeneat, constitutionibus et ordinationibus apostolicis ceterisque incontrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Nulli ergo etc. nostre advocationis, ordinationis, decreti et voluntatis infringere etc. Si quis autem etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis dominice M.CCCC.LXXVI. decimo Kalendas Maii, Pontificatus nostri Anno Quinto.

DCLXXX.

Nicolaus Franeus canonicus Tarvisinus ecclesie Parentine in episcopum præficitur. Reg. An. VI. Tom. 33. fol. 246.

Sixtus episcopus etc. Dilecto filio Nicolao Franco Electo Parentino, salutem etc. Pastoralis officii debitum etc. Dudum siquidem bone memorie Silvestro Episcopo Parentino regimini Parentine ecclesie presidente, Nos cupientes eidem ecclesie Parentine, cum vacaret, per apostolice sedis providentiam utilem et idoneam presidere personam, provisionem eiusdem ecclesie ordinationi et dispositioni nostre duximus ea vice specialiter reservandam, decernentes extunc irritum et inane, si secus super hiis per quoscumque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari. Postmodum vero dicta ecclesia per obitum eiusdem Silvestri, qui extra Romanam Curiam debitum nature persolvit, pastoris regimine destituta, Nos vacatione huiusmodi fidedignis relatibus intellecta ad provisionem ipsius ecclesie celerem et felicem, de qua nullus preter nos hac vice se intromittere potuit sive potest, reservatione et decreto obsistentibus supradictis, ne ecclesia ipsa longe vacationis exponatur incommodis, paternis et solicitis studiis intendentes, post deliberationem, quam de preficiendo eidem ecclesie personam utilem ac etiam fructuosam cum fratribus nostris habuimus diligentem, demum ad te Canonicum Tarvisinum, legum doctorem, Notarium nostrum, litterarum scientia preditum, vite munditia ac morum honestate decorum, in spiritualibus providum et temporalibus circumspectum aliisque multiplicium virtutum donis, que in te divina propagavit clementia, ut etiam fidedignorum testimoniis accepimus, insignitum, direximus oculos nostre mentis: quibus omnibus debita meditatione pensatis, de persona tua, nobis et eisdem fratribus ob tuorum exigentiam meritorum accepta, (eidem ecclesie Parentine) de eorumdem fratrum consilio auctoritate apostolica providemus, teque illi preficimus in Epum et pastorem, curam et administrationem ipsius ecclesie tibi in spiritualibus et temporalibus plenario committendo, in illo, qui dat gratias et largitur premia, confidentes, quod dirigente dño actus tuos prefata ecclesia per tue circumspectionis industriam et studium fructuosum regetur utiliter et prospere dirigetur, ac grata in eisdem spiritualibus et temporalibus suscipiet incrementa. Quocirca discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus impositum tibi a dño onus regiminis ot administrationis dicte ecclesie suscipiens reverenter, sic te in eius cura utiliter et salubriter exerconda diligentom exhibeas ac etiam studiosam, quod ipsa ecclesia gubernatori provido et fructuoso administratori gaudeat se commissam, tuque preter eterne retributionis premium

nostram et apostolice sedis benedictionem et gratiam uberius consequi mereareris. Datum Numentane Sabinensis diocesis Anno Incarnationis dominice M.CCCC.LXXVI. decimo Kalendas Novembris, Pontificatus nostri Anno Sexto.

E. m. Capitulo et Vassallis ecclesie Parentine, Clero et populo civitatis et ecclesie Parentine, et Patriarche Venetiarum.

DCLXXXI.

Eidem electo Parentino indulgetur, ut omnia beneficia, quae ante suam promotionem habebat, retinere possit.
Reg. Aa. VI. Tom. 33. fol. 249.

SIXTUS EPISCOPUS etc. Dilecto filio Nicolao Electo Parentino, salutem etc. Personam tuam nobis et apostolice sedi devotam tuis exigentibus meritis paterna benivolentia prosequentes, illa tibi favorabiliter concedimus, que tuis commoditatibus fore conspicimus opportuna. Cum itaque nos hodie ecclesie Parentine, tunc pastore carenti, de persona tua duxorimus auctoritate apostolica providendum, preficiendo te eidem ecclesie in Episcopum et pastorem, prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur: Nos tibi, ut te iuxta pontificalis dignitatis exigentiam decentius sustentare valeas, de aliquius subventionis auxilio providere specialemque gratiam facere volentes, motu proprio, non ad tuam vel alterius pro te nobis super hoc oblate petitionis instantiam, sed de nostra mera liberalitate tecum, ut omnia et singula beneficia cum cura et sine cura secularia et regularia, que tempore promotionis tue huiusmodi in titulum vel commendam obtinebas, prout obtines, etiam si regularia, monasteria, prioratus, prepositatus, prepositure, et tam secularia quam regularia dignitates, personatus, administrationes et officia existant, unacum dicta ecclesia Parentina, etiam postquam munus consecrationis tibi impensum fuerit, in titulum vel commendam, quamdiu eidem Parentine ecclesie prefueris, retinere ac pensiones annuas super quibusvis fructibus ecclesiasticis tibi assignatas percipere libere et licite valeas sicut prius, generalis concilii et aliis apostolicis constitutionibus, necnon predicte Parentine et aliarum, in quibus beneficia huiusmodi forsan existant, ecclesiarum, et a quibus dependent, monasteriorum ac religiosorum locorum et illorum ordinum iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, ceterisque contrariis nequaquam obstantibus, auctoritate apostolica tenore presentium de specialis dono gratie dispensamus, proviso quod in monasteriis huiusmodi divinus cultus ac solitus monachorum et ministrorum numerus non minuatur, et beneficia in commendam retinenda huiusmodi debitis propterea non minuentur obsequiis, et si qua immineat beneficiis in commendam retinendis huiusmodi animarum cura nullatenus negligatur, sed illorum ac monasteriorum illorumque conventuum debite supportentur onera consueta. Nulli ergo etc. nostre dispensationis infringere etc. Si quis etc. Datum Numentane Sabinensis diocesis Anno etc. M.CCCC.LXXVI. decimo Kalendas Novembris, Pontificatus nostri Anno Sexto.

DCLXXXII.

Pontifex rectores, consilium et commune civitatis Ragusinae stricte monet, ut infra sex dies de certa frumenti quantitate ab eis interrepti camerae apostolicae satisfaciant, alioquin excommunicati sint et eorum dominium ecclesiastico subiaceat interdicto. Reg. Aa. VII. Bull. divers. Tom. 10. fol. 311.

SIXTUS EPISCOPUS etc. Ad futuram rei memoriam. Decet Romanum pontificem, cui Camere apostolice specialis cura imminet et tutela, contra illos, qui eius bona non solum vi capere, sed etiam postquam illa in proprios usus convertorunt, debitam de illis satisfactionem denegare non verentur, oportunum adhibere remedium, ut Camera ipsa sue provisionis ope illesa a talium conatibus iuris remediis preservetur. Sane accepimus, quod superioribus mensibus Rectores, Consilium et Communitas Civitatis Ragusino, cum dilectus filius Iohannes Francisci de Ortignano, qui ex provincia nostra Marchie Anconitane iuxta ordinationem Venerabilis fratris nostri Guillermi Episcopi Ostiensis, Camerarii nostri, per mare in quodam navili ad almam Urbem nostram, pro illius et curie nostre Romane propter instantem annone caritatem necessitatibus sublevandis, certam frumenti quantitatem de pecuniis ipsius Camere emptam vehebat, ac nostras patentes in forma Brevis litteras pro securiori itinere ferebat, vi ventorum et adversa tempestate impulsus ad illas partes applicuisset, frumentum omne huiusmodi retinuerunt et acceperunt, eodem Iohanne invito, asserentes se illo indigere. Et licet Iohannes ipse pro satisfactione huiusmodi frumenti fienda apud ipsam Communitatem diligenter aliquandiu institerit, tamen illi, postquam aliunde granum ad sufficientiam compararunt, de debito valore, prout tunc temporis valebat et

ipsi promiserant, satisfacere recusarunt et recusant in grave dicte Camere preiudicium, que frumentum ipsum longe maiori, quam illi offerant, precio emerat, ac pro illius delatione multas etiam expensas fecerant. Nos igitur de premissis, que adeo notoria sunt, ut nulla possint tergiversatione celari, plene informati prefatos Rectores, Consilium et Communitatem apostolica auctoritate presentium tenore requirimus et monemus, quatenus infra sex dies, postquam presentes ad eorum noticiam pervenerint, quorum sex dicrum duos pro primo, et duos pro secundo ac reliquos duos dics pro ultimo et peremptorio termino eis hac canonica monitione premissa assignamus, eidem Iohanni vel dilecto filio Raynaldo Campis, Mazzerio et familiari nostro, quem hac de causa illuc impresentiarum destinamus, seu alteri nomine Camere predicte recipienti de precio dicti frumenti, secundum quod tunc valebat, ac etiam de damnis, expensis et interesse premissorum occasione quomodolibet incursis integre, realiter et cum effectu satisfaciant: alioquin si non paruerint, tam ipsos Rectores, Consilium et Communitatem singulariesque personas Civitatis predicte, quam omnes alios impedientes ac illis directe vel indirecte, tacite vel occulte fauentes, cuiuscunque status, gradus, ordinis vel conditiouis existant, lapsis terminis eisdem, extunc prout extunc, et extunc prout extunc excommunicationis et anathematis sententiam auctoritate et tenore predictis ferimus, et promulgamus in hiis scriptis, a qua ab alio quam Romano pontifice preterquam in mortis articulo constituti nequeant absolutionis beneficium obtincre: et si sententiam huiusmodi per alios tres dies dictos sex dies immediate sequentes animo, quod absit, substinuerint indurato, Civitatem ipsam ac omnia et singula loca eius ditioni subiecta, et ad que ipsos sic excommunicatos declinare contigerit, quamdiu inibi permanserint, necnon in illis consistentia ecclesias et monasteria ac pia loca quecunque ecclesiastico supponimus interdicto, ita ut eo durante inibi preterquam in festivitatibus et casibus a iure permissis, et in illis dumtaxat, clausis ianuis ac excommunicatis et interdictis exclusis, submissa voce, etiam ex quovis apostolico privilegio locis aut personis concesso misse et alia divina officia nequeant celebrari, eosdemque excommunicatos feudis, iuribus, honoribus, privilegiis et mundanis dignitatibus quibuscunque, quo eos tunc a Romana aliisve ecclesiis, monasteriis et locis ecclesiasticis quomodolibet obtinere contigerit, simili auctoritate privamus, et ad illa ac alia imposterum obtinenda, necnon ad testaudum et quoslibet actus legitimos faciendum inhabilitamus, privatosque et inhabiles esse volumus ac decernimus, mandantes insuper sub similibus censuris et penis quibuscunque Cathedralium etiam Metropolitanum ac Collegiatarum Prelatis, Capitulis, Canonicis parrochialiumque ecclesiarum Rectoribus et personis aliis ecclesiasticis, etiam religiosis ordinum mendicantium, qui super premissis fuerint requisiti, in Romana curia et quibuscunque ecclesiis, dum maior inibi populi multitudo ad divina convenerit, eosdem excommunicatos, adhibitis in similibus servari solitis cerimoniis ecclesiasticis, publice denuncieut, ac iubeant et faciant ab omnibus artius evitari, donec monitionibus huiusmodi realiter et cum effectu paruerint, ac absolutionem ab excommunicationis sentencia et aliis censuris predictis, satisfactione previa, merucrint obtinere. Et quia ad eosdem monitos non patebit forsan tutus accessus pro presentacione presentium litterarum, eisdem Archiepiscopis, Episcopis, Prelatis, Canonicis, Rectoribus et personis ecclesiasticis, ac eorum cuilibet insolidum, qui requisiti premissis fuerint, sub eisdem censuris et penis tenore et auctoritate similibus districte percipiendo mandamus, ut presentes litteras seu earum transumptum autenticum in locis predicte Ragusine Civitati vicinis, de quibus sit verisimilis coniectura, quod ad dictorum monitorum noticiam valeant pervenire, etiam per edictum publicum insinuent, publicent et notificent, volentes et pariter mandantes, ut earum litterarum transumpto manu alicuius notarii publici confecto, et sigillo alicuius prelati munito eadem prorsus fides adhibeatur in iudicio et extra, que adhiberetur originalibus litteris presentibus, si essent exhibite vel ostense, quodque litterarum et transumpti huiusmodi publicatio monitos predictos arctet, ac si ipse presentes littere eis et eorum cuilibet personaliter intimate et insinuate extitissent, Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis contrariis quibuscunque, aut si monitis predictis vel quibusvis aliis communiter vel divisim ab apostolica sit sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre requisitionis, monitionis, assignationis, promulgationis, suppositionis, privationis, inhabilitationis, decreti, mandati et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se novcrit incursurum. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis dominice M.CCCC.LXXVIII. sexto Kal. Aprilis, Pontificatus nostri Anno Septimo.

DCLXXXIII.

Catherinae reginae Bosniae testamentum, per quod, nisi Sigismundus et Catherina eius filii ad christianam fidem redirent, Romanam ecclesiam instituit haeredem. Ex Cancie Camerario fol. 347.

In Nomine sancte et individue Trinitatis Patris ot Filii ot Spiritussancti, Amen. Do anno Incarnationis dñice Millesimo quadringentosimo septuagesimo octavo, Indictiono undecima, die vero vigesima mensis Octobris, Pontificatus Sanctissimi in Christo patris et domini nostri, dñi Sixti divina providentia pape IIII. anno octavo, In mei notarii et testium infrascriptorum et subscriptorum, ad omnia et singula infrascripta vacatorum specialiter et rogatorum, presentia Illñe dña Catherina quondam Ducis Stephani filia Regina Bosne, nunc in alma Urbe in Regione Pince, in domo suo solite habitationis prope ecclesiam sancti Marci de Urbe constituta egra corpore, sana tamen et compos mente animo volvens, quod immensa divino maiestatis clementia, ut eo amplius bonum et gratiam suam effunderet, et lapsorum ordinem Angelorum repararet, hominem sibi similem non subiturum morbos et angustias, nec dire mortis inevitabile periculum, sed gratie sue participem et eterne vite futurum heredem do limo terre creavit: supervoniente tamen hostis antiqui suggestione nequissima mors est indicta homini, que est in posterum postmodum derivata, propter quod oportot hominem esse vigilem, ne cum vencrit illa dies, qno penitus est incerta, cum inveniat dormientem veluti animal brutum, quod ob rationis defectum sue nequit saluti consulere, et oo amplius quod dies hominis constat esso brevissimos et tamquam umbra quedam pretereuntes. Quapropter pia mento ot auimo deliborato ac maturo ducta consilio, volensque, dum ratio regit mentem et viget in sui corporis membris quies, de suo Regno Bosno prefato ac iuribus eiusdem, ceterisque bonis temporalibus sibi a dco collatis salubriter ordinare, omnibus melioribus modo, via, iure, causa et forma, quibus melius et efficacius potuit et potest, suum presens nuncupatum testamentum seu ultimam condidit modo infrascripto voluntatem, quam et quod valcre voluit et tenere iure testamenti, et si iure testamenti non valoret ratione pretoritionis vel altorius cuiuscumque solcmnitatis obmissionis, voluit et vult ipsam suam ultimam voluntatem valere iure codicillornm seu donationis causa mortis, aut inter vivos, et tamquam iure ultimo voluntatis, quo mclius valero potcrit et tenere, cassans, irritans ot annullans eadem Regina testatrix omne aliud testamentum, ac aliam quamcumque ultimam voluntatem hactenus sub quibuscumque verborum clausulis ct derogatoriis per eam factum seu factam, volens ante omnia quod a spiritualibus hoc presens suum testamentum sumeret exordium, animam suam omnipotenti deo, beato Mario Virgini et beato Iohanni Evangelisto ac omnibns sanctis curio supernalis commendavit. Et si eam de infirmitate, qua laborat de prosenti, transire contingat ex hac luce, corpori suo eligit ct elegit sepulturam in ecclesia sancte Marie de Araceli, ubi voluit et vult sepeliri. Demum animo volvens, quod licet per immanissimum Christiane religionis hostem Turcum retroactis temporibus de facto, et per tyrannidem prefato Regno Bosne pulsa et spoliata sit, propterea tamen ius Regni prefati non amisit, nec amittit, quod spectat ad eam propter incapacitatem et inhabilitatem filiorum suorum legitimorum et naturalium et Illñi Regis Thome momorati Regni Bosne, ex professione Machometane secte contractam, habensque fiduciam in domino, qui nullum violentum sinit esse perpetuum, quod prefatum Regnum aliquando de manu tyrannica et hostili excidet et evertetur ab ea, et Christiane subiicietur ditioni, volens propterea incolis Regni prefati et Regno consulero, no ad manus veniat aliquorum nullum habentium ius in Regno, sed suum inridicum et legitimum habeant regimen, prefata Regina ex premissis et quibusdam aliis rationabilibus causis animum suum moventibus, ac memor munificentie gratiarum et beneficiorum a sancta Romana ecclesia et apostolica sede, a felice et sancta memoria Pauli pape II. et Sanctissimo domino nostro dño Sixto papa IIII. collatorum, qui eam gratissima hospitalitate sunt semper prosecuti, subveniendo eidem secundum Regiam dignitatem condigno annali stipendio et provisione sufficienti pro suis nocessitatibus, in prefato Regno Bosno cum omnibus et singulis iuribus, pertinentiis, dependentibus, connexis et annexis, et prefati Regni Civitatibus, Castris, terris, villis, iuribus et iurisdictionibus, ac utili et directo eiusdem dominio sacrosanctam Romanam ecclesiam et sedem apostolicam, ac prefatum Sanctissimum dominum nostrum Sixtum divina providentia papam IIII., et suos successores canonico electos et intrantes Uuiversales heredes ac successores instituit, rogavitquo et rogat per solemno fidoi commissum dictam sedem apostolicam, ac prefatum Sanctissimum dñum nostrum et predictos successores, eiusdemque prefate sedis fidei commisit et committit, et ita voluit et ordinavit, quod filio suo et prefati Regis Thome legitimo et naturali Sigismundo, si quod deus per infinitam suam permittat clemontiam ex Machometano vomitu, in quo degit do presenti, ad veram Christi fidem realiter et cum effectu revertatur, prefatum Regnum et Regni iura, dominia et iurisdictiones absque detractione

legis Trebelianice plene restituat, cumque Regem in prefato Regno nominet, intitulet et inveatiat, quantum in prefata sede apostolica fuerit. Si vero dictus Sigismundus eius filius ad Christianam fidem non vencrit, ut prefertur, tunc ullo casu dicta Illma dña Regina voluit dictum fidei commissum esse nullum, irritum et inane, nulliusque roboris vel momenti, ac si factum non fuisset. Sed in tali casu iterum rogavit et rogat dictam sedem apostolicam et Sanctissimum dñum nostrum et suos successores prefatos, et eius ac prefatorum fidei committit, quod filia eius Catherina, que similiter de presenti Machometanum vomitum sequitur, revertatur realiter et cum effectu ad sanctam Christianam fidem, eidem filie sue modo et forma premissis Regnum prefatum integraliter restituant, quantum fuerit in eisdem. Ambobus autem et filio et filia prenominatis in perfida Machometana secta perseverantibus, dictum fidei commissum prefata Regina voluit similiter esse nullum, irritum et inane modo quo supra est premissum, et interim dictam sedem apostolicam posse plene et libere de prefato Regno, eius iuribus et titulo disponere ad suam voluntatem et beneplacitum tamquam de re, patrimoniis, bereditate ac bonis suis propriis, quibusvis contradictionibus non obstantibus. Insuper in reliquis bonis mobilibus et immobilibus, que sua hic in Urbe reperiuntur et extant, suos heredes et successores equis portionibus instituit similiter, et esse voluit dñam Paulam Marosani Mirchovich, dñam Helenam Iohannis Semphovich, et dñam Mariam Georgii Misglenovich. Voluit insuper et ordinavit prefata Regina, quod ex dictis suis bonis sibi a deo collatis pro funeralibus sumptibus et sepultura fienda in dicta ecclesia beate Marie de Araceli, secundam quod videbitur suis infrascriptis executoribus, exponantur ducati ducenti.

Item voluit et legavit dicte ecclesie sancte Marie de Araceli palium seu suum Regale mantellum de panno aurato. Item eidem ecclesie beate Marie de Araceli legavit et legat unum tusale sericeum pro altare cohoperiendo diversorum colorum, quod pro ornatu sue capelle habebat. Item legavit et legat Hospitali sancti Hieronymi de Lausto pro natione Sclavonorum capellam suam integram, hoc est Misaale, calicem cum patena et corporale, planetam cum suis camisiis et aliis sacerdotalibus indumentis, et unum tusale sericeum, quo altare coheperitur. Item prefata Regina dixit et confessa est se habuisse ex causa mutui a prefata domina Paula ducatos vigintiduos, Item dixit se habuisse a Radice Iobannis Clesich sne domus Magistro ducatos trigintaocto, Item dicit ac esse debitricem certis honestis causis Luce Vucichovich in ducatis decem et octo et carlenis octo, quibus ante omnia et cuilibet eorum satisfieri voluit et mandavit. Ulterius prefata dña Regina dicte dñe Paule Mirosani Mirchovich prelegavit ducatos quinquaginta, et unam auam vestem de zetano nigro foderatam de dosi, et unam aliam de panno nigro foderatam de pellibus lupi cervieri. Item prelegavit dñe Helene Iohannis Semphodivich prefate ducatos vigintiquinque, et unam auam vestem longam de panno nigro cum sua fodra de amarturis. Item prelegavit dicte dñe Mare Georgii Misglenovich ducatos triginta, et unam vestem longam de pano nigro simplicem. Item prelegavit Radici Iohannis Clesich Magistro sue domus ducatos quinquaginta, et unam simitanam cum suis ornamentis argenteis, et unam vestem Turcham de serico rubro et auro textam. Item legavit Georgio Nicolai Zubravich suo familiari ducatos quinquaginta. Item legavit Habrahe Radici suo familiari ducatos triginta. Item legavit filio auo Sigismundo unum ensem Regis sui patris ornatum argento ea conditione, quod si dictus filius eius Sigismundus ad veram Christi fidem non revertatur, legavit dictum ensem Baose filio fratris sui Ladislavi. Item legavit dictis filiis Sigismundo et Catherino unum pugillare de argento, et duas tassias et duas coppas argenteas cum auis eopertis laboratas cum smaldo. Item reliquias suas, quas habet ornatas argento et alias, que argento non cohoperiuntur, reclusas in capsetta sua legavit ecclesie sancte Catherine ordinis Minorum in oppido Iace in Regno Bosne: reliqua bona sua, que supererunt, prelibata Regina, deductis legatis premissis et ere alieno, voluit et ita ordinavit, quod per suos executores infrascriptos secundum eorum descriptionem inter familiam suam secundum conditiones et merita personarum dividantur. Executores autem suos instituit, ordinavit et esse voluit nobilem virum iuris utriusque doctorem dñum Matheum de Raguis de Ragusio, Canonicum Ragusinum, Rñi dñi Cardinalis sancti Petri ad Vincula Capellanum, et dictam Paulam Mirosani Mirchovich et Radicem Iobannis Clesich supradictos, quibus dedit plenam et liberam potestatem statim post obitum eius, et rogavit eosdem et rogat, ut suam supradictam exequantur voluntatem, promictens quicquid per eos factum, actum et gestum fuerit, id se exnunc prout extunc ratum, gratum et firmum habituram. Acta fuerunt omnia suprascripta, que in hoc publico testamento continentur, presentibus, audientibus et intelligentibus venerabilibus et discretis ac religiosis viris, videlicet dño Georgio de Marinellis Archidiacono Arbensi et Capellano Rñi patris dñi Cardinalis s. Marci, fratre Carulo de Tybure, fratre Antonio de Florentia, fratre Francisco de Vallemontone, fratre Pbylippo de Vercellis, fratre Mariano de

Roma et frater Cypriano de Viterbo, fratribus Monasterii et Conventus s. Marie de Araceli, ad predicta legitime vocatis et rogatis, qui inferius suis propriis manibus se in fidem omnium et singulorum premissorum de scripserunt. Post hec prefata domina Regina affectans, quod hoc presens suum testamentum prefato Sanctissimo domino nostro et sacro Cardinalium collegio in publica forma exhiberetur, rogavit Rev. patrem dñum Bartholomeum Marasca Episcopum Castellanum, suisque prefatis executoribus iussit et mandavit, quatenus hoc suum testamentum Rño in Christo patri et domino, domino Roderico Episcopo Portuensi, sacrosancte Romane ecclesie Cardinali et Vicecancellario, pientissimo protectori ac benefactori singularissimo, una cum Regio ense presentaretur, cuius Dominationem Rñam prefata Regina rogavit et rogat, ut supradictum suum testamentum dicto Sanctissimo domino nostro et sacro Cardinalium collegio una cum regio ense presentaret, ut sic conservetur perpetuo.

Et ego Antonius Georgii de Sclavonia presbyter Spalatensis diocesis, clericus in basilica principis Apostolorum de Urbe, publicus Imperiali auctoritate notarius, quia premissis etc. publicum presens testamentum confeci, signoque et nomine meis consuetis signavi etc.

Ego Georgius de Marinellis Archidiaconus Arbensis, testis suprascriptus, omnibus et singulis, que in suprascripto testamento continentur, presens fui et ad fidem premissorum manu propria subscripsi rogatus et requisitus.

Et ego fr. Carolus ordinis Minorum ac vicarius loci sacri conventus Areceli, testis suprascriptus, omnibus et singulis, que in suprascripto instrumento continentur, presens fui et ad fidem premissorum manu propria subscripsi rogatus et requisitus.

Et ego fr. Antonius Francisci ordinis Minorum prefati loci ac testis prenominatus omnibus et singulis, que superius continentur, presens fui, et audivi et ad fidem premissorum me subscripsis rogatus et requisitus.

Et ego fr. Franciscus de Vallemontone ordinis Minorum suprascriptus testis fui ad omnia et singula, que in hoc testamento continentur, et ad fidem premissorum manu mea propria me subscripsi.

Et ego fr. Phylippus de Vercellis ordinis Minorum suprascriptus testis fui ad omnia et singula, que in hoc testamento superius continentur, et ad fidem premissorum manu propria me subscripsi.

Et ego fr. Cyprianus de Viterbio ordinis Minorum suprascriptus testis fui presens ad omnia et singula, que in hoc testamento continentur, et ad fidem premissorum manu propria me subscripsi.

Et ego fr. Marianus de Roma ord. Minorum prefati loci ac testis prenominatus, presens fui, que superius continentur, vidi et audivi, et ad fidem premissorum me subscripsi mpp. rogatus et requisitus.

R. Cardinalis sancti Georgii suprascriptum registrum dicti testamenti cum suo domini pape Camere originali fideliter auscultatum subscripsimus mpp.

Ego Ant. de Viterbio Protonotarius et Apostolice Camere Clericus supradictum testamentum publicum recognitum, ac per me et omnes dominos, videlicet Rñum dominum Camerarium predictum, ac Clericos Camere infrascriptos collationatum auscultavi fideliter cum suo originali, et manu propria subscripsi in presenti registro in Camera Apostolica.

Ego Ludovicus Agnellus Prothonotarius ac Apostolice Camere clericus collationavi et subscripsi me ut supra.

DCLXXXIV.

Sententias de nullitate matrimonii pro Andreola Nicolai Victuri contra Doctrinam Stephani Victuri laicum Traguriensem latas pontifex approbat et confirmat. Reg. An. VIII. Secret. Tom. 3. fol. 23.

Sixtus episcopus etc. Ad futuram rei memoriam. Ea, que trina conformi sententia terminantur, firma debent et illibata persistere, et ne in recidive contentionis scrupulum relabantur, apostolico convenit presidio communire. Sane, sicut accepimus, dudum pro parte dilectarum in Christo filiarum Iacomelle relicte quondam Nicolay Victuri laici, et Andreole eorundem Nicolai et Iacomelle filie, mulierum Traguriensium, nobis exposito, quod olim postquam ipsa Andreola quibusdam persuasionibus dolosis circumventa non ignorans, quod dilectus filius Doctrina Stephani Victuri laicus etiam Traguriensis eidem Andreole quarto consanguinitatis et affinitatis gradibus coniunctus erat, cum eo matrimonium per verba de presenti contraxerat licet de facto, latam in tales excommunicationis sententiam damnabiliter incurrendo, idem Doctrina ipsam Andreolam rapuerat, et invitam ac renitentem per vim carnaliter cognoverat, et ad cohabitandum secum coegerat, tacitisque premissis suo et ipsius Andreole nominibus litteras mandati de dispensando cum eisdem Doctrina et Andreola super impedimento consanguinitatis

et affinitatis premisse, ut illo non obstante invicem possent matrimonialiter copulari, ex penitentiaria nostra ad Episcopum Traguriensem, vel eius Vicarium in spiritualibus generalem, eorum propriis nominibus non expressis, surreptitie impetraverat, dictamquo Andreolam, ut ipsarum litterarum presentationi Vicario prefate faciende interesset, et illarum executionem peteret, ac dictam Iacomellam ipsius Andreole curatricem, ut curaret, quod ipsa Andreola presentationi litterarum et petitioni executionis huiusmodi intervoniret, compulerat, et demum obtenta dispensatione huiusmodi ab ipso Vicario pretextu litterarum earundem cum ipsa Andreola, presente Iacomella prefata, matrimonium de novo etiam de facto contraxerat, ipsa vero Andreola, metu durante huiusmodi, ipsi Doctrine cohabitaverat, et adhuc cohabitavit invita, et eatenus ab eo, qui etiam ipsius Andreole bona detinebat indebite occupata, propter dubium mortis aufugere ausa non fuerat, quamvis id facere temptasset, et in eadem expositione subiuncto, quod primum matrimonium predictum propter consanguinitatis et affinitatis impedimenta huiusmodi nullius fuerat roboris vel momenti, et dicte littere secundum premissa surreptitie erant, et que postmodum facta fuerant inter ipsos Andreolam et Doctrinam, qui ipsam Andreolam propter hoc rapuerat, invalida existebant, ac pro parte ipsius Andreole asserentis, quod ipsa a dicto Doctrina adhuc detinebatur, nobis humiliter supplicato, ut ipsam Andreolam ab excessu huiusmodi ac ab excommunicationis sententia, quam premissorum occasione incurrerat, absolvcremus, et postquam summarie et sine figura iudicii, instanto prefata Iacomella dumtaxat vel eius legitimo procuratore, etiam dicto Doctrina alitor non citato, extraiudicialiter constaret do premissis, ipsam Andreolam in aliquo tnto et honesto loco in Civitate Venetiarum vel alibi, in quo libere iure suo sine metu et periculo mortis huiusmodi nti posset, sequestrari, ot deinde vocatis ipso Doctrina et aliis qui forent evocandi, causam, quam prefata Andreola super nullitate matrimonii predicti et illata sibi violentia, ac bonis ad eam pertinentibus per ipsum Doctriuam indebito occupatis contra eundom Doctrinam movero intendebat, cum suis dependentiis, emergentibus et connexiis audiri, auditisquo hinc inde propositis, quod canonicum foret, decerni, et quod decerni contingoret, per censuram ecclesiasticam et alia iuris remedia inviolabiliter, invocato etiam ad hoc, si opus fucrit, auxilio brachii seculari, observari, provideri quoque eidem Andreole, nt de bonis ad eam legitime pertinentibus pro sui decenti sustentatione et litis huiusmodi prosecutione, et etiam ut ea durante, que neccssaria forent, habere posset, mandare de benignitate apostolica dignaremur. Nos tunc de premissis certam notitiam non habentes, Andreole et Iacomelle predictarum supplicationibus huiusmodi inclinati, Patriarche Venetiarum, eius proprio nomine non expresso, per alias nostras litteras commisimus et mandavimns, ut supèr premissis omnibus et singulis per se ipsum, prout sibi videretur, providere, eius super hoc conscientiam onerando, qnarum litterarum vigore ipsa Andreola prefatum Doctrinam coram Venerabili fratre nostro Maffeo Patriarcha Venetiarum, super hoc petendo matrimonium predictum primo quam secundo loco, ut profertur, contractum nullum fore, et illorum pretextu bona ipsius Andreole cidem Doctrine obnoxia non esse decorni, fecit ad iudicium evocari, et ipse Patriarcha in causa huiusmodi rite procedens diffinitivam, per quam (doclaravit) assertum matrimonium contractum inter prodictos Doctrinam et Andreolam ante prefata assertam dispensationem obtentam per litteras penitentiarie predicte fuisse et osse nullum, stante canonico et perpetuo impedimento consanguinitatis et affinitatis prodicto, et similiter aliud subseqnens matrimonium post dictam assertam dispensationem inter ipsos Doctrinam et Andreolam contractum nullum, et invalidum fuisse et esse propter nullitatis et surreptionis iurium(sic) predictarum litterarum penitentiarie, sicque omnia alia inde socuta, stantibus violentia ac metu et aliis pluribus rationibus et causis in processu coram eodem Patriarcha agitato deductis et probatis, fuisse et esso nulla et invalida, nulliusquo momenti et efficacie, et propterea Andreolam predictam nullo unquam matrimoniali vinculo fuisse aut esse dicto Doctrine obligatam, nec bona ipsius Andreole fuisse aut esse pretextu alicuius asserti matrimonii eidem Doctrine obnoxia, dictum Doctrinam cidem Andreole in expensis nichilominus condemnando sententiam promulgavit, a qua pro parte dicti Doctrine ad sedem apostolicam extitit appellatum, nosque causam appellationis huiusmodi quondam Iohanni de Cesarinis Capellano nostro, et causarum palatii apostolici Auditori ad dicti Doctrine instantiam, et deinde ex certis causis tunc oxprcssis Episcopo Paduano, eius proprio nomine non expresso, cum potestate revocandi, quo post appellationem prodictam inveniret indebite attemptata, audiendam commisimus et fine debito terminandam. Cumque dilectus filius Baptista de Madiis Vicarius Venerabilis fratris nostri Iacobi Episcopi Paduani in spiritualibus genoralis, cui prefatus Iacobus Epus in causa predicta, postquam in ea ad nonnullos actus processerat, vices suas commiserat, usque ad sententiam exclusive super nonnullis, que dictus Doctrina attemptata fore dicebat, et revocari petebat, ea

revocanda non esse per viam attemptatorum, sed litis eventum quoad illa expectandum fore declarasset cum expensarum condemnatione: pro parte dicti Doctrine a declaratione predicta ad eundem Iacobum Episcopum extitit appellatum, ipsequo Iacobus Episcopus appellationis posterioris et principalis negotii huiusmodi causas dilecto filio Antonio Cavassia Archipresbitero ecclesie Brixiensis, etiam ipsius Episcopi in spiritualibus Vicario generali, audiendas commisit et fine debito terminandas, qui in illis rite procedens, quatenus per dictum Baptistam declaratum fuerat, ea, que attemptata dicebantur et revocari petita orant, revocanda non esse, bene, quatenus vero in declaratione ipsa adiectum fuerat quoad id litis eventum expectandum fore, male processum et declaratum fuisse, et que attemptata dicebantur per ipsum Doctrinam, nullatenus revocari debere, et pro parte dicti Doctrine a dicti Baptiste declaratione predicta male appellatum fore declaravit, ac demum in principali negotio latam per dictum Patriarcham sententiam per aliam suam sententiam confirmavit, etiam cum expensarum condemnatione. Prefatus autem Doctrina asserens se a sententia predicta lata per dictum Archiprosbiterum, quamprimum de ea notitiam habuerat, appellasse, nostras super huiusmodi posteriori appellatione sua ad Episcopum Traguriensem, eius proprio nomine non expresso, litteras impetravit, et super sua posteriori appellatione predicta fecit dictam Andreolam coram dilecto filio Georgio Tirgareo, qui se gerit pro Canonico Sebenicensi, et cui Venerabilis frater noster Iacobus Episcopus Traguriensis in hoc commiserat, ut dicitur, vices suas, posteriorum litterarum et commissionis Episcopi Traguriensis huiusmodi pretextu ad iudicium evocari, ipsoque Canonicus in causa ipsa perperam procedens latas pro dicta Andreola contra dictum Doctrinam Patriarche et Archipresbiterorum predictorum sententias per aliam suam sententiam revocavit, et matrimonium predictum validum fore declaravit cum expensarum condomnatione: a qua pro parte dicte Andreole, quamprimum de ea notitiam habuit, infra tempus legitimum fuit ad sedem prefatam etiam appellatum, ipsaque Audreola super appellatione sua huiusmodi nostras ad Farensem et Feltrensem Episcopos in forma Brevis litteras impetravit, ac eundem Doctrinam coram Venerabili fratre nostro Angelo Episcopo Feltrensi, cui Venerabilis frater noster Laurentius Episcopus Farensis, a quo pro parte dicti Doctrino a corto tuno expresso sibi, ut dicobat, per ipsum Episcopum Farensem illato gravamine ad sedem prefatam appellatum fuorat, in hoc commiserat vices suas, fecit litterarum et commissionis huiusmodi vigore ad iudicium evocari, ipseque Angelus Episcopus Feltrensis in causa sibi commissa huiusmodi rite procedens diffinitivam, per quam latam per dictum Georgium Canonicum sententiam, nullo iuris ordine servato, invalidam fore et cum toto processu coram ipso Canonico habito irritam esse declaravit, et latas per Patriarcham et Archipresbiterum predictos sontentias predictas confirmavit, sontentiam promulgavit cum simili expensarum condemnatione. Postmodum vero pro parte dicti Doctrine nobis exposito, quod postquam ipsi Doctrina et Andreola invicem matrimonium predictum contraxerant, et insimul per annum vel circa cohabitaverant, dicta Andreola dolosis machinationibus inducta ab ipso Doctrina aufugerat, ac ipsum Doctrinam coram tunc Vicario dicti Episcopi Traguriensis super invaliditate dicti matrimonii, non ex delegatione apostolica, traxorat in causam, qui in illa procedens pro ipso Doctrina et contra dictam Andreolam sententiam promulgaverat, et quod dicta Andreola prefate sententie aequiescens ad domum ipsius Doctrine reversa per annum cum eo pacifice vixerat, et quod hiis sic peractis, prefata Iacomella iterum querens, quod inter ipsos Doctrinam et Andreolam divortium fieret, dictas priores litteras nostras ad prefatum Patriarcham impetraverat, quarum pretextu prefatus Maffeus primam sententiam predictam nulliter procedendo promulgaverat, ne de priori sententia predicta Vicarii Episcopi Traguriensis nulla mentione facta: et quod licet a sentontia predicta Patriarche pro parte ipsius Doctrine appellatum et appellationi predicte delatum, et per dictum Iohannem de Cesarinis Auditorem eidem Patriarche, ne aliquid innovaret vel attemptaret, inhibitum fuisse, dictus tamen Patriarcha ipsius Doctrine fratrem tamquam ipsius Doctrino fideiussorem pro expensis in dicta causa factis, quibus ipse Doctrina dicte Andreole condemnatus fuerat, capi et incarcerari, ac ipsum Doctrinam omnibus bonis dotalibus, et que pro dicto matrimonio in dotem habuerat, spoliari fecerat: et quod ipse Doctrina facte per nos dicto Auditori commissioni predicte, et omnibus inde secutis de mandato temporalis dominii illarum partium sub pena perditionis omnium bonorum et perpetui exilii renunciare compulsus fuerat, et quod licet ipse a sentontia dicti Archipresbiteri infra tempus legitimum a dio notitie ad sedem prefatam appellasset, et quia idem Archiprosbiter appellationem ipsam non admisit, ab huiusmodi non admissione etiam appellasset ad sedom eandem, et super suis appellationibus huiusmodi litteras predictas ad prefatum Episcopum Traguriensem impetrasset, et per dictum Georgium Canonicum latas pro dicta Andreola sententias predictas nullas declarari obtinuisset cum expensarum

condemnatione, nichilominus contra dilectum filium Iohannem Victuri de Tragurio, fideiussorem ipsius Doctrine, pro summa centum et viginticeptem ducatorum executio cum effectu facta fuerat premissorum occasione, quodque littere nostre predicte in forma Brevis dictis Farensi et Feltrensi Episcopis directe prius dicto Farensi Episcopo presentate fuerant, qui cum pro parte ipsius Doctrine a quodam gravamine sibi de facto per ipsum Episcopum Farensem illato ad sedem appellasset antedictam, vices suas prefato Feltrensi Episcopo commiserat, et quod post latum per dictum Feltrensem Episcopum sententiam predictam illius vigore prefata Andreola a quodam fideiussore ipsius Doctrine pro centum et triginta ducatis, vel circa cum auxilio brachii seculari violenter de facto pignora extorserat, et etiam quod ipse causam hanc in Curia Romana, prout desiderabat, ad hoc ut veritas elucesceret, ob mandata et inhibitiones in partibus facta sub maximis et formidabilibus penis, ut nobis innotescebat, prosequi timebat, ac pro parte ipsius Doctriue asserentis se tot laboribus et expensis fatigatum ad summam calamitatem devenisse, et quod forsan ob hanc causam mendicare cogeretur, nobis humiliter supplicato, ut ne, postquam uxorem habebat, maliciis hominum illam dimittere cogerotur, et ne tale et tantum vinculum inique et iniuste dissolveretur, appellationis huiusmodi a gravamiue sibi illato per dictum Farensem Episcopum pro parte ipsius Doctrino interposite, ac nullitatis et nullitatum omnium sententiarum predictarum contra ipsum Doctrinam latarum, et processuum desuper habitorum et inde secutorum attemptatorumque et innovatorum quorumeunque, et negotii principalis causas alicui in partibus illis audiendas, cognoscendas et fine debito terminandas, et prescrtim super restitutione pecuniarum et pignorum predictorum committere de beniguitate apostolica dignaremur. Nos tunc ipsius Doctrine in ea parte supplicationibus huiusmodi inclinati, Venerabili fratri nostro Marco Archiepiscopo Durachiensi in Civitate Spalatensi residenti, ut causas predictas audiret, et quod canonicum foret, faceret, per alias nostras litteras in forma Brevis mandavimus, qui in causa huiusmodi ad nonnullos actus, citra tamen conclusionem, dicitur processisset. Cum autem, sicut etiam accepimus, dicte Andreole grave sit, et tam a iure quam equitate alienum videatur, quod huiusmodi causa matrimonialis per tres sententiam conformes a viris gravibus et in locis insignibus, in quibus copia peritorum existit, latas iam decisa pretextu expositorum nobis per dictum Doctrinam, ut prefertur, denuo suscitetur, et cogatur ipsa Andreola vim passa adhuc super premissis non sine gravibus laboribus et impensa in partibus Dalmatie litigare coram dicto Archiepo, nos attendentes parum esse sententias ferri, nisi debite executioni demandentur, statum cause huiusmodi coram dicto Archiepiscopo Durachiensi pendentis presentibus pro expresso habentes, illamque ad nos harum serie advocantes, et litem penitus extinguentes, ac ipsam Andreolam a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et penis a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis et promulgatis, si quibus quomodolibet premissorum occasione innodata vel irretita existit, quoad presentium dumtaxat consequendum effectum harum serie absolventes et absolutum fore censentes, motu proprio, non ad prefate Andreole vel alterius pro ea nobis super hoc oblate peticionis instnutiam, sed de nostra mera liberalitate et ex certa nostra scientia Patriarche, et Archipresbitori necnon Feltrensis Episcopi predictorum sententias predictas, et processus coram eisdem Patriarcha, Archipresbitero et Episcopo Feltreusi habitos premissorum occasione auctoritate apostolica presentium tenore approbamus et confirmamus, ac robur firmitatis obtinere debere decernimus, supplemusque omnes et singulos deffectus, si qui forsan iutervenerint in eisdem, ne dicto Doctrine iuxta dicto sententie Episcopi Feltrensis scriem et tenorem super dicto matrimonio perpetuum silentium motu et scientia similibus imponimus, decernentes pari motu et scientia ad ulteriorem executionem earundem Patriarche, Archipresbiteri et Episcopi Feltrensis sententiarum predictarum procedi debere, necnon quascunque appellationes, quas premissorum occasione pro parte dicti Doctrine interponi forsan contiuget, frivolas, frustratorias et inanes, et quascunque commissiones, quas a nobis obtineri forsan contingeret, prescrtim tacito presenti decreto iurisdictionem aliquam non tribuero, et cum hiis, que illarum pretextu fieri contingct, nullius roboris esse debere, et iudices, qui illarum pretextu in premissis post huiusmodi decreti notitiam aliquid attemptarent, excommunicationis senteutiam eo ipso incurrere, Non obstantibus promissis ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis ceterisque contrariis quibuscunque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre advocationis, extinctionis, absolutionis, approbationis, confirmationis, constitutionis, suppletionis, impositionis et decreti iufringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignatiouem omnipotentis dei etc. se noverit incursurum. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno Iucarnationis dominice Millesimo quadringentesimo septuagesimonono, XII. Kalendas Maii, Pontificatus nostri Anno Octavo.

DCLXXXV.

Executoribus mandatur, ut prædictas litteras promulgent et sententias exequantur. Ibidem fol. 27.

Sixtus episcopus etc. Venerabili fratri Patriarche Constantinopolitano, et dilectis filiis Primicerio sancti Marci Venetiarum ac Michaeli Rosani Canonico Traguriensis ecclesiarum, salutem etc. Hodie motu proprio et ex certa nostra scientia tres sententias conformes successive ex delegatione nostra, super nullitate matrimonii contracti inter dilectum filium Doctrinam Stephani Victuri laicum, et dilectam in Christo filiam Andreolam Nicolai Victuri mulierem Tragurien sem, pro dicta Andreola et contra dictum Doctrinam latas cum expensarum condempnatione, et processus habitos coram delegatis iudicibus, qui eas tulerunt, per alias litteras nostras confirmavimus, supplevimusque omnes et singulos defectus, si qui forsan intervenissent in eisdem, ac decrevimus ad earumdem sententiarum executionem debere procedi, dicto Doctrine super dicto matrimonio perpetuum silentium imponendo, prout in eisdem litteris plenius continetur. Quocirca motu et scientia similibus discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus vos vel duo aut unus vestrum, si et postquam dicte littere vobis presentato fuerint, per vos vel alium seu alios premissa, ubi, quando et quotiens expedire cognoveritis, fueritisque desuper pro parte dicte Andreole legitime requisiti, solemniter publicantes, faciatis auctoritate nostras sententias predictas robur firmitatis obtinere, et ulterius exequi eadem auctoritato curetis, ac dicte Andreolo in premissis efficacis defensionis presidio assistentes, non permittatis eam contra dictarum litterarum nostrarum et decreti in eis appositi continentiam et tenorem per dictum Doctrinam, aut alios quoscumque indebite molestari, et illos, quos in decreto predicto contraveniendo excommunicationis sententiam in contravenientes per easdem litteras nostras latam vobis incurrisse constiterit, excommunicatos publice nuntietis, faciatisque ab aliis nuntiari, et ab omnibus arctius evitari, donec decreto nostro obtemperaverint memorato, et meruerint a sententia predicta absolutionis beneficium obtinere, Non obstantibus omnibus illis, que in dictis litteris voluimus non obstare, seu si dicto Doctrine vel quibusvis aliis communiter vel divisim a sede apostolica indultum existat, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, Contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo, invocato ad hoc etiam, si opus fuerit, auxilio brachii secularis. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno etc. Millesimo quadringentesimo septuagesimonono, xii. Kal. Maii, Pontificatus nostri Anno Octavo.

DCLXXXVI.

Indulgentia plenaria omnibus Christi fidelibus tam civitatis et dioeceseis Ragusinæ quam alienigenis, qui dictam civitatem et eius territorium contra Turchos defendent, conceditur. Reg. Aa. VIII. Bull. divers. Tom. II. fol. 498.

Sixtus episcopus etc. Ad futuram rei memoriam. Plena vigiliis solicitudo nos admonet, ut circa defensionem populi christiani, his presertim temporibus, quibus Turcborum sanguinolenta rabies gregem dominicum dissipare et durissime servituti prohdolor subdere nititur, taliter operemur, quod tanti acerbissimorum hostium conatus dextera divine potentie conterantur. Idcirco ad tam salutiferum pietatis opus vires paucorum minime sufficere cognoscentes, universos, qui christiano nomine censentur, ad impugnationem Turchorum predictorum celestis thesauri muncribus, quantum cum deo possumus, invitamus. Nuper siquidem dilectorum filiorum nobilium virorum Rectoris et Consilii Civitatis Ragusine non sine grandi mentis nostre displicentia insinuatione perccpimus, quod ipsi considerantes aviditatem dominandi Ducis Turchorum vehementer dubitant, ne in brevi tempore cum immensa potentia terrestri ac maritima ad obsidionem dicte Civitatis suos conatus pene insuperabiles convertat, et licet Civitas ipsa, que in partibus illis plurimum insignis et in oculis Turchorum quasi propugnaculum sita existit, menibus satis munita, florenti populo decorata ac armis et aliis instrumentis bellicis habundans, et bominum suorum virilitate parata adversus continuos hostium predictorum incursus semper existat, tamen adversus tam potentem adversarium et impetuosum hostem veluti feram rabidinam et truculentam in sanguine christiano debacbantem per se ipsos sufficere posse dubitant, nisi aliorum christianorum suffragiis necessitate ingruente et pietatis operibus adiuventur: et licet nos hiis et aliis christiani populi necessitatibus et fidelium oppressionibus ad apostolicam sedem tamquam universalem periclitantium portum dietim occurrentium, quantum nobis pro virium facultate conceditur, iugiter succurramus, tamen ad tanti oneris supportandi necessitatem alios fideles exhortari atque invitare compellimur, ut ipsi quoque per opera pietatis et misericordie adiuti, porrigentes ad hoc manus adiutrices, valeant de suis operibus nobiscum in eterna retributione letari. Hinc est, quod nos fel. record. Pauli pp. II. predecessoris

nostri in hac parte vestigiis inhcrentes, ac de omnipotentis doi misericordia et beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus Christi fidelibus tam incolis et habitatoribus Civitatis predicte et diocesis eiusdem, quam alienigenis, qui Civitatem predictam seu eius territorium, Turchis hostiliter invadentibus, propriis corporibus defensaverint, et aliis utriusque sexus, qui ad defensionem huiusmodi pias elemosinas iuxta eorum facultatem, prout eorum conscientie dictaverint, erogaverint, plenam remissionem omnium peccatorum suorum, et eam, quam consecuti fuissent, si almam Urbem anno Iubilei visitassent, concedimus per presentes, Non obstante certa suspensione indulgentiarum ad beneplacitum nostrum dudum per nos facta, ceterisque contrariis quibuscumque. Presentibus durante periculo huiusmodi valituris. Nulli ergo etc. nostre concessionis infringere etc. Si quis autem etc. Datum Rome apud S. Petrum Anno Incarnationis dominice Millesimo quadringentesimo septuagesimonono, VII. Kal. Iunii, Pontificatus nostri Anno Octavo.

DCLXXXVII.

Cæsaris studium incundae cum Hungariae rege pacis pontifex collaudat. Reg. An. XII. Brev. Tom. I. fol. 304.

Carissimo in Christo filio F. Imperatori etc.

SIXTUS PP. IIII. Carissime in Christo fili noster, salutem etc. Nihil magis desideramus quam inter Christianos principes pacem et concordiam vigere, quam nos et ex natura nostra et ex pastorali officio semper appetiimus, et utilem necessariamque reipublicae Christiane admodum ducimus, que cum unita et concors est, facile se tueri ab hostibus communibus Turchis potest. Quare cum nuper audiamus Serenitatem tuam misisse Venerabilem fratrem Al. Episcopum Forliviensem oratorem ad Illustrem Hungarie Regem pro pace tractanda, gavisi admodum sumus, deumque oramus, ut illa confici possit, quo auctore, et episcopi ipsius prudentia accedente, speramus pacem ipsam esse secuturam. Nos autem, ut concordibus animis et unitis viribus aliquid contra ipsos hostes Turchos Christiano nomine dignum posset decerni, pacem fecimus et publicavimus, prout ex Capitulis, que ad tuam Celsitudinem alligata transmittimus, videre poteris. Datum Rome etc. die X. Ianuarii MCCCCLXXXIII. Pont. nostri Anno Duodecimo.

DCLXXXVIII.

Nuntio apostolico, ut pacem Cæsarem inter et regem Hungariae reconciliandam pro virili curet. Ibidem fol. 304.

Venerabili fratri Al. Episcopo Forliviensi etc.

SIXTUS PP. IIII. Venerabilis frater, salutem etc. Accepimus litteras tuas, quibus cognovimus te esse missum ab Imperiali Maiestate oratorem pro pace tractanda cum Rege Hungarie. Cepimus ex eo magnam voluptatem: confidimus enim te pro tua prudentia et dexteritate pacem ipsam esse conclusurum, que sine dubio reipublice Christiane admodum necessaria est: et ut id confici possit rogamus, tuamque fraternitatem hortamur, ut nihil diligentie et solicitudinis in ea re pretermittat. Certe nos id in primis desideramus, ut pace intor omnes Christianos Potentatus composita et stabilita unitis viribus contra communem hostem Turchum intendatur. Qua de re nuper nos etiam pacem fecimus et publicavimus, ut depositis privatis simultatibus ad commune bonum animum convertere omnes possimus. Itaque pro virili labora, ut istinc quoque pax sequatur. Datum Rome etc. die X. Ianuarii MCCCCLXXXIII. Pontificatus nostri Anno Duodecimo.

DCLXXXIX.

Abbati s. Mariae Lacromensis eiusque collegis, ut Blasio de Gendula canonico Ragusino monasterium s. Iacobi de Visegniza in commendam auctoritate apostolica conferant. Reg. An. XII. Tom. 86. fol. 20.

SIXTUS EPISCOPUS etc. Dilectis filiis Abbati Monasterii s. Marie Lacrumensis Ragusine diocesis, et Archipresbitero ac Nicolao de Menzis Canonico ecclesie Ragusine, salutem etc. Romani Pontificis providentia etc. Cum itaque, sicut accepimus, Monasterium sancti Iacobi de Visegniza extra muros Ragusinos ordinis s. Benedicti, quod per nobiles ex familia de Gendula [sic] fundatum et dotatum, et quod a nonnullis de iurepatronatus eorumdem nobilium, ac aliis vero eosdem nobiles ipsius monasterii protectores et defensores fore dicatur, et cui quondam Bonitius illius Abbas, dum viveret, presidebat, per obitum eiusdem Bonitii, qui extra Romanam Curiam diem clausit extremum, Abbatis regimine destitutum existat: Nos tam ipsi monasterio de gubernatore utili et ydoneo, per quem circumspecte regi et salubriter dirigi valeat, quam dilecto filio Blasio de Gendula Canonico Ragusino, qui, ut asserit, de nobili genere ex utroque parente procreatus, et a fundatoribus ipsius monasterii descedens existit, necnon

Canonicatum et prebendam ecclesie Ragusine inter alia obtinet, et apud nos de vite ac morum honestate aliisque probitatis et virtutum meritis multipliciter commendatur, horum intuitu, et ut se commodius sustentare valeat, de aliquius subventionis auxilio providere volentes, ipsumque Blasium a quibusvis excommunicationis, suspensionis, interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et penis a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum presentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes et absolutum fore censentes, necnon omnia et singula beneficia ecclesiastica cum cura et sine cura, que dictus Blasius etiam ex quibusvis apostolicis dispensationibus obtenet et expectat, ac in quibus et ad que ius sibi quomodolibet competit, quecumque, quotcumque et qualiacumque sint, eorum fructuum, reddituum et proventuum veros annuos valores, et huiusmodi dispensationum tenores presentibus pro expressis habentes, iuri quoque patronatus ac fundationi dicti monasterii, si que sint, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogantes, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus vos vel duo aut unus vestrum per vos vel alium seu alios monasterium predictum, cuius fructus, redditus et proventus centum sexaginta florenorum auri de Camera secundum communem extimationem valorem annuum, ut dictus Blasius asserit, non excedunt, sive ut premittitur sive alias quovis modo aut ex alterius cuiuscumque persona vacet, eiusque provisio ex quavis causa ad sedem apostolicam specialiter vel generaliter pertineat, dummodo tempore date presentium ei de Abbate provisum seu illud alteri canonice commendatum non existat, cum omnibus inribus et pertinentiis suis eidem Blasio per eum, quoad vixerit, unacum dictis Canonicatu et prebenda ac aliis beneficiis ecclesiasticis cum cura ot sine cura, que, ut prefertur, obtinet et imposterum obtinebit, tenendum, regendum et gubernandum, ita quod, debitis et consuctis ipsius monasterii ac dilectorum filiorum illius Conventus supportatis oneribus, liccat sibi de residuis ipsius monasterii fructibus, redditibus et proventus disponcre et ordinare, sicuti veri illius Abbates, qui tempore fuerunt, de illis disponcre et ordinare poterunt seu etiam debuerunt, alienatione tamen quorumcumque bonorum immobilium et pretiosorum mobilium dicti monasterii sibi penitus interdicta, auctoritate nostra commendare curetis, curam, regimen et administrationem ipsius monasterii sibi in spiritualibns et temporalibus plenarie committendo, ac faciende sibi a prefatis Conventu obedientiam et reverentiam debitas et devotas, necnon a dilectis filiis Vasallia et aliis snbditis ipsius monasterii consueta iura et servitia ab eis sibi debita integre exhiberi, Contradictores per censuram ecclesiasticam etc. Non obstantibns constitutionibus etc. Datum Rome apud S. Petrum Anno etc. M.CCC.LXXXIII. tertiodecimo Kal. Iunii, P. n. Anno XII.

DCXC.

Ragusinis de luctuoso casu Iacobi de Gondola ipsorum concivis prope Velitras a latronibus interfecti, et de certa pecuniarum summa eius heredibus persolvenda. Reg. An. XII. Brev. Tom. I. fol. 643.

Dilectis filiis Rectori et Consilio Civitatis Ragusine.

Sixtus PP. IIII. Dilecti filii, salutem etc. Cum nuper quondam Iacobus Iohannia de Gondola concivis vester Ragusinus Romam profisceretur, essetque prope Velitras oppidum Romane ditionis, fuit a quibusdam latronibus, sicut accepimus, invasus atque interfectus, et cum certam pecuniarum summam, partim suam, partim dilecti filii Luce de Georgio etiam concivis vestri secum deferret, pecunia ipsa per quosdam officiales nostros conservata, ac postmodum heredibus dicti quondam Iacobi et Luce prefato de mandato nostro, qui hunc casum dolemus, consiguata et restituta ea fuit, exceptis trecentis et quinquaginta ducatis, quos pro nobis et Camera nostra retineri fecimus in satisfactionem totidem ducatorum, quos ex pecuniis indulgentiarum vobis retinuistis, et in quibus nobis et dicte Camere debitores cratis. Quare cum res ita se habeat, hortamur devotionem vestram et stricte moncmus, ut dictos trecentos et quinquaginta ducatos eisdem heredibus et Luce solvere debeatis, quo facto vos de illis nostro et prefate Camere nomine quietamus et liberamus. Hoc autem fieri a vobis instanter petimus, tum quia debito astringimini, tum quia vos quoque concivibns vestris tam adverso casu affectis compati debitis. Datum Rome etc. die XXVIII. Iunii MCCCCLXXXIII. Pontificatus nostri Anno Duodecimo.

DCXCI.

Archiepiscopum Antibarensem ad se pontifex vocat. Reg. An. XIII. Brev. Tom. 2. fol. 18.

Venerabili fratri Archiepiscopo Antibarensi.

Sixtus PP. IIII. Venerabilis frater, salutem etc. Vidimus ea, que per ultimas litteras ad nos scribis: commendamus diligentiam tuam. Et quoniam pre difficultatibus melius discuti potuerunt,

volumus, ut tua fraternitas ad nos statim veniat, ut possimus, que oportuna circa hec erunt, maturius consultare et deliberare, sicuti alias ad te scripsimus. Datum Rome etc. die XIIII. Ianuarii MCCCCLXXXIIII. Pontificatus nostri Anno Decimotertio.

DCXCII.

Nuntio apostolico apud Caesarem, ut ipsum et regem Hungariae ad pacem inter se ineundam inducat.
Reg. Aa. XIII. Tom. 2. fol. 45.

Ven. fr. Episcopo Civitatis Castelli apud Cesarem Nuntio Apostolico.

SIXTUS PP. IIII. Venerabilis frater, salutem etc. Quamvis nobis ac Venerabilibus fratribus nostris sancte Romane ecclesie Cardinalibus gratum admodum fuerit intellexisse ea, que et per litteras et per dilectum filium Guntherum Decanum Magdeburgensem significasti, cura et labore tuis incepta esse super tractatibus pacis inter Carissimos in Christo filios nostros F. Romanorum Imperatorem et Mathiam Ungarie Regem, et qualiter ab ipso Cesare cum certis articulis apud suam Maiestatem conceptis, (quorum copiam etiam manu dilecti filii Thome de Cilia subscriptum ad nos misisti,) denno ad prefatum Regem cum bona spe componendarum inter se differentiarum redires: gratius tamen fuisset, si non inceptos tantum, sed iam conclusos pacis tractatus, ot ab ipsis Principibus et a te pariter accepissemus. Tanto enim desiderio tenemur, quod discordie ipse, quibus non solum Regnis et patriis ipsorum iacturo, sed et toti Christianitati maxima detrimenta sequuntur, iam demum sopiantur, ut nichil magis optemus: ccrnimus enim et longa experientia didicimus, quod nisi ipsi, qui in finibus hostium sancte fidei cum Reguis et provinciis suis constituti sunt, inter se primo convenerint, adversus Christiane religionis perfidissimos persecutores arma pariter sumpserint, omnis conatus aliorum quorumcumque parum admodum profaturus sit, quos corte unanimes et concordes ceteri Principes et potentatus Christiani libenter sequentur et iuvabunt. Nos vero sicut nec hactenus aliqua in parte defuimus, ita et in posterum omnes vires nostras ad felicem rerum huiusmodi prosecutionem animo indefesso exponemus, negociumque ipsum omni quo potuerimus studio absque ulla mora complectemur. Itaque prestolabimur in dies magno affectu, ut aliquid certi ab ipsis Imperatore et Rege, ac fraternitate tua super aliqua bona et firma conclusione inter eos facta accipiamus, ad quam rem accelerandam perficiendamque fraternitatom tuam vehementer bortamur, ac ut nos de singulis rcrum successibus frequenter certiores efficiat, que etiam sibi ipsi suadere posse non dubitet, quod nos et heo sancta sedes, que nunquam do benemerentibus oblivisci consuevit, sua studia, diligentias et labores tenaci et grata memoria servabimus. Quod autem attinet ad oblationem Cesaree Maiestatis, qua operam suam pollicetur ad concordandum Italicas discordias et ad intromittendum se ad pacem, habemus gratias sue Maiestati pro tam pia eius dispositione. Verum cum nos nullum habeamus cum aliis bellum, nisi quod res ad Romanam ecclesiam pertinentes, prout officio nostro incumbit, defendimus a Venetis illas occupare conantibus: persuadeat Venetis ipsis, ut ab iniustissimo boc bello et ab oppressione Civitatum et locorum sancte Romane ecclesie desistant, et nullum amplius bellum erit, omniaque erunt hoc modo composita. Datum Rome (apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris) die prima Februarii MCCCCLXXXIIII. Pontificatus nostri Anno Decimotertio.

DCXCIII.

Archiepo Antibarensi, apud Venetos instet, ut frumenta ad levandam annonam Urbis a pontifice in Apulia empta ab ipsis una cum navibus capta restituant. Reg. Aa. XIII. Brev. Tom. 2. fol. 160.

Venerabili fratri Archiepiscopo Antibarensi.

SIXTUS PP. IIII. Venerabilis frater, salutem etc. Videbis ea, que scripsimus dilecto filio nostro Cardinali Ulixbonensi, apostolice sedis Legato, de ducentis et viginti carris frumenti asportatis et ablatis per classem Venetam nuperrime, postquam eundem Legatum creaveramus et miseramus ad tractandam pacem: que frumenta per nos empta fuerunt in Apulia pro usu alme Urbis et Curie nostre Romane, et dum onerari deberent et huc Romam vehi, a classe Veneta, ut diximus, tam frumenta ipsa, quam naves due, que illas vehere debebant, capta fuerunt et ablata. Propterea volumus, ut huiusmodi rem nostram, que maxime nobis molesta est et gravis, felicites diligenter, et quod instetur in primis huiusmodi damnum nobis refici, et naves ipsas restitui, curesque, ut quamprimum de huiusmodi re nobis respondeatur, prout ipsi Legato plenius scribimus. Datum Rome etc. die VIII. Aprilis MCCCCLXXXIIII. Pontificatus nostri Anno Decimotertio.

DCXCIV.

Regi Siciliae super eodem, et ut pecuniarum summam, quam ex praedictis frumentis eidem mercatori Ragusino venditis ceperat, restituendam curet. Reg. An. XIII. Brev. Tom. II. fol. 187.

Carissimo in Christo filio Ferdinando Regi Sicilie Illustri.

Sixtus PP. IIII. Carissime in Christo fili, salutem etc. Licet non dubitemus, quin Maiestas tua, intellectis iis, que tibi exponenda commisimus dilectis filiis Electo Forliviensi et Iohanni Petro Arrivabeno Secretario nostro super causa frumentorum pro nobis in Apulia emptorum, debuerit pecunias illas restitui fecisse prefato Electo et alia frumenta relaxasse: tamen quia pro incommodo et interesse nostro huiusmodi res nobis est cordi, Maiestatem tuam hortamur iterum et requirimus, ut si ad receptionem presentium dictas pecunias, videlicet ducatus MLIV. habitos per Maiestatem tuam ex pretio quinquaginta carrorum frumenti nostri venditi illi mercatori Ragusino restitui non fecisset, et cetera frumenta relaxasse, non differat ulterius id facere. Quoniam nos ipsi videntes, quod propter tarditatem licentie tractarum et impedimenta ab officialibus tuis interposita, de quibus totiens per litteras et Nuntios nostros tecum conquesti sumus, non potuimus frumenta maximis cum dispendiis per nos empta pro usu Alme Urbis et Curie nostre Romane in tempore habere, quamquam classis Veneta duas naves, que ad oneranda dicta frumenta nostra se contulerant, ceperat, et ipsa simul et frumenta abduxerat, et residuum dictorum frumentorum sine periculo extrahi non poterat, commisimus, ut venderentur, ne simul frumenta et alias pecunias pro illis expositas perderemus. Quod si mercator Ragusinus frumenta ipsa ad loca inimicorum misorit, non debemus nos ex eius delicto dampnum pati: habes enim malefactorem in manibus. Itaque velit omnino Maiestas tua dictas pecunias prefato Electo Forliviensi pro nobis restitui facere, et reliqua frumenta relaxare: et ita hoc ipsum exequi facere, ut non sit nobis ulterius de huiusmodi re opus scribere. Datum Rome etc. die III. Maii MCCCCLXXXIIII. Pontificatus nostri Anno Decimotertio.

EPISTOLAE INNOCENTII PP. VIII.

DCXCV.

Donatus de Turre rector parrochialis ecclesiae s. Iustinae de Baldaria Vincentinae dioecesis ecclesiae Veglensi in episcopum praeficitur. Reg. An. I. Bull. Tom. 5. fol. 118.

Innocentius episcopus etc. Dilecto filio Donato de Turre Rectori, plebano nuncupato, parrochialis ecclesie, plebis nuncupate, sancte Iustine de Baldaria Vincentine diocesis, decretorum doctori, salutem etc. Divina disponente clementia etc. Dudum siquidem bone memorie Nicolao Episcopo Veglensi regimini Veglensis ecclesie presidente, nos cupientes eidem ecclesie, cum vacaret, per apostolice sedis providentiam utilem et ydoneam presidere personam, provisionem eiusdem ecclesie ordinationi et dispositioni nostre duximus ea vice specialiter reservandam, decernendo extunc irritum et inane, si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari. Postmodum vero dicta ecclesia per obitum eiusdem Nicolai, qui extra Romanam curiam debitum nature persolvit, pastoris regimine destituta, nos vacatione huiusmodi fidedignis relatibus intellecta ad provisionem ipsius ecclesie celerem et felicem, de qua nullus preter nos hac vice se intromittere potuit sive potest, reservatione et decreto obstantibus supradictis, ne ecclesia ipsa longe vacationis exponatur incommodis, paternis et solicitis studiis intendentes, post deliberationem, quam de proficiendo eidem ecclesie personam utilem et ydoneam ac etiam fructuosam cum fratribus nostris habuimus diligentem, demum ad te Rectorem, plebanum nuncupatum, parrochialis ecclesie, plebis nuncupate, sancte Iustine de Baldaria Vincentine diocesis, decretorum doctorem, in sacerdotio et etate legitima constitutum, litterarum scientia preditum, vite munditia ac honestate morum decorum, in spiritualibus providum et temporalibus circumspectum aliisque multiplicium virtutum donis, prout fidedignis testimoniis accepimus, insignitum

direximus oculos nostre mentis: quibus omnibus debita meditatione pensatis, de persona tua, nobis et eisdem fratribus nostris ob tuorum exigentiam meritorum accepta, eidem ecclesie Veglensi de eorum fratrum consilio apostolica auctoritate providemus, teque illi preficimus in Episcopum et pastorem, curam, regimen et administrationem ipsius ecclesie tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, in illo qui dat gratias et largitur premia confidentes, quod dirigente domino actus tuos prefata ecclesia per tue circumspectionis industriam et studium fructuosum regotur utiliter et prospere dirigetur, ac grata in eisdem spiritualibus et temporalibus suscipiet incrementa. Quocirca discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus impositum tibi a domino onus regiminis et administrationis dicte ecclesie suscipiens reverenter, sic te in eius cura salubriter exercenda diligentem exhibeas et etiam studiosum, quod ipsa ecclesia gubernatori provido et fructuoso administratori gaudeat se commissam, tuque preter eterne retributionis premium nostram et apostolice sedis benedictionem et gratiam exinde uberius consequi mercaris. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno etc. M.CCCC.LXXXIIII. sextodecimo Kalendas Ianuarii, Pontificatus nostri Anno Primo.

E. m. Capitulo et Vassallis ecclesie Veglensis, Clero et populo Civitatis et diocesis Veglensis, et Archiepiscopo Iadronsi.

DCXCVI.

Idem Donatus de Turre a censuris et sententiis, si quas incurrerit, absolvitur. Reg. An. 1. Tom. 5. fol. 117.

INNOCENTIUS EPISCOPUS etc. Dilecto filio Donato de Turre Rectori, plebano nuncupato, parrochialis ecclesie, plebis nuncupate, sancte Iustine de Baldaria Vincentine diocesis, decretorum doctori, sal. etc. Romani pontificis copiosa benignitas de statu personarum ad dignitatem Episcopalem assumendarum, quas oportet omni carere macula, ne tanti culminis conseantur indigni, solicite cogitans ad ea libenter intendit, per que persone assumende predictis ecclesiis sibi commissis salva conscientia et integra menta preesse, et illarum regimen eis commissum salubrius exercere valeant. Cum itaque nos hodie intendamus ecclesie Veglensi certo modo vacanti de persona tua providere, teque illi preficere in Episcopum et pastorem: Nos, ne provisio et prefectio predicto et singule desuper conficiende littere possint pretextu quarumvis censurarum ecclesiasticarum, quibus forsan ligatus existeres, quomodolibet impugnari, te ab omnibus et singulis excommunicationis, suspensionis et interdicti ac aliis ecclesiasticis sententiis, censuris et penis a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus forsan quomodolibet ligatus existis, quoad hoc dumtaxat, ut provisio et prefectio predicte et singule littere desuper conficiende sortiantur effectum, auctoritate apostolica tenore presentium absolvimus et absolutum censemus, Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis ac dicte ecclesie Veglensis iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus contrariis quibuscumque. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno etc. M.CCCC.LXXXIIII. sextodecimo Kalendas Ianuarii, Pontificatus nostri Anno Primo.

DCXCVII.

Episcopo Transilvano, ut in clericos regni Hungarie privilegiis etc. sedis apostolice abutentes animadvertat. Reg. An. 11. Brev. Tom. 2. fol. 74.

Venerabili fratri Episcopo Transilvano.

INNOCENTIUS PP. VIII. Venerabilis frater, salutem etc. Fecit nobis exponi Carissimus in Christo filius noster Mathias Hungarie, Bohemie etc. Rex Illustris, nonnullos esse in suis Regnis clericos, qui cum a sede apostolica quibusdam privilegiis et prerogativis se preditos asserant, et familiaritatibus Venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium gaudere se affirment, sub hoc pretextu ab obedientia Prelatorum suorum se eximere conantur, ecclesiasticumque decorem minime servant, et huiusmodi apostolicis favoribus se penitus indignos reddunt: quinimmo in eorumdem suorum Prelatorum contemptum et ecclesiarum scandalum, dicteque sedis dedecus et malum aliorum exemplum laxius viventes eisdem gratiis damnabiliter abuntuntur. Que quidem res in usum iam pravum inducta crescere discolos facit, et in ipsis ecclesiis earumque Capitulis confusiones genorat, ac denique inter ipsos Prelatos ac clericos inquietudinem et dissentiones suscitat, adeo ut nisi occurratur, timendum sit de maiori in dies corruptela et pernicie. Unde Rex prefatus fecit nobis supplicari de oportuno super his remedio. Nos igitur attendentes, quod facile mores corrumpi et corrupti in peius labi soleant, ubi superiorum potestas infringatur ab improbis, et obedientie laqueus conteratur, huiusmodi supplicationibus inclinati,

ne malum hoc ulterius serpeat, Fraternitati tue tenore presentium committimus, ut licentiam et facultatem concedas auctoritate nostra universis, et singulis locorum ordinariis Regnorum eorumdem animadvertendi dicta auctoritate in omnes et quoscumque huiusmodi delinquentes, et gratiis et exemptionibus ipsis abutentes eosque corrigendi, prout qualitas excessuum exegerit, et prout de iure fuerit faciendum, Non obstantibus prerogativis, privilegiis, exemptionibus, immunitatibus, gratiis et familiaritatibus tam a sede prefata et ab ea auctoritatem habentibus, quam ab eisdem sancte Romane ecclesie Cardinalibus quomodolibet concessis, exceptis dumtaxat iis, qui ratione alicuius actualis officii seu exercitii in Romana Curia, vel extra eam olim prestiti vel exercitati, aut quod de presenti prestetur vel exerceatur, concessa seu concesse fuerint, que et quas in suo robore volumus permanere. Datum Rome etc. die XXI. Novembris MCCCCLXXXV. Pontificatus nostri Anno Secundo.

DCXCVIII.

Capitulo Sibinicensi, ne ipsorum episcopo a sede apostolica censuris innodato amplius pareant, sed exercitium episcopalium alicui victinieri episcopo conferant, donec idem episcopus a censuris absolutus fuerit.
Reg. An. II. Brev. Tom. II. fol. 155.

Dilectis filiis Canonicis et Capitulo ecclesie Sibinicensis.

INNOCENTIUS PP. VIII. Dilecti filii, salutem etc. Alias ita exigente inobedientia Epi Sibinicensis, qui mandatis apostolicis parere recusavit et recusat, felicis recordationis Sixtus IIII. predecessor noster immediatus suspendit eum a regimine et administratione ecclesie sue. Deinde cum dignitatis et gradus sui parum memor videretur, excommunicationis et alias sententias et censuras in eum protulit, quas animo substinuit indurato. Et quoniam sepius monitus resipiscere et ad sanam mentem redire non curat, ut erroris sui melius admoneatur, denuo nos censuris ipsis eum ligavimus. Quare devotioni vestre apostolica auctoritate expresse precipiendo mandamus, quatenus per eundem Episcopum, sive vicarios ab illo deputatos aut deputandos Iurisdictionem Episcopalem exerceri amplius non permittatis, sed eorum, que ordinis Episcopalis fuerint, curam alicui Antistiti vel prelato digno et idoneo demandetis: que vero ad Episcopalem Iurisdictionem spectant per vos ipsos, vel vicarios et officiales novos a vobis instituendos administretis, convertendo fructus Episcopalis mense in utilitatem ecclesie, quemadmodum pro prudentia et integritate vestra magis expedire iudicaveritis, donec et quousque idem Epus per debitam paritionem meruerit a nobis absolutionis beneficium obtinere. Datum Rome etc. die XIIII. Ianuarii MCCCCLXXXVI. Pontificatus nostri Anno Secundo.

DCXCIX.

Duci Venetiarum, ut episcopo Parentino ad ecclesiam Tarvisinam translato eiusdem ecclesie possessionem tradi atque assignari faciat. Reg. An. II. Brev. Tom. II. fol. 344.

Dilecto filio Nobili viro Marco Barbarico Duci Venetiarum.

INNOCENTIUS PP. VIII. Dilecte fili, salutem etc. Transtulimus superiori anno ad ecclesiam Tarvisinam Venerabilem fratrem nostrum Franciscum, in presentia oratorem apud te nostrum, tunc Episcopum Parentinum, prout per nostras litteras ac etiam Brevia predecessori tuo sepius significavimus. Verum cum intellexerimus ipsum possessionem prefate ecclesie Tarvisine nondum consecutum esse, non potuimus non mirari propter nostram, quam in eum gerimus, charitatem et dilectionem, presertim cum oriundus ex isto dominio sit et illi admodum fidelis et obsequens: Nobilitatem tuam hortamur atque requirimus, ut pro iustitie et honestatis debito et nostra contemplatione possessionem ecclesie Tarvisine eidem Francisco tradi atque assignari facias, quod si feceris nobis gratissimum fore tibi persuadeas. Preterea cum rerum tuarum et eorum, qui de dominio tuo benemeriti sunt, nobis cura sit, nolumus filium Comitis Guidonis de Rubeis huius sancte sedis et nostra gratia aliquo pacto vacuum remanere: quoniam eidem quoque nos propter eius insignem indolem atque virtutem, et preclara patris merita plurimum afficimur. Providebimus igitur ipsi, divina favente gratia, de tot tantisque beneficiis, que ad summam eiusdem ecclesie Tarvisine ascendent, atque interim ex nostro assignabimus eidem ducatos quadringentos super fructibus ecclesie Parentine, quam interim, donec de summa predicta providebimus, per prefatum F. Epum Tarvisinum gubernari et administrari statuemus. Dabimus quoque ducatus tercentos in pensione super fructibus ecclesie Bellunensis, eidem Rubeo annuatim persolvendos per illum, qui dictam ecclesiam Bellunensem obtinebit, cum ipsam vacare contigerit. De reliquo autem usque ad summam valoris ecclesie Tarvisine quamprimum oportunitas se obtulerit, aut in pensione aut alia re ipsi grata, ut scripserit ad

nos Nobilitas tua, libentissime providebimus, si dicte ecclesie Tarvisine eidem oratori nostro, qui de dominio tuo optime meritus est, possessionem tradideris pacificam. Reliqua vero, que in hoc negocio cupimus, coram exponet dilectus filius Iohannes de Ancona Cubicularius noster, cui fidem prestari desideramus. Datum Rome etc. die secunda Maii MCCCCLXXXVI. Pontificatus nostri Anno Secundo.

DCC.

Michael de Rosanis constituitur collector fructuum etc. camerae apost. in Dalmatia. Reg. An. II. Brev. Tom. 2. fol. 365.

Dilecto filio Michaeli de Rosanis decretorum Doctori et Canonico Tragurien si,
Collectori fructuum et proventuum Camere apostolice in partibus Dalmatie.

Innocentius PP. VIII. Dilecte fili, salutem etc. Quoniam de probitate rerum (sic), solertia et integritate tua per fidedignos facta est nobis fides, ea de causa moti et inducti sinceritate devotionis et fidei, quam ad nos et sanctam apostolicam sedem gerere comprobaris, te Collectorem et exactorem fructuum, redditumm et proventuum Camere apostolice in partibus Dalmatie ad beneplacitum nostrum facimus, constituimus et tenore presentium deputamus, revocantes ex nunc omnes et singulos alios Collectores in illis partibus quavis auctoritate etiam apostolica deputatos, dantes tibi plenam facultatem et potestatem vocandi ad te Collectores ipsos eorumque computa et rationes revidendi, et ab eis omne id et totum, quod revisis diligenter illorum computis per eos Camere ipsi deberi repereris, ut ad nos transmittatur, instandi et procurandi, contradictores sub penis et censuris ecclesiasticis cogendi et compellendi, pecunias vero, res, iura aliaque bona omnia ad prefatam Cameram pertinentia per te quomodolibet recuperata, ad ipsam Cameram per tutam viam transmittendi, aliaque omnia et singula faciendi, que alii Collectores apostolica auctoritate deputati de iure vel consuetudine facere possunt et debent. Volumus tamen, ut de ipso Collectorie officio fideliter exercendo in manibus Presidentium dicte Camere, debitum in forma solita iuramentum et sufficientem cautionem prestare tenearis. Datum Rome apud Sanctum Petrum etc. die XI. Maii MCCCCLXXXVI. Pontificatus nostri Anno Secundo.

DCCI.

Episcopo Parentino, nuntio apostolico apud Venetos, instet apud ipsos, ut dohanerios pontificios in usum incolarum Marchiae Anconitanae salem ex Dalmatia extrahere permittant.
Reg. An. II. Brev. Tom. 2. fol. 432.

Venerabili fratri F. Episcopo Parentino Oratori nostro.

Innocentius PP. VIII. Venerabilis frater, salutem etc. Scribimus ad dilectum filium Nobilem virum Ducem Venetiarum, velit Dohaneriis nostris salis provincie Marchie Anconitane subvenire de ea quantitate salis Pagi in Dalmatia, que sufficiens sit Marchianis ipsis, attento quod Dohanerii nostri ex consuetis locis propter bella, que nunc vigent, illud habere non potuerunt. Et quoniam hac in re de magna provincialium illorum fidelium subditorum nostrorum necessitate agitur, estque id nobis admodum cordi, volumus ac tue fraternitati expresse mandamus, quatenus apud eundem Ducem, cum primum commoditas conveniendi illius tibi erit, rem hanc procures et eo studio ac diligentia utaris, ut nostro desiderio et necessitati provincialium illorum durantibus his difficultatibus satisfiat, declarando Duci ipsi id nobis futurum gratissimum. Datum Rome apud S. Petrum etc. die XXIII. Iunii MCCCCLXXXVI. Pontificatus nostri Anno Secundo.

DCCII.

Societati hospitalis Illyrici in Urbe quaedam cripta donatur. Ex originali in tabulario eiusdem hospitalis asservato.

Dilectis filiis Priori et fratribus hospitalis sancti Hieronymi Illirice nationis de Urbe.

Innocentius PP. VIII. Dilecti filii, salutem etc. Expositum fuit nobis pro parte vestre Societatis Hospitalis sancti Hieronymi Illiriee nationis de Urbe, quod cum iuxta vineam dicti Hospitalis et ei contiguam via mediante sit quedam Cripta sita subtus montem seu Sepulchrum Augustorum, que licet ad Cameram alme Urbis spectare noscatur, tamen Venerabilis frater noster Oleverus Episcopus Sabinensis Cardinalis Neapolitanus illam ad se spectare pretendens, vobis et dicto Hospitali eam tradere et donare velle se offert. Verum quia de ipsius titulo dubitari forsan posset, cum de eo nemini constet, Nos considerantes illum utilitati et commodo dicti Hospitalis cessuram esse, vestris in hac parte supplicationibus inclinati, de nostra mera liberalitate et ex certa scientia ac motu proprio dictam Criptam, ac omnia et singula iura dicte Camere quomodolibet competentia ipso Hospitali tenore presentium

donamus et concedimus, ipsumque Hospitale in iuribus et actionibus dicte Camere surrogamus, sine tamen iuris alicuius alterius preiudicio, et ipsius Cardinalis accedente consensu. Volumus tamen, ut Cripta ipsa in eo statu, in quo ad presens est, conservetur, et in eius dispositione non alteretur, in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Datum Rome apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die decima Octobris MCCCCLXXXVI. Pontificatus nostri Anno Tertio. *)

DCCIII.

Fratribus ord. Praedicatorum Ragusinis donatio quaedam a capitulo Ragusino ipsis facta confirmatur. Ex originali in archivo eiusdem ordinis Romae asservato.

Dilectis filiis fratribus ordinis Predicatorum Ragusinis.

INNOCENTIUS PP. VIII. Dilecti filii, salutem etc. Dudum, sicut accepimus, dilecti filii Canonici et Capitulum ecclesie Ragusine capitulariter congregati vobis tres solidos terre in insula, que Media dicitur, site annui fructus duorum ducatorum ad edificandum in ea ecclesiam, domum, dormitorium, refectorium, claustrum, ortalia, aliasque necessarias officinas, ut haberetis tempore pestis, quo confugere possitis, liberaliter donaverunt, prout in publico instrumento desuper confecto, et in actibus Cancellarie Ragusine descripto, cuius tenorem hic haberi volumus pro expresso, plenius dicitur contineri. Cum autem vos desideratis donationem predictam pro illius subsistentia firmiori apostolica auctoritate confirmari, et nobis tam vos quam Canonici et Capitulum prefati desuper humiliter supplicaveritis: Nos huiusmodi supplicationibus inclinati donationem eandem vobis, ut prefertur, factam apostolica auctoritate presentium tenore approbamus et confirmamus, et quatenus opus sit de novo etiam concedimus, supplentes omnes et singulos defectus, si qui forsan in ea intervenerint, Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis ac ecclesie Ragusine et ordinis vestri statutis et consuetudinibus, etiam iuramento et confirmatione apostolica vel alias quomodolibet roboratis, ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Rome apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XIX. Decembris MCCCCLXXXVI. Pontificatus nostri Anno Tertio.

DCCIV.

Iudicibus, mandatur, ne in causa sequestri contra episcopum Sibinicensem procedant. Reg. An. IV. Brev. Tom. 3. fol. 78.

Dilectis filiis Michaeli Radigostich, Gregorio Hagnasovich et Iohanni Woladavich Canonicis ecclesie Sibinicensis.

INNOCENTIUS PP. VIII. Dilecti filii, salutem etc. Pridem per alias nostras in forma Brevis litteras vobis dedimus in mandatis, ut consignatis vobis aut vestrum alteri CCXV. ducatis auri largis, quos dilectus filius Georgius de Obertis, clericus Sibinicensis diocesis, penes dilectum filium Lucam Vagniovich, Collectorem fructuum et proventuum Episcopalis mense Sibinicensis, per vos vigore certi sequestri auctoritate apostolica decreti sequestratos asserebat, ac illis eidem Georgio seu eius procuratori ad hoc specialiter constituto cum effectu datis, eundem Lucam Collectorem, quem dictus Georgius sequestrum huiusmodi violasse, et censuras ac penas ecclesiasticas propterea violabiliter incurrisse pre-

*) Licet ex eodem tabulario bulla fundationis eiusdem hospitalis a Nicolao PP. V. concessa subiungere.

NICOLAUS EPISCOPUS SERVUS SERVORUM DEI. Venerabili fratri ... Episcopo Tiburtino, (Vicario in spiritualibus in Urbe eiusque districtu,) Salutem et apostolicam benedictionem. Piis fidelium votis, illis presertim, per que pauperum et miserabilium personarum hospitalitas et subsidium procuratur, libenter annuimus, eaque favoribus prosequimur oportunis. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Hieronymi de Petoris, et aliorum pauperum heremitarum Dalmatice seu Illirice nationis in alma Urbe degentium petitio continebat, quod licet in dicta Urbe pro suscipiendis diversarum nationum pauperibus et egenis ad illam pro tempore confluentium multa hospitalia esse noscantur, Dalmatica tamen seu Illirica natio Hospitali pro suscipiendis specialiter eiusdem nationis pauperibus carere noscitur, propter quod ipsi pietate moti pro susceptione pauperum et personarum huiusmodi quoddam Hospitale sub vocabulo sancti Hieronymi in ecclesia diruta et diecoporta sancte Marine de Campo Martio dicte Urbis, ad collationem dilecti filii nostri Philippi tituli sancti Laurentii in Lucina presbiteri Cardinalis ratione ipsius tituli, cui prefata ecclesia subesse dignoscitur, pertinente, ex piis fidelium elemosinis, prefati Cardinalis ad id accedente consensu, construere et edificare, eandemque ecclesiam reparare, et in ea cetera ad Hospitale necessaria convenienter disponere et ordinare affectant. Quare pro parte Hieronymi et aliorum heremitarum predictorum nobis fuit humiliter supplicatum, ut attentis premissis, ecclesiam predictam cum omnibus iuribus et pertinentiis suis sic pro fundando Hospitali huiusmodi ad usum predictum concedere, et dotare de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur de premissis certam notitiam non habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenus super premissis omnibus et singulis, ac eorum circumstantiis universis auctoritate nostra te diligenter informes, et si per informationem huiusmodi, super quo conscientiam tuam oneramus, ea vera esse reperis, et ad id prefati Cardinalis assensus accedat, ecclesiam predictam, cuius fructus, redditus et proventus duorum florenorum auri de Camera secundum communem estimationem valorem annuum, ut iidem heremite asserunt, non excedunt, cum omnibus iuribus et pertinentiis supradictis eisdem heremitis pro fundando et construendo Hospitali huiusmodi eadem auctoritate nostra concedas, ita quod liceat Hieronymo prefato per se vel alium seu alios corporalem possessionem ecclesie, iurium pertinentiarum predictorum auctoritate propria libere apprehendere, illiusque fructus, redditus et proventus, iure tamen dicti tituli semper salvo, in ecclesie et Hospitalis ac pauperum predictorum usus et utilitatem converteres, aliciuis literatis super hoc minime requisitis, Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis dominice M.CCCC.LXX. undecima Kalendas Maii, Pontificatus nostri Anno Septimo.

tendebat, si id humiliter peteret, et ad hoc ipsius Georgii seu eius procuratoris consensus accederet, iniuncta sibi pro modo culpe penitentia salutari, auctoritate nostra absolvontes, alioquin tam ipsum, quam alios quoscumque contradictores et rebellos iuxta formam dicti sequestri sententias et censuras predictas incidisse dicta auctoritate declaretis, prout in dictis nostris litteris, quarum ac sequestri huiusmodi tenores pro expressis haberi volumus, plenius continetur. Cum autem Venerabilis frater Lucas Epus Sibinicensis, in cuius absontia predictum sequestrum decrotum fuisse dicitur, tompore posteriorum litterarum nostrarum in Romana caria presens esset, et ipso non vocato nec audito, posteriores nostre littere a dicto Gregorio extorte nullitatis vitio subiacere noscantur: Nos pro pastorali officii nostri debito unicuique suum ius ministrari recto ordino desideramus, ne dictus Lucas Episcopus ex premissis conqueri iuste possit, litteras in forma Brevis predictas, ac omnia inde secuta tenore presentium cassamus, revocamns et annullamus, vobisque in virtute sancte obedientie et sub excommunicationis pena, quam, si secus fecoritis, incurrere volumus eo ipso, districtius inhibemus, ne ad litterarum in forma Brevis predictarum ulteriorem executionem ullatenus procedatis, sou alter vestrum qnomodolibet procedere presumat, sequestro tamen predicto per Auditorem nostri sacri Palatii in vigore commissionum desnper obtentarum vel decreto, et illius executione in suo robore semper remanentibus: quinimo si qnid dicti Brevis nostri pretextu in preiudicium dicti Episcopi aut suornm fuerit qnomodolibet attemptatum, id totum revocare et in pristinum statum reducere procuretis, Contradictores per censuras ecclesiasticas compescendo, in contrarium facientibus non obstantibus quibuscnmque. Datum Rome etc. xx. Maii MCCCCLXXXVIII. Pontificatus nostri Anno Quarto.

DCCV.

Fratribus ord. Minorum de observantia in Dalmatia conceditur, ut in oppido Churrilli diocesis Arbanensis quamdam domum accipere possint. Reg. An. VI, Brev. Tom. 3. fol. 101.

Dilectis filiis Vicario et fratribus provincie Dalmatie ord. Minorum de observantia.

Innocentius PP. VIII. Dilecti filii, salutom etc. Desidoratis, uti nobis nnper exponi fecistis, quamdam domum in regione Aradune, quo impissimo Turcorum tyranno sub tributo servit, iuxta maritimum oppidum Churrilli iam dirutum Albanensis diocesis, per quemdam ipsius regionis dominum iam defunctum cum ecclesia, campanili humili, campana, cimiterio, refectorio, dormitorio, claustro, ortis, ortalitiis et aliis necossariis officinis snb invocatione beate Marie edificari coeptam, et pia incolarum regionis eiusdem largitiono perficiendam recipere ot perpetuo inhabitaro, ut vestra exemplari vita, predicationibus, et assidua ac devota divinorum celebratione incole ipsi ad querendum animarum suarum salutem promptiores reddantur. Vestris itaque in hac parte supplicationibus inclinati vobis, ut domum predictam sine cuiusque preiudicio recipere et perpetuo inhabitare possitis, apostolica auctoritate concedimns, decernentes, quod domus ipsa et illam inhabitantes pro tompore Guardianus et fratres omnibus et singulis exemptionibus, immunitatibus, privilegiis, favoribus, gratiis et indultis, quibns alie domns vestri ordinis et illarum Guardiani et fratres in genore potiuntur et gaudent, ac potiri et gaudere poterunt quomodolibet in futurum, uti, potiri et gaudere libere et licite valeant, Non obstantibns constitutionibus et ordinationibus etc. Datum Rome otc. dio XXVIII. Maii MCCCCLXXXVIII. Pontificatus nostri Anno Quarto.

DCCVI.

Matthaeus Araneus archidiaconus et Franciscus de Gradis canonicus Ragusini admonentur de munere bene perfungendo, et ut archiepiscopo ipsorum pareant. Reg. An. IV. Brev. Tom. 3. fol. 138.

Dilectis filiis Matheo Araneo Archidiacono et Francisco de Gradis
Canonico ecclesie Ragusine.

Innocentius PP. VIII. Dilecti filii, salutem etc. Intelloximus non sine gravi displicentia animi nostri, vos postlhabita omni modestia et honestate clericali, ut scandala et zizanias intor Venerabilem fratrem Archiepiscopum vestrum eiusquo pro tempore Vicarium ac populum Civitatis Ragusine seminare possitis, divinis officiis et processionibus, que populi devotionem solent augere, ut plurimum non interesse et ab officio bonorum Canonicorum discedere: quin imo omnem operam dare, ut cultus divinus et ordinaria auctoritas ac iurisdictio enervetur penitus et deprimatur: de quo profecto miramur, et reprehensione non parva (si ita est) digni estis. Decebat enim vos pro eo gradu, quem in Capitulo obtinetis, modestia et reverentia erga vestrum pastorem uti, et vestro exemplo alios ad agendum que

recta sunt provocare: non autem eniti, ut vestre temeritatis et insolentie alios redderetis participes, vobis enim ducibus et auctoribus, qui forsan recta sequerentur, ad illicita prolabuntur: ex quo non modo vester damnatur error, sed aliorum etiam culpa e vestris manibus requiritur: do qua re tanto magis miramur, quanto nobis cognita iamdiu est modestia et experientia, ac nature bonitas ipsius Archiepiscopi vestri, quam nos propterea paterna diligemus caritate. Quaro pastorali officio nostro admoniti vos hortamur, ac nihilominus in virtute sancte obedientie, ac sub excommunicationis in singulos vestrum pena vobis expresse precipiendo mandamus, ut ab his desistatis, Archiepiscopum vestrum eo quo decet cultu et observantia prosequamini, suis et sui pro tempore in spiritualibus Vicarii mandatis pareatis, divinis, uti debetis, intersitis, et ad meliorem frugem conversi non discordias, sed pacem seminetis: id si feceritis, laudem bonarum actionum vestrarum apud omnes reportabitis, et a nobis et hac sancta sede commenpationem et gratiam, secus, quod absit et nos non credimus, ostenderimus vobis vos graviter errasse et nobis plurimum displicuisse. Datum Rome etc. die II. Iunii MCCCCLXXXVIII. Pont. nostri Anno Quarto.

DCCVII.

Episcopo Parentino, ut canonicos negligentes ad officium revocet et ad residendum compellat.
Reg. An. IV. Tom. 3. fol. 162.

Venerabili fratri Iohanni Antonio Episcopo Parentino.

INNOCENTIUS PP. VIII. Venerabilis frater, salutem etc. Exponi nobis fecisti, quod ecclesia tua Parentina decem tantum prebendas et totidem Canonicos habet, qui curam animarum in Civitate predicta exercere consueverunt, nullis ibi existentibus aliis mansionariis, capellanis aut clericis, quodque impresentiarum plures ex dictis Canonicis residere negligentes, freti indulgentiis quibusdam per predecessores nostros Romanos Pontifices eis concessis de percipiendis fructibus in absentia, non contenti fructibus suarum prebendarum compellunt et vexant Canonicos residentes ad dandum sibi fructus, et redditus ecclesie predicte ex decimis incertis vel aliunde incerto modo provenientes, qui residentibus de iure et secundum prefate ecclesie consuetudines dari consueverunt, ex quo ecclesia detrimentum patitur in divinis, et domus Canonicorum dicte ecclesie, Canonica vulgariter nuncupata, collapsa vetustate et combusta propter tenuitatem fructuum reparari non potest, super quo de oportuno supplicari curasti remedio. Nos ante omnia divinum cultum manutoneri ot augeri tempore nostro potissime desideramus, huiusmodi supplicationibus inclinati, ut absentes Canonicos preter eos, qui in Curia Romana vel in Studio generali studendi gratia fuerint, secundum predicte ecclesie constitutiones ad residendum in eadem revocare et compellore, ac si venire recusaverint, dum absentes fuerint, per Vicarios idoneos deserviri facere, ac fructus suarum prebendarum tantum dare et integre assignare, illos vero redditus, qui ex decimis vel aliis rebus incertis provenientes (Vicariis predictis congrue satisfacto) superfuerint, in reparatione dicte fabrice et prefate ecclesie utilitatem de Canonicorum presentium vel maioris partis eorum consensu convertere possis et valeas, tibi apostolica auctoritate concedimus pariter et indulgemus, Non obstantibus etc. Datum Rome etc. die X. Iunii MCCCCLXXXVIII. Pont. nostri Anno Quarto.

DCCVIII.

Episcopo Dulcinensi, ut archiepiscopum et communitatem Antibarenses ad restituenda pecunias et alia bona, qui episcopus Torcellanus, dum ecclesiae Antibarensi praefuerat, ibi reliquerat, compellat.
Reg. An. IV. Brev. Tom. 3. fol. 169.

Venerabili fratri Episcopo Dulcinensi.

INNOCENTIUS PP. VIII. Venerabilis frater, salutem etc. Exponi nobis nuper fecit Venerabilis frater Episcopus Torcellanus, quod cum alias ipse ab Anthibarensi ecclesia, cui preerat, ad Patracensem ecclesiam translatus fuisset, multos fructus et redditus ac pecunias in Archiepiscopatu Anthibarensi in manibus procuratorum et Communitatis Antbibarensis dimisit, qui ad eum pertinebant et spectabant: verum Philippus successor in ipsa Anthibarensi ecclesia huiusmodi fructus pro se accepit, et restituere requisitus hactenus recusavit, et recusat in grave anime sue periculum et dicti Episcopi Torcellani preiudicium, necnon ipsa Communitas Anthibarensis per sententias Pretoris Civitatis convicta idem agere non veretur. Idcirco discretioni tue tenore presentium committimus et mandamus, quatenus habita de huiusmodi querela veritate eundem Anthibarensem modernum Archiepiscopum, et Communitatem predictam ac alios quoscumque detentores moneas, et si opus fuerit, sub penis, censuris ecclesiasticis et aliis sententiis, ac cogas et compellas ad restituendum ipsi Torcellano Episcopo omnes et singulos

fructus, redditus et proventus ac pecunias dicte Anthibarensis ecclesie collectos et exactos, antequam ipse modernus Archiepiscopus ad Anthibarensem ecclesiam promoveretur, prout de iure fuerit faciendum, Contrariis non obstantibus quibuscumque. Datum Rome etc. XI. Iunii MCCCCXLVIII. Pontificatus nostri Anno Quarto.

DCCIX.

Archiepiscopo Spalatensi, ut causam inter quosdam clericos de capellania s. Bartholomaei Vallis Tascurii vertentem examinet et decidat. Reg. An. IV. Brev. Tom. 3. fol. 233.

Venerabili fratri Archiepiscopo Spalatensi Venetiis commoranti.

INNOCENTIUS PP. VIII. Venerabilis frater, salutem etc. Vertente lite inter dilectos filios Iohannemppetrum de la Zoncha presbiterum Pergamensis diocesis ex una, et Hieronymum clericum Brixiensem ex altera partibus super capellania sancti Bartolomei Vallistascurii Pergamensis diocesis, Nos ad supplicationem ciusdem Hieronymi causam certe appellationis per eum interposite, ac attemptatorum et innovatorum post appellationem eandem per Breve nostrum supplicatione acclusa dilectis filiis Natali Regia Cenetensis, et Dionysio de Franciscis Cerviensis ecclesiarum Canonicis Venetiis commorantibus cum clausula, quatenus ipsi duo vel alter eorum audiendam et fine debito terminandam commisimus, prout in Brevi et supplicatione predictis plenius continetur. Cum autem idem Natalis, cui, sicut accepimus, dictum Breve pro parte ipsius Hieronymi primo presentatum fuit, vices suas dilecto filio Plebano ecclesie s. Paterniani Venetiarum subdelegaverit, qui licet eidem Iohannipetro suspectus sit, tamen vigore subdelegationis huiusmodi eum citari, et in causa ipsa ad nonnullos actus procedere non dubitavit. Eapropter pro parte eiusdem Iohannispetri nobis fuit humiliter supplicatum, ut cum valde periculosum sit coram suspecto iudice litigare, dignaremur ei in premissis oportuno remedio providere. Nos statum esse et causarum huiusmodi presentibus pro expresso habentes, huiusmodique supplicationibus inclinati fraternitati tue committimus et mandamus, ut causam ipsam in terminis, quibus est, assumens una cum eisdem Natali ot Plebano, seu eorum altero illam audias et fine debita termines et decidas, inhibentes eisdem, ne in ea sine te quoquomodo procedere presumant, ac decernentes irritum et inane, quicquid per eos sine te contigerit attemptari, Non obstantibus etc. Datum Rome etc. die XXVIII. Iunii MCCCCLXXXVIII. Pontificatus nostri Anno Quarto.

DCCX.

I. Mich. de Bonis monacho de Meleda, ut limina Apostolorum visitare possit. Reg. An. IV. Brev. Tom. 3. fol. 238.

Dilecto filio Ioanni Michaeli de Bonis Monacho Monasterii de Meleda ordinis s. Benedicti Ragusine diocesis.

INNOCENTIUS PP. VIII. Dilecte fili, salutem etc. Supplicari nobis humiliter fecisti, ut cum tu zelo devotionis accensus cupias limina beatorum Apostolorum Petri et Pauli, ac alia pia loca Alme Urbis nostre visitare, dignaremur paterna benignitate tibi licentiam desuper impartiri. Nos, qui vota benefacere cupientium, quantum cum deo possumus, libenter exaudimus, huiusmodi supplicationibus inclinati, tibi ut de licentia tui superioris limina et alia pia loca predicta libere et licite visitare possis et valeas, tenore presentium de speciali gratia indulgemus, Non obstantibus etc. Datum Rome etc. die XXIII. Septembris MCCCCLXXXVIII. Pontificatus nostris Anno Quinto.

DCCXI.

Provinciali fratrum Predicatorum in Hungaria, ut domum a Michaele Chaki in oppido Kerchegh Varadiensis dioecesis oblatam pro suo ordine accipere possit. Ex originali in archivo eiusdem ordinis asservato.

INNOCENTIUS EPISCOPUS etc. Dilecto filio Provinciali ordinis fratrum Predicatorum provincie Hungarie secundum morem dicti ordinis, salutem etc. Piis fidelium votis etc. Sane pro parte dilecti filii nobilis viri Michaelis Chaki, domini oppidi de Kerchegh Varadiensis diocesis, nobis nuper exhibita petitio continebat, quod olim ipse, qui ad professores ordinis fratrum Predicatorum singularem gerit devotionis affectum, sperans quod si fratres predicti apud ipsum oppidum aliquam domum pro ipsorum habitatione haberent, tam ipse quam alii incole eiusdem oppidi Prioris et fratrum in illa degentium pro ipsorum exemplari et laudabili vita, assidua ac devota divinorum celebratione, audientia confessionum et predicationibus verbi dei, consiliis et exhortationibus magnum susciperent pro suarum salute animarum presidium et iuvamen, extra dictum oppidum in loco comodo et honesto unam domum cum ecclesia

sub invocatione s. Michaelis, campanili humili, campana, cemeterio, dormitorio, refectorio, claustro, ortis, ortalitiis et aliis necessariis officinis pro perpetuis usu et habitatione aliquorum dicti ordinis fratrum de bonis sibi a deo collatis canonice construi et edificari facere, illamque fratribus dicti ordinis donare et assignare proponat, si sibi ad hoc apostolice sedis auctoritas suffragetur. Quare pro parte tam tua quam prefati Michaelis nobis fuit humiliter snpplicatum, ut tibi domum predictam nomine ipsius ordinis recipiendi licentiam concedere, aliasque in premissis oportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, qui animarum salutem et divini cultus augmentum nostris potissime temporibus supremis desideramus affectibus, pium et laudabile propositum dicti Michaelis plurimum in domino commendantes, huiusmodi supplicationibus inclinati domum predictam, si prefatus Michael illam eisdem fratribus donare et assignare voluerit, ut prefertur, nomine dicti ordinis pro perpetuis usu et habitatione fratrum ordinis eiusdem sine alicnius preiudicio recipiendi, ac fratribus predictis ipsam perpetuo inhabitandi et recipiendi auctoritate apostolica tenore presentium licentiam elargimur, iure tamen parrochialis ecclesie et cuiuslibet alterius in omnibus semper salvo, Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii pape VIII. etc. Nulli ergo etc. Si quis etc. Datum Rome apud S. Petrum Anno Incarnationis dominice M.CCC.LXXXIX. pridie Kal. Maii, Pontificatns nostri Anno Quinto.

DCCXII.

Eidem donatio domus suo ordini in oppido Zabathlan Vesprimiensis dioecesis a Georgio de Zabathlan facta confirmatur.
Ex originali in archivo eiusdem ordinis Romae asservato.

INNOCENTIUS EPISCOPUS etc. Dilecto filio Provinciali ordinis fratrum Predicatorum provincie Hungarie secundum morem dicti ordinis, salutem etc. Piis fidelium votis etc. Sanc pro parte dilecti filii nobilis viri Georgii de Zabathlan, domini oppidi de Zabathlan Vesprimien. diocesis, nobis nuper exhibita petitio continebat, quod olim ipse, qui ad professores ordinis fratrum Predicatorum singularem gerit devotionis affectum, sperantesque, si fratres predicti apud ipsum oppidum aliquam domum pro eorum habitatione haberent, tam ipsi quam alii incole eiusdem oppidi Prioris et fratrum in illa pro tempore degentium exemplari et laudabili vita, assidua ac devota divinorum celebratione, audientia confessionum et predicationibus verbi dei, consiliis et exhortationibus ad bene vivendum magnum susciperent pro suarum salute animarum snbsidium et iuvamen, extra dictum oppidum in loco commodo et honesto unam domum cum ecclesia sub invocatione beate Marie Virginis de Angelis, campanili humili, campana etc. usque suffragetur. Quare pro parte tam tua quam prefati Georgii nobis fuit humiliter supplicatum, ut tibi domum ipsam nomine ipsius ordinis recipiendi licentiam concedere etc. ut in precedenti usque semper salvo, Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii pape VIII. etc. Nulli ergo etc. Si quis etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis dominice Millesimo quadringentesimo octuageimonono, VII. Idus Maii, Pontificatus nostri Anno Quinto.

DCCXIII.

Philippo archiepiscopo Antibarensi et eius immediato successori quaedam facultates in partibus a Turcbis occupatis conceduntur. Reg. An. VI. Tom. 46. fol. 16.

INNOCENTIUS EPISCOPUS etc. Ad futnram rei memoriam. Intenta continue saluti animarum Christifidelium sedis apostolice copiosa benignitas illa benigne concedit, per que salus huiusmodi provenint animarum, prout locorum, temporum et personarum qualitatibus diligenter pensatis conspicit in domino salubriter expedire. Dudum siquidem per felicis record. Pium papam II. predecessorem nostrum accepto, quod bone memorie Andeas Archiepiscopus Antibarensis propter viarum discrimina et Turchorum metum terram Novimontis et provinciam Servie sue diocesis, quas ipsi Turchi christiani nominis immanissimi hostes illis temporibus maxima cum hominum strage prohdolor occupaverant, sine periculo persone sue adire non poterat, ac Christifidelibus in terra et provincia degentibus ob similia discrimina et metum huiusmodi nimis grave, et dispendiosum esset ad dictum Andream Archiepiscopum et apostolicam sedem pro hiis, que iurisdictionis et ordinis episcopalis sunt, ac aliis sedi prefate reservatis casibus semper habere recursum, propter quod plerumque in hiis detrimenta non modica patiebantur: idem Pius predecessor tam persone dicti Andree Archiepiscopi super hoc, quam animarum fidelium partium earumdem saluti consulere cupiens, eidem Andree Archiepiscopo quandocumque eum ad partes predictas personaliter accedere, seu in provincia residere contingeret, quorumcumque Christifidelium utriusque sexus provincie, et aliarum partium sub Turchorum tirannide constitutorum confessiones per

se vel alium seu alios audiendi, eosque ab omnibus et singulis censuris et penis ecclesiasticis, necnon delictis, criminibus et excessibus ac peccatis omnibus quantumcumque enormibus per eos commissis et perpetratis, etiam in casibus sedi apostolice reservatis, quotiens opus foret, absovendi, eisque penitentiam salutarem iniungendi, necnon vota quecumque per eos emissa in alia pietatis opera, prout dictus Archiepiscopus animarum earumdem Christifidelium saluti videret expedire, commutandi, et cum eis in premissis dispensandi, et si idem Archiepiscopus ad partes ipsas personaliter se conferre nequiret, in sua absentia aliquem idoneum et providum sacerdotem in partibus Servie et aliis eisdem Turchis subiectis, qui confessiones singulorum fidelium huiusmodi diligenter audire, eosque in casibus predictis, ut prefertur, absolvere, ac vota per eos emissa in alia pietatis opera commutare, necnon ecclesias et cimiteria sanguinis aut seminis effusione polluta et violata, aut imposterum violanda reconciliare, et paramenta ecclesiastica benedicere, et quotiens necessitas ingrueret, alia omnia et singula, que in premissis necessaria forent et oportuna, ordinum collatione et crismatis confectione ac etiam confirmatione dumtaxat exceptis, facere et exercere libere et licite valeret, donec partes ipse a tirannide infidelium liberate forent, deputandi plenam et liberam auctoritate apostolica eidem Archiepiscopo, et successori suo, ac eidem sacerdoti facultatem concessit et etiam potestatem, prout in eisdem predecessoris litteris desuper confectis plenius continetur. Cum autem, sicut accepimus, postmodum fuerint alii eiusdem Andree Archiepiscopi in regimine et administratione Antibarensis ecclesie successores, ac propterea Venerabilis frater noster Philippus Archiepiscopus Antibarensis, qui eidem ecclesie immediate post obitum dicti Andree Archiepiscopi concessit(sic), immo maiores et efficaciores adhuc existant, cum non solum predicte, sed prohdolor alie illis circumvicine partes sub predictorum Turchorum tirannide existant, ipsique Turchi a tempore concessionis facultatis predicte in partibus illis circumvicinis dominium auxerint, ac christiani nominis atrocissimi persecutores eodem nomine insignitos, quibus possunt, contumeliis afficiant, ac semel dictum Philippum Archiepiscopum, postquam de persona sua eidem ecclesie provisum fuit, cum tota eius familia tunc captum pluribus diebus carceribus detinuerint, licet eum postmodum relaxaverint, et propterea sibi ad partes ipsas sub tirannide dictorum Turchorum constitutas tutus non pateat accessus, et Christifideles sub dominio eorundem infidelium positi in hiis, que ad salutem animarum suarum pertinent, non parvo periculo subiaceant: Nos, prout nobis ex commissi pastoralis officii debito incumbit, cupientes in premissis Christifidelium in partibus illis degentium animarum saluti, ac eiusdem Philippi Archiepiscopi securitati, quantum cum deo possumus, providere, auctoritate apostolica presentium tenore statuimus et ordinamus, quod predictus Philippus et eius immediatus in regimine et administratione dicte ecclesie Antibarensis successor unicus dumtaxat uti possint facultate huiusmodi dicto Andree Archiepiscopo concessa, quoad omnes et singulos Christifideles civitatis et diocesis Antibarensis ac provincie, terre et partium aliarum quarumcumque sub tirannide dictorum Turchorum constitutarum, quoad omnia in ipsis litteris Pii predecessoris contenta per se ipsum, quando in civitate et diocesi aut in provincia seu partibus predictis personaliter residerit, quando vero absens fuerit, per presbiterum idoneum et directum ab eodem Philippo et eius successore predicto immediate dumtaxat deputandum, super quibus omnibus et eorum singulis eisdem Philippo et suo immediato successori, ac presbitero sic deputando plenam et liberam auctoritate apostolica tenore presentium facultatem concedimus et etiam auctoritatem, Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis ceterisque contrariis quibuscumque. Nulli ergo etc. nostri statuti, ordinationis et concessionis infringere etc. Siquis etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno etc. M.CCCC.LXXXVIII. Idus Septembris, Pontificatus nostri Anno Sexto.

DCCXIV.

Capellano reginae Rasciae altare portatile et quaedam privilegia conceduntur. Reg. An. VI. Brev. Tom. 4. fol. 239.

Dilecto filio Philippo Ducavich presbitero Nonensis diocesis.

Innocentius PP. VIII. Dilecte fili, salutem etc. Sincere devotionis affectus, quem ad nos et S. R. E. geris promeretur, ut ea tibi favorabiliter concedimus, que ad spiritualem mentis tue consolationem possunt pertinere. Hinc est, quod nos tuis in hac parte hnmilibus supplicationibus inclinati, ut liceat tibi habere altare portatile cum debita reverentia et honore, super quo in locis ad hoc congruentibus et honestis, etiam antequam illucescat dies, et in locis ecclesiastico interdicto ordinaria auctoritate dumtaxat supposittis, dummodo tu causam non dederis interdicto, vel id tibi specialiter contigerit interdici, in dilecte in Christo filie Barbare relicte bone memorie Wk Regni Rascie Despote, cuius, ut

asseris, Capellanus existis, suorumque familiarium ac tuorum parentum presentia missas et alia divina officia sine iuris alieni preiudicio celebrare possis, apostolica auctoritate tenore presentium tibi concedimus et indulgemus: proviso quod celebratione huiusmodi ante diem parce utaris, quia cum in altaris ministerio imoletur dominus noster Iesus Christus dei filius, qui candor est lucis eterne, convenit hoc non in tenebris fieri, sed in luco. Preterea volentes te uberiori gratia prosequi, ut si contingat te in locis dicta auctoritate interdictis decedere, ecclesiastice sepulture, absque tamen ecclesiastica solemnitate, libere et licite tradi valeas, cuiusvis alterius licentia desuper minime requisita, licentiam et facultatem tibi de speciali gratia elargimur, Non obstantibus etc. Datum Rome etc. die x. Februarii MCCCCXC. Pontificatus nostri Anno Sexto.

DCCXV.

Nuntio apostolico apud regem Hungariae, ut eiusdem regis votis obsecundans fratres et moniales ordinis Minorum conventualium quorumdam domorum in Hungaria ad strictiorem eiusdem ordinis regulam reducat, et fratribus Minorum de observantia subiiceat. Reg. An. VI. Brev. Tom. 4. fol. 413.

Venerabili fratri Episcopo Ortano etc.

INNOCENTIUS PP. VIII. Venerabilis frater, salutem etc. Ex litteris tuis, ac insuper ex relatione Venerabilis fratris Iohannis Episcopi Vesprimiensis Regii oratoris intelleximus, Carissimum in Christo filium nostrum Mathiam Regem Hungarie summopere desiderare, ut nonnullas domos fratrum sub regula sancti Francisci degentium in locis Regni sui, videlicet in Sepronio, Iaurino, Chismarto, Posonio, Debrezon et in Agria, in quibus fratres Conventuales ordinis predicti ad presens degunt, iuxta regulam et statuta eiusdem ordinis reformarentur. Nos itaque considerantes Maiestatem suam utpote Catholicam et religiosam non absque rationabili et iusta causa ad id moveri, volentesque, quantum cum deo possumus, piis votis eius annuere, fraternitati tue per presentes committimus et mandamus, ut vocato prius Vicario provinciali eiusdem ordinis, deumque et honestatem pre oculis habendo, una cum prefato Vicario prefatas domos iuxta regulam et statuta ipsius ordinis auctoritate nostra reformes. Preterea quoniam Maiestatem suam desiderare intelleximus, ut moniales veteris Bude eiusdem ordinis, nunc Conventuales, fratribus eiusdem ordinis de observantia subiiciantur, quod illas etiam maxime desiderare accepimus: ideo fraternitati tue etiam committimus, ut vocatis vocandis easdem moniales, si earum ad id accedat assensus, predictis fratribus de observantia eadem auctoritate subiicias, ut secundum eandem regulam vivere in perpetuum possent et altissimo famulari, Constitutionibus et ordinationibus apostolicis ac dicti ordinis, ceterisque in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Dat. Rome etc. die IV. Martii MCCCCXC. Pontificatus nostri Anno Sexto.

DCCXVI.

Episcopo Nonensi, ut quemdam presbyterum Tiniensis dioecesis a reatu homicidii absolvat ac rehabilitet. Reg. An. VI. Brev. Tom. 4. fol. 560.

Venerabili fratri Georgio Episcopo Nonensi Referendario nostro.

INNOCENTIUS PP. VIII. Venerabilis frater, salutem etc. Exhibita nuper pro parte Matthei Besecich presbiteri Tiniensis diocesis petitio continebat, quod cum alias ipse haberet apud se quendam puerum XII. annorum vel circa sibi servientem, et quadam die eidem puero precepisset, ut sibi aquam deferret, ipseque puer sibi contumaciter et superbe respondisset, et dictus Mattheus vellet puerum prefatum correctionis causa per capillos trahere, aut alias verberare, et ipse puer correctionem devitans defugisset, Mattheus predictus in eum quoddam lignum primo, et cum eum non percussisset, quendam lapidem magnitudinis unius ovi, ut ipsum in tergo aut alio loco, non tamen periculose leviter percuteret, proiecit, qui in occiput dicti pueri delatus ita eum percussit, ut puer ipse ex dicta percussione statim in spasimum inciderit, et deinde post aliquantulum recreatus melius se habens, nichilominus post XIII. dies ab hac luce, sicut deo placuit, sublatus est: propter quod ipse Mattheus ministerio altaris ac reliquis divinis officiis sponte sua se iam octo annis et ultra subtraxit, volens conscientie sue timorate quantum posset satisfacere. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, ipse Mattheus in premissis alias quam ut prefertur culpabilis non fuerit, et non malitia aut malignitate animi sui, sed ut ipsum puerum corrigeret, lapidem predictum proiecerit, cupiatque ipse Mattheus, qui, sicut asserit, in LX. sue etatis anno et ultra constitutus est, ex magno devotionis fervore, et pro peccatorum suorum remedio in susceptis per eum ordinibus altissimo famulari, ac do premissis ab intimis et toto corde doleat: pro eius

parte nobis fuit humiliter supplicatum, ut ipsum a reato homicidii huiusmodi absolvere, aliasque sibi et statui suo in premissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur attendentes, quod sancta mater ecclesia ad se cum humilitate redeuntes post erratum gremium claudere non consuevit, ac huiusmodi supplicationibns inclinati fraternitati tue per presentes committimus et mandamus, quatenus enndem Mattheum, si hoc a te humiliter petierit, a reatu homicidii huinsmodi ac excommnnicationis aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et penis a iure in tales inflictis anctoritate nostra hac vice dumtaxat absolvas in forma ecclesie consneta, iniunctis inde sibi pro modo culpe penitentia salutari, et aliis, qne de iure fuerint ininngenda, secumqne super irregularitate premissorum occasione contracta, quodque in susceptis per eum ordinibus etiam in altaris ministerio ministrare, ac unum beneficium ecclesiasticnm etiam curatum, si sibi aliquod canonice conferatur, recipere ac retinere libere et licite valeat, eadem auctoritate dispensos, aboleasque omnem inhabilitatis maculam sive notam per eum occasione premissa contractam, Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, presertim felicis recordationis Pii et Pauli II. ac Sixti IIII. predecessorum nostrorum, necnon ecclesiarum, in quibus beneficia huiusmodi fuerint, iuramento, confirmatione apostolica vel alias roboratis statutis et consuetudinibus ceterisque contrariis quibuscnmqne. Dat. Rome etc. die XXXI. Martii MCCCCXC. Pontificatus nostri Anno Sexto.

DCCXVII.

Monitorium, quo Laurentio duci quondam Nicolai Bosniae regis nato eiusque complicibus peremptorie mandatur, ut Roderico episcopo Portuensi monasterium Bellifontis de Varadinopetri restituant. Reg. An. VI. Tom. 74. fol. 58.

INNOCENTIUS EPISCOPUS etc. Ad futuram rei memoriam. Exigit protervorum plectenda rebellio, ut hii, qui monasteria et alia loca ecclesiastica invadere, perturbare et spoliare, ac aliis damnis afficere contra libertatem ecclesiasticam non verentur, suorum sentiant penas delictorum, ne fortassis eorum iniquitas audaciam ceteris tribuat delinquendi, et ut ipsi ad cor reversi ad viam et hostium redeant veritatis. Cum itaque, sicut non absque gravi animi displicentia accepimus, iniquitatis filius Laurentius Dnx clare memorie Nicolai Bosne Regis natus, post obitum clare memorie Mathie Hungarie Regis monasterium Bellifontis de Varadino Petri Cisterciensis ordinis Bachiensis diocesis, quod olim certo modo vacans Venerabili fratri nostro Roderico Episcopo Portuensi, sancte Romane ecclesie Vicecancellario, per eum, quoad viveret, tenendum, regendum et gubernandum ad presentationem eiusdem Regis, de cuius iure patronatus erat, motu proprio commendaveramus, et quod ipse Epus et Vicecancellarius per nonnullos annos pacifice et quiete tenuerat et possederat, prout tunc tenebat et possidebat, manu armata per vim et violentiam occupare et detinere ac bonis spoliare, et procuratores prefati Episcopi et Vicecancellarii, qui illud gubernabant, inde expellere, et armigeras in illud introducere, ac plura alia damna eidem monasterio inferre non expaverit, prout in dies auferet, et adhnc illud occnpat de presenti in anime sue preiudicium et divine maiestatis offensam, pernitiosum qnoque exemplum et scandalum plurimorum. Nos tante temeritati, prout nostre incumbit officio, quantum cum deo possumus, debite providere volentes, motu proprio, non ad ipsius Episcopi (et) Vicecancellarii, vel alterius pro eo nobis super hoc oblate petionis instantiam, sed de nostra mera liberalitate et ex certa scientia, equitate et iustitia id nobis suadentibus, prefatum Laurentium omnesque alios et singulos complices et seqnaces snos, ac fautores ac adherentes, sibique in premissis consilium, auxilium vel favorem pnblice vel occulte, directe vel indirecte prestantes, etiam cninscumque dignitatis et status, gradus, ordinis, preeminentie, conditionis et excellentie fuerint, etiamsi Patriarchali, Archiepiscopali, Episcopali sen quavis alia ecclesiastica vel mundana dignitate prefulgeant, in virtute sancte obedientie et sub penis infrascriptis, quas contrafacientes ipso facto incnrrere volumus, auctoritate apostolica tenore presentium, appellatione quacumque remota et sublata, qnibus aliis sententiis, censuris et penis a iure, et a predecessoribus nostris Romanis pontificibns, ac a nobis contra talia presumentes quomodolibet latis nichilominus in sno robore permansuris, monemus et requirimus, eisque et cuilibet eorum districte precipiendo mandamns, quatenus ipsi et quilibet eorum infra sex dierum spatium, postqnam presentium notitiam quomodolibet habuerint, quorum duos pro primo, duos pro secundo, reliquos duos dies pro tertio et peremptorio termino ac canonica monitione assignamus, ut ab huiusmodi perturbationibus ac aliis quibuscumque damnis penitus et omnino desistant, ac Epo (et) Vicecancellario, sen eius procuratoribus prefatis de ablatis fructibus, redditibus et proventibus, inribus, pecuniarium summis, rebus et bonis aliis quibuscumque ad dictum monasterium pertinentibus, omni excusatione, exceptione ac appellatione semota, integre et cum effectu absque

dilatione et diminutione aliqua satisfaciant, illaque tradant, restituant et assignent, et ab aliis, quantum in eis fuerit, satisfieri, tradi, restitui et assignari, ipsumque Episcopum et Vicecancellarium seu pro eo procuratores predictos dicti monasterii, iuriumque et pertinenciarum illius possessionem continuare, illaque pacifice et absque impedimento aliquo gaudere faciant et permittant; arendatarii quoque, subditi, vassalli, coloni, laboratores, censuarii et alii quicumque, prout ad eos et quemlibet eorum quomodolibet pertinet, prefato Episcopo et Vicecancellario seu procuratoribus suis prefatis, et non alteri de fructibus, redditibus et proventibus dicti monasterii respondeant, sibique pareant et intendant; occupatores insuper et detemptores quorumcumque bonorum mobilium et immobilium ac iurium dicti monasterii, necnon censuum, fructuum, reddituum et proventuum einsdem prefato Episcopo et Vicecancellario seu eius procuratoribus, que habent aut receperint, restituant, ac ea habentes aut scientes revelent; fautores vero et consultores ipsorum L., complicium et sequacium a prestatione consilii et favoris cessent omnino et desistant: alioquin in eos et eorum quemlibet, omnesquo alios et singulos supradictos tam ecclesiasticos quam seculares per nos in genere vel in specie, ut prefertur, monitos, qui infra sex dies ex tunc immediate sequentes monitionibus et mandatis nostris huiusmodi cum effectu non paruerint, vel quominus pareant, fecerint, vel alias ad id directe vel indirecte, palam vel occulte quovis quesito colore anxilium, consilium vel favorem dederint, lapsis sex diebus eisdem exnunc prout extunc, si Archiepiscopali, Episcopali aut minori vel superiori dignitate prediti fuerint, interdicti ingressus ecclesie, si voro alii ab eis inferiores, cuiuscumque status, gradus, ordinis, vel conditionis fuerint, excommunicationis ac anathematis sententias auctoritate et scientia predictis tenorem presentium in his scriptis ferimus et promulgamus, a quibus quidem sententiis, censuris et penis ab alio quam a Romano pontifice, preterquam in mortis articulo constituti, nequeant absolutionis beneficium obtinere, et si moniti prefati huiusmodi excommunicationis, interdicti et anathematis sententias per alios tres dies, dictos sex dies immediate sequentes, animo, quod absit, sustinuerint indurato, similiter exnunc prout extunc, et extunc prout exnunc civitates, ecclesias, monasteria et loca alia, ad que eosdem excommunicatos, interdictos et anathematizatos forsan declinare contigerit, ecclesiastico supponimus interdicto, quamdiu ibidem fuerint, et per triduum post eorum inde discessum strictissime observando, ita ut eo durante preterquam in festivitatibus et casibus a iure permissis, et in illis dumtaxat clausis ianuis, et excommunicatis et interdictis exclusis, summissa voce, ex quovis ctiam privilegio apostolico ctiam ordinibus, locis vel personis concesso, Misse et alia divina officia nequeant celebrari, ac cosdem excommunicatos, interdictos et anathematizatos, si Patriarchali, Archiepiscopali, Episcopali vel alia maiori ecclesiastica dignitate prefulgeant, a suarum ecclesiarum regiminibus et administrationibus suspendimus, et alios inferiores ab eis ecclesiasticos vel seculares suspensos, interdictos, excommunicatos et anathematizatos cononicatibus et prebendis, administrationibus et officiis, ac monasteriis, prioratu, preposituris ceterisque beneficiis et iurisditionibus ecclesiasticis secularibus et regularibus, ac quibuslibet feudis, iuribus, privilegiis, honoribus et mundanis dignitatibus quibuscumque, que eos tunc obtinere contigerit, motu et scientia similibus privamus, ac ad illa et alia imposterum obtinenda, necnon ad testandum et quoslibet alios actus legitimos faciendum inhabilitamus, privatosque et inhabiles esse volumus et decernimus eo ipso; si vero suspensi, excommunicati, anathematizati, privati et inhabiles nolentes in semitis iustitie gressus suos dirigere et ad cor reverti, ac veniam petere et penitentiam salutarem agere de premissis, sub huiusmodi interdictis, suspensionis, excommunicationis, anathematizationis, privationis et inhabilitationis censuris et penis proterva obstinatione per alios tres dies extunc immediate sequentes permanere non expaverint, similiter exnunc prout extunc lapsis diebus posterioribus eisdem motu, scientia et auctoritate predictis eos aggravationis et reaggravationis censurarum et penarum predictarum, ac cum Datan et Abiron, quos terra vivos absorbuit, maledictionis eterne et perpetue damnationis mucrone ligamus, ligatosque, irritos et innodatos esse decernimus ipso facto, mandantes sub similibus censuris et penis quibuscumque Cathedralium et Metropolitanarum, vel Collegiatarum ac aliarum ecclesiarum Prelatis, Capitulis, Canonicis, Rectoribus et personis aliis ecclesiasticis, ut quotiens pro parte prefati Epi et Vicecancellarii fuerint requisiti, in ecclesiis dominicis et aliis festivis diebus, dum maior inibi populi multitudo ad divina convenerit, pulsatis campanis et accensis candelis ac postmodum in terram proiectis et extinctis, ac erecto Crucis vexillo cum trina lapidum proiectione et aliis in similibus de iure observari solitis ecclesiasticis cerimoniis excommunicatos, anathematizatos, privatos, inhabiles, aggravatos et reaggravatos, et eterne damnationis sententia ligatos publice nuncient, et ut tales faciant ab aliis nunciari, et ab omnibus arctius evitari, omni inhibitione, appellatione et exceptione cessante, iniungentes quoque omnibus aliis Christi


image
not
available

ecclesia beate Marie extra muros Castri Fisignii Spalatensis diocesis por impios Turchos christiane religionis inimicos destructa et ruine subiecta extiterit, ac propterea tam illa quam castrum Nuciach situm prope flumen Cetina dicte diocesis, et prope confines et limites dictorum Turchorum, cuius dilectus filius nobilis vir Sarchus Voyvoda Drasociuch, laycus dicte diocesis, de nobili etiam Baronum genere procreatus, in temporalibus dominus existit, quique eisdem Turchis virilitor resistit, non parva reparatione indigeant et ad hec sint Christifidelium suffragia plurimum oportuna, opusque existat necessaria custodia, ne dictum castrum Nuciach ab ipsis Turchis occupetur: Nos cupientes, ut ecclesia et castrum Nuciach huiusmodi debite reparentur, ot sic reparata conserventur, ipsumque castrum Nuciach fideliter custodiatur, ac Christifidelibus eo libentius ad ipsam ecclesiam devotionis causa confluant, quo ex hoc ibidem dono celestis gracie uberius conspexerint se refectos, de omnipotentis dei misericordia et beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus et singulis Christifidelibus vere penitontibus ot confessis, qui predictam ecclesiam in die festi Penthecostes a primis vesperis usque ad secundas vesperas festi eiusdem devote visitaverint annuatim, et inibi pro reparatione, conservatione et manutentione ecclesie et castri predictorum manus adiutrices porrexerint, vigintiquinque annos et totidem quadragenas de iniunctis eis penitenciis misericorditer in domino relaxamus, presentibus quamdiu dictus Sarchus vixerit, dumtaxat valituris. Volumus autem, quod oblationum et elemosinarum ac piorum suffragiorum, que per ipsos Christifideles in ipsa ecclesia predicta die erogabuntur, una in eiusdem ecclesie, due vero rolique partes eidem Sarcho consignande in castri Nuciach predictorum reparationem, conservationem et defensionem, et non aliam causam omnino convortantur: quodque si alias visitantibus dictam ecclesiam aut ad illius reparationem et manutentionem manus adiutrices porrigentibus, seu alias inibi pias elemosinas erogantibus aliqua alia indulgencia imperpetuum, vel ad certum tempus nondum elapsum duratura por nos concessa fuerit, presentes littere nullius existant roboris vel momenti. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis dominice Millesimo quadringentesimo nonagesimosecundo, nono Kalendas Maii, Pontificatus nostri Anno Octavo.

DCCXIX.

Iisdem capellam s. Georgii in ecclesia Clysiensi Spalatensis dioecesis visitantibus etc. ut supra indulgentia conceditur.
Reg. An. VIII. Secret. Tom. 8. fol. 214.

Innocentius episcopus etc. Universis Christifidelibus presentes litteras inspecturis, salutem etc. Licet is, de cuius munere venit etc. Cupientes igitur, ut capella sancti Georgii martiris in ecclesia beate Marie Clysiensi Spalatensis diocesis, quam, ut accepimus, dilectus filius nobilis vir Sarchus Voyvoda Drasocinch, laycus eiusdem dioecesis, de nobili Baronum genere procreatus, in confinibus Turchorum residens et illis strenue pro fidei catholice defensione resistens, pia dovotione ductus fundari fecit, ac in qua sepulturam elegit, congruis frequentetur honoribus, ac Christifideles eo libentius devotionis causa confluant ad eandem, quo ex hoc ibidem dono celestis gracie uberius conspexerint se refectos, ac castrum Nuciach eiusdem diocesis prope flumen Cetina, et limites et confines eorundem Turchorum consistens, et cuius ipse Sarchus in temporalibus dominus existit, et quod, ut etiam accipimus, non parva reparatione et pro fidei christiano defensione maxima custodia et regimine indiget, atque sunt Christifidelium suffragia plurimum oportuna, debite reparetur et roparatum fideliter ad eiusdem fidei christiane defensionem et augmentum custodiatur, de omnipotentis dei misericordia ac beatorum Petri ot Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus et singulis Christifidelibus vere ponitentibus et confessis, qui predictam capellam in Assumptionis et Conceptionis beate Marie Virginis, necnon eiusdem sancti Georgii festivitatum diebus a primis vesperis usque ad secundas vesperas diorum huiusmodi devote visitaverint annuatim, et inibi pro capelle manutentione ac castri predictorum reparatione et conservatione manus adiutrices porrexorint, vigintiquinque annos et totidem quadragenas pro qualibet dictarum festivitatum de iniunctis eis penitenciis misericorditer in domino relaxamus, presentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem, quod elemesinarum etc. ut supra usque vel momenti. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis dominice Millesimo quadringentesimo nonagesimosecundo, nono Kalendas Maii, Pontificatus nostri Anno Octavo.

EPISTOLAE ALEXANDRI PP. VI.

DCCXX.

Pontifex cardinali s. Sixti concedit monasterium B. Mariae Bellifontis de Varadino Petri in commendam, quod ipse tempore suae assumptionis ad summum apostolatum obtinebat. Reg. Ao. I. Bull. Tom. 1. fol. 228.

Alexander episcopus etc. Dilecto filio Paulo tituli sancti Sixti presbitero Cardinali, salutem etc. Romani pontificis circumspecta providentia etc. Cum itaque Monasterium beate Marie Bellifontis de Varadino Petri Cisterciensis ordinis Bachiensis diocesis, quod tempore assumptionis nostre ad apicem summi apostolatus in commendam ex concessione et dispensatione apostolica obtinebamus, commenda huiusmodi per assumptionem eandem cessante, et sic eo, quo ultimo ante commendam candem Abbatis regimine destitutum erat, modo destitutum fore noscatur ad presens: Nos eiusdem Monasterii verum ultime vacationis modum, nisi ex illo quevis generalis reservatio resultet, et in corpore iuris clausa, necnon illius fructuum, reddituum et proventuum verum valorem annuum presentibus pro expresso habentes, et tam dicto Monasterio de gubernatore secundum cor nostrum utili et idoneo, per quem circumspecte regi et salubriter dirigi valeat, quam tibi pro huiusmodi supportandis oneribus de alicuius subventionis auxilio providere volentes, motu proprio, non ad tuam vel alterius pro te nobis super hec oblate petitionis instantiam, sed ex nostra mera liberalitate Monasterium predictum quovis modo aut ex cuiuscumque persona vacet, etiam si illius dispositio specialiter vel generaliter quovis modo ad sedem apostolicam pertincat, tibi per te una cum sancti Sixti, que tituli tui Cardinalatus existit, ac Ianuensi, quam ex concessione et dispensatione apostolica obtines, et quibuscumque aliis ecclesiis, ac monasteriis et beneficiis, que in titulum vel commendam obtines et in posterum obtinebis, ac annuis pensionibus, quas super quibusvis proventibus ecclesiasticis assignatas percipis, quoad vixeris, tenendum, regendum et gubernandum auctoritate apostolica commendamus, curam, regimen et administrationem dicti Monasterii tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, indubie sperantes, quod Monasterium ipsum per tue circumspectionis industriam et studium fructuosum, dextera domini tibi assistente propitia, votivis congratulabitur eventibus, et continua in eisdem spiritualibus et temporalibus suscipiet incrementa. Volumus autem etc. Datum Laterani Anno etc. m.cccc.lxxxxii. septimo Kalendas Septembris, Pontificatus nostri Anno Primo.

Simili modo Episcopo Bachiensi, Conventui Monasterii B. Marie Bellifontis de Varadino Petri, Vassallis eiusdem Monasterii et Wladislao Ungarie Regi Illustri.

DCCXXI.

Ioanni episcopo Catharensi monasterium sancti Georgii Catharensis diocesis in commendam concessum confirmatur. Reg. An. II. Bullar. Tom. 7. fol. 117.

Alexander episcopus etc. Venerabili fratri Iohanni Episcopo Catharensi, salutem etc. Exigentibus meritis tue devotionis inducimur, ut personam tuam nobis et apostolice sedi devotam specialibus favoribus et gratiis prosequamur. Dudum siquidem per felicis recordationis Innocentium papam VIII. predecessorem nostrum accepto, quod Monasterium sancti Georgii ordinis sancti Benedicti Catharensis diocesis, cui quondam Tripho ipsius Monasterii Abbas, dum viveret, presidebat, per obitum eiusdem Triphonis, qui extra Romanam Curiam diem clausit extremum, vacaret et tunc vacabat, idem predecessor decretis tunc expressis Monasterium predictum sic vacans mense Episcopali Catharensi, quamdiu bone memorie Petrus Episcopus Catharensis eidem ecclesie Catharensi preesset, per suas litteras univit, annexit et incorperavit: et deinde unione, annexione et incorporatione prefatis per obitum dicti Petri Episcopi, qui extra Romanam Curiam debitum nature persolvit, dissolutis, nos Monasterium predictum, tunc certo modo, quem pro expresso haberi voluimus, vacans tibi tunc Electo Catharensi per te, quo ad vixeris, tenendum, regendum et gubernandum commendari mandavimus, prout in nostris inde confectis litteris, in quibus quod prefatus Petrus Monasterium huiusmodi in commendam obtinebat, quodque

illius fructus, redditus et proventus centum et triginta florenorum auri de Camera secundum communem extimationem valorem annuum non excedebant, expressum fuerit, plenius continetur. Cum autem, sicut exhibita nobis nuper pro parte tua petitio continebat, prefatus Petrus Episcopus Monasterium predictum in commendam non obtineret, a nonnullis asseratur, illud de iure patronatus dilectorum filiorum Communitatis Catharensis fore, ac illius fructus, redditus et proventus tempore date earumdem litterarum longe plus valuisse et valere de presenti, licet ducentorum florenorum scilicet secundum extimationem predictam valorem annuum non excedunt, et propterea dubites litteras ipsas de subreptionis vitio notari posse tempore procedente: Nos, ne littere ipse do hniusmodi surreptionis vitio notari valeant, providere, tequo assecutem annatam et alia iura Camere apostolico debita ad rationem dictorum ducentorum florenorum in earundem litterarum expeditione persolvisse, quodque Communitas prefati ad querendam electionem Abbatis dicti Monasterii, que nondum confirmata extitit, quamvis de facto processisse diountur, premissorum intuitu gratioso favore prosequi volentes, teque a quibuscumque excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et penis a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existis, ad effectum presentium dumtaxat consequendum harum serio absolventes, ot absolutum fore censentes, necnon omnia et singula beneficia ecclesiastica cum cura et sine cura, secularia et ordinum quorumcumque regularia, que in titulum vel commendam, et de quibusvis apostolicis dispensationibus obtines et expectas, ac in quibus et ad que ius tibi quomodolibet competit, quecumque, quotcumque et qualiacumque sint, eorumque ac mense Episcopalis Catharensis fructuum, redditnum et proventnum veros annuos valores ac huiusmodi dispensationum tenores presentibus pro expressis habentes, tuis in hac parte supplicationibus inclinati, volumus et apostolica tibi auctoritato concedimus et decernimus, quod littere predicte ac illarum vigore de dicto Monasterio tibi facta commenda et inde secuta quandoque ab earum data valeant, plenamque roboris firmitatem obtineant in omnibus ot por omnia perinde ac si in eisdem litteris, quod Monasterium predictum de iure patronatus dicte Communitatis, et eidem mense unitum, annexum et incorporatum erat, illiusque fructus, redditus et proventus ducentorum florenorum secundum extimationem predictam valorem annum non excedebant, expressum ac iuri patronatus huiusmodi expresse derogatum fuisse, et quod prefatus Petrus illum in commendam obtineret, nulla montio facta extitisset, prout nos iuri patronatus huiusmodi hac vice dumtaxat expresse derogamus, etiam si Monasterium predictum adhuc quovis modo, aut ex cuiuscumque persona vacet, ot cuius provisio ex quavis causa ad sedem predictam specialiter vel generaliter pertineat, Non obstantibus premissis ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon omnibus illis, que in dictis litteris voluimus non obstare, ceteriaque contrariis quibuscumque. Nulli ergo etc. nostre absolutionis, voluntatis, concessionis, decreti et derogationis infringere etc. Si quis autem etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno M.CCCC.LXXXXIII. quinto Idus Octobris, Pontificatus nostri Anno Secundo.

DCCXXII.

Maximilianus Romanorum imperator Alexandrum VI. per oratores suos certiorem reddit de consilio suo bellum contra Turcas movendi, Croatiam et Hungariam contra eosdem tuendi, petitque, ut ipse pontifex reliquos principes ad auxilium in hoc ferendum exhortetur. Ex Instrum. Miscell.

Fideli nobis dilecto Marquardo Breisacher Consiliario ot Oratori nostro in Romana Curia. In eius absentia dilecto nobis Philiberto naturali carissimi filii nostri Philippi Ducis Burgundie Oratori. In amborum absentia dilecto nostro Iohanni Broccardo Magistro ceremoniarum Sedis Apostolico.

— Fidelis nobis dilecte. — Acceptis litteris tuis, cognovimus ea, que in negotio Confraternitatis fratrum sancti Georgii per Sanctissimum dominum nostrum Papam intuitu nostro concessa fuerunt, quo nobis valde grata sunt, et eius Sanctitati nostro nomine gratias ages, significabisque ac dices eidem Sanctitati, quod nos circa finem huius mensis cum Rege Francie in Burgundia personaliter conveniemus, et speramus eum ad pacom cum Rege Neapolitano reducere, ne eorum discordia expeditioni nostre contra Turcos nobis omnibus obstet. Nos autem, cum nostri exercitus estivos calores in patriis illis Turcorum difficillime perferre possint, decrevimus hoc proximo autumno, favente Altissimo, exercitum nostrum in ipsos Turcos movere, et ibidem personaliter perseverare, sperantes Summum Pontificem ac Apostolicam Sedem, et omnes Reges Christianos ac Principes nobis auxilium allaturos, prout eius Sanctitati per oratores nostros propediem disccssuros coram latius exponi faciemus.

Nam circa festum s. Iacobi in fine Iulii decrevimus ex patriis nostris Barbantia, Flandria etc., ad quas iam nos proficisci disponimus, rebus illic ordinatis recedere, et cum parte eius exercitus, quem illic habemus, Croaciam versus iter capere. Et iam ex nunc exercitum, quem nobiscum habemus, cum opportunis ducibus in Croaciam mittimus. Necesse enim est, cum Turci quotidie Croaciam invadant et ex ea crebras predas faciant, ut illic exercitum et presidia teneamus pro tuitione patriarum nostrarum, presertim cum Rex Polonie cum Turco inducias seu treguas fecit, et Rex Hungarie idem quoquo facturus esse creditur. Cum enim ipsi Hungari nec in viribus suis, nec in aliorum Christianorum auxiliis confidant, et Turcorum induciis se tutos fore credant, iam omnes ad pacem vel inducias cum Turco tractandas inclinant.

Dices igitur Sanctissimo domino nostro Papo, quod sua Sanctitas celeriter Regi Hungarie scribat, et per legatum apostolicum, quem in Hungariam misit, ipsum Regem a tali pace induciisque deterreat ac revocet, et Turcos illi fidem non servaturos persuadeat, qui procul dubio, si commodum et aptum sibi esse viderint, nulla promissione servata suum exercitum contra ipsos Hungaros, qui nostros subditos concitabunt ac movebuut, vel fortassis ad Italiam conversi, vel patrias Romane ecclesie subiectas, vel Regnum Neapolitauum, vel domiuia Venetorum vel Rhodum, vel quamcunqua aliam Christianorum patriam, data opportunitate, invadent et occupare conabuntur.

Quapropter conveniontissimum erit Sanctissimum dūum nostrum Papam dicere oratoribus Soldani eisque persuadere, tam suam Sanctitatem, quam nos cum toto Imperio, ac etiam Serenissimos Reges Francie, Hispanie, Sicilie, Hungarie ac alios Christianos Reges ac Principes dispositos atque paratos esse simul cum Soldano bellum in Turcos assumore atque perficere.

Et quia scribis oratores Soldani requisivisse, ut Sanctissimo domino nostro Papæ persuadeamus, quatenus fratrem Turci ipsi Soldano sua Sanctitas reddat, vel reddi faciat, prout promissio ac fides a nostris Christianis data requirit, miramur hac de re aliquid per ipsum Summum Pontificem, nobis insciis et inconsultis, tractatum fuisse, cum pie memorie Iunocentius Papa predecessor suus, ac etiam sua Sanctitas, si bene tenemus, nobis sepe dici fecerunt, ipsum fratrem Turci bello nostro contra Turcos gerendo plurimum posse conferre, et de illo nobis mittendo etiam se sponte obtulerint per Rūum in Christo patrem dūum Cardinalem Gurcensem, si bellum Turcis faceremus.

Et cum dicitur ipsum fratrem Turci a nostris Christianis contra fidem datam captivum teneri, responderi potest, non ea ratione sibi promissum non esse servatum, sed ne ipse frater Turci sine auxilio Christianorum dimissus veluti disperationo ductus in perditionem iret: sed ipsum Summum Pontificem ac Reges Christianos ideo eum hactenus servavisse, ut capta opportunitate cum exercitu Christianorum contra Turcos hostes mitterent, eumque adiuvarent, ipsumque dūum ac Imperatorem Turcorum efficerent, mediante restitutione aliquarum patriarum Christianorum, ut sic conservata de Turcis hostibus communi victoria, tam ipse fratcr Turci in patria sua, quam nos Christiani in nostris, simul firmata ac stabilita pace utrique, concorditer vivamus, quorum omnium agendorum, si nunc iungatur nobiscum Soldanus, magna commoditas ac opportuuitas, Deo iuvante, concedetur.

Eapropter si Sanctissimus dominus noster Papa ipsum fratrem Turci restituendum esse duxerit, dices nos suam Sanctitatem hortari, orare atque rogare, ne id ullo modo faciat, nisi prius ipse Soldanus se nobiscum, et cum ceteris Regibus Christiauis ad bellum contra Turcos communes hostes gerendum et continuaudum declaret atque promittat, et de eo tales obligationes et cautiones prebeat, ut securi esse possimus eum pronissa servaturum.

Vellemus igitur, quod Sanctissimus dūus nostcr Papa oratoribus Soldani dicoret, quod sua Sanctitas, ac nos et ceteri Christiani Reges cum his conditionibus bellum simul cum ipso Soldano contra Turcos sumore, et gerere atque perficere volemus, invicem promittendo atque cavendo, quod nec Christiaui Soldanum, nec Soldanus Christianos ullo pacto deferent vel dimittent, nisi tali bello confecto, et quod continuabunt ac perseverabunt utrinque in ipso bello campestri castra metando, donec Deus talem victoriam de ipsis Turcis nobis concedet, quod ipsi Turci omnino vincantur ac superentur.

Et quod nec Christiani nec Soldanus intra dnos annos a bello campestri castra metando per utramque partem incepto cum Turcis de ulla pace, nec de ullis induciis seu treguis tractabunt. Duobus autem annis elapsis, tam una pars quam altera, si sibi videbitur, etiam sine consensu alterius partis poterit cum Turcis de pace induciisve tractare et convenire, dummodo alteram partem etiam secum in tali pace induciisve comprehendat, si comprehendi velit, quod alteri parti per oratores suos, quo citius poterit, significabit, et si post significationem et acceptationem alterius partis Turci non

desinerent ab illa parte infestanda, tunc illa pars, que pacem vel inducias cum Turcis fecerit, teneatur de novo sumere bellum contra Turcos, et aliam partem adinvare et perseverare in bello et recuperare ea, que Turci illi parti cepissent. Si vero altera pars comprehendi nollet in tali pace vel induciis, tunc possit illa pars perseverare in bello contra Turcos, si velit, altera parte in sua pace relicta. Et si forte, quod Deus avertat, altera pars vincatur a Turco, tunc pars altera non obligabitur bellum gerere, castra metando in campis, sed solum intertenere bellum ac facere bellum excursionum, seu guerram, ut aiunt, guerriabilem, tenendo presidia munita in locis opportunis, et faciendo alias excursiones in Turcos et alia incommoda et damna eis inferre, prout temporis opportunitas dabit. Et ulterius quod Christianorum patrie, que per Christianos vel Soldanum recuperabuntur, Christianis reddantur, et Soldani patrie tam per Christianos quam per Soldanum acquisite Soldano dimittantur.

Et Sanctissimus dñus noster promittet, quod sua Sanctitas et nos et alii predicti Reges Soldano istas conditiones acceptanti nostra sigilla, seu nostras litteras et obligationes sigillatas mittemus, et illius pariter obligationes et cautiones acceptabimus, quam celeriter tales ipsius Soldani oratores expediendi et ad dominum suum remittendi sunt, et promittet eis, quod ipsis redeuntibus aut reversis Romam cum acceptatione supradictarum conditionum a dño suo Soldano dabunt sigilla supradicta, que Rome in eorum regressu reperient, promitteturque eis, quod post sex menses a bello per ipsum Soldanum incepto contra Turcos, frater Turci sibi dabitur et mittetur ad Soldanum, ut ponantur maiores discordie et divisiones inter ipsos Turcos.

Et dicet Sanctissimus dominus noster ipsis oratoribus, quod nos etiam oratores nostros ad ipsum Soldanum mittemus, qui eum de omnibus nostris supradictis conventionibus et de Christianorum apparatu in Turcos facient certiorem, taliaque federa et pacta cum ipso confirmabunt, dummodo bellum in Turcos incipiat atque continuet, prout nos iam ex nunc incipere parati sumus, ut dictum est.

Et si forte Sanctissimus dominus noster miraretur de ista nostra celeritate, et quod non expectemus responsum Soldani, antequam hoc bellum incipiamus, respondebis, quod hoc facit necessitas patriarum nostrarum, excurrentibus in eas quotidie Turcis, que patrie, si Hungari de pace vel induciis cum Turcis conveniant, sine hac nostra celeri provisione procul dubio perderentur. Et ideo cum speremus etiam hoc proximo autumno de accipiendo alio parvo auxilio sufficienti etiam ab aliis Regibus, nos omnino, Deo adiuvante, in hoc bellum, ut supra dictum est, progressuri sumus.

Que omnia successum habebunt, faventibus Superis, et si precipue Sanctissimus dñus noster Papa diligenter omnes Reges ac Principes Christianos, quos etiam nos disposuisse speramus, ad hoc bellum tam necessarium assumendum auctoritate apostolica exhortetur et inducat: que omnia sue Sanctitati nomine nostro referes, et de eius responso ac voluntate et effectu nos per velocissimum nuntium facies certiores.

Preterea instabis, quod Sanctissimus dñus noster nobis mittat litteras suas patentes et Collegii Rñorum Cardinalium sigillatas, quibus promittent nobis et aliis Regibus Christianis supradictis, qui favebunt cum omnibus viribus suis ac diligentia, ut debent, ad hanc expeditionem nostram contra Turcos, et nos tales eorum litteras cum similibus litteris nostris mittemus ad alios Reges, ut ab ipsis suas etiam litteras sigillatas similiter reciperemus, quas mittemus Romam sue Sanctitati, ut eius oratores et nostri et aliorum Regum ad Soldanum mittendi eas secum porteut. Ideo oportet suam Sanctitatem dare operam cum oratoribus Soldani, quod eorum domiuus Soldanus mittat salvumconductum pro oratoribus Summi Pontificis et nostris, et aliorum Regum Christianorum pro ducentis hominibus ad se tute ituris, mansuris et redituris. Et ne interea tempus perdatur in oratoribus nostris mittendis, talis salvusconductus mittatur per Soldanum Rhodum ad Magnum Magistrum Rhodi, ut nostri oratores proficientes illum ibi inveniant. Ex Oppido nostro Campidoniensi XIX. Aprilis 1494.

MAXIMILIANUS.

DCCXXIII.

Pontifex tertiam partem omnium bonorum ecclesiasticorum, de quibus in quibuscumque testamentis, codicillis aliisque donationibus etc. dispositum fuerit, camerae apostolicae pro sancta Cruciata reservat et applicat.
Reg. An. II. Secret. Tom. 3. fol. 291.

ALEXANDER EPISCOPUS etc. Ad futuram rei memoriam. Pastor providus, operosus et pervigil, qui dominici gregis superna sibi dispositione commissi curam agere studet, intrepidus redemptoris nostri doctrina instruitur et exemplo edocetur, ut non solum universa, que possidet, verum etiam animam pro

ovibus suis, ne iuxta comminationem propheticam earum sanguis de pastoris improvidi manibus exquiratur, ponere non formidet. Unde nos, quibus licet insufficientibus meritis universalis ecclesie et eiusdem gregis cura commissa est, repetentes animo, quantum in Catholice fidei et reipublice Christiane iniuriam truculonta Turchorum rabies superioribus temporibus attemptare presumpserit, quanta in eis damna intulerit, et in dies afferre non cessat, et nisi eorum insano furori celeriter occurretur, sit etiam magis atque magis successu temporis allatura; quodque Romane ecclesie facultates, que pro tante rei magnitudine, ymo verius urgentissima necessitate exigue fore noscuntur, et quas nedum exponere, sed si opus fuerit pro hoc saluberrimo opere propriam personam ponere decrevimus, non suppetunt: unde, quod commodius possimus, oportuna subsidia exquirere compellimur, ut tante necessitati contra ipsos perfidos Turchos occurrere, ac aliis oncribus continue nobis et eidem ecclesie incumbentibus providere valeamus. Dudum siquidom tam por nos, postquam ad summi apostolatus apicem divina favente clementia assumpti fuimus, quam autea per alios dictos Romanos Pontifices predecessores nostros diverse licentie, facultates et indulta testandi, ordinandi, erogandi et alias disponendi, etiam in pios et alios licitos usus tam de bonis mobilibus quam immobilibus ex ecclesiasticis et aliis dignitatibus et beneficiis ecclesiasticis, ac alias licite etiam ex legationibus per sedem apostolicam pro tempore commissis acquisitis, ac intuitu vol contemplatione persone provenientibus diversis Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis et aliis Prelatis quibuscumque, ac etiam sancte Rom. ecclesie Cardinalibus etiam motu proprio et ex certa scientia, ac do apostolice potestatis plenitudine, et cum diversis clausulis etiam derogatoriis concessa fuerunt, prout in singulis tam nostris, quam predecessorum predictorum desupor confectis litteris plenius continetur. Cum autém post nostram assumptionem huiusmodi ipsam Romanam ecclesiam maximis debitorum oneribus pergravatam, ut omnibus clare constat, invenerimus, et continue ipsi perfidi Turchi, Christi nominis hostes, Christianorum terras et loca etiam munitissima cum validissimo exercitu invadere, et maximas incursiones ac predas facere non cessent, prout anno superiori, quo totam Croatiam devastarunt, et quamplurimos Christianos in miserabilem servitutem redegerunt, effecerunt et adhuc de novo faciunt, totis viribus illam occupare et sue dirissime tirannidi subicere conantes; et licet, que potuimus, presidia prestiterimus, tamen eorum furori, et aliis Romanc ecclesie necessitatibus imminentibus huiusmodi per nosmet ipsos propter diversa gravia nobis continue incumbentia onera providere, prout nostri desiderii est, nequeamus, nisi aliunde aliqua subsidia exqniramus: Nos attendentes, quod divisa in partes onera levius perferuntur, ac dignum censentes, ut qui a nobis et sede predicta uberiores gratias reportarunt, tot et tantis necessitatibus aliquam partem suarum facultatum, presertim quas ab ecclosiis et benoficiis ecclesiasticis receperunt, conferre debeant, motu proprio, non ad alicuius nobis super hoc oblate petitionis instantiam, sed de nostra mera deliberatione et ex certa scientia, ac de simili apostolice potestatis plenitudine tertiam partem omnium et singulorum bonorum mobilium et immobilium huiusmodi, de quibus per Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, Prelatos et etiam Cardinales prefatos, tam in Romana curia presentes, quam ab illa absentes, ad presens in humanis agentes, et qui pro temporo erunt, in quibuscumque testamentis, donationibus causa mortis, codicillis, aut aliis ultimis voluntatibus, nondum tamen executioni demandatis, quovis modo, etiam ad pias causas quascunquo et alios licitos usus hactenus ordinatum dispositumve fuisset, aut imposterum testari, ordinari seu disponi contigerit, etiam pretextu similium licentiarum, facultatum, gratiarum ot indultorum per nos et sedem predictam Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, Prelatis et Cardinalibus, nunc et pro tempore existentibus, imposterum concedendorum Camere apostolice pro sancta Cruciata, et aliis illi incumbentibus necessitatibus et oneribus huiusmodi supportandis auctoritate apostolica tenore presentium applicamus, reservamus et assignamus, ac ad dictam Cameram pleno iure pertinere, dictamque Cameram illa in iudicio et extra vendicare posse et debere: decernimus irritum quoque ox nunc et inane, si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate ctiam vigore licentiarum, facultatum, gratiarum, litterarum et indultorum huiusmodi scienter vel ignoranter in preiudicium dicte tertie partis cidem Camere, ut prefertur, applicate attemptatum forsan est hactenus, vel imposterum contigerit attemptari, ac presentes, quas etiam, ne de premissis quispiam valeat ignorantiam allegare, valvis ecclesie Lateranensis et Basilice Principis Apostolorum de Urbe per unum ex cursoribus nostris affigi mandavimus, ex nunc quoscumque ligare et arctare perinde ac si eis et cuilibet eorum presentialiter et personaliter intimate et insinuate essent. Et nichilominus dilectis filiis Collectoribus dicte Camere ubilibet constitutis, et Succollectoribus ab eis nunc et pro tempore deputatis motu simili mandamus, ut ipsi et cuilibet eorum premissa omnia et singula, ubi, quando et quoticns expedierit, publicantes, faciant auctoritate nostra

applicationem, reservationem et assignationem predictam inviolabiliter observari, dictamque tertiam partem eidem Camere, ut profertur, debitam ab omnibus et singulis personis, penes quas reperiatur, petere, recipere et exigere, ac ad dictam Cameram fideliter transmittere studeant atque procurent, dictamque tertiam partem tamquam dicte Camere debitam per se, vel alium seu alios propria auctoritate nomine dicte Camere libere recipiant et apprehendant, cuiusvis licentia super hoc minime requisita, ac de aliis, que propterea recipient, solventes quitent, liberent et absolvant porinde ac si vigore voluntatum testantium, legantium et codicillantinm, ac alias quomodolibet ordinantium solutio ipsa facta foret, Contradictores etiam cuiuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis, conditionis, nobilitatis et preeminentie per censuras ecclesiasticas, ac alia iuris oportuna remedia, quavis appellatione cessante, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis, et nichilominus legitimis super hiis habendis servatis processibus illos, quos eis censuras per eos pro tempore latas incurrisse obstiterit, quotiens opus fuerit, iteratis vicibus aggravare procurent, Non obstantibus licentiis, facultatibus, gratiis, indultis ac litteris predictis, ac quibusvis aliis concessionibus, donationibus et applicationibus forsan quibuscunque ecclesiis, monasteriis, ordinibus, miliciis, collegiis, confratriis, hospitalibus ot aliis piis locis et licitis usibus per nos et sedem predictam sub quibusvis verborum forma, et clausilis etiam derogatoriarum derogatoriis, forcioribus, efficacioribus et insolitis, etiam presentibus expresse derogantibus, etiam motu, scientia et potestate similibus hactenus concessis, ot aliis forsan postmodum etiam cum amplioribus clausulis concedendis imposterum, etiam quibus caveatur, quod reservationes, concessiones et applicationes in favorem fidei Catbolice et sancte Cruciate, ac alias quomodolibet per sedem predictam pro tempore facte eis preiudicium aliquod afferro non possent, et per quas omne ius et dominium quoad eandem Romanam ecclesiam quovismodo in bonis predictis competere posset in futurum, eis per sedem predictam etiam motu, sciontia et potestato similibus donatum, remissum et in eos translatum fuisset, quibus, etiam si de illis eorumque totis tenoribus ac nomiuibus, cognominibus, dignitatibus, qualitatibus, gradibus et nobilitatibus personarum, ac etiam titulis Cardiualium eorumdem, quibus concessa sunt et forsan concedentur in posterum, pro illorum sufficienti derogatione specialis, specifica, expressa, individua, ac si de verbo ad verbum, non autem per generales clausulas id importantes mentio, seu quevis alia expressio habenda foret, ac etiam forsan cavercetur in eis, quod illis nullatenus in parte vel in tota derogari posset, quodque in derogationibus huiusmodi personarum earumdem expressus intervenire deberet assensus, et non nisi do consilio eiusdem sancte Romano ecclesio Cardinalium etiam derogari posset, ac quavis alia quesita forma, et quorumvis verborum specialium corta determinata expressio ad id requireretur, derogatioque huiusmodi ipsis prius per diversas nostras et dicte sedis in forma Brevis vel alias litteras cum intervallo alicuius temporis inter presentationes earumdem intimari deberet, tenores huiusmodi pro sufficienter expressis et insertis habentes, motu, scientia et potestatis plenitudine similibus specialiter et expresse quoad premissa omnino derogamus, et derogatum esse volumus, nec non fel. rec. Bonifacii pape VIII. do una et duabus dietis etc. Nulli ergo etc. nostre applicationis, reservationis, assignationis, decreti, mandati, derogationis et voluntatis infringere etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno etc. M.CCCC.XCIV. quarto Kalendas Augusti, Pontificatus nostri Anno Secundo.

DCCXXIV.

Ioannes episcopus Auserensis ad ecclesiam archiepalem Iadrensem transfertur. Reg. Ac. 111. Bull. Tom. 15. fol. 100.

ALEXANDER EPISCOPUS etc. Venerabili fratri Iohanni Ep̄o Auserensi in Archiepiscopum Iadrensem electo, salutem etc. Quam sit onusta dispendiis, quam plena periculis, quantaque discrimina secum trahat diutina ecclesiarum vacatio, sollicite considerationis indagine perscrutantes, libenter operarias manus apponimus et studium efficax impartimur, ut viduatis ecclesiis, prout personarum, locorum et temporum qualitas exigit et ecclesiarum utilitas persuadet, nunc per simplicis provisionis officium, quandoque vero per ministorium translationis accommode pastores preficiantur idonei et ministri providi deputentur, quorum eedem ecclesie fulte presidiis et favoribus munite votivis et prosperis, auctore domino, proficiant incrementis. Dudum siquidem bone memorie Mapheo Archiepiscopo Iadrensi regimini ecclesie Iadrensis presidente, nos cupientes eidem, cum vacaret, per apostolice sedis providentiam utilem et idoneam presidere personam, provisionem ipsius ecclesie ordinationi et dispositioni nostre duximus ea vice specialiter reservandam, decernentes extunc irritum et inane, si secus super hiis per quoscunque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari. Postmodum vero prefata ecclesia per obitum dicti Maphei Archiepiscopi, qui extra Romanam Curiam debitum nature persolvit, pastoris regimine destituta,

nos vacatione huiusmodi fidedignis relatibus intellecta ad provisionem dicte ecclesie Iadrensis celerem et felicem, de qua nullus preter nos hac vice se intromittere potuit sive potest, reservatione et decreto obsistentibus supradictis, ne ecclesia ipsa Iadrensis diutine vacationis exponatur incommodis, paternis et sollicitis studiis intendentes, post deliberationem, quam de preficiendo eidem ecclesie Iadrensi personam utilem et etiam fructuosam cum fratribus nostris habuimus diligentem, demum ad te Episcopum nuper Auserensem, de cuius persona, postquam regimini et administrationi ecclesie Feltrensis, cui tunc preeras, in manibus nostris sponte et libere cesseras, prefate ecclesie Auserensi tunc certo modo vacanti apostolica auctoritate provideri, teque illi prefici concessimus in Episcopum et pastorem, considerata grandium virtutum donis, quibus personam tuam illarum largitor dominus insignivit, quodque tu prefatam ecclesiam Iadrensem scies et poteris, auctore domino, salubriter regere et feliciter gubernare, direximus oculos nostre mentis. Intendentes igitur tam ipsi ecclesie Iadrensi, quam eius gregi dominico salubriter providere, te a vinculo, quo ipsi ecclesie Auserensi, cui tunc litteris apostolicis super provisione et prefectione huiusmodi non confectis preeras, tenebaris, de eorumdem fratrum nostrorum consilio et apostolice potestatis plenitudine absolventes, ad ecclesiam Iadrensem auctoritate apostolica transferimus, teque illi preficimus in Archiepiscopum et pastorem, curam, regimen et administrationem ipsius ecclesie Iadrensis tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, liberamque tibi tribuendo licentiam ad ipsam ecclesiam Iadrensem transeundi, firma spe fiduciaque conceptis, quod dirigente dño actus tuos, prefata Iadrensis ecclesia per tuc circumspectionis industriam ac studium fructuosum regetur utiliter et salubriter dirigetur, ac grata in eisdem spiritualibus et temporalibus suscipiet incrementa. Quocirca fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenus ad prefatam ecclesiam Iadrensem cum gratia nostre benedictionis accedens, curam ct administrationem predictas sic exercere studeas sollicite, fideliter et prudenter, quod dicta ecclesia Iadrensis per tue circumspectionis industriam et studium fructuosum gubernatori provido et fructuoso administratori gaudeat se commissam, ac bone fame tue odor ex laudabilibus tuis actibus latius diffundatur, tuque preter eterne retributionis premium nostram et dicte sedis benedictionem et gratiam exinde uberius consequi merearis. Datum Rome apud S. Petrum Anno etc. M.CCCC.LXXXXV., XIIII. Kal. Ianuarii, Pontificatus nostri Anno Tertio.

Simili modo Venerabilibus fratribus universis Suffraganeis ecclesie Iadrensis, dilectis filiis Capitulo et Vassallis eiusdem ecclesie, necnon Clero et populo Civitatis et diocesis Iadrensis.

DCCXXV.

Eidem electo Iadrensi quidam fructus ecclesiae Auserensis et monasterii beatae Mariae de Caneto Polensis dioecesis adiudicantur. Reg. An. III. Bullar. Tom. 16. fol. 243.

ALEXANDER EPISCOPUS etc. Ad futuram rei memoriam. Decet Romanum pontificem super ecclesias ac beneficia ecclesiastica universa divina dispositione cum potestatis plenitudine constitutum sic diligentie studium convertere, ut de illis ita provisiones apostolicas obtinentibus proveniat commodum, quod aliis personis ecclesiasticis, presertim pontificali dignitate preditis non immineat detrimentum, ac propulsis litigiorum anfractibus quibuslibet, prout conspicit expedire, per sue declarationis ministerium utiliter valeat et salubriter provideri. Cum itaque hodie ecclesia Iadrensi per obitum bone memorie Mapbei Archiepiscopi Iadrensis extra Romanam Curiam defuncti pastoris solatio destituta, Venerabilem fratrem nostrum Iohannem nuper Episcopum Auserensem a vinculo, quo ecclesie Auserensi, cui de persona sui, postquam regimini et administrationi ecclesie Feltrensis cesserat, provideri concessum fuerat, litteris super huiusmodi concessione non confectis, tenebatur, de fratrum nostrorum consilio et apostolice potestatis plenitudine absolverimus, preficiendo dictum Iobannem ipsi Iadrensi ecclesie in Archiepiscopum et pastorem, prout in nostris desuper confectis litteris plenius continetur; et sicut accepimus, dictus Iobannes possessionem regiminis et administrationis ac bonorum ecclesie Feltrensis, ad quam alias de dicta ecclesia Auserensi eadem auctoritate translatus fuerat, assequi non potucrit: Nos prefatum Iobannem a quibuscumque excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et penis a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum presentium dumtaxat consequendum barum serie absolventes, et absolutum fore censentes, ut indemnitati ipsius Iohannis provideretur, omnes ct singulos fructus, redditus et proventus, qui ex mensa Episcopali Auserensi et monasterio beate Marie de Caneto ordinis s. Benedicti Polensi, ac nonnullis aliis beneficiis ecclesiasticis, que prefatus Iohannes tempore translationis de dicta ecclesia Auserensi ad ipsam ecclesiam Feltrensem in titulum vel commendam obtinebat, et de quibus

pro huiusmodi translatione vacantibus seu vacaturis felicis record. Innocentius papa VIII. predecessor noster disposuit, hactenus obvenerunt, eidem Iohanni ut antea integre deberi, et ad ipsum semper spectasse et pertinuisse, ac spectare et pertinere, et per eos, qui hactenus illos perceperunt, cuiuscumque status, gradus et conditionis existant, quorum nomina, cognomina et qualitates pro expressis haberi volumus, prefato Iohanni vel eius procuratori ad id ab eo legitime constituto sub suspensione a regimine et administratione in spiritualibus et temporalibus dicte ecclesie Auserensis quoad Electum seu Epum Auserensem, ac quoad obtinentes monasterium et alia beneficia ecclesiastica excommunicatione late sententie pro pena, quam contrafacientes eo ipso incurrant, cum omni integritato, quavis exceptione vel dilatione cessante, restitui debere, de corumdem fratrum consilio declaramus, ac super illis Electo seu Episcopo Auserensi et prefatis personis perpetuum silentium imponimus, Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque. Nulli ergo etc. nostre absolutionis, declarationis et impositionis infringere. Si quis etc. Datum Rome apud S. Petrum Anno etc. M.CCCC.XCIIII. XIIII. Kal. Ianuarii, Pontificatus nostri Anno tertio.

DCCXXVI.

Salvusconductus pro archiepiscopo Colocensi, ut Romam veniat. Reg. An. III. Bull. divers. Tom. 2. fol. 213.

ALEXANDER EPISCOPUS etc. Universi et singulis, ad quos nostre presentes littere pervenerint, salutem etc. Cum scripserimus per unum Breve Venerabili fratri nostro Petro Archiepiscopo Colocensi, ut postpositis omnibus negotiis suis, quam primum huc ad nos et sanctam sedem apostolicam venire Romam curet: Nos cupientes eundem Petrum Archiepiscopum cum comitiva, familiaribus, equis, salmis et bonis suis omnibus in eundo, stando et redeundo plena ubique securitate gandere, quapropter omnes et singulos Reges, Marchiones, Duces, Archiepiscopos, Episcopos, Abbates aliasque ecclesiasticas personas, Barones, Nobiles, Castellanos, Capitaneos, Belliductores, Officiales, Communitates, Universitates, Gabellatores, Tributarios, Theoloniatores pontinm passuumque custodes requirimus et hortamur in domino, subditis vero nostris et gentium armigerarum Capitaneis et conductoribus, ubicumque ad nostra et dicte ecclesie stipendia militantibus, districte precipiendo mandamus, quatenus eundem Petrum cum comitiva, familiaribus equestribus et pedestribus, equis, salmis, rebus et bonis predictis per nostra et vestra territoria, passus, portus, pontes et loca, et tam per aquam quam per terram absque solutione alicuius dacii, pedagii, passagii etc. ire, stare et redire pro nostra et apostolice sedis reverentia libere permittatis, nullamque sibi et familiaribus in personis, rebus et bonis eorum inferatis iniuriam et molestiam vel offensam, aut aliam noxiam novitatem, nec ab aliis, quantum in vobis fuerit, permittatis inferri: quinimo dictum Petrum recommandatnm habentes, sibi, comitive ac familiaribus huiusmodi, quotiens pro parte ipsorum fueritis requisiti, do sicuro transitu, scorta, salvoconductu et receptu sic libereliter providere curetis, quod vestra exindo devotio apud nos et sedem apostolicam possit non immerito commendari. Presesentibus ad beneplacitum nostrum duraturis. Datum Rome apud S. Petrum Anno Incarnationis dñice M.CCCC.XCV. tertio Kal. Augusti, Pontificatus nostri Anno Tertio.

DCCXXVII.

Dominico s. Nicolai inter imagines diacono cardinali castrum Ursarise ad ecclesiam Parentinam pertinens in commendam ad vitam conceditur. Reg. An. III. Bullar. Tom. 23. fol. 139.

ALEXANDER EPISCOPUS etc. Dilecto filio Dominico sancti Nicolai inter imagines diacono Cardinali, salutem etc. Dum exquisitam tue circumspectionis industriam diligenter attendimus, et paterna meditatione pensamus, quod tu Romanam ecclesiam, cuius honorabilo membrum existis, tuorum honoras plenius magnitudine meritorum, favorabiliter illa tibi concedimus, que pro incumbentibus oneribus facilius supportandis profutura conspicimus. Cum itaque Venerabilis frater noster Nicolaus Episcopus Tarvisinus, cui alias Castrum Ursarie Parentine diocesis, ad ecclesiam Parentinam legitime pertinens, cum eius territorio, districtu et iurisdictione tam in civilibus quam criminalibus per eum quoad vixerit tenendum, habendum et usufructuandum auctoritato apostolica concessum, reservatum et assignatum existat, reservationi, concessioni et assignationi huiusmodi hodie per dilectum filium Ludovicum Puteolanum, procuratorem suum ad hoc ab eo specialiter constitutum, in manibus nostris sponte et libere cesserit, nosque decretum in concessione, reservatione et assignatione predictis dicta auctoritate appositum, quod ipso Nicolao Epo cedente vel decedente, aut alias Castrum ipsum quomodolibet dimittente, illud ad eandem ecclesiam Parentinam revcrteretur eo ipso, suspendendo et in huiusmodi cessione locum non habere

decernendo cessionem huiusmodi duxerimus admittendam: Nos tibi, ut expensarum onera, que te iuxta Cardinalatus dignitatem iugiter de necessitate subire oportet, facilius perferre valeas, de alicuius subventionis auxilio providere, specialem gratiam facere volentes, necnon omnia et singula ecclesias, monasteria, ac beneficia ecclesiastica cum cura et sine cura, secularia et ordinum quorumcumque regularia, que ex quibusvis apostolicis dispensationibus in titulum vel commendam seu administrationem obtines et expectes, ac in quibus et ad que ius tibi quomodolibet competit, quecumque, quotcumque et qualiacumque sint, eorumque fructuum, reddituum et proventuum verum annuum valorem, et huiusmodi dispensationum tenores presentibus pro expressis habentes, Castrum predictum, cuius fructus, redditus et proventus ducentorum florenorum auri de Camera secundum communem extimationem valorem annuum, ut asseris, non excedunt, cum eius territorio, districtu et inrisdictione tam in civilibus quam in criminalibus predictis, ac omnibus iuribus et pertinentiis suis tibi per te, quoad vixeris, tenendum, habendum et usufructuandum auctoritate apostolica tenore presentium concedimus et assignamus, ita quod liceat tibi per te vel alium seu alios corporalem possessionem Castri, districtus, iurisdictionis, iuriumque et pertinentiarum predictorum propria auctoritate libere apprehendere, et quamdiu vixeris retinere, ac illius fructus, redditus et proventus in tuos usus et utilitatem convertere, diocesani et cuiusvis alterius licentia super hoc minime requisita, Non obstantibus premissis ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, aut dicte ecclesie Parentine iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, quod si contigerit te post obitum dicti Nicolai Episcopi, cui etiam hodie concessimus, quod te cedente vel decedente, aut alias dictum Castrum quomodolibet dimittente, liceret sibi ad ipsum Castrum liberum habere regressum, cedere vel decedere Castrum ipsum cum eius territorio, districtu et iurisdictione predictis ad dictam ecclesiam Parentinam revertatur eo ipso, et insuper extunc irritum decernimus et inane, si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari. Nulli ergo etc. nostre concessionis, assignationis et voluntatis infringere etc. Si quis etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno etc. M.CCCC.LXXXXV. Nonis Augusti, Pontificatus nostri Anno Tertio.

DCCXXVIII.

Iubilaeus ad promovendum bellum contra Turcas Hungaris et Polonis iam concessus incoratur, et ad Christi fideles Valachias extenditur. Reg. An. IX. Bull. divers. Tom. 4. fol. 55.

ALEXANDER EPISCOPUS etc. Ad futuram rei memoriam. Gradiente domino super aquas, Petrus humane conditionis oblitus sibi dari viam in fluctibus et poposcit et meruit, tantaque fuit confidentia mentis eius, ut crederet se posse per fidem, quod impossibile fiebat homini per naturam. Unde per constantiam sue fidei, qui pisces cupiebat in undis, piscator hominum in terris clavigerque Regni celestis ac gregis dominici custos a domino est constitutus, ut oves, que perierant, ad ovile perduceret, et a luporum vexationibus preservaret et tueretur, ac singulos sue cure commissos in vere fidei confessione a culpis abluceret, et potestate sibi tradita ad ianuam Regni celestis elevaret. Unde eiusdem beati Petri meritis licet imparibus successores, et domini nostri Ihesu Christi in terris Vicarius effecti, audito sepius et intellecto validissimo exercitu, quem perfidi Turchi Christiani nominis hostes adversus Christianos terra marique paraverant, ac mente revolventes, quot Regna, quot provincie, quot dominia et Principatus, ac Civitates, Ville et Oppida ac alia loca Christi fidelium, qui in sortem et hereditatem eiusdem domini nostri Ihesu Christi vocati fuerant, numero repleta, non solum predecessorum et antecessorum nostrorum, sed etiam nostris temporibus ab ipsis impiissimis et crudelissimis ac damnate secte Machometane defensoribus, et Christiane religionis inimicis Turchis capta et obsessa fuerunt; quodque ipsi post habitam victoriam, sicuti sibi a natura crudelitas innata est, ab huiusmodi crudelitate et sevitia abstinere nescientes, Regna, provincias, dominia, civitates et loca predicta et in illis consistentia dei templa prothdolor! everterunt, incendio concremarunt, virgines deflorarunt, et tam illas quam alias mulieres et viros cum eorum filiis et parvulis adhuc lactantibus secum abduxerunt, et in perpetuam servitutem constituerunt, ac quod dolenter referimus, quandoque eos ad abnegandam fidem Christianam tum pollicitationibus, quas tamen postmodum non observant, tum etiam diversis penarum generibus induxerunt et coegerunt, senesque tamquam inutiles, o crudelitas immensa! interfecerunt; iuvenes vero tamquam boves iugo aratri constituerunt, aliaque quamplurima insupportabilia tormentorum genera in ignominiam et dedecus ac vilipendium Christiane religionis, et dei excelsi contemptum inflixerunt et imposuerunt, et in dies excogitare non cessant, quomodo possint Christianum nomen subiugare; quodque

adeo illorum potentia et effrenata audacia crevit et in dies crescit, ut sancta mater ecclesia, que domina gentium a deo constituta fuerat, quodammodo ancilla eiusdem secte Machometane facta, et eiusdem ecclesie filii tamquam servi sub tributo constituti sint, et quod nisi dictorum Turchorum rabies et conatus reprimerentur, periculum non parvum imminebit, quin brevi tempore reliquum Christianitatis suo Imperio et subiectioni subiugarent. De eodem dño nostro Ihesu Christo exemplo eiusdem b. Petri confidentes, quod suos non deseret in tempore necessitatis, non cessavimus Christianos Reges et Principes sepius exhortari et requirere, ut pro reverentia ipsius domini nostri Ihesu Christi, cuius causa agitur, semotis quibusvis discordiis et emulationibus, pacem inter se componentes, ad subversionem et exterminationem prefatorum Turchorum et eorum Principis Machometi, qui eius oculis veneno plenis non cessat lustrare, qua parte venenum diffundat et Christianos offendat, insurgerent. Et anno nondum elapso ad obviandum furori dictorum Turchorum, qui magnum exercitum terra et mari adversus eosdem Christianos preparaverant, hac precipua de causa bone memorie Iohannem sancte Marie in Violata diaconum Cardinalem, tunc in humanis agentem, Legatum nostrum de latere ad dilectos filios Nobilem virum Augustinum Barbadico Ducem et dominium Venetorum destinavimus, qui nostro nomine eidem Duci et dominio per nos possibilia in tam pio et necessario opere expeditionis contra prefatos Turchos subsidia offerret: et quamvis Dux et dominium prefati in eodem tam necessario et celeritatem exigente opero etiam voluntarii, ac etiam nostris monitionibus et exhortationibus excitati, ingentem classem et exercitum adversus dictos Turchos preparassent et misissent, Carissimusque in Christo filius noster Ludovicus Francorum Rex Christianissimus, et dilectus filius noster Petrus sancti Adriani diaconus Cardinalis, qui Magistratum Hospitalis sancti Iohannis Ierosolimitani ex dispensatione apostolica obtinet, ac dilecti filii Conventus Rhodi Hospitalis eiusdem, etiam ipsis nostris exhortationibus excitati, magnam navium copiam cum armatorum multitudine in subsidium Ducis et dominii predictorum et ipsius Christiane fidei misissent: tamen, forsan domino propter Christi fidelium delicta, et nt singuli Principes et Christi fideles quodammodo a somno excitati, et ad sancta dei opera intenti vehementius adversus dictos Turchos insurgant, permittente, dicti Turchi multitudine prevalentes magnam partem classis Christianorum devastarunt, et ex huiusmodi victoria in superbiam et elationem adducti, et cognoscentes etiam Christi fidelium debilitatem et impotentiam, in suaque potentia et ferocitate confidentes, ad Neopactensem primo et deinde Motonensem Civitates munitissimas se contulerunt, et illas et alia loca illis vicina vi et armis occuparunt, ac alia quamplurima mala et damna partibus illis intulerunt, et in dies magis atque magis inferre non cessant. Nos vero desiderantes, quantum cum deo possumus, huic morbo tantum invalescenti et virus suum dilatanti et diffundenti congruum antidotum necessariamque medicinam exhiberi, et ipsius beati Petri exemplo de eodem domino nostro Ihesu Christo, quem indubium tenentes, quod non solum ceteros suos fideles a dictorum Turchorum oppressionibus tueretur, sed etiam eis de ipsis immanissimis Turchis victorie triumphum preberet, ut ab ipsis occupata loca recuperarentur, cum, adiuvante domino, possit unus mille ex eis fugare, non cessamus apud Carissimos in Christo filios nostros Vladislaum Hungarie et Iohannem Albertum Polonie Reges Illustres nostris exhortationibns instare, et in nostram sententiam inducere, ut ipsi tamquam validissima fidei Christiane, et hoc tempore tanto imminenti periculo opportuna propugnacula expeditionem contra prefatos Turchos, qui validissimum exercitum terra et mari, et in diversis locis adversus ipsos Christianos prepararunt, susciperent: Nosque eosdem Hungarie et Polonie Reges tam aptos, quam etiam pro devotione et sinceritate, quam semper erga sanctam sedem apostolicam gesserunt et gerunt, voluntarios invenimus, ordinavimusque iuxta possibilitatem nostram Regibus pro premissa expeditione subsidium preberi, et etiam prebebimus, ac ab aliis preberi faciemus pro nostris viribus iuxta temporis ac rei qualitatem et necessitatem. Verum cupientes etiam providere, ut Christi fideles incole et habitatores in partibus et provincia Vallachie commorantes, seu quomodolibet habitantes, huic expeditioni una cum prefatis Regibus et earum exercitibus vehementius contra dictos Turchos et eorum sevitiam et rabiem exardescant et insurgant, quo maioribus muneribus et gratiis pro consequendis premiis felicitatis eterne cognoverint se communitos, de omnipotentis dei misericordia, qui omnes ipsum in eorum necessitatibus invocantes sublevat, et eiusdem Petri ac beati Pauli etiam Apostoli eius auctoritate confisi, omnibus et singulis Christi fidelibus vero penitentibus et confessis partium et provincie Vallachie predictarum, et in eisdem partibus et provincia Vallachio habitantibus, et aliis quibuscumque, qui in expeditione huiusmodi contra Turchos prefatos interfuerint, seu castris per dictos Valachos ordinandis et destinandis aliquod opus ad huiusmodi expeditionem necessarium vel opportunum fecerint, aut victualia et alia necessaria pro substentatione pugnantium in dictis

castris, aut inibi pro opere expeditionis huiusmodi quomodolibet commorantium detulerint, et premissa seu aliquod eorum durante huiusmodi expeditione fecerint, plenissimam omnium peccatorum suorum, de quibus corde contriti et ore confessi fuerint, veniam et remissionem, etiam huius sacri anni Iubilei centesimi, et que proficiscentibus in subsidium terre sancte concedi consuevit et concessa est, ac ipsum Iubileum per presentes elargimur. Ac volumus et apostolica auctoritate decernimus et concedimus, ut tam predicti, quam qui commode ad huiusmodi expeditionem accedere non valentes, seu etiam non volentes, etiam utriusque sexus Christi fideles, tam layci quam ecclesiastici etiam religiosi, dictarum tamen partium et provincie Vallachie, alium vel alios suis expensis secundum suas facultates transmiserint vice sua ad pugnandum, seu alias huiusmodi expeditionem iuxta necessitatem et opportunitatem adiuvaverint, per annum, seu ad minus per sex menses in dictis castris militaverint, aut aliquod ex dictis operibus peregerint, seu pecuniam propterea necessariam in locis deputandis ad hoc erogaverint, tam mittentes, etiam si duo, tres, seu si eorum facultates non sufficerent, etiam decem unum solum miserint, quam missi huiusmodi indulgentie et remissionis participes existant: quodque si post iter arreptum in via seu etiam in castris infra annum seu sex menses predictos decesserint, nichilominus huiusmodi plenissimam indulgentiam et remissionem ac Iubileum consequantur: ac quod omnes et singuli, tam seculares quam ecclesiastici etiam religiosi, et in quibuscumque ordinibus etiam presbiteratus constituti absque alterius irregularitatis incursu in subsidium huiusmodi tam sancte et pernecessarie expeditionis, et pro ipsius fidei Catholice defensione interesse possint. Et quia forsan incole et habitatores partium et provincie Vallachie predictarum ad Urbem pro huiusmodi Iubileo anno presenti, per nos etiam iuxta morem et consuetudinem predecessorum nostrorum Romanorum Pontificum visitantibus basilicas, et ecclesias alme Urbis et extra eam ad hoc deputatas concesso, personaliter accedere commode non poterunt, volentes eorum commoditatibus et animarum saluti, ac ut dicte expeditioni libentius vacare possint, providere, omnibus et singulis utriusque sexus, tam secularibus quam ecclesiasticis etiam religiosis partium et provincie Vallachie huiusmodi, qui quartam partem de bonis et facultatibus suis eius, quod in veniendo ad Urbem predictam pro huiusmodi Iubileo consequendo, et huiusmodi per quindecim dies iuxta tenorem litterarum apostolicarum desuper confectarum permanendo, ac in redeundo ad eorum domos iuxta ipsorum conditiones verisimiliter exponerent, eidem expeditioni miserint, eadem auctoritate etiam presentium tenore Iubileum et plenariam omnium peccatorum suorum remissionem elargimur, perinde ac si basilicas et ecclesias predictas statuto tempore personaliter visitarent. Et ut Christi fideles incole et habitatores huiusmodi plenissime indulgentie capaces efficiantur, ipsis et eorum cuilibet, ut confessorem ydoneum secularem vel religiosum eligere possint, qui eorum confessionibus diligenter auditis eos et eorum quemlibet ab omnibus et singulis eorum peccatis, criminibns et delictis quantumcumque gravibus et enormibus, et ex quavis causa speciliter et generaliter nobis et dicte sedi reservatis, etiam in litteris, que in die Cene domini publicari consueverunt contentis, et etiam talibus, de quibus presentibus specialem oporteret facere mentionem, conspirationis in personam vel statum Romani Pontificis seu sedem predictam, falsitatis litterarum, snpplicationnm et commissionum apostolicarum, delationis armorum et aliorum prohibitorum ad partes infidelium, iniectionis manuum violentarum in Episcopos vel alios Prelatos superiores casibus dumtaxat exceptis, ad effectum ipsam plenissimam indulgentiam consequendi in foro conscientie absolvere, et eis penitentiam salutarem iniungere possit, auctoritate prefata de specialis dono gratie indulgemus. Et quoniam magna est vis orationis, que pie et iugiter ad deum funditur, in tantum ut orante Moyse populns Israeliticus victoriam de inimicis reportaret, cessante vero oratione inimici superiores fierent: omnibus et singulis Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, Prioribus, Prepositis et aliis ecclesiarum ac Monasteriorum Prelatis, Conventibus et Capitulis in virtute sancte obedientie mandamus, quatenus cantata in eorum ecclesiis missa solemni spiritus sancti, et convocato populo has nostras litteras publicent, et in circuitu ecclesiarum processiones faciant solemnes, ac clerum et populum partium et provincie Vallachie predictarum moneant et requirant, ut per misericordiam dei, quam sperant se snscepturos, orationibus instent quantum possunt, ut dñus noster Ihesus Christus populo suo periclitanti subveniat, et eum a faucibus draconis satagentis eum devorare eripiat. Nos enim omnibus Christi fidelibus, incolis et habitatoribus, qui predictis piis operibns institerint, in omnibus eorum operibus et artibus in domino benedicimus, Non obstantibus quibuscnmque suspensionibus indulgentiarum, otiam plenariarum et Iubilei per nos quomodolibet etiam in subsidium terre sancte presenti anno Iubilei durante tunc concessarum et concedendarum factis, quas illorumque tenores, etiam si de verbo ad verbum exprimi deberent, pro expressis habentes, nulli predictorum,

quominus remissionis, venie et Iubilei predictorum participes fiant, volumus aliquatenus impedimentum afferre posse, ceterisque contrariis quibuscumque. Et ut oblationes et suffragia, que per ipsos fideles, incolas et habitatores ad effectum premisse expeditionis mittentur, bene et diligenter ac fideliter conserventur, et ad alios quam premissos usus non convertantur, volumus, quod Venerabilis frater noster Gaspar Episcopus Calliensis, ad Reges prefatos ac provinciam et partes Vallachie huiusmodi Nuntius et Commissarius per nos destinatus, per se vel alium seu alios debite curet providere, quo oblationes et suffragia predicta sine ulla prorsus fraude, pront melius expedire cognoverit, ad huiusmodi effectum recipi, conservari et exponi possint, super quo sibi plenam et omnimodam harum serie concedimus facultatem, conscientiam suam etiam super hoc plurimum onerantes. Ceterum quia difficile foret presentes litteras ad singula loca, ubi necesse fuerit, deferre, volumus et eadem apostolica auctoritate decernimus, quod transumpto presentium sigillo prefati Episcopi vel alicuius alterius Prelati ecclesiastici munito, et manu notarii publici subscripto eadem prorsus indubia fides adhibeatur, que eisdem presentibus adhiberetur, si essent exhibite vel ostense. Nulli ergo etc. nostre elargitionis, constitutionis, concessionis, indulti, mandati, benedictionis, voluntatis et decreti infringere etc. Si quis autem etc. Datum Rome apud S. Petrum Anno etc. Millesimo quingentesimo, VI. Kal. Octobris, Pontificatus nostri Anno Nono.

DCCXXIX.

Executoribus, ut Georgio de Baronellis clerico Nonensi quasdam beneficia ecclesiastica, quae Nicolaus electus Scardonensis promotionis suae tempore obtinebat, conferenda curent. Reg. Aa. X. Bull. Tom. 86. fol. 69.

ALEXANDER EPISCOPUS etc. Venerabili fratri Episcopo Lucano, et dilectis filiis Custodi ecclesie Thininensis ac Vicario Venerabilis fratris nostri Episcopi Scardonensis in spiritualibus generali, sal. etc. Grata familiaritatis obsequia, que dilectus filius Georgius de Baronellis clericus Nonensis, familiaris noster, nobis hactenus impendit et adhuc solicitis studiis impendere non desistit, necnon nobilitas generis, vite ac morum honestas, aliaque laudabilia probitatis et virtutum merita, quibus personam suam tam familiari experientia, quam etiam fidedignorum testimoniis iuvari percepimus, nos inducunt, ut sibi reddamur ad gratiam liberales. Cum itaque Canonicatus et prebenda ecclesie Scardonensis, et Archipresbiteratus ruralis loci de Bibretio Scardonensis diocesis, qui de iure patronatus laicorum existunt, et quos dilectus filius Nicolaus Electus Scardonensis tempore promotionis per nos hodie facte de persona sua ad dictam ecclesiam, tunc cert omodo pastore carentem, obtinebat, prout obtinet, ex eo quod nos Canonicatum et prebendam ac Archipresbiteratum predictos per promotionem huiusmodi dumtaxat harum serie vacare decrevimus, vacarint et vacent ad presens: Nos iuri patronatus huiusmodi hac vice dumtaxat harum serie expresse derogantes, ac eidem Georgio, qui etiam parafrenarius et continuus commensalis noster existit, ac ut accepimus, de nobili genere ex utroque parente procreatus existit, premissorum obsequiorum et meritorum suorum intnitu specialem gratiam facere volentes, ipsumque Georgium a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et penis a iure vel ab homine quavis ratione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum presentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes et absolutum fore censentes, motu proprio, non ad ipsius Georgii vel alterius pro eo nobis super hoc oblate petitionis instantiam, sed de nostra mera liberalitate discretioni vestre per ap. scripta mandamus, quatenus vos vel duo aut unus vestrum per vos vel alium seu alios Canonicatum et prebendam, quorum duodecim, ac qui sine area est et cuius etiam duodecim ducat. aurei de Camera fructus, redditus et proventus secundum communem extimationem valorem annuum, ut etiam accepimus, non exceduut, Archipresbiteratum predictos, sive ut premittitur, sive alio qnovis modo, aut ex alterius cuiuscumque persona, sen per liberam resiguationem dicti Nicolai, aut cuiusvis alterius de illis in Romana Curia vel extra eam, etiam coram notario publico et testibus sponte factam vacent, etiam si tanto tempore vacaverint, quod eorum collatio iuxta Lateranensis statuta concilii ad sedem apostolicam legitime devoluta, ipsique Canonicatus et prebenda ac Archipresbiteratus dispositioni apostolice specialiter reservati existant, et super eis inter aliquos lis, cuius statum presentibus haberi volumus pro expresso, pendeat indecisa, dummodo tempore date presentium non sit in eis alicui specialiter ius quesitum, cum plenitudine iuris canonici ac omnibus iuribus et pertinentiis suis eidem Georgio auctoritate nostra conferre et assignare curetis, inducentes eum vel procuratorem suum eius nomine in corporalem possessionem Canonicatus et prebende ac Archipresbiteratus, iuriumque et pertinentiarum predictorum, et defendentem inductum, amotis quibuslibet illicitis detentoribus ab eisdem, ac facientes Georgium vel pro eo procuratorem predictum ad prebendam in dicta ecclesia

in Canonicum recipi et in fratrem, stallo sibi in choro et loco in Capitulo ipsius ecclesie cum dicti iuris plenitudine assignato, et ad Archipresbiteratum huiusmodi, ut est moris, admitti, sibique de illius ac Canonicatus et prebende predictorum fructibus, redditibus, proventibus, iuribus et obventionibus universis integre responderi faciatis, Contradictores etc. Non obstantibus fel. rec. Bonifaci pape VIII. etc. Datum Rome apud S. Petrum Anno etc. MDII. VI. Idus Aprilis, Pont. nostri Anno Decimo.

DCCXXX.

Bernardus Zana ecclesie Spalatensi preficitur in archiepiscopum. Reg. An. XI. Bullar. Tom. 92. fol. 210.

ALEXANDER EPISCOPUS etc. Dilecto filio Bernardo Zane Electo Spalatensi, salutem etc. Apostolatus officium, meritis quamquam insufficientibus nobis ex alto commissum, quo ecclesiarum omnium regimini divina dispositione presidemus, utiliter exequi, coadiuvante domino, cupientes, solliciti corde reddimur et solertes, ut cum de ipsarum ecclesiarum presertim Metropolitanarum insignium regiminibus agitur committendis, tales eis in pastores preficere studeamus, qui populum sue cure commissum sciant non solum doctrina verbi, sed etiam exemplo boni operis informare, commissasque sibi ecclesias in statu prospero et tranquillo velint et valeant, duce domino, salubriter regere et feliciter gubernare. Dudum siquidem bone memorie Bartholomeo Archiepiscopo Spalatensi regimini ecclesie Spalatensis presidente, nos cupientes eidem ecclesie, cum vacaret, per apostolice sedis providentiam utilem et ydoneum presidere personam, provisionem eiusdem ecclesie ordinationi et dispositioni nostre duximus ea vice specialiter reservandam, decernentes ex tunc irritum et inane, si secus super hiis per quoscumque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari. Postmodum vero ecclesia ipsa per obitum eiusdem Bartholomei, qui extra Romanam curiam debitum nature persolvit, pastoris regimine destituta, Nos vacatione huiusmodi fidedignis relatibus intellecta ad provisionem ipsius ecclesie celerem et felicem, de qua nullus preter nos hac vice se intromittere potuit sive potest, reservatione et decreto obsistentibus supradictis, ne ecclesia ipsa longe vacationis exponatur incommodis, paternis et solicitis studiis intendentes, post deliberationem, quam de preficiendo eidem ecclesie personam utilem et etiam fructuosam cum fratribus nostris habuimus diligentem, demum ad te Canonicum Tervisinum, Notarium nostrum, litterarum scientia preditum, vite munditia ac morum honestate decorum, in spiritualibus providum et temporalibus circumspectum, aliisque multiplicium donis multipliciter insignitum, quem a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et penis a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existis, ad effectum presentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes et absolutum fore censentes, direximus oculos nostre mentis: quibus omnibus debita meditatione pensatis, de persona tua, nobis et eisdem fratribus ob dictorum exigentiam meritorum accepta, eidem ecclesie Spalatensi, sive premisso sive alio quovis modo, aut ex alterius cuiuscumque persona vacet, etiam si tanto tempore vacaverit, quod eius provisio iuxta Lateranensis statuta concilii aut alias canonicas sanctiones ad sedem apostolicam legitime devoluta existat, illiusque provisio ex quavis causa ad sedem eandem specialiter vel generaliter pertineat, et super eisdem regimine et administratione in dicta curia vel extra eam inter aliquos lis, cuius statum presentibus habere volumus pro expresso, pendeat indecisa, de fratrum eorumdem consilio auctoritate apostolica providemus, teque illi preficimus in Archiepiscopum et pastorem, curam et administrationem ipsius ecclesie Spalatensis tibi in eisdem spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, firma spe fiduciaque conceptis, quod, dirigente domino actus tuos, profata ecclesia per tue circumspectionis industriam et studium fructuosum regetur utiliter, et prospere dirigetur, ac grata in eisdem spiritualibus et temporalibus suscipiat incrementa. Quocirca discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus impositum tibi a domino onus regiminis et administrationis dicte ecclesie Spalatensis suscipiens reverenter, curam et administrationem predictas sic exercere studeas solicite, fideliter et prudenter, quod ecclesia ipsa Spalatensis gubernatori provido et fructuoso administratori gaudeat se commissam, tuque preter eterne retributionis premium nostram et dicte sedis benedictionem et gratiam exinde uberius consequi merearis: necnon Venerabilibus fratribus nostris universis dicte ecclesie Spalatensis Suffraganeis, ac dilectis filiis Capitulo Spalatensi, necnon Clero et populo Civitatis et diocesis Spalatensis, ac Vassallis dicte ecclesie Spalatensis, ut Suffraganei videlicet tibi tamquam membra capiti obsequentes exhibeant tibi obedientiam et reverentiam debitas et devotas, ita quod mutua inter te et ipsos gratia gratos sortiatur effectus, nosque devotionem eorum possumus propter hoc condignis laudibus in domino commendare; Capitulum vero, Clerus et populus, ac Vassalli predicti te tamquam

patrem et pastorem animarum earumdem devote suscipientes, et exhibentes tibi obedientiam et reverentiam debitas et devotas, tua salubria monita ac mandata suscipiant humiliter et studeant efficaciter adimplere; ipsique Vassalli consueta servitia et iura tibi ab eis debita integre exhibere procurent, sic quod tu in eisdem Capitulo, Clero, Populo et Vassallis devotos filios, et ipsi in te patrem benivolum invenisse gaudeant: alioquin sententiam sive penam, quam rito tuleris in rebelles, ratam habebimus et faciemus, auctore domino, usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Et insuper, ut statum tuum iuxta pontificalis exigentiam dignitatis decentius tenere valeas, motu proprio, non ad tuam vel alterius pro te nobis super hoc oblate petitionis instantiam, sed de nostra mera liberalitate tecum, qui, ut accepimus, Canonicatum et prebendam ecclesie Tervisine inter alia obtines, cuique alias una ducentorum primo, et successive alia quadringentorum florenorum auri de Camera pensiones annue super fructibus, redditibus et proventibus mense Episcopalis Brixiensis auctoritate apostolica reservate, constitute et assignate fuerunt, ac deceretum extitit, quod quando tibi prefata apostolica vel ordinaria auctoritate de beneficiis ecclesiasticis cum cura vel sine cura, secularibus vel quorumvis ordinum regularibus, cuiuscumque conditionis forent, in titulum vel commendam canonice provideretur, seu pensiones annue reservarentur, tuque illa pacifice assecutus fores, pensiones huiusmodi super fructibus, redditibus et proventibus mense Episcopalis predicte reservate pro rata valoris beneficiorum, que sic assequereris, deductis illorum oneribus, defalcarentur et diminuerentur, donec crescente summa et valore dictorum beneficiorum, oneribus illorum deductis, ipse pensiones ducentorum et quadringentorum ducatorum super fructus dicte mense reservate totaliter extincte forent, et nunc pensionem annuam ad tricentos et octuaginta florenos similes reductam super fructibus, redditibus et proventibus mense Episcopalis Brixiensis percipis, quam propterea diminui voluimus, ut etiam postquam munus consecrationis susceperis, et in vim provisionis et prefectionis predictarum pacificam possessionem, vel quasi regiminis et administrationis ac bonorum diete ecclesie Spalatensis, seu maioris partis eorumdem fueris assecutus, etiam una cum predicta Spalatensi vel quacumque alia Metropolitana vel Cathedrali ecclesia, ad quam te forsan transferri contigerit, quaudiu illi prefueris, Canonicatum et prebendam, ac omnia alia et singula beneficia ecclesiastica eum cura et sine cura, que in quibusvis ecclesiis sive locis ecclesiasticis etiam ex quibusvis concessionibus et dispensationibus apostolicis obtinca, ac in quibus et ad que ius tibi quomodolibet competere, quecumque, quotcumque et qualiacumque sint, etiam si ad Canonicatus et prebende, dignitates, personatus, administrationes vel officia huiusmodi consueverint qui per electionem assumi, eisque cura immineat animarum, quorum omnium invocationes, situationes, qualitates, loca, vocabula Civitatum et diocesum presentibus pro expressis habemus, etiam ut prius retinere et predictam tricentorum et octuaginta florenorum absque aliqua reductione, necnon quascumque alias pensiones annuas tibi super quibusvis fructibus, redditibus et proventibus ecclesiasticis assignatas, quas etiam percipis, et quoscumque annuos fructus, redditus et proventus tibi loco pensionis annue seu alias auctoritate apostolica reservatos, concessos et assignatos, que quidem alie pensiones et Canonicatus et prebende obtentorum, necnon aliorum non expressorum beneficiorum predictorum omnium, ac etiam tibi, ut prefertur, reservati, concessi et assignati fructus, redditus et proventus insimul mille ducatorum auri de Camera secundum communem extimationem valorem annuum, ut etiam accepimus, non excedunt, ut antea percipere, levare et recolligere libere et licite valeas, decreto litterisque desuper expeditis, quorum omnium tenorem hic pro sufficienter, ac si de verbo ad verbum expressus esset, volumus habere pro expresso, premissis ac generalis concilii et quibusvis aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non Tervisine et aliarum ecclesiarum predictarum, in quibus alia beneficia forsan existunt, iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, ceterisque contrariis nequaquam obstantibus, auctoritate apostolica predicta tenore presentium de specialis dono gratie dispensamus, decernentes proptcrea Canonicatum et prebendam ac alia beneficia non vacare, et predictam trecentorum et octuaginta florenorum et alias pensiones non expirare, nec extinctas fore, ac reservationem et concessionem fructuum, redditumm et proventuum huiusmodi non cessare, sed etiam ipsam pensionem triceutorum et octuaginta florenorum huiusmodi in suis robore et efficacia, quoad vixeris, permanere in omnibus et per omnia perinde ac si in litteris apostolicis super illa confectis conditio illa minime apposita fuisset, tuque ad ecclesiam Spalatensem predictam minime promotus esses: irritum quoque et inane decernimus, si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari, proviso quod Canonicatus et prebenda et alia beneficia predicta debitis propterea non fraudentur obsequiis, et animarum cura in eis, quibus illa immineat,

nullatenus negligatur, sed eorum congrue supportentur onera consueta. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis dñice MDII. quintodecimo Kal. Martii, Pontificatus nostri Anno Undecimo.

EPISTOLAE IULII PP. II.

DCCXXXI.

Regi Hungarie, ut eum Sidoniensem hereseos suspectum a Bohemis arceri et capi faciat. Reg. An. I. Brev. Tom I. fol. 90.

Carissimo in Christo filio nostro Wladislao Hungarie et Bohemie Regi Illustri.

IULIUS PP. II. Carissime in Christo fili noster, salutem etc. Relatum nuper nobis fuit quendam Ph. Sidoniensem in episcopali ordine constitutum, sed conscientie sue prodigum, ad Bohemiam pergere, ut Bohemos hereticos ordinet. Quod, si fieret, pias nostras et tuas cogitationes regnicolas illos ad puritatem Catholice fidei reducendi turbaret. Quare tam perverse temeritati occurrendum putantes, Serenitatem tuam hortamur in domino et paterne requirimus, ut omnes aditus in Bohemiam diligenter facias observari, ne idem Episcopus penetrare in illam possit; sed capiatur atque retineatur, donec aliud super hoc scripserimus: qua ex re a deo premium et a nobis sanctaque hac apostolica sede laudem reportabis. Datum Rome apud S. Petrum etc. die XII. Iunii MDIII. Pontificatus nostri Anno Primo.

DCCXXXII.

Archiepiscopo Ragusino aliisque collegse de obsidenda arce Forliviensi. Reg. An. I. Brev. Tom. I. fol. 97.

Venerabili fratri Iohanni Archiepiscopo Ragusino provincie nostre Romandiole Gubernatori, et dilecto filio Petro Paulo de Callio Equiti Hierosolimitano Commissario nostro.

IULIUS PP. II. Venerabilis frater et dilecte fili, salutem etc. Potuit iam pervenisse ad vos dilectus filius Bernardinus de Tuderto, Cancellarius Custodie palatii nostri, cum pecuniis necessariis ad conducendum mille pedites pro obsidione Arcis Forliviensis, in quibus conducendis, ut superioribus proximis diebus ad vos scripsimus, bonum dilectum habere curabitis, ut utiles et idonei bello sint, et fidam atque necessariam operam possint navare. Dux Urbini, ut nobis significavit, circiter XXIIII. huius mensis diem istuc cum suis copiis veniet. Mittetur etiam, ut speramus, a dilecto filio nobili viro Gundisalvo Fernando Regis et Regine Catholicorum Capitaneo generali ad Castellanum Forlivii nuntius, qui sub pena amissionis omnium bonorum, que in Hispania possidet, ei mandet, ut Arcem ipsam nobis sine ulteriori mora restituat. Quibus omnibus ex rebus speramus dicta Arce cito et sine multa difficultate potiri posse. De salario tuo, Venerabilis frater Archiepiscope, tibi per Thesaurarium Cesenatem, ut equum est et mereris, mandabimus satisfieri. De Porta Solavonie, si ad diem prestitutam reddita fuerit, curabis nos reddere certiores. Datum Rome apud S. Petrum etc. die XVIIII. Iunii MDIII. Pontificatus nostri Anno Primo.

DCCXXXIII.

Ragusinis, ut Antonium Marchionem Cotromatem a Turcis captum redimendum curent. Reg. An. II. Brev. Tom. I. fol. 241.

Dilectis filiis Rectori et Consilio Civitatis Ragusii.

IULIUS PP. II. Dilecti filii, salutem etc. Superioribus proximis diebus per alias nostras litteras vobis significabimus non recte existimare, nec vere sentire illos, qui dicerent dilectum filium Iohannem de Bona, civem vestrum, mercedem accepisse pro redemptione dilecti filii nobilis viri Marchionis Cotromatis ab infidelibus Turcis detenti. Ipse quidem Iohannes recusabat ullam deinceps curam suscipere velle redemptionis Marchionis predicti propter calumpnias, quas erat perpessus: Nos tamen astrinximus eum, ut favore nostro intelligere vellet, quid fieri posset pro faciliori dicti Marchionis redemptione. Pretium quidem, quod Turci dicuntur petere, nimis magnum est, cuius ne dimidiam quidem partem Marchio persolvere posset utpote omnibus urbibus, rebus et facultatibus suis iam pridem exutus: posset aliqua elemosina vita hominis iam fere etate confecti et parum victuri redimi, et quicquid Turci haberent lucra

adscribere possent, nisi forsan pro cadavere eius pretium petere velint. Itaque devotionem vestram exhortamur in domino et quanta possumus affectu requirimus, ut omnes oportunos favores eidem Iohanni prebere velitis inquirendo et perscrutando, quanam ratione Marchio ipse utilius redimi posset. Quod si feceritis, ut speramus, invenietis nos in vestris desideriis piis benignos et liberales. Datum Rome etc. die II. Ianuarii MDV. Pontificatus nostri Anno Secundo.

DCCXXXIV.

Episcopo Farensi, ut delinquentes in provincia Patrimonii B. Petri sibi commissa sine conscientiae scrupulo puniat. Reg. An. II. Brev. Tom. 1. fol. 254.

Venerabili fratri Bernardo Episcopo Pharensi provincie nostre Patrimonii Gubernatori.

IULIUS PP. II. Venerabilis frater, salutem etc. Cum neque urbes ulle sine iustitia gubernari et conservari possint, iustitiaque ipsa nequeat rite administrari, nisi sontes debitis penis afficiantur: Nos fraternitatem tuam alacriorem in administratione iustitie reddore cupientes, eidem tue fraternitati, quod absque ullo conscientie onere, aut irregularitatis alicuius incursu quecumque ad officium Gubernatoris et presidis pertinent, licite administrari et exequi, sontesque compescere et punire possis et valeas, tenore presentium auctoritate apostolica indulgemus, tecumque dispensamus, Constitutionibus et ordinationibus etc. Datum Rome etc. die ultima Ianuarii MDV. Pontificatus nostri Anno Secundo.

DCCXXXV.

Episcopo Polensi, locumtenenti Bononiae, ut B. Zambechario opportune faveat. Reg. An. II. Brev Tom. 2. fol. 204.

Venerabili fratri Episcopo Polensi Locumtenenti Civitatis nostre Bononie.

IULIUS PP. II. Venerabilis frater, salutem etc. Obtinuit dilectus filius Bartholomeus Zambecharius civis Bononiensis, familiaris noster, quoddam particulare interdictum ob non paritionem rei iudicate, prout ex litteris presentibus alligatis videbis. Quocirca volumus et fraternitati tue expresso mandamus, ut interdictum ipsum intimare et publicari facias, iusticieque dicti Bartholomei familiaris, ne per immoderatos opprimatur timores, opportune faveas et assistas. Datum Rome etc. die XIII. Martii MDV. Pont. nostri Anno Secundo.

DCCXXXVI.

Executoribus, ut Iuliano episcopo Brictinoriensi monasterium s. Michaelis de Pachlina Ragusinae dioecesis in commendam conferendum curent. Reg. An. II. Bull. Tom. 12. fol. 180.

IULIUS EPISCOPUS etc. Venerabilibus fratribus Cesenatensi et Urbinatensi Episcopis, ac dilecto filio Mario de Maffeis Canonico basilice principis Apostolorum de Urbe, salutem etc. Romani pontificis providentia circumspecta ecclesiis et monasteriis singulis, que vacationis incomoda deplorare noscuntur, ut utilium gubernatorum fulciantur presidio, prospicit diligenter, ac personis ecclesiasticis, presertim pontificali dignitate preditis, ut in suis oportunitatibus aliquod suscipiant relevamen, prout decens est et congruum, de subventionis auxilio providet oportuno. Cum itaque monasterium sancti Michaelis de Pachlina in insula Gimpane ordinis s. Benedicti Ragusine diocesis, quod de iure patronatus laicorum etiam nobilium existit, et quod bone memorie Iohannes Archiepiscopus Ragusinus ex concessione et dispensatione apostolica in commendam, dum viveret, obtinebat, commenda huiusmodi per obitum eiusdem Iohannis Archiepiscopi, qui in Romana Curia debitum nature persolvit, cessante, adhuc eo, quo ante commendam eandem vacabat, modo vacare noscatur: Nos tam dicto monasterio de gubernatore utili et ydoneo, per quem circumspecte regi et salubriter dirigi valeat, quam Venerabili fratri nostro Iuliano Episcopo Brittonoriensi, ut statum suum iuxta pontificalis exigentiam dignitatis decentius tenere valeat, de alicuius subventionis auxilio providere volentes, ipsumque Iulianum Episcopum a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis seutentiis, censuris et penis a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum presentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes et absolutum fore censentes, necnon verum et ultimum dicti monasterii vacationis modum preseutibus pro expressis habentes, ac iuri patronatus huiusmodi hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogantes, motu proprio, non ad ipsius Iuliani Epi vel alicuius alterius nobis super hoc oblate petitionis instantiam, sed de nostra mera liberalitate discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus vos vel duo aut unus vestrum per vos vel alium seu alios monasterium predictum, cuius fructus, redditus et proventus centum quinquaginta ducatorum auri

de Camera secundum communem extimationem valorem annuum, ut accepimus, non excedunt, quovis modo et ex cuiuscumque persona vacet, etiam si eius provisio ex quavis causa ad sedem apostolicam specialiter pertineat, dummodo tempore date presentium ei de Abbate provisum, aut illud alteri commendatum canonice non existat, cum omnibus iuribus et pertinentiis suis eidem Iuliano Episcopo per eum, quoad vixerit, etiam una cum ecclesia Brittonoriensi, cui preest, aut alia, ad quam ipsum forsan transferri contigerit, et quibusvis aliis beneficiis ecclesiasticis, cum cura et sine cura, secularibus et quorumvis ordinum regularibus, que in titulum et commendam obtinet et imposterum obtinebit, ac pensionibus annuis, quas percipit et percipiet in futurum, tenendum, regendum et gubernandum, ita quod liceat sibi, debitis et consuetis ipsius monasterii et dilectorum filiorum Conventus eiusdem supportatis oneribus, de residuis illius fructibus, redditibus et proventibus disponere et ordinare, sicuti veri ipsius monasterii Abbates, qui pro tempore fuerunt, do illis disponere et ordinare potuerunt seu etiam debuerunt, alienatione tamen quorumcumque bonorum immobilium et pretiosorum mobilium dicti monasterii sibi penitus interdicta, auctoritate nostra commendare curotis, curam, regimen et administrationem ipsius monasterii sibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, ac faciendo ei a Conventu prefatis obedientiam et reverentiam congruentes, necnon a dilectis filiis Vaxallis et aliis subditis ipsius monasterii consueta servitia et iura sibi ab eis debita integre exhiberi. Contradictores etc. Datum Rome apud S. Petrum Anno Incarnationis dominice MDV. quarto Kal. Aprilis, Pontificatus nostri Anno Secundo.

DCCXXXVII.

Iulianus episcopus Brictinoriensis ad ecclesiam Ragusinam transfertur. Reg. An. II. Bullar. Tom. 12. fol. 176.

IULIUS EPISCOPUS etc. Venerabili fratri Iuliano Episcopo olim Brittonoriensi in Archiepiscopum Ragusinum Electo, salutem etc. Romani Pontificis, quem pastor ille celestis et Episcopus animarum potestatis sibi plenitudine tradita ecclesiis pretulit universis, plena vigiliis sollicitudo requirit, ut circa cuiuslibet ecclesie statum sic vigilanter excogitet, sicque prospiciat diligenter, quod per eius providentiam circumspectam nunc per simplicis provisionis officium, nunc per ministerium translationis accommode, prout personarum, locorum et temporum qualitas exigit et utilitas ecclesiarum persuadet, ecclesiis singulis pastor accedat ydoneus et rector providus deputetur, qui populum sibi commissum per suam circumspectionem providam, et providentiam circumspectam salubriter dirigat et informet, ac bona ecclesie sibi commissa non solum gubernet utiliter, sed etiam multimodis efferat incrementis. Dudum siquidem provisiones ecclesiarum omnium apud sedem apostolicam tunc vacantium, et in antea vacaturarum ordinationi et dispositioni nostre reservavimus, decernentes ex tunc irritum et inane, si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari. Postmodum vero ecclesia Ragusina, cui bone memorie Iohannes Archiepiscopus Ragusinus, dum viveret, presidebat, per obitum eiusdem Iohannis, qui debitum nature persolvit apud sedem eandem, pastoris regimine destituta: Nos ad provisionem ipsius ecclesie celerem et felicem, de qua nullus preter nos hac vice se intromittere potuit sive potest, reservatione et decreto obsistentibus supradictis, ne ecclesia ipsa longe vacationis exponatur incommodis, paternis et sollicitis studiis intendentes, post deliberationem, quam de preficiendo eidem ecclesie personam utilem et etiam fructuosam cum fratribus nostris habuimus diligentem, demum ad te Episcopum Brittonoriensem, consideratis grandium virtutum meritis, quibus personam tuam illarum largitor dominus insiguivit, ac quod tu, qui Brittonoriensi ecclesie hactenus laudabiliter prefuisti, dictam ecclesiam Ragusinam scies et poteris, auctore domino, salubriter regere et feliciter gubernare, direximus oculos nostre mentis. Intendentes igitur tam dicte ecclesie Ragusine, quam eius gregi dominici salubriter providere, te presentem a vinculo, quo prefate ecclesie Brittonoriensi, cui tunc preeras, tenebaris, de eorumdem fratrum consilio, et apostolice potestatis plenitudine absolventes, te ad dictam ecclesiam Ragusinam auctoritate apostolica transferimus, et te illi preficimus in Archiepiscopum et pastorem, curam et administrationem ipsius ecclesie Ragusine tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, liberamque tibi tribuendo licentiam ad ipsam ecclesiam Ragusinam transeundi, firma spe fiduciaque conceptis, quod prefata ecclesia Ragusina sub tuo felici regimine prospere et salubriter dirigetur, ac grata in cisdem spiritualibus et temporalibus suscipiet incrementa. Quocirca fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenus ad ecclesiam ipsam Ragusinam cum gratie nostre benedictionis accedens, curam et administrationem predictas sic exercere studeas sollicite, fideliter et prudenter, quod ipsa Ragusina ecclesia gubernatori provido et fructuoso administratori gaudeat se commissam, ac bone fame tue odor ex laudabilibus tuis actibus latius diffundatur, tuque preter eterne retri-

butionis premium nostram et dicte sedis benedictionem et gratiam exinde uberius consequi merearis. Datum Rome apud S. Petrum Anno etc. MDV. pridie Kal. Aprilis, Pontificatus nostri Anno Secundo.

DCCXXXVIII.

Heredes Ioannis archiepiscopi Iadrensis a molestatoribus liberantur. Reg. An. II. Brev. Tom. 2. fol. 238.

Pro heredibus Archiepiscopi Iadrensis.

IULIUS PP. II. Dilecte fili, salutem etc. Intelleximus alias bone memorie Iohannem Archiepiscopum Iadrensem decimas, ab Archiepiscopis Iadrensibus in illis partibus solvi consuetas, quatuor annis persolvisse, et si vel alios eius nomine vel eorum credita, antequam possessionem ecclesie Iadrensis adipisceretur, ad solvendum decimas huiusmodi etiam ante adeptam per ipsum Iohannem possessionem prefatam debitas se obligasse, et ab aliquibus apud nobilitatem tuam instari, ut decime huiusmodi ab ipsis cognatis exigantur, seu ex bonis fratris et heredum dicti Iohannis et bone memorie Aloysii etiam Archiepiscopi Iadrensis persolvantur. Cum autem Aloysius et Iohannes prefati fratres temporibus retroactis haud per annum possessionem prefatam obtinuerint, et vix medietatem fructuum unius anni dicte ecclesie perceperint, et ex eorum tam repentinis obitibus frater et heredes prefati maximas iacturas passi fuerint: Nos, qui dictum Aloysium secretarium nostrum in visceribus gessimus caritatis, et propter eum fratrem et heredes predictos paterna affectione prosequimur, eorum adversitatibus compatientes, ac attendentes, quod absurdum videretur et ab equitate alienum, quod ipsi, qui commodum non reportarunt, nec utilitatem receperunt, onus sentiant, et qui fructus dicte ecclesie perceperunt, illos sine onere habeant, nobilitatem prefatam hortamur et attente requirimus, quatenus pro honestate et fratrem et heredes ac obligatos vel credita huiusmodi ab omni obligatione liberos, et ipsam obligationem delere et cassare facias, nec fratrem, heredes et obligatos predictos eorumque res et bona propterea molestes, aut molestari permittas: facies enim ex hoc rem te dignam, equam et nobis gratissimam. Datum Rome etc. die XXI. Aprilis MDV. Pontificatus nostri Anno Secundo.

DCCXXIX.

Ragusinis Iulianus ejus Brictinoriensis ad eorum ecclesiam translatus commendatur. Reg. An. II. Brev. Tom. 2. fol. 266.

Dilectis filiis Rectori et Consilio Civitatis Ragusii.

IULIUS PP. II. Dilecti filii, salutem etc. Reddite nobis sunt littere vestre, in quibus susceptum de obitu bone memorie Iohannis Archiepiscopi vestri defuncti dolorem ostenditis, et Venerabilem fratrem Ariminensem Episcopum in pastorem dari vestre ecclesie supplicatis. Utrumque pie ac sapienter, nam bene de vobis meritum grata memoria prosequi pietatis est, et eum, quem vobis et ecclesie vestre profuturum speratis, desiderare sapienter. Sane si re integra huiusmodi desiderium vestrum notum fuisset, paterne illi annuissemus, id ne nunc facere possumus, duplici et ea quidem rationabili causa ducimur: nam Ariminensis (Brittonoriensis) ipse ad Metropoliticam nuper est translatus ecclesiam, et vobis per nos et hanc sanctam sedem in Archiepiscopum datus est, quo nec melior optari, nec rebus vestris accomodatior poterat, cum doctrina sacrarum litterarum, caritate integra singulari, et preter hoc magnarum rerum usu sit preditus, Venerabilis frater videlicet Iulianus, prelatus noster domesticus, qui cum multum apud nos valeat auctoritate et gratia, non minori favore desideria vestra apud nos poterit promovere, quam Iohannes Archiepiscopus pie defunctus. Solite igitur vestre in nos et dictam sedem devotionis et observantie erit, ipsum Iulianum Archiepiscopum vestrum vel eius procuratores debito honore suscipere et opportunis favoribus prosequi in consequenda libera, pacifica et expedita ecclesie antedicte possessione, iuxta aliarum litterarum nostrarum seriem et tenorem. Quod si feceritis, ut speramus, erit Catholico animo vestro dignum et nobis longe gratissimum, prout etiam ex litteris Venerabilis fratris nostri Oliverii Episcopi Ostiensis Cardinalis Neapolitani, Protectoris vestri optimi, quem omni tempore pro suis maximis meritis magni fecimus, uberius poteritis intelligere. Datum Rome etc. die VIII. Maii MDV. Pontificatus nostri Anno Secundo.

DCCXL.

Iisdem, ut redemptionl Marchionis Cotromatis e captivitate Turcarum faveant. Reg. An. II. Brev. Tom. 1. fol. 337.

Dilectis filiis Rectori et Consilio Civitatis Ragusii.

IULIUS PP. II. Dilecti filii, salutem etc. Quantum cupiamus Marchionem Cotromatem e servitute miserabilique iugo immanissimorum Turchorum Christiani nominis hostium eximi vel hinc potestis

considerare, quod dilecto filio Iohanni de Bona civi vestro mercedem non exiguam polliciti sumus, si eum ad nos salvum incolumemque reduceret: peculiari enim caritate Marchionem ipsum prosequimur utpote nostri observantissimum, et tum bellica laude prestantem, tum etiam multis aliis virtutibus preditum. Quocirca devotionem vestram hortamur in domino requirimusque paterne, ut redemptioni Marchionis eiusdem, quantum in vobis est, favere velitis: in quo rem laude dignam, deo gratam et nobis acceptissimam facietis. Nos vero, que Iohanni ipsi promisimus, sine diminutione ac mora solvemus. Datum Rome apud Sanctum Petrum etc. die III. Iulii MDV. Pontificatus nostri Anno Secundo.

DCCXLI.

Iisdem, ut Thomae episcopo Corsulensi, in Urbe vicario, centum ducatos ex decimis camerae apostolicae debitis ante terminum solvere velint. Reg. An. II. Brev. Tom. 2. fol. 505.

Dilectis filiis Rectori et Consilio Civitatis Ragusii.

Iulius PP. II. Dilecti filii, salutem etc. Venerabilis frater Thomas Episcopus Corsulensis et Stagnensis magna, ut nobis exposuit, rei pecuniarie laborat penuria: ex fructibus enim ecclesiarum nichil hoc anno percipere potuit. Nos quidem eum pro spectata eius integritate atque doctrina nostrum in alma Urbe Vicarium instituimus: sed ex eo officio tales proventus non habet, ut se statumque suum iuxta Episcopalis decentiam dignitatis valeat sustentare. Hiis de causis devotionem vestram hortamur in domino et paterne ex animoque requirimus, ut solutionem centum ducatorum, quos ex decimarum ratione quotannis debitis, hoc anno anticipare velitis, et non expectare festivitatum Resurrectionis dominice, in qua solutio ista, ut similiter accepimus, fieri solet, parvo aut nullo vestro incomodo Ejum ipsum honoris vestri studiosissimum sublevare potestis: in quo rem deo acceptam et nobis gratissimam estis facturi. Datum in Arce nostra Civite Castellane etc. die VIII. Septembris MDV. Pontificatus nostri Anno Secundo.

DCCXLII.

Iisdem, ut uxori et propinquis Marchionis Cotromatis, a Turcis misere necati, ad eius ossa in Italiam deferenda omni studio faveant. Reg. An. II. Brev. Tom. 2. fol. 541.

Dilectis filiis Rectori et Consilio Civitatis Ragusii.

Iulius PP. II. Dilecti filii, salutem etc. Non potuit, ut optabamus, redimi a servitute immanissimorum Turcorum insignis memorie Antonius Marchio quondam Cotromatis, sed ab illis, quod sine cordis amaritudine referre non possumus, crudelissime est necatus: cuius ossa miseranda eius uxor et reliqui propinqui in Italiam et loca sacra deferri desiderant, in qua sacri baptismatis unda ablutus fuit, et in eis locis non iaceat, ubi Salvatoris nostri nomen contemnitur. Huic rei omni studio favere velitis, plurimum vos in domino exhortamur: res enim pia est, et nobis longe gratissima erit. Datum Viterbii etc. die XIX. Septembris MDV. Pontificatus nostri Anno Secundo.

DCCXLIII.

Vicario Iadrensi, ut impedat, ne moniales s. Mariae Iadrenses ord. s. Benedicti ab abbatissa ad strictiorem s. Francisci regulam transire cogantur. Reg. An. III. Brev. Tom. 3. fol. 189.

Dilecto filio Vicario Venerabilis fratris Archiepiscopi Iadrensis in spiritualibus generali.

Iulius PP. II. Dilecte fili, salutem etc. Nuper nobis non sine querela fuit expositum, quod licet monasterium sancte Marie Iadrense ordinis sancti Benedicti, et moniales, que pro tempore in monasterio antedicto fuerunt, eundem ordinem profiteri sint solite, et sub regula et habitu eiusdem ordinis sancti Benedicti altissimo famulari: moderna tamen Abbatissa monasterii antedicti, nonnullis aliis ex dictis monialibus in sententiam suam traductis, contra voluntatem reliquarum monialium, que multe plures sunt numero, ad regularem observantiam et arctiorem vitam, ad quam ex suis ordine et regula non astringuntur, et ut creditur, ad ordines sancti Francisci traducere eas tentat, nulla desuper licentia saltem sufficienti obtenta. Propter quod tam relique moniales predicte, quam earum parentes et consanguinei adeo sunt conturbati, ut de non levi scandalo, si non provide occurratur, sit verisimiliter dubitandum. Quocirca discretioni tue per presentes committimus et mandamus, ut si est ita, Abbatissam et moniales, que cum ea sunt, auctoritate nostra moneas, et quatenus opus sit, cogas atque compellas ad desistendum ab huiusmodi secta, et ad libere relaxandum moniales, si quas dicta Abbatissa tanquam

ab eius opinione in hac re discrepantes carceribus mancipavit, Contradictores per censuras ecclesiasticas, appellatione postposita, compescendo, super quibus plenam et liberam tibi harum serie concedimus facultatem, privilegiis quoque ad dictorum ordinis et monasterii ceterisque in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Datum Rome etc. die XXII. Maii MDVI. Pont. nostri Anno Tertio.

DCCXLIV.

Ragusinis, ne Petrum clericum in assequendo beneficio ei collato impediant. Reg. An. III. Brev. Tom. 3. fol. 275.

Dilectis filiis Rectori et Consilio Civitatis Ragusii.

IULIUS PP. II. Dilecti filii, salutem etc. Venit ad nos dilectus filius Petrus Clericus et civis vester, familiaris noster, ut possessionem assequatur beneficii beate Marie Annuntiate extra muros Civitatis vestre, per obitum Nicolai de Albertis, etiam civis vestri, Rectoris et ultimi possessoris illius in Romana curia defuncti vacantis, et proinde nostre dispositioni generaliter reservatum eidem Petro contulimus. Hortamur igitur devotionem vestram in domino et paterne requirimus, ut pro nostra et apostolice sedis reverentia, cuius more bonorum Catholicorum observantissimi semper fuistis, honore et reverentia eidem Petro, civi vestro, omnes oportunos favores prebere velitis ad consequendam liberam et expeditam ecclesie antedicte possessionem, iuxta aliarum nostrarum super hoc sub plumbo confectarum litterarum seriem et tenorem: quod erit laude dignum et nobis plurimum gratum. Dat. Rome etc. II. Iulii MDVI. Pontificatus nostri Anno Tertio.

DCCXLV.

Vicario epi Polensis, ut Faustinum Tercium ad quasdam beneficia admitti faciat. Reg. An. IV. Brev. Tom. 4. fol. 84.

Dilecto filio Vicario Venerabilis fratris nostri Episcopi Polensis.

IULIUS PP. II. Dilecte fili, salutem etc. Vacantibus nuper sancti Iohannis de Prato extra muros Polenses, et sancti Georgii de Utino Aquilegiensis diocesis ecclesiis campestribus et sine cura, per obitum quondam Aluisii Mauraceni equitis Ierosolimitani, illorum, dum viveret, ultimi possessoris extra Romanam curiam defuncti, probitatis et virtutum meritis dilecti filii Faustini Tercii decretorum doctoris, familiaris nostri continui commensalis, beneficia predicta apostolica auctoritate contulimus et de illis providimus, prout in aliis nostris sub plumbo super hoc confectis litteris latius explicitur. Cupientes igitur, ut huiusmodi provisio nostra suum debitum, ut par est, effectum sortiatur, tibi per presentes committimus et mandamus, ut eundem Faustinum vel pro eo procuratorem suum ad liberam et expeditam dicti beneficii possessionem admittas, et ad aliud beneficium predictum auctoritate nostra admitti facias, amotis exinde quibuslibet illicitis detentoribus. Datum Bononie etc. die IX. Ianuarii MDVII. Pontificatus nostri Anno Quarto.

DCCXLVI.

Episcopo Nonensi, ut Martinum Maladosich in possessione monasterii s. Ambrosii Nonensis manuteneat. Reg. An. V. Brev. Tom. 7. fol. 616.

Venerabili fratri Episcopo Nonensi.

IULIUS PP. II. Venerabilis frater, salutem etc. Dudum monasterio sancti Ambrosii Nonensis per obitum bone memorie Episcopi Concordiensis, illius ultimi possessoris, vacante, nostreque et apostolice sedis dispositioni reservato, monasterium ipsum dilecto filio Georgio de Baronellis clerico Nonensi, familiari nostro, antiquo parafrenario, continuo commensali, contulimus: tuncque tue fraternitati per alias nostras in forma Brevis litteras datas Perusie sub anulo piscatoris die XXV. Septembris MDVI. scripsimus, ut possessionem monasterii huiusmodi nomine eiusdem Georgii per te vel alium capi et fructus colligi, eidem Georgio, cum primum litteras sub plumbo, ut decet, expeditas istuc mitteret, remittendi et relaxandi faceres. Orta autem postmodum inter ipsum Georgium parafrenarium nostrum et dilectum filium Martinum Maladosich super monasterio huiusmodi lite, uterque eventus litium esse dubios considerantes ad concordiam invicem devenerunt: videlicet quod possessio monasterii ipsius prefato Martino remanere debeat, certa pensione annua eidem Georgio super illius fructibus assignata, prout in aliis nostris sub plumbo inde confectis litteris plenius continetur. Nuper autem, ut idem Georgius cum querela exposuit, licet tua fraternitas de hiis ignara non esset requisita sepius, ut fructus antedictos ipsi Georgio remittere vellet, non solum id facere recusavit atque recusat, verum etiam, quod gravius est, monasterium ipsum sua ordinaria auctoritate cuidam suo nepoti contulisse dicitur in prefati Georgii et Martini

grave damnum et preiudicium, nostreque et apostolice sedis auctoritatis vilipendium. Quare tam Georgius quam Martinus nobis supplicarunt humiliter, dignaremur pro pastorali officio eorum indemnitati de opportuno adesse remedio. Nos igitur premissa paterno affectu considerantes, attendentesque neminem preter nos de monasterio antedicto ea vice potuisse disponere, huiusmodi supplicationibus utpote iustis inclinati, fraternitati tue in virtute sancte obedientie et suspensionis a divinis pena precipiendo mandamus, quatenus si est ita, presentibus et dictis sub plumbo litteris receptis infra trium dierum terminum prefatum Martinum, seu eius legitimum procuratorem pro eo ad liberam, pacificam et expeditam monasterii antedicti, iuriumque et pertinentiarum eiusdem possessionem admittas et admitti facias, necnon fructus predictos sine diminutione libero relaxare mandes, dicto tuo nepote vel alio quocumque illicito detentore inde amoto, inxta predictarum litterarum sub plumbo expeditarum seriem et tenorem, in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Datum Rome etc. die XXVIII. Ianuarii MDVIII. Pontificatus nostri Anno Quinto.

DCCXLVII.

Episcopo Scardonensi, ut Georgio de Baronellis possessionem quorumdam prebyteratuum sine mora relaxet. Reg. An. V. Brev. Tom. 7. fol. 219.

Venerabili fratri Episcopo Scardonensi.

IULIUS PP. II. Venerabilis frater, salutem etc. Cum querela nobis nuper exposuit dilectus filius Georgius de Baronellis, parafrenarius noster et clericus, quod licet felicis recordationis Alexander VI. predecessor noster te ad Scardonensem ecclesiam, cui nunc prees, promovens, Clisiensis et Briberiensis ecclesiarum Archipresbiteratus, quos tunc obtinebas, vacare docroverit, eosque sic vacantes, tuo ad id accedente consensu, eidem Georgio, qui otiam dicti predecessoris erat parafrenarius, contulerit: fraternitas tamen tua illos non solum hucusqno oidom Georgio relaxare distulit et differt, sed etiam, quod magis grave est, litteras, quas ad te idem Georgius desuper sub plumbo, ut moris est, expeditas pro eorumdom Archipresbiteratuum possessione apprehendenda transmiserat, detinere non es veritus in maximum eiusdem Georgii preindicium et iacturam. Quare idom Georgius nobis humiliter supplicavit, sibi in premissis opportuno dignaremur adesse remedio. Nos iustis eiusdem Georgii supplicationibus inclinati fraternitatem tuam hortamur in domino, eidem nichilominus in virtute sancte obedientie et sub pena suspensionis a divinis et interdicti ingressus ecclesie expresse percipiendo mandamus, quatenus si est ita eorumdem Clisiensis ot Briberiensis ecclesiarum Archipresbiteratuum possessionem eidem Georgio parafrenario nostro, ut par est, relaxare ac litteras sub plumbo predictas restituere debeas, ne eiusdem Georgii indemnitati per arctiora remedia consulere, si opus sit, cogamur. Datum Rome etc. die III. Aprilis MDVIII. Pontificatus nostri Anno Quinto.

DCCXLVIII.

Regi Hungariae pontifex scribit de pio bani Croatiae desiderio circa indulgentias in subsidium belli contra Turcas concedendas, et de Sophi Persarum ad fidem christianam reducendo. Reg. An. V. Brev. Tom. 7. fol. 322.

Carissimo in Christo filio nostro Wladislao Regi Hungarie Illustri.

IULIUS PP. II. Carissime in Christo fili noster, salutem etc. Cum nuper dilectus filius Bannus Regni Croacie nobis per snos nuntios, Episcopum vidolicet Ottocensem et quendam alium nobilem supplicaverit, ut indulgentias quasdam in aliquibus eius Regni partibus concederemus, cuius gratia, fidelibns adiutrices manus porrigentibns, pecunie colligerentur, que in militum assidne cum Turco pugnantium stipendia erogari possent, nec minus antea ab aliis principum eius Regni oratoribus de eodem interpellati fuerimus: illorum postulatis gratissime annuissemus, si hoc ex maiestatis tne desiderio fieri per litteras vel oratorom eius comperissemus. Unde cum pro singulari amore, quo complectimur, nihil Christiane fidei in partibus illis conducere existimemus, quod maiestatis tue voluntati non consonet, eandem hortamur, ut mentem suam nobis super hoc aperiat, an et quibus in locis indulgentias istas concedi desideret. Ad hec qnia nostri pastoralis officii sollicitndini incumbit, ut non solum presentia disponamus, sed etiam futuris diligenter provideamns, et ortodoxe fidei propagationem omni tempore procuremus, audita potentia, qua dicunt pseudoprophetam Sophi pollere, et in dies victoriis illam fieri validiorem, cupientes illum ad fidei nostre lumen revocare, in animum induximus aliqnem religiosum, probum et doctum virum ad illum destinare, cuius opera et sermone moveri possit: sed quia a dilecto filio nostro Petro Cardinali Rhegino, Regnorum tuorum protectore, et ab oratore maiestatis tue percepimus illum

pro suo erga fidem Christianam singulari studio unum ex suis fidum illuc destinasse, a quo de illius progressibus certior in dies fiat, sine tuo consilio nihil in hac re statuendum duximus. Quapropter tuam serenitatem ex affectu hortamur, ut nobis de vita, moribus, potentia et consiliis predicti Sophi significet, et quem ipsum potissimum iudicaret idoneum, cui tantum muneris demandare possemus. De qua re fusius ad maiestatem tuam scribet tuus orator, cum quo de hac re latius multa contulimus. Datum Rome etc. die XVI. Iunii MDVIII. Pontificatus nostri Anno Quinto.

DCCXLIX.

Electo Vaciensi terminus suscipendi muneris consecrationis ad biennium prorogatur. Reg. An. V. Brev. Tom. 7. fol. 531.

Dilecto filio Iohanni Bozthon Electo Vaciensi.

IULIUS PP. II. Dilecte fili, salutem etc. Cum, sicut nobis nuper exponi fecisti, tu, cuius opera Carissimus in Christo filius noster Vladislaus Hungarie et Bohemie Rex illustris assidue utitur, munus consecrationis ratione Vaciensis ecclesie, ad quam promotus fuisti, adhuc commode suscipere nequeas: Nos commodis eiusdem Regis, quem in visceribus gerimus caritatis, consulere paterne volentes, hiisque supplicationibus annuentes, ut intra biennium a fine temporis a iure statuti computandum munus consecrationis huiusmodi suscipere non tenearis, nec ad id a quoquam invitus compelli possis, ecclesiaque Vaciensis tibi commissa propterea vacare non censeatur, tenore presentium de specialis dono gratie indulgemus. Non obstantibus etc. Datum Rome apud Sanctumpetrum sub Annulo piscatoris die XV. Octobris MDVIII. Pontificatus nostri Anno Quinto.

DCCL.

Petro episcopo Alexiensi ecclesia s. Marie de Gelma Polatensis diocesis in commendam confertur, quam Petrus episcopus Polatensis tempore suse promotionis obtinebat. Reg. An. VI. Bull. Tom. 77. fol. 163.

IULIUS EPISCOPUS etc. Venerabili fratri Episcopo Alexiensi, salutem etc. Personam tuam nobis et apostolice sedi devotam etc. Cum itaque, postmodum parrochialis ecclesia sancte Marie de Gelma Polatensis diocesis, quam dilectus filius Petrus Iohannis clericus Polatensis tempore promotionis ac prefectionis per nos nuper de persona sua ad ecclesiam Polatensem, tunc certo modo pastore carentem, factarum obtinebat, ex eo quod nos dictam parrochialem ecclesiam per prefectionem huiusmodi vacare tunc per diversas nostras litteras decrevimus, et prout in illis plenius continetur, certo modo vacaverit et vacet ad presens, nullusque de illa preter nos hac vice potuerit disponere sive possit, reservatione et decreto obsistentibus supradictis: Nos tibi, ut statum tuum iuxta pontificalis dignitatis exigentiam decentius tenere valeas, de alicuius subventionis auxilio providere, et premissorum meritorum tuorum intuitu specialem gratiam facere volentes, teque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et penis a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existis, ad effectum presentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes et absolutum fore censentes, necnon omnia et singula monasteria, prioratus, preposituras, prepositatus, canonicatus, prebendas, dignitates, personatus, administrationes et officia ceteraque beneficia ecclesiastica cum cura et sine cura, secularia et ordinum quorumcumque regularia, que etiam ex quibusvis concessionibus et dispensationibus apostolicis in titulum vel commendam obtines et expectas, ac in quibus et ad que tibi ius quomodolibet competit, quecumque, quotcumque et qualiacumque sint, eorumque fructuum, redditumm et proventum veros annuos valores ac huiusmodi concessionum et dispensationum tenores, necnon quorumcumque pensionum annuarum tibi super quibusvis fructibus, redditibus et proventibus ecclesiasticis assignatarum quantitates presentibus pro expressis habentes, parrochialem ecclesiam predictam, cuius fructus, redditus et proventus viginti quatuor ducatorum auri de Camera secundum communem extimationem valorem annuum, ut asseris, non excedunt, sive premisso, seu alio quovis modo, aut ex alterius cuiuscumque persona, seu per liberam resignationem dicti Petri Electi, vel cuiusvis alterius de illa in Romana Curia vel extra eam, etiam coram notario publico et testibus sponte factam, aut constitutionem felicis recordationis Iohannis pape XXII. predecessoris nostri, que incipit, Execrabilis, vel assecutionem alterius beneficii ecclesiastici quavis auctoritate collati vacet, etiam si tanto tempore vacaverit, quod eius collatio iuxta Lateranensis statuta Concilii ad sedem predictam legitime devoluta, ipsaque parrochialis ecclesia dispositioni apostolice specialiter vel alias generaliter reservata existat, et super ea inter aliquos lis, cuius statum presentibus haberi volumus pro expresso, pendeat indecisa, dummodo eius dispositio ad nos hac vice pertineat, cum omnibus iuribus et pertinentiis

suis tibi per te, quoad vixeris, etiam una cum ecclesia Alexiensi, cui preesse dinosceris, tenendam, regendam et gubernandam, ita quod, debitis et consuetis ipsius parrochialis ecclesie supportatis oneribus, liceat tibi de residuis illius fructibus, redditibus et proventibus disponere et ordinare, sicut illam in titulum pro tempore obtinentes do illis disponere ot ordinare potuerunt, seu etiam debuerunt, alienatione tamen quorumcumque bonorum immobilium et pretiosum mobilium dicte parrochialis ecclesie tibi penitus interdicta, auctoritate apostolica commendamus, decernentes, prout est, irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter attemptatum forsan est, vel imposterum contigerit attemptari. Non obstantibus pie memorie Bonifaci pape VIII. etc. Nulli ergo etc. nostre absolutionis, commende, decreti et voluntatis infringere etc. Si quis etc. Datum Civitatisvetule Viterbiensis diocesis Anno Incarnationis dominice MDIX. quarta Idus Octobris, Pont. nostri Anno Sexto.

DCCLI

Bellatio de Ungariis clerico Drivastensi monasterium s. Nicolai de la Bayana Dulcinensis dioecesis vacans in commendam conceditur. Reg. An. IX. Tom. 87. fol. 164.

IULIUS EPISCOPUS etc. Dilecto filio Magistro Bellatio de Ungariis clerico Drivastensi, Notario et familiari nostro, salutem etc. Romani pontificis etc. Cum itaque, sicut accepimus, Monasterium s. Nicholai de la Bayana ordinis s. Benedicti Dulcinensis diocesis, quod quondam Paulus de Bassia frater ordinis s. Dominici ex concessione et dispensatione apostolica in commendam, dum viveret, obtinebat, commenda huiusmodi per obitum dicti Pauli, qui extra Romanam Curiam diem clausit extremum, cessante, adhuc eo, quo, dum eidem Paulo commendatum fuit, vacabat, modo vacare noscatur: nos cupientes tam eidem Monasterio, ne longe vacationis exponatur incommodis, de gubernatore utili et ydoneo, per quom circumspecte regi et salubriter dirigi valeat, quam tibi, qui etiam continuus commensalis noster existis, et cui alias, ut asseris, Monasterium predictum tunc certo modo vacans per te, quoad vivores, tenendum, regendum et gubernandum commendari apostolica auctoritate concessum fuit, ob grata devotionis et familiaritatis obsequia, que nobis et dicte sedi hactenus impendisti, ot adhuc solicitis curis impendere non desistis, necnon vite ac morum honestas aliaque laudabilia probitatis et virtutum merita, quibus personam tuam tam familiari experientia, quam etiam fidedignorum testimoniis iuvari percepimus, ut commodius sustentari valoas, de alicuius subventionis auxilio providore volentes, teque a quibusvis excommunicationis, suspensionis ot interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et penis a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existis, ad effectum presentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes et absolutum fore censentes, necnon omnia et singula beneficia ecclesiastica cum cura et sine cura, secularia ot ordinum quorumcunque regularia, que etiam ex quibusvis concessionibus et dispensationibus apostolicis obtines et expectas, ac in quibus et ad que ius tibi quomodolibet competit, quecunque, quotcunque et qualiacunque sint, eorumque fructuum, reddituum et proventuum veros annuos valores ac huiusmodi dispensationum tenores, necnon quarumcunque pensionum annuarum tibi super quibusvis fructibus, redditibus et proventibus ecclesiasticis assignatarum quantitates, verumque et ultimum dicti Monasterii vacationis modum, etiam si cx illo quevis generalis reservatio etiam in corpore iuris clausa resultet, presentibus pro expressis habentes, Monasterium predictum, quod Conventu caret, et eius fructus, redditus et proventus vigintiquatuor ducatorum auri de Camera secundum communem extimationem valorem aunuum, ut etiam asseris, non excedunt, quovis modo et ex cuiuscunque persona vacot, etiam si eius provisio ad sedem predictam ex quavis causa specialiter vel generaliter pertineat, dummodo data presentium eidem Monasterio de Abbate provisum, aut illud alteri commendatum cannonice non existat, cum omnibus iuribus et pertinentiis suis tibi per te, quoad vixeris, ctiam una cum omnibus et singulis beneficiis ecclosiasticis cum cura et sine cura, secularibus ot ordinum quorumcunque regularibus, que, ut prefertur, obtines et imposterum obtinobis, ac pensionibus annuis, quas percipis et percipies in futurum, tenendum, regendum et gubernandum, ita quod, debitis et consuotis ipsius Monasterii supportatis oneribus, de residuis illius fructibus, redditibus ct proventibus disponere et ordinare possis, sicuti veri ipsius Monasterii Abbates pro tempore existentes de illis disponere et ordinare potuerunt, seu etiam debuerunt, alionatione tamon quorumcunque bonorum immobilium et pretiosorum mobilium dicti Monasterii tibi penitus interdicta, dicta auctoritate apostolica tenore presentium commendamus, curam, regimen et administrationem dicti Monasterii tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo. Quocirca Venerabili fratri nostro Episcopo, et dilectis filiis Archidiacono et Nicholao Dabri Canonico ecclesie

Dulcinensis per apostolica scripta mandamus, quatenus ipsi vel duo aut unus eorum per se vel alium seu alios tibi in regiminis et administrationis, ac bonorum dicti Monasterii possessione vel quasi apprehendenda assistentes, faciant tibi a dilectis filiis Vaxallis et aliis subditis ipsius Monasterii consueta servitia et iura tibi ab eis debita integre exhiberi, Contradictores etc. Nulli ergo etc. nostre absolutionis, commende, mandati, voluntatis et decreti infringere etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno etc. Millesimo quingentesimo undecimo, IV. Idus Decembris, Pontificatus nostri Anno Nono

EPISTOLAE LEONIS PP. X.

DCCLII.

Electo Catharensi, ut vigore brevis apostolici possessionem ipsius ecclesiae sine litteris apostolicis sub plumbo expeditis libere apprehendere, et pontificales exercere possit. Reg. An. II. Brev. Tom. 30. fol. 207.

Dilecto filio Triphoni Bizantio Electo Catharensi.

LEO PP. X. Dilecte fili, salutem etc. Volentes commoditatibus persone tue nobis et apostolice sedi devote, quantum cum deo possumus, paterna benignitate consulere, tuisque in hac parte supplicationibus inclinati tibi, quem dudum ecclesie Catharensi pastoris solatio destitute in Episcopum prefecimus et pastorem, et qui, sicut asseris, litteras apostolicas super huiusmodi prefectione pro nunc commode expedire sub plumbo non potes, ut absque alia dictarum litterarum apostolicarum expeditione, quas tamen intra annum a die presentium expediri volumus, vigore presentis Brevis illiusque iurium et pertinentiarum omnium possessionem capere, et munus consecrationis suscipere, ac omnia et singula, que ad iurisdictionem Episcopalem etiam quo ad collationem beneficiorum pertinent, exercere libere et licite valeas, tenore presentium concedimus et indulgemus, Mandantes Capitulo et Canonicis dicte ecclesie Catharensis, Clericis ac populo dicte Civitatis, ut te ad possessionem dicte ecclesie iuriumque et pertinentiarum suorum vigore presentis Brevis recipiant et admittant, tibique et Vicario tuo debitam obedientiam et reverentiam prestent et exhibeant, Non obstantibus premissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon ecclesie iuramento etc. roboratis statutis ceterisque contrariis quibuscunque. Volumus autem, quod intra unum annum computandum, ut prefertur, litteras apostolicas predictas super huiusmodi prefectione omnino expedire cures. Datum Rome etc. die II. Maii MDXIII. Pontificatus nostri Anno Secundo.

DCCLIII.

Salvusconductus pro eodem electo Catharensi. Reg. An. II. Brev. Tom. 30. fol. 416.

LEO EPISCOPUS etc. Universis et singulis presentes nostras litteras inspecturis, salutem etc. Cum Venerabilis frater Triphon Episcopus Catharensis, sicut nobis exposuit, ad ecclesiam suam Catharensem accedere, et deinde Romam venire intendat: Nos cupientes ipsi Episcopo, nobis ob suas virtutes ac merita grato et accepto, liberum et expeditum iter ubique patere, devotionem vestram hortamur in domino, subditis vero nostris et gentium nostrarum armigerarum Capitaneis et ductoribus expresse precipiendo mandamus, ut ipsum Epum cum sua comitiva tam equestri quam pedestri usque ad numerum decem personarum, ac cum solitis bulgiis, vallisiis, et aliis rebus eorum, dummodo mercimonii causa non deferantur, tam in eundo, quam redeundo per omnia loca, portus, pontes, tam nostros quam vestros, ac tam per terram quam per aquam absque ulla gabelle, passagii, fundinavis, theolonii seu cuiusvis alterius indicti vel indicendi oneris solutione ire, transire et redire absque ullo etiam reali vel personali impedimento libere permittatis, eique de secura scorta ac libero salvoconductu, si necessarium fuerit, et ipse Episcopus requirendum duxerit, provideatis, ipsumque cum sua comitiva predicta sincera in domino caritate tractetis, facturi nobis rem gratam. Presentibus per unum annum tantum valituris. Datum Rome etc. die XXX. Maii MDXIII. Pontificatus nostri Anno Secundo.

DCCLIV.

Universis Christi fidelibus ecclesias Antibarensem et Catharensem certo die visitantibus, et ad eius reparationem opem ferentibus plenaria indulgentia conceditur. Reg. An. II. Tom. 20. fol. 843.

Venerabili fratri Archiepiscopo Antibarensi.

Leo PP. X. Venerabilis frater, salutem etc. Cum, sicut nobis retulisti, tu ad ecclesiam Antibarensem accedere, et ex huiusmodi tuo accessu Christi fidelibus illarum partium presertim circa salutem animarum suarum commodum ot utilitatem sentire desideres: Nos personam tuam nobis et apostolice sedi devotam gratioso favore prosequi volentes, tuisque in hac parte supplicationibus inclinati, ut ecclesia tua Antibarensis predicta congruis frequentetur honoribus, et Christi fideles ad eam devotionis causa visitandum, ac pro restauratione et reparatione huiusmodi, ut asseris, indigentis manus adiutrices porrigondum eo libentius invitentur, quo etc. de omnipotentis dei misericordia etc. omnibus et singulis utriusque sexus Christi fidelibus, qui prime misse, quam in eadem ecclesia in huiusmodi tuo illuc accessu solemniter celebrare intendis, devote interfuerint, seu alias dictam ecclesiam a primis vesperis ad secundas vesperas inclusive dici, quo dictam missam celebrabis, devote visitaverint, aut in casu necessitatis per interpositam personam visitaro fecerint, ac pro restauratione et reparatione huiusmodi manus adiutrices porrexerint, plenariam omnium et singulorum peccatorum suorum, de quibus corde contriti et ore confessi fuerint, indulgentiam et remissionem concodimus et indulgemus, ac pro dicto die omnes alias indulgentias locis et ecclesiis circumvicinis concessas suspendimus. Et ut Christi fideles facilius indulgentiam huiusmodi, deo propitio, consequi possint, tibi, ut tot idoneos presbitoros confessores, quot necessarii tibi videbuntur, deputandi, qui quatuor diebus ante, et quatuor post diem celebrationis dicte misse Christi fideles ipsos, pro huiusmodi indulgentia consequenda ad missam et ecclesiam predictam confluentes, qui peccata sua illis confiteri voluerint, ab omnibus casibus in bulla Cene domini contentis absolvere possint, licentiam et facultatem concedimus. Presentibus pro ea vice dumtaxat et non ultra valituris. Datum Rome etc. die II. Iunii MDXIIII. Pontificatus nostri Anno Secundo.

Simili modo Venerabili fratri Episcopo Catharensi.

DCCLV.

Wladislaus rex Hungariae supplicat pontifici, ut reservationem in praeludicium hospitalis pauperum apud S. Mathiam Vratislaviae datam revocare velit. Ex originali.

Beatissimo et Sanctissimo in Christo Patri ot Domino, Domino Leoni Sacrosanctae Romanae ac Universalis Ecclesiao Summo Pontifici, Domino mihi Clementissimo.

Boatissime Pater et domine, domine mihi Clementissime. Post humilem sui commendacionem ad oscula pedum beatorum. Accepi a nonnullis meis Ducibus Silesiam incolentibus, qui ox illustri divae Hedvigis et Elisabet progenie oriundi sunt, necnon ab aliquibus subditis meis, qualiter Sanctitas Vestra quoddam reservatum dederit cuidam curiali, Christofforo de Schutten, cuius copiam diligenter perspeximus, in quo Sanctitas Vestra non solum praefatis Ducibus et subditis meis tam spiritualibus quam saecularibus, sed eciam Iurispatronatus, quod ad me tanquam Regem Bohemiae et summum Ducem Silesiae spectare dinoscitur, derogare, de praedecessorum meorum Silesiao Ducum testamenta et fundaciones abolere videtur: de quo ego multum admiratus, certe non parum indolui, nec immerito. Nam praedictus curialis illius vigore reservati nititur ecclesiam parrochialem in civitate mea Wratislaviensi, per praedecessores meos Silesiae Duces in honorem divae Elisabet fundatae et erectae, domui et hospitali pauperum infirmorum aput Sanctum Mathiam ibidem summi pontificis voluntate et consensu pro meliori subsidio et sustentacione pauperum in hospitale degencium perpetuo unitam et incorporatam, conatibus suis discindere, alienare sibique vindicare, et ita fundaciones Ducum Silesiae infringere: quod mihi tanquam Bohemiae Regi et summo Silesiae Duci nequaquam tolerandum et admittendum in destructionem pauperum fuit. Nam si eo pervenire doberet, ut praedecessorum meorum fundaciones pro animarum salute et pauperum consolacione nullum robur habore, bonaque semel Deo dicata, et per summos pontifices saepe confirmata, ad unius hominis instanciam et sollicitacionem auferre liceret, daretur occasio posthac nihil huiusmodi in pauperum usus erigendi fundandique. Quapropter ut hoc malum evitaretur, et a meis subditis Vestrae Sanctitatis munere avertatur, rogo humillime, Sanctitas Vestra dignetur hanc huiusmodi reservacionis bullam a Sanctitate Vestra emanatam revocare, et praedicto curiali seriose praecipere, ut fideles et subditos meos de cetero non perturbat, neque molestet. Credo enim firmiter Sanctitatem Vestram hanc meam intercessionem pluris facturam, quam illius praedicti curialis, eo maxime quum tendat in

destructionem pauperum, sollicitacionem. Cuius Sanctitati me humillime commendo. Datum Budae duodecima die mensis Marcii Anno Domini etc. Quintodecimo, Regnorum autem meorum Hungariae Vigesimoquinto, Bohemiae vero Quadragesimoquarto.

E(iusdem) S(anctitatis) V(estrae)

Devotus filius
WLADISLAUS DEI GRATIA HUNGARIÆ BOHEMIÆQUE REX.
L. DE STERNBERGK Cancellarius.

DCCLVI.

Wladislaus rex Hungariae pontifici Bernardinum de Comitibus Papiensibus Romam redeuntem commendat. Ex originali.

Sanctissimo in Christo Patri et Domino, Domino Leoni Decimo divina providentia Sacrosanctae Romanae ac Universalis Ecclesiae Summo Pontifici, Domino meo Clementissimo.

Beatissime Pater et Domine Clementissime. Post oscula pedum Sanctitatis Vestrae beatorum, et mei humilem commendacionem. Licet meam in hunc Reverendum in Christo patrem dominum Bernardinum de Comitibus Papiensibus, Iuris utriusque doctorem, prothonotarinm apostolicum, benevolenciam et singularem affectionem Sanctitati Vestrae superiori eciam anno litteris meis declaraverim: quae tamen est hominis virtus ac doctrina, et qui meus in eum favor facere non potui, quin rursus has prioribus literis adderem, et hominem mihi gratissimum, et vel me invito nunc ad Urbem redeuntem literis meis facere Sanctitati Vestrae commendaciorem. Is enim hoc tempore, quo apud Reverendissimum Dominum Cardinalem Strigoniensem Vestrae Sanctitatis Legatum, in cuius contubernio venerat, auditorem agens, in hoc Regno meo fuit ea integritate et omnium Ordinum satisfactione est versatus, ut omnium erga se amorem multum concitaverit, et discedens magnum sui desiderium in hoc Regno meo reliquerit. Mihi vero et probitas hominis et erudicio in Vestram Sanctitatem atque in istam Sacrosanctam Sedem fides atque observancia ita grata fuit, ut eidem omne bonum omnisque status incrementum mirum in modum cupiam. Supplico igitur Vestrae Sanctitati dignetur de virtutibus eius honestandis, et insigni aliquo premio ac titulo decorandis mea quoque intercessione cogitare, eundemque alicui Ecclesiae Cathedrali praeficere, ut et ipse tot laborum, vigiliarum doctrinaeque fructus percipere, et in Ecclesiam Dei multum conferre possit commodi et emolumenti. Quod si Vestra Sanctitas in hoc homine honorando et meas preces exandire et merita eius metiri dignabitur, plurimum voluptatis, uti confidimus, ex hoc suo facto Sanctitas Vestra percipiet, mihique singularem in hoc graciam faciet. Me et obsequia mea et Serenissimorum Liberorum meorum ad pedes Sanctitatis Vestrae rursus humillime commendo: quam Deus Optimus Maximus pro incremento ac tutela Reipublicae Christianae diu sanam, incolumem et felicem conservare dignetur. Datum Posonii VI. die Iunii Anno domini Millesimo quingentesimo quintodecimo. Regnorum meorum Hungariae Anno Vigesimoquinto, Bohemiae vero Quadragesimoquinto.

E(iusdem) Sanctitatis Vestrae

Devotus filius
WLADISLAUS DEI GRATIA REX HUNGARIÆ ET BOHEMIÆ.

DCCLVII.

Wladislaus rex Hungariae pontifici supplicat, ut causam quondam Andreae bani Croatiae, ad curiam ecclesiasticam perperam delatam, ad curiam saecularem regni Hungariae remittat. Ex originali — Instrum. Miscell.

Sanctissimo in Christo Patri Dño, Dño Leoni Decimo divina providentia Sacrosanctae Romanae ac Universalis Ecclesiae Summo Pontifici, Dño meo Clementissimo.

Beatissime ac Sanctissime Pater, Domine Clementissime. Post oscula pedum Sanctitatis Vestre beatorum et mei obsequiorum meorum commendacionem. Mei interesse putavi ex suscepto Regiminis officio Iura et Statuta Regnorum meorum, quoad ex aequo et bono procedunt, totis viribus inviolate semper tueri ac defendere. Quum autem sancitum iuxta Statuta huius Regni mei Hungariae sit, ut in causis prophanis, que coram Vicariis agitantur, liceat ad Sedem meam provocare, ibique causis examussim per Iudices a me selectos propense et iuste discussis, si partium altera minus de prolata sententia contenta esset, posset tandem Sedem Apostolicam utpote universalis Ecclesiae caput appellare. Nuper Petrus quidam cognomento Pithi, Mercator Florentinus, cum racione debitorum Magnifici Andree Both alias Bani Regni mei Croatiae, vita iam dudum functi, Generose Domine Anne Uxori ipsius Andree

Both diem dixisset, causaque coram Vicario Agriensi disputata fuisset: posteaquam Vicario ipsi compertum extitit, talem causam Sedem Ecclesiasticam minime concernere, illam totam ad Curiam meam in forma Rotuli cum omni processu, ut moris est, transmisit. Que quidem causa per Iudices meos discussa quidem, nondum tamen decisa, nec sententia de ea prolata fuit: itaque prefatus Petrus Pithi, non expectata fine litis et sententiae prolatione, ceterum asserens in Regno meo non esse iustitie et equitatis exequtionem, ipsam causam ad Sedem Apostolicam appellavit. Cuius si exequtio fieret, et mihi non parva ignominia et huic Regno meo, et domine quoque Anne iniuria non mediocris inureretur: proinde suplico Sanctitati Vestre, uti causam identidem dictam rursus ad Sedem meam pro innata sua equitate Sanctitas Vestra remittere dignetur. Quod ubi Sanctitas Vestra fecerit, ut eandem omnino facturam, que sua est bonitas, spero, et suo aequo Iudicio, et mihi ac Regni huius mei Statutis optime consulucrit: quam Deus Optimus Maximus cum iugi votorum suorum incremento nobis omnibus sanam et felicem diutissime conservet. Posonii xx. Iunii Anno Domini Millesimo Quingentesimo Decimoquinto, Regnorum meorum Hungariae etc. Anno xxv., Bohemiae vero xlquinto.

Wladislaus Rex Hungarie etc.

DCCLVIII.

Wladislaus rex Hungariae supplicat summo pontifici, ne sepotem archiepiscopi Colocensis in ordinem fratrum Minorum ingredi permittat, sed eum in Hungariam remittat. Ex originali.

Sanctissimo in Christo Patri et Domino, Domino Leoni Decimo divina providentia Sacrosanctae Romanae ac Universalis Ecclesiae Summo Pontifici, Domino meo Clementissimo.

Beatissime Pater et Domine, Domine mi Clementissime. Post devotam et humilem mei commendationem ad oscula pedum Sanctitatis Vestrae beatorum. In tanta curarum mole, quas vel Regni moderandi ratio, vel rotantis fortunae varietas, vel periculorum a truculentissimo hoste nunquam non ingruentium magnitudo mihi imposuit, nova quaedam atque inopinata his superioribus mensibus suborta est molestia, quae animum meum vehementer sollicitat. Id vero huiusmodi est generis, ut a sola Sanctitate Vestra curari summoverique posse videatur, propensum tamen Beatitudinis Vestrae favorem paternamque pietatem me perinde hoc in negocio experturum, ut in reliquis consuevi, nequaquam ambigo. Summa autem roi, in qua Sanctitatis Vestrae opem auxiliumque implorandum duxi, hec est. Ex quodam prisco quondamque illustri stemmate familia Comitum cognomento de Frangapanibus emanaverit, quaeve eorum non in me dumtaxat, verum a prima usque surgentis Imperii origine, in unumquemque Pannoniae Regem, hoc universum denique Regnum tum vetera, tum recentiora extent officia, notius est, quam ut verbis explicari opporteat. Hec autem prosapia licet per loci vicinitatem assiduis Thurcarum incursibus ac depopulationibus exposita, sed admodum attrita ac concussa, sola tamen adhuc superest, quae illius Provinciae languentis et pene exanimis meo ductu, meisque sub vexillis extremum spiritum velut refovet ac producit, ex cuius nimirum propagine velut florentissimum germen Reverendissimus Dominus Archiepiscopus Colocensis ac Regni mei Cancellarius reflorescens, nulli penitus maiorum suorum in quovis laudum aut virtutis genere concedit. Huic est unicus ex fratre nepos tam generosae sobolis tantorumque titulorum successor et heres: qui cum vix dum ab ephebis excesserit, et aetatis lubrico et vafra quorundam veteratorum calliditate ac astu circumventus clamdestine ad eos prolapsus, quos fratres minores vocitant, habitum vestemque mutavit, et ab his eisdem, quo remotius a suorum oculis segregaretur, neve sanioribus consiliis ac resipiscendi ulla superesset facultas, per tot locorum regionumque intervalla ad Urbem usque quam occultissime abductus, ex cuius vel recessu, vel fuga, vel seductione hae doloris ac tristiciae faces intimis tocius peue Croaciae precordiis sunt admote, ut apprime verear, ne florentissima olim provincia, sed perenni bellorum estu iam exhausta et debilitata in extremum discrimen, ultimasque erumnas ex eiusmodi casu abducatur. Mihi vero singulares adolescentuli corporis animique dotes tantum expectationis adiecerant, ut eum (modo maturuisset etas) ad illustriora quaeque capescenda obeundaque facinora perquam idoneum fore consuerim, et improsentiarum magno quodam decore ornamentoque orbatus videar: sed et pene universa cum proceribus Regni Nobilitas non minori anxietate huuc casum accipiunt, quam si quisque fratre germano filiove se spoliatum cerneret. Me tamen imprimis excitat ac perturbat Rñi Domini Archiepiscopi Colocensis dolor et anxietas: qui cum de me Serenissimisque meis Liberis sit quam optime meritus, et nullum integerrime sincerissimeque mihi obsequendi tempus vacuum abire permittat, eum ob hoc unicum celebratissimae familiae columen ac

presidium, ob hunc inquam Nepotem, in cuius caritate ac dilectione tantopere acquiescebat, nunc quasi per insidias ac furtive subductum in tam acerbissimo luctu meroreque dies et noctes versari non possum non tristissimo animo velut eiusdem particeps meroris tollerare. Quapropter Sanctitatem Vestram etiam atque etiam oro et obsecro, ut tum his, tum aliis adducta rationibus a Venerabili Georgio D. D. Archidiacono Bachiensi fidele meo, et ipsius Reverendissimi Domini Colocensis Nuntio coram explicandis, cui Sanctitas Vestra benignas aures prebere fidemque plenam in his, quae nomine meo refert, prestare dignetur, eundem adolescentulum a tali nexu, quo se inconsulcius quam prudentius per insciciam ac errorem irretivit, quam primum eripere, eumque ad patriae id tantopere flagitantis usus protectionemque remittere. Qua quidem in re Sanctitas Vestra etiam universo illorum Religiosorum Collegio quam optime consuleret, qui ex hac tam insignis tamque accepti adolescentis seductione tantum in se odii invidiaeque ab ipsa quoque inferiori plebe conflarunt, nt sit apprime verendum, ne dolore ac iactura stimulante, communi manu in eos impetu facto, extorres ac profugi ad unnm omnes a Regni limitibus procul abire cogantur, et ad popularem illam rabiem, superiori estate tam perniciose passim debachatam, hic velut novus furor accedat. Quod si ut (ex priscis rernm gestarum annalibus Pontificiisque monumentis liquido constat) nonnulli Sanctitatis Vestrae predecessores quosdam non puberes, sed integrae ac maturioris etatis, non errore lapsos, sed diuturno consilio firmatos, non alieno suasu, sed suae voluntatis impulsu, nec primo tyrocinio, sed post emeritam in Religione militiam, ab his tamen compedibus solutos in pristinam libertatem publicae utilitatis provinciarumque tutandarum gratia vendicarnnt: quidnam Sanctitati Vestrae est agendnm cnm hoc pene puero animi simplicitate prolapso, astu insidiatorum seducto, dolo ac errore circumvento, et vix integro bimestri in eo ordine versato, cnius diuturna ibidem detentio non parum incommodi ac detrimenti est patriae allatura: ipsius vero ad nos reversio, nt huic nniverso Regno uberrimos fructus pariet, ita mihi meisque omnibus plurimum leticiae voluptatisque apportabit. Hoc vero nomine Sanctitas Vestra omnes ordines, sexus, etates mee dicioni obtemperantes magis magisque sibi devinciet, et ad obsequia Sanctitati Vestrae sacrosancteque Sedi Apostolicae continne exhibenda alacriores propensioresque reddet: Ego vero eo Sanctitatis Vestrae munere tantopere afficiar, ut ad cetera eiusdem in me clementiae ac pietatis officia hunc velut cumulum accessisse ingenue sim profcssurus. Quam Deus Optimus Maximus pro incremento ac tutela Reipublicae Christianae diu sanam et incolumem et felicem conservare dignetur. Datum Posonii xx. die Iunii Anno Domini M.CCCCC.XV. Regnorum meorum Hungariae etc. Anno XXV. Bohemiae vero XLV.

Eiusdem Sanctitatis Vestrae

Devotus filius
WLADISLAUS REX HUNGARIE etc.

DCCLIX.

Episcopo Scardonensi tres sententiae pro eo contra Lucam archipresbyterum Breberiensem super certis decimis latae a pontifice confirmantur. Reg. An. III. Brev. Tom. 31. fol. 56.

Venerabili fratri Episcopo Scardonensi.

LEO PP. X. Venerabilis frater, salutem etc. Exponi nobis fecisti, quod litigata dudum inter te ex nna et quendam Lucam pro Archipresbitero Brebcriensi Scardoniensis diocesis se gerente super certa parte decimarum, quote vulgariter nuncupate, in territoriis Iadrensis, Sibinicensis, Scardonensis diocesum consistentium, ad mensam tuam Episcopalem Scardonensem pertinentium, et quas dictus Lucas ad se ratione Archipresbiteratus Breberiensis pertinere asserebat, coram diversis Iudicibus super hoc auctoritate apostolica deputatis ex altera partibus, tu tres conformes diffinitivas sententias pro te et contra dictum Lucam reportasti cum expensarum condemnatione, quarum ultima in rem transiit iudicatam, per quas Iudices prefati, qui decimas predictas non ad Lucam et Archipresbiteratum predictos, sed ad dictam mensam Episcopalem Scardonensem pertinere declararunt, prout in sententiis latis seu instrumentis dictarum sententiarum desuper confectis plenius continetur. Quare pro parte tua nobis fuit humiliter supplicatum, ut te tuosque successores ab ulterioribus vexationibus et litium anfractibus liberare, dictasque sententias inviolabiliter observari mandare dignaremur. Nos igitur tuis in hac parte supplicationibus inclinati, ipsarum scntentiarum tenores pro expressis habentes, sententias illas, quatenus rite late fuerunt, inviolabiliter observari debere decernimus et mandamus, Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis ceterisque contrariis quibuscunque. Datum Rome etc. die XI. Iulii MDXV. Pontificatus nostri Anno Tertio.

DCCLX.

Wladislaus rex Hungariae pontificii gratias de collata episcopo Gurcensi purpura agens petit, ut ipsi facultates ampliare et legationem Germanicam concedere velit. Ex originali.

Sanctissimo in Christo Patri et Domino, Domino Leoni divina providentia Sacrosanctae Romanae ac Universalis Ecclesiae Summo Pontifici, Domino suo Clementissimo.

Beatissime Pater et Domine, Domine Clementissime. Post humillimam sui commendacionem ad oscula pedum beatorum. Cum nuper in Conventu et tractatibus per me cum Sacratissima Cesarea Maiestate habitis experiundo didicerim, ac re ipsa liquido perspexerim Revñum in Christo Patrem Dominum Matheum sancti Angeli Diaconum Cardinalem Gurcensem, Coadiutorem Saltzburgensem etc., mihi antea mirifice ob summam in rebus agendis sapientiam et dexteritatem commendatum illam famam de se et predicationem longe excellere, ipsumque omnibus virtutum donis exornatum prestare, quarum splendore tum etiam aliis humanitatis suae officiis erga me quam diligentissime exhibitis, me tanta affectione sibi devinxit, ut nihil profecto tam grave atque arduum esse arbitrer, quod pro eius exaltatione statusque et honoris sui augmento facere non sim paratus. Congratulorque plurimum Sanctitati Vestrae et Sedi Apostolicae, quod sacro Cardineo cetui vir tantae sapientiae fuerit associatus. Et quoniam intellexerim Beatitudinem Vestram pro munere Legationis Germanicae eidem Rño Dño Cardinali Gurcensi donandae a sacra Cesarea Maiestate sepenumero requisitam, tandem ut utrique satisfieret, nonnullas facultates in certis diocesibus Germaniae benignissime concessisse, quarum sanctissimo usui nuper, dum missarum solemnia Cesarea Maiestate et me presentibus in hoc amplissimo Conventu Viennensi celebrarentur, et indulgentiarum elargitioni interfui, atque ista sanctae Sedis Apostolicae gratia sum affectus: quamvis vero perspectum habeam prefatum Rñum Dominum Gurcensem eisdem facultatibus esse contentum, tamen consideratione excellentissimarum virtutum, quibus ipse est mirum in modum insignitus, quae cum haec tum longe etiam maiora merentur, facile inductus non potui pretermittere, quin Beatitudinem Vestram ex corde rogarem, ut pro solita sua ac paterna in me benevolentia, et dicto Rño Domino Gurcensi benefaciendi promptitudine successu temporis (quoniam omnino necesse est futurum, ut ob universae Reipublicae Christianae negotiorum pregnantiam Legati mittantur,) prefatis facultatibus ampliatis, dictae Legationis Germanicae munus eidem Rño Domino Gurcensi condonare, interea vero dictas facultates ab omni sinistrae seu insperatae revocationis, suspensionis vel derogationis tam generalis quam specialis impedimento tueri ac preservare dignetur, ita ut idem Rñus Dñus Gurcensis hac etiam intercessione mea fretus a Beatitudine Vestra se immenso et paterno benefaciendi favore affectum circa dictas facultates eandem Beatitudinem Vestram, ut fuit concedendo liberalis, ita in ipsarum conservatione promptissimam ac benevolentissimam agnoscat. Quod futurum est, si Beatitudo Vestra per quascumque alias gratias et concessiones, quas quandoque a Sanctitate Vestra ad importunas sollicitationes etiam cum similium facultatum lesione dencgari non posse intellexi, predictis facultatibus preiudicari non permittet. Qua in re Beatitudo Vestra conferet beneficium in hominem de se et Sancta Sede Apostolica (quemadmodum in hiis tractatibus per ipsum mecum habitis pluries cognovi) optime meritum: Me vero immortalis obligationis vinculo sibi devinciet, adeo ut nihil unquam sim pretermissurus, quo desideriis Sanctitatis Vestrae a me satisfiat, ipsaque in se omnem gratitudinem, et devotissimae obedientiae debitum experiatur: Cui me humillime commendo. Datum Viennae die XXVII. mensis Iulii Anno Domini M.D.XV. Regnorum vero nostrorum Hungariae XXV. Bohemiae XXXXIIII(sic).

Eiusdem Sanctitatis Vestrae

Devotus filius
Wladislaus Rex Hungarie.

DCCLXI.

Pontifex respondet dubio episcopi Vesprimiensis, exercitus regis Hungariae contra Turcas capitanei generalis, indulgetque, ut Turcae aliique infideles in bello capti venundari, aut ad omne servitii genus mancipari possint. Reg. An. IV. Autograph. Tom. 3. Nr. 265.

Leo episcopus etc. Universis et singulis, ad quos presentes pervenerint, salutem etc. Cum, sicut accepimus, Venerabilis frater Petrus Episcopus Wesprimiensis exercitum Carissimi in Christo filii nostri Ludovici Ungarie et Bohemie Regis Illustris contra perfidos hostes orthodoxe fidei iam dudum ducat, et pro tutela Christiane religionis bella acerrime et pie gerat, indeque sepenumero contingat, multos

ex dictis hostibus captos fieri, et Christiani ad stipendia prefati Regis sub dicto Episcopo militantes dubitent captivos et mancipia huiusmodi sine conscientie scrupulo venundare vel emere posse: Nos, sicut pastorali officio nostro incumbit, cupientes, auctore domino, efficere, ut huiusmodi bella magis et magis invalescant et Christianorum animi ad id in dies ardentiores fiant, ut omnes et singulos infideles, quos, ut premittitur, captivos fecerint, venundare pretiumque percipere, aut ad quodcunque maluerint servitii genus mancipare, libere et licite possint et valeant, licentiam et facultatem auctoritate apostolica concedimus et indulgemus per presentes, volentes et mandantes, quod presentes littere, sicut earum transumpta manu alicuius publici notarii subscripta ac sigillo prefati Episcopi Wesprimiensis munita, quibus ac si littere ipse exhiberentur plenam et indubitatam fidem adhiberi volumus, apud quoscunque Principes tam spirituales quam territoriales et populos particularesque personas, ai id eidem Episcopo Wesprimiensi opportune visum fuerit, vulgentur, Quibuscunque in contrarium facientus non obstantibus. Datum Rome etc. die XXV. Maii MDXVI. Pontificatus nostri Anno Quarto.

DCCLXII.

Octaviano Corso archipresbyteratus ecclesiae Pagensis Iadrensis dioce. confertur, quam Simeon ejus Modrusiensis obtinebat. Reg. An. IV. Bullar. Tom. 109. fol. 162.

LEO EPISCOPUS etc. Dilecto filio Octaviano Corso Archipresbitero ecclesie Pagensis Iadensis diocesis, salutem etc. Vite ac morum honestas aliaque laudabilia probitatis et virtutum merita, super quibus apud nos fidedigno commendaris testimonio, nos inducunt, ut te specialibus favoribus et gratiis prosequamur. Hodie siquidem, postquam felicis recordationis Bonifacius pp. VIII., predecessor noster, omnes dignitates ceteraque beneficia ecclesiastica cum cura et sine cura apud sedem apostolicam tunc vacantia, et inantea vacatura sue et dicte sedis collationi et dispositioni reservaverat, decernens ex tunc irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari. Et deinde Archipresbiteratum ecclesie Pagensis Iadrensis diocesis per liberam resignationem Venerabilis fratris nostri Simonis Episcopi tunc electi Modrusiensis de illo, quem tunc adhuc infra tempus de consecrandis Episcopis a Canonibus diffinitum existens obtinebat, in manibus pie memorie Iulii pape II. etiam predecessoris nostri sponte factam, et per eundem Iulium predccessorem admissum, apud sedem predictam vacantem, ipse Iulius predecessor illam sic vacantem et antea dispositioni apostolice reservatam quondam Paulo Mancino clerico Nepesino, tunc in humanis agenti, sub data videlicet decimoseptimo Kal. Decembris pontificatus sui anno sexto conferri ot de illo etiam provideri concesserat, et cum postmodum dictus Paulus concessioni gratie huiusmodi, litteris apostolicis super ea non confectis, in manibus nostris sponte et libere ccssisset, concessionem huiusmodi admittentes Archipresbiteratum predictum, ut premittitur, vacantem eidem Simoni Episcopo per eum, quo ad viveret, tenendum, regendum et gubernandum sub data videlicet decimoquarto Kal. Aprilis Pontificatus nostri anno primo commendari concesseramus, cumque dictus Simon Episcopus concessioni commende huiusmodi, litteris apostolicis etiam desuper non confectis, hodie in eisdem manibus nostris sponte et libere cessisset, nos Archipresbiteratum predictum sic ut prefertur vacantem, et antea dispositioni apostolice reservatum tibi per alias nostras litteras contulimus, ot de illo otiam providimus, et quatcnus dictus Archipresbiteratus litigiosus existeret, te dummodo in illo intrusus non esses in omni iure et ad omne ius, quod eidem Simoni Episcopo in dicto Archipresbiteratu, vel ad illum quomodolibet competebat aut competere poterat, dicta auctoritate surrogandum dictumque ius tibi conferendum, et de illo etiam providendum, teque ad huiusmodi ius, eiusque ac litis et cause predictorum prosecutionem et defensionem in eo statu, in quo ipse Simon Episcopus tempore cessionis huiusmodi erat, et si non ccssisset et debuisset admitti, dicta auctoritate admittendum fore et admitti debere decrevimus, exccutores deputavimus, constitutionibus nostris de annali possessore non molestando in aliqua sui parte et de surrogandis collitigantibus ea vice dcrogando, prout in eisdem litteris plenius continctur. Cum itaqne, sicut exhibita nobis nuper pro parte tua petitio continebat, a nonnullis asseratur dictum Archipresbiteratum alias, ut profertur, vacavisse et vacare: Nos igitur, qui dudum inter alia voluimus, statuimus ot ordinavimus, quod quicumque beneficium ecclesiasticum tunc per annum immediate precedentem pacifice possessum, ct quod certo modo vacare pretenderet, deinceps impetraret, nomen, gradum et nobilitatem professoris eiusdem, et quot annis illud ipse possedisset, ac specificatam et determinatam, ex qua clare constare posset, quod nullum ipsi professori in dicto beneficio ius competeret, causam in huiusmodi impetratione exprimere, et infra sex menses ipsum possessorem ad iudicium evocari facere, causamque ex tunc desuper infra annum usque ad sententiam diffinitivam

inclusive prosequi doberet et teneretur, alioquin impetratio predicta et quecumque inde secuta nullius existerent firmitatis, ac idem impetrans de damnis et interesse possessorem predictum propterea contingentibus ei satisfacere, et si possessorem ipsum iniuste, frivole et indebite molestasse repertus extitisset, quinquaginta florenos auri persolvere Camere apostolice astrictus esset, nec alius quam premisse vacationis modus etiam per litteras, si neutri aut surrogatiouis vel alias sibi que ad hoc, ut beneficium huiusmodi ea vice consequi vel obtinere valeret, quomodolibet suffragaretur, illuduque nullatenus inantea litigiosum propterea censeretur, te asserentem dilecti filii Leonardi tit. sancte Susanne presbiteri Cardinalis ex sorore germana nepotem, ot dicto Simone Episcopo non potentiorem existere, ac Canonicatum et prebendam Basilice Principis Apostolorum de Urbe inter alia obtinere, necnon dilectum filium Iohannem de Dominis, qui se gerit pro clerico, Archipresbiteratum predictum nullo titulo nullove iuris adminiculo sibi desuper suffragante, sed temeritate propria et de facto per certum tempus detinuisse et detinere indebito occupatum, premissorum meritorum tuorum intuitu gratioso favore prosequi volentes, teque a quibusvis excommunicationis etc. censentes, necnon omnia et singula alia beneficia ecclesiastica cum cura et sine cura, quo etiam ex quibusvis apostolicis dispensationibus obtines ct expectas, ac in quibus et ad que ius tibi quomodolibet competit, quecumquo, quotcumquo et qualiacumque sint, eorumque ac Canonicatus et prebende predictorum fructuum, reddituum et proventuum verum annuum valorem, ac huiusmodi dispensationum teneres, necnon gradum et nobilitatem ipsius Iohannis, si qui sint, ac tempus, per quod Archipresbiteratum predictum detinuit, presentibus pro expressis habentes, tuis in hac parte supplicationibus inclinati volumus et eadem apostolica tibi auctoritate concedimus, quod littere ac collatie et provisio predicte, necnon processus habiti per easdem ac inde secuta quecumque a data presentium valeant, plenamque roboris firmitatem obtineant et tibi suffragentur, etiam si dictus Archipresbiteratus, qui inibi dignitas principalis existit, ac cuius et illi annexorum fructus, redditus et provontus vigintiquatuor ducatorum auri de Camera secundum communem oxtimationem valorem annuum, ut etiam asseris, non excedunt, sive premisso sive alio quovis modo, aut ex alterius cuiuscumque persona, seu per similem resignationem aut cessionem dicti Simonis Episcopi, vel cuiusvis alterius de illo in Romana Curia vel extra eam et coram notario publico et testibus sponte factam, aut constitutionem recolende memorie Iohannis pape XXII. similiter prodecessoris nostri, que incipit, Exccrabilis, vel assecutionem alterius beneficii ecclesiastici quavis auctoritate collati vacet, etiam si tanto tempore vacaverit, quod eius collatio iuxta Lateranensis statuta Concilii ad sodem apostolicam legitime devoluta, ipseque Archipresbiteratus dispositioni apostolice specialiter, vel ex eo quod dignitas principalis, ut prefertur, aut alias generaliter reservata existat, et ad eam consueverit quis per electionem assumi, cique curam immineat animarum, super eo quoque inter aliquos lis, cuius statum presentibus haberi volumus pro expresso, pendeat indecisa, non obstantibus priori voluntate, statuto et ordinatione predictis, ac fel. record. Bonifacii pape VIII. etiam prodecessoris nostri, et aliis apostolicis constitutionibus et ordinationibus, ac statutis et consuetudinibus dicte ecclesie iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, nec non omnibus illis, que in dictis litteris voluimus non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque. Nulli ergo etc. nostre absolutionis, concessionis ct voluntatis infringere etc. Si quis autem etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno etc. M.D.soxtodecimo, quarto Nonas Martii, Pontificatus nostri Anno Quarto.

DCCLXIII.

Executoribus, ut Vincentio episcopum Ottocensem in possessionem canonicatus, archipresbyteratus et primiceriatus ecclesiae Traguriensis inducant. Reg. An. V. Bull. Tom. 113. fol. 73.

Leo episcopus etc. Venerabili fratri Episcopo Tragurionsi, et dilectis filiis Archidiacono ecclesie Venetensis ac Vicario Venerabilis fratris nostri Archiepiscopi Iadrensis in spiritualibus generali, salutem otc. Hodie Venerabili fratri nostro Vincentio Episcopo Ottocensi Canonicatum ot prebendam, ac Archipresbiteratum necnon Primiceriatum ecclesie Traguriensis, ac Capellam sancte Eufemie Traguriensis diocesis, tunc per obitum quondam Marini de Ciga olim ecclesie Canonici ac Archipresbiteri et Primiceri, nec non Capelle huiusmodi Rectoris apud sedem apostolicam defuncti vacantem, cum omnibus iuribus et pertinentiis suis sibi per eum, quoad viveret, tenendos, regendos et gubernandos apostolica auctoritate commendavimus, prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur. Quocirca otc. mandamus, quatenus vos vel duo aut unus vestrum, si et postquam dictc littere vobis presentate fuerint, per vos vel alium seu alios eundem Vincentium Episcopum, vel procuratorem suum eius nomine in corporalem possessionem Canonicatus et prebende, iuriumque et pertinentiarum predictorum inducatis

auctoritate nostra, et defendatis inductum, amotis quibuslibet detentoribus ab eisdem, ac facientes Vincentium Episcopum, vel pro eo procuratorem predictum ad Canonicatum et prebendam, nec non Archipresbiteratum et Primiceriatum huiusmodi, ut est moris, admitti, sibique de illorum ac dicte Capelle fructibus, redditibus, proventibus, iuribus et obventionibus integre responderi, Contradictores auctoritate etc. Non obstantibus omuibus, que in dictis litteris voluimus non obstare, seu si Venerabili fratri nostro Epo et dilectis filiis Capitulo Traguriensibus, vel quibusvis aliis communiter vel divisim ab eadem sit sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno etc. MDXVII., quarto Idus Martii, Pont. nostri Anno Quinto.

DCCLXIV.

Ioannes Thomaschinch eſpo Scardonensi coadiutor in ecclesia s. Marine Clisiensi datur. Reg. An. V. Bull. Tom. 190. fol. 183.

Leo episcopus etc. Dilecto filio Iohanni Thomaschinch presbitero Spalatensis docesis, sal. etc. Circa pastoralis officii debitum etc. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte Venerabilis fratris nostri Nicolai Episcopi Scardonensis, qui cum ipse adeo senio confectus et viribus sui corporis destitutus existat, ut de cetero parrochiali ecclesie, Archipresbiteratui nuncupate, sancte Marie de Clisio Spalatensis diocesis, que de iure patronatus Communitatis et hominum oppidi Clisiensis existit, quam ex concessione et dispositione apostolica in titulum vel commendam obtinet, in divinis deservire, ac illi incumbentia onera per se ipsum sufferre commode non valeat, ac propterea cupit te sibi in Coadiutorem in regimine et administratione parrochialis ecclesie huiusmodi dari, constitui et deputari: quare pro parte tua ac dicti Nicolai Episcopi nobis fuit humiliter supplicatum, ut te eidem Nicolao Episcopo, quoad vixerit, in Coadiutorem perpetuum et irrevocabilem in regimine et administratione prefatis dare, constituere et deputare, aliasque in premissis oportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, qui parrochialium ecclesiarum ac aliorum beneficiorum ecclesiasticorum felici successui libenter consulimus, volentes tibi apud nos de vite ac morum honestate, aliisque probitatis et virtutum meritis multipliciter commendato, horum intuitu gratiam facere specialem, teque a quibusvis excommunicationis etc. censentes, necnon omnia et singula beneficia ecclesiastica cum cura et sine cura, que etiam ex quibusvis dispensationibus apostolicis obtines et expectas, et in quibus et ad que ius tibi quomodolibet competit, quecumque, quotcumque et qualiacumque sint, eorumque fructuum, reddituum et proventuum veros annuos valores ac huiusmodi dispensationum tenores presentibus pro expressis habentes, tuis in hac parte supplicationibus inclinati, te prefato Nicolao Episcopo in Coadiutorem perpetuum et irrevocabilem in regimine et administratione dicte parrochialis ecclesie in spiritualibus et temporalibus cum plena, libera et omnimoda potestate et auctoritate omnia et singula, que ad huiusmodi Coadiutoris officium de iure vel consuetudine, aut aliter quomodolibet pertinentia faciendi, gerendi et procurandi, dummodo prefati Nicolai Epi et dilectorum filiorum modernorum ipsius ecclesie patronorum ad hoc expressus accedat assensus, auctoritate apostolica tenore presentium damus, constituimus et deputamus, et nichilominus parrochialem ecclesiam predictam, cuius fructus, redditus et proventus vigintiquatuor ducatorum auri de Camera secundum communem extimationem valorem annuum, ut asseris, non excedunt, cum illam per cessum vel decessum seu quamvis aliam dimissionem dicti Nicolai Episcopi apud sedem apostolicam vel alias quovis modo, etiam in aliquo ex mensibus ordinariis collatoribus etiam per constitutiones nostras, seu litteras alternativas aut alia privilegia et indulta concessa hactenus, et imposterum concedenda vacare contigerit, etiam si actu nunc quovis modo aut ex cuiuscumque persona, seu per liberam resignationem dicti Nicolai Episcopi vel cuiusvis alterius de illa in Romana Curia vel extra eam, etiam coram Notario publico vel testibus sponte factam, aut constitutionem felicis recordationis Iobannis pape XXII. predecessoris nostris, que incipit, Execrabilis, vel assecutionem alterius beneficii ecclesiastici ordinaria auctoritate collati vacet, etiam si tanto tempore vacaverit, quod eius collatio iuxta Lateranensis statuta Concilii ad sedem apostolicam legitime devoluta, ipsaque parrochialis ecclesia dispositioni apostolice specialiter reservata existat, et super ea inter aliquos lis, cuius statum presentibus haberi volumus pro expresso, pendeat indecisa, cum omnibus iuribus et pertinentiis suis, etiam antequam onus coadiutorie huiusmodi susceperis et illud ceperis exercere, prefata auctoritate conferimus, et de illa etiam providemus, ac illam exnunc prout extunc et econverso collatam et de ea provisum fore decernimus. Quocirca Venerabilibus fratribus nostris Casertano et Asculano Episcopis, ac dilecto filio Officiali Spalatensi per apostolica scripta mandamus, quatenus ipsi vel duo aut unus eorum per se vel alium seu alios te, vel

procuratorem tuum tuo nomine, cessante huiusmodi Coadiutoris officio, in corporalem possessionem parrochialis ecclesie iuriumque et pertinentiarum predictorum inducant auctoritate nostra, et defendant inductum, amoto ex inde quolibet detemptore, facientes tibi de ipsius ecclesie fructibus, redditibus, proventibus, iuribus et obventionibus universis integre responderi, Contradictores etc. Non obstantibus etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno etc. MDXVII., IX. Kal. Iunii, Pontificatus nostri Anno Quinto.

DCCLXV.

Episcopus Polensis ad Venetos cum potestate legati de latere nuntius mittitur, ut expeditionem contra Turcas urgeat.
Reg. An. V. Secret, Tom. 5. fol. 214.

LEO EPISCOPUS etc. Venerabili fratri Altobello Episcopo Polensi, ad dilectos filios Nobiles viros Leonardum Lauredanum Ducem et dominium Venetorum nostro et apostolice sedis cum potestate legati de latere nuncio et oratori, salutem etc. Cum Romani pontifices predecessores nostri, ut sua et sancte Romane ecclesie ardua negocia, presertim Christiane fidei exaltationem et conservacionem concernentia commodius tractare possent, nuncium apud dilectos filios Ducem et dominium Venetiarum tenere consueverunt: Nos eorumdem predecessorum vestigiis inherentes ac confidentes, quod ipsi Dux et dominium consilio, opere et favore in hiis, que ad Christifidelium salutem, pacem, concordiam et tranquillitatem, ac ad sanctam adversus salutifere crucis hostes expeditionem spectant et pertinent, nobiscum, qui tempore pontificatus nostri supremo affectu christianaque et ardenti caritate desideramus cunctis Christianis omnia prospere evenire, votis omnibus sentient. Sumentes igitur in dño fiduciam, ac sperantes, quod fraternitas tua, quam potentem opere, dexteritate pariter et sermone in magnis et arduis comprobatam, et dum in minoribus essemus et Cardinalatus honore fungeremur, negociis eximia probitate et fidelitate, maturitate consilii, integritate morum et aliis maximarum virtutum donis, quibus personam tuam illarum largitor insignivit Altissimus, pollentem cognovimus, ea que tibi duximus committenda tua exactissima et pervigili diligentia adimplere curabis, sciesque et poteris, habita super hiis matura deliberatione, fraternitatem tuam, de qua potissimum non minus Dux et dominium prefati quam nos merito confidere possunt, ad eorumdem Ducem et dominium, ut illis mentis nostre sancta et pia desideria communices, et negocia pro huiusmodi sancte sedis conservatione et fidei Christiane exaltatione valde opportuna exponas, et cum eis tractes, proinde duximus destinandum, firma spe fiduciaque conceptis, quod inspiraute Altissimo et gressus sermonesque tuos dirigente, quod pie optamus, perficies. Quocirca fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenus iniunctum tibi onus huiusmodi pro divina ac nostra et dicte sedis reverentia devote suscipiens, sic illud utiliter, sic sollicite, fideliter et prudenter iuxta datam tibi a domino prudentiam exequaris, quod ex huiusmodi laboribus, studio, fide et diligentia, divina favente clementia, fructus, quos speramus, proveniant. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno domini Millesimo quingentesimo decimoseptimo, XIII. Kal. Octobris, Pontificatus nostri Anno Quinto.

DCCLXVI.

Episcopo Nonensi eiusque collegae, ut Antonium de Motta Iadrensem ad comparendum coram auditore causarum camerae apostolicae moneant. Reg. An. V. Brev. Tom. 32. fol. 21.

Venerabili fratri G. Episcopo Nonensi, et dilecto filio Iohanni Baptiste Primicerio ecclesie Iadrensis.

LEO PP. X. Venerabilis frater, et dilecte fili, salutem etc. Exposuit nobis nuper dilectus filius noster Franciottus tituli sancti Georgii diaconus Cardinalis, quod licet alias ipse dilectum filium Georgium de Ferretis, Episcopi Ottocensis prelati nostri domestici capellanum, pro nonnullis negociis et rebus suis cum litteris patentibus ad istas partes destinasset, ipseque Georgius expeditis negociis sibi commissis ad almam Urbem nostram rediret: tamen quidem Antonius de Motta, pro Vicario in spiritualibus generali Archiepiscopi Iadrensis se gerens, eundem Georgium in contemptum litterarum patentium Cardinalis huiusmodi diversis iniuriis ac damnis affecit, propter quod idem Franciottus Cardinalis nobis humiliter supplicavit, ut tali et tante temeritati dicti Antonii taliter providere dignaremur, ut eius exemplo ceteri a similibus insolentiis discerent abstinere. Nos itaque huiusmodi supplicationibus inclinati vobis in virtute sancte obedientie, ac tibi, frater Episcope, sub interdicti ingressus ecclesie et suspensionis a divinis, ac fili Iohannis Baptista, sub excommunicationis late sententie ac privationis omnium beneficiorum tuorum penis committimus et mandamus, quatenus visis presentibus per vos vel alterum vestrum, aut alios seu alium eundem Antonium moneatis, seu per publicum notarium moneri faciatis, ut infra

XXV. dierum spatium a die sibi facte monitionis huiusmodi computandum coram Venerabile fratre Hieronimo Episcopo Asculano, causarum Camere apostolice generali auditore, sub excommunicationis late sententie ac privationis beneficiorum suorum per eum obtentorum penis, ac inhabilitatis ad illa imposterum obtinenda, necnon quingentorum ducatorum auri de Camera fabrice basilice principis Apostolorum de Urbe applicandorum penis personaliter, et non per procuratorem compareat ac excusandum se super premissis, dantes eidem Hieronimo Episcopo facultatem contra eundem Antoninm, si infra tempus debitum non comparuerit, ad procedendum per officium contradictarum ad declarationem incursus penarum huiusmodi, prout de iure fuerit faciendum. Curabitis igitur mandata nostra ea diligentia exequi, ut a nobis merito commendari possitis. Datum Romae etc. die XXVIII. Decembris MDXVII. Pontificatus nostri Anno Quinto.

DCCLXVII.

Ioanni Rachich ex gentibus armigeris episcopi Vesprimiensis a leiunio dispensatio conceditur, et ut tempore praesertim belli contra Turcas quadragesimalibus etc. lacticiniis vesci possit. Reg. An. VI. Tom. 4. Autogr. fol. 217.

Dilecto filio Iohanni Rachich.

LEO PP. X. Dilecte fili, salutem etc. Cum, sicut accepimus, tu cum gentibus armigeris Venerabilis fratris Episcopi Vesprimiensis, pro Carissimo in Christo filio nostro Rege Croatie et Dalmatie in confinibus infidelium, tuam prestantem virtutem et strenuitatem pro orthodoxa fide contra infensissimos hostes Christiani nominis quotidie exerceas, et sicuti nobis nuper exponi fecisti, ex infirmitate stomachi sepissime laboras: Nos cupientes, nt ad dimicandum contra dictos hostes vegetior et fortior existas, humilibus in hac parte supplicationibus tuis inclinati tibi, ut quadragesimalibus et aliis diebus prohibitis, in quibus Christifideles ex precepto legis ieinnare tenentur, ovis, butiro et caseo aliisque lacticiniis sine conscientie scrupulo, presertim tempore quo contra dictos infideles bella geris, libere ac licite vesci possis et valeas, licentiam et facultatem concedimus pariter et indulgemus per presentes, Constitutionibus etc. Verum, dilecte fili, te hortamur in domino et paterna requirimus caritate, ut iniunctum tibi munus contra infideles predictos, auctore domino, ita exequi et adimplere procures, ut pia tua opera altissimo grata et accepta fiant, ac de orthodoxa fide et S. R. E. ac de nobis magis ac magis in dies merearis. Datum Romae etc. die XV. Maii MDXVIII. Pontificatus nostri Anno Sexto.

DCCLXVIII.

Ioanni de Andreis canonicatus cum praebenda in ecclesia Farensi confertur. Reg. An. VI. Bull. Tom. 143. fol. 149.

LEO EPISCOPUS etc. Dilecto filio Iohanni Nicolai de Andreis Canonico Pharensi, familiari nostro, salutem etc. Grata familiaritatis obsequia etc. Cum itaque, sicut accepimus, Canonicatus et prebenda ecclesie Pharensis, quos dilectus filius Marcus Antonius de Hectoris ipsius ecclesie Canonicus obtinuit, certo modo vacent ad presens, et forsan tanto tempore vacaverint, quod eorum collatio iuxta Lateranensis statuta concilii est ad sedem apostolicam legitime devoluta: Nos tibi, qui etiam continnus commensalis noster existis, premissorum obsequiorum et meritorum tuorum intuitu specialem gratiam facere volentes, teque a quibusvis excommunicationis etc. absolutum fore censentes, necnon omnia et singula beneficia ecclesiastica cum cura et sine cura, que etiam ex quibusvis apostolicis dispositionibus obtines et expectas, ac in quibus et ad que ius tibi quomodolibet competit, quicunque et qualiacunque sint, eorumque fructum, redditnum et proventuum veros annuos valores ac huiusmodi dispensationum series, necnon verum et ultimum dictorum Canonicatus et prebende vacationis modum, etiam si ex illo quevis generalis reservatio etiam in corpore iuris clausa, preterquam per obitum apud sedem apostolicam, resultet, presentibus pro expressis habentes, Canonicatum et prebendam predictos, quorum fructus, redditus et proventus vigintiquatuor ducatorum auri de Camera secundum communem extimationem valorem annuum, nt asseris, non excedunt, quovismodo, sive adhnc ex eo quod dictus Marcus Antonius ad laicalia vota aspirans matrimonium cum quadam muliere per verba de presenti contraxit, aut ex illius vel cuiusvis persona, sen per liberam dicti Marci Antonii vel cuiusvis alterins resignationem de illa extra Romanam curiam, et coram Notario publico et testibus specialiter factam vacent, ipsique Canonicatus et prebenda dispositioni apostolice specialiter reservati existant, et super eis inter aliquos lis, cuius statum presentibus haberi volumus pro expresso, pendeat indecisa, dnmmodo tempore date presentium non sit in eis alicui specialiter ius quesitum, cum omnibus iuribus et pertinentiis suis apostolica tibi auctoritate conferimus et de illis etiam providemus. Quocirca Venerabilibus fratribus nostris Asculano et Casertano Episcopis,

ac dilecto filio Archidiacono maioris ecclesie Metensis etc. mandamus, quatenus ipse vel duo aut unus eorum per se vel alium seu alios te, vel procuratorem tnum tuo nomine in corporalem possessionem Canonicatus et prebende iuriumque et pertinentiarum predictorum inducant, et defendant inductum, amoto exinde quolibet illicito detentore, facientes te vel pro te procuratorem predictum ad prebendam huiusmodi in dicta ecclesia Pharensi in Canonicum recipi et in fratrem, stallo tibi in choro et loco in Capitulo ipsius ecclesie Pharensis cum dicti inris plenitudine assignatis, tibique de ipsorum Canonicatus et prebende fructibus, redditibus, proventibns, iuribus et obventionibus universis integre responderi, Contradictores etc. Datum Rome apnd S. Petrum Anno etc. Millesimo quingentesimo decimo octavo, VI. Kal. Iulii, Pontificatus nostri Anno Sexto.

DCCLXIX.

Ludovicus rex Hungariae supplicat pontifici, ut episcopo Bosnensi B. lectorem Bachiensem det coadiutorem. Ex originali.

Sanctissimo in Christo Patri et Domino, Domino Leoni Decimo divina providentia Sacrosanctae Romanae ac Universalis Ecclesiae Summo Pontifici, Domino meo Clementissimo.

Beatissime Pater et Domine Clementissime. Post oscula pedum Sanctitatis Vestrae beatorum ot mei serviciorumque meorum debitam humilemque commendacionem. Satis constare arbitror Sanctitati Vestrae reliqnias Episcopatus Ecclesiae Boznensis in ipsis Thnrcorum faucibns esse sitas et collocatas, et quo magis ob vicinitatem Christianae fidei hostium sit desolata et pene prostrata, eo diligenciore cura in administrandis divinis officiis Ecclesiam illam indigere. Quum autem Reverendus dñus Michael Resserew Episcopus illius Ecclesiae, Secretarius meus, in Aula mea impraesentiarum agat negotiisque meis peragendis occnpatus sit, divinis Ecclesiae suae officiis, prout necessarium foret, in absentia sua invigilare nequit. Postulabit igitur a Sanctitate Vestra Venerabilem Benedictum Lectorem et Canonicum Ecclesiae Bachiensis per suas litteras in Episcopum suum Suffraganeum ordinari et consecrari, virum idonoum et litteris satis instructum, qui vices suas in Ecclesia illa, ipso absente, administret, officioque Episcopi Suffraganei fungatur. Quare supplico et ego Sanctitati Vestrae, ut postulationi ipsius domini Episcopi acquiescere, ipsumque Benedictum Lectorem in Episcopum Suffraganeum illi Ecclesiae dare et consecrari volit, ne ob absentiam Episcopi divinus cultus illi imprimis Ecclesiae utpote in limitibus Thurcorum constitutae pernecessarius in aliqna sui parte deficiat, factura in hoc Sanctitas Vestra rem mihi gratissimam et ad profectum divini cultus in illa Ecclesia utilissimam. Dens optimus Sanctitatem Vestram ad augmentum et defensionem fidei Christianae multis annis felicissime conservet: Cui me et Regna mea iternm atque iterum commendo. Datum Budae quinto Idus Iulii Anno domini Millesimo quingentesimo decimo octavo, Regnorum meorum Hungariae et Bohemiae Anno Tercio.

E(iusdem) Sanctitatis Vestrae

Devotus filius
LUDOVICUS REX HUNGARIAE ET BOHEMIAE etc. mpp.
L. Episcopus Varad. Secretarius.

DCCLXX.

Triphoni episcopo Catharensi confertur monasterium s. Georgii de Scopulo. Reg. An. VI. Bullar. Tom. 148. fol. 33.

LEO EPISCOPUS etc. Venerabili fratri Triphoni Episcopo Catharensi, salutem etc. Romani Pontificis circumspecta providontia etc. Cum itaque, sicut accopimus, Monasterium sancti Georgii de Scopulo ordinis sancti Benedicti Catharensis diocesis, quod in confinibns Turchorum existit, et de iure patronatus laycorum, videlicet dilectorum filiorum Commnnitatis et hominum Civitatis Catharensis ex privilegio apostolico, cui non est hactenus in aliquo derogatum, fore dinoscitur, et quod quondam Ludovicus Boliza clericus ex concessione apostolica in commendam, dum viveret, obtinebat, commenda huiusmodi per obitum dicti Ludovici, qui extra Romanam curiam diem clausit extremum, cessante, adhuc eo, quo ante commendam ipsam vacabat, modo vacare noscatur ad presens: Nos, in quorum manibus dilectus filius Petrus de Albis clericus Ragusine diocesis, Cubicularius secretus et familiaris continuus commensalis noster asserens monasterium predictum sic vacans per eum, quoad viveret, tenendum, regendum et gubernandnm apostolica sibi auctoritate commendari concessum fuisse, concessionis commende huiusmodi litteris apostolicis desuper non confectis, hodie in manibus nostris sponte et libere cessit, nosque cessionem ipsam duximus admittendam, et tam eidem monasterio do persona ydonea, per quam

circumspecte regi et salubriter dirigi valeat, quam tibi asserenti te ad illud per dictos Communitatem et homines assereutes se in possessione seu quasi dicti iuris patronatus seu presentandi existere, infra tempus debitum tunc officiali Catharensi presentatum fuisse, et statum tuum iuxta pontificalis exigentiam dignitatis decentius tenere valeas, de alicuius subventionis auxilio previdere volentes, teque a quibusvis excommunicationis etc. censentes, ac omnia et singula alia ecclesias, monasteria, prioratus, prepositu-ras, prepositatus, canonicatus et prebendas, personatus, administrationes et officia ceteraque bona ecclesiastica cum cura et sine cura, secularia ac predicti et quorumcumque aliorum ordinum regularia, que ex quibusvis concessionibus et dispensationibus apostolicis in titulum vel commendam, aut alias obtines et expectas, nec non in quibus et ad que ius tibi quomodolibet competit, quecumque, quotcumque et qualiacumque sint, eorumque fructuum, redditumm et proventuum veros annuos valores, ac huiusmodi concessionum et dispensationum tenores, nec non quarumcumque pensionum annuarum super quibusvis proventibus ecclesiastieis dicta apostolica tibi auctoritate assignatarum quantitates, verumque ultimum dicti monasterii vacationis modum, etiam si ex illa quevis generalis reservatio resultet, presentibus pro expressis habentes, monasterium predictum, quod Conventu caret, cuiusque fructus, redditus et proventus, super quibus dilectus filius Pompeius de Clericatis clericus Vicentine dioecesis pensionem annuam quadraginta ducatorum auri Venetiarum dicta auctoritate sibi reservatam percipit annuatim, ad triginta quinque florenos auri de Camera in libris Camere apostolice taxati reperiuntur, quovismodo et ex cuiuscumque persona vacet, et ex quavis causa illius provisio ad sedem apostolicam specialiter vel generaliter pertineat, dummodo tempore date presentium non sit eidem monasterio de Abbate provisum, seu illud alteri commendatum canonice non extat, tibi eum omnibus iuribus et pertinentiis suis per te, quoad vixeris, etiam una cum Catharensi ecclesia, cui preesse dinoscoris, ac aliis ecclesiis, monasteriis, prioratibus, prepositu-ris, prepositatibus, canonicatibus et prebendis, dignitatibus, personatibus, administrationibus et officiis, ceterisque beneficiis ecclesiasticis eum cura et sine cura secularibus et regularibus, que obtines, ut prefertur, et imposterum obtinebis, regendum et gubernandum, ita quod liceat tibi, debitis et consuetis ipsius monasterii supportatis oneribus, et si eiusdem monasterii mensa Abbatialis separata et seorsum a mensa conventuali, si quando ad Conventualitatum devenerit, quarta eiusdem mense Abbatialis, si vero una ibi communis sit mensa, tertia ipsius monasterii fructuum, redditumm et proventuum parte pro instauratione fabriee, pro ornamentis, vestibus et paramentis emendis vel faciendis, aut pauperorum elemosina et sustentatione etiam eorumdem Conventus, ut maior exigct et suadebit necessitas, annis singulis omnino convertenda prius deducta, de residuis illius fructibus, redditibus et proventibus disponere et ordinare, sicuti monasterium ipsum in titulum pro tempore obtinentes disponere et ordinare potuerunt, seu etiam debuerunt, alienatione tamen quorumcumque bonorum immobilium et pretiosorum mobilium dicti monasterii tibi penitus interdicta, prefata auctoritate apostolica commendamus, curam, regimen et administrationem ipsius monasterii tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo. Quocirca dilectis filiis Archidiacono et Archipresbitero ac Alberto Minacie Canonico ecclesie Catharensis etc. mandamus, quatenus ipsi vel duo aut unus eorum per se vel per alium seu alios tibi in adipiscenda possessione vel quasi regiminis et administrationis, ac bonorum monasterii huiusmodi assistentes, faciant tibi a Conventu prefatis, si quando inibi fuerint, ut prefertur, obedientiam et reverentiam debitas et devotas, necnon a dilectis filiis Vassallis et aliis subditis dicti monasterii consueta servitia et iura tibi ab eis debita integre exhiberi, Contradictores etc. Non obstantibus etc. Nulli ergo etc. nostre absolutionis, commende, mandati infringere etc. Si quis autem etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno etc. MDXVIII. sexto Kal. Decembris, Pontificatus nostri Anno Sexto.

DCCLXXI.

Salvusconductus pro sponsa Marci Iaxit nobilis Hungari. Reg. An. VI. Autograph. Tom. 4. fol. 98.

Leo episcopus etc. Universis et singulis, ad quos praesentes nostrae pervenerint, salut. etc. Cum dilectus filius Mareus Iaxit, unus ex proceribus Carissimi in Christo filii nostri Ludovici Hungariae et Bohemiae Regis Illustris, uxorem sibi sponsam ex Urbe Roma nuper acceptam ad se domum cum bona comitiva harum exhibitrice conduci nunc faciat, et propterea ille ab ipso Rege pro ductore etiam strenuo et rei bellicae maxime experto, ut qui in ipsius Regni finibus contra infideles tuendis ad eius stipendia dudum militando se egregie semper gessisse dicitur, nobis fuerit per litteras efficaciter commendatus: Nos eidem ob hoc tamquam de fide catholica bene merito, eum suae ipsius virtutis causa, tum Regiae illius commendationis testimonio adducti, paterna ipsum benevolentia complectendo vehementer

afficimur. Cupientes igitur profatae eiusdem sponsae cum sua comitiva tutum ac liberum iter ubique patere, Devotionem vestram hortamur in domino, et summo studio requirimus, subditis vero nostris ac gentibus armigeris, earumque Capitaneis et ducibus nobis ac S. R. E. mediate et immediate militantibus districte precipiendo mandamus, quatenus dictam sponsam cum comitiva sua tam equestri quam pedestri, necnon impedimentis, sarcinis, valisiis, bulgis rebusque et bonis omnibus ad ipsam et comitivam praedictam huiusmodi pertinentibus, dummodo mercimonii causa non deferantur, per omnia et singula loca, passus, portus, pontes, civitates et terras tam vestras quam nostras sine aliqua datii, pedagii, gabellae, fundinavis et cuiusvis indicti vel indicendi oneris solutione et impedimento ire, stare, morari, transire tam per torram quam per aquam permittatis et permitti faciatis, eandem sponsam cum suis comitibus et servitoribus quibuscumque benigne ac humaniter pertractando, ac eisdem de securitate itineris, scorta et libero salvoconductu, si opus fuerit et ipsi duxerint requirendum, nostro intuitu providendo, facturi nobis in hoc rem valde gratam. Datum Romae etc. die XI. Ianuarii MDXIX. Pontificatus nostri Anno Sexto.

DCCLXXII.

Duci Urbini, ut Ioanni Stamphileo episcopo Sibinicensi ad Francorum regem nuntio apostolico iture fidem adhibeat. Reg. An. VI. Brev. Autograph. Tom. 4. fol. 116.

Dilecto filio Nobili viro Duci Urbini.

Leo PP. X. Dilecte fili, salutem etc. Mittentes in presentia ad Carissimum in Christo filium nostrum Franciscum Francorum Regem Christianissimum Venerabilem fratrem Iohannem Staphileum Episcopum Sibinicensem, sacri palatii nostri causarum Auditorem, nostrum et apostolicae sedis Nuntium, ei commisimus, ut inter eundum conveniret Nobilitatem tuam, illique nonnulla nostro nomine referret. Quare eundem Nobilitatem tuam hortamur in domino, ut dicto nuntio in hiis, quae ex parte nostra exponeret, omnem fidem adhibeat. Datum Romae apud S. Petrum etc. die XII. Martii MDXIX. Pontificatus nostri Anno Sexto.

DCCLXXIII.

Universis fidelibus ecclesiam s. Nicolai in Felveneth Agriensis dioec. visitantibus et adiuvantibus indulgentiae concedantur. Reg. An. VII. Brev. Tom. 37. fol. 21.

Leo episcopus etc. Universis et singulis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis, sal. etc. Licet is etc. Cum itaque, sicut accepimus, parrochialis ecclesia sancti Nicolai in Felveneth Agriensis diocesis in suis structuris et edificiis reparatione, et ornamentis ecclesiasticis ad divinum cultum necessariis indigeat, et ad illius reparationem et ornamentorum huiusmodi emptionem ipsius capelle non suppetunt facultates, sed sint Christi fidelium suffragia plurimum opportuna: Nos cupientes, ut ecclesia ipsa, ad quam, sicut etiam accepimus, dilectus filius Paulus Chanlowich, laycus Zagrabiensis diocesis, per Carissimum in Christo filium nostrum Ludovicum Ungarie Regem Illustrem ad nos et sedem apostolicam orator destinatus, singularem gerit devotionis affectum, in huiusmodi structuris et edificiis reparetur, conservetur et manuteneatur, ac ornamentis ad divinum cultum necessariis decoretur, congruisque frequentetur honoribus, nec non fideles ipsi eo libentius devotionis causa confluant ad eandem, et ad reperationem, conservationem et manutentionem ac ornamentorum huiusmodi emptionem manus promptius porrigant adiutrices, quo ex hoc ibidem dono celestis gratie uberius conspexerint se refectos, de omnipotentis dei misericordia ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus et singulis utrinsque sexus Christi fidelibus vere penitentibus et confessis, qui ecclesiam predictam in quinta et sexta feriis ac sabato maioris ebdomade, necnon dominica Resurrectionis domini nostri Iesu Christi a primis vesperis ferie quinte usque ad occasum solis dominice huiusmodi devote visitaverint, et ad reparationem, conservationem, manutentionem ac ornamentorum emptionem huiusmodi manus porrexerint adiutrices, necnon qui in egritudine mortali constituti fuerint, et aliquid subsidii pro reparatione dicte ecclesie relinquerint, plenariam remissionem etc. elargimur: qui vero ecclesiam ipsam in dñi nostri Iesu Christi et beate Marie Virginis Nativitatibus, ac eiusdem sancti Nicolai, necnon in sanctorum Petri et Pauli Apostolorum festivitatibus a primis vesperis usque ad occasum solis singularum festivitatum earumdem etiam devote visitaverint, et ad reparationem, conservationem, manutentionem et ornamentorum emptionem huiusmodi manus porrexerint adiutrices, quinquaginta annos et totidem quadragenas de iniunctis eis penitentiis misericorditer in domino relaxamus. Et ut ipsi Christi fideles ad

consequendam indulgentiarum huiusmodi gratiam fiant aptiores, dilecto filio moderno et pro tempore existenti dicte ecclesie Rectori tot confessores, quot opus fuerit, annuatim per se vel eius Vicarium deputandi etc. ut infra pag. 572. Datum Rome etc. die XXV. Maii MDXIX. Pontificatus nostri Anno Septimo.

DCCLXXIV.

Valachiae voivodis, ut principum christianorum foederi contra Turcas se associent. Reg. An. VII. Secret. Tom. 7. fol. 362.

Leo episcopus etc. Dilectis filiis Nobilibus viribus Bassarabo Vallachie Cisalpine et Stephano Muldosiche Vaivodis, salutem etc. Inter ceteras cogitationum atque animi curas, quas in sancta dei ecclesia nos continue sustinere oportet, nichil est, quod magis ad officium commissi nobis gregis pertinere censeamus, quam omni ope conari, ut studia atque opera nostra christianis populis pacem et tranquillitatem, infidelibus vero christiane fidei hostibus extirpationem, domino concedente, pariant, ac nobis affectos et de sancta apostolica sede et fide christiana bene mereri cupientes perpetuo fedore nobis iungere, ut communibus viribus et auxiliis non solum nos ab infidelibus invicem tueri ac defendere, verum etiam infideles ipsos facile debellari ac penitus exterminare valeamus. Sane cum nuper dilectus filius nobilis vir Antonius Paicalas nuntius et orator vester nobis exposuit, summopere vos appetere et desiderare et vos videlicet te, filii Bassaroba, et dilectos filios Theodosium et Petrum filios et descendentes tuos, ac te, fili Stephane, et filios tuos, si contingat, te matrimoninm contrahere et filios suscipere, ac etiam descendentes tuos unacum subditis vestris nobiscum et hac sancta sede ac Romana ecclesia perpetuo federe coniuncti sitis, pollicentes vos ac filios et subditos vestros pro fide Christi facultates omnes, ac sanguinem et vitam quoque ipsam exposituros, ac nobiscum et aliis Principibus christianis sanctam adversus Selinum Turcarum tirannum expeditionem alias per nos indictam susceptnros et prosecuturos, et nunquam sine nostra et huius sancte sedis licentia treugam sen inducias et confederationem facturos fore, dummodo vobis promittamus vos in omni treuga et conventione, si quam per nos cum dicto Turcarum tiranno unquam fieri contingeret, tamquam confederatos nostros includere, ac omnium, qne, succedente victoria, de eorundem Turcarum manibus recuperarentur, participes facere. Nos ex hiis et compluribus aliis per dictum nuncium nobis copiosius relatis et expositis pium optimumque vestrum erga nos, et hanc sanctam sedem animum perspicientes plurimum in domino garvisi fuimus, atque animo nostro cogitavimus vestrum istum erga nos et hanc sanctam sedem paterno affectu prosequi, iustisque et honestis desideriis vestris annuere, ut si sponte vestra vos ipsos ac vestra omnia nobis et dicte sedi obtulistis, paterna dilectione ac gratiis a nobis invitati, multo fidelius et constantius in vestro bono ac sancto proposito perseveretis, ac nos et sanctam Romanam ecclesiam, piam communemque omnium fidelium matrem et magistram, in dies magis diligatis et honoretis, in eo sperantes, qui superbos humiliat et timentibus eum gratiam et honorem tribuit, quod vos ceterosque Principes christianos pro eius fide augenda et conservanda nobiscum coniunctos et confederatos dignabitur sublimare, vobisque de Turcarum tiranno ac eius impia et Christi crucis inimica gente preclaras victorias insignesque triumphos elargiri. Ut igitur pium clementemque animi nostri erga devotionem vestram affectum re ipsa cognoscatis, Nos, qui non bene meritis tantum, sed etiam bene de nobis et dicta sede mereri cupientibus dignam mercedem et gratiam rependere delectamur, postulationibus vestris clementer annuere volentes promissiones et oblationes vestras acceptamus, versaque vice vobis promittimus ac pollicemur in omni treuga seu alia quacunque conventione, si quam cum dicto Turcarum tiranno per nos et hanc sedem sanctam unquam fieri contingeret, vos uti veros confederatos et socios nostros includere, ac de terris et quibuscunque aliis bonis auxilio vestro recuperandis vos condigne participes facere. Ad premissa vero bona fide observandum nos nostrosque successores Romanos pontifices, et sedem apostolicam et prefatam ecclesiam eiusdemque sedis et ecclesie bona omnia efficaciter obligamus. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno etc. M.D.XIX., III. Nonas Iunii, Pontificatus nostri Anno Septimo.

DCCLXXV.

Ecclesiam s. Crucis in oppido Woich Zagrabiensis dioecesis visitantibus, eique manus adiutrices porrigentibus indulgentiae conceduntur. Reg. An. VII. Brev. Tom. 37. fol. 18.

Leo episcopus etc. Universis Christifidelibus presentes litteras inspecturis, salutem etc. Admirabile signum sanctissime Crucis, quod erit in celo, cum dominus ad iudicandum venerit, et per quod ipse redemit mundum, qui ligno peccarat, nec non discipulorum gesta nos admonent, ut in pelago huiusmodi mundi surgente procella ad signum ipsum concurrere debeamus. Hoc sane signum devote

considerationis indagine contemplantes, et iuxta mentis archana resolventes, quod in illo pependerit mundi salus, dignum, quinymo debitum recuesemus, ut sacratissime Crucis huiusmodi miraculo redimita loca gratiosis remissionis prosequamur impendiis et indulgentiarum muneribus decoremus. Cum itaque, sicut accepimus, parrochialis ecclesia sancte Crucis oppidi Woich Zagabriensis diocesis in suis structuris et edificiis reparatione, et ornamentis ecclesiasticis ad divinum cultum necessariis indigeat, et ad illius reparationem et ornamentorum huiusmodi emptionem ipsius ecclesie non suppetant facultates, sed sint Christifidelium suffragia plurimum opportuna: Nos cupientes, ut ecclesia ipsa, ad quam, sicut etiam accepimus, dilectus filius Paulus Chanlowich, laycus dicte diocesis, per Charissimum in Christo filium nostrum Ludovicum Ungarie Regem Illustrem ad nos et sedem apostolicam Orator destinatus, singularem gerit devotionis affectum, in huiusmodi structuris et edificiis reparetur, conservetur et manuteneatur, ac ornamentis ad divinum cultum necessariis decoretur, congruisque frequentetur honoribus, necnon fideles ipsi eo libentius devotionis causa confluant ad eandem, et ad reparationem, conservationem et manutentionem ac ornamentorum emptionem manus promptius porrigant adiutrices, quo ex hoc ibidem dono celestis gratie uberius conspexerint se refectos, ideo de omnipotentis dei misericordia ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus et singulis utriusque sexus Christifidelibus vere penitentibus et confessis, qui ecclesiam predictam in quarta et sexta feriis, ac sabbato maioris obdomade a primis vesperis ferie quinte usque ad occasum solis sabbati huiusmodi devote visitaverint, et ad reparationem, conservationem, manutentionem ac ornamentorum emptionem huiusmodi manus porrexerint adiutrices, necnon qui in egritudine mortali constituti fuerint, si aliquid subsidii pro reparatione dicte ecclesie relinquerint, plenariam omnium peccatorum suorum, de quibus corde contriti et ore confessi fuerint, remissionem et indulgentiam auctoritate apostolica tenore presentium elargimur: qui vero ecclesiam ipsam in Inventionis et Exaltationis eiusdem sancte Crucis, nec non conversionis sancti Pauli Apostoli, ac Presentationis et Assumptionis beate Marie Virginis festivitatibus a primis vesperis usque ad occasum solis singularum festivitatum earumdem etiam devote visitaverint, et ad reparationem, conservationem, manutentionem ac ornamentorum emptionem huiusmodi manus porrexerint adiutrices, quinquaginta annos et totidem quadragenas de iniunctis eis penitentiis misericorditer in dño relaxamus. Et ut Christifidelibus ad consequendam indulgentiarum huiusmodi gratiam fiant aptiores, dilecto filio moderno et pro tempore existenti dicte ecclesie Rectori, tot confessores ydoneos seculares vel cuiusvis ordinis regulares, quot opus fuerit, annuatim per se vel eius Vicarium deputandi, ipsique sic deputati ac Rector et Vicarius prefati per octo dies ante, et totidem post singulas ferias et festivitates huiusmodi omnium et singulorum Christifidelium, ad dictam ecclesiam pro huiusmodi indulgentia consequenda confluentium, confessiones audire, et ipsos ab omnibus et singulis peccatis, criminibus, excessibus et delictis, ac quibusvis aliis etiam sedi apostolice, preterquam qui continentur in bulla in Cena domini pro tempore legi solita, reservatis casibus eadem apostolica auctoritate absolvere, eisque penitentiam salutarem iniungere, necnon vota quecumque per eos pro tempore emissa, ultramarino Ierosolimitano ac liminum beatorum Petri et Pauli de Urbe et s. Iacobi de Compostella Apostolorum, necnon castitatis et relgiionis votis dumtaxat exceptis, in alia pietatis opera commutare libere et licite valeant, licentiam et facultatem concedimus et indulgemus, presentibus, que sub quibusvis similium vel dissimilium indulgentiarum, etiam fabrice Basilice sancti Petri de Urbe aut cruciate in partibus illis concesse revocationibus aut suspensionibus pro tempore factis nullatenus comprehendantur, quo ad perpetuam indulgentiam et indultum deputandi confessores post primas ferias et sabbatum huiusmodi minime valituris, quo vero ad aliam indulgentiam L. annorum perpetuis futuris temporibus duraturis. Volumus autem, si alias visitantibus dictam ecclesiam, seu ad predicta manus porrigentibus adiutrices, aut alias inibi pias elemosinas erogantibus, seu alias aliqua indulgentia in perpetuum vel ad certam tempus nondum elapsum duratura per nos concessa fuerint, presentes littere nullius sint roboris vel momenti. Datum Rome etc. die IX. Iunii MDXIX. Pontificatus nostri Anno Septimo.

DCCLXXVI.

Universis Christi fidelibus ecclesiam B. Mariae Clisiensem Spalatensis dioecesis visitantibus, et ad terram Clisiensem muniendam adiuvantibus etc. indulgentia plenaria conceditur. Ibidem fol. 20.

Leo etc. Universis Christifidelibus presentes litteras inspecturis, salutem etc. Cum precelsa etc. Cum itaque, sicut accepimus, terra Clisiensis, civitas nuncupata, Spalatensis diocesis sit vicina Turchis, et reparatione ac munitione indigeat, et nisi muniatur, formidandum sit, ut ab ipsis Turcis cum Chri-

stianorum strage occupetur, et ad reparationem et munitionem ipsius terre in suis structuris et edificiis reparandis non suppetunt facultates, sed sint Christifidelium suffragia plurimum necessaria: Nos cupientes, ut terra ipsa reparetur et muniatur ac manuteneatur, necnon fideles ipsi eo libentius ad reparationem, munitionem et manutentionem huiusmodi manus promptius porrigant adiutrices, quo ex hoc ibidem dono celestis gratie uberius conspexerint se refectos, de omnipotentis dei misericordia ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus et singulis Christifidelibus vere penitentibus et confessis, qui ecclesiam beate Marie terre huiusmodi in secunda dominica cuinslibet mensis a primis vesperis usque ad occasum solis cuiuslibet dominicarum earumdem devote visitaverint, et ad munitionem, reparationem et manutentionem terre huiusmodi manus porrexerint adiutrices, plenariam omnium peccatorum suorum, de quibus corde contriti et ore confessi fuerint, seu verum propositum confitendi habuerint, remissionem et indulgentiam auctoritate apostolica tenore presentium elargimur. Et ut fideles ipsi ad consequendam indulgentie huiusmodi gratiam fiant aptiores, dilectis filiis modernis et pro tempore existentibus dicte ecclesie Archipresbitero seu (et) Vicario, tot confessores ydoneos seculares vel cuiusvis ordinis regulares annuatim deputandi, (quot...) ipsique sic deputati ac Archipresbiter et Vicarius prefati per quatuor dies ante, et totidem post quamlibet dominicarum huiusmodi omnium et singulorum Christifidelium, ad dictam ecclesiam pro huiusmodi indulgentia consequenda confluentium, confessiones audire, et ipsos ab omnibus et singulis peccatis, criminibus, excessibus et delictis, ac quibusvis aliis etiam sedi apostolice, preterquam qui continentur in bulla Cene domini legi consueta, reservatis casibus eadem apostolica auctoritate absolvere, eisque penitentiam salutarem iniungere, nec non vota quecumque per eos pro tempore emissa, ultramarino Ierosolimitano ac liminum beatorum Petri et Pauli de Urbe, necnon sancti Iacobi in Compostella, ac castitatis et religionis votis dumtaxat exceptis, in alia pietatis opera commutare libere et licite valeant, licentiam et facultatem concedimus, presentibus, que sub quibusvis similium vel dissimilium indulgentiarum, etiam fabrice basilice principis Apostolorum de Urbe, etiam cruciate in partibus illis concesse revocationibus aut suspensionibus pro tempore factis nullatenus comprehendantur, post triennium minime valituris. Volumus autem, quod elemosine ex indulgentia huiusmodi provenientes in terra huiusmodi munitionem et manutentionem, et non ad alios usus convertantur, ac per dilectos filios Georgium Sodocvicy heremitam s. Ieronimi, et Georgium Pedanovich presbiteros, ac Doynium Zilicich nobilem et laicum Clisiensem ad dictos usus distribuantur, ipsique de illis eidem Archipresbitero seu Vicario computum et rationem reddere debeant et teneantur, et illos defraudantes seu in alios quam premissum usum convertentes excommunicationis sententiam eo ipso incurrant, a qua non nisi a nobis seu Romanis pontificibus preterquam in mortis articulo absolvi possint. Datum Rome etc. die XII. Iunii MDXIX. Pontificatus nostri Anno Septimo.

DCCLXXVII.

Andree Piperario episcopo Ausarensi tempus expediendarum litterarum suse provisionis ad sex menses prorogatur.
Reg. An. VII. Brev. Tom. 33. fol. 167.

Venerabili fratri Andreo Piperario Episcopo Ausarensi, Referendario et Prelato nostro domestico.

Leo PP. X. Venerabilis frater, salutem etc. Alias postquam ecclesie Ausarensi tunc pastoris solatio destitute de persona tua providimus, teque illi in Episcopum et pastorem prefecimus, tibi ad expediendas litteras provisionis huiusmodi certam temporis dilationem concessimus. Cum autem dictum tempus elapsum sit, tuque ad presens, ut asseris, nimium gravatus existas, et super fructibus mense dicte ecclesie tue adhuc litigas, et propterea dictas litteras commode expedire non possis: Nos, quantum cum deo possumus, commoditatibus tuis paterna caritate consulere volentes, tuis in hac parte supplicationibus inclinati tibi, ut dictas litteras usque ad sex menses a data presentium computandos, ita quod interim onera ratione expeditionis litterarum huiusmodi tibi incumbentia persolvere non tenearis, nec a quoquam ad id invitus compelli possit, concedimus et indulgemus, Teque a quibusvis censuris et penis, si quas fortasse ob lapsum temporis tibi ad expediendum litteras predictas, ut prefertur, concessi incurristi, absolvimus et liberamus per presentes, in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Volumus autem, quod elapsis dictis sex mensibus a data presentium, ut premittitur, computandis predictas litteras realiter et cum effectu expedire omnino tenearis. Datum Rome apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XXIIII. Septembris MDXIX. Pontificatus nostri Anno Septimo.

Iacobus Sadoletus.

DCCLXXVIII.

Capitulo Sibinicensi, ut pro Petro de Albis clerico Ragusino quasdam beneficia eidem collata conserveut.
Reg. An. VII. Brev. Autogr. fol. 189.

Dilectis filiis Capitulo Sibinicensi.

Leo PP. X. Dilecti filii, salutem etc. Nuper Archidiaconatu et Canonicatu et prebenda ecclesiae Sibinicensis, ac parrochiali, plebania forsan nuncupata, s. Nicolai loci de N., necnon beatae Mariae de Osoro in cacumine montis super portum, Sibinicensis et Spalatensis seu alterius diocesum, per obitum quondam Matthei de Gigantibus, familiaris continui commensalis nostri, apud sedem apostolicam defuncti vacantibus, Nos Archidiaconatum et Canonicatum et prebendam, ac parrochialem ecclesiam huiusmodi sic vacantes dilecto filio Petro de Albis clerico Ragusino, camerario secreto ac familiari continuo commensali nostro, motu proprio contulimus et de illis etiam providimus, prout in litteris propediem sub plumbo expediendis plenius explicabitur. Providere autem volentes, ne dum littere sub plumbo huiusmodi expediuntur, possessio dictorum Archidiaconatus, Canonicatus et prebendae, et parrochialis ecclesiae a quoquam temere occupetur, illorumve fructus distrahantur, vobis per presentes committimus et mandamus, quatenus vos vel alter vestrum per vos vel alium seu alios Archidiaconatus, Canonicatus et prebendae ac parrochialis (ecclesiae) praedictorum possessionem nostro et Camerae apostolicae nomine capiatis et conservetis, eidem Petro sive eius legitimo procuratori restituendi et consignandi, cum primum litteras sub plumbo huiusmodi vobis exhibuerit expeditas, amotis ab eisdem quibuslibet illicitis detentoribus sive intrusis aut intrudendis, Contradictores quoslibet et rebelles per censuras ecclesiasticas eas aggravando et reaggravando, ac alia opportuna iuris remedia, appellatione postposita, compescendo, Invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis, In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Volumus autem etc. Datum Romae etc. die ultima Ianuarii MDXX. Pontificatus nostri Anno Septimo.

DCCLXXIX.

Vincentius Stalcna ecclesiae Polatensi praeficitur in episcopum. Reg. An. VIII. Bull. Tom. 225. fol. 120.

Dilecto filio Vincentio Stalone Electo Polatensi.

Leo PP. X. Dilecte fili, salutem etc. Inducti odore virtutis, doctrine et religionis, quibus te preditum esse cum locupleti fidedignorum testimonio, tum relatione dilecti filii nostri Laurentii tituli sancte Anastasie presbiteri Cardinalis de Campegio affinis tui intelleximus, duximus personam tuam dignitatibus et honoribus augere, ut sicuti in congregatione Casinensi ordinis sancti Benedicti, quem expresse professus existis, plurimum in domino profecisti, atque ad Abbatialem dignitatem et Visitatoris officium dicti ordinis provectus es, ita ut in universali ecclesia atque in opportunitatibus et servitiis huius sancte sedis per earumdem virtutum tramitem, deo auctore, proficere valeas. Hodie itaque ecclesie Polatensi, per obitum bone memorie Martini Episcopi Polatensis pastoris solatio destitute, in consistorie nostro secreto de consilio Venerabilium fratrum nostrorum sancte Romane ecclesie Cardinalium de persona tua providimus, teque illi in Episcopum et pastorem prefecimus, curam, regimen et administrationem illius tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, non dubitantes, quin dicte ecclesie eiusque gregi dominico salutaris et fructuosus eris futurus, quod tibi adeo significandum duximus, ut plane cognoscas, cuius animi erga te fuerimus. Quare, Dilecte fili, te in domino hortamur, ut de virtute in virtutem proficere studeas, ut scilicet maiorem in diem gratiam a nobis et dicta sede sperare et consequi, atque a deo uberiores virtutum tuarum fructus percipere valeas. Datum Rome etc. die XIII. Iunii MDXX. Pontificatus nostri Anno Octavo.

DCCLXXX.

Canonicis ecclesiae Signiensis, ut Francisco eorum electo episcopo obediant. Reg. An. VIII. Brev. Tom. 35. fol. 216.

Dilectis filiis Capitulo Signiensi.

Leo PP. X. Dilecti filii, salutem etc. Nuper ecclesie vestre Signiensi, quam dilectus filius noster Thomas tituli sancti Martini in Montibus presbiter Cardinalis, Archiepiscopus Strigoniensis, ex concessione et dispensatione apostolica in administrationem tunc obtinebat, cessante huiusmodi administratione, ex eo quod dictus Thomas Cardinalis illi tunc in manibus nostris sponte et libere cessit, Nosque cessionem ipsam duximus admittendam, adhuc eo, quo ante administrationem eandem vacabat, modo pastore carenti de persona dilecti filii Francisci Electi Signiensis de fratrum nostrorum consilio providimus,

ipsumque illi in Episcopum et pastorem prefecimus, curam et administrationem ipsius ecclesie sibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, prout in nostris litteris desuper expediendis latius apparebit. Nos igitur, ne dum littere provisionis huiusmodi expediuntur, interim possessio dicte ecclesie occupetur, ac illius fructus et bona distrahantur a quoquam, vobis et vestrum singularibus personis sub excommunicationis late sententie et privationis beneficiorum, que obtinetis, penis eo ipso absque alia declaratione incurrendis tenore presentium mandamus, quatenus earumdem presentium vigore eundem Franciscum Electum tanquam patrem et pastorem animarum vestrarum grato admittentes honore, ac exhibentes ei obedientiam et reverentiam debitas et devotas, eius salubria munita et mandata suscipiatis humiliter et efficaciter adimplere curetis, eumque vel procuratorem suum legitimum ad possessionem regiminis et administrationis ecclesie huiusmodi recipiatis et admittatis, sibique de illius fructibus, redditibus, proventibus, iuribus et obventionibus universis integre respondeatis, et ab aliis responderi faciatis: alioquin sententiam, quam idem Franciscus Electus rite tuleris in rebelles, ratam habebimus et faciemus, auctore domino, usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Volumus autem, quod idem Franciscus Electus infra biennium a data presentium computandum litteras provisionis huiusmodi sub plumbo in totum expedire, et iura Camere apostolice debita persolvere omnino teneatur: alioquin, si infra dictum biennium dictas litteras non expediverit, ex tunc pontificalis administratio sibi interclusa sit et esse censeatur eo ipso. Datum Rome etc. die VI. Februarii MDXXI. P. n. Anno Octavo.

DCCLXXXI.

Universis Christi fidelibus primae missae Simeonis episcopi Zagrabiensis assistentibus indulgentia conceditur.
Reg. An. IX. Brev. Tom. 38. fol. 44.

Venerabili fratri Simeoni Episcopo Zagrabiensi.

Leo PP. X. Venerabili frater, salutem etc. Devotionis tue probata sinceritas et preclara virtutum merita, quibus personam tuam novimus insignitam, promerentur, ut illa tibi favorabiliter concedamus, que ad Christi fidelium consolationem spiritualem et animarum salutem cedere noscuntur. Cum nuper ecclesie Zagrabiensi tunc certo modo pastoris solatio destitute de persona tua apostolica auctoritate duximus providendum, preficendo te illi in Epum et pastorem: Nos volentes illum eidem persone tue honorem impendere, per quem etiam salus animarum valeat provenire, et populum tibi commissum spirituali consolatione passis recreare, de omnipotentis dei misericordia ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus et singulis utriusque sexus Christi fidelibus undecumque existentibus vere penitentibus et confessis, seu confitendi propositum habentibus, qui celebrationi prime misse, quam in dicta ecclesia vel alibi in pontificalibus celebrabis, et benedictioni per te solempniter largiende devote interfuerint, aut etiam qui quantumcumque remoti propter populi multitudinem in illa ingredi neqneuntes, extra ecclesiam ipsam constituti fuerint, dummodo causa indulgentie huiusmodi ibidem applicuerint et dictam ecclesiam devote visitaverint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem auctoritate apostolica tenore presentium concedimus et elargimur, Constitutionibus etc. non obstantibus. Datum Rome etc. die XXIII. Martii MDXXI. Pontificatus nostri Anno Nono.

DCCLXXXII.

M. Ant. Contareno civitatis et insulae Veglensis provisori, ut episcopo Bossanensi in percipiendis fructibus ex sequestro proventuum episcopi Veglensis praesto sit. Reg. An. IX. Bullar. Tom. 225. fol. 135.

Dilecto filio Marco Antonio Contareno Civitatis et insule Veglensis provisori.

Leo PP. V. Dilecte fili, salutem etc. Cum dilectus filius noster Petrus tituli sancti Eusebii presbiter Cardinalis, cui causam, que super regimine et administratione ecclesie Veglensis contra Natalem, qui se gerit pro Episcopo Veglensi, moveri debebat, audiendam et in consistorio nostro secreto referendam commiseramus, lite huiusmodi coram eo pendente, ecclesie huiusmodi possessionem eiusque fructus, redditus et proventus ex certis causis de nostra licentia sequestrasset, et Venerabilem fratrem Donatum Episcopum Bossanensem utpote fide et facultatibus idoneum in sequestrationem deputasset: Nos sequestrationem per alias nostras in forma Brevis litteras approbavimus. Cupientesque premissa executioni debite demandari, Nobilitatem tuam, que ad reddendum ius deputata existit, hortamur, ut opem et operam efficaces adhibere velit, duo idem D. Episcopus fructus huiusmodi recipere et in sequestrum iuxta mandatum sibi factum retinere valeat: in quo Nobilitas tua rem se dignam ac iusticie debito consonam, nobis vero plurimum gratam faciet. Datum Rome etc. die XVI. Maii MDXXI. Anno IX.

DCCLXXXIII.

Pontifex votis episcopi Scardonensis obsecundans fidelibus heremiterium et ecclesiam s. Marie et s. Hieronymi in insula Brachie visitantibus, eisque manus adiutrices porrigentibus indulgentias concedit.
Reg. Ao. IX. Brev. Tom. 38. fol. 61.

Leo episcopus etc. Universis Christifidelibus presentes litteras inspecturis, salutem etc. Cupientes, ut ecclesia et heremitorium sub invocatione gloriose Virginis Marie et sancti Ieronimi in insula Brachie, que dilectus filius Marinus Capitanei vitam heremiticam cum nonnullis ibidem citra quadriennium landabiliter ducens, verbo et exemplo continuo crescens de virtute in virtutem, cepit ot perseverat edificare, congruis frequententur honoribus et in suis structuris et edificiis augeantur et conserventur, et Christifideles ipsi eo libentius ad eandem ecclesiam et heremitorium devotionis gratia confluant, quo ex hoc ibidem dono celestis gratie uberius se refectos conspexorint, ad supplicationem Venerabilis fratris Thome Nigro Episcopi Scardonensis, prelati nostri domestici, qui ad dictum heremitorium singularem gorit dovotionis affectum, do omnipotentis dei misericordia et beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus et singulis utriusque sexus Christifidelibus vere penitentibus et confessis, qui dictum heremitorium et ecclesiam in die consecrationis eiusdem, ac gloriose Virginis semper Marie festivitatibus Annnnciationis, Conceptionis, Nativitatis et de Nive, necnon in die sancti Ieronimi cuiuslibet anni a primis vesperis usque ad occasum solis earumdem festivitatum devote visitaverint, ac ad augmentum et conservationem edificiorum predictorum sibi de bonis a deo collatis iuxta eorum possibilitatem manus porrexerint adiutrices, de plenitudine thesauri spiritualis ecclosie plenariam omnium suorum peccatorum in sancti Ieronimi et Annuntiationis predictis festivitatibus dumtaxat, ceteris vero, videlicet Conceptionis, do Nive ac consecrationis festivitatibus xxv. annorum ot totidem quadragenarum indulgentiam et remissionem concedimus et elargimur per presentes. Et ut Christifideles ad locum predictum pro indulgentia huiusmodi consequenda se conferentes indulgentiam ipsam facilius, deo propitio, consequi possint, dilecto filio Marino Capitanei, ecclesio et heremitorii predictorum heremite, aliquot confessores ydoneos presbiteros seculares aut ordinum quorumvis regulares, qui Christifideles ad dictam ecclesiam pro consequenda indulgentia confluentes, eorum confessionibus diligenter auditis, de omnibus et singulis eorumdem peccatis, excessibus et delictis, exceptis contentis in bulla in die Cene domini publicari solita, absolvere, et de cis pro commissis penitentiam salutarem iniungere, ac vota quecumque, exceptis quatuor maioribus, in opus conservationis et augmenti edificiorum predictorum commutare et convertere libere et licite valeaut, deputandi auctoritatem ot facultatem concedimus per presentes, quibusvis suspensionibus seu revocationibus quarumcumque indulgentiarum durante indulgentia, etiam pro fabrica basilice principis Apostolorum de Urbe, preterquam pro sancta cruciata contra hostes Christiani nominis, a felicis recordationis Iulio predecessore nostro et successive a nobis sub quibusvis verborum formis, tenoris et clausulis hactenus quomodolibet emanatis et in posterum forsan emanandis, ceterisque in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque, presentibus pro una vice in proximis dictis duabus festivitatibus quoad plenariam minime valituris. Insuper prefatis Christifidelibus dictam ecclesiam in quatuor festivitatibus predictis dovote visitantibus et manus adiutrices, ut prefertur, porrigentibus vigintiquinque annos et totidem quadragenas de iniunctis eis penitentiis in forma ecclesie consuota misericorditer in domino relaxamus, dicta indulgentia xxv. annorum perpetuis futuris temporibus duratura, premissis ceterisque in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque, mandantes harum serie in virtute sancte obedientie sub excommunicationis pena late sententie, quam ferimus in hiis scriptis, dilectis filiis Vicariis Venerabilium fratrum Archiepiscopi Spalatensi ac Episcopi Pharensis in spiritualibus goneralibus, necnon Canonicis et Capitulis dictarum ecclesiarum, ac aliis quibuscumque Vicariis, Capitulis, presbiteris et clericis per universam provinciam Dalmatie, quatenus presentes litteras inter missarum solemnia, ubi et quando maior Christifidelium aderit multitudo, omnino publicent et publicari faciant cum effectu, toties quoties pro parte prefati Marini Capitanei seu eius commissorum fuerint requisiti. Datum Rome etc. die xi. Iunii mdxxi. Pontificatus nostri Anno Nono.

DCCLXXXIV.

Quibusdam clericis de beneficiis ecclesiasticis providetur.

Leo episcopus etc. Dilectis filiis Paponensi Iauriensis et sancti Spiritus Chasmensis Zagrabiensis diocesum Prepositis, et Antonio Gregorio de Monteforo Canonico Zagrabiensi, salutem etc. Ut Philippum de Gorhardis ecclesie Senensis Notarium in possessionem Capelle beate Marie ad latus aquilonare

ecclesie Strigoniensis inducant. Datum Rome apud S. Petrum Anno Incarnationis dominice MDXIX. VIII. Kal. Augusti, Pontificatus nostri Anno VII.

LEO EPISCOPUS etc. Dilecto filio Iohanni de Talpis Rectori ecclesie s. Marie de Heresti Faronsis diocesis, sal. etc. Confertur ipsi predicta ecclesia, quam Matheus de Videspruch obtinebat. Dat. Rome apud S. Petrum Anno etc. MDXIX. pridie Kal. Octobris, Anno VII.

LEO EPISCOPUS etc. Dil. filio Iohanni Baptiste tit. s. Apollinaris presbitero Cardinali, salut. etc. Confertur ipsi Monasterium s. Nicolai ord. s. Benedicti in portu Sibinicensi in commendam. Dat. Rome apud S. Petrum Anno etc. MDXX., XIX. Kal. Ianuarii, Anno VIII.

LEO EPISCOPUS etc. Dil. filio Thome tit. s. Martini in Montibus presbitero Cardinali, sal. etc. Confertur ipsi Archidiaconatus do Paulruta ecclesie Agriensis, quem Symeon Episcopus Zagrabiensis tempore sue promotionis obtinebat. Dat. Rome etc. MDXX., XV. Kal. Iunii, Anno VIII.

LEO EPISCOPUS etc. Dil. filio Luco de Mordusio Archidiacono Himardiensi in ecclesia Transilvanensi, sal. etc. Confertur ipsi consideratione Regis Hungarie Archidiaconatus predictus. Datum Rome apud S. Petrum Anno etc. MDXX., XII. Kal. Septembris, Anno VIII.

LEO EPISCOPUS etc. Dil. filio Magistro Paulo de Capisucchis, Capellano nostro et causarum palstii apostolici Anditori, sal. etc. Curet, ut Nicolaus de Andreis clericus Ottocensis Capellam s. Stephani in Terra Alba de Campoparvo prope et extra muros Tragurienses sibi iam collatam recipiat. Dat. Rome apud S. Petrum Anno etc. MDXX., VI. Nonas Iulii, Anno VIII.

LEO EPISCOPUS etc. Dil. filio Iohanni de Dominicis Canonico Pharensi, sal. etc. Confertur ipsi Canonicatus cum prebenda in dicta ecclesia. Dat. Rome etc. MDXX. Id. Decembris, Anno VIII.

LEO EPISCOPUS etc. Dil. filio Nicolao de Deodatis Canonico Iadrensi, sal. etc. Confertur ipsi Canonicatus cum prebenda in ecclesia Iadrensi, quos magister Petrus Bembus clericus Venetiarum, notarius et familiaris continuus commensalis pontificis, possidebat. Dat. Rome apud S. Petrum Anno etc, MDXXI. VIII. Id. Novembris, Anno IX.

Bullar. Tom. 147. fol. 87. T. 149. f. 71. T. 171. f. 45. T. 172. f. 156. T. 176. f. 146. T. 192. f. 137. T. 195. f. 158 et 289.

EPISTOLAE HADRIANI PP. VI.

DCCLXXXV.

Io. Bapt. Eugubio Staphileo nepoti episcopi Sibinicensis, et Ioanni electo Suacinensi de quibusdam beneficiis ecclesiasticis providetur. Reg. An. I. Tom. 14. fol. 164 et Tom. 6. fol. 269.

ADRIANUS EPISCOPUS etc. Dilecto filio Iohanni Baptiste Eugubio Staphileo Rectori Capelle sancti Petri de Butiis Spalatensis dioc. salutem etc. Conceduntur ipsi, Iohannis Episcopi Sibinicensis ex sorore germana nepoti, in commedam Capellae s. Petri de Butiis, s. Nicolai de Glanice, s. Benedicti necnon s. Michaelis de Margnano Iadrensis, Spalatensis, Sibinicensis, Traguriensis necnon Pharensis dioc. locorum, per obitum Francisci Friderici earumdem Capellarum Rectoris vacantes. Datum Alyaferie extra mnros Cesaraugustanos Anno Incarnationis dominice MDXXII. duodecimo Kalendas Iunii suscepti a nobis Apostolatus officii Anno Primo.

ADRIANUS EPISCOPUS etc. Dilecto filio Iohanni Electo Suacinensi, salutem etc. Conferuntur eidem ad indigentiam suam sublevandam Canonicatus et praebenda ecclesiae Tragurieusis, ac s. Mariae de Monte, necnon s. Georgii et s. Stephani prope et extra muros Tragurienses, quos quondam Iohannes Perlot earumdem ecclesiarum Rector, dum viveret, obtinebat, per obitum eiusdem Iohannis, qui in Civitate Tarraconensi, in qua tunc Pontifex cum sua Curia residebat, diem clausit extremum, vacantes. Dat. Rome apud S. Petrum Anno etc. MDXXII. quarto Nonas Septembris, Pont. nostri Anno Primo. *)

*) Hoc documentum iniuria temporum corrosum non exscribi potest.

EPISTOLAE CLEMENTIS PP. VII.

DCCLXXXVI.

Laurentio episcopo Dulcinensi ad ecclesiam archiepiscopalem Antibarensem per Leonem X. translato litterae apostolicae, interveniente eiusdem pontificis morte, nondum expeditae expediuntur. Reg. An. I. Bull. Tom. 4. fol. 11.

CLEMENS EPISCOPUS etc. Venerabili fratri Laurentio Episcopo Dulcinensi in Archiepum Antibarensem Electo, salutem etc. Equum reputamus et rationi consonum, ut provisiones ecclesiarum omnium, que ex providentia Romani pontificis processerunt, licet eius superveniente obitu littere apostolice super illis confecte non fuerint, suum sortiantur effectum. Dudum siquidem bone memorie Ieronimo Archiepiscopo Antibarensi regimini ecclesie Antibarensis presidente, fol. rec. Leo papa X. predecessor noster cupiens eidem ecclesie, cum vacaret, per apostolice sedis providentiam utilem et ydoneam presidere personam, provisionem ipsius ecclesie ordinationi et dispositioni sue duxit ea vice specialiter reservandam, decernentes extunc irritum et inane, si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter et ignoranter contingeret attemptari. Postmodum vero prefata ecclesia per obitum dicti Ieronimi Archiepiscopi, qui extra Romanam Curiam debitum nature persolvit, pastoris solatio destituta, dictus predecessor, vacatione huiusmodi fidedignis relatibus intellecta, ad provisionem eiusdem ecclesie, cuius Archiepiscopus pro tempore existens Primas totius Regni Servie existit, et cuius, licet illa Clerum et populum Christianum haberet, provincie tamen et ecclesie Suffraganee ac Vassalli in partibus infidelium consistebant, celerem et felicem, de qua nullus preter ipsum predecessorem ea vice se intromittere potuerat sive poterat, reservatione ot decreto obsistentibus supradictis, ne ecclesia ipsa Antibarensis longe vacationis exponeretur incommodis, paternis et solicitis studiis intendens, post deliberationem, quam de preficiendo eidem ecclesie personam utilem et etiam fructuosam cum fratribus suis, de quorum numero tunc eramus, habuit diligentem, demum ad te, tunc Episcopum Dulcinensem, consideratis grandium virtutum meritis, quibus personam tuam illarum largitor altissimus multipliciter insigniverat, et tu, qui ecclesie Dulcinonsi eatenus laudabiliter prefuoras, eandem ecclesiam Antibarensem scires et posses, auctore domino, salubriter regere et feliciter gubernare, direxit oculos sue mentis. Intendens igitur tam dicte ecclesie Antibarensi quam eius gregi dominico salubriter providere, de persona tua, sibi et eisdem fratribus ob dictorum tuorum exigentiam meritorum accepta, eidem ecclesie de ipsorum fratrum consilio sub data videlicet tertio Idus Septembris, Pontificatus sui anno quinto, auctoritate apostolica providit, teque illi in Archiepiscopum prefecit et pastorem, curam et administrationem ipsius ecclesie Antibarensis ac illi unitarum ecclesiarum tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, firma spe fiduciaque conceptis, quod dirigente domino actus tuos prefata ecclesia Antibarensis per tue circumspectionis industriam, et studium fructuosum regetur utiliter et prospere dirigetur, ac grata in eisdem spiritualibus et temporalibus suscipcret incrementa. Et insuper cum dicta ecclesia Dulcinensis prefate ecclesie Antibarensi propinqua, ac illius mense Episcopalis, quos ac mense Archiepiscopalis Antibarensis idem predecessor haberi voluit pro expressis, fructus, redditus et provontus tenuos existerent, ut statum tuum iuxta pontificalis dignitatis exigentiam decentius tenere valeres, ac Antibarensis et Dulcinensis ecclesie predicte sub unius presulis cura et regimine reducte facilioribus incrementis proficere possent, ecclesiam Dulcinensem predictam cum omnibus iuribus et pertinentiis suis eidem ecclesie Antibarensi, quamdiu illi presesses dumtaxat, de simili fratrum eorumdem consilio auctoritate predicta univit, annexuit et incorporavit, ita quod liceret tibi per te vel alium seu alios dicte ecclesie Dulcinensis ac illius Civitatis et diocesis, nec non regiminis et administrationis ac bonorum possessionem seu quasi propria auctoritate libere continuare, seu de novo apprehendere, et quamdiu dicte ecclesie Antibaronsi presesses, ut prefertur, quo ad viveres, retinere, ac illius fructus, redditus et proventus, iura, obventiones et emolumenta, ac alia quecumque ad dictam ecclesiam Dulcinensem et illius mensem Episcopalem pertinentia percipere et haberc, ac in tuos et ipsarum Antibarensis et Dulcinensis (ecclesiarum) usus et utilitatem convertere, cuiusvis licentia super eo minime requisita, Non obstantibus constitutione, per quam dudum

inter alia voluerat, quod petentes beneficia ecclesiastica aliis uniri tenerentur exprimere verum annuum valorem secundum communem extimationem tam beneficii uniendi quam illius, cui aliud uniri peteretur, alioquin uniri non valeret, et semper in unionibus commissio fieret ad partes, vocatis quorum interesset, et quibusvis aliis constitutionibus et ordinationibus, ac dicte ecclesie Dulcinensis iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque. Voluit autem idem predecessor, quod propter unionem, annexionem et incorporationem dicta ecclesia Dulcinensis in spiritualibus non lederetur et in temporalibus detrimenta non sustineret, sed eius congrue supportarentur onera consueta: ac quod te cedente vel decedente seu prefate ecclesie Antibarensi alias quomodolibet preesse desinente, unio, annexio et incorporatio predicte dissolute essent et esse censerentur, ipsaque ecclesia Dulcinensis in pristinum statum reverteretur eo ipso. Ne tamen de provisione, prefectione, unione, annexione, incorporatione et voluntate predictis pro eo, quod super illis dicti predecessoris eius superveniente obitu littere confecte non fuerunt, valeat quomodolibet hesitari, tuque illorum frusteris effectu, volentes et dicta auctoritate decernentes, quod provisio, prefectio, unio, annexio, incorporatio et voluntas predecessoris huiusmodi perinde a dicta die III. Idus Septembris suum sortiantur effectum, ac si super illis ipsius predecessoris littere sub eiusdem diei data confecte fuissent, prout superius enarratur, quodque presentes littere ad probandum plene provisionem, prefectionem, unionem, annexionem, incorporationem et voluntatem predictas ubique sufficiant, nec ad id probationis alterius adminiculum requiratur, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenus curam et administrationem predictas sic diligenter geras et fideliter prosequaris, quod ipsa ecclesia Antibarensis gubernatori provido ac fructuoso administratori gaudeat se commissam, et bone fame tue odor ex laudabilibus (tuis) actibus latius diffundatur, tuque preter eterne retributionis premium nostram et dicte sedis benedictionem et gratiam exinde uberius consequi mereris: necnon Antibarensis et Dulcinensis unitarum ecclesiarum Capitulis et Vassallis, ac illarum Civitatum et diocesum Clero et populo, ut videlicet Capitula tibi tamquam patri et pastori animarum suarum humiliter intendentes, et exhibentes tibi obedientiam et reverentiam congruentes; Cleros vero te pro nostra et sedis predicte reverentia benigne recipientes et honorifice pertractantes, tua salubria et mandata suscipiant humiliter et efficaciter adimplere procurent; populus autem te tamquam patrem et pastorem animarum suarum devote suscipientes et honorifice pertractantes, tuis monitis et mandatis salubribus intendant, ita quod tu in eos devotionis filios et ipsi in te patrem benivolum invenisse gaudentes; Vassalli autem te debita honorificentia prosequentes, tibi fidelitatem solitam et consueta servitia ac iura ab eis tibi debita integre exhibere procurent: alioquin sententiam sive penam, quam rite tuleris seu statueris in rebelles, ratam habebimus et faciemus, auctore domino, usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Datum Rome apud S. Petrum Anno etc. Millesimo quingentesimo vigesimotertio, sexto Kalendas Decembris, Pontificatus nostri Anno Primo.

DCCLXXXVII.

Alexandro Tramontano canonicatus et prebenda Spalatensis et capella s. Catharinae extra muros Tragurienses conferuntur, quae episcopus Ottocensis obtinebat. Reg. An. I. Tom. 27. fol. 234.

CLEMENS EPISCOPUS etc. Dilecto filio Alexandro Angeli Tramontano Canonico Spalatensi, familiari nostro, salutem etc. Grata familiaritatis obsequia, que nobis hactenus impendisti, et adhuc sollicitis studiis impendere non desistis, necnon vite ac morum honestas, aliaque laudabilia probitatis et virtutum merita, quibus personam tuam tam familiari experientia, quam etiam fidedignorum testimoniis iuvari precepimus, nos inducunt, ut tibi reddamur ad gratiam liberales. Cum itaque Canonicatus et prebenda ecclesie Spalatensis, ac Capella sancte Catharine extra muros Tragurienses, quos Venerabilis frater noster Vincentius Episcopus Ottocicnsis ex concessione et dispensatione apostolica in commendam nuper obtinebat, commenda huiusmodi ex eo, quod dictus Vincentius Episcopus illi hodie in manibus nostris sponte et libere cessit, nosque cessionem ipsam duximus admittendam, cessante, adhuc eo, quo ante commendam eandem vacabat, modo vacare noscatur ad presens: Nos tibi, qui, ut asseris, dicti Vincentii Episcopi affinis existis, premissorum obsequiorum et meritorum tuorum intuitu specialem gratiam facere volentes, teque a quibusvis excommunicationis etc. absolutum fore censentes, necnon omnia et singula beneficia ecclesiastica, cum cura et sine cura, que etiam ex quibusvis dispensationibus apostolicis obtines et expectas, ac in quibus et ad que ius tibi quomodolibet competit, quecumque, quatcumque et qualiscumque sint, eorumque fructuum, reddituum et proventum veros annuos valores ac huiusmodi dispensationum tenores, necnon verum et ultimum dictorum Canonicatus et prebende ac Capelle vacationis

modum, etiam si ex illo quevis generalis reservatio etiam in Corpore Iuris clausa resultet, presentibus pro expressis habentes, Canonicatum et prebendam ac Capellam predictos, quorum insimul fructus, redditus et proventus duodecim ducatorum auri de Camera secundum communem extimationem valorem annuum, ut etiam asseris, non excedunt, quovis modo et ex quiuscumque persona, seu per liberam cuiusvis resignationem de illis in Romana Curia, vel extra eam etiam coram notario publico et testibus sponte factam vacent, etiam si tanto tempore vacaverint, quod eorum collatio iuxta Lateranensis statuta Concilii ad sedem apostolicam legitimo devoluta, ipsique Canonicatus et prebenda ac Capella dispositioni apostolice specialiter reservati existant, ac dicte Capellanie cura immineat animarum, super ea quoque ac dictis Canonicatu et prebenda inter aliquos lis, cuius statum presentibus haberi volumus pro expresso, pendeat indecisa, dudum tempore date presentium non sit in eis alicui specialiter ius quesitum, cum plenitudine iuris Canonici ac omnibus iuribus et pertinentiis suis apostolica tibi auctoritate conferimus, et de illis etiam providemus. Quocirca Venerabilibus fratribus nostris Casertano et Vigorinensi Episcopis, ac dilecto filio Vicario Venerabilis fratris nostri Epi Spalatensis (sic) in spiritualibus generali per apostolica scripta mandamus, quatenus ipsi vel duo aut unus eorum per se vel alium seu alios te, vel procuratorem tuum tuo nomine in corporalem possessionem Canonicatus et prebende ac Capelle, iuriumque et pertinentiarum predictorum inducant auctoritate nostra, et defendant inductum, amotis quibuslibet illicitis detentoribus ab eisdem, facientes te vel pro te procuratorem predictum ad prebendam huiusmodi in dicta ecclesia in Canonicum recipi et in fratrem, stallo tibi in choro et loco in Capitulo ipsius ecclesie cum dicti iuris plenitudine assignatis, tibi[que] de ipsorum Canonicatus et prebende ac Capelle redditibus, fructibus, proventibus, iuribus et obventionibus universis integre responderi, Contradictores autem nostra auctoritate, appellatione postposita, compescendo, Non obstantibus fel. record. Bonifacii pape VIII. predecessoris nostri et aliis apostolicis constitutionibus, ac dicte ecclesie iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus contrariis quibuscumque etc. Nulli ergo etc. nostre absolutionis, provisionis, collationis, mandati et decreti infringere etc. Si quis etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno etc. Millesimo quingentesimo vigesimotertio, IIII. Kalendas Februarii, Pontificatus nostri Anno Primo.

DCCLXXXVIII.

Regina Hungariae pontifici procuratorem regis in Urbe commendat. Ex originali — Instrum. Miscell.

Sanctissimo in Christo Patri et Domino, Domino Clementi Divina providentia
Sacrosanctae Romanae ac Universalis Ecclesiae Summo Pontifici,
Domino meo Clementissimo.

Beatissime Pater, Domine Clementissime. Post humilem et debitam meam commendationem. Post Maiestatis Regiae ego quoque Vestrae Sanctitati sedulo commendo hunc Petrum Antonium Berrum Parmensem, et Secretarium et in Urbe Procuratorem Maiestatis suae, et precipue quum ex multorum fidedignorum gravi testimonio et suae Maiestati, et deinde mihi quoque a fide, bonitate, litterarum eruditione non mediocriter sit commendatus. Sanctitas Vestra valeat feliciter in Domino, cui me humiliter commendo. Buda ultimo die mensis Maii Anno Domini M.D.XXIIII. Regnorum meorum Hungariae etc. Anno Quarto, Bohemiae vero Tercio.

E(iusdem) S(anctitatis) V(estrae)

Filia Maria Regina etc.

DCCLXXXIX.

Ludovicus rex Hungariae pontifici praedictum suum in Urbe procuratorem commendat. Ex originali.

Sanctissimo in Christo Patri et Domino, Domino Clementi Septimo divina providencia
Sacrosancte Romane et Universalis Ecclesie Summo Pontifici,
Domino meo Clementissimo.

Beatissime Pater et Domine, Domine Clementissime. Post devota pedum Sanctitatis vestre beatorum oscula. Venerat in meum regnum cum Reverendissimo domino Legato Cardinali s. Sixti Petrus Antonius Berrus Parmensis, de cuius moribus, doctrina atque industria cum essem factus ex meis cercior, sperans hominem Rome presertim, ubi complures annos honeste est versatus, mihi et meis oratoribus magno futurum usui, Secretarium et causarum mearum in Urbe directorem creavi, atque in Urbem redeunti mandavi, ut in negociis, que vel ex litteris vel ex oratoribus meis cognosceret,

solicitandis diligens esset ac studiosus. Rogo itaque Sanctitatem vestram, dignetur eundem Petrum Antonium, quocies aut mea aut privata ociam negocia sua expositurus ad pedes vestre Sanctitatis accesserit, ea qua meos solet clientes ac servitores clemencia et benignitate exaudire, et in hiis, que ad Sanctitatem vestram meo nomine retulerit, solidam fidem velit adhibere. Deus Optimus Maximus vestram Sanctitatem servet ac tueatur felicissimam: Cuius graciae ac tutelae me et mea Regna suplex commendo. Datum Bude ultimo die Maii Anno dñi Millesimo quingentesimo vigesimoquarto, Regnorum meorum Anno Nono.

E(iusdem) V(estre) S(anctitatis)

Devotus filius
LUDOVICUS REX HUNOARIE ET BOHEMIE etc. manupp.

DCCXC.

Clerus Veglensis pontifici supplicat, ut Natalem ipsorum episcopum removere velit. Ex originali.

Sanctissimo in Christo Patri et Domino nostro, Domino Clementi divina providentia Pape Septimo, Domino nostro Clementissimo.

Beatissime in Christo Pater et Domine noster, Domine Clementissime. Post pedum oscula beatorum. Insinuavimus Sanctitati Vestre per procuratores nostros mensibus elapsis scelera et enormia delicta, vitamque inhonestam et scandalosam Reverendi patris dñi Natalis a Turre Epi nostri Veglensis, illique humiliter supplicavimus, ut eundem Natalem, qui in veritate verus Pastor noster non existit, ob eius delicta a nobis amovere, nobisque et ecclesie Veglensi fere desolate de bono pastore providere dignaretur. Et Sanctitas Vestra recte iusteque procodens, ut veritatem delictorum per eundem Natalem perpetratorum agnosceret, Reverendis patribus dominis Auditori Camere et Gubernatori Urbis mandavit, ut de excessibus et mala vita ipsius Natalis inquirerent, et Sanctitati Vestre in Consistorio suo secreto referrent. Dicti vero Iudices eundem Natalem ad personaliter comparendum monuerunt, et ad examinandum super delictis premissis ad partes nostras Remissoriales destinarunt. Et licet premissa delicta adeo notoria sunt, ut probatione non egeant, tamen quod plures testes fidedigni tam clerici quam cives desuper examinati fuerunt, ex quorum dictis indubitanter oredimus omnia per nos Sanctitati Vestre intimata legitime probata fuisse. Quamobrem per viscera misericordie dei nostri Sanctitatem Vestram humiliter deprecamur, ut si ex relatione Iudicum ab ipsa deputatorum sibi ligitime constiterit de excessibus enormibus prefati Natalis, quodque ex illis de iure episcopatu Veglensi privari debeat, illum amore dei et populi Veglensis amovere et alium bonum pastorem, qui Clerum et populum Veglenses doctrina et exemplo pascat, de benignitate apostolica concedere dignetur. In quo rem deo acceptam, nobis vero gratam, dictoque Natali proculdubio utilem faciet: nam alias nos ecclesiam ipsam aut relinquere cogemur, aut populus ipse contra dictum Natalem ob eius malam et obstinatam vitam insurgere cogetur. Nos vero pro salute et incolumitate Sanctitatis Vestre semper exorabimus: Cuius beatissimis pedibus nos semper commendatos facimus. Datum Vegle die XII. Iulii 1524.

E. S. V.

humiles servitores
Canonici, Capitulum, Presbiteri et Clerici ecclesie Veglensis.

DCCXCI.

Ferdinandus archidux Austrie pontificem de religionis conditione in Germania et statu suarum provinciarum edocet, eoque supplicat, ut sibi in paranda contra Turcas expeditione praesto sit. Ex originali.

Sanctissimo ac Beatissimo in Christo Patri et Domino, Domino Clementi VII. Sacrosanctae Romanae ac Universalis Ecclesiae Summo Pontifici, Domino meo Clementissimo.

Sanctissime ac Beatissime in Christo Pater et Domine, Domine Clementissime. Post beatos pedes deosculatos humilem commendationem. Si tam magno successu quam magno studio pro pietate mea in Religione, promptaque erga Sedom istam observantia conatus meus profecisset, excitatis istis periculosis erroribus atque rerum confusioni optatus finis in proximo Imperii Conventu impositus esset, aut saltem magna eorum, quae ab orthodoxa fide desciverunt, pars in rectam viam rediisset. Quamquam ego propterea hoc studium huncque animum neque declinavi, neque despondi, non ignarus aliam tota mea vita vix dari posse occasionem, qua Deo gratius obsequium prestare possim. Quapropter cum hac

non successisset via, nimirum Deo adhuc irato, aliam arripere libuit, per quam apud Ratisponam id propitio illo obtinuimus, quod Noremberge nullis modis obtinere qnivimus. Iamque ego ipse, facto synceritatis meae fidei, absit iactantia, verbo, exempla in dies praesto non obscura. Quippe non est aliud sub sole, quod ardentius desydero, quam quod de medio Provinciarum mearum tollatur tam tetrum hominum genus. Quod non ob aliam causam Beatitudini vestrae scribo, quam ut leniat dolorem illum suum, quem ideo accepit, quantum ex literis suis intelligere potui, quod que Sanctissimi Patres proculdubio afflati Dei spiritu condemnarunt, per Lutherum quasi ab inferis denuo eruta in futura Dieta in disputationem proponi debeant. Quod autem eisdem literis me ad perseverantiam exhortatur, quam etiam in partem pluribus Reverendissimus Dominus Legatus mecum egit, persuasum esse velim Beatitudini vestrae mihi omnino curae fore, ut quod caepi, qua licebit, prestabo et exequar per omnem occasionem officium boni et iusti Principis, qui Ecclesiae Dei prodesse debet, posthabitis omnibus privatis affectibus. Nam hic respiciendum non est, quod plures faciunt, sed quod fieri debet, parvi quamcumque faciens iacturam, quam Aerarium meum accipit in opprimendis Subditis meis hac labe infectis, et quidem non privatis tantum, sed totis Oppidis, quae praesidio et robore militari tuenda sunt, ne ad seditionem res exeat. Quae res non parum obfuit institutae meae contra Impium Turcam defensioni, qui crebro Populos meos vexat clade, incendio, preda, depopulatione: Cuius tanta est potentia, nt illi ego, si etiam res meae essent longe florentissimae, par esse nequcam. Cumque nuper recensitis viribus meis cunctis viderem eas omnibus simul numeris nequaquam sufficere, cum pro ponendis opportunis presidiis circa loca discrimini exposita, tum pro cohibendo ulteriore impetu et hostili incursione ad interiores Provincias meas, quarum pomeria iam rabies illa ferocissima attigit, ad expetenda externa auxilia confugi, ipsa necessitate, nulla voluntate adactus, si modo externa appellari debent, quae a me contra communem hostem petuntur. Fallor, si hoc casu studium omnium commune esse non debet. Quantum autem opis et subsidii Beatitudo vestra, si potuisset, prestatura erat, facile ex literis suis cognovi, quibus mihi omnem inopie et debilitatis suae rationem aperuit. Sane quam lubens amplector suum in me animum, cum ob hoc ipsum, quod tam paterne mihi mentem suam significaverit, tum quod pollicetur, si aliqua interim se aperuerit occasio subveniendi mihi, quod eam non sit pretermissura. Atque utinam id tam vere eveniat, quam fiducialiter optat, scilicet Deum manum illam hostium in aliam partem aversurum esse! sed hanc securitatem mihi perpetuam fore, non sinit frequens Nuntius, qui admonet Tyrannum illum, si alias unquam pertinacius spirare exitium Christianorum, hasque incursiones scquuturas validissimas copias. Itaque velim nolim cogor et impellor undique flagitare subsidia, quibus saltem interim Provinciarum mearum Limites muniam et custodiam, ne quidpiam irreparabilis iacturae et incommodi ab hoste inferatur, donec caeteri Christiani Potentatus, positis dissidiis et simultatibus, cui rei omnem Beatitudo vestra impendit iam operam, et iustam et necessariam illam generalem expeditionem suscipiant. Erat autem animus meus hac aestate, si ad meas auxiliares illae vires, quas certa fiducia promittebam, accessissent, non solum firma praesidia collocare, sed etiam quae recens loca hostis abstulit, recuperare. Mihi certe dici non potest, quanta amaritudine animae meae accipiam meorum excidium, idque eo me cruciat magis, quod ego miseros, nisi adiuver, incolumes servare nequeo a tyrannide impiissimi hostis. Et tamen quam sub hac aestate destinaveram facere expeditionem ob defectum subsidiarium virium intermissam, cum Dei adiutorio prosequendam meditor iam futuro anno, cuius causa me ad has Patrias recepi ex Imperii aliisque superioribus meis Provinciis, quantumvis mea praesentia aegere caruerint, ut dem ordinem cum his Provincialibus meis, quos Tyrannus ille prae caeteris infestat magis, tam circa parandum Commeatum et victualia, quam instruendam Artellariam, et quae ad illam necessaria sunt, sine quibus tanta res penitus confici nequit. Ita quod subsidiis pecuniariis adiutus, positis in ordine tam necessariis commoditatibus et Provisionibus factis, alacer rem aggredi possim, atque utinam id propriis sumptibus facere liceret! tum neque Beatitudini vestrae, neque ulli mortalium essem onerosus. Quamprimum maiorem in modum et hortor et rogo, ut mo iam velut importunum exactorem non repellet a facie sua, sed mansuetudine clementiaque sua incomparabili non solum benignas aures prestare, sed etiam, ut iterum atque iterum imploro et quam maxime possum serio, et in plenitudine spei et fiducie meae, quam posui in eam, obsecro, quantum eiusmodi auxilii possit ferre, mihi impartiri, eiusque modum et rationem in tempore aperire dignetur, ut collatis huc omnibus opibus et viribus meis proximo anno propulsem hoc, quod imminet cervicibus Subditorum meorum exitiale malum, vicissim daturus operam, ut eam istius auxilii non peniteat, qui brevi, propitio Deo, hoc metu hocque malo liberatus et securior factus, totum deinde me ipsum ac caput meum convertam ad defensionem

sanctae Sedis et istius Dignitatis. Quam interim protegat et intueatur ille, qui eius auctor est, Deus noster Christus. Ex Vienna die tricesima mensis Iulii Anno Domini M.D.XXIIII.

E(iusdem) Sanctitatis V(estrae)

Humilis et obsequens filius
FERDINANDUS AR(CIDUX) AUST(RIE).
IL. SPIEGEL S.

DCCXCII.

Idem archidux pontifici respondeas de eodem argumento scribit. Ex originali.

Sanctissimo ac Beatissimo in Christo Patri et Domino, Domino Clementi VII. divina providentia sacrosanctae Romanae ac Universalis Ecclesiae Summo Pontifici, Domino meo Clementissimo.

Sanctissime et Beatissime Pater et Domine, Domine Clementissime. Post beatos pedes deosculatos humilem commendationem. Ex literis Beatitudinis vestrae, quibus ad meas respondet, quas ad eam die XXX. Iulii dedi, intelligo probari a se studium meum, quod impendo Sectae Lutheranae cohibendae. Certe id fit a me non aliam ob causam, quam quae optimum quemque Orthodoxum Principem movere debet. Caepi negotium, quod Christo Deo et Domino nostro fautore ac fortunatore perficiam, quamvis male habeat, qui e Classe Lutherana infamibus morsibus me meosque lacerare non desinant. Quod semel statui, quod iterum publico Edicto cavi per omnes Provincias meas, ne quisquam Luthero faveat, seditiosaeque Sectae adhereat, non posthabebo: de quo Beatitudinem vestram securam facio. Multa profecto erant, nisi privati mei oblitus commodi famaeque meae Evangelicae synceritati, et istius sanctae Sedis dignitati pro meis viribus maluissem iri consultum, quae me ab hoc opere non sine exemplo abstrahere potuerant: quorum cum nonnulla talia sint, ut non citra auspicionem fumi referri videantur, neve mercedem imperfecti operis antevertam, illa silentio praetereunda esse putavi. Tam profunda est adhuc eorum caecitas, quibus Autoribus (sic) odiosissime impetimur, ut nequeant cernere, quod mallem errantes mansuetudine placabilitateque ad rectam reduci et pudefieri, quam exuri ultimoque affici supplicio. Verum tempora haec adeo sunt viciata, adeo perditi mortalium mores, et adeo praepostera Indicia, ut ubi quem impium noxae dederis pro iusto Iudice, sitiens humani cruoris habearis Tyrannus. Quos autem tumultus pernicax illa Secta genuerit, pro quibus sedandis mihi magni sumptus facti sunt, ne fastidio sim Beatitudini vestrae ceu privata mea negotia ingerendo, commemorare supersedi. Quam vero conveniebat eiusmodi sumptus verti pro sustentandis Copiis, quas iam paro, ut proximo vere Christiani nominis hostem Turcam arceam a finibus meis, immo ipsius Germaniae medio, cum superatis, quod Deus avertat, finibus meis, non ita multum impedimenti expectet, quin excurrat in Vindelicum Agrum et latius etiam pro libidine. Proinde cum illi, quorum nondum ardet paries, parum cordi, ut quod res est dicam, accipiant mala, quae mihi Subditisque meis a ferocissima illa Gente, de quibus nuper Beatitudinem vestram admonui, et iam denuo cum Reverendissimo Domino Legato verba feci, percepta luctuosa calamitate universi Populi Croatici: Ego vero iam antea satis expertus sim, hisceque oculis viderim, quam frigide expeditio illa Turcica generalis procedat, quod transscribunt, Monarchis Christiani Orbis inter se insanis odiis et Bellis tumultuantibus, extremus labor mihi tentandus est ad proximum Ver, et non solum opibus meis, quae ferendae tantae molis impares multo maxime sunt, sed etiam quibusvis aliis subsidiariis viribus, quas utcunque contraho, tanta Belli peragenda est fortuna. Quod autem Sanctitas vestra pro suo paterno amore mihi tamquam filio incommoditatem Pontificatus sui, meque dicta sua in hanc partem velut a Parente accipere confidat, non eam fallet hec opinio unquam. Elugeo graviter tam incommoda vectigalia esse Beatitudini vestrae, cuius alioqui Pontificatum multis evehere laudibus possem, quem, ut parcius dicam, Christiano Orbi faustum fore video, meliore accessione indies magis tantas difficultates suas superatura. De fortunis meis recisis non est quid amplius addam, quas non solum par necessitas quotidiani sumptus consumit, sed continua etiam Turcarum excursio et rabies illa cohibenda atterit. Quod tamen non eque doleo, ac dum nullius otii, nullius tranquillitatis securus, quae ante oculos versantur, procul cerno mala futura super Christianitate, ubi ingravescens hostis, occupatis finibus, Sedes interiorum Provinciarum mearum devastans liberas sibi aperuit vias, vel in Germaniam ulterius grassandi, vel per Forum Iulii in Italiam sicco pede prorumpendi. Quod tamen ego fretus ope Dei impedire, magno profecto ausu tam formidolosi hostis potentiam in me unum irritans, caeteris Regibus Potentatibusque conniventibus, tentabo, ubi accesserit Beatitudinis vestrae auxilium, quae tanto magis

me meosque Subditos sibi reddet obnoxios, quanto maioribus, ut scribit, agens in angustiis et difficultaticus suis excogitabit omnino aliquid, ut temporis mei intelligam a se habitam esse rationem. Quibus vero Copiis, et quo ordine tantam molem aggredi constituerim, cum plene de illis praefatum Reverendissimum Legatum suum edocuerim, latius omnia ex literis eius cognoscet Sanctitas Vestra, cui eam indubie habebit fidem, quam tanto viro par est attribuere. Quae felicissime valeat. Ex Vienna die prima Octobris Anno Domini M.D.XXIIII.

E(iusdem) Sanctitatis V(estrae)

Humilis et obsequens filius
FERDINANDUS AR(CHIDUX) AUST(RIAE).
Ia. SPIEGEL s.

DCCXCIII.

Ludovicus rex Hungariae pontifici res afflictas sui regni commendat. Ex originali — Instrum. Miscell.

Sanctissimo in Christo Patri et Domino, Domino Clementi VII. divina Providencia Sacrosanctae Romanae Ecclesiae Summo Pontifici, Dño meo Clementissimo.

Beatissime Pater et Domine, Domine mihi Clementissime. Post oscula pedum Sanctitatis Vestrae beatorum. Mirari non debet Sanctitas Vestra, ut tantum fecerim intervallum in litteris ad Vestram Sanctitatem mittendis, id inter alias causas propterea eciam accidit: quod cum in animo haberem, sicut eciam nunc habeo, Stephanum Brodericum, secretarium et consiliarium meum, primo quoque tempore ad Vestram Sanctitatem remittendi, et cum interea temporis conventum generalem, quem proxime habui, celebrari contigisset, visum fuit non prius eum hinc dimittere, quam conventu ipso celebrato certi aliquid in rebus meis statueretur, ut ipse ad Vestram Sanctitatem reversus posset eidem omnem et rerum et eciam consiliorum meorum racionem uberius ac perfectius explicare. Hinc ergo accidit, quod dum reditum ipsius ad Sanctitatem Vestram prestolor, dum iamiam me eum dimissurum puto, fuit visum omnia ad eius istuc profectionem differre. Nunc cum ob causas supradictas reditus ipsius sit in tantum extractus, licet et ipse brevi ad Vestram Sanctitatem sit venturus, ne tamen Vestra Sanctitas vel hoc parvo temporis spacio rerum mearum esset ignara, scripsi nonnulla ad fidelem meum Franciscum Marsupinum Archidiaconum Strigoniensem, meum apud Vestram Sanctitatem Oratorem, que Vestra Sanctitas ab eo intelligere dignabitur, et cognitis tot periculis et calamitatibus, in que ultra illa superiora, que et ipsa gravissima erant, hiis ipsis diebus hoc Regnum meum incidit, dignetur per amorem dei omnipotentis ita rebus meis prorsus iam in extremam desperacionem addnctis consulere, ne futuro vere a potentissimo hoste, qui mihi et Regnis meis, sicut assidue fio undique certior, totis viribus incumbet, penitus opprimar et deglnciar. Qua de re licet et Franciscus Marsupinus est cum Vestra Sanctitate impresenciarum nomine meo acturus, plura tamen brevi aget dictus S. Brodericus. Me et negocia mea in curam ac tutelam Vestrae Sanctitatis humiliter commendo: Quam Deus Optimus Maximus felicissimam conservet. Datum Budae XX. Octobris Anno etc. M.D.XXIIII. Regnorum meorum Anno VIIII.

Eiusdem Sanctitatis Vestrae

Devotus filius
LUDOVICUS REX HUNGARIE ET BOHEMIE etc. manupp.

DCCXCIV.

Philippus praepositus Agriensis ecclesiae Quinqueecclesiensi in episcopum praeficitur. Reg. An. 1. Tom. 199. fol. 19.

CLEMENS EPISCOPUS etc. Dilecto filio Philippo Electo Quinqueecclesiensi, salutem etc. Apostolatus officium etc. Dudum siquidem fel. rec. Bonifacius papa VIII. predecessor noster provisiones ecclesiarum omnium apud sedem apostolicam tunc vacantium, et inantes vacaturarum sue et dicte sedis ordinationi et dispositioni reservavit, decernens extunc irritum et inane, si secus super hiis per quoscumque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari. Postmodum vero ecclesia Quinqueecclesiensi ex eo, quod pie memorie Adrianus papa VI. etiam predecessor noster bone memorie Georgium Archiepiscopum Strigoniensem, tunc Epum Quinqueecclesiensem, licet absentem a vinculo, quo eidem ecclesie Quinqueecclesiensi, cui tunc in humanis agens preerat, tenebatur, de fratrum suorum, de quorum numero tunc eramus, consilio et apostolice potestatis plenitudine absolvens, ipsum ad ecclesiam Strigoniensem tunc certo modo vacantem de simili consilio apostolica auctoritate transtulit, preficiendo eum ipsi ecclesie Strigoniensi in Archiepiscopum et pastorem, apud sedem eandem pastoris solatio destituta,

ipsoque predecessore de dicta ecclesia Quinquecclesiensi non disposita, sicut domino placuit, sublato de medio, nos divina favente clementia ad summi apostolatus apicem assumpti ad provisionem eiusdem ecclesie Quinquecclesiensis celerem et felicem, de qua nullus preter Romanum pontificem hac vice se intromittere potuit sive potest, reservatione et decreto obsistentibus supradictis, ne ecclesia ipsa Quinquecclesiensis longe vacationis exponatur incommodis, paternis et sollicitis studiis intendentes, post deliberationem, quam de preficiendo eidom ecclesie Quinquecclesiensi personam utilem et etiam fructuosam cum fratribus nostris habuimus diligentem, demum ad te Prepositum ecclesie Agriensis, clericali caractere dumtaxat insignitum, et de nobili genere procreatum, cui apud nos de litterarum scientia, vite mundicia, honestate morum, spiritualium providentia et temporalium circumspectione, aliisque multiplicium virtutum donis fidedigna testimonia perhibentur, direximus oculos nostre mentis: quibus omnibus debita meditatione pensatis, de persona tua, nobis et eisdem fratribus nostris ob tuorum exigentiam meritorum accepta, eidem ecclesie Quinquecclesiensi de simili ipsorum fratrum nostrorum consilio auctoritate predicta providemus, teque illi in Episcopum preficimus et pastorem, curam, regimon ot administrationem eiusdem ecclesie Quinquecclesiensis tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, in illo qui dat gratias et largitur premia confidentes, quod dirigente domino actus tuos prefata ecclesia Quinquecclesiensis sub tuo felici regimine regetur utiliter et prospere dirigetur, ac grata in eisdem spiritualibus et temporalibus suscipiet incrementa. Iugum igitur domini tuis impositum humeris prompta devotione susciplens, curam et administrationem predictas sic exercere studeas solicite, fideliter et prudenter, quod ipsa ecclesia Quinquecclesiensis gubernatori provido et fructuoso administratori gaudeat se commissam, tuque preter eterne retributionis premium nostram et dicte sedis benedictionem et gratiam exinde uberius consequi merearis. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno etc. MDXXIIII. XII. Kalendas Novembris, Pontificatus nostri Anno Primo.

DCCXCV.

Ludovicus rex Hungarie spondet pontifici se Stephanum Brodericum recommendatum habiturum, eique de episcopatu proxime vacaturo provisurum. Ex originali — Instrum. Miscell.

Sanctissimo Domino, Domino Clementi VII. divina providentia Sacrosanctae Romanae ac Universalis Ecclesiae Summo Pontifici, Domino meo Clementissimo.

Beatissime Pater et Domine, Domine Clementissime. Post oscula pedum Sanctitatis Vestrae beatorum et mei humillimam commendationem. Commendavit mihi aliquoties Vestra Sanctitas et litteris suis et per Magnificum Dominum Baronem, Nuntium et Oratorem suum, personam fidelis mei Stephani Broderici Praepositi Quinquecclesiensis, Secretarii ot Consiliarii mei, quas Vestrae Sanctitatis sedulas et humanissimas commendationes tanto alacriori animo accepi, quanto eos, qui mei sunt et in Regno meo nati, externis etiam Principibus, et presertim summo omnium Christianorum et Principi et patri, Vestrae Sanctitati placere ac probari maiorem in modum et gaudeo et laetor. Existimet igitur et certo sibi persuadeat Sanctitas Vestra, has suas de Stephano Broderico commendationes non solum maximi apud me ponderis fuisse, sed etiam plurimum me voluptatis et gaudii ex eis accepisse. Verum quod hucusque imperio et voto Vestrae Sanctitatis a me non potuerit fieri satis, multa obstiterunt et quidem talia, quae nullo pacto vinci ac porfringi potuere. Nam si obstacula huiuscemodi tolli et removeri potuissent, ea est mea primum in Vestram Sanctitatem observantia ac devotio, ea ad omnia eiusdem mandata explonda constans et perpetua voluntas, ea deinde eius, qui a Vestra Sanctitate commendatur, virtus et in negotiis meis obeundis sedulitas atque integritas, ea denique fuit etiam Domini Baronis pro Broderici promotione nomine Vestrae Sanctitatis apud me opera et intercessio, ut huic desyderio Sanctitatis Vestrae, si ullo pacto fieri potuisset, procul dubio a me fuisset abunde satisfactum. Id tamen, quod neque antea, neque in ista proxima ecclesiarum vacatione expleri potuit, prima occasione oblata nequaquam praetermittetur. Et quia eam esse Vestrae Sanctitatis voluntatem intelligo, et id virtutes etiam et obsequia Broderici iure exposcere videntur, sum ei pro Vestrae Sanctitatis imperio de Ecclesia in Regno meo primitus vacatura omnino provisurus. Qua de re licot et cum praefato Oratore Vestrae Sanctitatis plura sim loquutus, volui tamon hiis litteris etiam hanc animi mei dispositionem Vestrae Sanctitati declarare. Me et omnia mea in tutelam Vestrae Sanctitatis unice et humillime commendo: Quam Deus Optimus Maximus felicissimam conservet. Budae die quinta Decembris M.D.XXIIII.

Eiusdem Vestrae Sanctitatis

Devotus filius

LUDOVICUS REX HUNGARIE ET BOHEMIE etc. manupp.

DCCXCVI.

Ragusinis confirmatur statutum ab ipsis factum de obviandis scandalis circa commutationes voluntatum testatorum, et impetrationibus legatorum de bonis male ablatis et incertis. Reg. An. II. Brev. Tom. 45. fol. 380.

Dilectis filiis Provisoribus Civitatis Ragusinae.

Clemens PP. VII. Dilecti filii, salutem etc. Cum, sicut nobis nuper exponi fecistis, alias vos circa prosperum statum et regimen Civitatis vestrae Ragusinae intenti considerantes, quod ex commutationibus testamentorum seu voluntatum testantium, et impetrationibus legatorum de bonis male ablatis et incertis ac eleemosynis factis diversa inconvenientia et scandala in dicta Civitate oriebantur et generabantur, ac cupientes huiusmodi inconvenientibus et scandalis obviare, matura desuper deliberatione praehabita inter alia statueritis et ordinaveritis, quod ex tunc de cetero perpetuis futuris temporibus omnes commutationes voluntatum testatorum, ac impetrationes unius vel plurium legatorum de quibuscumque bonis male ablatis et incertis, seu eleemosynis factas, quae tam in Romana Curia a nobis et Sede Apostolica huiusmodi Ordinario loci, seu eius Vicario per aliquem haeredum et successorum ipsorum testantium fierent et obtinerentur, censerentur et essent impetrata et obtenta pro omnibus haeredibus et successoribus eorumdem testantium aequaliter, sicque omnes haeredes et successores participare deberent pro illa rata et portione, pro qua participarent in aliis bonis ipsorum testantium, ita tamen quod quilibet ipsorum participantium teneretur solvere ratam suam expensarum, quae fierent per talem impetrantem, et si forsan aliqua impetratio fieret a quacumque persona aliena, quod talis impetratio censeretur haeredum et successorum in bonis testatoris talis legati, ac si impetratio pro ipsis facta absque aliqua participatione talis alienae personae, que illud impetrasset, aut cuiuscnmque etiam alterius personae; similiterque esset et censeretur de legatis factis, et quae fierent a personis agnitis (?), et quarum non reperirentur haeredes nec successores, ita quod impetrationes de talibus legatis censeantur factae, prout impetrationes legatorum predictorum male ablatorum, incertorum et eleemosynarum, prout in documentis publicis desuper confectis dicitur plenius contineri: Nobis humiliter supplicari fecistis, ut pro ipsius Civitatis prospero successu statuto et ordinationi huiusmodi robur apostolicae confirmationis adiicere, et alias in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, qui singulis honestis votis, pront possumus, libenter annuimus, huiusmodi supplicationibus inclinati, statutum et ordinationem praedictam, ac quaecumque inde secuta, rata et grata habentes, illa auctoritate apostolica tenore praesentium approbamus et confirmamus, ac illis perpetuae firmitatis robur adiicimus, et firmiter observari posse et debere decernimus, supplentes omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui forsan intervenerint in eisdem, et nihilominus praemissa omnia, prout per vos statuta et ordinata fuerunt, de novo statuimus et ordinamus, non obstantibus praemissis ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon dictae Civitatis iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae etc. die ultima Martii MDXXV. Pont. nostri Anno Secundo.

DCCCXVII.

Ferdinandus archidux Austriae commendat pontifici oratorem regis Hungariae. Ex originali — Instrum. Miscell.

Sanctissimo et Beatissimo in Christo Patri Domino, Dño Clementi VII. divina providentia sacrosanctae Romanae ac Universalis Ecclesiae Summo Pontifici, Domino meo Clementissimo.

Sanctissime ac Beatissime in Christo Pater et domine, domine Clementissime. Post beatos pedes deosculatos humilem commendationem. Confert se impresentiarum ad Beatitudinem vestram Venerabilis Stephanus Prodericus Orator Serenissimi Regis Hungariae et Bohemiae etc. Sororii et Fratris nostri charissimi, quem hac transitum facientem nolui sine his accedere eandem, tum quod id exigere visa est coniunctio et necessitudo, qua idem Rex atque ego devincti sumus, tum qnod virum hunc omni favore et commendatione mea dignum censuerim. Itaque rogo Sanctitatem vestram, ut dictum Oratorem tam in rebus Serenissimi Regis sui mihi communis, quam etiam, si quas privatim ab ea expetet, ita commendatum habere dignetur, ut sentiat meam intercessionem auxisse sibi favorem et gratiam Beatitudinis vestrae. Quae valeat felicissime. Datum Insprugg die prima mensis Aprilis Anno dñi MDXXV.

E(iusdem) Sanctitatis V(estrae)

Humilis et obsequens filius
Ferdinandus Ar(chidux) Aust(rie).

Ia. Spiegel s.

DCCXCVIII.

Idem archidux supplicat pontifici, ut Petro episcopo Tergestino Paulum Ricium coadiutorem dare velit. Ex originali — Lustrum. Misc.

Sanctissimo ac Beatissimo in Christo Patri et Domino Clementi VII. divina providentia sacrosanctae Romanae ac Universalis Ecclesiae Summo Pontifici,

Domino meo Clementissimo.

Sanctissime ac Beatissime in Christo Pater et domine, domine Clementissime. Post beatos pedes deosculatos humilem commendationem. Cum superioribus diebus hortatus sum Reverendum Patrem nobis dilectum Petrum Tergestinum Episcopum, Consiliarium meum, ut attenta et eius senilitate et lapsu in Ecclesiae suae administratione, Coadiutorem assumeret honorabilem fidelem nobis dilectum Paulum Ritium Protophysicum et Consiliarium meum, cuius multifariam eruditionem, sinceram fidem, vite morumque honestatem, ut omnium testimonio sic et clara experientia cognovi; Dictusque Episcopus tum nostri intuitu, tum ob insignes prefati Ritii virtutes et animi dotes huiusmodi meis adhortationibus condescenderit, dictumque Ritium in Coadiutorem propensa voluntate susceperit, prout ex eiusdem Episcopi manu scriptis et procuratorio mandato plane Beatitudini Vestrae constare poterit, quae illi per Venerabilem syncere nobis dilectum Decanum Tridentinum Iacobum de Bannissis exhibenda curavi; Ego vero huiusmodi Coadiutoriam tamquam Princeps Patriae et Ecclesiae Tergestinae Patronus ratam gratamque habeam, et ad effectum, dum Deo visum fuerit, deduci cupiam: Idcirco Sanctitatem Vestram plurimum et rogo et supplico, ut et ipsa praefatum Ritium Apostolica auctoritate velut virum omni approbatione dignum in dicta Coadiutoria admittat et irrevocabili Sanctitatis suae sententia confirmet. Qua in re non solum Sanctitas vestra Orthodoxae Religionis cultum et incrementum promovebit, sed etiam nobis rem immodum gratam fecerit, omni obseqnio et filiali observantia promerendum(sic). Datum in Insprugg die XIII. mensis Iunii Anno Domini M.D.XXV.

E(iusdem) Sanctitatis V(estrae)

Humilis et obsequens filius
FERDINANDUS AR(CHIDUX) AUST(RIÆ).
IA. SPIEGEL S.

DCCXCIX.

Andreae electus Tiniensis monetur, ut munus consecrationis quantocius suscipiat. Reg. An. II. Brev. Tom. 45. fol. 1065.

Dilecto filio Andreae Electo Tiniensi.

CLEMENS PP. VII. Dilecte fili, sal. etc. Non sine gravi animi nostri molestia accepimus, quod licet dudum de persona tua ecclesiae Tiniensi tunc certo modo vacanti Apostolica auctoritate provisum fuerit: tamen munus consecrationis suscipere hactenus distulisti, et nonnullis Nobilibus aliisque Christianis Tiniensis diocesis tuae curae ratione ipsius ecclesiae commissis sacramenta ecclesiastica administrare neglixisti, in illarum animarum periculum et scandalum plurimorum. Quare te auctoritate predicta tenore praesentium in domino exhortamur et attente monemus, ut dictum munus iuxta sacrorum Canonum instituta quantocius suscipere procures, et dictis Nobilibus et aliis Christianis tibi ratione dictae ecclesiae subditis ecclesiastica sacramenta administrare non postponas: alioquin in praemissis contra te per subtractationem decimarum, quas Nobiles et alii Christiani praedicti ex prediis et aliis locis suis persolvere consueverunt, et alia iuris remedia opportuna providebimus. Datum Romae etc. die XX. Iunii MDXXV. Pontificatus nostri Anno Secundo.

DCCC.

Ludovicus rex Hungariae petit a pontifice, ut causam inter episcopum Zagrabiensem et fratres ord. Praedicatorum Chasmenses vertentem ad regnum Hungariae remittat. Ex originali.

Sanctissimo in Christo Patri Domino, Domino Clementi divina providentia Papae VII.

Sacrosanctae Romanae ac Universalis Ecclesiae Summo Pontifici,

Domino meo Clementissimo.

Beatissime Pater et Domine, Domine Clementissime. Post oscula pedum beatorum Sanctitatis Vestrae ac mei commendacionem. Lis est inter fratres ordinis Praedicatorum Conventus Chasmensis, et Reverendum Patrem Dominum Simonem Episcopum Zagrabiensem super hereditate quadam ac bonis stabilibus. Supplicaveram Sanctitati Vestrae per alias litteras meas, ut eam causam ....., quae

legibus huius Regni cognosci per Iudices ordinarios debeat, dignaretur ex Urbe ad hoc Regnum cognoscendam remittere: remissa tamen nondum est. Rursus itaque Vestrae Sanctitati supplico, ut etiam si quid illa cansa haberet, quod ad forum spirituale videretur pertinere, meis precibus annuat, ut in hoc Regno per eos, quorum interest, iudicetur. Sustinet enim Episcopus Zagrabiensis alioqui magna onera, magnosque facit sumptus in alendis militibus pro Regni defensione, nec suppetunt Ecclesiae suae proventus ad hanc causam diutius istic prosequendam. Deus Optimus Maximus Vestram Sanctitatem felicissimam tueatur: Cuius gratiae me ac mea Regna supplex commendo. Datum Budae prima die mensis Octobris Anno Domini M.D.XXV.

Eiusdem Vestrae Sanctitatis

Devotus filius
LUDOVICUS REX HUNGARIE ET BOHEMIE etc. manupp.

DCCCL

Idem rex pontifici praeposituin Olomucensem, secretarium suum, commendat, supplicatque, ut eum a pensione decano Erfordiensi solvenda liberet. Ex originali.

Sanctissimo in Christo Patri et Domino, Domino Clementi Septimo divina providentia Sacrosancte Romane ac Universalis Ecclesie Summo Pontifici, Domino meo Clementissimo.

Beatissime pater et domine Clementissime. Post oscula pedum beatorum Sanctitatis vestre. Sunt plures cause, que me inducunt ad ea, que nunc scribo, ad vestram Sanctitatem scribenda: nam et eius, de cuius negocio agitur, commodis atque utilitati libenter faveo, et mea otiam in vestram Sanctitatem devocio ac singularis observancia me impellit ad ea, que mihi videntur ad auctoritatem et decus stabilimentumque Sedis apostolice pertinere, libere vestre Sanctitati declaranda. Est apud me Secretarius Bohemus Wenceslaus doctor, Olomucensis ot Brunensis Ecclesiarum Prepositus, inter alios illius regni mei Bohemie Secretarius non solum facile primus, sed qui, absente presertim summo Cancellario eius, ipsius et munia obeat et vices ac personam sustineat. Michi cum ob singularem ac synceram in me fidem et in negociis meis obeundis diligenciam, tum etiam ob animi et morum candidissimorum integritatem, doctrincque prestanciam imprimis charus, is racione dicte Prepositure Olomucensis coactus est, alias ante duodecim annos, cum egregio Ioanne Waydman doctore, Decano Erfordiensi, eam inire condicionem, ut ei centum et decem aureos nomine pensionis quottannis persolveret. Qne quidem Sacerdociorum pensionibus gravandorum consuetudo, quantum sit et a consuetudine harum regionum alicna et hominibus nostris gravis et intollerabilis, quantam etiam prebeat mores Curie Romane insectandi ac sugillandi occasionem, vestra Sanctitas non ignorat, idque in hiis maxime locis, que sunt variis alioquin erroribus et sectis penitus infecta: quos errores tanto est difficilius extirpare (pro qua re et laboratum est hactenus et laboratur nunc quoque diligentissime), quanto eorum, qui ad societatem et communionem Sedis apostolice reducendi essent, animi ab huiusmodi consuotudinibus magis abhorrent. Snpplico itaque vestre Sanctitati humillime, sicut ot Reverendissimum dominum Cardinalem Campegium, cum a me discederet, ut nomine meo supplicaret, habui diligentissime rogatum, dignetur eam inire racionem, quo hec ipsa pensio tollatur et amoveatur, maxime quum nunc census, qui ad sacerdocia dabantur, ex integro non solvuntnr: ita ut prefatus Secretarius meus, qui in negotiis fidei et unionis vestre etiam Sanctitati et isti sanctissime Sedi diligenter et servivit et servit, Sacerdocium suum libere possit possidere nullo huiuscemodi ponsionis solvende onere gravatnm. In qno licet vestra Sanctitas videbitur ipsi Secratario meo consuluisse, non est tamen dubium, quin eodem tempore et eodem suo facto extimacionem etiam atque auctoritatom suam ac Sedis apostolice redditura sit apud has raciones et venerabiliorem et augustionem, quibus ut supra dixi grave admodum est, ac difficile sacerdocia a se et a maioribus suis ad cultum divinum instituta exteruorum, et eorundom perpetuo absentinm hominum pensionibus gravari. Pro qua re plura aget et supplicabit vestro Sanctitati nomine meo idem dominus Cardinalis, et Orator etiam meus Franciscus Marsupinus. Michi certe hec res tantum est cordi, ut si id, sicut plane confido, a vestra Sanctitate impetro, videar michi singularem atque amplissimam graciam ab eadem obtinuisse. Quam Deus Optimus Maximus conservet semper felicem et incolnmem. Bude die decima septima mensis Novembris Anno Domini Millesimo Quingentesimo Vigesimo Quinto. Regnorum meorum Hungarie et Bohemio etc. Anno Decimo.

E(iusdem) Sanctitatis Vestre

Devotus filius
LUDOVICUS REX HUNGARIE ET BOHEMIE etc. manupp.

DCCCII.

Idem rex Hungariae pontifici commendat archiepiscopum Strigoniensem, ut in sacrum cardinalium collegium adscriberetur. Ex originali — Instrum Miscell.

Sanctissimo in Christo Patri Domino, Domino Clementi VII. divina favente Clementia Sacrosanctae Romanae ac Universalis Ecclesiae Summo Pontifici, Domino meo Clementissimo.

Beatissime in Christo Pater et Domine, Domine Clementissime. Post oscula pedum Sanctitatis Vestrae beatorum et mei humillimam commendacionem. Supplicavi Vestrae Sanctitati prius per literas ac etiam per Oratorem meum S(tephanum) Brodericum, et postea rursus his diebus praeteritis per literas pro fideli meo Reverendissimo Domino L. Archiepiscopo Strigoniensi, Cancellario meo, in coetum Reverendissimorum patrum Dominorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium asciscendo. Explicavi Vestrae Sanctitati plurimas et gravissimas causas, quae me ad hoc a Vestra Sanctitate petendum monerent, quanto etiam opere id desyderarem. Ad utramque autem petitionem meam habui a Vestra Sanctitate optatissimum responsum. Nunc intellexi in his proximis consecracionum diebus Vestram Sanctitatem creationem Cardinalium habituram, et in gratiam nonnullorum Principum aliquot Cardinales creaturam. Quamvis igitur non dubitem Vestram Sanctitatem petitionis etiam meae in hac creatione rationem habituram, non potui tamen pro magnitudine desyderii, quo huius rei conficiendae et a Vestra Sanctitate impetrandae incredibili tencor, mihi temperare, quin has vel ex superabundanti per hunc celerem Nuncium meum mittere ad Vestram Sanctitatem: Cui supplico humillime, dignetur tam petitionis meae, quam etiam suae humanissimae voluntatis mihi semel atque iterum patefactae benigne recordari, et quod felix faustumque et honorificum et isti Sanctissimae Sedi et huic meo Regno Deus faxit, praefatum Dominum Strigoniensem Cancellarium meum in splendidissimum Sanctae Romanae Ecclesiae Senatum adscribere. Neque dubitet Vestra Sanctitas se in numerum fratrum suorum eum virum et ea virtute, meritis, dignitate et authoritate praeditum addere, qui sit decori et ornamento Sacro Collegio proculdubio futurus. Egit et hactenus, et aget nunc quoque nomine meo pro hac re apud Vestram Sanctitatem Franciscus etiam Marsupinus Orator meus, licet in tanta Vestrae Sanctitatis in hanc rem propensitate nullis neque meis, neque Oratoris mei precibus opus esse intelligam. Commendo supplex me et mea omnia Vestrae Sanctitati veluti alteri parenti: Quam Deus Optimus Maximus felicissimam conservet et tueatur. Datum Budae ultima Novembris Anno Domini M.D.XXV.

Eiusdem Vestrae Sanctitatis

Devotus filius

Ludovicus Rex Hungarie et Bohemie etc. manupp.

Suplicavi et suplico vestre Sanctitati humillime, dignetur me huius mei voti compotem facere.

DCCCIII.

Idem rex Iacobo Sadoleto supplicat, ut promotionem archiepiscopi Strigoniensis ad cardinalatum apud pontificem urgere velit. Ex originali.

Reverendo domino Iacobo Sadoletto Episcopo Carpetratensi, Sanctissimi Domini nostri Secretario, Amico vobis syncere dilecto.

Ludovicus Dei gratia Rex Hungarie et Bohemie etc. Reverende Amice nobis syncere dilecte. Supplicavimus et antea medio Oratoris nostri Stephani Broderici, et postea paucis ante diebus per literas Sanctissimo Domino nostro pro promotione fidelis nostri Rñi domini Strigoniensis, Cancellarii nostri: habuimus a sua Sanctitate benignum responsum. Neque dubitare possumus, Sanctitatem eius in hac nova Rñorum dominorum Cardinalium, quam proxime futuram intelleximus, creatione petitionis nostre rationem non habituram: rogamus tamen, quanto maiori studio possumus, ut et ipsa ad hanc rem conficiendam stimulos sue Sanctitati addere velit. Nam si aliter caderet, quod nullo pacto nobis persuadere possumus, sine dubio non mediocriter lederetur per hoc existimatio nostra, et opinio illa, que in animis omnium de bona et propentissima Sanctissimi Domini nostri in nos voluntate est excitata, minueretur atque etiam immutaretur. Quo maiori studio et diligentia rogamus Paternitatem vestram Reverendam, velit hanc rem auctoritate sua adiuvare, factura nobis in hoc rem longe omnium gratissimam: Cui nos et omnia negocia nostra diligentissime commendamus: Que felix valeat. Datum Budae ultima Novembris M.D.XXV.

Ludovicus Rex manupp.

DCCCIV.

Idem rex pontifici de censuris amotis a capitulo et ecclesia Strigoniensi grates reddit. Ex originali.

Sanctissimo in Christo Patri Domino Clementi Septimo divina favente Clementia Sacrosanctae Romanae ac Universalis Ecclesiae Summo Pontifici, Domino meo Clementissimo.

Beatissime Pater et Domine Clementissime. Humillimam mei ad pedes Sanctitatis vestrae commendationem. Intellexi Sanctitatem vestram pro singulari et paterno eius in me, et Regnum hoc meum affectu ac charitate desyderiis meis in amovendis censuris a Capitulo et Ecclesia mea Strigoniensi correspondisse, oraque ministrorum dei ad offerendum ei sacrificium landis pro divinae maiestatis gloria inibi reserasse, pro quo maiores, quas possum, ago et habeo gratias nomini numinique Sanctitatis vestrae, colamque et venerabor illam ut patrem clementissimum perpetuo. Ut autem Sanctitas vestra pro alta et benefica ad utilitatemque omnium indita natura, mea item perpetua in eam fide, devotione et observantia residuum quoque litis, quod iuter Capitulum et Philippum de Senis transigendum restat, radicitus evellat, etiam ac etiam vehementissime oro. Quam ut Deus Optimus Maximus augeat semper, incolumemque diu pro felici statu sanctae matris Ecclesiae et Reipublicae christianae conservet, omnibus votis exopto: Cuius me sanctissimis pedibus iterum atque iterum humillime commendo. Datum Budae XXIX. die mensis Ianuarii Anno domini Millesimo Quingentesimo Vigesimo Sexto.

Eiusdem Sanctitatis Vestrae

Devotus filius
Ludovicus Rex Hungarie et Boheme etc. manupp.

DCCCV.

V. cancellario et consiliariis ducatus Britanniae, ut mercatoribus Ragusinis super quibusdam mercibus eorum tamquam Anglicorum captis iustitiam quamcitius faciant. Reg. An. III. Brev. Tom. 46. fol. 175.

Dilectis filiis V. Cancellario et Consiliariis Ducatus Britanniae.

Clemens PP. VII. Dilecti filii, salutem etc. Dilectus filius noster Augustinus s. Adriani diaconus Cardinalis Trivultius, Civitatis Ragusinae apud nos Protector, nobis exposuit, quod superioribus annis vigente inter vos et Anglos bello, nonnulli mercatores Ragusini, navem onustam pannis et mercibus suis ex Anglia pro suo et caeterorum mercatorum more reducentes, tamquam Anglici excepti, et mercibus spoliati a vestris navibus sunt: propteres[que] idem Cardinalis pro suo Protectoris officio nobis humiliter supplicavit, ut cum vobis, coram quibus asseruit causam super hoc pendere, planum sit factum, eas merces non Anglicorum, sed ipsorum Ragusinorum fuisse, eorum iustitiam vobis commendare pro nostra pastorali caritate et protectione omnibus debita vellemus, ne Ragusini ipsi, quorum Civitas vestris et aliis negotiatoribus opportuna et hospitalis semper fuit, tantum detrimentum absque sua culpa per iniuriam sustineant. Nos etsi arbitrabamur supervacuum esse vestris devotionibus, quarum aequitas omnibus nota est, iustitiam commendare, cum eam omnibus, sicuti debetis, etiam soleatis quam diligenter administrare, tamen et rei et personis id officium denegandum non duximus, vosque paterne hortamur et amanter requirimus in domino, ut eosdem Ragusinos pro iustitia commendatos suscipientes, eorum causam secundum iustitiam eandem terminare, illisque suum reddi facere quamcitius velitis. Id quidem etsi vestro officio congruum et probitati consentaneum, nobis etiam erit gratum. Datum Romae etc. die XVI. Februarii MDXXVI. Pontificatus nostri Anno Tertio.

DCCCVI.

Provinciae Dalmatiae, petente archiepiscopo Dirrachiensi, iubilaeum conceditur, et Franciscus Iacobus de Civitanova fratrum ordinis Minorum confessor constituitur. Reg. An. III. Brev. Tom. 46. fol. 160.

Dilecto filio Francisco Iacobo de Civitanova ordinis fratrum Minorum in Theologia professori.

Clemens PP. VII. Dilecte fili, salutem etc. Pastoris eterni vices gerentes in terris etc. Exponi nobis nuper fecit Venerabilis frater Gabriel Archiepus Dirrachiensis, Capellae nostrae sacrista et Praelatus noster domesticus, se pro suo officio et cura, quam suis in fide Christi confavendis praestare debet, pie desiderare, ut omnes et singuli Christifideles sue Dirrachiensis metropolitane, necnon Stephannensis et Cognoniensis, et aliarum sibi suffragancarum ecclesiarum in Albania seu Macedonia et partibus infidelium existentium, qui anno proxime elapso ad almam Urbem nostram pro consequendis sacri Iubilei

indulgentiis libenter se contulissent, sed bonis respectibus et etiam ex nonnullis impedimentis abstinuerunt, tam salutifero bono non careant, supplicarique propterea nobis idem Gabriel Archiepiscopus curavit, ut Christifideles iidem, quibus a Turcis est permissum, ut fidem Christi, quam professi sunt, retineant, spirituali consolatione et divinis muneribus ad animarum suarum salutem proficerent. Nos saluti animarum eorumdem Christifidelium paterna charitate consulere, dictique Gabrielis Archiepiscopi pio desiderio annuere volentes, tibi provincie Albanensis oriundo, qui durante dicto anno Iubilei ad audiendum confessiones Albanensium, ad dictam Urbem venientium, in basilica principis Apostolorum de Urbe deputatus fuisti, omnium et singulorum Christifidelium utriusque sexus Dirrachiensis, Stephannensis, Cognoniensis aliarumque dicte Dirrachiensis suffraganearum ecclesiarum, provinciarum et diocesum hniusmodi confessiones audiendi, illorumque confessionibus diligenter auditis, eos ab omnibus et singulis eorum peccatis, excessibus et delictis, etiam Sedi Apostolicae reservatis (conspirationis tamen etc.) plenariam Iubilei et gaudii indulgentiam, et quam consecuti essent, si ad dictam Urbem se contulissent, et basilicas etc., illosque ex eisdem Christifidelibus, qni vi, metu aut dolo fidem Christi abnegaverint, ad nnitatem fidei et sancte matris ecclesie gremium et reconciliationem restituendi et renniendi, vota qnoque per eosdem Christifideles forsan emissa, ultramarino etc., in alis pietatis opera etiam gratis et absque aliqua pecuniarum receptione commutandi, ac unum vel plures cum simili facultate substituendi, apostolica auctoritate tenore praesentium plenam facultatem concedimus et elargimur, Non obstantibus etc. Praesentibus post sex menses minime valituris. Datum Romae etc. die XIIII. Februarii MDXXVI. Pontificatus nostri Anno Tertio.

DCCCVII.

Leonardus Cressius commissarius in Dalmatia constituitur ad capiendam possessionem omnium beneficiorum vacantium posteaque consignandam, quibus per pontificem de eis fuerit provisum. Reg. An. III. Brev. Tom. 46. fol. 193.

Dilecto filio Leonardo Cressio Capellano et Commissario nostro.

CLEMENS PP. VII. Dilecte fili, salutem etc. Cupientes de beneficiis ecclesiasticis in provincia ista Dalmatie, in qua nostro iussu degis, consistentibus, occurrente illorum vacatione, personis idoneis nobisque gratis et acceptis providere, te, cuius fidem et diligentiam habemus ex familiari experientia plurimisque in rebus perspectam, yconomum nostrum ad capiendam per te, vel alium seu alios nostro et Camerae apostolicae nomine possessionem omnium et singulorum in dicta provincia Dalmatie ex nunc in antea vacaturorum, tam secularium quam quorumvis ordinum regularium, eniuscnnque qualitatis et valoris fuerint, dummodo ad collationem nostram pertineant, et sub gratiis expectativis per nos concessis minime comprehendantur, beneficiorum ecclesiasticorum, captamque una cum fructibus penes te existentibus illi postea vel illis, cui vel quibus beneficia ipsa contulerimus, litteras apostolicas sub plnmbo desuper expeditas tibi exhibentibus consignandam, constituimus et deputamus, mandantes etiam tibi, ut statim vacationem ipsam beneficiorum eorumdem cum ipsorum qualitate et valore nobis significare procures, Non obstantibus constitutionibus et ordinationibns apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae etc. die XVIII. Februarii MDXXVI. Pontificatns nostri Anno Tertio.

DCCCVIII.

Pontifex mandat praelatis et aliis, ut omnes raptores et occultatores bonorum, quae miserat in Dalmatiam pro defensione oppidi Clissine, moneant et declarent excommunicatos, nisi ablata restituant. Ex originali.

CLEMENS PP. VII. Universis et singulis ecclesiarum Praelatis, parrochialinm ecclesiarum Rectoribus, aliisque ecclesiasticis personis ubilibet constitutis, salutem etc. Romanus Pontifex vigilis more pastoris non solum ecclesiarum omnium utilitati consulere mediante iustitia consuevit, sed etiam adversus eos, qui iura et bona per ipsum pro conservatione oppidorum contra Turcas illa expugnare conantium destinata occnpare vel nsurpare presumnnt, ut ad illorum debitam restitutionem cogantur, opem et operam adhibere oportunas. Volentes nuper providere, ne oppidum Clipsis provinciae Dalmatiae a Turcis expugnaretur, pro necessaria illius defensione diversi generis artillarias et pulverem et alias munitiones, necnon granum pro sustentatione illorum, qui oppidum ipsum custodire haberent, insuperque pro praemissorum executione dilectum filium Leonardum Cressium Commissarium illuc destinavimus. Cum autum ad aures nostras pervenerit, quod nonnulli iniquitatis filii, quos ipse Commissarius prorsus ignorat, caeca cupiditate ducti nonnulla ex bonis, quae pro dicta mnnitione illuc misimus, nequiter rapuerunt, snbtraxerunt et occultarunt ac distraxerunt, et detinent indebite occupata, seu illa in suos usus nequiter converterunt, necnon raptoribus, subtractoribus et detentoribus praefatis auxilinm, consilium vel favorem

praestiterunt et praestant, in tam boni operis ac munitionis oppidi huiusmodi non modicum damnum ot iacturam. Nos itaque volentes ipsius oppidi indemnitati oportuno providere, vobis omnibus et singulis supradictis, et vestrum cuilibet insolidum harum serie committimus, et sub excommunicationis in singulos ac interdicti ecclesiastici in vestris ecclesiis, cappellis ot locis, capitulis et collegiis latae sententiae poenis et censuris ipso facto, si non paruoritis, per quemlibet vestrum incurrendis districte precipiendo mandamus, quatenus in vestris ecclesiis et locis huiusmodi, aliisque locis publicis, quotiens pro parte Commissarii praefati fueritis requisiti, seu alter vestrum fuerit requisitus, omnes et singulos raptores et occultatores huiusmodi, et alios quoscumque talia sciontes et non revelantes inter divinorum solemnia alta et intelligibili voco monoetis et requiretis, ut sub excommunicationis latae sententiae poena ipso facto, si non paruerint, incurrenda infra terminum Quindecim dierum, a dio monitionis huiusmodi computandum, quorum Quinque pro primo, et alios Quinque pro secundo, et reliquos Quinque dies huiusmodi pro tertio et peremptorio termino ac monitione canonica assignamus, et vos assignetis eisdem, ipsi occultatores ot detentores huiusmodi praefato Commissario, nostro nomine et Camerae apostolicae praefatae recipienti, coram Notario et testibus restituant, relaxent et consignent, ac scientes raptores et occultatores ac detentores eidem Commissario revelent et manifestent, et postquam Quindecim dierum terminus huiusmodi lapsus fuerit, omnes et singulos monitioni huiusmodi non parentes maioris excommunicationis, et interdicti ecclesiastici sententias huiusmodi incidisse, inter divinorum solemnia in ecclesiis et locis eisdem denunciotis et publicotis, et pro talibus et ut tales publice evitari, tractari et reputari mandetis. Volumus autem, quod quilibet vestrum prosequi, mediare et finire possit monitionem et requisitionem per alterum vestrum incheandam. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, cetorisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud Sanctum Petrum sub Anulo piscatoris die VII. Aprilis M.D.XXVI. Pontificatus nostri Anno Tortio.

DCCCIX.

Universis Christi fidelibus in oppido Clissiae ac in Poglizae et Bosninae provinciis consistentes pie desyderare, ut ipsi, qui prope et inter infideles assidue versantur, et ob hoc aliisque impedimenta, etiam pestis, quae superiore anno in alma Urbe nostra viguit, ad dictam Urbem pro consequenda indulgentia, et peccatorum remissione praeteriti anni gaudii et iubilei se couferre non potuerunt, iudulgentiae huiusmodi tam salutifero bono non careant: Nos, qui cuuctorum fidelium salutem, ut ex debito pastoralis teneamur officii, intensis desideriis affectamus, ut Christifidelium eorumdem animarum saluti salubrius consulatur, debito providere, ac eorumdem Leonardi et aliorum Christifidelium pie desyderio annuere volentes, de omnipotentis Dei misericordie ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus et singulis utriusque sexus Christifidelibus vere penitentibus, confessis et contritis, qui tribus diebus continuis, vel interpellatis per dictum Leonardum designandis, Altare maius cuiuslibet ecclesiaram in dictis locis consistentium, per eumdem Leonardum Commissarium uostrum pariter designandarum, devote visitaverint et apud dicta Altaria quinquies orationem Dominicam, et totiens salutationem Angelicam dixerint seu recitaverint, alıquidve inibi in pios usus per dictum Leonardum Commissarium declarandos per se ipsos, et qui eorum legitime impediti fuerint, otiam per alios obtulerint, eandem plenariam indulgentiam et peccatorum remissionem concedimus, eosque conecqui volumus, quas consecuti fuissent, si durante dicto anno Iubilei ad dictam Urbem se personaliter contulissent, et ecclesias pro consequenda indulgentia in litterie nostris Iubilei huiusmodi deputatas etiem personaliter visitassent. Et ut fidelium defunctorum animae, quae Christo Iesu per charitatem unitae ab hac luco migrarunt, et in purgatorio detentae sibi ipsae proficere nequeunt, et aliorum suffragiis indigere noscuntur, huius gratiee participes efficiantur, quod fidelium defunctorum animabus, pro quibus aliqua elymosina iuxta eiusdem Leonardi declarationem in dictos pios usus fuerit erogata vel transmissa, indulgentia et remissio huiusmodi per modum suffragii opituletur, concedimus et indulgemus. Et insuper ut Christifideles ipsi dictae indulgentiae

aptiores reddantur, eidem Leonardo Commissario Confessores tam seculares quam cuiusvis ordinisti aut mendicantium regulares, tot quot fuerint necessarii, in dictis ecclesiis per eum designandis deputandi, qui personas ipsas ecclesias praedictas visitantes, earum confessionibus diligenter auditis, ab omnibus et singulis criminibus et delictis, etiam Sedi Apostolicae reservatis, (conspirationis tamen in personam ac statum Romani Pontificis, falsificationis litterarum apostolicarum et supplicationum, delationis armorum et aliorum prohibitorum ad partes infidelium, ac manuum violentarum in Praelatos et personas ecclesiasticas superiores eorum iniectionis casibus dumtaxat exceptis) absolvere, iniuncta eis pro modo culpae penitentia salutari, ac vota quascumque (ultramarino, liminum Apostolorum Petri et Pauli de Urbe, sancti Iacobi in Compostella, sanctae Mariae de Loretho, ac Religionis et castitatis votis etiam dumtaxat exceptis) in pias elymesinas inibi efferendas convertere valeant, licentiam et facultatem concedimus, In contrarium non obstantibus quibuscumque. Volumus insuper, ut praesentium transumptis manu Notarii publici, ac sigillo dicti Leonardi Commissarii, vel alterius personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, plena ot eadom fides in iudicio ot extra adhibeatur, quae adhiberetur praesentibus originalibus, si essont oxhibitae vel ostensae. Datum Romae apud Sanctum Petrum sub Anulo piscatoris die VIII. Aprilis M.D.XXVI. Pontificatus nostri Anne Tertie.

DCCCX.

Ludovicus rex Hungariae pontifici Antonium Hortoghe nuntii apostolici in Hungaria familiarem commendat. Ex originali.

Sanctissime in Christo Patri, Domino Clementi Septimo divina providentia
SS. Romanae ac Universalis Ecclesiae Summo Pontifici,
Domino meo Clementissimo.

Beatissimo Pater, domine Clomentissime. Post escula pedum Sanctitatis vestrae beatorum, moique humillimam commendationem. Magnificum Ioannem Anthonium Baronem Burgii, Sanctitatis vestrae Nuncium, pro sua singulari humanitate ot in rebus agendis prudentia ee amore et benevolentia ac meorum quemque prosequer. Neque meus in eum favor tantus esse potest, quo non longe maiore otque uberiore eb suam integritatem, in negociisque meis sedulitatem sit dignus. Huic Anthonius Hortoghe vir industrius multo tempore sedulo ac diligenter servivit, euramque domus eius ac familiae gessit: cuius servitia propter eum, quem dixi, amorem neu minus grata sunt, ac si mihi praestita esseut. Hunc itaque pro negotiis suis in Urbom proficiscentem Sanctitati vestrae eo, quo soleo meos intimos, animo et diligentia commendo, eidemque humillime supplico, velit intuitu meo in numerum suorum suscipere, ac solita sua benignitate prosequi. Erit mihi longe gratissimum, quicquid Sanctitas vestra in eum benefacti contulerit, conaborque perpetuis obsequiis mois a Sanctitate vestra promereri. Deus altissimus Sanctitatem vestram faelicissimam ad regimen Ecclesiae suae diutissime conservare dignetur: Cui mo ot haec Regna mea oppressa iterum humillimo commendo. Budae XXVII. Maii Anno domini M.D.XXVI.

Eiusdem Sanctitatis Vestrae

Devotus filius
Ludovicus Rex Hungariae et Bohemiae etc. manupp.

DCCCXI.

Idem Ludovicus rex Hungariae pontifici bortorem regni sui statum exposit, de subsidiis iam missis gratos reddit et nova abundantiora petit. Ex originali.

Sanctissime in Christo Patri et Domino, Domino Clementi Septime divina providentia
Sacrosanctae Romanae ac Universalis Ecclesiae Summo Pontifici,
Domino meo Clementissimo.

Beatissime Pater et Domine, Domino clomontissime. Post escula pedum beatorum Sanctitatis vestre. Pluribus verbis Sanctitati vestre mos et regni mci pericula, Hostis potentissimi contra me apparatum, ot iam adventum crebris meis litteris significavi: nuno ideo sum brevior scribendo, quod nichil in rebus meis esse oxistimem, quod non sit Sanctitati per Magnificum Ioannem Authonium Pulloonem Baronem Burgii, Nuncium et Oratorem suum, significatum. Certo est ad me iterum per fidos Nuncies et Explorotores allatum, Cesarem Turcarum abesse a Nander Alba itinere trium aut quatuor dierum, Pontes omnes super Zavum, quibus transitum habere possit, iam pene perfectos, venire omnibus suis copiis contra me et hoc regnum: Cuius potencio quam sim insufficiens, Sanctitas vestra bene intelligit. Spes mea omnis, salus regnorum meorum sita est in sola Sanctitate vestra. Obtestor igitur ot rogo Sancti-

tatem vestram pro Deo immortali, pro salute Christianitatis, dignetur et per se maius et abundancius subsidium, quod tam subito potest, michi periculis exposito nunc nunc mittere, et alios quoque Principes Christianos orare, admonere et hortari, ut ipsi quoque non desint rebus meis in periculo positis. Pro subsidio misso ago vestre Sanctitati gracias, quantas maximas possum, reserviturus una cum omnibus Subditis meis hanc vestre Sanctitatis beneficienciam. Eandem Deus Optimus Maximus diu incolumem conservet. Datum Bude vigesimaprima die mensis Iunii Anno Domini M.D.XXVI. Regnorum meorum Hungarie et Bohemie etc. Anno Decimo.

Eiusdem Sanctitatis Vestre

Devotus filius

LUDOVICUS REX HUNGARIE ET BOHEMIE etc. manupp.

DCCCXII.

Henricus VIII. rex Angliae pontificis dolorem de luctuoso Hungariae casu conceptum pientissimis litteris lenit etc. Ex originali — Instrum. Miscell.

Sanctissimo Clementissimoque Dño nostro Pape.

Beatissime Pater, post humillimam commendationem ac devotissima pedum oscula beatorum. Nimis ferreum cor ac saxeum pectus Christiano illi principi inditum esse arbitramur, quem presentium temporum miseria et tam saeva undique communibus Christianorum omnium cervicibus imminens calamitas non commoveat ad pietatem: et cuius cogitatus, consilia actionesque omnes non debeat ad mutuam principum conciliationem necessario quam citissime convertere et cogere. Nos equidem, Beatissime Pater, dum Vestre Sanctitatis breve XXII. die Septembris ad nos datum accurate legeremus, nec potuimus lachrymis parcere, nec interiorem dolorem, quem publice quietis gracia et inopinato quodam vestre Beatitudinis infortunio concepimus, cohibere. Regno etenim Hungarie ad tot secula tutissimo Christianitatis propugnaculo a Turca illatam cladem, tantique Regis intellectam stragem et iacturam eo graviori luctu collachrymamur, quod ex Christianorum dissidiis potius, quam ulla ipsius immanissimi ac truculentissimi hostis virtute potentiam tam immoderate augeri presentibus oculis intuemur, quum nihilo atrocius Turca Christianitati, quam Christiani eidem insultent. Quod si adeo Turcarum conatibus essemus Regno ac viribus propinqui, ut iniquissimam illorum impietatem soli possemus arcere, non expectaremus utique ad opus tam necessarium ullius litteris, ne dum Sanctissimis Vestre Beatitudinis adhortationibus incitari. Hoc unum ergo superest remedium, ut Christiani principes, sepositis odiis abiectisque simultatibus, suas vires adversus communem et presentemque hostem mature convertant: nullam namque diuturniorem moram aut consultationem ipsis oculis obiectum malum amplius admittit. In hanc vero animarum conciliationem, ubi cetcri principes, Deo duce, convenerint, in qua ardentissimis omnibus officiis una cum vestra Beatitudine illos trahere conabimur, nemini nos pietate ant auxiliis cedemus, ac in tam sancta expeditione suscipienda, postquam do totius roi ordine et summa conventum erit, si sic expedire visum fuerit, personam ipsam nostram, nedum facultates omnes, quas a Deo acceptas illius cause debemus, tam sancto ministerio offerimus et pollicemur, nec flagrantiori voto quicquam expectamus, quam ut vel ipso sanguine et persone nostre sacrificio publicam Omnipotentis Dei causam, sacrosanctamque fidem et religionem quandoque iuvare queamus. Ad istud quoque malum privata ingens Sanctitati Vestre ab his ipsis, quos minime decuit, iniquissime illata contumelia accessit, que ob rei indignitatem tantum ipsis precordiis moerorem nobis concitavit, ut impium istum casum, quem Cesar ipse detestari debeat, summopere indoleamus: utcumque in tanto rerum turbine, ac in ista successuum confusione hoc arbitramur esse precipuum Vestre Beatitudinis officium, ut iniquissimorum hominum iniquioribus conatibus non succumbat, aut ullo pacto frangatur, nec sibi a Deo creditum temonem abiiciat: tantum namque scelus a fœda agrestium colluvie tam repense ausum existimandum est, non minus repento, Deo vindice, dissipatum iri. Vestram itaque Beatitudinem obsecramus, ut et animos ex inexpectato isto pavore perculsos repetat, et suam clementiam, fortitudinem, constantiam ac prudentiam iudicet ex istis adversitatibus in authores aliquando casuris clariorem effici. Supervacaneum porro arbitramus indignitatem istam pluribus condolere, veriti ne gravem iniuriam Vestre Sanctitatis cordi nunc inhaerentem nostro luctu gravius exacerbemus: sed ita hac in re (que Christianorum principum animos in se debuit concitasse) nos geremus, ut Vestre Beatitudini simus non solum summe futuri consolationi, sed etiam filialem nostrum animum et erga apostolicam Sedem observantiam illiusque dignitatis conservande studium quam uberrime testaturi. Cetera ex Magnifico Dño Gregorio Equite Casalio, nostro

apud Se Oratore, Vestra Sanctitas distinctius intelliget, cui certissimam fidem habere dignabitur. Et felicissime ac diutissime valeat. Ex Regia nostra apud Westmonasterium die XVIII. Octobris MDXXVI.

E(iusdem) V(estre) Sanctitatis

Devotissimus atque obsequentissimus filius Dei gracia Rex Anglie et Francie, fidei defensor, ac Dñus Hibernie
HENRICUS.

PETRUS VANNES.

DCCCXIII.

Ioannes rex Hungarie pontifici supplicat, ut fratribus heremitis beati Pauli primi heremitae Hungaria conventum s. Stephani in Monte Coelio de Urbe restitui iubeat. Ex originali — Instrum. Misc.

Sanctissimo in Christo Patri et Domino, Dño Clementi VII. Sancte Romane et Universalis Ecclesie Summo Pontifici, Domino meo Clementissimo.

Post oscula Pedum Sanctitatis Vestre Beatorum. Beatissime Pater et Dñe Clementissime. Declaravit Michi fidelis Capellanus meus, Prior generalis ordinis fratrum Heremitarum beati Pauli primi heremite, in ista Urbe Romana quondam domum Monasterii beati Stephani prothomartiris in Celio monte structi, in quo fratres dicti ordinis nationis Hungarice degunt, per quendam ex Reverendissimis dñis Sancte Romane Ecclesie Cardinalibus contra Ius et voluntatem eorumdem fratrum occupatam esse, ex cuius redditibns eisdem fratribus alias semper vite necessaria suppeditabantur: modo vero adempta domo et emolumentis istinc provenire debentibus retentis denegatisque, futurum esset, ut in ipso Monasterio et fratrum numerus et divinus cultus minuerotur. Supplicabat itaque mihi Prior generalis, ut Sanctitatem Vestram litteris meis interpellarem, quo fratres ipsi antiqua eorum hereditate uti possint et gaudere. Ego vero cum hanc Heremiticum ordinem, qui in hoc meo Regno ad edificationem plebis Christiane sancte ubique vitam agit, charum habeam, ab incunteque etate illi bene affectus fuerim, Sanctitatis Vestre gratiam et opem implorandum non dubitavi, imploroque et supplico, dignetur primum pro laude et gloria omnipotentis Dei, tum mee quoque supplicationis habita ratione, prefatam domum Monasterio Celii montis et deinde fratribus heremitis mee nacionis reddendam committere, ut hereditatem suam a sanctissimis Pontificibus Sanctitatis Vestre predecessoribus donatam et concessam quiete possidere, censusque solitos ex hinc pro vite sue sustentatione percipero, divino cultui deinde intendere sedulo et diligentius possint: in quo Sanctitas Vestra est factura rem et Deo honorificam et Mihi gratam: Quam Deus Maximus pro incremento Christiane reipublice diu conservet semper incolumem. Datum Bude prima die Aprilis Anno Dñi Millesimo Quingentesimo Vigesimo Septimo. Regnorum nostrorum predictorum Anno Primo.

Eiusdem Sanctitatis Vestre

Devotus filius
IOANNES REX HUNGARIE manupp.

DCCCXIV.

Cancelcis ecclesiae cathedralis Ottocensis, ut ipsorum episcopum ecclesia sua spoliatum in eiusdem possessionem et administrationem restituant. Reg. AR. IV. Brev. Tom. 47. fol. 69.

Dilectis filiis Capitulo Ottociensi.

CLEMENS PP. VII. Dilecti filii, salutem etc. Nuper, postquam felicis recordationis Leo Papa X. praedecessor noster, ecclesiae Ottociensi tunc certo modo pastoris solatio destitutae de persona Venerabilis fratris Petri Episcopi Ottociensis apostolica auctoritate providerat, ipsumque illi in Episcopum et pastorem praefecerat, curam et administrationem ipsius ecclesiae sibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, ac motu proprio sibi per suas in forma Brevis litteras, ut illarum vigore regiminis et administrationis, ac bonorum dictae ecclesiae possessionem seu quasi apprehendere posset, inter alia concesserat, cum dictus Petrus Episcopus, qui litterarum Brevis huiusmodi vigore possessionem regiminis et administrationis, ac bonorum praedictorum assecutus fuerat, ex certis causis dictae provisionis et praefectionis de persona sua factarum huiusmodi infra octo menses, pront inxta constitutionem ipsius praedecessoris desuper editam tenebatur, expediri non fecisset: Nos eidem Petro Episcopo, quod provisio et praefectio praedicte, ac desuper conficiendae litterae cum facte forent, et quaecumque inde pro tempore secuta valerent in omnibus et per omnia, perinde ac si illa infra octo menses iuxta constitutionem

70*

praedecessoris huiusmodi expediri fecisset, per quosdam concessimus, eumque in pristinum et eum statum, in quo ante lapsum octo mensium praedictorum existebat, restituimus, reposuimus et plenarie reintegravimus, ac voluimus, quod infra sex menses ex tunc computandos litteras super provisione et praefectione de persona sua foctas huiusmodi in totum expedire, ac iura Camerae apostolicae persolvere omnino teneretur, et deinde semestre praedictum ac omnem a fine ipsius somestris computandum, infra quem dictas litteras expedire minime tenetur, per alias nostras in forma Brevis litteras prorogavimus et extendimus, prout in eisdem litteris plenius continetur. Nos igitur eundem Petrum Episcopum paterna benevolentia prosequentes, ac cupientes, ut provisio et praefectio praefate suum debitum, ut convenit, sortiantur effectum, vobis ac vestrum cuilibet in virtute sanctae obedientiae sub excommunicationis latae sententiae ac suspensionis a diviuis, necnon privationis Canonicatuum et praebendarum, ac quorumcunque aliorum beneficiorum ecclesiasticorum per quemlibet vestrum obtentorum, ac inhobilitationis ad illa et alia in posterum obtinenda poenis, nisi parueritis, per singulos vestrum absque alia declaratione eo ipso incurrendis districte precipiendo mandamus, quatenus eundem Petrum Episcopum, qui regimine et administratione dictae ecclesiae, ut accepimus, apoliotus fuit, ad pristinam possessionem seo quasi regiminis et administrationis, ac bonorum ecclesie huiusmodi, in qua ante lapsum octo mensium praedictorum existebat, restituatis, reponotis et admittatis, ac sibi tanquam Patri et Pastori animarum vestrarum humiliter intondentes, eius salubria monita et mandata suscipere et efficaciter adimplere curetis: mandantes etiam dilecto filio Capitoneo Signino seu eius locumtenenti sub eadem excommunicationis latae sententiae poena, ut praefertur, incurrendo, ut fructus, redditus et proventus dictae ecclesiae, seu illius Capituluria mensae apud eum consistentes eidem Petro (Episcopo), vel eius circa hoc negotiorum gestori integre, realiter et cum effectu restituot, ac sibi in odipiscenda et accipienda possessione huiusmodi favores et auxilia opportuna exhibeat: sciturl quod si mandatis nostris huiusmedi parere contempserilis, nos contra vos od gravieres censuras procedi faciemus, prout contumacia exegerit et iustitia suaserit, Non obstantibus etc. Volumus autem, quod ipse Petrus Episcopus litteras super provisione praedicta infra dictum terminum ultimo loco prorogatum expedire, ac iura Comerae apostolicae persolvere omino teneatur, alioquin ecclesia ipsa vacare censeatur eo ipso. Dotum Romae etc. die XXVI. Aprilis MDXXVII. Pontificatus nostri Anno Quarto.

DCCCXV.

Francisco archiepiscopo Iadrensi indultum conferendi beneficia in sua civitate et dioceesi ad instar cardinalium conceditur.
Reg. Ao IV. Brev. Tom. 47. fol. 110.

Venerabili fratri Francisco Archiepiscopo Iadrensi.

CLEMENS PP. VII. Venerabilis frater, salutem etc. Cupientes, ut tu, qui ecclesiae Iadrensi praeesse dignosceris, et Archidiaconatum ecclesiae s. Mariae Maioris terrae Cremae Placentinae dioecesis ex concessione ot dispensatione apostolica in titulum seu commendam obtines, et Praelatus domesticus ac Assistens noster existis, et in hac miseranda almae Urbis nostrae direptione bono tuo cuncta mobilia etiam preticosa ad valorem duodecim millium Ducatorum ascendentia amittendo, quam plurima incommoda pertulisti, ot in hac Arce Sancti Angeli nobiscum hacteuus non sine magno vitae tuae periculo plurimos labores pro servitio nostre pertulisti, aliquam gratiam a nobis reportea, qua te erga benemeritas de te et alias ecclesiasticas personas grutum et liberalem exhibere valeas, motu proprio et ex certa nostra scientia specialibus favoribus et gratiis te prosequi volentes, tibi, ut quoad vixerit, per te vel Vicarium seu Vicarios tuos generales vel speciales od id a te pro tempore deputetos quascunque, quotcunque et quaslacunque beneficia ecclesiastica cum cura et sine cura, saeculuria et quorumvis ordinum regularia, etiom si saecularia Canonicatus et praebeudae, dignitates, personatus et administrationes vel officia etiam curata et electiva, regularia vero Praepositurao, Praepositatus, Monasteria, non tamen conciatoriulia, aut alias quovis modo qualificata fuerint, ad collationem, provisionem seu quamvis aliam dispositionem Archiepiscopi Iadrensis et Archidiaconi ecclesiao sanctae Mariae praedictorum pro tempore existentium quomodolibet et quocunque iuro seu titulo, vel consuetudine aut alias spectoutia et pertinentia in quibuscunque menaibus per obitum extra Romanam Curiam vacantia, otiam si beneficia huiusmodi nostrae et Sedis Apost. dispositioni specialiter vol ex quavis causa, praeterquam rationis vacationis per obitum apud Sedem Apost. aut familiaritatis continuae commonsalitatis nostrae, aut alicuius Cardinalis viventis, cuius consensus requirendus foret, generaliter reservata, personis idonois tibi gratis et acceptis conferre, et de illis etiam providere, ac personas ipsas ad illa eligere, praesentare libere et licito ad instar

Venerabilium fratrum nostrorum sanctæ Rom. ecclesiæ Cardinalium possis et valeas, ac si nullæ gratiæ expectativæ, speciales vel generales reservationes, uniones, annexiones, incorporationes et quevis aliæ gratiæ et illarum revalidationes, collationum mutationes ac extensione sper nos et Sedem Apostolicam in futurum non emanarent aut essent, concedimus et indulgemus, sine præiudicio quarumcunque gratiarum expectivarum hactenus concessarum, et usque ad triennium proxime futurum concedendarum, Non obstantibus specialibus vel generalibus unionibus, annexionibus et incorporationibus, etiam perpetuis, ac de providendo et aliis mandatis, eorumque revalidationibus, collationum mutationibus et extensionibus, ac aliis gratiis, privilegiis et indultis, ac litteris apostolicis etiam de cenferendis beneficiis ecclesiasticis, et in Nullius, aut quorumcunque etiam sanctæ Romanæ ecclesiæ Cardinalium, aut sacri palatii nostri causarum Auditorum, ant aliorum quorumcunque quoquomodo qualificatorum favorem, etiam ad Imperatorum, Regum, Reginarum et aliorum Principum et dominorum preces et instantiam, et ex quibuscunque, quantumcunque urgentissimis, piis ac etiam onerosis cansis, etiam cum præsentis indulti amplissima derogatione per nos et Sedem Apostolicam in futurum concedenda, necnon quibusvis indultis et facultatibus quibusvis nostris et Sedis Apostolice nuntiis et legatis etiam cum potestate legati de latere, et conferendi beneficia ecclesiastica, etiam in tua Civitate et diocesi consistentia, tum ad collationem et dispositionem ecclesiæ tuæ Iadrensis, quam ratione Archidiaconatus præcitorum quomodolibet spectantia et pertinentia, in quibusvis dominiis deputatis et deputandis, concessis et concedendis, quibus, illorum tenores, ac si præsentibus de verbo ad verbum inscrerentur, pro expressis et insertis habentes, exnunc specialiter et expresse derogamus, illas et illa ad effectum, quod præsentibus non præindicent, exnunc etiam annullamus et revocamus, et in dictis beneficiis ad collationem et dispositionem ecclesiæ tuæ Iadrensis et Archidiaconatu huiusmedi spectantibus et pertinentibus lacum sibi vendicare non posse, Sicque per quoscunque iudices iudicari. sententiari et diffiniri debere, sublata eis et eorum cuilibet aliter iudicandi, sententiandi, diffiniendi et interpretandi facultate et auctoritate, ac irritum et inane, si secus a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter ctiam per nos contigerit attemptari. Volumus autem, quod illis, quibus beneficia generaliter reservata huiusmodi contuleris, si illorum fructus, redditibus et proventus vigintiquatuor ducatorum auri de Camera valorem sunuum excedant, novam provisionem infra annum a Sede Apostolica impetrare teneantur, alioquin collatio et provisio huiusmodi nullius sint roboris vel momenti, Non obstantibus Constitutionibus et ordinationibus apostolicis, cæterisque in contrarium facientibus quibuscunque. Datum Romæ in Arce Sancti Angeli etc. die x. Iunii MDXXVII. Pontificatus nostris Anne Quarto.

DCCCXVI.

Archiepiscopo Iadrensi, ut fructus suæ ecclesiæ etiam anticipata solutione cum obligatione eorum successorum ad biennium possit arrendare. Reg. An. V. Brev. Tom. 67. fol. 1363.

Venerabili fratri Francisco Archiepiscopo Iadrensi.

Clemens PP. VII. Venerabilis frater, salutem etc. Cum, sicut nobis nuper exponere fecisti, et in hac calamitosa almæ Urbis nostræ eversione bona tua cuncta mobilia etiam pretiosa ad valorem VII. millium ducatorum ascendentia amisseris, et quamplurima incommoda, ac in hac Arce S. Angeli nobiscum hactenus non sine magno vitæ tuæ periculo plurimos labores pro obsequio nostro pertuleris: Nos tuis necessitatibus, quantum cum deo possumus, subvenire volentes, tuis in hac parte supplicationibus inclinati, fraternitati tuæ omnia et singula fructus, redditus, proventus, inra, obventiones, emolumenta mensæ Archiepiscopalis Iadrensis, eui præesse dinesceris, quibusvis personis etiam laicis, cum quibus tuam ac mensæ Archiepiscopalis Iadrensis eanditionem efficere poteris meliorem, ad biennium dumtaxat pro pretio seu pretiis, de que vel quibus tibi vel procuratoribus tuis videbitur, arrendare, seu ad firmam aut aliam responsionem annuam concedere, aut illa alias obligare, necnon pretium seu pretia huiusmodi, de quibus inter te et arrendatores seu fructuarios huiusmodi concordatum fuerit, etiam unico contextu et anticipita solutione in pecunia numerata recipere et habere, et de receptis seu habitis solventes quitare et liberare, necnon fructus, redditus, proventus, inra, obventiones et emolumenta huiusmodi, ac te et tuos in ecclesia Iadrensi successores quoscumque ad arrendationis seu concessionis ant arrendationis faciende huiusmodi observationem pro dicto biennio dumtaxat cum omnibus et singulis promissionibus, fideiussionibus, iuramenterum interpositionibus et aliis cautelis et obligationibus in talibus necessariis et apponi solitis obligare possis, dictaeque personae huiusmodi fructus, redditus, proventus, inra, obventiones et emolumenta ad firmam, seu aliam responsionem annuam pro dicto biennio recipere

et levare, ac in tuos usus et utilitatem convertere libere et licite valeas, tibi et eisdem personis auctoritate apostolica tenore praesentium de speciali gratia concedimus pariter et indulgemus, Decernentes, quod si forsan contingat biennio huiusmodi durante te decedere, aut illi praecesse desistere, seu illa alias quomodolibet dimittere, nihilominus fructus, redditus, proventus, iura, obventiones, emolumenta predicta pro dicto biennio sint et remanecant eisdem personis realiter et effectualiter obligata, tuique in ecclesia Iadrensi huiusmodi successores praefati ad observantiam dictae arrendationis pro tempore, quo fructus, redditus, proventus, iura, obventiones et emolumenta huiusmodi arrendati seu obligati fuerint, et pro quo huiusmodi arrendamentum receperis, non tamen ultra ipsum biennium in omnibus et per omnia ac sine ulla exceptione et differentia, ac si ad id personaliter se obligassent, omnino teneantur, nec possint personae huiusmodi super ipsos fructuum, reddituum, proventuum, iurium, obventionum et emolumentorum libera perceptione per eosdem successores, aut quoscumque alios quomodolibet impediri: irritum quoque et inane, quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari, Non obstantibus etc. Datum Romae in Arce S. Angeli die IV. Novembris MDXXVII. Pontificatus nostri Anno Quinto.

DCCCXVII.

Ferdinandus rex Hungariae pontifici supplicat, ut Paulo de Varda episcopo Agriensi in archiepiscopum Strigoniensem electum confirmatio, et pallium sine annatae solutione concedat. Ex originali.

Sanctissimo in Christo Patri et Domino, Domino Clementi Septimo Divina providencia Sacrosanctae Romanae ac Universalis Ecclesiae Summo Pontifici, Domino meo clementissimo.

Beatissime Pater et domine clementissime. Humillimam mei commendacionem. Cum superiore anno, divina favente clemencia, Regnum hoc Hungariae, quod iure optimo mox ab obitu inclitae memoriae Serenissimi olim regis Ludovici sororii et consanguinei mei charissimi ad me devolutum erat, penetrassem, Soliumque et Diadema regium solemni totius regni Praelatorum, Baronum, Procerum et Nobilium consensu assequutus fuissem, ad ea in primis in regno eodem curanda mentis meae oculos adiecci, qnae ad divini nominis honorem cultumque religionis in ecclesiis dei tendere videbantur: volens itaque inter alia ecclesiae metropolitanae Strigoniensi, quae Presule legittimo destituta erat (ne longe vacacionis dispendio afficeretur, muniisque divinis inibi peragendis fraudaretur), de pastore idoneo providere, praeclaris et eximiis Reverendi Pauli de Varda Episcopi Agriensis meritis ac virtutibus, singularique prudencia ac rerum gerendarum usu inductus, eundem veluti personam idoneam et tam de regno hoc meo, quam etiam Serenissimo olim rege Ludovico praedecessore meo suis officiis optime meritam vigore iurispatronatus regii, quod in omnibus regni eiusdem ecclesiis instar aliorum divorum regum praedecessorum meorum me habere in confesso est, Sanctitati vestrae pro legittima institucione confirmacioneque et administracione ecclesiae eiusdem obtinenda praesentandum duxi, praesentoque per praesentes supplicans eidem humillime, dignetur eum pro singulari Sanctitatis vestrae in me et regnum hoc meum clemencia, mea item perpetua in eam devocione et observacione dictae ecclesiae Strigoniensi in pastorem legittimum praeficere, administracionemque illius una cum Pallio et aliis praerogativis gratis et absque annatae alicuius pro hac vice dumtaxat solucione eidem dare et committere: Adeo enim gravibus hoc tempore in alendis copiis praemitur sumptibus, ut nc id quidem suo aere tolerare, nedum annatam aliquam exolvere possit, praesertim quoniam bona pars villarum et possessionum, ex quibus Archiepiscopatui redditus proveniebant, Turcarum tyrannide proxima clade regno illata ferro atque igne vastata et solotenus equata sit, Colonis earum partim miserabiliter occisis, partim vero in perpetuum servitutem abactis. Proinde iterum atque iterum supplico Sanctitati vestrae, ut ei causa mea de solucione annatae pro summa eius benignitate graciam pro hac vice facere velit: Quicquid enim graciae et beneficii in eum Sanctitas vestra conferre dignata fuerit, id omne in meipsum collatum esse putabo, quod ab eadem perpetuis mei officiis promereri curabo. Quam ut Deus optimus maximus pro felici statu sanctae matris ecclesiae et totius reipublicae Christianae diutissime salvum et incolumem conservet, etiam atque etiam vehementissime cupio. Datum Strigonii die XXII. Februarii Anno domini M.D.XXVIII. Regnorum meorum Hungariae et Bohemiae etc. Anno Secundo.

E(iusdem) Sanctitatis V(estrae)

Humilis et obsequens filius
FERDINANDUS.

DCCCXVIII.

Ioannes rex Hungariae calamitosa patriae conditione pontifici exposita petit, ut partes suas contra Ferdinandum regem tueri, sibique subsidium mittere velit. Ex originali Litt. Princip. Tom. V. fol. 166.

Sanctissimo in Christo Patri Domino, Domino Clementi Septimo divina providentia Sacrosanctae Romanae et Universalis Ecclesiae Summo Pontifici, Domino meo Clementissimo.

Beatissime Pater, Domine Clementissime. Post oscula pedum Sanctitatis vestrae Beatorum. Miseram superiore Anno in mense Augusto ad Sanctitatem vestram peculiarem Nuncium meum, qui, tota Italia et maxime Etruria et Urbe Roma impiissimis Caroli Imperatoris contra vestram Sanctitatem Christi vicarium armis concessa, et itineribus omnibus clausis, vestra enim Sanctitate per eum (cuius armis defendi debuisset) indignissime oppressa, cum ad Sanctitatem vestram penetrare non potuisset, rursus ad me est reversus, literis, quas ad vestram Sanctitatem dederam, Venetiis apud Nuncium Sanctitatis vestre Magnificum dominum Ioannem Anthonium Baronem Burgii relictis, quas non dubito iampridem ad Sanctitatem vestram pervenisse. Ego de adversis casibus vestre Sanctitatis, testor deum, non minus indolui, quam de meis propriis, quibus eodem fere tempore, et ab eodem hostium genere agitabar. Sed quemadmodum maximum mihi mererem attulit ille indignissimus vestre Sanctitatis casus, ita nunc ingentem etiam inter tot mea mala consolacionem accepi audita prospcriore vestre Sanctitatis fortuna, quam deus non solum ut firmam et stabilem esse velit, maximis precibus oro, sed eciam longe ampliorem et cumulaciorem reddat. Vestra eciam Sanctitas filii obsequentissimi memor, supplex oro, non dedignatur pulsare precibus dominum deum, ut sicut fuimus socii passionum vestre Sanctitatis, ita simus et consolacionum. Res mee post tot adversitates, et post admirandam et nunquam a saeculo auditam quorundam subditorum meorum, quibus summam rei mee permiseram, et in quos summa omnia beneficia congesseram, defectionem et perdicionem meliori loco esse ceperunt, et contra adversarium meum multis difficultatibus, unde minime veritus fuisset, exortis, et mihi optima spe undique esse ostentante. Spero in domino deo, in quo ab inicio omnem spem posui, fore brevi rerum mearum in melius commutacionem: sed oro supplex vestram Sanctitatem, velit et ipsa mihi pro suo in me paterno affectu ac benignitate modis omnibus, quibus potest, adesse, idque non solum ipsa per se, sed eciam apud Principes Confederatos (de confederacione Principum Italie loquor cum Christianissimo Rege fratre et confederato meo facta), et velit efficere apud eos, ut mihi pecuniarium subsidium subpeditare velint. Quantum ego possim commodi afferre rebus eorum Ferdinandum Regem, ne fratri contra eos pugnanti subpecias ferre possit, destinendo, hoc vestre Sanctitatis et eorum iudicio relinquo. Sed opus esset, Beatissime Pater, et celeri et non modico subsidio. Non dubito adversarium meum ubique terrarum spargere, et id toti mundo persuadere conari, me a meis Hungaris penitus esse iam destitutum: sed certo sibi persuadet vestra Sanctitas magnam regni partem aperte partes meas sequi, qui apud me assidne suos Nuncios viros primarios habent. Ex his autem, quos vi et armis oppressos Ferdinandus hactenus tenuit, paucissimos esse, qui non nobiscum senciant: sed coguntur iugum servitutis, quousque illud excutere poterunt, tolerare. In Hungaris nihil dubito, nec cuique est dubitandum, nisi qui non novit odium illud naturale et genuinum, quod semper inter istam nacionem Hungaricam et familiam Austriacam fuit. Quod certum est din celari ac dissimulari non posse. Nec hoc moveat Sanctitatem vestram, qui nunc hic in finibus Regni Polonie sum, non sum hic, qui non habeam magnam regni partem in potestate mea libere, et absque impedimento adversarii, quique mihi ibi esse non liceret, sed hic eciam paro maiores vires, quas illis viribus, quas in Hungaria habeo, adiungere possim. Inter alia Sanctitati vestre constare puto, quod dum iste gloriosus Religionis christiane defensor iactat, et iureiurando Hungaris meis promittit, non prius coronam Hungarie capiti suo imposituram, quam Belgradum et alia superioribus annis ammissa loca recuperet, Iayczam eciam arcem nobilissimam, caput Regni Bozne, unicum Croacie, Sclavonie et Hungarie inferioris propugnaclum, dum in iniuriam meam capitaneos priores immutat, turpiter amisit. Equidem dum diligencius mecum perpendo, quid isti vero fratres, ne dicam dicte christiane Reipublice pernicies agant, mirari satis non possum, quo furie eos exagitent in perniciem christianam. Faxit deus, ne opera eorum longe maius adhuc aliquod eoque hucusque respublica christiana detrimentum accipiat. Ego protestor, sicut alias feci, coram deo et vestra Sanctitate, me nullius mali neque ullius christiani sanguinis fundendi causam prebuisse, cum in regno libero et nulli obnoxio unanimi omnium consensu, preter tres, quos Ferdinandus non satis honestis racionibus ad se attraxerat, Rex electus et coronatus fuissem. Et ille, nescio, que frivola iura sibi ad Regnum Hungarie competere iactitaret:

paratus tamen fui, quod fortasse nemo unquam Regum fecit, causam regni iudicio submittere, vel Serñi domini Regis Polonie, vel cuiuscumque alterius Principis non omnino suspecti, cuius rei causa fuit conventus eciam ille Olomucensis inter me et ipsum medio eiusdem Serñi domini Regis Polonie celebratus: sed ille conscius, se nihil solidi iuris in regno meo habere omnia iusta et equa ab inicio subterfugit, in aliquorum meorum prodicione magis quam armis confisus. Quod si quid ex his Reipublice christiane adversi eveniet, is erit accusandus, Beatissime Pater, qui arma impia et iniusta in christianum Principem movit, non is, qui se modis quibus potest ab eius violenta et iniustissima oppressione tutatur. Vestre Sanctitati me et omnia negocia mea humiliter commendo, quam deus conservet diu felicem ad conservacionem, decorem et augmentum Ecclesie sue sancte. Datum in Tharnow vigesima prima mensis Maii Anno Domini Millesimo Quingentesimo Vigesimo Octavo. Regnorum vero meorum Anno Secundo.

Eiusdem Vestre Sanctitatis

Devotus filius
Ioannes Rex Hungarie manupp.

DCCCXIX.

Idem sacro cardinalium collegio se resque sui regni commendat. Ex originali Litt. Princip. Tom. V. fol. 174.

Rñis in Christo Patribus dominis Episcopis, Presbiteris et Diaconis S. Romane Ecclesie Cardinalibus, Amicis nostris charissimis.

Ioannes Dei gratia Rex Hungarie, Dalmacie Croacie etc. Marchio Moravie ac Lusacie et utriusque Slesie Dux etc. Rñis in Christo Patribus dominis Episcopis, Presbiteris et Diaconus S. Romane Ecclesie Cardinalibus, Amicis nostris Charissimis, salutem et prosperorum successuum continuum incremontum. Rñi in Christo Patres, Amici nostri charissimi. Cum ad Sanctissimum dominum nostrum de rebus omnibus uberius scripserimus, neque dubitemus eius Sanctitatem omnia cum vestris Rñis Paternitatibus communicaturam: superfluum nobis videtur, pluribus verbis illa eadem explicare. Hoc unum sicut antea, nunc eciam coram deo omnipotente, sua Sanctitate vero dei vicario, et coram vestris Rñis Paternitatibus protestamur, nos ab inicio, quo hec tragedia inter nos et Regem Bohemie Ferdinandum iniustissimum regni nostri invasorem cepta est, paratos fuisse ad omnia iusta et aequa, immo eciam ad iniqua, dummodo sanguini christiano parceretur. Rex ipse Bohemie nihil pretermisit, quod non modo ad nos turbandos sub specie religionis christiane defendende, sed eciam quod ad regnum nostrum Hungarie perdendum pertineret. Quod si contingeret (quod deus avertat), non erimus nos in causa, qui pacienciam plusquam christianam habuimus, et omnia magno et constanti animo, ne Respublica christiana in aliquo lederetur, toleravimus, sed ille, cuius libidini neque sua neque aliena sufficiunt. Inter alia Rñis Paternitatibus vestris constare putamus, quod dum iste gloriosus Religionis christiane defensor iactat, et iureiurando Hungaris nostris promittit, non prius coronam Hungarie capiti suo impositurum, quam Belgradum et alia superioribus annis amissa loca recuperet, Iayczam eciam arcem nobilissimam, caput Regni Bozne, unicum Croacie, Sclavonie et Hungarie inferioris propugnaculum, dum in iniuriam nostram Capitaneos priores immutat, turpiter amisit. Rñas Paternitates vestras plurimum rogamus, velint cause nostre tam apud Sanctissimum dominum nostrum, quam ubique alibi ex animo favere: expertus est reipsa magno certe nostro et incredibili dolore tam Sanctissimus dominus noster, quam sacer iste senatus, in quantum istorum duorum fratrum Caroli et Ferdinandi insana cupido et insaciabilis cuncta possidendi sitis et crudelitas sese extendat. Rñas Paternitates vestras bene valere optamus. Datum in Tharnow vigesima prima mensis Maii Anno Domini Millesimo Quingentesimo Vigesimo Octavo. Regnorum vero nostrorum Anno Secundo.

Ioannes Rex Hungarie manupp.

DCCCXX.

Ferdinandus rex Hungariae pontifici Andream de Burgo suum oratorem commendat. Ex originali — Instrum. Miscell.

Sanctissimo in Christo Patri et Domino, Domino Clementi Septimo divina providentia Sacrosanctae Romanae ac Universalis Ecclesiae Summo Pontifici, Domino nostro Colendissimo.

Sanctissime in Christo Pater et Domine, Domine Colendissime. Post humilem commendationem filialis observantiae nostrae continuum incrementum. Proficiscitur inpraesentiarum de mandato nostro

ad Sanctitatem Vestram Magnificus fidelis nobis dilectus Andreas de Burgo, Comes Castri Leonis, sacrae Caesareae et Catholicae Maiestatis ac noster Consiliarius et Orator ad Italiam destinatur. Quem iampridem ad Sanctitatem Vestram delegaveramus Oratorem, sed cum ob interclusa itinera, tum alia complura impedimenta profectione sua prohibitum. Cui nonnulla commisimus eidem Sanctitati Vestrae ad tranquillitatem et utilitatem Reipublicae Christianae non inconvenientia humiliter exponenda, sicut ab eo coram intelligere dignabitur. Quae cum ex mente et voluntate nostra veniant, idcirco Beatitudinem vestram devote ac reverenter rogamus et hortamur, ut eidem Andreae in iis, quae circa praemissa referret, eam adhibere fidem dignetur, quam Nobismet, si praesentes essemus, haberet, seque super eisdem talem exhibere, eoque tandem desideratum iamdiu Christianitatis negotium derigere et constabilire velit, sicut suo in Christianum Gregem curae, pietati et clementiae pastorali congruit: Nosque in benignitate Sanctitatis Vestrae speramus, simulatque confidimus, qui non solum tam sancto instituto, quantum vires facultatesque nostrae patientur, non deerimus, sed hoc quoque erga eam omni filiali nostro amore et obsequio promereri studebimus: Cui nos unice commendamus et recta nostra semper offerimus studia. Datum in Arce nostra Pragae die quinta mensis Iulii Anno dñi M.D.XXVIII. Regnorum nostrorum Secundo.

E(iusdem) Sanctitatis V(estrae)

Humilis et obsequens filius
FERDINANDUS.

DCCCXXI.

Regi Hungariae, ut Ioanni Augustino de Sbardellatis in assequenda possessione capellae B. Virginis Strigoniensis faveat. Reg. An. VI. Brev. Tom. 49. pag. 173.

Charissimo in Christo filio nostro ... Regi Hungariae Illustri.

CLEMENS PP. VII. Charissime in Christo fili noster, salutem etc. Nuper Capella B. Virginis sita ad latus ecclesiae Strigoniensis per liberam resignationem dilecti filii Philippi de Senis, Camerae nostrae apostolicae Clerici et Decani, in manibus nostris sponte factae, et per nos admissam vacante: Nos illam sic vacantem dilecto filio Iohanni Augustino de Sbardellatis Clerico Strigoniensi contulimus, et de illa etiam providimus, prout in nostris desuper confectis litteris plenius continetur. Cupientes igitur, ut collatio et provisio supradicta suum, ut par est, sortiatur effectum, Maiestatem tuam hortamur, ut pro tua erga nos et hanc Sanctam Sedem devotionem opem et operam efficacem adhibere dignetur, ut idem Iohannes dictae Capellae possessionem pacifice assequi possit: in quo Maiestas tua rem se dignam, ac Deo acceptam, et nobis vero plurimum gratam faciet. Datum Romae etc. die IX. Februarii MDXXIX. Pontificatus nostri Anno Sexto.

Eodem modo Archiepiscopo Strigoniensi.

DCCCXXII.

Archiepo Strigoniensi, ut per procuratores limina apostolorum visitare possit. Reg. An. VI. Brev. Tom. 49. pag. 181.

Venerabili fratri Simoni Archiepiscopo Strigoniensi.

CLEMENS PP. VII. Venerabili frater, salutem etc. Meruit devotionis tuae probata sinceritas, ut te specialibus favoribus et gratiis prosequamur. Hinc est, quod nos, ne ratione ecclesiae Strigoniensis, cui praesse dinosceris, ad Apostolicam Sedem accedere aut ad illam propterea nuncios tuos transmittere cogaris, tuis cupientes parcere laboribus et expensis, fraternitati tuae, ut tu pro rebus tuis necessariis dumtaxat ratione Strigoniensis ecclesiae predictae, quando illi praefueris, per te vel procuratores seu nuncios tuos limina beatorum Apostolorum Petri et Pauli de Urbe visitare, aut alias ad Romanam Ecclesiam, seu Sedem praefatam te conferre minime tenearis, nec ad id a quoquam etiam praetextu quarumcumque Constitutionum et ordinationum apostolicarum intuitu compelli possis, auctoritate apostolica tenore praesentium indulgemus, Non obstantibus Constitutionibus etc. Datum Romae etc. die XIII. Februarii MDXXIX. Pontificatus nostri Anno Sexto.

DCCCXXIII.

Philippo de Senis, ut iure suo contra capitulum Strigoniense uti possit. Reg. An. VI. Brev. Tom. 49. pag. 171.

Dilecto filio Philippo de Senis.

CLEMENS PP. VII. Dilecte fili, salutem etc. Licet alias dilectis filiis Capitulo ecclesiae Strigoniensis, postquam contra eos super Capella B. Virginis, sita ad latus dictae ecclesiae, tres conformes diffini-

tivas sententias in Romana Curia coram certis Palatii Apostolici Causarum Auditoribus litigando, cum fructuum et expensarum condemnatione reportasse, et super fructibus et expensis huiusmodi cum eisdem concordavimus, et in observantiam dictae concordiae eos excommunicationis sententia innodari et pro talibus publicari obtinueras, ac clarae mem. Ludovici Hungariae Regis supplicationibus, et ex certis aliis rationabilibus causis tunc expressis, ab huiusmodi excommunicationis sententia ad beneplacitum nostrum absolvimus, sporantes eos concordiam huiusmodi adimplere: quia tamen, ut nobis nuper exponi fecisti, Capellanus, Capitulum ot Canonici post huiusmodi absolutionem per triennium concordiam ipsam implere distulerunt, prout differunt, et tibi satisfacere aut tecum concordare non curant, pro parte tua nobis fuit humiliter supplicatum, ut tibi in praemissis providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos itaque huiusmodi supplicationibus inclinati, beneplacitum nostrum prefatum et absolutionem ad illud factam huiusmodi penitus revocamus, tibique concedimus, ut iure tuo contra Capellanum et Canonicos praefatos libore utaris in omnibus et per omnia, perinde ac si absolutio ad beneplacitum nostrum huiusmodi eis nunquam concessa fuisset. Non obstante absolutione praedicta, cuius tenorem praesentibus haberi volumus pro expresso, ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae etc. die IX. Februarii MDXXIX. Pontificatus nostri Anno Sexto.

DCCCXXIV.

Ioannes rex Hungariae supplicat pontifici, ut Franciscum de Frangipanibus, provinciae Romanae fratrum Minorum ministrum, in sua servitia redeundum curet. Ex originali — Instrum. Miscell.

Sanctissimo in Christo Patri et domino, domino Clementi Septimo divina providencia Sacrosancte Romane ac Universalis Ecclesie Summo Pontifici, Domino meo Clementissimo.

Beatissime Pater, domino michi clementissime. Post oscula pedum Sanctitatis Vestre beatorum. Supplicaveram Vestre Sanctitati adhuc eo temporo, quo illa Reverendum ac Religiosum fratrem Franciscum Comitem de Frangepanibus, tunc ministrum provincie Romane, ad me miserat, ut ei iuberet sua authoritate apostolica, ut non obstante regulari professione apud me in obsequiis huius miserrimi mei regni, talibus personis maxime indigentis, et in obsequiis christiane Reipublice remaneret. Intellexi ex literis oratoris mei, quem Veneciis habeo, id Vestram Sanctitatem benigne annuisse. Sed cum litere non fuissent super hoc expedite, misi superiori autumno cum pro hoc, tum pro aliis negociis meis ad vestram Sanctitatem peculiarem oratorem meum Magnificum Hannibalem de Cartagine Ciprium, Consiliarium meum, de quo nihil in hunc diem intelligere potui: per quom non dubito Sanctitatem vestram optatis in hac parte meis pro sua benignitato satisfecisse, et literas huiusmodi per eum ad me esse remissas. Verum quia circa festum Penthecostem proxime venturum intelligo fratres ordinis s. Francisci, de qua religione profatus frater Franciscus est, conventum eorum generalem, quem ipsi Capitulum vocant, Parme habituros: Ideo supplico Vestre Sanctitati, dignetur suum breve ad huiusmodi Capitulum mittere, in quo Vestra Sanctitas suam de dicto fratre Francisco Comite declaret voluntatem, quo eum mecum in obsequiis huius mei regni et totius Reipublice christiane esse voluerit. Hoc est, quod a vestra Sanctitate maximis precibus oro et exposco: Cui me uti filium obsequontissimum humiliter commendo. Vestram Sanctitatem deus optimus maximus conservet felicem et sanam ad incrementum et augmentum ecclesie sue sancte. Ex Civitate nostra Lyppa secunda die Aprilis Anno Domini Millesimo Quingontesimo Vigesimo Nono, Regnorum vero meorum Anno Tercio.

Eiusdem Sanctitatis Vestre

Devotus filius
IOANNES REX HUNGARIE manupp.

DCCCXXV.

Carolus V. Romanorum imperator pontifici supplicat, ut subsidium ad arcendos ab Hungaria Turcas sibi mittere velit. Ex originali Lit. Princip. Tom. VII. fol. 27.

Sanctissimo in Christo Patri et Domino, Domino Clemenli Septimo divina providentia Sacrosanctae Romanae ac Universalis Ecclesiae Summo Pontifici, Domino suo Reverendissimo.

Beatissimo Pater, Dñe Rñe. Non dubium est, quin fama velox malorum nuntia ad Sanctitatem Vestram attulerit, saevissimum Christiani nominis hostem Turcarum Tyrannum tot victoriis elatum in

maximo esse apparatu, ut Hungariam denuo invadat, in eaque Christi nomen omnino extinguat atque deleat. Quod ille facile se conficere posse sperat, cui nihil non hactenus ex sententia in Christianos successit: sive Rhodum Insulam fortissimum propugnaculum captum, sive Belgradum urbem natura et loco munitissimam expugnatam, sive Hungariam devastatam, et clarissimum Regem Ludovicum extinctum respiciamus. Neque dubium etiam est, Sanctitatem Vestram pro sua in Deum pietate, et in Rempublicam a Christo sibi commissam affectu atque amore, quibus fieri potest remediis, huic gravi imminenti periculo obviam ire destinasse. Quoniam autem nos Serenissimi Regis Hungariae fratris nostri charissimi tum litteris, tum nuntiis de his edocti subinde sumus, decrevimusque omnia tentare, quo labanti Christianitati subveniamus, ne ullo in loco Christi Ecclesiae, cuius nos Advocatum esse voluit, defuisse videamur: tametsi civilia arma deponere voluissemus (quod certe quam libentissime facturi eramus, si nostra solius interesset, aut si non potius subditorum nostrorum iactura, quam privatus noster affectus nos moveret, ut Gallorum iniurias propulsemus), videntes tamen quot domesticis hostibus circumvallati simus, ita ut nullo pacto arma nostra alio convertere valeamus absque ingenti subditorum nostrorum damno et aperto discrimine, coacti sumus undequaque ad tam pium sanctumque opus auxilium petere. Animadvertentesque nullum aut iustius aut libentius pecuniam suam ad huiusmodi expeditionem, quam Ecclesiae ministros conferre debere (sive prudentiam, ut imminentibus malis obviam eatur, sive religionem ac pietatem, ne Christiani nominis hostibus tantum in Christianos liceat, spectemus), quos quemadmodum populi benignitas ditavit, ita etiam par est, ut suis divitiis populi calamitatibus subveniant, praeter alia, quae dudum a Sanctitate V. pro Regnis nostris Hispaniarum petiimus, visum nobis est pro Dominiis etiam nostris inferioris Germaniae denuo ab eadem poscere, quae a Magnifico oratore nostro Michaele Mayo Sanctitas V. audiet: Quam per effusum Iesu Christi sanguinem rogamus obtestamurque, ut summam homini fidem habeat, et tamquam iustissimus Pontifex et Dei Vicarius iustis huiusmodi petitionibus nostris annuere velit, neque permittere, ut nimia Apostolicae Sedis parcitate damnum aliquod Respublica patiatur. Nos enim, qui exactissimam rationem administratae ditionis Christo reddituri sumus, nullis officiis Reipublicae deesse volumus. Nam si forte nobis neque arma, neque pecuniae, neque vires suppetent, quibus communem hostem a populo nobis a Deo commisso arceamus, illiusque frangamus vires, non deerit saltem haec anima, quam Deo Opt. Max. pro Republica Christiana devovimus, quaque debitum pensum Christo persolvere valeamus. De Republica autem, deque religione Christiana, ubi officio nos nostro satisfecerimus, viderint hi, per quos steterit, quominus non modo hostem profligare, verum iniurias ab eo illatas nobis ulcisci liceret: quod apud Sanctitatem Vestram tamquam apud eum, qui Dei vicem in terris gerit, testatum volumus. Quam diu feliciter vivere, et Sanctae isti Sedi praeesse optamus. Datum in Civitate nostra Caesaraugusta die XIX. Aprilis Anno Domini M.D.XXIX. Regnorum nostrorum Romani decimo, aliorum vero omnium decimoquarto.

CAROLUS divina favente clementia electus Romanorum Imperator Augustus, ac Germaniae, Hispaniarum, Utriusque Siciliae, Hierusalem Rex, Archidux Austriae etc.

EL REY.

ALF. VALDESIUS.

DCCCXXVI.

Ioannes episcopus Suacinensis ad ecclesiam Scardonensem transfertur. Reg. An. VI. Brev. Tom. 49. pag. 521.

Venerabili fratri Iohanni Rosa Episcopo Scardonensi.

CLEMENS PP. VII. Venerabilis frater, salutem etc. Cum nos te a vinculo, quo ecclesiae Suacinensi, cui alias tunc certo modo vacanti in Episcopum et pastorem apostolica auctoritate praefueras, litteris apostolicis desuper non confectis, tenebaris, de fratrum nostrorum consilio et apostolicae potestatis plenitudine absolventes, te ad ecclesiam Scardonensem, tunc certo modo pastoris solatio destitutam, de simili consilio apostolica auctoritate transtulimus, praeficiendo te illi in Episcopum et pastorem, ac tecum, ut etiam postquam in vim translationis et praefectionis praedictarum pacificam possessionem, vel quasi regiminis et administrationis dictae ecclesiae Scardonensis, ac illius bonorum seu maioris partis eorum assecutus fores, omnia et singula beneficia ecclesiastica cum cura et sine cura, quae ex quibusvis concessionibus et dispensationibus apostolicis in titulum et commendam obtinebas, ac in quibus et ad quae ius tibi quomodolibet competebat, ut prius, quo ad viveres, etiam una cum dicta ecclesia Scardonensi, quamdiu illi praesses, retinere et ius tibi in illis competens prosequi ac non deductum deducere, et si illa evinceres, similiter, ut prius, retinere valeres, motu proprio dicta auctoritate dispensaveri-

mus, Civitasque et diocesis Scardonensis ab immanissimis Turcis ad præsens occupentur, tuque propterea aliquid ex redditibus mensæ Episcopalis Scardonensis, otiam per ipsos Turcas occupatis, de proximo percipere posse non speres: Nos tibi, qui Præsulatus domesticus et continuus commensalis noster existis, opportunæ commoditatis auxilium impendere volentes, fraternitati tuæ, ut litteras apostolicas super translatione et præfectione ac dispensatione huiusmodi ad annum a data præsentium computandum expediri facere minime tenearis, nec ad id compelli possis, et nihilominus dispensatio ipsa ad hoc, ut tu beneficia per te obtenta retinere, et ius tibi in illis competens prosequi, defendere et consequi, etiam si fructus aliquos interim percipere potueris, illos libere et licite percipere valeas, etiam in omnibus et per omnia perinde ac si litteræ apostolicæ desuper expeditæ fuissent, nec propterea beneficia ant ius huiusmodi vacare censeantur, anctoritate apostolica tenore præsentium de speciali gratia indulgemus. Non obstantibus premissis etc. Datum Romæ etc. die XVI. Aprilis MDXXIX. Pontificatus nostri Anno Sexto.

DCCCXXVII.

Ioannes rex Hungariæ pontifici de recuperata salute gratulatur, commendat strictas sui regni res, et conqueritur de Strigoniensis, Quinquecclesiensis et Chanadiensis præsulum proditione. Ex originali — Instrum. Miscell.

Sanctissimo in Christo Patri et Domino, Dño Clementi Septimo Divina providoncia Sacrosancte Romane ac Universalis Ecclesie Summo Pontifici, Domino meo clementissimo.

Beatissime Pater, domine clementissime. Post oscula pedum Sanctitatis vestre Beatorum, meique et obsequiorum meorum humillimam commendacionem. Cum ex illis rerum mearum advorsitatibus, quibus fortuna me preteritis temporibus satis aspere versaverat, Deo optimo invante, aliquantum emersissem, et aliquando in eam curam cogitacionemque devenissem, ut iam omnia feliciora expectarem: fuit allatum mihi Sanctitatem vestram advorsa valetudine laborare. Quod profecto pro ea devocione et observancia, qua Sanctitati vestre afficior, proque paterna illius in me piotate graviter ac moleste tuli. Nequo fuit quicquam, quod hoc tempore durissimo reipublice christiane plus incommodi allaturum putassem: nam otsi plures partes et membra orbis christiani a multis iam annis non minus gravi quam periculosa egritudine laborarent, orat tamen aliqua spes, vigente capite, pristine sanitatis, quo decumbente, rursus in eandem desperacionem atque molestiam decidebam, arbitrabarque iam penitus de omni quieciore statu reipublice christiane actum esse. Inter has cogitaciones reversus est ex Veneciis orator meus, ex cuius relatibus certior sum factus, Sanctitatem vestram, recuperata valetudine, in curam communis sanitatis ac publice religionis incumbere: unde certo non minus lcticie accepi, quam anxietatis ex priore advorsitate perceperam, precans Deum altissimum, qui omnis sanitatis largitor est, ut hanc Sanctitatis vestre prosperam valetudinem diuturnam esse velit. Mei autem status condicio is est, ut omnia Deo duce feliciora speremus. Subditorum enim nostrorum bona pars, cognita advorsarii vanitate, et inanibus promissis, quibus decepta erat, nobiscum est: Waywoda utriusque Walachic paratus est iussa nostra facere; Barones regni mei Sclavonie et pociores Transilvanie in officio et in fide nostra sunt; Inimici et proditores, quorum facultatibus advorsarius mous afforebatur, circumspectant fuge et latebris locorum: Sanctitas vestra propediem maiora audiet. Miseram preteritis temporibus ad Sanctitatem vestram Nuncium ot oratorem meum Hannibalem Carthaginensem, quem dudum istuc pervenisse intelligo: velit eum Sanctitas vestra cum optata relacione ad me remittere. Intellexit preterea Sanctitas vestra, qua perfidia et prodicione Subditi mei preteritis temporibus in me usi sint, qui immemores non benefactorum solum, que magna in eos contuleram, verum eciam fidei atque patrie ob inanes promissiones ac vanam privati lucri cupidinem omnia divina atque humana permiscuerunt. Ex quibus illi longe acerbius mecum egisse videntur, quos ex infima condicione ad Ecclesiasticas dignitates et prelaturas regni mei assumpseram. Nam cum hii in fide vacillarent, qui aliis fidei et constancie exemplo esse debebant: quid imperitis multitudo faceret, quam aut timor aut studium novarum rerum facilius huc et illuc impellit? Sed ex omnibus singulari in me usus est inhumanitate Paulus de Warda, quem etsi probe noveram, quibus artibus ab ineunte etate condicionem suam auxerat, credens tamen cum iam ad id rerum fastigium, quo ulterius progredi non posset, mea opera perductum, relictis prioribus moribus, novam quandam naturam et novum vite genus assumpturum, ad Archiepiscopatum Strigoniensis Ecclesie, qui in regno meo prima dignitas est, promoveram, et Sanctitati vestre in principio statim regiminis mei per litteras in eo Archipiscopatu confirmandum presentaveram, quem nuno totis viribus instare dicunt, ut hac in re compos voti sui fiat. Quare Sanctitas vestra eciam atque eciam consideret

non solum officium ingratissimi hominis in patronum et benefactorem suum, sed eciam illud ipsum quanta effusio christiani sanguinis opera huius et Sodalium in regno meo facta sit, et quam mali sit exempli tam fluxe fidei hominem (ut cetera crimina pretermittam) fidelibus Christianis presidere, pastorisque eum ac presidis officio fungi, qui in pastorem ac Regem suum omnis perfidie ac prodicionis opera exercuerit. Sunt hnic non dissimiles, qnos ad Episcopatus Qninqneecclesiensem et Chanadiensem promoveram, et item quidem alii, qui inimici nostri patrocinio sibi a Sanctitate vestra confirmacionem ambiunt, de quibus Sanctitatem vestram per oratorem moum, quom propediem missurus sum, et de rebus omnibus, quas scitu dignas putavero, faciam certiorem. Interea Sanctitatem vestram enixe rogo, ne bos inimicos meos in illis, quas dixi, dignitatibus velit confirmare. Certissimum enim est aquam et ignem, contraria elementa, citius conventura, quam ego cum illis, qui vite mee tam nequiter insidiati sunt, in Regno meo aut convoniam ant una maneam. Reliquum est, ut Sanctitatem vestram Deus altissimus ad regimen et conservationem laborantis Ecclesie sue sanam atque incolumem diutissime conservare dignetur: Cui me uti filium obedientissimum bumillime commendo. Ex Civitate mea Lyppa quindecima Innii Anno Domini Millesimo Quingentesimo Vigesimo Nono, Regnorum vero meorum Anno Tercio.

Eiusdem Sanctitatis Vestre

Devotus filius
IOANNES REX HUNGARIE manupp.

DCCCXXVIII.

Revocantur quedam litterae apostolicae, quas fratribus ord. Minorum de observantia Ragusinis in praeiudicium communitatis Ragusinae concessae fuerunt. Reg. An. V. Brev. Tom. 69. pag. 1316.

Dilectis filiis Communitati Civitatis Ragusinae.

CLEMENS PP. VII. Dilecti filii, salutem etc. Dudum pro parte dilectorum filiorum Ministri et fratrum domus s. Francisci Ragusinae ordinis Minorum regularis observantiae nobis exposito, quod cum olim dicta domus ad observantiam regularem apostolica auctoritate reducta fuisset, ac tunc Minister et fratres ipsius domus bona immobilia et stabilia, quae tempore reductionis huiusmodi habebant, secundum suae regulae puritatem possidere non possont, ipsi Minister et fratres illa in manibus aerariorum Civitatis vestrae Ragosinae sponte et libere renunciaverant, ita ut ex aliquorum illorum bonorum pretio aedificia dictae domus resarcirentur. Cetera vero bona in usus pauperum forsitan distribuerunt. Ac quod postmodum de more semper observavorunt, ut cum aliquis Christifidelium ob devotionem, quam ad ordinem eorum geret, bona aliqua immobilia aut stabilia donabat sen concedebat, vel in sua ultima voluntate legabat, illa in manibus dictorum aerariorum reponebant, ut ex fructibus ot proventibus illorum ipsi aerarii eorum forsitan et omnium pauperum Christi necessitatibus secundnm exigentiam illorum succurrerent. Verum malitia temporum exercscente, oo usque Christifidelium charitas in partibus illis refrigueral, quod nisi aliqua ex dictis bonis sic ut praefertur eis concesseis et donatis, vel in ultimis voluntatibus legatis vendi facerent, et eorum pretium in pios usus converteretur, quod absque conscientiae scrupulo sive nostra et Apostolicae Sedis licentia et auctoritate facere minime posse credebant, se amplius in illis partibus vivere posse absque maximo detrimento nou sperabant. Nos tunc eorumdem Ministri et fratrum in ea parte supplicationibus inclinati eis, ut pro omergentibus necessitatibus suis ac domorum sen Conventuum provincialium eorum, secundum arbitrium et iudicium sui Ministri provincialis vel pro tempore existentis, bona praedicta immobilia et stabilia eis concessa et donata, aut in ultimis volantatibus legata in manibus dictorum aerariorum reposita per Sindicos et Procuratores eorum vendendi, et pretium eorum in ipsorum usus convertendi plenam et liberam licentiam ot facultatem per alias nostras litteras in forma Brevis concessimus, ac aerariis praedictis pro tempore existentibus, qustenus dicta bona eidem Ministro et fratribus concessa et legata ac in manibus suis reposita restituerent, sub excommunicationi poena praecepimus et mandavimus, pront in eisdem litteris dicitur plenius contineri. Cum autem, sicut accepimus, litterae praedictae absque dicti Ministri provincialis scitu et illarum concessio, de qua nullum habuistis notitiam, in evidens vestrum praeiudicium cedat, maxime cum dicti aerarii fructus bonorum huiusmodi in pauperum, praesertim dictorum fratrum nsus absque aliqua negligentia son frandis suspicione solerti diligentia et caritativo in dies erogare studeant: Nos, quorum intentionis non fuit, nec existit dictas litteras in alicuins praciudicium concedere, ne illarum praetextu vobis dispendii materia generetur, providere volentes, vestris in hac parte supplicationibus inclinati vobis, quod per litteras praedictas, quatenus illae sine scitu Ministri et fratrum praedictorum concessae fuerint, concessioni vobis alias do dictis

bonis factae nullatenus praeiudicetur, nec praeiudicatum aut praeiudicium aliquod generatum censeatur: quodque vestri aerarii praedicti ad restitutionem dictorum bonorum minime teneantur, nec propteres dictam excommunicationis sententiam incurrant: sed bona ipsa retinere, ac de illis, quotiens vobis videbitur et opus fuerit, vendere, permutare et alienare, ac illorum pretium in pios usus, prout vobis secundum Deum et conscientias vestras salubrius videbitur, convertere, ac etiam ipsis fratribus, quantum et quando ipsis aerariis per modum elomosinae erogare libere et licite valeant, nec desuper impediri sen perturbari possint, auctoritate apostolica tenore praesentium indulgemus, ac eisdem aerariis plenam et liberam super hoc licontiam et facultatem concodimus, Non obstantantibus litteris nostris praedictis, quas harum serie revocamus, casssmus, irritamus et annullamus, nulliusque roboris vol momenti fore decernimus, ac constitutionibus etc. Datum Romae etc. die XX. Augusti MDXXIX. Pontificatus nostri Anno Sexto.

DCCCXXIX.

Universis Christi fidelibus primae missae Petri Laluse episcopi Albanensis interveniontibus plenaria venia concoditur. Reg. An. VI. Brev. Tom. 49. pag. 1595.

Dilecto filio Petro Laluse Electo Albanansi.

CLEMENS PP. VII. Dilecte fili, salutem etc. Personam tuam nobis et Apostolicae Sedi devotam tuis exigentibus meritis paterna benivolentia prosequontes, illa tibi favorabiliter concedimus, quae in Christi fidelium spiritualem consolationem et animarum salutem cedere noscuntur. Sane postquam ecclesia Albanensi, quae licet in partibus Turcarum existit, Clerum tamen et populum Christianum habere dinoscitur, et cui bonae memoriae Martinus Lalusa Epus Albanensis, dum viveret, praesidebat, per obitum eiusdem Martini Episcopi, qui extra Romanam Curiam debitum naturae persolvit, pastoris regimine destituta, dilecti filii sex Electoros parrochialium ecclesiarum Civitatis et diocesis Albanensis ad electionem inibi faciendam Episcopi procedere, vocatis omnibns qui volnerunt, potuerunt seu otiam debuerunt electioni huiusmodi commode intervenire, die ad eligendum prefixa, ut moris est, convenerunt in unum, te de nobili genere et legitimo matrimonio procreatum, in presbyteratus ordine constitutum, praefati Martini Episcopi nepotem, in eorum et dictae ecclesiae Albanensis Episcopnm concorditet elogerunt, tuque electioni huiusmodi, illius tibi praesentato decreto, consentiens eandem electionem de persona tua, ut praefertur, factam per nos confirmari obtinnisti, te eidem ecclesiae Albanensi praeficiendo in Episcopum et Pastorem, curam et administrationem ipsius ecclesiae tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, prout in nostris indo confoctis litteris plenius continetur. Cum autem, sicut accepimns, tu, qui in partibus Albanensibns resides, postquam munus consecrationis rite susceperis, cupias inibi primam missam in Pontificalibus celebrare: Nos volentes tibi illum honorem impendere, per quem salus animarum valeat provenire, de Omnipotentis Dei misericordia ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus et singulis Christifidelibus vere penitentibus et confessis, sen firmum propositum confitendi habentibus, qui celebrationi primae missae huiusmodi per te in pontificalibus in civitate seu diocesi Albanensi praedictis celebrandae devoto interfuerint, aut etiam si propter populi multitudinem illam ingredi nequeuntes ibidem constituti fuerint, dummodo causa indulgentiae huiusmodi ibidem applicnerint, plonariam omnium peccatorum suorum, de quibus corde contriti et ore confessi fuerint, a poena et culpa necnon oblitis veniam, remissionem et indulgentiam auctoritate apostolica tenore praesentinm concedimus et clargimur. Presentibus post celebrationem per te fiendam huiusmodi minime valituris. Datum Romae etc. die XXX. Augusti MDXXIX. Pontificatus nostri Anno Sexto.

DCCCXXX.

Confirmatur ordinatio per consilium rogatorum civitatis Ragusinae super clausura quinque monasteriorum monialium et earum in eis receptione. Reg. An. VI. Brev. Tom. 49. pag. 1552.

Dilectis filiis Rectori et Consilio Rogatorum Civitatis Ragusinae.

CLEMENS PP. VII. Dilecti filii, salutem etc. Relatu dilecti filii Damiani de Aligrettis Rectoris, Plebani nuncupati, parrochialis ecclesiae, Plebaniae nuncupatae, s. Blasii Ragusinae Nuntii vestri percepimus, quod vos superiori anno provido considerantes numerum Monialium s. Mariae de Castello et s. Andrae, ac s. Mariae, et s. Simeonis ac s. Thomae Monasteriorum Civitatis Ragusinae esse, cansante peste, qnae inibi diu viguit, satis diminutum, ac sperantes, quod si Monasteria ipsa sub perpetua clausura, qua eatenus caruerunt, reducerentur, ex hoc profecto Moniales pro tempore in illis degentes facilius et liberius sub huiusmodi clausura, etiam cum maiori populorum devotione et odore bonae famae

Altissimo famulari valerent: hiis et certis aliis iustis causis moti inter alia statuistis et ordinastis, seu in vestra super hoc legitimo celebrato consilio statutum et ordinatum existit, quod singula Monasteria praedicta, et in illis nunc et pro tempore existentes Monialos sub perpetua clausura reduci, et circa regimen et gubernium Procuratorum et officialium suorum Monialibus s. Clarae et s. Petri Monasteriorum dictae civitatis se conformare; necnon pro singulis Monialium de novo intrantium receptionibus et et professionum emissionibus, aut alias quacumque via seu modo nihil ultra decem yperperos monetae Ragusinae a singulis Monialibus recipi; et eisdem Monialibus Confessores et Capellanos probatae vitae et honestae conversationis viros, et quadragesimum quintum vel ulteriorem suae aetatis annum agentes pro earum confessionibus audiendis et sacramentis ecclesiasticis ministrandis, donec alia Monasteria ordinis s. Benedicti Congregationis Melitensis stabilita et confirmata forent, et deinde ad curam eorumdem Monasteriorum Monalium unus ex Monachis dictae Congregationis, de quo vobis videretur, deputari; et denique quascumque ex praedictis Monialibus sub huiusmodi clausura reduci et permanere recusantes, seu nolentes in uno ex praemissis quinque Monasteriis, de quo vobis videretur, et in quo, ut eatenus consueverunt, cum earum Capellano seu Confessore et Procuratoribus, viris tamen famae et aetatis predictae, quoad viverent, degere et permanere valerent, ita tamen quod alias Moniales inibi recipere nequirent, sed postquam omnes decessissent, ultimo dictum Monasterium etiam ad clausuram reduci atque transferri, et in eo sub simili clausura alie Moniales in convenienti numero iuxta Consilii Rogatorum nuncupati dictae Civitatis providam ordinationem desuper hadendam introduci, et similiter degere et permanere possent atque deberent, prout in scripturis seu actis desuper habitis dicitur plenius contineri. Quae omnia cupitis pro illorum subsistentia firmiori per nos confirmari et approbari. Nos attendentes praemissa ad utilitatem vitae regularis et laudem et honorem Dei cedere, huiusmodi supplicationibus inclinati omnia et singula, prout superius narrata sunt, auctoritate apostolica tenore praesentium perpetuo statuimus et ordinamus, ac inviolabiliter observari debere decernimus, dummodo ad hoc Archiepiscopi Ragusini earum superioris expressus accedat assensus. Prohibemusque omnibus et singulis nunc et pro tempore existentibus quinque praedictorum Monasteriorum Monialibus sub excommunicationis latae sententiae, tam quoad dantem quam recipientem eo ipso, si contrafecerint, incurrendae, ne de cetero pro qualibet Monialium receptione et professionis emissione aliquod ultra decem yperperos huiusmodi recipere praesumant, decernentes quidquid contra praesentium tenorem quavis auctoritate attentari contigerit, irritum et inane. Non obstantibus praemissis et constitutionibus etc. Datum Romae etc. die XXIII. Septembris MDXXIX. Pontificatus nostri Anno Sexto.

E. m. Dilectis filiis Ignatio de Vincentia et Iohanni Mariae Ragusino et Casparo de Hispania, Monachis ord. s. Benedicti Congregationis Cassinensis alias s. Iustinae, et eorum cuilibet, ut infra terminum sex mensium se de Congreg. Cassinensi ad Congr. Melitensem et Monasteria unita transferant etc.

DCCCXXXI.

Ioannes rex Hungariae pontificem de regno recuperato certiorem reddit. Ex originali — Instrum. Miscell.

Sanctissimo in Christo Patri Domino, Domino Clementi Septimo Divina Providencia Sacrosancte Romane et Universalis Ecclesie Summo Pontifici, Domino meo Clementissimo.

Beatissime Pater, Domine mihi Clementissime. Post oscula pedum Sanctitatis vestre Beatorum. Superfluum est Nos rursus hiis literis nostris auribus vestre Sanctitatis inculcare Statum rerum nostrarum, qualis ab inicio huius Regni gubernandi Dei voluntate a Nobis suscepti fuerit, cum omnia, que inter Nos et adversarium nostrum Regem Bohemie Ferdinandum a principio nostri regiminis acciderunt, tam vestre Sanctitati quam aliis Principibus Christianis nunc per nuncios et oratores, nunc per literas nostras sint totiens declarata, tot et tam crebris ac iustissimis protestacionibus ubique terrarum factis, qualiter videlicet perfidia ac prodicione nonnullorum subditorum nostrorum iniqua preterea et subdola fraude, ac machinacione iniustisque armis prefati Regis Bohemie fuerimus ad omnia extrema redacti. Inter quas quidem nostras gravissimas ac acerbissimas calamitates adeo fuimus omnium principum Christianorum ope destituti, ut non sit repertus ex toto Christiano Orbe eciam ex eis, qui Nos consanguineitate et affinitate attingunt, unico dumtaxat principe excepto, qui Nos nedum ope aliqua iuverit: sed nec consolatus quidem inter tot et tantas acerbitates fuerit. Nobis ab inicio huius tragedie incepte nihil aliud, nisi iusticiam implorantibus, et ad pacem cum adversario iniquis etiam condicionibus ob quietem Reipublice Christiane ineundam paratis, adversario autem ipso iusticie sue diffiso mira quadam

et incredibili animi superbia et obstinacione omnia iusta et aequa pertinacissime recusante: nunc autem cum Dei optimi nutu, hostibus fere ubique prostratis et pulsis, nonnullis etiam ex eis, et quidem primoribus in potestatem nostram redactis, solium nostrum Regale simul cum Corona Regni recuperavimus. Voluimus hec Sanctitati vestre illico significare, quam pro suo erga Nos paterno amore ac singulari in Nos propensitate non dubitamus ex hoc ingentem leticiam percepturam, non solum ob prosperitates personam nostram propriam concernentes, sed etiam quod Regnum hoc apertissimo et inevitabili periculo expositum sit in hunc modum Dei auxilio per nos Reipublice ac fidei et religioni Christiane conservatum. Habet igitur non solum vestra Sanctitas, sed totus Christianus Orbis iure letari, et Deo optimo maximo gracias agere et possit et debeat, ac post Deum etiam Nobis, qui nihil non fecimus, nullo Nos non periculo exposuimus, ut Regnum hoc miserrimum ex tanto periculo eriperetur et Reipublice Christiane conservaretur. Quis enim ignorat eadem illa et fortasse acerbiora fuisse passurum hoc Regnum, que nunc misera Austria cum provinciis circumiacentibus culpa principis sui patitur, nisi Deus, in cuius manu sunt corda principum, ex sua immensa clemencia, opera et dexteritate nostra demulsisset ac mitigasset cor potentissimi Principis Turcarum Imperatoris. Sibi autem et nemini alio imputare debet adversarius noster ea, que patitur, qui Nos multis et variis nominibus et falsissimis criminibus more boni Principis prorsus alieno falso calumniatus, tot superbissimis iactebundis et atrocissimarum minarum pleuis literis passim non solum per Hungariam, sed ubique terrarum sparsis, principe omnium, quos terra habet, potentissimo tam stolide contra se provocato atque irritato, in hanc sese calamitatum lernam immersit ac precipitavit, Nobis hec omnia tam ei quam aliis principibus Christianis clara voce predicentibus. Vestram Sanctitatem Dominus Deus conservet quam diutissime incolumem, et semper felicom ad incrementum et consorvationem ecclesie sue sancte: Cui Nos filiali affectu vehementissime commendamus. Datum Bude x. Octobris Anno Domini M.D.XXVIIII. Regnorum nostrorum predictorum Anno Tercio.

Eiusdem Sanctitatis Vestre

Devotus filius
IOANNES REX HUNGARIE manupp.

DCCCXXXII.

Idem Ioannes a pontifice petit, ut Stephano Broderico electo Sirmiensi suo apud Gallorum regem oratori in suis negotiis fidem adhibeat. Ex originali — Instrum. Miscell.

Sanctissimo in Christo Patri et Domino, Domino Clementi Septimo Divina providencia Sacrosancte Romane ac Universalis Ecclesie Summo Pontifici, Domino meo Clementissimo.

Beatissime Pater, domine mihi clementissime. Post oscula pedum Sanctitatis Vestre Beatorum. Cum mitterem fidelem meum Reverendum dñum Stephanum Brodericum Electum Ecclesie Sirmiensis, Consiliarium meum, alias Cancellarium Serenissimi quondam domini Ludovici Regis predecessoris mei colendissimi, ad Christianissimum Regem Gallorum, fratrem, confederatum et consanguineum meum charissimum et honorandum, licet miserim ad vestram quoquo Sanctitatem eodem tempore Nuncium meum, tamen huic quoque ipsi Stephano Broderico libenter iniunxissem, ut vestram Sanctitatem nomine meo adivisset, nisi compertum mihi esset, eum nunc esse Italie statum, quod non facile poterit sine periculo ad vestram Sanctitatem penetrare. Nichilominus tamen contingere posset, ut in hiis, que nomine meo vel apud prefatum Regem Christianissimum, vel apud alios Principes habebit agere, essent aliqua, que ad vestram etiam Sanctitatem pertinerent, et ubi vestre Sanctitatis studio mihi opus esset et favore: propterea quidquid is nomine meo vel personaliter, vel per litteras ant nuncium cum Vestra Sanctitate egerit, id illa certo credere dignetur ex pectore meo procedore, digneturquo, supplex oro, negocia mea commendata somper habere, veluti illius, qui sit Vestre Sanctitati peculiari qnadam animi inclinacione ac devocione et sancte Sedi Apostolice deditissimus. Vestram Sanctitatem bene ac felicissime valere opto atque desidero ad incremontum et conservacionem Ecclesie sne sancte. Datum Bude Prima die Mensis Novembris Anno Domini Millesimo Quingentesimo Vigesimo Nono, Regnorum vero meorum Anno Tercio.

Eiusdem Sanctitatis Vestre

Devotus filius
IOANNES REX HUNGARIE manupp.

DCCCXXXIII.

Archiepiscopo Rossanensi nuntio sedis apostolicae apud Ferdinandum Hungariae et Bohemiae regem, ut cum eo de restituendo comitatu Pisini ecclesiae Parentinae agat. Reg. An. VII. Brev. Tom. 50. pag. 76.

Venerabili fratri Archiepiscopo Rossanensi apud Carissimum in Christo filium nostrum Ferdinandum Bohemiae et Hungariae Regem Illustrem, nostro et Apostolicae Sedis Nuntio.

CLEMENS PP. VII. Venerabilis frater, salutem etc. Cum, sicut Venerabilis frater Hieronymus Episcopus Parentinus nobis exposuit, olim postquam clarae memoriae Ottonus et Rodulphus Romanorum Imperatores ecclesiam Parentinam, cui dictus Hieronymus episcopus praecest, dotaverant et inter alia comitatum Pisin eidem ecclesiae donaverant, pront in litteris authenticis ipsorum Imperatorum desuper confectis clare constare dinoscitur, et ipsius Hieronymi episcopi antecessores tunc epi Parentini comitatum ipsum assecuti fuerunt, et demum illum Comitibus Goriciae in feudum concesserant. Cum linea ipsorum Comitum decessisset, et etiam clarae memoriae Maximilianus Romanorum Rex in Imperatorem electus ipsis Comitibus successisset, dictus Maximilianus comitatum praedictum, ad dictam ecclesiam seu illius episcopalem mensam devoltum, cum aliis bonis ipsorum Comitum retinuerit: dictus epus Hieronymus, qui etiam praelatus domesticus et continuus commensalis noster, et dilecti filii nostri Laurentii tit. sanctae Mariae in Transtiberim presbyteri cardinalis Campegii nuncupati patruus existit, nobis humiliter supplicari fecit, ut cum comitatus ipse vigore successionis praedictae ad dictum Maximilianum Regem pertinere non potuerit, ac idem Maximilianus, cum dictus Hieronymus episcopus sibi humiliter supplicasset, ut dictum comitatum praedictae mensae restituere dignaretur, hoc se facturum promiserit, sed morte praeventus fuerit, sibi super iis oportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, quibus rerum ecclesiasticarum cura a Deo credita est, cupientes indemnitati dictae ecclesiae providere, huiusmodi supplicationibus inclinati fraternitati tuae per praesentes committimus et mandamus, quatenus apud Carissimum in Christo filium nostrum Ferdinandum Hungariae et Bohemiae Regem Illustrem, dicti Maximiliani successorem, omnia et singula, quae, ut dictus comitatus praedictae ecclesiae restituatur, honeste, modeste et commode fieri possit, nostro nomine expones et exequeris, sperantes indubie Maiestatem suam, cum ins ipsius ecclesiae intellexerit, quae religiosissimum principem decet, se pro sua bonitate facturum. Et ne iurisdictio spiritualis et bona ipsius ecclesiae in dicto comitatu distrahantur violenter et molestentur, prout nonnulli suae Maiestatis ministri, sicut conquestione ipsius Hieronymi episcopi percipimus, facere non verentur, omnino permansura. Datum Bononiae etc. die prima Februarii MDXXX. Pontificatus nostri Anno Septimo.

DCCCXXXIV.

Christophoro electo Tragurienai expeditio bullarum ad biennium cum dimidio prorogatur. Reg. An. VII. Brev. Tom. 50. pag. 398.

Dilecto filio Christophoro Electo Tragurienai.

CLEMENS PP. VII. Dilecte fili, sal. etc. Dudum ecclesia Tragurienai ex eo, quod Venerabilis frater Thomas regimini et administrationi dictae ecclesiae, cui tunc praeerat, in manibus nostris sponte et libere cesserat, et cessione huiusmodi per nos admissa (vacante), Nos eidem ecclesiae sic vacanti de persona tua, nobis et fratribus nostris ob tuorum exigentiam meritorum accepta, de eorumdem fratrum nostrorum consilio providimus teque illi praefecimus in episcopum et pastorem, curam et administrationem ipsius ecclesiae tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo. Et deinde per nos accepto, quod fructus, redditus et proventus dictae ecclesiae per assiduas Turcarum, Christi nominis hostium, incursiones in partibus illis pauci erant, et in futurum (nisi Deus averteret) nulli essent, tuque tunc non haberes, quomodo sperares litteras apostolicas infra tempus a iure statutum, seu alias quomodolibet etiam per constitutiones nostras praefixum expedire, ac inra Camerae Apostolicae et aliorum officialium persolvere, ipsius Thomae avunculi tui attentis indefessis laboribus, quos pro orthodoxa fide proque populis Croatiae, Dalmatiae et Slavoniae in fide domini nostri Iesu Christi conservandis, et ad clarae memoriae Ludovicum Regem Hungariae et Bohemiae, tunc in humanis agentem, ac Carissimum in Christo filium nostrum Sigismundum Poloniae Regem et alios Principes Christianos eundo et redeundo pertulerat, ac praesertim cum paulo ante pro liberatione oppidi Clipsi per trimestre ab eisdem Turcis obsessi miseramus, suo industria oppidum ipsum ab obsidione huiusmodi liberaverat, et Turcas illud obsidentes profligaverat, ac triticum et alia, quae pro ipsius oppidi defensione erant necessaria, et de mandato nostro et consignata (sic) ipsius oppidi defensoribus nostro nomine consignaverat, ut oppidum ipsum pro

reipublicae Christianae conservatione et defensione conservari posset. Et propterea primo semestre, et deinde ab illius fine computandum biennium cum dimidio ad litteras super provisione et praefectione de persona tua eidem ecclesiae Traguriensi alias factis concesseramus, ac semestre ad biennium cum dimidio prorogaveramus, itaque interim ne(?) dictae ecclesiae Traguriensis et bonorum eorumdem possessionem capere et fructus percipere posset ....., ut litteras super provisione et praefectione de persona tua eidem ecclesiae Traguriensi factis durante dicto biennio cum dimidio expedire minime tenereris, nisi Thomas ipse Episcopus interim decederet, in cuius eventum, eo vita functo, litteras super provisione ot praefectione tuis praedictis infra mensem expedire tenereris, concessimus, et propter litterarum huiusmodi non expeditionem ecclesiam ipsam minime vacare, et ad iurium Camerae Apostolicae et Romanae Curiae officialium solutionem te etiam minime teneri decrevimus, ac dilectis filiis Capitulo ecclesiae Traguriensis sub interdicti ingressus ecclesiae, (ut) tibi tamquam patri et pastori animarum suarum humiliter intenderent ac exhiberent obedientiam et reverentiam congruentes, ac te ad possessionem huiusmodi vigoro litterarum nostrarum in forma Brevis admitterent, et admitti, tibique de fructibus, redditibus et proventibus responderi facerent, nocnon Clero et populo Civitatis et dioecesis Traguriensis sub excommunicationis latae sententiae poena, te pro nostra et Apostolicae Sedis reverentia benigne reciperent et tuis mandatis obedirent, tibique fidelitatem solitam et consueta servitia ac iura ab eis tibi debita integre exhiberent, districte praecopimus et mandavimus, Regula Cancellariae ac fel. rec. Bonifacii Papae VIII. praedecessoris nostri, quae incipit: Iniunctae, ac aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis contrariis quibuscunque (non obstantibus), prout in dictis nostris, quibus voluimus, quod litteras sub plumbo infra biennium cum dimidio huiusmodi, seu cum primum dictus Thomas episcopus foret vita functus, omnino expedire, ac iura Camerae Apostolicae debita persolvere tenereris, alioquin litterae Brevis nostri huiusmodi nullius essent roboris vel momenti, ipsaque ecclesia vacare censeretur. Et deinde cum praedictus Thomas Episcopus ad Civitatem nostram Viterbiensem personaliter se contulisset, exponique nobis fecisset, quod tu antequam laberetur biennium cum dimidio huiusmodi ad Rom. Curiam pro obtinenda prorogatione biennii huiusmodi cum dimidio te conferres, et ad dictam Civitatem Viterbiensem pervenisses ac direptionem almae Urbis nostrae intellexisses, coram Venerabili fratre Altobello Episcopo Polonsi apud Dominium Venetorum Nuntio nostro dio prima Iunii MDXXVII. protestatus fuisses, propter detentionem nostram in Castro Sancti Angeli, quominus ad nos accederes, legitimo impedimento detineri, tunc dio nona eiusdem mensis Iunii dictum biennium cum dimidio expirare. Et propterea praedictus Thomas Episcopus asserens iura eisdem Cardinalibus, ac etiam nobis debita tibi remissa fuisse, et causas, propter quas dilatio biennii cum dimidio ad litteras ipsas expediendum per nos concessa non solum non cessasse, sed maiores tunc vigere, cum propter penuriam ac famem, qua homines inedia peribant, maiorem partem fructuum, qui pauci erant, pietate et misericordia gregi dominico tibi commisso subministraveris, ac pro parte eiusdem Thomae Episcopi tunc asserentis te in Studio Paduano iuri canonico operam dare, ut gregom ipsum tibi commissum recte et feliciter gubernare, ipsiusque animarum saluti consulere valeres, teque nullum beneficium tunc obtinere, sed in Archidiaconum ecclesiae Spalatensis, cuius fructus nulli erant, electum fuisse, et ne studium tuum desereres, se pro huiusmodi prorogatione pro te obtinenda non sine magna difficultate, ac laboribus et expensis ad nos se contulisse, et nobis humilitor supplicari fecisse, ut biennium cum dimidio huiusmodi saltem ad biennium prorogare, lapsumque dicti bionnii cum dimidio propter dictum iustum impedimentum in aliquo nullatenus tibi praeiudicasso, decernere ot declarare de benignitate apostolica dignaremur. Nos tunc attendentes iura Camerae et Collegii tibi remissa fuisse, ac litteras ipsas tunc adhuc expedire non posse, tibi ut litteras super provisione et praefectione de persona tua ecclesiae Traguriensi factis ad biennium oxtunc computandum expedire, ac munus consecrationis interim suscipere minime tenearis, per alias nostras litteras de novo concessimus, ipsamque ecclesiam Traguriensem propter lapsum biennii cum dimidio huiusmodi attento impedimento praedicto minime vacasse, nec vacare per quasdam decrevimus. Cum autem nuper praedictus Thomas Episcopus ad dictam Urbem personaliter se contulerit, et nobis exponi fecerit, se pro huiusmodi prorogatione pro te obtinenda non sine magna difficultate ac laboribus et expensis ad nos contulisse, ac causas proptorea dilatio biennii ad litteras ipsas expediendas per nos concessa non solum non cessasse, sed maiores viguisse et vigere: pro parte eiusdem Thomae Epi nobis fuit humiliter supplicatum, ut biennium cum dimidio huiusmodi ad biennium prorogatum et nondum (elapsum) ad unum annum prorogare de benignitate apostolica dignaremur. Nos itaque huiusmodi supplicationibus inclinati, biennium ad litteras super provisione et praefectione de persona tua eidem ecclesiae

Tragurien̄si factis expediendas prorogatum ot nondum elapsum ad unum annum, a fine biennii prorogati huiusmodi computandum, auctoritate apostolica tenore presentium ampliamus et prorogamus ac pariter extendimus, tibique, ut litteras super provisione et praefectione de persona tua eidem ecclesiae Tragurien̄si factis interim expedire, ac munus consecrationis suscipere minime tenearis, etiam concedimus, Non obstantibus praemissis ac omnibus illis, quae in ultimis litteris Brevis voluimus non obstare, caeterisque contrariis quibuscunque. Volumus autem, quod litteras sub plumbo infra annum huiusmodi ac munus consecrationis suscipere, ac iura Romanae Curiae officialibus debita persolvere omnino tenearis, alioquin ecclesia ipsa vacare censeatur eo ipso. Datum Romae etc. die prima Iunii MDXXX. Pontificatus nostri Anno Septimo.

DCCCXXXV.

Aegidius cardinalis s. Marcelli, Francisco archiepiscopo Iadrensi in patriarcham Constantinopolitanum electo, perpetuus administrator ecclesiae Iadrensis constituitur. Reg. An. VIII. Bullar. Tom. 106. fol. 18.

CLEMENS EPISCOPUS etc. Dilecto filio Egidio tituli s. Marcelli presbitero Cardinali, salutem etc. Ecclesiarum utilitati etc. Dudum siquidem provisiones ecclesiarum omnium apud sedem apostolicam tunc vacantium, et inantea vacaturarum collationi et dispositioni nostre reservavimus, decernentes ex tunc irritum et inane, si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari. Postmodum vero ecclesia Iadrensi ex eo, quod Venerabilis frater noster Franciscus Archiepiscopus nuper Iadrensis, in Patriarcham Constantinopolitanum electus, regimini et administrationi eiusdem ecclesie Iadrensis, cui tunc preerat, in manibus nostris sponte et libere cessit, nosque cessionem ipsam duximus admittendum, apud sedem eandem pastoris solatio destituta, Nos, in quorum eisdem manibus tu etiam hodie regimini et administrationi ecclesie Constantinopolitane, cuius tunc perpetuus administrator per sedem eandem deputatus existebas, etiam sponte et libere cessisti, quique etiam tuam cessionem predictam tunc admittentes eidem ecclesie Constantinopolitane tunc et eo, quo ante deputationem eandem vacabat, modo, quem pro expresso haberi volumus, vacanti de persona eiusdem Francisci, nobis et fratribus nostris ob suorum exigentiam meritorum accepta, de fratrum eorumdem consilio providimus ipsumque illi prefecimus in Patriarcham et pastorem, curam et administrationem eiusdem ecclesie Constantinopolitane sibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, per alias nostras litteras, prout in illis plenius continetur, tam eidem ecclesie Iadrensi, de cuius provisione nullus preter nos hac vice disponere potuerit sive potest, reservatione et decreto obsistentibus supradictis, ne ecclesia ipsa Iadrensis longe vacationis exponatur incommodis, de pastore utili et idoneo, per quem circumspecte regi et salubriter dirigi valeat, quam tibi, ut statum tuum iuxta Cardinalatus sublimitatem decentius tenere, ac expensarum onera, que te iugiter de necessitate subire oportet, facilius perferre valeas, ne ex dicta tua cessione nimium dispendium patiaris, de alicuius subventionis auxilio providere volentes, et sperantes, quod tu ob datam tibi a domino providentiam ac multiplicium virtutum dona, quibus circumfultus existis, eidem ecclesie Iadrensi esse poteris multipliciter fructuosus, de fratrum eorumdem consilio apostolica auctoritate tenore presentium te, quoad vixeris, prefate ecclesie Iadrensi administratorem in spiritualibus et temporalibus constituimus et deputamus, curam et administrationem ipsius ecclesie Iadrensis etiam una cum sancti Marcelli, que titulus tui Cardinalatus existit, ac Viterbiensi et Sutrinensi ac Nepesina, quibus ex concessione apostolica preesse dinosceris, nec non omnibus et singulis aliis ecclesiis, monasteriis, prioratibus, prepositatibus, canonicatibus et prebendis, dignitatibus, personatibus, administrationibus et officiis ceterisque beneficiis ecclesiasticis cum cura et sine cura secularibus et quorumvis ordinum regularibus, que ex quibusvis aliis concessionibus et dispensationibus apostolicis in titulum vel commendam, aut etiam administrationem vel alias obtines et imposterum obtinebis, ac pensionibus annuis tibi super quibusvis fructibus, redditibus et proventibus ecclesiasticis assignatis et assignandis, quas percipis et percipies in futurum, in eisdem spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, firma spe fiduciaque conceptis, quod dirigente domino actus tuos ecclesia Iadrensis predicta per tue diligentie studium regetur utiliter et prospere dirigetur, ac grata in eisdem spiritualibus et temporalibus suscipiet incrementa, tibique etiam, quoad vixeris, omnes et singulos fructus, redditus et proventus mense Patriarchalis Constantinopolitane tam illos, qui ad presens percipiuntur, quam etiam qui in futurum, si ecclesiam Constantinopolitanm predictam e manibus infidelium illam occupantium recuperari contigerit, percipientur et percipi poterunt, provenientesque et proventuros iuxta existimationem et concordiam inter te et eundem Franciscum Patriarcham electum desuper initam, ac per nos

confirmatam vel confirmandam, illiusque confirmationis huiusmodi tenores presentibus pro expressis habentes, per te vel alium seu alios propria auctoritate etiam una cum aliis ecclesiis, monasteriis, prioratibus, canonicatibus et prebendis, dignitatibus ceterisque beneficiis ac aliis pensionibus predictis percipiendos, exigendos et levandos, ac in tuos usus et utilitatem convertendos loco pensionis annue reservamus, concedimus et assignamus, ac quod dicto Francisco in Patriarcham electo cedente vel decedente, seu regimini et administrationi dicte ecclesie Constantinopolitane alias quomodolibet preesse desinente, seu [et] quo minus eosdem fructus iuxta dictam concordiam percipias, quomodolibet impediente, aut eandem concordiam quomodolibet observare recusante, aut eadem ecclesia Constantinopolitana alias quovis modo vacante, etiam apud sedem predictam, liceat tibi ad eandem ecclesiam Constantinopolitanam libere habere regressum, illiusque ac eius regiminis et administrationis prediorum ac bonorum corporalem possessionem seu quasi etiam per te vel alium seu alios propria auctoritate libere apprehendere, et tam presentium quam dicte prioris administrationis vigore absque alia de illa nova tibi desuper concedenda administratione in eandem administrationem ut prius similiter, quoad vixeris, etiam una cum Iadrensi et aliis reliquis ecclesiis, monasteriis, canonicatibus et prebendis, dignitatibus ceterisque beneficiis et pensionibus predictis similiter retinere, in omnibus et per omnia perinde ac si illi minime cessisses, de speciali gratia indulgemus, decernentes ex nunc irritum et inane, si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari. Volumus autem, quod debitis et consuetis mense Archiepiscopalis Iadrensis supportatis oneribus, de residuis illius fructibus, redditibus et proventibus dispONere et ordinare libere et licite valeas, sicuti veri Archiepiscopi Iadrenses, qui pro tempore fuerunt, de illis disponere et ordinare potuerunt seu etiam debuerunt, alienatione tamen quorumcumque illius bonorum immobilium et preciosorum mobilium tibi penitus interdicta: quodque ex fructibus, redditibus et proventibus ecclesie Constantinopolitane predicte, quamdiu illos percipies, omnia onera eidem ecclesie Constantinopolitane interim incumbentia perferre omnino tenearis. Quocirca circumspectioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus curam et administrationem per presentes tibi commissas predictas sic exercere studeas sollicite, fideliter et prudenter, quod ecclesia Iadrensis predicta provido gubernatori et fructuoso administratori gaudeat se commissam, ac bone fame tue odor ex laudabilibus tuis actibus latius diffundatur, tuque preter eterne retributionis premium nostram et dicte sedis benedictionem et gratiam exinde uberius consequi merearis: ac dilectum filium nobilem virum Andream Gritti Ducem Venetiarum rogamus et hortamur attente, ut te ac dictam ecclesiam Iadrensem habens pro dicte sedis reverentia propensius commendatos, in ampliandis et conservandis iuribus nostris sic vos benigni favoris auxilio prosequatur, quod tu suo nobilitatis fultus presidio in commisso tibi cure pastoralis officio possis, deo propitio, prosperare, ac illi exinde a deo perennis vite premium et a nobis condigna proveniat actio gratiarum: nec non Venerabilibus fratribus nostris universis Suffraganeis ac dilectis filiis Capitulo, et etiam universis vassallis ipsius ecclesie Iadrensis, necnon clero et populo civitatis et diocesis Iadrensis etiam mandamus, quatenus Suffraganei tibi tamquam membra capiti obsequentes obedientiam et reverentiam debitas et devotas exhibeant, ita quod mutua inter te et ipsos gratia gratos sortiatur effectus, nosque devotionem suam possimus in domino non immerito commendare; Capitulum vero populus, clerus et vassalli predicti te tamquam patrem et pastorem animarum suarum devote suscipientes ac debita honorificentia prosequentes, tua salubria monita et mandata humiliter suscipiant et efficaciter adimplere procurent, ita quod tu in eis devotionis filios et ipsi in te per consequens patrem inveniisse benivolum gaudeatis, ipsique vassalli consueta servitia et iura tibi ab eis debita exhibere integre studeant: alioquin sententiam sive penam, quam rite tuleris in rebelles, ratam habebimus et faciemus, auctore domino, nosque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Et nichilominus Venerabili fratri nostro Episcopo Wigorniensi, et dilectis filiis Vicariis etiam Venerabilium fratrum nostrorum Patriarche Venetiarum et Episcopi Polensis in spiritualibus generalibus similiter mandamus, quatenus ipsi vel duo aut unus eorum per se, vel alium seu alios auctoritate nostra predicta tibi in premissis efficacis defensionis presidio assistentes, faciant te fructuum, reddituum et proventuum tibi per presentes reservatorum perceptione, ac iure et indulto regrediendi, necnon in dicti regressus eventum regimine et administratione ecclesie Constantinopolitane, illiusque mense Patriarchalis ac bonorum possessione huiusmodi pacifice frui et gaudere, non permittentes te vel a te ad id deputandos per eundem Franciscum in Patriarcham electum, seu quoscumque alios contra earumdem presentium litterarum tenorem quomodolibet molestari, Contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo. Non obstantibus constitutionibus etc. Datum Rome apud S. Petrum Anno etc. M.D.XXX. quartodecimo Kal. Ianuarii, Pont. nostri Anno Octavo.

DCCCXXXVI.

Episcopo Nonensi datur facultas in sua ecclesia absolvendi eos, qui ferrum et alia prohibita ad Turcas detulerint. Reg. An. VIII. Brev. Tom. 51. pag. 294.

Venerabili fratri Iacobo Episcopo Nonensi.

Clemens PP. VII. Venerabilis frater, salutem etc. Exponi nobis nuper fecisti, quod cum ecclesia tua Nonensis in confinibus Turchorum existat, nonnulli Christi fideles ex villis, castris et locis tuae diocesis illi viciuis commorantes vi quandoque ac metu ferrum, et alia ad Christi nominis hostes deferri prohibita coacti sunt, propter quod censuras et alias poena contra similia deferentes inflictas incurrerunt, et pro absolutione obtinenda ad Sedem Apostolicam venire non valent. Quare illorum animarum saluti prospici cupiens supplicari nobis humiliter fecisti, ut eis de opportuno absolutionis remedio providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos itaque Christi fidelium animarum salnti consulere cupientes, huiusmodi supplicationibus inclinati fraternitati tuae, ut per te vel alium presbyterum saecularem vel cuiusvis ordinis regularem confessiones audire, et illorum confessionibus diligenter auditis, eos et quemlibet eorum a quibusvis criminibus, excessibus et delictis ac peccatis, necnon excommunicationis sententia per ipsos ob ferri et aliorum prohibitorum dolationem incursis in ecclesia tua praedicta, sive ecclesiis villarum huiusmodi absolvere, et penitentiam salutarem iniungere libere ac licite valeas, auctoritate apostolica tenore praesentium licentiam et facultatem concedimus pariter et indulgemus, Praemissis ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Datum Romae etc. die III. Februarii MDXXXI. Pontificatus nostri Anno Octavo.

DCCCXXXVII.

Episcopo Veglensi indulgetur, ut possessionem ecclesiae apprehendere omniaque iura episcopalia exercere possit, quamvis bullae suae translationis nondum expeditae fuerint. Reg. An. VIII. Brev. Tom. 51. pag. 1133.

Venerabili fratri Ioanni Episcopo Veglensi nuper Scardonensi, Praelato nostro domestico.

Clemens PP. VII. Venerabilis frater, salutem etc. Cum nuper te a vinculo, quo ecclesiae Scardonensi, cui tunc praeeras, tenebaris, de fratrum nostrorum consilio et apostolicae potestatis plenitudine absolverimus, et (ad) ecclesiam Veglensem tunc per obitum bonae mem. Eusebii olim Episcopi Veglensis, extra Romanam Curiam defuncti, pastoris solatio destitutam, de simili consilio Apostolica auctoritate transtulerimus, teque illi in Episcopum et pastorem praefecerimus, curam et administrationem huiusmodi ecclesiae Veglensis tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo. Nos, ne dicta ecclesia Veglensis interim, dum litterae Apostolicae super translatione et praefectione praedictis expedientur, in eisdem spiritualibus et temporalibus detrimentum sustineat, providere, et personam tuam, qui Praelatus domesticus et continuus commensalis noster existis, tuis exigentibus meritis specialis gratiae favore prosequi, et commodis tuis opportune consulere volentes, Fraternitati tuae, ut etiam, litteris Apostolicis super translatione et praefectione praedictis non confectis, vigore praesentium possessionem seu quasi regiminis et administrationis, ac bonorum dictae ecclesiae Veglensis apprehendere, ac fructus, redditus et proventus mensae Episcopalis Veglensis percipere, et quae ordinis et iurisdictionis Episcopalis existunt, in Civitate et dioecesi Veglensi exercere libere et licite valeas, in omnibus et per omnia perinde ac si super illis litterae Apostolicae expeditae fuissent, auctoritate apostolica tenore presentinm indulgemus: Mandantes dilectis filiis Capitulo et Vassallis dictae ecclesiae Veglensis, necnon Clero et Populo Civitatis et dioecesis praedictae, ut tibi tanquam patri et pastori animarum suarum humiliter intendentes, tua salubria monita et mandata suscipiant humiliter et efficaciter adimplere procurent; Vassalli vero praefati consueta servitia et iura ab eis tibi debite integre exhibere procurent: alioquin sententiam seu poenam, quam tunc rite tuleris in rebelles, ratam habebimus, et faciemus auctore domino usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Non obstantibus etc. Contradictores etc. Dat. Romae etc. die XVII. Iunii MDXXXI. Pontificatus nostri Anno Octavo.

DCCCXXXVIII.

Eidem episcopo unitarum ecclesiarum Veglensis et Scardonensis, ut primae suae missae assistentibus indulgentias impartire, et quoscunque clericos suarum aliarumque dioecesum de consensu ordinariorum ad sacros ordines extra tempora promovere possit. Reg. An. VIII. Brev. Tom. 51. pag. 1301.

Venerabili fratri Ioanni Episcopo Veglensi nuper Scardonensi.

Clemens PP. VII. Cum nuper nos te a vinculo, quo ecclesiae Scardonensi, cui tunc praeras, (tenebaris), de fratrum nostrorum consilio et apostolicae potestatis plenitudine absolventes, te ad eccle-

siam Veglensem, tunc certo modo pastoris solatio destitutam, de simili consilio apostolica auctoritate duxerimus transferendum, praeficiendo te illi in Episcopum et Pastorem, ac ecclesiam ipsam Scardonensem oidem ecclesiae Veglensi ad certum tempus de similibus consensu et auctoritate univerimus, annexerimus et incorporaverimus: Nos tibi, qui Praelatus domesticus et continuus commensalis noster existis, et ut accepimus, tuam Veglensem, necnon Scardonensem, in cuius civitate et diocesi, licet illa in partibus infidelium consistat, plures utriusque sexus Christiani existunt, ecclesias praedictas visitare intendas, illa, per quae populum tibi commissum spirituali consolatione recreare possis, favorabiliter concedere et animarum Christifidelium saluti paterna charitate consulere, necnon personam tuam honorare, fraternitati tuae, ut omnibus et singulis utriusque sexus Christifidelibus vere penitentibus et confessis, qui celebrationi primae missae, quam tam in Veglensi praedicta quam in Scardonensi ecclesiis in pontificalibus celebrabis, interfuerint, etiam quantumcumque remoti et propter populi multitudinem in illis ingredi nequeuntes extra ecclesiam constituti fuerint, dummodo causa indulgentiae huiusmodi ibidem applicuerint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem auctoritate apostolica in forma solita impendas, necnon quoscumque tam Veglensis et Scardonensis, quam de consensu ordinariorum locorum et eorum expressa licentia quarumcumque aliarum civitatum et dioecesum volentes ad omnes etiam sacros et presbyteratus ordines promoveri, alias tamen idoneos, ad huiusmodi omnes etiam sacros et presbyteratus ordines, ctiam extra tempora a iure statuta aliquibus tribus dominicis et festivis diebus alias rite promovere, et dictos ordines eis conferre, ac quoscumque utriusque sexus tuarum Veglonsis et Scardonensis civitatum et dioecesum Christifideles tuae curae commissos, confessionibus eorum diligenter auditis, ab omnibus et singulis eorum peccatis, excessibus et delictis etiam quantumcumque gravibus, etiam quibusvis casibus dictae Sedi reservatis, exceptis contentis in litteris in die Coenae Domini legi consuetis, praedictis(sic) absolvere, et eis pro commissis penitentiam salutarem iniungere liberc et licite valeas, et dicti promovendi ordines praedictos a te, ut praefertur, suscipere libere et licite possint, plenam et liberam auctoritate et tenore praesentium facultatem concedimus et pariter indulgemus. Non obstantibus etc. Datum Romae etc. die VIII. Iulii MDXXXI. Pontificatus nostri Anno Octavo.

DCCCXXXIX.

Archiepiscopus Strigoniensis pontifici narrat, quae luctuoso illo dissidio civili tum a Ioanne tum a Ferdinando regibus inter se dimicantibus perpessus est, obtestatur de fidelitate sua erga Ferdinandum, purgat se de calumniis, quibus iste eique adhaerentes in Urbe eum insectentur, et petit demum, ut Ferdinandum moneat, ut ecclesiam Strigoniensem aliaque bona sibi restituat. Ex originali Litt. Princip. Tom. VII. fol. 384.

Sanctissimo in Christo Patri et Domino meo, Domino Clemonti VII. divina Providencia Sacrosanctae Romanae et Universalis Ecclesiae Pontifici Maximo, Domino Clcmentissimo.

Beatissime Pater et Domine, Domine mihi semper Clementissime. Post devota pedum oscula beatorum Sanctitatis vestrae, et humillimam mei in gratiam eius commendationem. Pluribus iam litteris Sanctitati vestrae pro debito obedienciae et servitutis moae perpetuae erga eandem et Sanctam Sedem Apostolicam significavi, in quae praecipicia et calamitates Regnum hoc, alioqui saova Turcarum Tyrannide satis superque lacorum et afflictum, redactum sit: dubito tamen litteras ob assiduos bellorum aestus et itinerum discrimina eidem reddi potuisse. Nunc itaque rursus, quo fidei et observanciae meae erga Sanctitatem vestram respondeam, visum est mihi de periculis ot inauspicatissimo Regni statu eandem certiorem reddere. Pulso namque Rege Ioanne e sedo sua per Serenum Dominum meum Regem Ferdinandum, cum Maiestas sua sacrum Regni Diadema suscepisset, Regnique administratione potitus fuisset, ac varie deinceps cum eodem Rege Ioanno decertasset, superiorque semper armis evasisset, adeo ut ille extra fines Regni defectu virium migrare cogeretur, statuit arces Regni finitimas paulo ante per Caesarem Thurcarum ademptas, missa ad eum legatione, repetere, qua legatione, Caesar dominandi cupiditate raptus, nihilipensa, contractis undique viribus, decrevit bello Maiestatem suam persequendum: quod Rex Ioannes intelligens, credens ope illius et sibi ot Regno recuperando consulere posse, missis ad eum oratoribus impetravit, ut Regnum salvum sibi ut Regi relinqucret. Cum itaque Caesar, quod mente concciperat, re ipsa exequi destinasset, manu non minus forti quam cruentissima Regnum penetravit, expugnataque primum, non sine multa fidelium cacde, Arce et Civitate Budensi, deinde Wyssegradiensi, Albae Regalis et Pesthiensi Civitatibus in deditionem receptis, recta Viennam Austriae contendit, illamque obsidione cinxit: ubi multis millibus Christianorum captis et in servitutem abductis,

quae dirae et inauditae caedes, spurcitiae, blasphemiae et calamitates pertractae sint, haud difficile Sanctitas vestra considerare potest. Dum haec ita agerentur, ego Serñum Dominum meum, Dñum Ferdinandum Regem extra limites Regni, ubi tunc agebat, ob nimiam locorum distantiam et rei familiaris inopiam, quodque aditus viarum omnes iam per hostes praeclusi essent, subsequi nequivi: sed tutandae vitae causa Strigonio digressus, in aliam me Arcem Ecclesiae meae contuli. Undo per Regem Ioannem Budam, ubi iam per Caesarem Thurcarum in Regiam sedem collocatus fuerat, etsi pluries accersitus, venire tamen propter vinculum insinrandi, quo Serño Regi Ferdinando domino meo de fide servanda obstrictus eram, prorsus recusavi: qua de re Archiepiscopatu me destituit, et alteri de eo providit, et bonam possessionnm ot redditnum illius partem occupari fecit, et Arcem quoque Strigoniensem de manibus meis excipiendam decrevit. Ex altera vero parte Serñus Rex Ferdinandus, estimans me a se ad Regem Ioannem defecisse, omnes possessiones, decimas et alios quoslibet Ecclesiae meae proventus Archiducatui suo propriores similiter occupari fecit. Sic inter saccum et saxum ab utroque Principe contrusus, cum nullam aliam viam servandae Ecclesiae ot gregis Dominici curae meae crediti, Arcisque Strigoniensis a faucibus Thurcarnm reliquam mihi viderem, consilio maturiore fretus exemplum beatae memoriae Sanctissimi Leonis Papae primi, praecessoris Sanctitatis vestrae imitatus, qui Totillae perfido Vandalorum Regi ad Eridannm, ne Romam veniens ferro et igni eam nt alias Italiae partes vastaret, occnrrit et Italiae pacem impetravit, inter aliquot centena perfidorum millia cum gravissimo capitis et vitae periculo in castra Caesaris tunc sub Civitate Viennensi posita penetravi. Ubi supremum eius Capitanenm Ibrayn Passam, salva fide et religione Christiana, ac sanctae Sedis Apostolicae Sanctitatisque vestrae obediens, Eandem verum et nnicum caput Pastoremque Universalis Ecclesiae ac dominum meum recognoscens, praecatus sum, ut Ecclesiam meam una cum populo eius fideli salvam et illesam servaret, neve per Ioannem Regem me iniuste opprimi pateretur: qui cum omnia, Deo authore, nt optabam, in reditu effecturum pollicitus esset, rediens promissis integre respondit, Ecclesiam gregemque dominicnm salvum et incolnmem mihi reliquens, et mihi quoque medio duorum Ludovici Griti et Hieronymi Laczky a Rego Ioanne, nt me in statu et dignitate mea liberum relinqueret, impetrando. Hoc igitur modo et Ecclesiae meae fidelium saluti, ne a truculento hoste consnmerentur, consului: quod si quis aliter forsan in odium mei acta haec mea Sanctitati vestrae interpretaretur, nullam ei fidem Sanctitas vestra adhibeat. Nihil enim mihi nnquam cum Thurca praeter haec, quae praemisi, commune fuit: verum nt Ecclesiam et plebem meam, meqne ipsum servarem, coactus fuit Tyrannum adire et animum eius furentem, ne obesset (quoad fieri potuit) demulcere. Et quamvis postea hoste e Regno abeunte, Regi Ioanni mihi subesse (ut ille mandaverat) necessum erat, considerans tamen eum non satis christiane in Regno tuendo agere, et copias Thurcarum adversus fideles Christi semel, iterum et tertio armare et in Regnum adducere, Diocesimque meam et bona Ecclesiae ferro et igni vastari, ac colonos in perpetuam servitntem dari, vix tertia parte possesionum et incolarnm proventuumque Ecclesiae meae salva mihi per Thurcas relicta, ferebatur preterea id quoque, Sanctitatem vestram ipsum Ioannem Regem propter huiusmodi cum hoste commertia, pro debito officii sui pastoralis, poenis et censuris Ecclesiasticis unacum fautoribus, adhaerentibus et affectatoribns eius innodasse, ob id ab eo (ut par erat) ad Principem christianum, Serñum Regem Ferdinandum, dñnm meum, a cnius iurisdictione ob salutem Ecclesiae meae et gregis dominici servandam ad tempus discesseram, nna cum Arcibus et populo universaque familia mea defiexi, et eius me fidelem declaravi: ab obedientia tamen et devotione sanctae Sedis Apostolicae et Sanctitatis vestrae sacramentoque iusiurandi, sub munere consacrationis meae praestito, ne latum quidem unguem unquam discessi, et neque ad obitum usqne discessurus sum, Arcem meam Strigoniensem, quae insignior et ad resistendum hosti accommodatior in Regno est, Maiestati snae, quo Ecclesiam et Iurisdictionem illius salvam et illesam servarem, tradens, cautelis tamen adiectis, ne Arce ipsa ab Ecclesia depereat, sed mox rebus Regni ab hoste defensis, et pace in Regno firmata, salva, libera et integra mihi et Ecclesiae meae reddatur. Nunc tamen Maiestas sua, nescio unde, nisi emulorum meorum suasu et obtrectatione mota, me de Arce et Ecclesia mea Strigoniensi excludere, bonaque et proventns eiusdem Ecclesiae meae universos de manibns meis pro se occupari fecit. Qnod ad personam meam attinet, paratus sum Maiestati suae, qnm in simplicitate cordis et animi synceritate citraqne offensam cuiuspiam semper conversatus sim, innoxiumque in omnibus sciam, ubilibet innocentiam meam declarare. Quo vero ad dignitatem Ecclesiasticam, qua Sanctitatem vestram tantnm et neminem alterum maiorem agnosco, colo, veneror et observo, opto, ut Sanctitas vestra causam meam Commissariis quibus voluerit in partibns deleget, ubi data mihi facultate honorem, statum et dignitatem

tuendi, luce clarius enitescet, me in omnibus, quae livore malevolorum in me congesta sunt, insontem et immunem fuisse. Supplico igitur Sanctitati vestrae humillime tanquam domino meo Clementissimo, dignetur pro altissima generis et animi sui nobilitate atque clementia me Maiestati suae commendatum facere, illamque adhortari, ut indignationem, quam ex sinistra emulorum suggestione adversum me concepit, ponat, Arcemque et Ecclesiam meam unacum proventibus et omnibus emolumentis suis remittere velit, nequo gratia sua solita complectatur: paratus enim sum ad omnem Maiestatis suae nutum omnes emulorum meorum technas et blattheramenta diluere, inculpatumque et immunem in omnibus palam me demonstrare. Volui haec omnia ex ordine Sanctitati vestrae significare, ut ab ore meo potius, quam emulorum meorum obloquiis Sanctitas vestra hauriat veritatem. Plura super his hii nuncii mei nomine meo coram Sanctitate vestra referent, quorum verbis Sanctitas vestra pro sua innata clementia fidem praestare dignetur. Quam ut Deus Opt. Maximus faelicem faustiasimamque diu ad vota pro quieto et tranquillo statu totius Reipublicae christianae Ecclesiaeque sanctae suae servet, foveat protegat et tueatur, omnibus votis exopto, meque et servitia mea perpetua pulveribus pedum Eiusdem etiam atque etiam vehementissimo commendo. Ex Arce mea Dreghel die octava mensis Octobris MDXXXI.

Eiusdem Sanctitatis Vestrae

Humilis ac devotus Capellanus
PAULUS ARCHIEPISCOPUS STRIGONIENSIS manupropria.

DCCCXL.

Statibus regni Hungariae, ut archiepiscopo Rossanensi ad eorum comitia generalia a pontifice misso fidem praestare velint. Reg. An. IX. Brev. Tom. 51. pag. 226?.

Venerabilibus fratribus et dilectis filiis Statibus Hungariae.

CLEMENS PP. VII. Venerabiles fratres et dilecti filii, salutem etc. Cum pridem ad nos esset allatum de conventu universali per vos in Calendas Iunarii proximi indicto, etsi causas ipsius indictionis ignorabamus, tamen quaecumque illae essent, cum nonnisi vestra virtute ac religione dignas fore indicaremus: Nos pro nostra singulari charitate, qua illud Regnum nostrorum praedecessorum exemplo semper sumus prosecuti, non dubitavimus convenire nostro officio et in vos benivolentiae mittere ad vos proprium hominem nostrum, ut vobis quacumque in re possemus cosdiuvandis et a Christianae fidei hostibus tuendis nostra et auctoritas et voluntas praesto esset, ac quemadmodum incolumi isti Regno quibus potuimus auxiliis opitulati sumus, ita ei afflicto et perturbato, si quam saluti viam Deus speriret, omni ope nostra non deessemus. Qua quidem re ita per nos decreta, cum optavissemus aliquem a nostro latere ad vos mittere, temporis tamen ipsius brevitas viaeque longitudo nobis impedimento fuit, ne id facere possemus: ita eum elegimus, quem vicinitate vobis proximum, nobis antem sua virtute, fide et doctrina clarum et probatum habebamus, Venerabilem fratrem Vincentium Archiepiscopum Rossanensem, nostrum apud Serenissimum Regem Romanorum Nuncium, ac do nostro studio et voluntate ad sublevationem vestri Regni semper directis intime et apprime instructum. Quamobrem ipsi Archiepiscopo Nuncio nostro mandavimus, ut nomine nostro et Apostolicae Sedis ad deliberationes vestras pias, ut speramus, et Christianae reipublicae salutares cosdiuvandas vobis adeesset, omnemque et auctoritatem et opem nostras benigne offerret ac polliceretur, plaraque alia pro vestra omnium salute ac Christianae religionis tutela nostro uomine significaretur. Hortamur fraternitates et nobilitates vestras in Domino, ut ipsum Archiepiscopum Nuncium nostrum benigne suscipere, verbisque eius haud aliam fidem nunc et deinceps praestare velitis, quam si nos ipai vos praesentes alloqueremur. Datum Romae etc. die XIII. Decembris MDXXXI. Pontificatus nostri Anno Nono.

DCCCXLI.

Reginini civitatis Ragusinae, ut de quadam pecuniarum summa a Martino Ragusino debita satisfieri faciant haeredibus quondam Laurentii Cecchi Florentini creditoris. Reg. An. IX. Brev. Tom. 52. pag. 266.

Dilectis filiis Prioribus et Regiminii Civitatis Ragusinae.

CLEMENS PP. VII. Dilecti filii, salutem etc. Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filii haeredes quondam Laurentii Cecchi Florentini, dum viveret, nostrae Civitatis Anconitanae habitatoris, quod licet prefatus Laurentius, dum in humanis ageret, Marini Ragusini vestrae Civitatis, seu Insulae Medii sub vestra Iurisdictione existentis habitatoris in notabili pecuniarum summa legitimus creditor existeret; Ipsique haeredes desuper coram Gubernatore provinciae Marchiae nostrae Anconitanae, Iudice desuper

a nobis specialiter deputato, litigando diffinitivam pro eis, et contra dictum Marinum sententiam et rem indicatam reportaverint, et extremam diligentiam de ipso oredito consequendo fecerint; Nec non vos, seu eiusdem vestrae Civitatis Iudices, ad quos id spectat, pluries super executione rei indicatae huiusmodi requisierint: nihilominus vos, seu Iudices praefati id facere indebite recusastis in ipsorum haeredum maximum damnum et praeiudicium. Quare praefati haeredes nobis humiliter supplicari fecerunt, ut sibi super his opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur unicuique, quod suum est, reddi cupientes, et pro parte dictorum vos hortamur in Domino et monemus attente, ut pro parte dictorum haeredum legitime requisiti ipsis iuxta praefatae rei indicatae tenorem, prout iustum et aequum est, satisfieri faciatis. Erit autem hoc sicut iustitiae consonum, ita et nobis gratum. Datum Romae etc. die XX. Maii MDXXXII. Pontificatus nostri Anno Nono.

DCCCXLII.

Archiepiscopus Strigoniensis fratribus ordinis Minorum in Hungaria contra quosecunque molestatores, iniuriatores et rebelles conservator constituitur. Reg. An. IX. Brev. Tom. 52. pag. 1176.

Venerabili fratri Archiepiscopo Strigoniensi.

CLEMENS PP. VII. Venerabilis frater, salutem etc. Etsi quibuslibet religiosis personis ex iniuncto nobis desuper Apostolicae servitutis officio defensionis praesidio assistere teneamur: illis tamen specialius et efficacius adesse nos convenit, qui Sedi Apostolicae immediate subiecti non habeat alium praeter Romanum Pontificem defensorem. Exponi siquidem nobis nuper fecit Minister provincialis provincie B. Marie Regui Hungariae Ordinis fratrum Minorum secundum morem eiusdem Ordinis, quod nonnulli Archiepiscopi, Episcopi, Praelati et personae ecclesiasticae etiam diversorum Ordinum regulares, ac etiam exemptae, necnon Duces, Barones, Comites, Universitates Oppidorum et Castrorum, Communitates Civitatum, et diverse aliae personae seculares manus violentas in fratres dicti Ordinis temere iniicere, et Christifidelibus, ne ipsis fratribus eleemosinam largiantur, neve eis peccata eorum confiteantur, aut apud illos sanctam sepulturam eligant, prohibere, ac alias eis contra eiusdem Ordinis privilegia et indulta Apostolica desuper concessa diversas molestias et iniurias inferre: nonnulli etiam fratres ipsius Ordinis Minorum absque Superiorum suorum licentia aufugientes retinere praesumpserunt, hactenus et praesumunt. Quare dictus Minister nobis humiliter supplicavit, ut cum sibi et aliis fratribus ordinis Minorum et provincie huiusmodi valde reddatur difficile pro singulis querelis ad Sedem praefatam recursum habere, providere sibi super hoc paterna diligentia curaremus. Nos igitur adversus praesumptores, molestatores et iniuriatores huiusmodi eo volentes eisdem fratribus Minoribus remedio subvenire, per quod ipsorum compescatur temeritas, et aliis aditus similia committendi precludatur, fraternitati tuae per presentes committimus et mandamus, quatenus per te vel alium seu alios Ministro et fratribus dictae provinciae, ac eorum singulis in praemissis efficacis defensionis praesidio assistens non permittas eos, seu eorum aliquos super praemissis, seu eorum occasione ab eisdem vel quibusvis aliis indebite molestari, vel eis gravamina vel damna seu iniurias irrogari, facturus eisdem Ministro et fratribus, cum ab eis vel procuratoribus suis seu eorum aliquo fueris requisitus, super praemissis, necnon privilegiorum et indultorum praedictorum observatione et fratrum eorumdem restitutione, necnon de quibusvis aliis molestiis seu iniuriis in illis illatis, quae iudicialem requirunt indaginem, summarie, simpliciter et de plano absque strepitu et figura indicii, iu aliis vero, prout qualitas eorum exegerit, iustitiae complementum, Molestatores, iniuriatores et rebelles quoslibet, cuiuscumque dignitatis, status, gradus, conditionis et praeeminentiae fuerint, quandocumque et quotiescumque opus fuerit, auctoritate nostra per censurum ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis, et nichilominus legitimie super his servatis habendis processibus eos, quos ceuseuras et poenas per te pro tempore latas incurriase tibi constiterit, eas incurrisse declares, et prout iustum fuerit etiam iteratis vicibus aggravare procures. Ceterum si per summariam informationem per te super hiis habendam etiam tibi constiterit, quod ad loce, in quibus molestatores, praesumptores et iniuriatores praefatos et alios, quos praesentes litterae concernunt, morari contigerit, pro monitionibus, requisitionibus et inhibitionibus ipsis ac citationibus de eis faciendis tutus non patest accessus, nos tibi monitiones, requisitiones, citationes et inhibitiones quaslibet per edicta publica locis publicis affigenda, de quibus sit verisimilis coniectura, quod ad notitiam ipsorum monitorum, requisitorum, citatorum et eorum quibus inhiberi contigerit pervenire valeant, faciendi, necnon eisdem praeeemptoribus, molestatoribus, iniuriatoribus, ac Contradictoribus et rebellibus etiam sub ceusuris et poenis, ac etiam pecuniariis arbi-

trio tuo moderandis, inhibendi, ac loca, ad quae eos declinare contigerit, et in quibus scienter stare permissi fuerint, ecclesiastico interdicto subiiciendi plenam et liberam concedimus earumdem tenore praesentium facultatem, ac volumus et Apostolica auctoritate concedimus, quod monitiones, requisitiones, citationes et inhibitiones huiusmodi sic factae perinde eosdem monitos, requisitos, citatos ac eos, quibus inhibitum fuerit, arceut, ac si eis personaliter intimatae et insinuatae fuissent, Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii Papae VIII. praedecessoris nostri de una, et Concilii generalis de duabus dietis edita, dummodo aliquis auctoritate praesentium ultra tres dietas non trahatur ad iudicium etc. Praesentibus ad quadriennium et non ultra valituris. Datum Romae etc. die VIII. Iunii MDXXXII. Pontificatus nostri Anno Nono.

DCCCXLIII.

Laurentius cardinalis Campegius pontifici Ioannem Fabri epum Viennensem et ecclesiae Budensis praepositum commendat.
Ex originali Litt. Princip. Tom. IX. fol. 108.

Smo D. N. PP.

Beatissime Pater, Post pedum oscula beatorum. Cum proximis diebus Ferdinandus Romanorum Rex Ioannem Fabri Epum Viennensem Sanctitati Vestre vehementer commendarit, nullius eum amplius commendatione indigere plane cognosco: Is tamen sibi penitus persuasit, si ad Regis litteras meas quoque accesserint, quod a Sanctitate V. tanto studio impetrare contendit, id se aliquanto facilius consecuturum fore: In quo etsi fallitur, hoc tamen officii amico homini, ac de Christiana republica tot nominibus benemerito non potui non praestare. Is, ut audio, rei familiaris angustia non parum laborat: Budensis namque Prepositura, quam a Regia Maiestate obtinuerat, una cum Civitate in hostium manus devenit; Viennensis vero ecclesia ob Turcici belli vastationes adeo opibus destituta est omnibus, ut ad eius calamitatem nihil addi possit. Ex gratia autem, quam eidem Sanctitas V. pro obtinendis nonnullis sacordotiis benigne concesserat, se nihil consecutum affirmat, neque in posterum se inde consequi posse sperat, quod eam una cum coeteris in universum Sanctitas V. revocarit penitusque sustulerit. Ex quibus omnibus est factum, ut pauper Epus eo iam inopiae pene devenerit, ut unde se ac suos alere possit, vix habeat, nedum Pontificalis dignitatis statum sustinere queat: Iccirco Beatitudinis V. pedibus obvolutus suppliciter petit, ut de apostolici Thesauri copia aliquid ei impartiatur. Unde, si non ex reservatione aut mandato de providendo a quibusvis concedendis Sanctitatis V. animum abhorrere plane intelligo, alia saltem via eidem Epo in proclivi sit nonnulla ecclesiastica beneficia assequi, sumeque paupertati aliqua ratione succurrere. Quod si impetraverit, ut confidit, non solum id commodi, quod inde sibi casurum sperat, sed reliquam omnem vitam Beatitudinis V. munificentiae ac liberalitati acceptam refert. Ego quoque pro meo in hunc hominem animo atque pristina benevolentia, proque illius in me studio non vulgari, et quod ad rem magis pertinet, pro ipsius innumerabilibus meritis ad rempublicam christianam bene ac constanter positis, quioquid officii, beneficii honorisque in Fabrum Sanctitas V. contulerit, id in me ipsum atque in rem meam collatum existimabo semperque fatebor. Cuius Beatitudinis pedibus me humillime commendo ac trado. Ratisponae duodecimo Calendas Iulii MDXXXII.

Humillimus servus
L. Car. Campegi.

DCCCXLIV.

Carolus V. Romanorum imperator a pontifice subsidium ad defendendum castrum Clisiense contra Turcas petit.
Ex originali Litt. Princip. Tom. IX. fol. 109.

Sanctissimo in Christo Patri et Domino, D. Clementi VII. divina providentia Sacrosanctae Romanae ac Universalis Ecclesiae Pontifici Maximo, Domino Reverendissimo.

Beatissime Pater, Dñe Rñe. Quo in loco Castrum Clisiense situm, et quantum praesidii rebus Christianis in eo constitutum sit, cum Sanctitatem V. exploratum habere nobis persuadeamus, quae ad eius defensionem spectant, de quibus latius ad Oratorem isthio nostrum scribimus, facile ab ea impetrari posse speramus. Sanctitatem V. rogamus, ut Oratori nostro summam in his fidem habeat, suisque clementia ac pietate superatis necessitatibus, quae omnes undequaque vigent, in ea quoque parte Reipublicae adesse velit. Factura est in hoc Sanctitas V. rem piam, Reipublicae necessariam, et nobis mirum in modum gratam. Et Sanctitatem V. diu feliciter vivere et Sanctae isti Sedi praeesse optamus.

Datum in Civitate nostra Imperiali Ratispona die XXVI. mensis Iulii Anno Dñi MDXXXII. Imperii nostri Duodecimo etc.

CAROLUS divina favente clementia Romanorum Imperator Augustus, ac Germaniae, Hispaniarum, Utriusque Siciliae, Hierusalem etc. Rex etc.

CAROLUS.

A. VALDESIUS.

DCCCXLV.

Petrus Crutzich ex comitibus castri Clissii Spalatensis dioecesis ab homicidio perpetrato in personam cuiusdam fratris ord. Minorum, qui dictum castrum Turcis tradere volebat, absolvitur. Reg. An. IX. Brev. Tom. 52. pag. 1717.

Dilecto filio Nobili viro Petro Crutzich ex Comitibus Castri Clyssii Spalatensisis Dioecesis.

CLEMENS PP. VII. Dilecte fili, salutem etc. Exponi nobis nuper fecisti, quod postquam superioribus diebus, dum Turcae Christiani nominis hostes prope Castrum Clyssii Spalatensis dioecesis, cuius tu Comes et Castellanus existis, aliud, unde dictum Clyssii Castrum expugnare possent, dudum antea extruxissent, tu Castrum Turcarum huiusmodi, Turcis illud tuentibus interemptis, viriliter expugnasti et solo aequasti. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, dum de praemissis intenderes, quemdam pro Religioso Ordinis Minorum de observantia se gerentem, in Presbyteratus ordine constitutum, in eodem Castro Clysaii ad effectum illud, prout ipsa experientia comperisti, prefatis Turcis proditorie tradendi permanere detexeris, et iusta ira tractus ipsum propriis manibus occideris, vel stipendiarii ant servitores tui de mandato tuo occiderint: pro parte tua asserente te ab intimis de praemissis dolere, et a similibus de caetero abstinere proponere, nobis fuit humiliter supplicatum, ut te et stipendiarios ac servitores praefatos a reatu huiusmodi absolvere, aliasque in praemissis opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur attendentes, quod Sedes Apostolica pia mater recurrentibus ad eam filiis, praesertim iusta causa transgredientibus, veniam de excessibus cum humilitate petentibus suae pietatis gremium claudere non consuevit, huiusmodi supplicationibus inclinati te, et quoscunque stipendiarios ac servitores tuos, quorum nomina et cognomina, ac qualitates et numerum presentibus habemus pro sufficienter expressis, et vestrum singulos in praemissis quoquo modo culpabiles a reatu etiam presbytericidii huiusmodi, necnon excommunicationis aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis tam per nos, quam quosvis alios Romanos Pontifices praedecessores nostros contra talia praesumentes inflictis, quem et quas praemissorum occasione quomodolibet incurristis, Apostolica auctoritate tenore presentium, veris existentibus praemissis, in utroque foro plenarie absolvimus, et absolutos fore nunciamus, teque et eosdem stipendiarios et servitores, ac vestrum singulos in eum, in quo ante praemissa quomodolibet eratis, statum necnon pristinos honores et famam restituimus, reponimus et plenarie reintegramus, ac omnem inhabilitatis et infamiae maculam sive notam ex praemissis quomodolibet provenientem a vobis, et a vestrum singulis penitus abolemus, Non obstantibus praemissis, ac Constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, et dicti Ordinis iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris Apostolicis eidem Ordini et illius Superioribus quomodolibet concessis et pluries confirmatis, ac in Mare Magno et Bulla aurea contentis et continondis, quibus omnibus eorum tenores praesentibus pro sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habere, hac vice dumtaxat illis, alias in suo robore permansuris, harum serie specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, quod poenitentiam, quam Confessor seu Confessores a vobis eligendi vobis pro praemissis duxerint iniungendam, adimplere omuino teneamini, alioquin praesentes quoad absolutionem huiusmodi vobis nullatenus suffragentur. Datum Romae etc. die XXI. Octobris MDXXXII. Pontificatus nostri Anno Nono.

DCCCXLVI.

Universis Christi fidelibus, ut ad defensionem eiusdem castri Clissiensis contra Turcas promptius se accingant, videlicet illis pugnantibus vigiliisque annorum et totidem quadragenarum, occumbentibus vero indulgentia plenaria conceditur. Reg. An. IX. Brev. Tom. 52. pag. 1720.

CLEMENS PP. VII. Universis et singulis presentes litteras inspecturis, salutem etc. Plena vigiliis sollicitudo nos admonet, ut circa defensionem populi Christiani, iis praesertim temporibus, quibus Turcarum rabies gregem dominicum dissipare nititur, taliter operemur, quod huiusmodi nephandi ausus

dextera divinae potentiae conterantur, et Christifideles praesortim pro defensione ipsa intrepidi mortis periculis se opponentes, ad tam pium opus arripiendum per spiritualis thesauri dispensationem inviteutur. Accepimus siquidem, quod postquam superioribus diebus Turcae, Christiani nominis hostes, Castrum Clissii Spalatensis dioecesis expugnare niterentur, aliud prope id Castrum extruxerent, dilectus filius Nobilis vir Petrus Crutzich, dicti Castri Clyssii Comes et Castellanus, Castrum ipsorum Turcarum, illis interemptis, viriliter expugnando solo aequevit, propter quod Turcarum huiusmodi Tyrannus maxima inde concepta ira maiori conatu ipsum Castrum Clyssii in dies oppugnare velle dubitatur. Ut igitur dicti Castri Clyssii habitatores, et alii Christifideles eo libentius ad illius tuitionem se accingant, quo exinde praemia Regni caelestis uberius cognoverint se propterea consecuturos, de omnipotentis Dei misericordia ac beati Petri et Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, Universis et singulis dicti Castri Clyssii habitatoribus vere poenitentibus et confessis, seu temporibus a iure statutis propositum confitendi habentibus, qui in Conceptionis, Purificationis, Assumptionis et Nativitatis beatae Mariae Virginis festivitatibus aliquam eiusdem Castri Clyssii ecclesiam a primis vesperis, usque ad occasum solis sequentis dioi singularum festivitatum earundem annis singulis devote visitaverint, illisque et aliis utriusque sexus fidelibus, qui defensioni dicti Castri Clyssii contra ipsos Turcas illud pro tempore invadentes assistent, vigintiquinque annorum et totidem quadragenarum; reliquis vero, qui in defensione huiusmodi dimicando morti occubuerint, plenariam omniom peccatorum suorum, de quibus corde contriti et ore confessi fuerint, Indulgentiam et remissionem in domino elargimur, Praesentibus, quas sub quibusvis similium vel dissimilium Indulgentiarum revocationibus, suspensionibus, seu aliis contrariis dispositionibus, etiam pro Cruciata aut expeditione contra eosdem Turcas vel alios infideles, seu fabrica basilicae principis Apostolorum de Urbe, etiam Imperatoris vel Regio intuitu, etiam per Cancellariae Apostolicae regulas edita, et edendas, factis et faciendis comprehendendi nolumus, ad decem annos duraturis. Datum Romae etc. die XXII. Octobris MDXXXII. Pontificatus nostri Anno Nono.

DCCCXLVII.

Electo Civitatis novae terminus suscipiendi munus consecrationis iterum prorogatur. Reg. An. X. Brev. Tom. 53. pag. 191.

Dilecto filio Gregorio Electo Civitatisnovae.

CLEMENS PP. VII. Dilecte fili, salutem etc. Cum alias postquam nos ecclesiae Civitatisnovae, tunc certo modo pastoris solatio destitutae, de persona tua de fratrum nostrorum consilio apostolica auctoritate providerimus, praeficiendo te illi in Epum et pastorem: nos tecum, ut ad biennium extunc computandum munus consecrationis, ad cuius susceptionem ratione ipsius ecclesiae tenebaris, suscipere minime tenereris, apostolica auctoritate dispensavimus, prout in nostris inde in forma brevis confectis litteris plenius continetur. Et sicut nobis nuper exponi fecisti, tu ex certis causis, et maxime cum dicta ecclesia, cuius facultates tenues sunt, a perfidissimis Turcis Christiani nominis inimicis nuper devastata fuerit, non speres infra biennium huiusmodi, cuius finis de proximo instare noscitur, munus consecrationis huiusmodi suscipere commode posse: nos tuis commodis peramplius favorabiliter consulere volentes, tuis in hac parte supplicationibus inclinati, biennium praedictum ad annum a fine ipsius bionii, infra quod, ut asseris, adhuc existis, computandum, quo durante munus consecrationis praedictum suscipere minime tenearis, nec ad id a quoquam invitus compelli possis, auctoritate praedicta tenore praesentium extendimus et prorogamus, ac dictam ecclesiam propterea non vacare decernimus, Non obstantibus praemissis, ac Lateranensis Concilii et quibusvis aliis Constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon dictae ecclesiae etc. Dat. Romae etc. die v. Martii MDXXXIII. Pont. nostri Anno Decimo.

DCCCXLVIII.

Bernardo Gentili electo Boznensi indulgetur, ut a quocumque maluerit catholico antistite munus consecrationis suscipere possit. Reg. An. X. Brev. Tom. 53. pag. 472.

Dilecto filio Bernardo Gentili Electo Boznensi.

CLEMENS PP. VII. Dilecte fili, salutem etc. Cum nos nuper ecclesiae Boznensi, tunc certo modo pastoris solatio destitutae, de persona tua, nobis et fratribus nostris ob tuorum exigentiam meritorum accepta, de fratrum eorumdem consilio apostolica auctoritate providerimus, teque illi in Episcopum et pastorem praefecerimus, curam et administrationem ipsius ecclesiae tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur: nos ad ea, quae ad tuae commoditatis augmentum cedore valeant, favorabiliter intendentes, tuis in hac parte supplicationibus

inclinati tibi, ut a quocumque malueris Catholico Antistite gratiam et communionem Apostolice Sedis habente, accitis et in hoc sibi assistentibus duobus vel tribus Catholicis Antistitibus similem gratiam et communionem habentibus, munus consecrationis suscipere valeas, ac eidem Antistiti, ut recepto prius per eum a te iuramento nostro et Romane ecclesiae nomine fidelitatis debitae solito inramento, iuxta formam praesentibus annotatam, munus praedictum auctoritate nostra impendore libere tibi possit, plenam et liberam tenore praesentium concedimus facultatem, statuentes et ordinantes, quod si non recepto a te per dictum Episcopum munus huiusmodi impendentem solito iuramento, idem Epus munus praedictum tibi impendere, et tu illud suscipere praesumpseritis, dictus Antistes a pontificalis officii exercitio, et tam ipse quam tu ab administratione tam spiritualium quam temporalium ecclesiarum vestrarum suspensi sitis eo ipso. Forma autem iuramenti huiusmodi, quod praestabis, et quam de verbo ad verbum per tuas patentes litteras tuo sigillo munitas per proprium nuncium quantocius destinare procures, talis est. Ego Bernardus Episcopus Boznensis ab hac hora in antea fidelis et obediens ero beato Petro etc. ut in forma solita. Datum Bononiae etc. die x. Martii MDXXXIII. Pontificatus nostri Anno Decimo.

DCCCXLIX.

Palatinus Hungariae coram pontifice conqueritur de machinationibus Simonis episcopi Zagrabiensis contra Ioannem regem Hungariae. Ex originali Litt. Princip. Tom. X. fol. 62.

Beatissimo in Cristo Patri et Domino, Domino Clementi divina providentia Pape Septimo, Domino mihi Clementissimo.

Beatissime Pater et domine, domine mihi clementissime. Post devota beatorum oscula pedum ac mei humillimam commendationem. Sanctitati Vestre iam planum est a tot annis, quam validis gravibusque plagis tum ab externis hostibus, tum per intestina dissidia post cladem in Mohachi acceptam hoc Regnum attenuetur, enervetur dilacreturque, quibus dominus Simon Episcopus ecclesie Zagrabiensis, qui in episcopali ordine pro sacro Regni Hungarie diademate secundas tenet, non considerans, nec perpendens a s. Rege Stephano Episcopatus Regni Hungarie tot et tam amplis dominiis et possessionibus ideo dotatos, ut presides eorundem impetum et virulenciam fidei catholice subversorum facilius retundere, et ad tramitem vite reducere possent, utque orthodoxorum columne atque propugnacula forent, ac bella veluti fomitem malorum lenirent et sedarent; sed econtra facultates Ecclesiasticas refundens cum validis viribus, necnon ingeniorum machinis plurimorum nobilium bona, que a tot et tantis calamitatibus remanserant, vastando, desolando, plebeos captivando, homines occidendo et sanguinem cristianum effundere siciendo, domos ad capita nobilium succedendo ac illinc extractos in carceres conciendo; tandemque etiam in propria persona adveniens deseviit suamque exercuit tirannidem, cui rei et Serenissimus Princeps et dominus, dominus Ioannes dei gratia Rex Hungarie, Dalmacie, Croacie etc. dominus meus clementissimus, veluti iustus cristianissimusque Princeps, inquantum presens status huius Regni patitur, providit paratumque se providere semper exhibet. Que etiam Sanctitati Vestre veluti summo culmini et moderatori fidei cristiane notum facere volui, quo tempestivius et maturius huic rei providere valeat, quodque apostolico innotescat apici, quid operatur quantamque exercet tirannidem, cuius pocius interesset rebus cristianis et componende paci providere: quare supplico Sanctitati Vestre, ut is provideat, ne dum eciam pestifera contagio Sectarum iam in cristianitate nimis late serpserit, hoc etiam exemplo permoti, dum Epus hec agit, Seculares Regnumque hoc magis inficiatur, quod a multis annis contra persecutores fidei cristianitatis extitit propugnaculum. Et iterum meipsum recommendo Sanctitati Vestre: Quam Deus Opt. Maximus felicem, ac Ecclesie sue statum diu ac votive sospitem et letum conservet. Datum in castro meo Werewczensi vigesima quinta die Aprilis Anno domini 1533.

Eiusdem Sanctitatis Vestre

filius

Ioannes Banffy de Alsolyndwa Comes perpetuus Comitatus de Werewcze ac Regni Hungarie Palatinus.

DCCCL.

Steph. Brodericus pontificem de calamitosis Hungariae rebus certiorem reddit. Ex originali Litt. Princip. Tom. X. fol. 73.

Ad Manus S. D. N. Clementis VII. Pontificis Maximi D. M. Clementissimi.

Beatissime Pater et domine, domine Clementissime. Post pedum oscula beatorum et servitutis mee humillimam commendationem. Feci Vestram Sanctitatem sepe certiorem de rebus nostris Hungaricis

per literas ad dominos Casalios scriptas, et ex Posonio, quo pacis faciende causa conveneramus, ac novissime hinc ex Quinqueecclesiis his diebus proximis: neque nunc aliud scribere possum, nisi rem christianam eo esse deductam, cuiuscumque culpa id acciderit, ut de Regno Hungarie, quod paulo ante vidimus florentissimum ac inter christiana Regna potentissimum, coram Thurcarum Imperatore discetetur, et utrique Regi illius arbitrio sit standum. Adhuc nihil intelligimus, quid de nobis sit decretum. Quicquid erit, conabor Vestram Sanctitatem facere certiorem statim. Ego sub mirabili sidere sum natus occupato per Thurcas Episcopatu Sirmiensi, quem mihi divus Rex Ludovicus cum Cancellariatu dederat, nunc Episcopatum Quinqueecclesiensem teneo, et ipsum Thurcis ad III. vel IIII. miliaria vicinum, adhuc quidem satis insignem, sed magno periculo expositum. Deus Optimus Sanctitatem Vestram semper conservet felicem et incolumem. Ex Quinqueecclesiis 8. Maii 1533.

Eiusdem Vestre Sanctitatis

Humillimus servulus et capellanus
S. Brodericus Sirmiensis mpp.

DCCCLI.

Franciscus de Frangipane ex ordine Minorum pontifici commendat res Ioannis regis, petitque, ut ipsi favent.
Ex originali Litt. Princip. Tom. X. fol. 96.

Beatissimo in Christo Patri et Domino, Domino Clementi VII. Sacrosancte Romane et Universalis Ecclesie Summo Pontifici, Domino meo Clementissimo.

Beatissime Pater et Domine, Domine Clementissime. Post pedum Beatorum oscula et servitutis mee humilem commendationem. Si non me et observantia in sanctam Sedem Apostolicam et obsequium perpetuum in Vestram Sanctitatem movissent, tacuissem utique, nec tam temerarium opus agrederer. Ceterum ea, que dixi, me nedum moverunt, verum et impulerunt, ut Vestre Sanctitati aliqua de hiis, que hic aguntur, scriberem. Cui supplico, velit in eam partem accipere ea, que a me Vestre Sanctitati scribuntur et scribentur in posterum, in quam a me scribuntur et scribentur. Quali inimia superioribus annis affectus sit Serñus dominus meus, dñus Ioannes Hungarie Rex a Vestra Sanctitate et Sede Apostolica, omnibus notum est, quod factu licet illi, qui fuerunt dediti Sanctitatis Vestre, ad latus suae Maiestatis ausserunt processisse magis ex adversariorum impulsu et temporum statu, quam ex Vestre Sanctitatis animo deliberato: tamen in totum ita persuadere potuerunt, quin sua Maiestas non gravi et molesto animo ferret, Regem et Regnum optime de christiana Republica meritum sancte Sedis Apostolice Amicissimum et observantissimum (nam et tunc multo maiorem partem Regni possedit et in presencia possidet) inimicorum furori Vestra Sanctitas subiecisset, et nunquam neque literis neque nunciis suis se vel excusasset, vel aliquo modo sue Maiestati satisfecisset. Cum tamen nuno instet tempus Pacis et concordie, in dies enim experitantur ex Constantinopoli a Caesare Turcharum (ad quem Serñus dñus Romanorum Rex totum negocium Regni Hungarie tanquam ad Arbitrium reiecit) litere, que omnes Articulos Pacis continebunt: monerem humiliter Sanctitatem Vestram, vellet antequam saltem Vestra Sanctitas haberet nova certa de Pace, mittere huc ad huno Regem virum gravem alicuius condicionis nuncium suum (ne sua Maiestas crederet in totum pendere Vestram Sanctitatem ex suis adversariis), qui bonis et paternis verbis demulceret animum sue Maiestatis, et induceret ad filialem amorem et observantiam. Nec in hoc Sanctitas Vestra faceret cuiquam iniuriam, quia Sanctitas Vestra non est pater unius Regis vel dnorum, sed omnium equaliter et maxime in licitis et honestis, et presertim oum per adventum nuncii Sanctitatis Vestre neque accedet neque decedat sue Maiestati de Regno, transierunt enim tempora illa. Accedet tamen multum et Vestre Sanctitati et Sedi Apostolice, quia autoritas Vestre Sanctitatis, que nunc pene nulla est hic, revivisset: habet enim Sanctitas Vestra servitores sinceros (paucos tamen), qui hanc rem sincere promovebunt: cum enim viderit Rex meus et Hungari partem snam sequentes (qui multo plures sunt adversariis) Sanctitatem Vestram curam de eorum salute gerere, et se paterno amore a Vestra Sanctitate prosequi, sicut a predecessoribus Vestre Sanctitatis olim prosequebantur, et ipsi viceversa erga Vestram Sanctitatem et Sedem Apostolicam hii essent, qui fuerunt. Nunc hic per donationem Maiestatis Regie domini mei libere possidetur Archiepiscopatus Colocensis (in ea parte, in qua non est destructus per Turchas), Episcopatus Transilvanus, Waradiensis, Quinqueecclesiensis, Waciensis, Chanadiensis, Boznensis, et omnia ista sacerdocia vacant per mortem, et tum nullus petit a Sede Apostolica confirmari non aliam ob causam, nisi quia vident Sanctitatem Vestram e memoria sustulisse et Regem nostrum et nos. Quale autem incommodum sit tot ecclesias legittimis vacare Pasto-

ribus, Vestre Sanctitatis prudentissimo iudicio committo. Reges, Beatissimo Pater, nolunt nunc regi ut olim Theodosius, et quando vident se contemni, irritantur pocius quam emendantur, et ex hiis nihil sequitur nisi Apostolico Sedis diminutio et contemptus, qui presertim in hoc Regno et hoc tempore non deberet admitti: immo pocius cum ex una parte habeamus Turchas, ex altera Lutheranos, deberent Hungari, qui dure cervicis sunt, omnibus blandimentis unacum Principe eorum in officio contineri: facilius est enim hominum perservare, ne incidat in morbum, quam cum inciderit relovare. Hec, ut supplicavi, iterum supplico, ut eo animo legantur quo scripta sunt. Preterea ego hucusque hic fui in serviciis Christi et huius Regni, quibus periculis me obiectaverim, quidve serviverim, taceo, cum Pax Dei optimi et Turcharum Cesaris voluntate iam in procinctu est: supplico Sanctitati V. velit et ad Serñum meum Regem literas dare et ad me, in quibus et Maiestatem suam Sanctitas Vestra rogatam haberet, ut me dimitteret, et mihi preciperet, ut illico Dei benignitate confecta Pace redire deberem ad prioris vite institutum: nam multe sunt cause, ob quas vix diucius hic manere potero. Et in hoc prostratus supplico Vestro Sanctitati offerens me paratum orare quoad vivam pro Vestra Sanctitate et sancta Sede Apostolica, in cuius gremio et vivere et mori cupio et volo. Et cum hiis me Sanctitati Vestre humillime commendo: Quam Deus Optimus Maximus sanam et felicissimam conservet ad multa tempora. Budae 5. Iulii 1533.

Eiusdem Vestre Sanctitatis

Deditissimum mancipium
Fr. Franciscus de Frangepane ss.

DCCCLII.

Ioannes rex Hungariae pontifici, ut Francisco de Casalis oratori suo fidem adhibeat. Ex originali.

Sanctissimo in Christo Patri Dño Clementi Septimo divina providentia SS. Rom. et Universalis Ecclesiae Summo Pontifici, Domino Colendissimo.

Beatissime Pater et Domine. Post obsequiorum meorum Commendationem. Commisi huic fideli meo Magnifico Francisco de Casalis, Consiliario et Oratori meo, nonnulla vestrae Sanctitati referenda. Rogo igitur vestram Sanctitatem, dignetur verbis eiusdem veluti meis propriis fidem adhibere. Cui me omni debita reverencia commendo: Quam Deus Optimus Maximus pro felici statu atque incremento tocius Reipublicae Christianae diu incolumem ac felicissimam ad vota conservare dignetur. Cui me meaque obsequia ruraus unico commendo. Datis Budae vigesima nona mensis Iulii Anno Dñi Millesimo Quingentesimo Tricesimo Tertio, Regnorum vero nostrorum Anno Septimo.

E(iusdem) V(estre) Sanctitatis

Obsequentissimus filius
Ioannes Rex Hungarie manupp.

DCCCLIII.

Episcopus Sirmiensis pontificem de calamitosa rerum publicarum et fidei in Hungaria conditione certiorem reddit, petitque, ut Ioanni regi favere velit. Ex originali Princip. Tom. X. fol. 108.

Sanctissimo Domino nostro Clementi Septimo Pontifici Maximo, Dño meo Clementissimo.

Beatissime Pater et Domine, Dñe Clementissime. Servitutis meae humilem commendationem ad oscula pedum vestrae Sanctitatis beatorum. Non est opus me de statu horum Regnorum multa ad V. S. scribere, cum omnia ex Dñis Casaliis sit acceptura. Duae erant potissimum res in tota Republica Christiana difficiliores, pro quibus etiam Excellñus Carolus Imperator testatus est se in publico Germaniae Conventu Augustensi in Germaniam venisse: nostrae res Hungaricae, et dogma Luteranum. Res nostrae ad quem statum sint deductae, vestra Sanctitas, ut dixi, intelliget ex Dominis Casaliis. Neque credo Serñum Regem Ferdinandum quicquam iam amplius moturum, sed hiis quae sunt authoritate potentissimi Turcarum Imperatoris, quem ipsemet sibi iudicem elegit, nobis iudicio fratris Eius Serñi contentis, decreta staturum, nisi velit funditus et se et sua omnia ruere, quam mentem Deus optimus illi adimat. Rebus igitur nostris compositis, restant negocia fidei ac religionis, ad quae componenda vestram Sanctitatem totis viribus aduiti decet, nisi velit reliquum etiam christianum orbem paulatim a sacrosancta Sede Apostolica et a se deficere. Id enim futurum manifeste video, nisi vestra Sanctitas vel Concilio faciendo, vel aliquo alio modo quamprimum subveniat. Iam scita Lutheri et eorum, qui eum sequuntur, sensim totam fere Hungariam pervadunt: in aliquibus vero locis, maxime Serño adhuc Ferdinando Regi

parentibus, coeperunt omnia iuxta illius dogma fieri et praedicari. Sacerdotes palam uxores ducunt: Indulgentiae, dispensationes et alia huiusmodi, quae aliquando in principio fuerunt, contemptui habentur. Nec scimus nos, qui Sedis Apostolicae summus observantes, quid ad talia respondere, vel quo pacto illorum opinionem refellere: nam si dicamus sanctius esse et Deo acceptius sacerdotes (quod fere ubique fit) scorta quam uxores habere, ut longe turpiora taceantur, nescimus quam pie id asseverare possimus.

Non defuerunt superioribus mensibus, id quod mihi certo constat, qui nomine Sanctitatis vestrae Indulgentias et dispensationes hic in Hungaria circumferrent, et non aliter, quam quaevis vilissimae merces vendi solent, nundinarentur, nostris talia non deridentibus solum, sed et palam detestantibus. Quidnam et istis respondeamus? cum iam omnibus sit illud in ore: Gratis accepistis, gratis date. Quod si vim eis et incendia minemur, quid nimus christianum, quid protinus ad haec recurrere? Principes etiam nostri non ita facere ad vim talibus inferrendam induci possunt, quod et ipsi intelligere coeperunt, multa esse in usum christianum recepta, quae vel aboleri vel certe immutari deberent. Omnes intelligunt Concilio esse opus et multarum rerum restauratione.

Taceo de hiis, quae de abusibus Sedis Romanae ubique praedicantur: ommitto, quae de tanta beneficiorum, aliorum super alia congerie, de nulla animarum, sed tantum de proventuum et corporum cura iactantur. Praeterea neminem pene esse in toto christiano orbe Antistitem in tot opulentissimis, et Croesi divitiis equantibus Ecclesiis, qui verbum Dei, ad quod Episcopi et Sacerdotes sunt ordinati, doceat. Charta me deficeret, si vellem vel partem eorum, quae nobis et maxime Sedi Apostolicae obiiciuntur, recensere. Igitur amore Dei omnipotentis vestra Sanctitas cum suo Cardineo Senatu aliquam rationem inire velit alicuius medelae ad talia aliena ulcera sananda adhibendae, quae nisi antidote quopiam quamprimum sanentur, crumpent, mihi crede, Beatissime Pater, ne ultra obducta teneri potcrunt, vereor ne cum totali diviciarum nostrarum ruina(sic). Melius esset mea quidem et multorum bonorum, cum quibus ista soleo interdum mussitare, sententia, partem cedere volentes, quam ut totum nolentibus et invitis eripiatur. Quod Hungaria dogma Lutheri nondum palam receperit, V. S. et Sedes Apostolica nulli hoc debet, nisi nostro Sermo Principi et eius modestiae ac bonitati, qui licet a Sede Apostolica repudiatus et ab ea indignissime habitus, dot tamen omnem operam, ne quid in Regno suo innovetur: sed et ipse Concilium suspirat. Vereor et illud, ne dum Sedes Apostolica differt, Principes ipsi vel simul vel quisque in suo Regno Concilium faciant: quod multi ut viri quidem Catholici non cessant auribus Principum assidue instillare. De hiis volni pro mea in Sedem Apostolicam fide ac devotione, in vestram autem Sanctitatem singulari observantia et animi deditissimi propensitate vestram Sanctitatem humiliter admonere: quae, supplico, sicut proficiscuntur ex sincero, bono et christiano corde, ita boni aequique consulere dignetur. Et Sanctitatem vestram Deus Opt. Max. diu salvam et incolumem conservet. Datae Budae die prima mensis Augusti Anno Domini M.D.XXXIII.

Eiusdem Vestrae Sanctitatis

Humillimus servulus et capellanus
STEPH. BRODERICUS SIRMIENSIS.

DCCCLIV.

Episcopo Sirmiensi pontifex ad eius litteras de Lutheranis respondit. Reg. An. X. Brev. Tom. 53. fol. 1241.

Venerabili fratri Stephano Broderico Episcopo Sirmiensi.

CLEMENS PP. VII. Venerabilis frater, salutem etc. Pacificatio istorum Principum perniciosissimarumque discordiarum compositio, quam antea ex pluribus, proxime vero ex tuis litteris accepimus, tantam nobis voluptatem attulerunt, quantam res optatas ..... non solum in istis Regnis, verum etiam toti Reipublicae Christianae apprime salutaris ac necessaria afferre potuit. Nunc autem Deum orare non desistimus, ut quemadmodum sua admirabili ac plane ..... beneficium nobis universis abstulit, ita id et perpetuum esse, et quod reliquum est, ad exitum perducere velit. Quae autem de haeresi Lutherana ..... commemoras, atque rogas, ut in istam curam incumbamns atque aliquod remedium labenti religioni afferamus: Nos quidem istae ..... proficisci certo scimus, teque valde collaudamus, quod in tanto locorum temporumque intervallo tuae erga nos observantiae, nostraeque vicissim in te voluntatis memoriam retineris, et in ..... ac pertnrbatione omnis divini humanique iuris tuam pristinam pietatem, ac religionem etiam auxeris. Sed profecto te latere non debet, qui non modo haec publica, quae in oculis atque conspectu omnium provisa atque elaborata a nobis sunt, vidisti, sed etiam pro tua nobiscum veteri familiaritate ex nostris gravissimis sermonibus totum sensum animumque no-

strum perspicere potuisti, neminem omnium esse, qui istiusmodi adhortationibus ac monitis minus loci reliquerit. Quid enim tot iam annos aliud agimus, in quo omne nostrum studium, cura, mens, vita denique consumitur? nisi ut hanc turbulentissimam tempestatem discutiamus. Quid molestiae, quid laboris, quid periculi non subiimus, ut communi tranquillitati atque omnium saluti consuleremus? Nonne hoc ipso tempore difficillimum iter praeter aetatem et valetudinem nostram suscepimus, ut Domino potius et Christianae Reipublicae, quam nostris commodis aut hominum inanis opinionibus serviamus? Quod quidem iter, eiusdem Domini bonitate et misericordia freti, speramus omnibus Christianis utile atque salutare futurum. Nam de Concilio, quod suades, quodque ab omnibus bonis efflagitari dicis, Nos semper ita sensimus, turbulentis temporibus in seditionibus atque haeresibus nullum nec maius, nec magis praesens auxilium quam legitime atque Spiritus Sancti instinctu vocati Concilii inveniri posse: sed tamen iisdem et rationibus et exemplis superiorum in utramque partem adducti perspicimus, id quod nemo negare potest, quantum sit in recte atque ordine habito Concilio boni, tantumdem autem etiam multo plus esse in temero atque ex hominum cupiditato, non ex Dñi honore ac timore coacto mali. Itaque et a principio nostri Pontificatus nunquam destitimus hortari atque suadere Christianis Principibus, (ut) nobiscum et inter se ad sublevandam rom Christianam ac religionem tuendam conspirarent, et his proximis mensibus nuncios ad omnes fere Principes cum his tantum mandatis de suadendo Concilio misimus, neque omnino aliud aut curamus aut cupimus, ut si unquam id efficere poterimus, satis nos diu vixisse, atque amplissimum nostrarum omnium vigiliarum fructum cepisse arbitraturi simus. Quas nostras actiones ac cogitationes ad te non esse perlatas, hominem in rebus gerendis versatum, valde miramur. Si perlatae sunt, multo etiam magis miramur te isto ingenio, ista doctrina, tanto etiam rerum usu magis imperiti vulgi rumoribus, aut etiam iniquorum criminationibus, quam aut nostra constantia, aut tuo ipsius consonsu commoveri, atque haec eadem do Sedis huius Sanctae (quos vocas) abusibus et vere et recte respondi possunt. Quis enim non videt totam istam criminationem a malevolis atque ab haereticis confictam esse opprimendae Ecclesiae causa, ut cum simulatione exagitandae vitae Praelatorum se in aures multitudinis insinuarint, repento in sacra atque in ipsum Dominum impietatis suae venenum expromant. Nos quidem non negamus, quin graviter etiam dolemus, esse homines in hac Urbe nonnullos malos, qui neque hominis Christiani, neque viri boni officiis saepe fungantur, minimeque digni sint non modo dignitate ulla, verum etiam hoc solum nomine Christiani. Sed tu nobis, qui in hac Urbe complures annos vixisti, idem optimus testis esse potes, neque ita esse eos multos, ut invidia ferat, et in caeteris bonis non pauciores, ac saepe etiam multo deteriores inveniri. Quare erit officium tuum, cum eiusmodi hominibus ac sermonibus posthac occurreris, quod tamen te fecisse assiduo scribis, et nos certo credimus ..... neque pati homines imperitos ab impiorum calumniis everti, sed cum doctrina atque prudentia, tum autem, quae in te magna sunt ..... omnino esse docebis. Si qua vero etiam vera sint, non esse tamen eiusmodi, ut etiam ad innocentium et integrorum hominum infamiam et labem permanere ..... caeteris fraudi esse non debeant. Ut haec ipsa, quae scribis de divenditis Indulgentiis ac dispensationibus, quae nobis certe inscientibus atque invitis omnia fiunt: neque satis mirari possumus, quomodo istae litterae sint ablatae, ut suspicari cogamur, eos in re improba nostro titulo ac nomine falso abuti. Quare te hortamur, ut si quem posthac eiusmodi molientem nactus sis, des operam, ut quantum possit, comprehendatur ac diligentissime custodiatur, ut causa cognita statui pro meritis do illo possit, ne et re animae suae et exemplo caeteris perniciem in posterum afferat. Quod autem scribis de vigilantia et studio ipsius Principis tuendae fidei et haeresum propulsandarum, nobis gratissimum est, ut debet, optantes ac in Domini benignitate sperantes brevi fore, ut sicut inviti et officio nostro coacti ad ea devenimus, quae nobis rerum qualitas ac temporum necessitas imposuit, ita subsecuta, quam scribis, et nos summe cupimus, pacificatione, ad pristinam nostram in illum benevolentiam et paternum amorem libentissime revertamur. Datum Romae etc. die III. Septembris MDXXIII. Pontificatus nostri Anno Decimo.

DCCCLV.

Ioannes rex Hungariae pontifici, ut suo oratori fidem adhibeat. Ex originali — Instrum. Miscell.

Sanctissimo in Christo Patri Domino Clementi Septimo divina providencia SS. Romanae et Universalis Ecclesiae Summo Pontifici, Domino Colendissimo.

Beatissime Pater, domine colendissime. Post mei commendationem. Significavi vestrae Sanctitati nonnulla medio Magnifico Francisci de Casaliis Oratoris et Consiliarii mei, quae Sanctitas vestra

ab ipso diffusius intelliget. Rogo igitur vestram Sanctitatem, dignetur verbis ipsius tamquam meis propriis fidem indubiam adhibere. Et me vestrae Sanctitati plurimum commendo: Quam Deus conservet semper felicem ac incolumem. Datum Bude decima die Decembris Anno Domini M.D.XXXIII. Regnorum vero meorum Anno Octavo.

Eiusdem Vestre Sanctitatis

Devotus filius
IOANNES REX HUNGARIE manupp.

DCCCLVI.

Episcopus Sirmiensis pontifici spondet se nihil omissurum, ut avita fides sarta tectaque in Hungaria remaneat.
Ex originali Litt. Princip. Tom. X. fol. 185.

Sanctissimo Domino Nostro, Domino Clementi VII. Pontifici Maximo,
Domino mihi semper Clementissimo.

Beatissime Pater et Domine, Domine mihi Clementissime. Post servitutis mee ad oscula pedum Sanctitatis V. humillimam commendationem. Expedito iam hoc Secretario et Nuncio Regio D. Andrea Corsino, supervenerunt ad me litere V. Sanctitatis de negocio Luterano, de quo ego nullam aliam ob causam scripseram ad Vestram Sanctitatem, quam ut Vestra Sanctitas simul cum Sapientissimo Senatu dignaretur in tempore providere hiis rebus, hoc morbo intantum ubique exaggerato: et nunc quoque hoc idem tamquam humillimus servulus Vestre Sanctitatis et isti sacrosancte Sedi addictissimus consulo. Necnon quomodocumque est Vestra Sanctitas de hoc edocta, malum assidue serpit, et alteriores radices agit. Rationes, quas Vestra Sanctitas commemorat, non nego esse optimas et validissimas: sed nihil a nobis adduci potest tam firmum et solidum, cui illi Evangelio et divi Pauli scriptis non occurant. Pro Concilio autem quantum instent et elaborent, nemini debet esse magis cognitum, quam Vestre Sanctitati. Non defuerunt nec desunt, qui hic quoque vehementer urgeant hunc Regem Dominum meum Clementissimum, ut si alii Principes cessant, ipse saltem in Regno ac dicione sua hanc rem discuti faciat, et quod verius et christiane puritati magis vicinum et consentaneum esse cognoverit, illud amplectatur. Que res his eciam diebus magna contencione coram eius Maiestate est acta, hoc ipso eciam Nuncio presente et audiente. Itaque Vestra Sanctitas amore dei adhibeat ad componendum huiusmodi controversias illa remedia, que ei videntur magis opportuna: quia res ista quanto magis non curatur, tanto magis invalescit.

Ego cum Rño domino fratre meo, domino Colociensi nihil omittam, quod a me fieri poterit in Rego hoc et Regnicolis in devocione Sancte Sedis et V. Sanctitatis retinendo. Et hoc eciam eo alacrius, diligencius ac libencius, quod vehementissime cuperemus hunc Pontificatum V. Sanctitatis non solum ab omnibus huiusmodi controversiis videre vacuum, sed rebus eciam omnibus aliis pacatissimum et florentissimum ob privatam meam et incredibilem erga Vestram Sanctitatem affectionem et observanciam. De pace inter hos principes nihil nunc aliud habeo, quam quod is ipse dominus Nuncius refert, aut domini Casalii: poterit, de hiis que scribo, Vestra Sanctitas et a domino Paulo Zondino Penitenciario Apostolico, quando ad eam redierit, edoceri, qui multis interfuit, et oculis vidit ea que hic aguntur, et que a Sedo Apostolica et a toto nostro ordine desiderantur. Me et servitutem meam in gratiam Vestre Sanctitatis humillime commendo: Quam Deus conservet felicissimam et sospitem. Bude 10. Decembris 1533.

Eiusdem Vestre Sanctitatis

Humillimus servulus et capellanus
STEPH. BRODERICUS SIRMIENSIS.

EPISTOLAE PAULI PP. III.

DCCCLVII.

Ferdinandus rex Romanorum etc. commendat pontifici archiepiscopum Strigoniensem, ut ipsi annatas remittat.
Ex originali — Instrum. Miscell.

Beatissimo in Christo Patri et Domino, Domino Paulo Tercio Sacrosancte Romane ac Universalis Ecclesie Summo Pontifici, Dño nostro Revño.

Beatissime in Christo Pater et dñe, dñe Reverendissime. Post humilem commendacionem filialis observancie nostre continuum incrementum. Obtinuerat his annis superioribus commendacione nostra a Sancta ista Sede Apostolica munus consecracionis Revñus in Christo pater dominus Paulus Archiepus Strigoniensis, qui ut Sedem eandem et vestre Sanctitatis auctoritatem reverenter colit et observat, paratus erat annate pensionem Camere Apostolice debitam, ut par erat, exolvere, nisi interim variis atque acerrimis bellorum tempestatibus Regnum nostrum Hungarie fuisset exagitatum, omniaque Ecclesie sue commoda ad eam tenuitatem redacta essent, ut ne dum aliis suppeterent oneribus, sed vix eciam suum Antistitem alere potuerint, adeo ut ipsam quoque Arcem Strigoniensem non ex eius dissipatis et perditis emolumentis, sed nostro presidio nostrisque stipendiis adversus Thurcarum impetum, et diuturnam oppugnacionem Regno Hungarie ac nomini christiano ad hunc usque diem serva verimus. Attenuatis igitur hunc in modum redditibus dicte Ecclesie, conficere eam summam, quam debebat, dominus Strigoniensis non potuit, sed ne nunc quidem ex his reliquiis mediocribus poterit. Quamobrem rogamus Sanctitatem vestram, ne gravetur eum hac pensione clementer habere exoneratum: audire enim potuit Sanctitas vestra, Arcem Strigoniensem non parvi esse momenti ad hostium impetus retardandos, seu flumine seu terra velint ascendere: fuit autem anno abhinc tercio, tunc cum Thurce tantis copiis Regna nostra invaserant, Arx obsessa, ac diu et acriter oppugnata, turres et menia partim tormentis bellicis, partim cuniculis suffossionibusque et pulvere subiecto labefactata et deiecta, ita ut magnum periculum sit Arcem nobilem primo quoque tempore non refici atque instaurari. Paciatur itaque Sanctitas vestra illam pecuniam, que annate nomine solvenda esset, in hos tam pios et necessarios instaurande Ecclesie et Arcis sumptus studio domini Strigoniensis converti. Quod non uni tantum Hungarie multum proderit, sed aliis quoque vicinis christianorum Regnis perutile futurum est. Sanctitatem vestram feliciter valere optamus. Datum Vienne vigesima Novembris Anno domini Millesimo quingentesimo tricesimo quarto, Regnorum nostrorum Romani Quarto, reliquorum vero Nono.

Eiusdem Sanctitatis Vestre

Humilis et obsequens filius
FERDINANDUS.

DCCCLVIII.

Ioannes rex Hungariae supplicat pontifici, ut episcopum Agriensem cardinalem creare velit. Ex originali in archivo generali Florentino asservato — Carte Cervini Filza XXVI. fol. 23.

Sanctissimo Domino Nostro Pape.

Beatissime Pater, Post oscula pedum beatorum et filialem commendationem. Suplico Vestre Sanctitati, velit unum ex meis Consiliariis, Rñum in Christo patrem Franciscum de Frangepanibus, vestre Sanctitati, ut credo, notum, cui ego contuli hic Episcopatum Agriensem, creare Cardinalem et in hac prima petitione mihi gratificari. Offero Vestre Sanctitati virum utilem Sedi Apostolice, et qui poterit usui esse Vestre Sanctitati, et ego vicissim pro Vestra Sanctitate maiora faciam. Hec res licet sit magna in se, tamen Vestre Sanctitati est factu facilis et facillima: quam si Vestra Sanctitas, ut spero, faciet, profecto faciet mihi rem longe gratissimam, pro qua semper studebo Vestre Sanctitati obsequi, que felicissime valeat: Cui me et regna mea commendo, rogans, ut curam mei habeat peculiarem. Cetera

nomine meo referent Magnifici viri de Casaliis Gregorius et frater Orator meus, quibus Vestra Sanctitas fidem adhibeat indubiam. Quam Dominus Deus conservet ad vota. Waradini XV. Martii 1535.

Eiusdem Vestre Sanctitatis

Devotus filius
IOANNES REX HUNGARIE manupp.

DCCCLIX.

Ioannes rex Hungariae Romanorum imperatori, ut archiepo Colocensi et episcopo Sirmiensi oratoribus suis fidem adhibeat.
Ex originali apud Lanz: „Correspondenz des Kaisers Karl V." Tom. II. fol. 207.

Excellentissimo principi domino Carolo quinto divina favente clemencia Romanorum imperatori semper augusto, necnon Germanio, Hispaniarum, utriusque Sicilie et Hierusalem regi etc. amico maiori nostro honorandissimo, Ioannes doi gratia Hungarie, Dalmacie, Croacie otc. rex, salutem et omnis felicitatis continuum incremontum. Excellentissime princeps, domine amice maior noster honorandissime, in certis arduis et nostris et totius reipublice christiane negociis mittimus ad vestram sacram cesaream et catholicam maiestatem hos fideles et primarios consiliarios nostros presencium ostensores, reverendos in Christo patres dominos Franciscum comitem de Frangepanibus, Colocensis et Bachiensis ecclesiarum canonice unitarum archiepiscopum et electum ecclesie Agriensis, necnon Stephanum Brodericum episcopum Sirmiensem et postulatum ecclesie Quinqueecclesiensis. Rogamus itaque vestram sacram cesaream et catholicam maiestatem, velit dictorum oratorum nostrorum et commissariorum verbis fidem indubiam adhibere, perinde ac nostris propriis: omnia enim, que sacre vestre catholice et cesaree maiestati nomine nostro dicturi sunt, a nobis dicenda acceperunt, et maiestas vestra sacra ad ea pro salute religionis christiane se accomodare dignotur. Quem deus optimus diu felicissimam conservet. Varadini vicesima secunda die novembris anno domini M.D.XXXV. regnorum vero nostrorum anno decimo.

IOANNES REX HUNGARIE manupp.

DCCCLX.

Idem Ioannes pontifici supplicat, ut Ioannem Statilium electum Transilvanensem confirmet, et Nicolao archidiacono Quinqueecclesiensi fidem adhibeat. Ex originali.

Sanctissimo in Christo Patri, domino Paulo Tercio Sanctae Romanae et Universalis Ecclesiae Summo Pontifici, domino Colendissimo.

Beatissime Pater, domime Colendissime. Post oscula pedum et filialem nostri commendacionem. Meminimus eciam alias apud Sanctitatem Vestram egisse, quo Ecclesias istius Regni nostri non derelinquerot, fidolemque nostrum Reverendum Ioannem Statilium electum Episcopum Transilvanonsem in suo Episcopatu confirmaret. Supplicamus igitur nunc quoque Sanctitati Vestrae, ut pro ea affectione nostra, qua erga Sanctitatem Vestram ducimur, dictum Ioannem Statilium in eo Episcopatu, quom ex collacione nostra possidet, confirmare dignetur: quod nos omni obsequio filiali Sanctitati Vestrae recognituri sumus. Quicquid vero fidelis noster Venerabilis Nicolaus Archidiaconus Quinqueecclesiensis, Secretarius noster, nomine nostro Sanctitati Vestrae dixerit, fidem certam verbis eiusdem Sanctitas V. adhibere dignetur. Quam Deus Optimus Maximus pro incremento Reipublicae Christianae felicissimam conservet. Waradini decimaquarta die Ianuarii Anno Dñi M.D.XXXVI. Regnorum vero nostrorum decimo.

Eiusdem Vestre Sanctitatis

Devotus filius
IOANNES REX HUNGARIE manupp.

DCCCLXI.

Benedicto Malvitio electo Salonensi indulgetur, ut a quocumque antistite catholico munus consecrationis suscipere possit.
Ex Reg. An. II. Autograph. Tom. 2. fol. 122.

Dilecto filio Benedicto Malvitio Electo Salonensi.

PAULUS PP. III. Dilecte fili, salutem etc. Cum dudum ecclesie Solonensi certo tunc expresso modo pastoris solatio destitute de persona tua per quasdam duxerimus providendum, praeficiendo te illi in Episcopum et pastorem, et doinde tibi, quod ad ecclesiam prefatam, que in partibus infidelium existit, accedere, et apud eam personaliter residere minime tenereris, quodque postquam munus consecratianis suscepisses, ut in Civitate et diocesi Strigonionsi de Venerabilis fratris Archiepi Strigoniensis

consensu pontificalia exercere libere et licite valeres, per alias sub plumbo litteras indulserimus, prout in illis plenius continetur; et sicut exponi nobis nuper fecisti, cupias conscorationis munus, ad quod ratione dicte ecclesie teneris, tibi impendi, et in civitate Strigoniensi, in qua existis, seu ad quam propediem ire intendis, requisitus ad huiusmodi munus impendendum Episcoporum numerus commode haberi non possit: Nobis humiliter supplicari fecisti, ut in praemissis oportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur huiusmodi supplicationibus inclinati tibi, a quocumque malueris catholico Antistite, gratiam et communionem Apostolice Sedis habente, assistentibus sibi uno alio Episcopo, si haberi poterit, et uno Abbate, alias duobus Abbatibus usum mitre et baculi ex concessione apostolica habentibus, munus predictum alias tamen rite suscipere libere et licite possis et valeas, concedimus et indulgemus, ac Antistiti, Episcopo et Abbatibus predictis munus ipsum tibi, ut prefertur, impendi licentiam et facultatem elargimur per presentes, Non obstantibus praemissis ac in provincialibus et sinodalibus et aliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, necnon dicte ecclesie etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Rome etc. die XIX. Aprilis MDXXXVI. Pontificatus nostri Anno Secundo.

DCCCLXII.

Episcopo Polensi, ut pro Petro Paulo Vergerio electo Modrusiensi possessionem huius ecclesiae capiat, eamque, eum litteras apostolicas provisionis suae exhiberit, eidem libere dimittat. Ibidem fol. 346.

Venerabili fratri Ioanuibaptistae Episcopo Polensi.

Paulus PP. III. Venerabilis frater, salutem etc. Nuper ecclesiae Modrusiensi tunc per obitum bonae memoriae Symonis Episcopus Modrusiensis, extra Romanam Curiam defuncti, pastoris solatio destitutae de persona dilecti filii Petri Pauli Vergerii Clerici Iustinopolitani, familiaris nostri, nobis et Venerabilis fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus ob suorum exigentiam meritorum grata et accepta, de eorumdem fratrum consilio apostolica auctoritate providimus, ipsumque illi in Episcopum praefecimus et pastorem, curam, regimen et administrationem ipsius ecclesiae sibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, prout in aliis nostris sub plumbo propediem expediendis litteris latius apparebit. Volentes autem providere, ne dum litterae huiusmodi expediuntur, dicta ecclesia iu spiritnalibus aut temporalibus detrimentum aliquod patiatur, et ipsius mensae Episcopalis fructus, redditus et proventus dissipentur, tibi per praesentes committimus et mandamus, ut dictae ecclesiae possessionem per te vel alium seu alios, amoto exinde quovis detentore, capias, et illius mensae Episcopalis fructus capias et colligas ac conserves, consignandos postea cum dicta possessione eidem Petro Paulo vel eius procuratori, cum litteras sub plumbo praedictas tibi exhibuerit vel exhiberi fecerit expeditas, Contradictores per ceusnras ecclesiasticas et alia oportuna iuris remedia, appellatione postposita, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis, Non obstantibus constitutionibus et ordiuationibus apostolicis contrariis quibuscumque, seu si aliquibns etc. Volumus autem, quod dictus Petrus Paulus litteras sub plumbo praedictas infra sex menses a data praeseutium computandos in totum expedire, et iura Camerae Apostolicao ac aliis propterea debita persolvere teneatur, aliter praesentes nullae sint. Datum Romae etc. die XXIV. Maii MDXXXVI. Pontificatus nostri Anno Secundo.

DCCCLXIII.

Episcopo Dulcinensi et Budensi, ut ante expeditas suae provisionis litteras apostolicas possessionem suae ecclesiae apprehendere, omniaque iura episcopalia exercere possit. Ibidem fol. 239.

Venerabili fratri Iacobo Episcopo Dulcinensi.

Paulus PP. III. Venerabilis frater, salutem etc. Cum felicis recordationis Clemens Papa VII. praedecessor noster in consistorio suo secreto ecclesiae Dulcinensi, tunc per liberam cessionem Venerabilis fratris Petri tunc Episcopi Dulcinensis in eiusdem Clementis praedecessoris manibus factam, et per eum admissam, pastoris solatio destitutae de persona tua de fratrum suorum, de quorum numero tunc eramus, consilio et assensu providerit, teque illi in Episcopum praefecerit et pastorem, curam, regimen et administrationem ipsius ecclesiae Dulcinensis tibi in spiritualibns et temporalibus plenarie committendo, ac Dulcinensem praedictam ac Budensem, cui tunc preeras, ecclesias ad vitam tuam invicem unieudo, prout in litteris apostolicis sub plumbo propediem expediendis latius apparebit: Nos, ne dnm litterae huiusmodi expediuntur, dicta ecclesia Dulcinensis in eisdem spiritualibus et temporalibus aliqua

detrimenta sustineat, providere ac tuis commoditatibus favorabiliter consulere volentes, Tibi, ut eisdem litteris praedictis non expeditis, vigore praesentium possessionem seu quasi regiminis et administrationis dictae ecclesiae Dulcinensis, ac illius bonorum apprehendere, et quae iurisdictionis episcopalis existunt, exercere, ac illius mensae episcopalis fructus, redditus et proventus percipere et levare libere et licite valeas, auctoritate apostolica tenore praesentium indulgemus, mandantes dilectis filiis Capitulo et Vassallis ipsius ecclesiae, ac Clero et populo civitatis et diocesis Dulcinensis, ut tibi tamquam patri et pastori animarum suarum humiliter intendentes, tua salubria monita et mandata suscipere et efficaciter adimplere, ipsique Vassalli consueta servitia et iura tibi ab eis debita integre exhibere procurent, alioquin sententiam sive penam, quam rite tuleris sive statueris in rebelles, ratam habebimus, et faciemus, auctore Domino, usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari, Non obstantibus fel. recordationis Bonifacii Papae VIII. praedecessoris nostri, quae incipit, Iniuncti, et quibusvis aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac dictae ecclesiae iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, caeterisque contrariis quibuscumque. Volumus etiam, quod infra annum a data praesentium computandum litteras apostolicas super provisione et praefectione huiusmodi sub plumbo in totum expedire, ac iura Camerae Apostolicae ac aliis propterea debita persolvere omnino tenearis, alioquin tempore huiusmodi elapso, provisio et praefectio praedictae nullae sint, dictaque ecclesia vacare censeatur eo ipso. Datum Romae apud S. Marcum sub Annulo Piscatoris die XX. Iunii MDXXXVI. Pontificatus nostri Anno Secundo.

DCCCLXIV.

Ferdinandus Romanorum rex commendat pontifici Petrum Paulum Vergerium pro sede Iustinopolitana. Ex originali.

Beatissimo in Christo Patri et Domino, Domino Paulo III. Divina Providentia Sacrosancte Romane et Universalis Ecclesie Summo Pontifici, Domino nostro Reverendissimo.

Beatissime Pater et Domine, Domine Reverendissime. Post humilem commendacionem filialis observancie nostre continuum incrementum. Iamdudum optavimus nobis occasione dari, qua potuissemus Reverendissimo devoto sincere nobis dilecto Petro Paulo Vergerio, qui apud nos Sanctitatis vestre Nuntius per triennium fuit, animi nostri erga se propensionem declarare: quem sane in rebus publicis et Religionis negotiis, et presertim in causa Concilii prudentia, fide ac diligentia singulari fuisse cognovimus, dignum arbitramur, in quem commoda et honores conferantur. Verum quoniam nobis hactenus occasio nulla contigit benefaciendi sibi, interim a Sanctitate vestra petendum duximus, ut in nostri gratiam virum illum bonum et prudentem benigne adiuvare dignetur. Intelleximus enim Episcopatum Iustinopolitanum propediem vacaturum, aut iam forsan vacasse. Quem cum ab hoc homine vehementer optari non ignoramus, quippe qui sit locus patriae suae, ubi studiorum suorum sedem se constitutam habere non immerito cupiat: quapropter Beatitudinem vestram qua decet reverencia rogamus, ut hac oblata occasione nostrum de Vergerio illo iudicium comprobare, atque nostra quidem sententia hac promotione et maiori etiam dignissimo iam dictum Episcopatum clementer conferre dignetur. Id quod nobis certe gratissimum futurum est, omni nostra in eam filiali observantia promerendum: Cui nos humiliter et devote commendamus. Datum in Oppido nostro Insprugg die XXVI. mensis Augusti, Anno Domini M.D.XXXVI. Regnorum nostrorum Romani sexto, aliorum vero decimo.

Eiusdem Sanctitatis Vestrae

Humilis et obsequens filius
FERDINANDUS.

DCCCLXV.

Petrus Paulus Vergerius a Modrusiensi ecclesia ad Iustinopolitanam transfertur. Ex Reg. Autogr. Tom. 3. fol. 226.

Dilecto filio Petro Paulo Vorgerio Electo Iustinopolitano, Praelato nostro domestico.

PAULUS PP. III. Dilecte fili, salutem etc. Nuper te a vinculo, quo ecclesiae Modrusiensi, cui tunc certo modo pastoris solatio destitutae de persona tua providcramus, licet illius regiminis et administrationis possessionem vel quasi nondum adeptus fores, tenebaris, absolventes ad ecclesiam Iustinopolitanam, tunc per obitum bonae memoriae Defendis olim Episcopi Iustinopolitani extra Rom. Curiam defuncti vacantem, de Venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium consilio et assensu trans-

talimus, praeficiendo te eidom ecclesiao Iustinopolitanae in Episcopum et pastorem, ac curam, regimen et administrationem ipsius ecclesiae tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, prout in aliis nostris sub plumbo propodiem expediendis litteris latius apparebit. Providere etiam volentes, ne dum litterae praedictae expediuntur, eadem ecclesia Iustinopolitana in spiritualibus aut temporalibus detrimentum aliquod patiatur, aut illius mensae fructus, redditus et proventus dissipentur, tibi per te vel alium seu alios possessionem vel quasi regiminis, et administrationis dictae ecclesiae Iustinopolitanae vigore praesentium capiendi et illam continuandi, ac illius mensae fructus, redditus et proventus colligendi, percipiendi, levandi, ac in tuos usus et utilitatem convertendi auctoritate apostolica tenore praesentium licentiam et facultatem concedimus, Mandantes dilectis filiis Capitulo et Canonicis dictae ecclesiae, necnon Clero et populo Iustinopolitanis, ut te tamquam animarum suarum pastorem recipiant, tuaque salubria monita adimpleant, Colonis vero ac Vassallis eiusdem ecclesiae, ut debita ac consueta servitia tibi exhibeant, et do dictis fructibus, redditious et proventibus integre responsdeant, aliter sententiam, quam in eos rite tuleris faciemus, auctore Domino, inviolabiliter observari. Non obstantibus etc. Datum Romae apud Sanctum Petrum etc. die x. Septembris MDXXXVI. Pont. nostri Anno Secundo.

DCCCLXVI.

Ioannes electus archiepus Lundensis Carolum V. Romanorum Imp. certiorem reddit de iis, quae eius nomine ad concliandam pacem inter Ioannem et Ferdinandum Hungariae reges egerat. Ex orig. apud Lanz loc. cit. pag. 241, 256 et 261.

Sacratissima caesarea et catholica maiestas, domine clementissime.

Decimo tertio die monsis proteriti novissime ad vestram sacratissimam cesaream et catholicam maiestatem scripsi, gravissima ot continua me febre laborare. In tantum etiam imperitorum medicorum pharmaca et febris continua me extenuarunt, ut in quartum diem a medicis derelictus, ac de vita desperantibus omnibus, solius dei optimi bonitate valetudini utcumque restitutus sum, quod medicis impossibile visum est: nam toxico me infectum fuisse iudicabant. A febre liberatus paulisper vires resumpsi, et die XXIX. mensis Iulii tractatus inceptos denno (licet decumbens) ad meam importunam instantiam incepimus. Ac, ut brevi dicam, conatur wayvoda omni fraudis genere negotium pacis huiusmodi eo usque prorogare, donec oxitium belli Gallici videat; interim me verbis alere nititur. Cui ego palam et sepius dixi, intelligere me causam prorogationis suo, et ut illum ad tractandum inducerem, dixi, a maiestate vestro alia negotia in Germania exequenda mihi commissa, eo proficisci velle, nec amplius frustra hic expectare. Ille versipelli sua natura mille modos exquisivit, promisit multa, servat nichil, nec pudet illum promissa non servare. Interim miris nugis (cum veniam dixerim) consiliarios et alios subditos ipsius in serenissimi Romanorum regis odium incitat, atque (quod deterius est) hiis modis rem suam cum regie maiestatis subditis agit, quos precio et promissionibus ad deficiondum invitat. Scribit et dicit maiestatem vestram ad eum oratorem mississe rogatum, ut pacem cum serenissimo Ferdinando rege faciat, quam tandem facere cogitur, si illum deserere velint. Verum ipsi Hungari perpendant, quod ius eligendi regem perpotuo amittant, libertatem omnem perdant sub Germanorum regimine, in futurum tanquam servi subiecti erunt, et similia: si vero illi adherere velint, habere ipsum Turcarum imperatorem, amicitie cuius presidio regnum in sua libertate proservaro possit, habere pecuniam numeratam ad tuendum regnum necessariam: Ferdinandum vero regem Turcarum imperatori esse exosum, quem regem in Hungaria ferre nollot, nec illum pecuniam habere, quibus eos defendat. Idcirco, si ad eius devotionem et subiectionem redierint, Ferdinandum regem ex toto regno propellere, et non solum, quae ad regnum pertinent, recuperare, sed regni limites extendere et augmentare brevi et posse et velle. Interim maiestatis regiae subditis arces, praeterea pecuniam paratam, quibus hoc ominum genus facillime capitur, offert, et tantum efficit, ut multorum animos ad se traxerit. Iactitat otiam se, quod bonis verbis mo maiestatis vestrae oratorem intertenere possit, et illum se infecta re mittere, modo ipsi adheserint. De hiis omnibus ac aliis diversis practicis et periculis, que instant, serenissimam Romanorum regiam maiestatem cum meo proprio homine admonui, que nisi provideat subito, futurum video, quod interea, quo ego hic ago, magna pars Hungarorum a sua maiestate deficist: nec mirum, quoniam maiestas sua ne unum quidem hominem primarium habet, qui fideles in devotione et bona spe contineat vel tueatur, sed omnes privatis commodis ita sunt studiosi, ut eos non minus quam hostes doterreant et spoliant.

Mira astutia usus est wayvoda inducere me in duplices tractatus, secretum videlizet, in quo ipse Colocensis ac frater Georgius episcopus Waradiensis (qui solus hic omnia potest) interesse debent; publicum vero, in quo Statilius et ceteri consiliarii conveniant, et in eo volebat rem suam fecisse. Nempe

extimabat me inducere posse, ut illis coram dicerem, quemadmodum maiestas vestra a voyvoda non requisita ab ipso vayvoda (sic) misisset me rogatum ipsum, ut pacem amplecteretur cum serenissimo Ferdinando rege, quodque maiestas vestra obtulisset illi patrimonium et alia, que maiestati vestre notissima sunt, absque eo quod de Buda, Transilvania et aliis oblatis per ipsos aliqua fieret mentio. Ego palam respondi, nolle me in hiis diversis tractatibus intromittere, neque ea dicere, que veritati essent aliena, potissime quia non essent pro dignitate maiestatis vestre cesaree. Dixi etiam quibusdam bonis, qui ad pacem conficiendam cupidissimi sunt, ipsum vayodam Neapolim usque misisse oratores suos maiestatem vestram rogando, ut sub certis conditionibus oratorem suum huc mittere dignaretur: quod tandem maiestas vestra ad illius preces atque ob singularem affectionem, quam erga inclitum istud regnum gerit, facere dignata est, vicesque suas interponere, quo tandem pace composita a Turcarum tyrannide liberetur: modo si eorum dominus, qui novas vias et dilaciones ob privatum suum commodum quereret, ille inculpandus esset et nullus alius. Res ista multos movit, et murmurare incipiunt contra fratrem Georgium, qui non erit absque vite periculo, si pax non conficiatur.

Undecima huius misit ad me princeps iste dominum Colocensem et fratrem Georgium Waradinensem. Exorsi dixerunt eorum dominum ad pacem hanc concludendam incliuatissimum, neque propter Turcam, neque Gallum animum immutasse, modo pro scopo semper habeamus hoc unum, videlizet regni huius conservationem, dicentes non esse consultum regno, ut Buda ad cesaream vestre maiestatis manus consignaretur, quoniam Turcarum imperator sit maiestatis vestre publicus hostis, et cum resciverit Turca, eorum principem Budam, quam ab ipso recepit et ex illius gratia possideat, ad manus hostis illius consignasse, subito ex indignatione Budam obsidione opprimeret et regnum totum per incursiones depredari et depopulari faceret. Et quum maiestas vestra in presentiarum cum Gallorum rege sit occupatissimus, non poterit in tempore huic regno succurrere, minus Romanorum rex, et ita, ubi existimaremus regnum conservare, in totum et funditus perderetur. Propterea eorum dominum sequens medium excogitasse, videlizet quod Budae instituantur duo prefecti, unus a maiestate vestra, alter vero ab ipso vayvoda, quodque ambo sint maiestati vestre iureiurando astricti. Hoc modo eorum dominus continuaret possessionem Budensem, et Turca exinde nullam suspitionem capere possit. Preterea offert se eorum dominus, prestiturum se personale iuramentum, quod Budam cesaree vestrae maiestatis nomine fideliter tenebit et possidebit, atque ipso decedente ad nullius alterius, quam vestrae maiestatis manus et potestatem deveniat, et cum primum maiestatis vestrae aut aliorum christianorum potentatuum auxilio Turcarum fortunae diminutae fuerint, ita ut ab hac parte in tantum non sit formidandus, tunc subito velle Budam dimittere et ad maiestatis vestrae solius potestatem consignare. Respondi satis mirari non posse, quod eorum dominum non puderet talia mihi propouere, qui fuissem presens, quando ipsi dominus Colocensis et epus Sirmiensis, oratores sui, pleni mandati virtute coram maiestate vestra sponte et absque ulla requisitione comparuerunt, et dicti eorum domini nomine obtulerunt Budam, Temeswar et alia loca in manibus maiestatis vestrae consignaturos, rogantes quam humillime, ne maiestas vestra pro communi bono totius reipublicae christianae et huius regni conservatione oblationem hanc spernere velit, sed ob crucifixi dei amorem amplecti: recordari me, ista fuisse ipsa verba coram maiestate vestra per ipsum dominum Colocensem prolata, et ideo ea hic repetenda duxi, ut dominus archiepiscopus ipse testimonium veritatis desuper prebeat, et suo domino ad memoriam reducat. Subiunxi etiam non dubitare, quin eo tempore, quando domini Colocensis et Sirmiensis ab eorum domino ad vestram maiestatem hinc expediebantur, fratrem Georgium episcopum Waradiensem presentem et commissionis illis datae conscium fuisse: et ideo non posse de ipsis quoque duobus satis mirari, quod nunc immemores preteritorum cum hac nova immutatione me accederent. Deinde dixi, eorum dominum pro sua prudentia bene perpendere posse, me nullam a maiestate vestra habere commissionem retractandi ea, quae eidem vestre maiestati ultro fuerunt oblata: et ideo non posse, neque velle in minimo articulorum illorum me intromittere: scire etiam ipsum dominum Colocensem ad hoc me missum, ut residuos articulos, qui coram maiestati vestra concludi non poterant, hic coram eorum domino componerentur. Quod si eorum dñus in animo haberet tractandi quicquam, iam sepius a me etiam cum importunitate intellexisse, nichil aliud me expectare, nihilque desiderare, quam ut semel rem serio aggrediamur. Preterea dixi, iamdudum satis intellexisse me, qualiter eorum dominus ad pacem huiusmodi compouendam non admodum valde affiatur: quod si pacem oblatam spernat, poterit cum longe maiore modestia me dimittere, quam hoc pacto similibus tegnis (sic) diutius tenere, et maiestatis vestrae dignitatem spernere. Nempe maiestatis vestrae consuetudo est, cum omnibus ingenue et fideliter tractandi, et ita ut ego quoque fatiam, mihi iniunctum

est. Velle modo ea retractare, quae sponte oblata sunt. Eorum domini ipsorumque etiam iuditio committerem, quomodo maiestas vestra et alii, ad quorum notitiam pervenerit, essent interpretaturi. Respondit dominus Colocensis, se esse servitores, ut ista mihi proponerent ab eorum domino fuisse requisiti, et non potuisse se aliquo modo excusare. Rogavi ego, ut responsionem meam eorum principi fideliter referret; quod se facturos promiserunt. Cognovi, dominus Colocensis invitus venerat, et quod illi respondit mea (sic) placuit valde. Abeuntes a me dixerunt: Domine orator, non deberes de ista mutatione principis nostri tantum admirari, quoniam ex negotiorum immutatione solent et principes sua consilia immutare. Respondi, hoc verum esse et prudentis offitium, sed hic nullam me videre negotii immutationem: nam maiesstas vestra vivit, similiter Romanorum rex et etiam eorum dominus, cuius mandatum oratoribus suis prefatis datum adhuc extat; vivunt et ipsi, qui ea, quae superius dixi, negare non possunt.

Deinde secrete venit ad me dominus Collocensis, pessime de principe suo sentiens propter levitatem et mutabilitatem, inquiens, fratrem Georgium esse immutatum, qui prius pacem promovit, nunc autem, quantum potest, impediat, et hic solus est qui obstat; ceteri omnes consiliarii induci possent. Dixit multa de tirannide domini sui, et quod ipse non viveret hic cum illo absque vite periculo, eo quod illi verum diceret: preterea quod in hunc diem cum ipso permanserit, ut illum ad aliquam pacem cum rege faciendam induceret, quia semper cognovit, illum non futurum idoneum pro regno gubernando, quodque ipse ille erit, qui regnum perdat. Velle nunc extremam suam diligentiam impendere, quo pax ista componatur: de qua tamen compositione plurimum dubitare incepit. Quod si pax hac vice non componatur, velle principem suum dimittere et eo regnante nunquam regnum ingredi. Scire etiam, epum Sirmiensem in regnum non rediturum. Me plurimum rogavit, ut maiestati vestre scriberem, ipsum in culpa non extitisse, quod princeps suus neglecta sua dignitate oblata per enm prius tam impudice retractare intendat, et quum opns erit, inquit, posse ostendere manum et sigillum domini sui, quibus ostendere potest, quod omnia ea, que cum maiestate vestra Neapolis (sic) et Rome egerit, ex speciali illius commissione factum fuit. Et dixit, quando ipsi duo episcopi dominum eorum dimiserint, plures boni sunt subsecuturi. Optime sperat in maiestatis vestre clementia et bonitate, quod illum fame interire non permittat. Quod si maiestati vestre placuerit de hac re illi aut michi pro aliqua spe rescribi mandare, id bone voluntati eiusdem commissum maneat.

XIII. huius mensis iterum rediit ad me dñus archiepiscopns Colocensis a suo principe missus, nt a me interrogaret et intelligeret, utrum si de Buda conditione superius adnotata nihil concludi possit, an ego ad alios articulos intendere velim et tentare, si super illis concordare possemus. Respondi, super aliis articulis nihil tractare posse, cum iste articulus, qui inter ceteros principalior existat, in toto subversus sit, qui tamen per ipsius dominum ultro et non ad maiestatis vestre petitionem oblatus fuit, et ab eadem tunc acceptatus et pro concluso habitus. Frustra fieret super aliis articulis compositio aliqua vel conclusio, modo ipsius dominus ea, que sponte obtulit, revocare aut immutare intendat, et quomodo servaret ea, que mea tandem opera concluderentur, si ea, que coram vestra maiestate conclusa sunt, irrita habita presumpserit. Et ideo pro conclusione dixi, nisi dominus suus omnia coram maiestate vestra oblata, ac ab eadem acceptata et conclusa ingenue et absque exceptione servare velit, nolle in minimo articulorum me intromittere, neque quicquam ulterius cum ipso tractare. Dixit, se facturum domino suo relationem, quemadmodum postea retulisse dixit. Recessit vayvoda ex hoc loco per octo miliaria venandi gratia. Dixit, se infra dies septem aut novem rediturum, et tunc huic negotio attendere velle, sed verba futura sunt, sicuti prius fuerunt.

Absente wayvoda veniunt ad me viri primarii totius regni, et mecum agunt satis libere et dicunt: velit nolit princeps noster, nos volumus pacem et amicitiam cum caesarea maiestate et rege eius fratre. Dicunt etiam quidam satis apperte, nisi fiat pax ante meam hinc abitionem, velle ad Romanorum regem deficere, et alia multa. Ego autem cum illis nihil tractare volo usque ad finem tractatus istius, et interim eos audio et verbis intertcneo. Si ex pacis conclusione nihil fiat, tunc statui eos ad tutiora loca vocare, et quae conveniant serñae Romanor. regiae maiestatis utilitati, diligentissime procurabo.

Premissa omnia et diversa malas practicas istorum hominum ad regiam Romanorum maiestatem perscripsi, atque hominem industrium et bene instructum misi, qui eo melius maiestatem de singulis informare possit et valeat. Et nisi maiestas sua admonitionibus meis crediderit, tunc brevi videbit, quod maior pars suorum procerum ad istum wayvodam deficiunt.

Quantum ego considerare possum, intendit princeps iste rei bellicae exitum in Francia omnino expectare. Quod si rex Gallorum (uti sperandum est) succumbuerit et pacem cesareae vestrae maiestati

acceptabilem confecerit, existimat, se easdem pacis conditiones, que per oratores suos prepositas fuerant, assecuturum. Propter istam prorogationem mihi conveniens videretur, ut maiestas vestra serio ad me scribi mandaret, ut infra terminum vigiuti dierum post litterarum receptionem finem istorum tractatuum facere debeam, et in Germaniam ad alia negotia exequenda proficisci: quod si termino isto durante negotium hoc componi possit, debeam in eo intendere, sin minus, quod recedam. Existimo pro certo, quod negotium promoveret et acceleraret: alioquin princeps iste semper habebit quid sperare, et ita perpetuo hic me tenebit pro suo maximo honore et maiestatis vestrae incommodo.

Diebus proxime elapsis ex commissione illustrissimi ducis Clivensis scribunt ad me tres supremi illius consiliarii, videlizet Iohannes de Vlatten, prepositus Xantensis, Iohannes Gogreff, ducis cancellarius, et Wernherus de Hochsteden, curiae supremae prefectus, rogantes me principis nomine, ut apud maiestatem vestram aut per medias personas intelligere velim, an induci possit, quo serenissima domina Dorothea, quondam ducis Mediolani relicta vidua, filio dicti ducis unico nuberet. Qua re intellecta cupit, ut suis impensis ad ducem nuncium expediam et de bona voluntate maiestatis vestre certiorem reddam: et si aliqno modo intellexerit vestram cesaream maiestatem pro hac re inclinatam, subito notabiles suos oratores ad maiestatem vestram expedire statuit. Sacratissima cesarea maiestas dignabitur aliquid respondere, quia nulla dissimulatione preterire possum, quin duci respondeam, quia cum suo homine litteras prefatas ad me misit, et responsum, qualecumque fuerit, a me resciri expostulavit.

Dudum etiam scripsi de duce Lotharingiae et de prefato duce Clivensi, sed ob graviora, quibus maiestas vestra impedita est, nihil responsi accepi. Michi indifferens esset, modo rescirem, quidnam illis pro voluntate vestre sacratissime maiestatis esset respondendum.

Turcae diebus hiis proximis regnum Slavoniae, quod est sub ditione serenissimi Romanorum regis, invaserunt numero militum XVIIIM. et vasalli illius regni fuerunt in tempore satis de eorum adventu premoniti, et, ut dicitur, collegerant milites et alios subditos ad numerum XXVM., ita ut sufficiebant ad Turcas ipsos profligandos. Quando congregati fuerant, suborta est inter eos differentia, quis supremus esset eorum dux aut capitaneus. De quo capitaneatu convenire non poterant, immo inter eos ob privata odia maxime discordie et rixe exorte sunt, taliter quod quisque domum rediit, dispersis omnibus subditis alioqui ad confligandum bene animatis. Cum Turci id intellexerant, absque mora processerunt et quinque fortissima castra sive arces acceperunt, que illico cum rebus necessariis munierunt, deinde totam illam provintiam depopularunt. Tenent nunc Turci passum liberum per flumina Savum et Dravum, ita ut, quandocumque illi placuerit, possint totam Slavoniam sibi subingare. Hec sub fide Turca serenissimo Romanorum regi prestita facit. Vereor, quod rustici tandem istius regni, eo quod ab istis immanissime tractantur, insurgant et ultro tandem omnes ad Turcam defitiant, quia in ista Turcarum invasione rustici unius munitissimi castri, qui per capitaneum in castro pro illius custodia intromissi fuerunt, cum Turcos adesse viderent, receptis muneribus paucillis, capitaneum castri ceperunt, cuius tibiis et manibus ligatis, illum una cum castro Turcis tradiderunt.

Hic adest unus Turcarum imperatoris nunctius; quid vero attulerit, adhuc nondum intelligere potui. Spero nihilominus per medium alicuius amici illud me intellecturum. Cum primum quod accepero, simul et id, quod in negotio componende pacis huiusmodi subsequetur, ad vestram sacratissimam cesaream et catholicam maiestatem diligenter perscribam. Quam dominus noster Iesus Christus faelicem et faustum et fortunatam custodiat, atque contra hostes omnes victoriam largiatur, amen: cuiusque clementie me quam humillime commendo. Datum Waradini die XX. mensis augusti anno dñi MDXXXVI.

Eiusdem sacratissime cesaree et catholice maiestatis

humillimus servus et sacellanus
IOANNES E(LECTUS) ARCHIEPISCOPUS LUNDENSIS.

* * *

Sacratissima caesarea et catholica maiestas, domine clementissime.

Novissimis meis litteris, quas XX. mensis augusti ad vestram sacratissimam caesaream et catholicam maiestatem scripsi, prolixe satis de omnibus, quae in negotio mihi commisso ad eum diem peracta fuerant, admonui. Et licet princeps iste, qui venandi gratia abierat hinc, et infra dies octo se reditum promiserat, tamen XVI. primum diem reversus est: quem e vestigio accessi, et quanta potui importunitate insteti, ut semel negotio incepto, ob quod ad illius maximas preces hnc missus sum, finem imponere velit, neque diutius me in hoc regno absque fructu et in otio retinere. Et ut illum ad tractandum aliquod inducerem, finxi a maiestate vestra me litteras accepisse, quibus existimat negotium istud pacis iamdudum conclusum, et ideo alia quedam gravissima et magni momenti negotia apud prin-

cipes et status Germaniae exequenda mihi commisisse: esse propterea anxius valde, quid mihi inter duo sit faciendum, aut ut hic in otio permaneam et sine fructu, aut quod praetermisso hoc negotio alia mihi imposita perficiam. Deliberavi tandem et medium inveni, ne impostorum quispiam mihi culpam imponere possit, quod ob meum recessum negotium imperfectum remansisset. Misisse propterea nobilem unum ex meis cum instructione et litteris ad Germaniam, quibus negotia mihi imposita meo nomine inchoare et de meo brevi apud illos adventu polliceri debeat: oportere igitur me brevi in Germaniam proficisci; modo si velit in isto pacis negotio aliquid concludere, hic adessem die nocteque paratus ad intendendum tractationem; adfuisse me nunc per menses tres, quibus cum suis consiliariis mature satis, quid in hoc pacis negotio aut facere aut dimittere velit, deliberasse potuit. Quanta potui instantia rogavi, ut finem semel imponat rebus istis, nec maiestatem vestram cesaream tali iniuria afficit, ut eius oratorem, quem ad illius instantiam huc miserit, absque fructu retineat aut dimittat. Respondit et affectuosissime me rogavit, ne moram istam suam in malam partem accipere velim, ac si studio negotium illud pertraheret. Iniquit enim, maximi momenti existere ac satis illi negotii fuisse, et suos subditos ad consentiendum huic paci induceret, sed ipsum nunc ad eum effectum rediisse, ut finem omnino imponat, sicuti intra dies quatuor aut quinque clarius intelligerem, rogans, ut per paucos dies contentus expectarem. Egit etiam mihi gratias maximas pro mea modestia et patientia, quam hucusque cunctando sustuli: non futurum se ob id maiestati vestrae cesareae, deinde etiam et mihi ingratum. Resciverat etiam, me hinc nobilem per postas versus Germaniam expedivisse. Pro eo ac invento (ut prius) medio similiter gratias egit, licet nobilem illum ad Romanorum regem miseram, ut illius maiestatem de quibusdam secretis practicis et imminenti periculo redderet certiorem.

Excusationem facile admisi, licet contrarium mihi liquide constabat, et de tempore prefixo fui contentus. Nec alitor fieri posse prescivi, quoniam frater Georgius abest, absque cuius presentia in hoc regno nihil fieri potest, quom inter dies quatuor reversurum confirmant omnes.

Admonitionem istam feci ad instantiam domini Colocensis et Steffani Erbueti regni cancellarii, qui pacis sunt studiosissimi, qui naturam eorum principis cognoscunt, esse illum tardum, et dixerunt, nisi impellatur hiis et similibus modis, perpetuo vos hic tenebit, ne unquam aliquid concludat. Igitur dignabitur vestra maiestas per suas litteras ad me terminum illi prefigere, intra quem negotium absolvat: quod si postea ipse distulerit, per easdem litteras mihi significare, quid mihi faciendum sit.

Dicti Collocensis et cancellarius parum spei habent, quod boni aliquid concludatur. Fratrem Georgium, qui immanissima sua tirannide hic omnia gubernat, scit ille, quod facta pace nullius sit futurus extimationis. Ideo quantum potest idcirco predicti Collocensis et cancellarius secreto se parant ad abitionem: quos absque dubio multi sequentur, qui mihi secreto loquuntur, et talia que tendunt in istius vayvodae interitum. Non sum ausus omnia aperte serenissimo Romanorum regi indicare propter quosdam suos consiliarios, quos scio rem secreto non habituros. Modus est, ut totus populus Hungarie in istum insurgat, et illud non impediant hii, duos (sic) vayvoda fidelissimos existimat. Res ista cum circumstantiis oretenus commodius quam per litteras tractatur, et ideo brevior sum.

Dominus Collocensis postquam regnum et dominum suum demiserit, ad neminem quam ad vestram maiestatem confugere statuit, sperans in illius clementiam, eundem in gratiam sit receptura et de alia sustentatione provisura.

Ego iterum dei optimi benignitate convalui, ita ut ad quoscumque tractatus intendere possum, licet non magnam spem habeo, pristinas vires me posse recuperare: taliter medicorum imperitia sum neglectus.

Si maiestas vestra in animo habeat, regnum istud a Turcarum et ipsius vayvodae manibus sua potentia et armis aliquando recuperandi, et serenissimi Romanorum regis regimini submittendi, tunc praestaret, ut aliquis fidus et diligens orator maiestatis vestrae nomine hic immoraretur, qui fere omnes istius subditos ad maiestatis vestrae devotionem statim convertere potest. Iactum est, ut absque gloria dixerim, fundamentum non spernendum apud Hungaros, sed opus est incepta continuare.

Preterea hic adest thesaurarius vayvode Moldavie, principis certe potentissimi, qui dominium suum habet inter Transilvaniam et confinia Turcarum imperatori subiecta. Hic idem thesaurarius secreto me sepius convenit et rogat, ne pacem cum isto Ioanne vayvoda concludam. Dominum suum ad quamcumque meam requisitionem venturum cum triginta aut quadraginta mila (sic) militum optimorum, et Transilvaniam dabit in manus Romanorum regis, et quando maiestas vestra contra Turcam terrestri itinere aliquid incipere velit, obtulit, dominum suum maiestati vestrae inserviturum cum sexaginta aut

octuaginta milibus militum optime instructorum. Contraxi cum homine isto magnam amicitiam (?) et dedi ordinem, ut unus alteri continue scribere posset. Est in veritate homo modestissimum optimorum, preterea prudens et satis circunspectus in rebus agendis, ita ut sibi similem in hoc regno non invenerim. Nichil studet, quam ut hic abeat (?) sive expediat. Ideo, quod venit, sive non, illi indifferens est: venerat enim pro recuperatione cuiusdam castri, quod unus ex subditis istius vayvodae hiis diebus proximis a suo domino intertexerat.

Moldaviae dominus prefatus cristianus est, sed fidei grece, sive sancti Pauli.

Hesterno die redditae mihi fuerunt cesareae vestrae maiestatis litterae datae in castris prope oppidum Frejoulx in Provintia die tertia mensis augusti, una cum occurrentiis novitatum ibidem, pro quibus quam humillimas ago gratias. Indicavi huic principi nomine maiestatis vestrae salutariam apprecationem, et novitates exposui, qui devotissime gratias egit pro salutaria apprecatione.

Finxit etiam, gratissimum illi fuisse maiestatis vestrae in Franciam profectionem, deumque imploravit, ut vestrae maiestati fausta et prospera sint omnia, atque ut Gallorum regem tranquillitatis reipublicae perturbatorem ad subiectionem reducat et devincat, ut deinceps coniunctorum christianorum nostrorum potentatuum viribus communem hostem totius christianitatis prosequatur et invadat, victorque gloriosus et triumphator redeat: ad quam expeditionem, iniquit, si maiestati cesareae gratum fuerit, et ego ipse veniam, et quae a cesarea sua maiestate imperata fuerint, uti illius addictissimus servitor diligentissime et fideliter exequar. Rogavit me plurimum, ut ista vestrae sacratissimae cesareae maiestati suo nomine significarem.

Cui (si placuerit), ne omnino ab eadem neglectus videatur, poterit in litteris ad me dandis articulum aliquem gratiosum inseri mandare, quem illi et exponere et ostendere possem. Cupidissimus enim est honoris, et cupit apud maiestatem vestram in aliqua extimatione esse.

Expectabo fratris Georgii reditum. Tum demum pro resolutione aliqua in negotio pacis diligentem instantiam faciam, et nihil pretermittam intentatum, verum quod impetravero et subsequutum fuerit, ad vestram sacratissimam cesaream et catholicam maiestatem diligenter perscribam. Quam Ihesus Christus servator noster singulari sua protectione ab omni adversitate custodiat, atque contra hostes omnes victorem effiiat: cuius clementiae et bonae gratiae me quam humillime commendo. Datum Waradini die sexta mensis septembris anno domini MDXXXVI.

E. v. sacratissimae cesareae et catholicae maiestatis

humillimus servus et sacellanus
IOANNES E. ARCHIEPISCOPUS LUNDENSIS.

* * *

Sacratissima cesarea et catholica maiestas, domine clementissime.

Postscripta. Hodie post meridiem accessit me reverendissimus dñus archiepiscopus Colocensis, a suo domino a me missus, cuius nomine exposuit, recordari me, quemadmodum ex ordinatione vestrae sacratissime cesareae et catholice maiestatis, cum ipse ab eadem discederet, conventum fuerat, ut alter eorum, videlizet reverendissimus dominus Steffanus episcopus Sirmiensis, penes maiestatem vestram continuo immorari deberet, ut si inter dominum suum et me in hoc regno difficultates aliquae super quibusdam articulis suboriri contigerit, quo negotium componende pacis celeriorem assequeretur expeditionem et desideratum finem, posset huiusmodi difficultates eo commodius cum maiestate vestra componere, et ideo dictum Sirmiensem ibidem permansisse, qui tandem gravissima infirmitate correptus non potuit cesaream vestram maiestatem, sicuti sperabatur, sequi.

Modo hic subortum esse dubium non spernendum, super uno articulorum magis capitali, scilizet de civitate et arce Budensi, uti maiestas vestra ex prioribus meis litteris de data xx. mensis augusti clarissime intelligere potuit: verum quum principem suum apud vestram maiestatem nominem habere diceret, qui eandem inducere possit ad huinsmodi articulum moderandum, decrevit rex snus ipsum eundem archiepiscopum Colocensem ad cesaream vestram maiestatem remittere: interim, si quae mihi essent negotia in Germania maiestatis vestre iussu exequenda, eo proficisci possem, et limitato hoc uno articulo per maiestatem vestram, posse denuo ad inceptos tractatus et ad regnum istud redire. Meque rogavit plurimum idem archiepiscopus, ut maiestati vestrae ipsius personam commendarem, atque etiam excusatum efficerem, quod sua culpa suove consilio factum non fuisset, ut princeps suus priorem sententiam de Buda immutaverit.

Ego dicto archiepo respondi, in recenti memoria me habere, ob quam causam ordinatum fuerat, ut eorum alter, videlizet episcopus Sirmiensis, penes vestram maiestatem permaneret, scilicet ut si

contingeret super residuis articulis, de quibus ipse et Sirimiensis dicebant se non habere mandatum eosdem limitandi, difficultatem talem suboriri, ob quam maiestas vestra merito videretur consulenda, ne temporis iactura fieret in mittendis et remittendis nunctiis ex hoc regno ad vestram maiestatem, determinatum fuit, ut dominus Sirmiensis eandem sequeretur; Colocensis vero ipse ad suum dominum rediret una mecum, ut ipse principem suum de omnibus, que apud maiestatem vestram tractata fuerunt, atque de bona voluntate eiusdem circa compositionem pacis istius plenam et claram relationem faceret, nec non et dominum sunm informaret, quemadmodum maiestas vestra ea omnia, que ipsi oratores nomine eorum principis pleni et sufficientis mandati virtute obtulerant, acceptaverat ac pro conclusis habuit, inter que Buda cum arce expresse nominata fuerat.

Admirari ob id satis non posse, in primis quod principem suum non puderet ista sponte oblata retractare, suumque honorem et dignitatis existimacionem postponere velle, et ad maiestatem vestram eundem Collocensem pro retractatione remittere, quem primum ad offerendum sponte miserat; timerem vehementer, maiestatem vestram hanc levitatem egerrime accepturam: admirari etiam me de ipso dño Collocensi et ceteris consiliariis istius vayvode, quorum cura suprema esse debet de conservacione honoris et dignitate eorum principis, quod illum ab isto suo proposito non deverterent; preterea quod ego longe aliam oppinionem de ipso Collocensi conceperam, nec unquam credidissem, illum similem commissionem accepturum, que non minus tendit in discrimen honoris sui et dignitatis episcopalis, quam domini sui. Voluit se excusare dicens, se esse servitorem istius principis, ideo oportere ipsum obedire in omnibus, qne sibi mandaret, et inquit: Domine Lundensis, quid tu faceres, si tibi a cesare aliquid tale committeretur? nnmquid exeqnereris summa diligencia? Respondi, gratias mo habere in singulos dies domino meo, quod talem michi diceret dominum (sic), qui nisi honeste et inste exequenda committit: verum si alium haberem dominum, qui contraria inberet, recte non obedirem, sed pro mea in illum fide a similibns, quantum in me esset, meis consiliis averterem. Cognovi, qnod erubuit Colocensis de mea admonitione: sed quia galera illa rubea cardinalatus illi tantum cordi est, video, quod ipse honorem proprium, patrie conservacionem et reipublice christiane comodnm postponit et negligit. Nam si ille vellet agere, uti mihi pollicitus est sepius pro istius regis et totius reipublice christiane communi bono, certe ipse potuisset istum wayvodam benc inducero ad dimittendum Budam et alia maiora. Admonui illum denuo amice et rogavi, ut honoris sui, deinde dignitatis episcopalis atque stemmatis sui (quia ex comitum familia orinndus) potius quam cncule rationem haberet, quoniam ut in illis detrimentum pateretur, ita et rescirem, maiestatem vestram articulum praefatum aliter non moderaturam. Et ita confusus a me recessit. Existimo omnino wayvodam istum et Collocensem consilium istum non immuturos, quia iamdudum consideravi, wayvodam istum ad pacem confitiendam nullam habere affectionem, neque pacem unquam admissurum, nisi ad hoc compulsus fuerit, quod meo imbecilli indicio facillime fuerit, modo maiestas vestra parvas admodum suppetias serenissimo Romanorum regi prestiterit. Nec deessent modi et pratice diverse, quibus absque magnis impensis ad pacem amplectandam impelli posset.

Querit wayvoda iste subterfugia multa, et subdola omnia tractat, velim maiestati vestre persuadere, se pacem desiderare, licet nichil minus in pectore habeat.

Ipse nescit quid sit veritas, que ab illo longe distat, quia nihil prestat de hiis omnibns, que tum in publicis, tum privatis negotiis mecum egit et promisit, nec pudet illum, si quando illi in faciem dico, michi aliter pollicitum fuisse precedenti vel alio die. Inducias facta similiter non observat, immo iis durantibus maiore fraude per vim atque mille dolos serenissimi Romanorum regis subditos ab eorum devotione et ad deficiendum stimulare. In summa, nulla fides, nulla veritas, nullus pudor, nullaque constancia est in isto wayvoda, et quantum diiudicare possum, sibi similes consiliarios habet, qui si possent maiestatem vestram ad componendam pacem inducere, ut Buda remaneat in manibus istius wayvode quocumque etiam modo, et interim restitueretur illi suum patrimonium.

Re vera in brevissimo tempore residuum istius regni, quod nunc est in manibus regis (serenissime Romanorum regie maiestatis), absque ullis impensis recuperare posset wayvoda. Et nisi Buda constituatur tandem snb potestate sue regie maiestatis, nec maiestas sua, nec illius illustrissime proles unquam huius regni regimen pacifice potiantur. Idcirco bene animadvertat maiestas vestra in hoc articulo, qnod wayvoda huic concedat articulo, nec aliquam fidem adhibeat suis litteris etiam iuramento obfirmatis, quoniam in singulos dies absque nllo pudore taliter concessas violat, similibusque frandibus et perfidia hucusque sua dominia auxit, et indies ad angmentandum procedit.*)

*) Haec sicut praedecessa epistola quasi in totum per notas est scripta.

Hec pro officii mei satisfactione non debui omittere, quin vestrae cesareae maiestati significarem. Ex animo doleo similia de christiano homine, vel saltem qui partem christiani regni occupat, scribere; sed officium mihi iniunctum, preterea mea erga cesaream vestram maiestatem fides me impulerunt, ut ea silentio preterire non potuerim; et nihil preter simplicem et meram veritatem scripsi. Itaque ut a me in bonam partem accipere dignabitur, quam humillime obsecro eandem vestram maiestatem, que in primis et quam citissime me admoneri iubeat, quid mihi faciendum sit, postquam predictus Collocensis in predicta legacione recesserit hinc, an ulterius hic in otio subsistere, vel in Germaniam ad serenissimam Romanorum regiam maiestatem, aut ad vestram sacratissimam cesaream et catholicam maiestatem reverti debeam: cuius clementiae me quam humillime commendo. Datum Waradini die VII. mensis septembris anno domini MDXXXVI.

E. v. sacratissimae cesaree et catholice maiestatis

humillimus servus et sacellanus
IOANNES E. ARCHIEPISCOPUS LUNDENSIS.

* * *

Sacratissima cesarea et catholica maiestas, domine clementissime.

Die undecima huius mensis accessi tandem veivodam istum, eaque repeti omnia, quae reverendissimus dominus archiepiscopus Colocensis suo nomine michi retulerat. Ille vicissim fassus est, Collocensem cum simili legatione ad me misisse. Ego vero videns illius obstinatiam, rogavi, ne sibi eam iniuriam inferre velit, ut ea, que ultro et sua sponte cesaree maiestati prius obtulit, neglectis suo honore et dignitate retractaret et immutaret. Preterea cogitaret, quo animo cesarea et catholica maiestas vestra hanc suam retractationem interpretatura. Affirmavi autem, me maxime vereri, ne, cum eadem sacratissima maiestas vestra dudum optimam opinionem de ipso concepisset, illam prorsus abiiceret, cogereturque tandem hanc suam retractationem sive mutationem serenissimo dño nostro, serenissimis christiani orbis regibus ceterisque imperii et aliis principibus indicare. Ideo diligenter sibi prospiciendum, ne in hac re inconstantem demonstret. Respondit multis verbis in hanc sententiam, nimirum quod adhuc eius animi esset, cuius fuerat tempore oblationis praedictae: verum cum sacratissimam maiestatem vestram bello Gallico involutam videret, non putavit, illam huic regno subvenire posse, et ita ex ista pace et concordia nihil aliud sequi, quam regni totius perditionem. Preterea velle se archiepiscopum Colocensem ad serenissimam maiestatem vestram remittere, quo eandem induceret, ut de Buda fieret aliqua alia limitatio sive ordinatio, denique ut sacratissimae maiestatis vestrae animum permoveret, ut in caeteris quoque articulis se faciliorem exhibeat. Rogavit autem me plurimum, ut hanc responsionem suam in bonam partem acciperem.

Sacratissima caesarea et catholica maiestas, domine clementissime, potuisset veivoda hoc ipsum responsum in adventu meo dare, sed studio prorogavit, ut interim cum Turca res suas stabiliret, de quo plurima apud me iactitavit.

Ferunt archiepiscopum Colocensem post triduum Agriam, ac deinde ad sacratissimam maiestatem vestram profecturum: verum cum mihi nihil hic negotii restet, non opere praetium existimo, diutius me hic subsistere. Expectabo tamen, donec mihi cum nuncio, quem ad regiam Romanorum etc. maiestatem misi, responsum a sacratissima maiestate vestra advenerit, quo recepto Viennam vel ad aulam serenissimi Romanorum etc. regis me conferam, ibidem quicquid mihi sacratissima maiestas vestra in mandatis dederit, humiliter expectaturus. Omnipotens deus sacratissimae maiestatis vestrae sanctissimos labores adiuvet, eamque felicissimam conservet: cui me summa animi observantia ac fidelissima servitute quam humillime commendo. Datae Waradini XIII. Septembris anno M.D.XXXVI.

E. v. sacratissimae cesareae et catholicae maiestatis

humillimus servus et sacellanus
IOANNES E. ARCHIEPISCOPUS LUNDENSIS.

DCCCLXVII.

Electo Spalatensi, ut nondum litteris apostolicis provisionis suae expeditis possessionem ecclesiae suae apprehendere possit.
Ex Reg. Authogr. Tom. 3. fol. 127.

Dilecto filio Marco Cornelio Electo Spalatensi.

PAULUS PP. III. Dilecte fili, salutem etc. Cum nos nuper ecclesiae Spalatensi, tunc per liberam resignationem seu cessionem Venerabilis fratris Andree Archiepiscopi Spalatensis in manibus nostris sponte factam, et per nos admissam vacanti, de persona tua de Venerabilium fratrum nostrorum

S. R. E. Cardinalium consilio et assensu providerimus, teque illi in Archiepiscopum prefecerimus et pastorem, curam, regimen et administrationem ipsius ecclesie tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, prout in aliis nostris sub plumbo propediem expediendis litteris latius apparebit: Nos, ne dicta ecclesia, dum littere huiusmodi expediuntur, aliquod detrimentum in temporalibus aut spiritualibus patiatur, aut illius mense fructus dissipentur, providere volentes, tibi per te vel alium seu alios possessionem vel quasi regiminis et administrationis dictae ecclesiae vigore presentium capiendi, et illam continuandi, ac illius mense fructus, redditus et proventus colligendi, percipiendi, levandi, ac in tuos usus et utilitatem convertendi, auctoritate apostolica tenore praesentium licentiam et facultatem concedimus, Mandantes dilectis filiis Capitulo et Canonicis dicte ecclesie, nec non Clero et populo Spalatensibus, ut te tamquam animarum suarum pastorem recipiant, tuaque salubria monita adimpleant, Colonis vero et Vassallis eiusdem ecclesie, ut tibi debita et consueta servitia exhibeant, et de dictis fructibus respondeant, aliter sententiam, quam rite tuleris in rebelles, faciemus auctore domino inviolabiliter observari, Non obstantibus fel. recordationis Bonifacii PP. VIII. que incipit, Iniuncti, aliis apostolicis constitutionibus etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die x. Septembris MDXXXVI. Pontificatus nostri Anno Secundo.

DCCCLXVIII.

Ferdinandus Romanorum rex pontifici, ut duobus suis oratoribus fidem adhibeat. Ex originali — Instrum. Miscell.

Beatissimo in Christo Patri et Domino, domino Paulo III. divina providentia
Sacrosanctae Romanae ac Universalis Ecclesiae Summo Pontifici,
Domino nostro Reverendissimo.

Beatissime Pater et Domine, dñe Reverendissime. Post humilem commendationem filialis observantiae nostrae continuum incrementum. Commisimus Nobili et honorabili devoto, fidelibus nobis dilectis, Leonardo Comiti de Nogarolis et Gabrieli Sanchez, Consiliariis nostris, nonnulla Sanctitati Vestrae referenda, sicuti ab eis coram intelligere dignabitur. Quae cum ex mente et voluntate nostra procedant, communemque sanctae fidei ac reipublicae Christianae defensionem et conservationem concernant, Beatitudinem vestram enixe rogamus, ut eisdem non solum eam, quam Nobismet ipsis, si coram essemus, fidem adhibere, verum etiam se super eisdem ita paterne exhibere velit, quemadmodum Pastoralis sui offitii debito vigilantiaeque plane congruit, eamque haud dubie quoque facturam esse confidimus. Cui Nos reverenter commendamus. Datum in Civitate nostra Vienna ultima mensis Ianuarii Anno Domini M.D.XXXVII. Regnorum Romani Sexto, Aliorum vero Undecimo.

Eiusdem Sanctitatis Vestrae

Humilis et obsequens filius
FERDINANDUS.

ADAMUS CAROLUS.

DCCCLXIX.

Ioannes rex Hungariae commendat pontifici archiepum Colocensem suum oratorem. Ex originali in archivo generali Florentino asservato — Carte Cervini Filza XXIII. fol. 27.

Sanctissimo in Christo Patri et Domino, Domino Paulo Tertio Sanctae Romanae
ac Universalis Ecclesiae Summo Pontifici, Domino Colendissimo.

Beatissime Pater, Post oscula pedum Sanctitatis Vestrae beatorum et filialem commendationem. Misimus ad Sanctitatem Vestram hunc fidelem nostrum Reverendissimum in Christo patrem Dominum Franciscum de Frangepanibus, Colocensis et Bachiensis Ecclesiarum canonice unitarum Archiepiscopum et Episcopum Agriensem, ac Consiliarium nostrum Nobis syncere dilectum, medio cuius de quibusdam nostris et Regni nostri rebus et negotiis nonnulla Sanctitati Vestrae significavimus, que eadem fusius ab ipso intelliget. Supplicamus itaque S. V. dignetur verbis ipsius Domini Archiepiscopi certam fidem adhibere. Ea enim dicet, que de mente et voluntate nostra dicenda accepit. Quam Deus Opt. Max. pro incremento regiminis Ecclesie sancte Dei et Reip. Christiane diu felicissimam conservet ad sua vota. Datum Budae prima die Aprilis Anno Domini Millesimo quingentesimo trigesimo octavo, Regnorum vero nostrorum duodecimo.

Eiusdem Vestre Sanctitatis

Devotus filius
IOANNES REX HUNGARIE manupp.

DCCCCLXX.

Ioannes rex Hungariae postifici, ut Francisco suo secretario et oratori in his, quae suo nomine exponet, fidem adhibeat et exaudiat, adiecto responso. Ex originali ibidem Filza XXIV. fol. 26 et 28.

Sanctissimo in Christo Patri Domino, Domino Paulo Tertio Sanctae Romanae ac Universalis Ecclesiae Summo Pontifici, Domino Clementissimo.

Beatissime Pater, Post oscula pedum Sanctitatis vestrae beatorum et filialem commendationem. Misimus ad Sanctitatem vestram hunc fidelem nostrum Venerabilem Franciscum decretorum doctorem, plebanum Musnensem, secretarium nostrum, medio cuius de rebus et negotiis quibusdam nostris et regni nostri nonnulla Sanctitati vestrae significavimus, quae eadem fusius ab eo intelliget. Supplicamus itaque Sanctitati vestrae, velit verbis eiusdem Francisci doctoris certam fidem adhibere. Nam ea Sanctitati vestrae nomine nostro dicet, quae a nobis eidem referenda accepit. Cui nos humillime commendamus: Quam Deus Optimus Maximus conservet ad sua vota pro incremento regiminis ecclesiae sanctae Dei et reipublicae christianae. Datum Budae quarta die mensis Aprilis Anno Domini MDXXXVIII.

Eiusdem Vestre Sanctitatis

Devotus filius
IOANNES REX HUNOARIE manupp.

Quod Serñus Hungariae Rex Ioannes ostenderit Sño D. N. Paulo Tertio Pontifici Maximo suae devotionis affectum, Sanctitas sua cognovit, quod antea non ambigebat, pietatem et religionem suae Maiestatis, fuitque id Sanctitati suae gratissimum.

Excusationem, quod Reverendus D. Episcopus Transilvanus non potuerit ad Sanctitatem suam accedere, cum id maxime cupivisset, benigne et aequo animo accepit, et Venerabilem Franciscum decretorum doctorem, plebanum Musnensem, praesentium latorem, qui ad Sanctitatem suam suae Maiestatis Orator venit, hilari animo ac benigno suscepit. Auditisque quae ab ipso sui regis nomine renunciata fuerunt, respondit et alia multa, et inter caetera ea quae sequuntur.

Quoad subsidium petendum a Principibus christianis pro exercitu XV. millia hominum conscribendo ad defensionem Regni Hungariae, Sanctitas sua id cum omni efficacia procurabit, scribetque ad Principes christianos super hac re diligenter.

Quoad subsidium petitum a Sanctitate sua pro reparatione castrorum, postquam Sanctitas sua (ut notum est) iniit foedus cum Caesarea Maiestate et Illmo Venetorum Dominio, semper fuit maximis et continuis expensis gravata, ita ut vix potuerit resistere, ndum expensas novas subire, stantibus terminis: sed cum speret, alios christianos Principes brevi intraturos et ipsos dictum foedus, et sic pluribus cohaerentibus expensas fore leviores, Sanctitas sua tunc conabitur curare, ut etiam circa hoc providebit. Quoad decimas, quoniam satis prolixe responsum est ipsi Plebano Musnensi Oratori, ad ipsum habeatur relatio.

Quoad absolutionem presbiterorum homicidarum, licet non consueverit haec Sancta Sedes cum homicidis voluntariis ad altaris ministerium dispensare, tamen Sanctitas sua, ut in hoc satisfaciat suae Maiestati, committet Rño Legato, quem ad partes illas nunc mittit, ut huiusmodi absolutionem det.

Ut in omnibus aliis, quae poterit, Sanctitas sua dabit operam, ut sua Maiestas cognoscat, qua benivolentia ipsam prosequatur, et etiam dum in minoribus constituta erat, persequebatur. Cui Maiestati me etiam atque etiam humiliter commendo.

DCCCLXXI.

Stephanus Brodericus pontificem de pace Hungarica certiorem reddit, et Ioannem regem commendat. Ex originali ibidem Filza XXIV. fol. 66.

Sanctissimo in Christo Patri et Domino, Domino Paulo Tercio Divina providencia Sanctae Romanae et Universalis Ecclesiae Pontifici Maximo, Domino meo Clementissimo.

Beatissime Pater et Domine, Dñe Clementissime. Post humillimam mei et serviciorum meorum commendacionem. Fui hic apud hanc Sacram Romanorum Regiam Maiestatem, et adhuc sum in negocio pacis tanto tempore quesitae, ubi plura loquutus sum cum Vestrae Sanctitatis Legato, R. Dño Episcopo Mutinensi. Quae ipse per suas litteras, credo, quod ad Vestram Sanctitatem perscribet. Sanctitas Vestra ex his intelliget statum rerum nostrarum Hungaricarum. Et Vestra Sanctitas certo sibi persuadere dignetur Serñum Regem meum esse deditissimum Vestrae Sanctitati. Vestra eciam Sanctitas benigne

amplecti velit talem ac tantum filium, qui et Vestrae Sanctitati et Reip. christianae potest esse magno usui. D. Deus conservat Vestram Sanctitatem semper felicem et sanam.

Wratislaviae in Silesia 9. Iunii 1538.

Eiusdem Vestre Sanctitatis

humillimus servulus et capellanus
STEPH. BRODERICUS E. VACIENSIS.

DCCCLXXII.

Ferdinandus Romanorum rex pontifici supplicat, ut archiepiscopum Colocensem ad cardinalatus dignitatem promoveat.
Ex originali ibidem Filza XXIV. fol. 30.

Beatissimo in Christo Patri et Domino, Domino Paulo III. Divina providentia sacrosanctae Romanae ac Universalis Ecclesiae Summo Pontifici, Domino nostro Reverendissimo.

Beatissime in Christo Pater et Domine, Domine Reverendissime. Post humilem commendationem filialis observantiae nostrae continuum incrementum. Cum in negotio pacis inter Nos et Serñum Regem Iohannem componendae R. Franciscum de Frangepanibus, Archiepum Colocensem et Epum Agriensem, syncere nobis dilectum hactenus impendisse sciamus, adeo ut tum propter beneficium istud Christianitati in hoc accurate a se praestitum, ut qui pro virili et singulari industria adiuverit, quo pax tandem inter Nos et dictum Regem Iohannem sanciretur; tum etiam, quia et doctrina et vitae honestate rerumque publicarum experientia dignitatis et muneris sui statum decorare videtur, omni favore, gratia promotioneque dignum existimemus: Sanctitatem itaque Vestram impraesentiarum maximopere rogamus, ut non dedignetur ob praemissa eundem Franciscum de Frangepanibus in numerum Cardinalium adscribere, idque vel virtuti suae tribuere, vel iis meritis, quae in Rempublicam Christianam opera, studio laboribusque suis assiduis pro conclusione pacis communique bono susceptis diligenter fructuoseque contulit, vel nostrae huic pro se intercessioni non vulgari. Pergratum enim nobis erit, si Beatitudo Vestra virum istum tam bene meritum promovendum susceperit ad Cardinalatus dignitatem, sicuti se facturam confidimus. Nos Sanctitati Vestrae reverenter commendantes pieque offerentes. Datum in Civitate nostra Wratislavia die XVI. mensis Iunii MDXXXVIII. Regnorum nostrorum Romani VIII. aliorum vero duodecimo.

Eiusdem Sanctitatis Vestrae

Humilis et obsequens filius
FERDINANDUS.

AD. CAROLUS.

DCCCLXXIII.

Archiepiscopus Colocensis pontificem de pace inter Ferdinandum et Ioannem Hungariae reges ineunda certiorem reddit, petitque, ut regno Hungariae contra Turcas praesto sit. Ex orig. ibidem Filza XXIV. fol. 65.

Sanctissimo in Christo Patri et Domino, Domino Paulo Tertio Divina providencia Sacrosanctae Romanae ac Universalis Ecclesiae Maximo Pontifici, Domino meo Clementissimo.

Beatissime Pater et Domine, Domine Clementissime. Post humillima pedum beatorum oscula et servitutis mee perpetuam commendationem. Missus sum a Serño Dño et Rege meo ad Sacratissimam Cesaream et Catholicam Maiestatem pro pace nostra Hungarica, que utinam iam tandem, Deo propitio, auctoritate Sanctitatis Vestrae bono fine concludatur, et hoc nisi mature fiat, actum erit dð nobilissimo Regno. Iniunxerat mihi Sua Maiestas, ut si Cesaream Maiestatem invenirem apud Vestram Sanctitatem, supplicarem Vestrae Sanctitati nomine Suae Maiestatis, quo interponeret vices suas pro hac pace tam necessaria tamque salutari: quod quia presens facere non potui adversa valetudine prepeditus, facio absens obtestando Vestram Sanctitatem per Christum dominum nostrum, velit omnem lapidem movere, ut Hungaria sit salva, et hoc nedum propter nos, quod utique pium opus esset tot oves Christi a luporum morsibus et incursibus liberare, sed et propter totam Rempublicam christianam. Nam si Sanctitas Vestra cum suis confederatis vult Turcam offendere, quod faxit Deus in diebus nostris, Hungaria est via ad id et aptissima et sola, tum ob soli fertilitatem, tum ob secunda Hungariae flumina, quae victualia et omnia ad bellum necessaria facile ministrarent exercitibus. Si autem defendere tantum vult Sanctitas Vestra christianam Rempublicam, etiam sic Hungaria salvanda est. Nam nunquam patuit Italia populationi Barbarorum nisi per Pannoniam, illinc Gothi, Ostrogothi, Longobardi, Hunni, Heruli, Alani more

procellae semper Italiam irruerunt, et nunc Turca non ob aliam causam instat occupationi inferioris Pannoniae, nisi ut Italiam illinc invadat, et suae subiiciat tirannidi, quam mari desperat se posse consequi. Iniunxerat item mihi Dominus Rex meus, ut Sanctitati Vestrae supplicarem, vellet iam tandem providere Ecclesiis Hungariae orbatis a tot annis pastoribus propriis: quae omnia Sanctitati Vestrae clarius dicet Reverendus Dñus Franciscus Marsupinus, cuius dictis, supplico, ut Sanctitas Vestra fidem adhibeat. Cuius clementiae me humiliter commendo. Datum Paduae vicesima septima Iunii Anno Dñi MDXXXVIII.

Eiusdem Sanctitatis Vestre

Humilis filius et mancipium
Fr. Franciscus de Frangepane

DCCCLXXIV.

Ioannes rex Hungariae pontificio apud Romanorum regem legato oratorem suum commendat. Ex orig. ibidem Filza XXIV. fol. 50.

Rño Domino Ioanni Morono Episcopo Mutinensi, Sanctissimi domini nostri apud Sacram Romanam etc. Maiestatem oratori cum potestate legati a latere existenti, Amico nostro plurimum honorando.

Ioannes Dei gratia Rex Hungarie, Dalmacie, Croacie etc. Marchio Moravie ac Lusacie et utriusque Slesie Dux etc. Rñe in Christo pater, Amice charissime. Medio huius Magnifici Hyeronimi Lasky palatini Syradiensis, presencium scilicet ostensoris, nonnulla Dominationi Vestre nunciavimus, que ab ipso fusius intelliget. Rogamus itaque Dominationem V. ut verbis eiusdem certam fidem adhibeat. Quam bene valere optamus. Ex civitate nostra Segeswar tricesima die Iulii Anno Domini Millesimo quingentesimo tricesimo octavo, Regnorum nostrorum duodecimo.

Ioannes Rex manupp.

DCCCLXXV.

Idem Ioannes pontifici, ut Marco Antonio canonico Albensi oratori suo fidem adhibeat. Ex originali ibidem Filza XXIV. fol. 54.

Sanctissimo in Christo Patri et Domino, Domino Paulo Tertio divina providentia Sanctae Romanae ac Universalis Ecclesiae Summo Pontifici, Domino meo Colendissimo.

Beatissime Pater, domine Colendissime. Post oscula pedum Sanctitatis Vestrae beatorum et mei debitam ac filialem commendacionem. Misi ad Sanctitatem Vestram hunc fidelem meum honorabilem Marcum Anthonium Canonicum Ecclesiae Albensis Transilvanae, medio cuius nonnulla Vestrae Sanctitati de negociis meis et huius Regni mei nunciavi, quae Sanctitas Vestra diffusius ab ipso intelliget. Quare oro Sanctitatem Vestram, dignetur ipsum Marcum Anthonium benigne exaudire, ac eius relatibus fidem praestare indubiam, negociaque mea, quae cum salute Reip. christianae procul dubio sunt coniuncta, ex animo habere commendata. Deus Optimus Maximus Sanctitatem Vestram pro incremento tocius Reip. christianae diu incolumem et felicissimam ad vota conservet. Datum in oppido nostro Thordensi undecima die mensis Augusti Anno Dñi Millesimo Quingentesimo Tricesimo octavo, Regnorum vero meorum duodecimo.

Eiusdem Sanctitatis Vestre

Devotus filius
Ioannes Rex Hungarie manupp.

DCCCLXXVI.

Frater Georgius, thesaurarius regis Hungariae, regem Poloniae de molitionibus Caesaris Turcarum in Hungariam certiorem reddit, petitque, ut eidem regno armis subveniat. Ex originali in secretioribus Farnesiis tabulariis Neapoli asservato.

— Hodie quidam certissimus explorator meus, qui etiam in castris Cesaris Turcharum diutius substitit, reversus est, ac de Cesaris conatibus hec sequentia refert.

Cesar a Constantinopoli exivit, secuti sunt eum ad Adrianopolim 20000 equitum, sulaconum 600, inter quos duo filii Cesaris minores natu, Ianicherorum opinione omnium non amplius quam 400. Beglerbeg transmarinus h. e. summus Capitaneus, qui Passis, Zanchachis et cunctis Prefectis universeque dicioni trans mare in levandis et comparandis viribus preest, magnusque ille Bassa de Natulia cum aliis Basais et Zanchachis non advenerunt, nec advenire poterunt propter timorem Kazul Basse, qui contra Cesarem magna molitur.

Antea inter Kazul Bassam et duos Bassas Kysyr et Kichy male conveniebatur, in presentiarum tamen isti cum Kazul concordarunt, fedusque pepigerunt, ita ut coadunatis viribus Cesaris vires ac dicionem adoriuntur. Cesar ad sustinendum impetum horum Bassarum filium suum minorem natu cum Begleerbeg Bassa de Natulia et aliis reliquit, periculumque capitis filio comminatus est, ni dicionem suam ab impetu illorum Bassarum defendat: nam Kazul intendit civitatem Bagdath, que Babilonia est, et cunctas illas partes superioribus annis per Turcam occupatas recuperare, ac item Cesaris dicionem devastare.

Turca timet Cesarem Carolum et Venetos in mari, et huius rei causa Constantinopoli reliquit unum Bassam cum duobus millibus Ianicherorum et 20000 equitum.

Cesar ultra 6000 Ianicherorum in presenti expeditione, ut fertur, non poterit habere, propteres quod per Kazul et Arnautas multi intercepti ac cesi sunt, plurimi etiam pro custodia civitatum et arcium relicti. Ut igitur Ianicherorum numerus suppleretur, in universo Cesaris Imperio facta est puerorum conscriptio, inter Grecos, Bulgaros, Sorbitas, Rascianos, Valachos cunctosque alios: que conscriptio licet alias decimalis fuerit, non tamen pro medietate facta est, ita ut ab illis, qui duos habebant, ablatus est unus, qui quatuor bini, qui octo quaterni sunt ablati, et sic consequenter. Isti pileis Ianicheris investiti dispartiti sunt in loca eruditionis, ut more Turcharum pro consuetudine Ianicherorum erudiantur.

Cesar aduxit secum 300 ingenia simul cum illis, que anno superiori Membetbeg obtinuerat, ex quibus 50 muralia, cetera campestria sunt. Ad horum conductum ex custodia 5000 equitum delegata sunt. Camelorum apud Cesarem tantus numerus, quo maior antea fuit nunquam: plurimos enim a Kazul obtinuerat.

Per Beeglerbegum, qui citra mare est, pons ad Sylester, alio nomine Kylye vocatum, erectus fuit, illic Cesar traiecit, quem Beeglerbeg cum 40000 equitum duabus hebdomadis precessit. Cesaris exercitus extimatus est in summa 240000 hominum, ita ut vix amplius habere poterit. Cesaris intentio est, ut in primis Moldaviam aggrediatur, cuius incole si Imperium acceperint, Memhetbegum illis in Zanzachum preficiet: deinde Transilvaniam adorietur, ita ut in primis Cibinium et Brassoviam, totum denique Regnum Transilvanie expugnatum filio tradat: indeque ad impugnandum Regnum Hungarie bipartito agmine veniat, quorum unum ad partes Cassovie montana, qua videlicet fodine minerarum sunt, ex Zylagh mittat, alterum vero a partibus Themesvar ad impugnandam Budam, indeque ad devastan dam Germaniam secum deducat.

Cesar quod Regnum Hungarie invadat, causatur Maiestatem Regiam h. e. Regem Iohannem sine ipsius scitu, et non sui causa cum Rege Romanorum concordasse et pactum fecisse. Turce spargunt, ex omnibus Christianis principibus preter Regem Iohannem paratos ac instructos exercitus nusquam et neminem habere, et quod istum facile debellare possunt.

Hec ille. Quare Maiestati Vestre obnixe supplico, dignetur de conferendo subsidio mature providere: nisi enim conatus tanti hostis antevertatur, timendum est, ne instantem hyemem in medio Hungarie transigat, sicque brevi totum hoc Regnum Turce subiaceat. Sic antem Maiestati domini mei clementissimi et regno huic tempestiva aderunt subsidia, negocium Christianorum tanto felicius succedet, quod Moldavus et Transilvanus visis viribus pro nobis erunt, paratique sunt, relictis suis regnis cum omni familia in Transilvania adminus cum 150000 hominum exire: ita etiam Rasciani, qui fere medietatem Hungarie equant, in officio erunt. Si ergo subsidiorum emissio maturabitur, quanta commoditate fiat, Maiestas Vestra videt, quam, ut Deus optimus felicissimam conservare dignetur, exopto.

Datum Varadini 16. mensis Augusti Anno domini 1538.

Maiestatis Vre Serenissime

addictissimus servitor

Fr. Georgius Serenissimi Regis Hungarie Thesaurario etc.

DCCCLXXVII.

Stephanus Brodericus Alexandrum cardinalem Farnesium de progressibus Turcarum in Moldavia certiorem reddit.
Ex originali in archivo generali Florentino asservato — Carte Corvini Filza XXIV. fol. 34.

Rño et Illño Dño, D. Cardinali Farnesio S. Romane Ecclesie Vicecancellario Meritissimo, Domino semper Colendissimo.

Rñe et Illñe Dñe, D. semper Collñe, salutem et obsequiorum meorum commendationem. Accepi litteras Rñe et Illñe Dom. V. una cum brevi Sanctissimi Domini nostri, quod statim per proprium

hominem missi ad Serñum Regem meum, qui certe semper fuit obedientissimus et devotissimus filius Sanctitatis sue. Hocque Dom. V. Rña et Illña certo sibi persuadeat atque Sanctitati sue dicat: nam rerum quotidianus eventus hoc apertissime demonstrabit.

Nova superioribus litteris meis ad Santitatem suam scripsi: hodie tamen venit nuntius ad me, qui eadem ferme nuntiavit, scilicet Turcarum Imperatorem personaliter in Moldavia esse, et castrum in Moldavia nomine Zuchiava, locum proprium residentie ipsius Vaivode obsedisse, et nt fertur cum ducentis millibus hominum. Locus ille non admodum munitus est iuxta morem illarum regionem. Vaivoda autem omnibus prius combustis, nt commeatus hosti desit, populum suum in Transilvaniam reduxit: se autem cum suo exercitu ad loca tuta recepit, ubi expectat, quod Serñus Rex meus possit esse paratus, qui nihil eorum, qne necessaria sunt, in tanto negotio postponit: omnes enim ad Maiestatem suam cindunt. Et hesterna die hinc discessit M. D. Hieronymus Laschy Capitaneus Generalis Serñi Regis Romanorum cum optimis peditibus numero circiter 4000: non multo autem pauciores equites Maiestatis suae alio scimus ad Serñum Regem meum vadunt. Unde nobis de victoria Dei optimi auxilio maxime speranda est. Voi insieme cum la Santità del nostro Signore pregati Iddio, che le cosse vadano bene, et di bon core sempre me offero et arecommando a la Rña et Illña Signoria Vostra, la quale Iddio felicemente conservi.

Vacie die 20. Septembris 1538.

Servitor Vestre Rñe et Illñe Dominationis
Steph. Brodericus E. Vaciensis.

DCCCLXXVIII.

Ioannes rex Hungariae pontifici grates reddit de humanissimis litteris sibi scriptis. Ex originali ibidem Filza xxiv. fol. 47.

Sanctissimo in Christo Patri et Domino, Dño Paulo Tertio Divina providentia Sanctae Romanae ac Universalis Ecclesiae Summo Pontifici, Domino Colendissimo.

Beatissime Pater, Post oscula pedum Sanctitatis Vestrae beatorum ac filialem commendationem. Litteras Sanctitatis Vestrae octava Augusti proxime preteriti Romae ad me datas accepi, ex quibus, quo amore quantaque benevolentia scripta oratoris mei, cum solus ad Sanctitatem Vestram ob celerem discessum divertere non potuisset, Sanctitas Vestra acceperit, cognovi. Cui tum pro sua in me benevolentia, qna me amplecti video, tum vero pro eo studio et affectu, eaque cura et sollicitndine, qnam de conservatione huius Regni mei tot annorum bellis attriti, et undique afflicti Sanctitatem Vestram habere cognosco, maiores quas possum ago et habeo gratias, spem certam mihi de Sanctitate Vestra pollicens, quod si unquam aliquis istius sanctae Romanae et Universalis Ecclesiae Pontifex curam conservationis Reipublicae christianae habuerit, maxime Sanctitas Vestra, quam diu felicem et incolumem nobis a Deo optimo servari desideramus, sit habitura. Non dubito enim, quin Sanctitas Vestra et Rñum in Christo patrem dñum Hieronymum Alcandrum tit. Sancti Grisogni presbiterum Cardinalem, Sanctitatis Vestrae Legatum, in hoc quoque Regnum nostrum in eum finem venire iusserit, ut si qnid huic afflicto Regno deesset, et si quid illi immineret, certius Sanctitati Vestrae referre posset, ut et ipsa defectui illius ex ea, qua in me deditissimum et obedientissimum filium et lacerum hoc Regnum, Regnorum Christianitatis propugnaculum, ducitur, affectione succurreret, et curaret, quo pacto illud a tyrannide hostis Reipub. christianae preservari queat. Quem quidem Sanctitatis Vestrae legatum, ubi veniet, ita ut decet suscipiemns. Sanctitatem Vestram Deus Opt. Max. diu felicem et sanam pro incremento Reip. christianae et Ecclesiae suae sanctae conservare dignetur. Datis in oppido nostro Thorda vigesima nona Octobris Anno Domini MDXXXVIII. Regnorum vero nostrorum duodecimo.

Eiusdem Vestre Sanctitatis

Devotus filius
Ioannes Rex Hungarie manupp.

DCCCLXXIX.

Idem Ioannes pontifici, ut Ioanni Statilio ejo Transilvano suo oratori fidem adhibeat. Ex originali ibidem Filza xxiv. fol. 45.

Sanctissimo in Christo Patri Domino, Domino Paulo Tertio Sanctae Romanae et Universalis Ecclesiae Summo Pontifici, Domino Clementissimo.

Beatissime Pater, Post oscula pednm Sanctitatis Vestrae beatorum et filialem commendationem. Misimus ad Sanctitatem Vestram hunc fidelem nostrum Reverendum Ioannem Statilium Epum Transylvanum, consiliarium et oratorem nostrum, nobis sincere dilectum, medio cuius de rebus et negotiis

quibusdam nostris et regni nostri nonnulla Sanctitati V. significavimus, quae eadem fusius ab eodem intelliget. Supplicamus itaque Sanctitati Vestrae, velit verbis dictisque eiusdem episcopi certam fidem adhibere. Nam ea Sanctitati Vestrae nomine nostro dicet, quae a nobis eidem referenda accepit. Quam Deus Optimus Maximus conservet ad sua vota pro incremento regiminis ecclesiae sanctae Dei et reipublicae christianae. Datum in civitate nostra regia Cibiniensi die undecima mensis Novembris Anno Dñi MDXXXVIII. Regnorum vero nostrorum XIII.

Eiusdem Vestre Sanctitatis

Devotus filius
IOANNES REX HUNGARIE manupp.

DCCCLXXX.

Ferdinandus rex supplicat pontifici, ut quibusdam praelatis Hungaricis cardinalatum conferat. Ex orig. ibidem Filza XXIV. fol. 51.

Beatissimo in Christo Patri et Domino, Domino Paulo Tortio divina providentia Sacrosanctae Romanae ac Universalis Ecclesiae Summo Pontifici, Domino nostro Reverendissimo.

Beatissime in Christo Pater et Domine, Domine Rñe. Post humilem commendationem filialis observantiae nostrae continuum incrementum. Commisimus Honorabili Gabrieli Sanchez, nostro apud Sanctitatem Vestram Internuntio, nonnulla eidem super promotione unius vel duorum Praelatorum ex Regno nostro Hungariae ad Cardinalatus dignitatem reverenter nomine nostro exponenda, sicuti ab eo latius intelligere dignabitur. Rogantes proinde Beatitudinem Vestram, ut dicto Gabrieli Sanchez in his, quae circa materiam illam verbis nostris sibi referet, solitam fidem adhibere, votisque nostris in ea re, ut arbitramur, haud improbandis, quin potius cum Sanctae Sedis Apostolicae augenda dignitate coniunctis, paterne respondere velit. Cui nos obsequiose commendamus. Datum in Civitate nostra Vienna die XX. mensis Novembris Anno Dñi MDXXXVIII. Regnorum nostrorum Romani octavo, Hungariae duodecimo, Bohemiae vero decimotertio.

Eiusdem Sanctitatis Vestrae

Humilis et obsequens filius
FERDINANDUS.

AD. CAROLUS.

DCCCLXXXI.

Carolus V. Romanorum imperator supplicat pontifici, ut quinque episcopos a Ferdinando Hungariae rege nominatos confirmare velit. Ex originali ibidem Filza XXIII. fol. 47.

A Nuestro muy Sancto Padre.

Muy Sancto Padre, Señor Rñno. Del Marques de Aguilar del nuestro consejo y nuestro embaxador entendera Vuestra Sanctidad lo que le scrivemos sobre las confirmaciones de cinco Obispados del Reyno de Ungria, de que y a otra vez se hablo a Vuestra Sanctidad se contento de concederlas succediendo el concierto y paz entre los Serños Rey de Romanos nuestro hermano y el Rey Iuan de Ungria, y por que agora haviendose hecho y assentado a quella segund Vuestra Beatitud lo deve haver entendido, Se haze instancia sobre ellas. Supplicamos a Vuestra Sanctidad muy humillmente, que oyga al dicho nuestro embaxador y le mande dar fee y creencia, y hazer lo que sobre ello de nuestra parte supplicare, que de mas que en ello hara, lo que conviene a la conservacion de la auctoridad suya y de sa Sancta Sede nos rescibiremos Singular gracia y beneficio de Vuestra Sanctidad, cuya muy sancta conserve nuestro Señor en prospero regimiento de su Universal yglesia. Scripta en Toledo a XXVIII. de Noviembre 1538.

DON CARLOS por la divina clemencia Emperador de los Romanos Augusto, Rey de Alomania, do Spañia, do las dos Sicilias, de Hierusalem etc.

EL REY.

DRAGUES.

DCCCXXXII.

Ioannes rex Hungariae pontifici preces iterat pro confirmando electo Agriensi. Ex originali ibidem Filza XXIV. fol. 55.

Sanctissimo in Christo patri et domino, domino Paulo Tercio divina providencia Sanctae Romanae et Universalis Ecclesiae Summo Pontifici, Domino Colendissimo.

Beatissime Pater, Post oscula pedum Sanctitatis Vestrae et filialem commendacionem. Memini antea quoque fidelem meum Roverendissimum in Christo patrem dñum Franciscum de Frangepanibus,

Bachiensis et Colocensis ecclesiarum canonice unitarum Archiepiscopum et electum Agriensem, per alias litteras meas ad confirmacionem dicti Episcopatus Agriensis, quem ego illi auctoritate iurispatronatus mei Regalis, qua ex more divorum quondam Serenissimorum Hungarie Regum predecessorum meorum fungor, ob eius vitae integritatem, singularem doctrinam et eruditionem spectatissimosque mores dudum contuli, Sanctitati vestrae presentasse et commendasse: quominus autem eam apud Sanctitatem vestram assequi potuerit, intelligo inde contigisse, ut Episcopus Zagrabiensis causatus fuisset apud Sanctitatem vestram, illum per me sibi collatum esse, quem etiamsi aliquando illi contulissem, optimo iure ab eo per suam a me defectionem, ut non aliter dicam, decidisset. Supplico igitur Sanctitati vestrae, dignetur iam tandem ipsum Agriensem in prefato Episcopatu suo confirmare, et in his quoque rebus, quibus per Sacram Caesaream et Catholicam Romanorum Caesaris Maiestatem apud Sanctitatem Vestram commendatus extit, benignam et favorabilem se illi praestare. Non dubito enim illum Sanctae Romanae Ecclesiae et Sedi Apostolicae utilem futurum: factura in hoc Sanctitas vestra mihi quoque et Regno huic rem gratissimam. De hiis latius loquetur Sanctitati vestrae fidelis meus Franciscus Marsupinus, cui Sanctitati vestrae fidem adhibeat. Quam Deus Opt. Max. conservet ad vota pro incremento regiminis Ecclesiae sanctae Dei et Reipublicae christianae. Datis Budae decima septima die Aprilis Anno Domini MDXXXVIIII. Regnorum vero nostrorum Tredecimo.

Eiusdem Vestre Sanctitatis

Devotus filius
IOANNES REX HUNGARIE manupp.

DCCCLXXXIII.

Paulus de Varda archiepiscopus Strigoniensis pontifici suos oratores commendat. Ex originali ibidem Filza XXIV. fol. 38.

Sanctissimo in Christo Patri et Domino, Domino Paulo III. divina providentia Sacrosanctae Romanae ac Universalis Ecclesiae Pontifici Maximo, Domino meo Clementissimo.

Beatissime Pater, Domine Domine Clementissime. Post oscula pedum beatorum Sanctitatis vestrae et humillimam serviciorum meorum in graciam eiusdem commendacionem. Misi ad Sanctitatem vestram hos Reverendum patrem Paulum Zondinum Episcopum Rosonensem, Suffraganeum ecclesiae Zagrabiensis, et Magistrum Federicum Archidiaconum et Secretarium meum, quibus nonnulla negocia perardua, statum et honorem meum Ecclesiaeque meae concernentia, eidem exponenda commisi. Supplico itaque Sanctitati vestrae uti Domino meo clementissimo humillime pro summa in omnes, et praesertim in Ecclesias Dei innata pietate et clementia, dignetur eosdem benigne audire, eorumque dictis fidem adhibere, Ecclesiaeque meae status, honoris et praeeminenciae adeo racionem habere, ut eo tempore, quo ex Dei nutu et Sanctitatis vestrae gracia me ille praeesse continget, existimacionis suae aliqua ex parte detrimentum accepisse minime videatur. Quod a Sanctitate vestra et eius sacrosancta Apostolica Sede perpetuis meis obsequiis et servitute indefessa emereri pro viribus conabor. Quam Deus Optimus Maximus in totius orbis christiani istiusque sacrosanctae Sedis status felicissimi conservacionem incolumem quam diutissime conservare dignetur. Viennae Austriae quarta die mensis Iulii Anno Domini MDXXXVIIII.

Eiusdem Sanctitatis Vestrae

Humillimus servitor et capellanus
PAULUS ARCHIEPISCOPUS ECCLESIE STRIGONIENSIS manupp.

DCCCLXXXIV.

Rex Romanorum scire petit a pontefice, ut archiepiscopum Strigoniensem cardinalem creet. Ex originali—Instrum. Misc.

Beatissimo in Christo Patri et Domino, Domino Paulo III. Divina providentia Sacrosanctae Romanae et Universalis Ecclesiae Summo Pontifici, Domino nostro Reverendissimo.

Beatissime in Christo Pater et Domine, Domine Reverendissime. Post humilem commendationem filialis observantiae nostrae continuum incrementum. Arbitramur dignum et aequum esse, ut Beatitudo vestra ac sancta Sedes ista Apostolica Ecclesiam Metropolitanam Strigoniensem in Regno nostro Hungariae prae aliis commendatam habeat, gratiisque et favoribus oportunis prosequatur, tum quod Christianismus in dicto Regno illic a divo Stephano Rege initium sumpserit, qui, ut memoriae proditum est, ibidem natus fuit, et sedem suam Regiam domumque habuit, quam domum in Ecclesiam tandem ad honorem Dei omnipotentis consecrasse traditur. Quae quidem Ecclesia cum ab exordio Christianismi

ibidem cepti in fide semel accepta, fidelitateque syncera erga Reges pro tempore existentes semper constans et immobilis perseverasset, sicuti in hodiernum usque diem perseverat, eam ob causam eadem Ecclesia simul et Reges atque Regnum ipsum a felicis recordationis Sacrosanctae Romanae Ecclesiae Pontificibus variis gratiarum et praerogativarum donis, immunitatibusque supra alias omnes Regni Ecclesias evehi et decorari consuevit. Et quia per infelicia horum dissidiorum tempora, quibus Regnum nostrum Hungariae tum per clades Turcicas, tum etiam domesticas hostilitates oppressum, Ecclesia quoque eadem semper in fide constanter permanens varie et multipliciter afflicta et extenuata fuit: Nos volentes illam pro eiuscemodi fidelitatis constantia ad exemplum maiorum et praedocessorum nostrorum ex erumnis et cladibus perpessis sublevare, spem dedimus atque adeo benigne polliciti sumus, effecturos Nos esse apud Beatitudinem vestram ac dictam Sedem Apostolicam, ut quamprimum fieri posset, honore Cardinalatus eadem decoraretur, per hocque totum Regnum, quod alioqui a sola illa Metropoli in spiritualibus propendet, in unum corpus integrum redigeretur, sicque in unum redactum fortius et efficatius semetipsum adversus Turcharum perfidiam tueri et defendere posset. Quapropter Sanctitatem vestram etiam atque etiam vehementer rogamus, dignetur tum ob causas supradictas, quibus etiam id recte adnumerari potest, quod eadem Ecclesia inter alias ex Regno isto principatum obtinet, et summo proximo honore ornata aliquando fuit, tum pro augmento dignitatis illius Antistitis, proque commodo et salute Regni nostri praefati, tum etiam nostrae intercessionis intuitu moderni praelati eiusdem Ecclesiae eam habere rationem, ut Cardinalatus sibi a nobis promissi titulo ad praesens non defraudetur. In quo Sanctitas Vestra rem Sedi isti Apostolicae haud indecoram et nobis gratissimam certe faciet, consultura proculdubio hac ratione Religioni orthodoxae fidoi secundum ritum ab antiquo observatum retinendae conservandaeque. Commendamus nos pro solita nostra observantia et filiali pietate paterno amori Sanctitatis Vestrae. Datum in nostra Civitate nova die Quinta Mensis Iulii Anno Domini MDXXXIX. Regnorum nostrorum Romani Nono, aliorum vero Decimotertio.

E(iusdem) Sanctitatis V(estrae)

Humilis et obsequens filius
FERDINANDUS.

AD. CAROLUS.

DCCCLXXXV.

Idem Ferdinandus supplicat pontifici, ut episcopo Salonensi, abbati Landstrensi in Sclavonia, de aliquo beneficio ecclesiastico in dioecesi Brixiensi providere velit. Ex originali — Instrum. Miscell.

Beatissimo in Christo Patri et Domino, Domino Paulo III. Divina providentia Sacrosanctae Romanae ac Universalis Ecclesiae Summo Pontifici, Domino nostro Reverendissimo.

Beatissime in Christo Pater et Domine, Domine Reverendissime. Post humilem commendationem filialis observantiae nostrae continuum incrementum. Cum supcrioribus annis a Sanctitatis Vestrae praedecessore, felicis recordationis Clemente VII., pro quondam Polydoro Episcopo Oropiense et Abbate Victoriensi mandatum de providendo eidem ad summam Quadringentorum florenorum in diocesi Pergamensi impetraverimus, atque ille iamdudum morte preventus nullum unquam exinde fructum percoperit; Nobis vero Reverendissimus devotus ac dilectus Benodictus Malvetius Episcopus Salonensis, Vicarius in pontificalibus et spiritualibus Ecclesiae Strigoniensis, et Abbas Landstrensis, praefati Polydori avunculus, ob vitae suae honestatem singularem ac eruditionem, et praecipuam illius in religionem nostram observantiam gratus et bene commendatus existat, ac illius Monasterium, quod in Sclavoniae Regno nostro situm Turcis confine est, ob vicinitatem illam sepesepius ab illis depredatum, et ob id in suis redditibus adeo sit extenuatum, ut Abbas se exinde cum debito fratrum numero ad divinum obsequium peragendum necessario commode sustentare non valeat: Idcirco Sanctitatem Vestram obsequiose rogamus, quatenus nostri et praedictorum intuitu mandatum huiusmodi eidem supplicanti ob praemissa de novo per patriam Brixiensem gratiose concedere dignetur. Quod erga Sanctitatem Vestram omni filiali nostra observantia promereri studebimus. Cui nos reverenter, ut decet, offerimus et commendamus. Datum in Civitate nostra Vienna die IX. mensis Octobris Anno Domini MDXXXIX. Regnorum nostrorum Romani IX. Aliorum vero XIII.

E. S. V.

Humilis et obsequens filius
FERDINANDUS.

AD. CAROLUS.

DCCCLXXXVI.

Ioannes rex Hungariae commendat pontifici episcopum Dumnensem oratorem suum. Ex originali — Instrum. Miscell.

Sanctissimo in Christo Patri et Domino, Dño Paulo Tercio Divina providencia
Sanctae Romanae ac Universalis Ecclesiae Summo Pontifici,
Domino Colendissimo.

Beatissime Pater, Post oscula pedum Sanctitatis Vestre beatorum et filialem commendacionem. Misimus ad Sanctitatem Vestram hunc fidelem nostrum Venerabilem patrem Nicolaum Episcopum Dumnensem, Archidiaconum cathedralis ecclesiae Quinquecclesiensis, Secretarium nestrum, medio cuius de arduis rebus et negociis quibusdam nostris et Regni nostri nonnulla Sanctitati Vestrae significavimus, quae Sanctitas Vestra diffusius ab eodem intelliget. Supplicamus itaque Sanctitati Vestrae, velit verbis ipsius secretarii nostri certam fidem adhibere. Nam ea Sanctitati Vestrae nomine nostri dicet, quae a nobis eidem referenda accepit. Cui nos humillime commendamus. Quam Deus Optimus Maximus conservet ad sua vota pro incremento regiminis Ecclesiae sancte dei et Reipublicae christianae. Datum in Civitate nostra Regia Budensi die Decima sexta Mensis Marcii Anno domini M.D.XXXX. Regnorum vero nostrorum decimo quarto.

Eiusdem Sanctitatis Vestre

Devotus filius
Iohannes Rex Hungarie manupp.

DCCCLXXXVII.

Ferdinandus rex Hungariae pontifici narrat, quae ad iucundam cum Ioanne quondam Hungariae rege concordiam egerit, quaeque isto defuncto ei adhaerentes in Hungariae interitum moliantur, politque, velit praelatos monere, ut sibi veluti legitimo regi obediant, et subsidium denique 100,000 ducatorum scatra Turcas dare. Ex originali — Instrum. Miscell.

Beatissimo in Christo Patri et Domino, Domino Paulo III. Divina providentia
Sacroanctae Romanae et Universalis Ecclesiae Summo Pontifici,
Domino nostro Reverendissimo.

Beatissimo in Christo Pater et Dñe, Dñe Rñe. Post humilem commendationem filialis observantiao nostrae continuum incrementum. Nullum dubium nobis est, quin Sanctitas Vestra antea satis edocta sit, quibus titulis ius nobis in Regnum nostrum Hungariae pridem competat. Idque primum vigore contractuum inter Serñum quondam Dñum Ladislaum Regem Hungariae, et maiores nostros de unanimi omnium eiusdem Regni ordinum consensu atque sententia solempniter firmatorum, deinde hereditario iure Conthoralem nostram dilectissimam immediate concernente, postremo etiam rite et legitime iuxtaque Regni ordinationes et Statuta facta publica Electione et Coronatione, quorum tamen omnium non habito respectu pro salute et quiete afflicti illius Regni, proque totius Reipublicae Christianae commodo cum Rege Ioanne pacis, et concordiae tractatus inire non sine gravi iurium nostrorum praeiudicio et detrimento sustinuimus, sicquo potiorem apud nos communis boni rationem, quam privatae utilitatis ducendam putavimus. At vero cum in istiusmodi pacis tractatibus inter alia diserte puris verbis expressum et sancitum sit, ut nos et haerodes nostri statim mortuo ipso Ioanne Rege sine omni controversia in universum istius Regnum succedere deberemus, non obstante quod filium post se relinqueret, cui iuxta eosdem pacis tractatus ex patrimonio Genitoris sui providere teneremur. Cumque iam idem Rex Ioannes e vita decesserit, sane statutum apud nos firmiter habemus, ut ad tam multiplicia nostra iura tuenda et conservanda, adque capessendum Regni imperium nos propius conferamus. Quia autem fidedigno exploratorum relatu accepimus, Turcarum magnas copias in confiniis adesse, eosque assiduis accessionibus augeri, velleque omnino aut Budam Regni Metropolim, aut aliquod aliud insigne eius propugnaculum violenter in potestatem suam redigere, non tam opportunum hoc tempore, quam pernecessarium visum nobis fuit, nos quoque ad arma accingero, et contractis nostris Regnorumque et provinciarum nostrarum viribus Turcarum crudolitati et tyrannidi obsistere. Hoc vero, quo minus sufficienter, et sicuti volumus et res ipsa postulat, absquo adminiculis et subsidiis praestari a nobis queat, satis constat id impedimento nobis esso, quod superioribus continuis temporibus, atque nunc etiam in varios necessarios usus, et maxime ad reprimendos Turcarum insultus plurimos maximosque sumptus fecerimus. Et quoniam Sanctitas Vestra et novit et prudenter perpendit, quam perniciosum foret, si Regnum Hungarie tanquam pomeria quaedam munitissima, ac veluti murus totius Christianitatis sub Turcarum ditionem et iugum veniat, et quam parum spei deinceps reliquum futurum sit, illud rursus e manibus illorum extorquendi et recuperandi, praesertim ubi iam patefacta fuerit ianua Turcis, ut in omnes Christianas regiones pro libidine

sua grassentur. Et praeterea pro certo denunciatum nobis sit, non minus funesto quam pernicioso consilio fratris Georgii sociorumque suorum solemnes Oratores, nempe Werbecium et Ioannem Ezeky Quinquecclesiensem, cum muneribus ad Turcam abivisse, in hoc ut tributi nomine a Turca obtineant, quo relictum filium Regis Ioannis in gratiam et defensionem suam suscipiat, illumque in eo statu, quo pater illius apud se fuit, permanere sinat, creato interim Gubernatore Regni. Facere plane non potuimus, quin ad Sanctitatem Vestram tantam periculi magnitudinem literis nostris primo quoque tempore perferri curaremus, rogantes et obsecrantes eam maiori et ardentiore, quo possumus, animi studio, ut tum rerum omnium pondus, quae in hoc negocio vertuntur, tum maxime periculorum magnitudinem multitudinemque, quae ex Regni divisione mutuaque eius populosissimae Gentis discordia expectanda sunt, etiam atque etiam attente consyderet, neque nos in hac tam urgenti necessitate, et vicissim tuendi Regni et publicae tranquillitatis constituendae hac oblata occasione deserat aut destituat, sed potius pro paterna sua in Rempublicam Christianam noŝque pietate et affectione iustas suppetias ferat, et Centum Millia Ducatorum contribuat, quo id quod ad Christi nomen et gloriam tuendam atquo propugnandam; et omnium Christianorum res stabiliendas pertinet, magno cum fructu promovere possimus: quantum enim ad nos attinet, omnes opes nostras nostrorumque omnium, qui ditionis nostrae sunt, effundere parati sumus, ut Regnum hoc, cum cuius conservatione universae etiam rei Christianae salus incolumitasque coniuncta est, in interitum ne ruat, neve Turcarum immanitati obtemperet. Praeterea petimus a Sanctitate Vestra maiorem in modum, ut simul in nostrum favorem Brevia ad omnes Praelatos in ditione quondam Regis Ioannis existentes expediri iubeat, additis etiam minis, nisi obtemperetur, ut nos, quemadmodum ex aequo debent et tenentur, ac virtute tractatuum pacis praedictae obstricti sunt, pro eorum legitimo et naturali Rege recognoscant, nobis obedientes et audientes sint, et debitum fidelitatis iuramentum sine mora praestent, eosque, qui rebelles et inobedientes fuerint, in iuribus suis Ecclesiasticis nequaquam confirmet, quin potius eosdem de authoritate et plenitudine potestatis apostolicae dignitatibus suis privet. Denique mandet etiam Nuncio suo apud nos agenti, quo dictorum Praelatorum nulli sine scitu nostro, et nisi prius fidem et obedientiam profiteantur, et propter Annatas Sanctitati Vestrae dandas nobiscum concordaverint, Confirmationem Sanctitatis Vestrae tradat aut consignet, sed tantisper eam consignationem confirmationum, donec praemissa exequuti fuerint, suspendat et extrahat, et quod Sanctitas Vestra illic etiam nullam eiusmodi inobedientibus confirmationem concedat: eo enim pacto fiet, ut quos ratio iuris nostri non moveret, hii authoritate et aequitate Sanctitatis Vestrae cohercentur, et ad officium pertrudantur. In quo Sanctitas Vestra rem Deo apprime gratam faciet, et nos id una cum Caesarea et Catholica Maiestate Fratre et Domino nostro Charissimo ita filialiter et obsequenter promerebimur, ut nos prorsus gratos, et bene memores tantorum beneficiorum pietatis et moderationis suae fuisse Sanctitas Vestra perpetuo sentiat. Quibus de rebus omnibus Honorabili Gabrieli Xantho Internuncio nostro, ut diffusius uberiusque cum Beatitudine Vestra verbis nostris loqueretur, iniunximus, cui Sanctitas Vestra fidem solitam (adhibere), nosque pro devota et humili nostra in se observantia paterne commendatos habere dignetur. Datum in Civitate nostra Vienna die XIII. Mensis Augusti Anno Dñi MDXL. Regnorum nostrorum Romani Decimo, Aliorum vero Decimo Quarto.

E(iusdem) S(anctitatis) V(estrae)

Humilis et obsequens filius
FERDINANDUS.

AD. CAROLUS S.

DCCCLXXXVIII.

Idem Ferdinandus pontifici supplicat, ut Paulum de Varda archiepiscopum Strigoniensem in collegium cardinalium cooptare velit. Ex originali — Instrum. Miscell.

Beatissimo in Christo Patri et Domino, Dño Paulo III. Divina providentia Sacrosanctae Romanae ac Universalis Ecclesiae Summo Pontifici, Domino nostro Reverendissimo.

Beatissime in Christo Pater et Domine, Dño Rñe. Post humilem commendationem filialis observantiae nostrae continuum incrementum. Quemadmodum et antea a Sanctitate Vestra magnopere contendimus, uti Rev. Paulum de Warda Archiepiscopum Strigoniensem, Regni nostri Hungariae Primatem ac Sanctitatis Vestrae istiusque sacrae Sedis Apostolicae observantissimum, rogatu nostro in Collegium Cardinalium cooptare dignaretur, ita etiam nunc pluribus de causis adducti Beatitudinem Vestram

impense rogamus, velit iamtandem votis nostris benigne respondere, dictumque Archiepiscopum Strigoniensem vel nostra causa, vel propter illius Ecclesiaeque suae merita Cardinalem facere, sicque plane ostendere, ut hasce litteras nostras ad rem istam impetrandam idem Archiepiscopus magnum pondus habuisse re ipsa sentire queat. Id quod de Sanctitate Vestra singulari diligentia promereri studebimus: Cui nos reverenter et devote commendamus. Datum in Civitate nostra Nova Austriae die VI. Mensis Novembris Anno Domini MDXL. Regnorum nostrorum Romani X. Aliorum vero XIIII.

E(iusdem) S(anctitatis) V(estrae)

Humilis et obsequens filius
FERDINANDUS.
AD. CAROLUS S.

DCCCLXXXIX.

Ferdinandus Romanorum rex grates reddit nuntio apostolico de bullis apostolicis sibi missis, assignatque eidem pensionem annuam super abbatiis in Hungaria. Ex exemplari cosevo — Instrum. Misc.

Dño Hieronymo Rorario. Ferdinandus etc. Honorabilis devote nobis dilecte. Redditae sunt nobis litterae Devotionis tuae, quas per Nuntium proprium unacum Bullis Apostolicis ad nos dedit, ex quibus satis perspeximus illius fidem et animi erga nos resque nostras bene gerendas affectionem, propensumque inprimis studium satisfaciendi ea in re desiderio et voluntati nostrae. Id quod nos a Devotione tua plane clementi animo suscipimus, neque eidem defuturi sumus nostra protectione, ne quicquam oppressionis propterea patiatur a quoquam. Quo vero Devotio tua nostrae erga se clementiae testimonium habeat, annuimus facere eidem reservationem annuae pensionis a Ducentis usque ad Trecentos Ducatos Hungaricales super una, vel pluribus Abbatiis et illarum fructibus in Regno nostro Hungariae positis: super qua reservatione, rebus nostris in dicto Regno paulo iam pactioribus redditis, literas necessarias expedire iubebimus: ita ut Devotio tua eiusmodi pensionis pro suis de nobis benemeritis vita eius durante frui atque gaudere, et in eo, quo erga nos esse testatur, deditissimo animo constanter perseverare queat, sicut Devotionem tuam facturam minime dubitamus, cui haec ad litteras suas clementer respondendum et significandum duximus. Datum in Civitate nova die XXIII. Novembris 1540.

DCCCXC.

Episcopus Zagrabiensis cum pontifice de calumniis sibi a coadiutore suo Romae impletis conqueritur, eumque de calamitosis Sclavoniae rebus certiorem reddit. Ex originali Instrum — Miscell.

Sanctissimo Domino nostro Paulo III. Optimo Maximo.

Beatissime Pater, Orationem et obedientiam prioribus literis meis reddideram Sanctitati vestrae praeter publicam totius regni huius Sclavoniae cladem, bona huius Ecclesiae meae Zagrabiensis (cui divina benignitate etiamnum praesum) hostili furore usque adeo desolata, proventibusque, quibus Ecclesiae ministri dudum alebantur, misere spoliata, ut non liceret iam mihi alioqui afflictae valetudinis, et in negociis infelicis regni occupato, dein in Curia Regiae Maiestatis saepius obversanti, per hoc obeundis omnibus Ecclesiae muniis impari a suffragiis quempiam, qui in rebus sacris vices meas ageret, deligere. Saepius onim me temporum iniuria et itineris discrimen ab Ecclesia seiungit. His nominibus precatus fueram Sanctitatem Vestram, ut mihi Reverendum dominum Paulum Zondinum redderet, quem ego ante annos non ita multos ex minore Penitentiario Hungaro, dato titulo Rosonensi, a suffragiis delegeram, sperans fore, ut is ex animi mei sentencia pro suo officio partes sacrarum rerum ageret: et eo adhuc in Urbe existente dignatus fueram in Ecclesia mea sacerdotio non ingratorum proventuum, dein Archidiaconatu, tandem Praepositura et officio Vicarii, breviter quicquid ad honestam illius vitam facere videbatur, quasi auctarium in eum contuleram: ipse tamen visus est magnitudinem beneficiorum in se collatorum ingratitudine pensare, quando non habita ratione enumeratarum necessitatum mearum reditum suum in longinquum protrahat. Subiunxeram Sanctitati Vestrae, quando ipse ad officium redire nollet, me beneficia ipsa tali viro collaturum, qui Ecclesiam sua presencia et divinis obsequiis redderet decoram: dubito tamen eas litteras ad Sanctitatem Vestram perlatas, quando nihil habeam relationis, quin potius credo ipsum dominum Paulum Zondinum eas intercepisse, quo minus voti compos redderer. Credit enim lite pendente privationem beneficiorum se interim cessante, et officio abutente fieri non posse: litem autem longe iniquis causis ab ipso concitatam nemo prudens non intelligit. Haud dubie enim Sanctitati Vestrae confirmo me illi ne temucium quidem debere, nisi quod deplorata avaritia

viciatum animum conatur maleficiis exerere, non potest sine crimine asserere ad honestum et sobrium victum quicquam sibi defuisse, sed moleste fert divicias infinitas non congessisse, et hoc nomine comminatur mihi indignationem et excommunicationem Sanctitatis Vestrae.

Scripseram Sanctitati Vestrae, et absente Regia Maiestate domini Locumtenentes ac Consiliarii Regni Hungariae per literas fidem Sanctitati V. fecerant (nisi epistolam ipse dūus Zondinus intercepit) Regnum Hungariae singulari summorum pontificum privilegio gaudere, ne quis videlicet cuiusvis status et conditionis in Urbe causam agere posset, priusquam in curia Regia per Iudices regios abunde discuteretur. Ego quidem, ut ne latum quidem digitum ab obediencia Sanctitatis Vestrae discessi, ita discessurus sum nunquam, fateor tamen citra simulationem contra libertatem regni me non audere in curia Sanctitatis Vestrae litigare, nisi prius tota vis causae in curia Regia agatur: id enim mihi non solum a Regia Maiestate, verum etiam a totius regni proceribus vicio daretur, et crimen violatae libertatis impingeretur. Proinde hortetur Sanctitas Vestra ipsum dominum Zondinum officii, ut videlicet redeat: promitto coram Regia Maiestate me illi de omnibus in me falso intentatis responsurum, et arbitrio iuris pariturum. Ubi vero redire nollet, resignet saltem titulum Rosonensem, ut liceat de alio Suffraganeo mihi cogitare, et de beneficio illi debito providere. Taceo nunc inaudita illa, et ne in somniis quidem visa convicia, quibus ipse me, Praelatum suum altera dignitate Episcopali huius Regni Hungariae fungentem, et patronum suum longe beneficum, et indignum in quem illorum vel minimum competat, incessere non est veritus: certe si vel centesimum illorum in aliquem quamlibet despicabilem ingessisset, non se continuisset a manibus: sed illis conviciis testatus est, quam sit homo afflictae virtutis. Caeterum supplex a Sanctitate de omnibus optatam expecto relationem.

Sed ut iterum communes huius regni Sclavoniae miserias commemorem, haec enim vice novorum Sanctitati Vestrae scribo, nullus est angulus, nullus mons, nullus denique vallis, qui vel equitibus vel peditibus plagiariis Turcicis non scateat. Agri nusquam vel egre a paucis colonis in casis sub fortaliciis infelicem vitam agentibus coluntur: idque ad tractum bombardae bona Ecclesiae meae, ut dixi, adeo desolata sunt, ut iam nihil reddant reditus. Sunt autem octo fortalicia, quae misere contineo, et nisi agricolationem eamque satis infrugiferam exercerem, iam dudum et fortalicia invitus deseruissem aut combussissem, et ipse egre atrum panem manducarem. Id quod cum lachrymis refero, quod reliquum erat colonorum ab incursionibus hostium anni superioris, dum adhuc nives starent, fortalicio egressi dispersi erant per vicos, parantes quae necessaria forent agricolationi, quarto abhinc die fatalis dies ademit. Turca namque equestri exercitu insperato in agris diffusos oppresit, non ita multis fuga salvatis. Publica opinio est plusquam mille ducentos promiscui sexus homines abductos. Haec sunt nostrae tempestatis insignia. Christus Sanctitatem Vestram in aedificationem Reipublicae christiane servet in sempiternum. Ex Castro meo Chasmensi vigesima prima mensis Martii MDXLI.

E(iusdem) Sanctitatis Vestre

devotus sacellanus
SIMON EPISCOPUS ZAGRABIENSIS mpp.

DCCCXCI.

Duci Venetiarum pontifex mandat, ne ab officialibus suis in civitate Spalatensi episcopum Trsguriensem eiusque fratrem molestari permittat. Ex Brev. Minut. Pauli III. Tom. 2. fol. 228.

Dilecto filio Nobili viro Duci Venetiarum.

PAULUS PP. III. Dilecte fili, salutem etc. Relatum est nuper nobis, quod officiales seculares vestre Civitatis Spalatrensis, nulla ordinis Episcopalis et ecclesiastice libertatis ratione habita, Venerabilem fratrem Episcopum Traguriensem et quendam religiosum, eiusdem Episcopi fratrem germanum, ad Prefecti quidem Turcarum inibi vicini instantiam eo pretextu detinuerunt captivos, et ut ex dicta civitate recederent, preceperunt: quod iidem Episcopus et quidam religiosus ordinis sancti Dominici eius frater de Arce Clyssie Christianis restituenda cogitaverint et tractaverint, propterea que dictum religiosum pariter sunt persecuti et persequuntur. Quod sicut multipliciter impium tum ex personis, tum ex ipsa re fuit, ita nos multiplici molestia afficit, ut debuit. Nam etiam si illi id cogitassent et perfecissent, quod tamen negare prorsusque innocentes huius rei esse asserunt, laude potius digni erant quam poena, cum pro communi religione ac Dei honore id fecissent. Quamobrem nos vix credere valentes, id voluntate tue Nobilitatis, quam piam et catholicam novimus, processisse, eam ex animo hortamur et studiose requiremus, ut ipsum Episcopum ob Dei et ecclesie honorem libertati sue redderes, et fratrem

eius deinceps ex hac causa minime molestare velit, ne divinam offensam et quod nollemus ultionem adversus se provocet. Faciet in hoc tua Nobilitas rem suo officio et pietate dignam, Deo omnipotenti acceptam et apud homines laudabilem, nobis quoque plurimum optatam et gratam, sicut hoc plenius Nuntius apud vos noster tue Nobilitati explicabit. Datum Rome etc. die XIII. Aprilis 1541. Anno VII.

DCCCXCII.

Episcopo Catharensi, ne moniales s. Clare Catharenses sub cura fratrum Minorum Conventualium degentes molestari permittat. Ex Reg. Autograph. An. VII. Tom. 2. fol. 401.

Venerabili fratri Episcopo Catharensi.

PAULUS PP. III. Venerabilis frater, salutem etc. Exponi nobis nuper fecit dilectus filius procurator generalis ordinis fratrum Minorum Conventualium nuncupatorum in Romana Curia existens, quod licet dilectae in Christo filiae Abbatissa et moniales Monasterii sanctae Clarae Catharensis, ordinis eiusdem sanctae, sub cura dictorum fratrum degentes probam et honestam, earumque professioni convenientem vitam duxerint et ducant, nullaque legitima causa existat, per quam alie moniales diverse professionis et sub cura aliorum religiosorum mansure, ipsis inde expulsis, in dictum monasterium introduci debeant, presertim cum earum superiores nihil, quoad earum curam pertineat, omittant, et iuxta litteras felicis recordationis Leonis PP. X. predecessoris nostri bullam concordiae nuncupatam fratribus Minoribus de observantia nuncupatis aliquas domos, vel Monasteria dictorum fratrum Conventualium aut sub eorum cura existentia, et e contra ipsis fratribus Conventualibus domos vel monasteria ipsorum fratrum de observantia recipere, aut in eis se intromittere minime liceat: nihilominus Abbatissa et moniales predicte timent, presertim propter favorem quorumdam potentum eis adversantium, et in dictum monasterium alias moniales sub cura dictorum fratrum de observantia mansuras introducere nitentium, ne pretextu quarumdam litterarum nostrarum contra eas eo colore, quod minus honeste se gesserint, ac alias per subreptionem et obreptionem extortarum, et certis Iudicibus eisdem potentibus complacere desiderantibus directarum, quominus in dicto monasterio manere et in illud alias in illius moniales recipere possint, impediantur, ac alias desuper molestentur, propter quod earum quies et tranquillitas non parum perturbaretur. Quare procurator prefatus nobis humiliter supplicari fecit, ut in premissis oportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, quorum mentis non fuit nec est, ut falsus precator gaudeat impetratis, ne eiusdem Abbatisse iniuria aliqua, ex qua perturbatio huiusmodi oriri possit, inferatur, desuper oportune providere volentes, huiusmodi supplicationibus inclinati fraternitati tue per presentes committimus et mandamus, quatenus si premissa nobis exposita vera esse repereris, postquam dictas nostras litteras viribus non subsistere declaraveris, dictis Abbatisse et monialibus in premissis efficacis defensionis presidio assistens, non permittas eas dictarum litterarum et processus per eas male forsan habiti obtentu per dictos Iudices, seu quoscumque alios super dicto monasterio quoquomodo impediri, sed eas prout antequam dicte littere emanarent in ipso monasterio manere facias. Nos enim tibi dictis Iudicibus ac quibuscumque aliis, quot et quotiens opus fuerit, sub censuris ecclesiasticis ac aliis penis, que tibi videbuntur, inhibendi, ac contradictores quoslibet et rebelles per easdem censuras et penas aliaque oportuna remedia, appellatione postposita, compescendi, ac auxilium brachii secularis, si opus fuerit, invocandi, aliaque in premissis necessaria seu quomodolibet oportuna faciendi, per easdem presentes facultatem concedimus, Non obstantibus premissis ac felicis record. Bonifacii PP. VIII. predecessoris nostri de una, et concilii generalis de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas quis auctoritate presentium ad iudicium non trahatur, ac aliis apostolicis constitutionibus et ordinationibus etc. Datum Romae etc. die XI. Maii 1541. Pontificatus nostri Anno Septimo.

DCCCXCIII.

Ferdinandus Romanorum rex pontifici commendat Leonardum comitem de Nogarolis capitaneum Tergestinum, suum oratorem. Ex originali — Instrum. Miscell.

Beatissimo in Christo Patri et Domino, Domino Paulo III. Divina providentia
Sacrosanctae Romanae et Universalis Ecclesiae Summo Pontifici,
Dño nostro Reverendissimo.

Beatissime in Christo Pater et Dñe, Dñe Rñe. Post humilem commendationem filialis observantiae nostrae continuum incrementum. Commisimus Nobili Leonardo Comiti de Nogarolis, Camerario, Civitatis nostrae Tergestinae Capitaneo, et Consiliario nostro fideli nobis dilecto, nonnulla Sanctitati

Vestrae nomine nostro exponenda, sicuti ab eo coram intelligere dignabitur. Rogantes proinde Beatitudinem Vestram singulari studio, ut illi in iis, quae verbis nostris referet, solitam fidem adhibere, seque pro communi Reipublicae Christianae contra Turcas defensione ita gerere et exhibere velit, quemadmodum eam facturam esse confidimus. Cui nos studiaque nostra reverenter commendamus. Dat. in Oppido nostro Linczio die XVI. Mensis Novembris Anno Dñi MDXLI. Regnorum nostrorum Rom. XI. aliorum XV.

E(iusdem) Sanctitatis V(estrae)

Humilis et obsequens filius
FERDINANDUS.
ADAMUS CAROLUS.

DCCCXCIV.

Idem Ferdinandus commendat pontifici Barth. Charrabetum Romanum, medicum castrensem in bello contra Turcas, Romam redeuntem. Ex originali — Instrum. Miscell.

Beatissimo in Christo Patri et Domino, Domino Paulo III. Divina providentia Sacrosanctae Romanae ac Universalis Ecclesiae Summo Pontifici, Domino nostro Reverendissimo.

Beatissime in Christo Pater et Dñe, Dñe Rñe. Post humilem commendationem ac filialis observantiae nostrae continuum incrementum. Cum Bartholomeus Charrabetus Sanctitatis Vestrae subditus, qui in proxime praeterita contra Christiani nominis hostes expeditione, uti physicus noster Castrensis diligenter et fideliter serviens, non solum de nobis, sed etiam de tota Republica Christiana benemeritus est, nunc in patriam suam redire, atque ad Sanctitatem Vestram sese conferre statuisset: pro nostra sane erga ipsum clementia, quam sibi istiusmodi fidelibus et nobis gratis servitiis suis comparavit, facere non potuimus, quin eum nostra non vulgari commendatione nostraeque propensae voluntatis testimonio prosequeremur. Et propterea Sanctitatem Vestram etiam atque etiam vehementer rogamus, ut eum veluti subditum suum et personam, cuius servitia nobis cumprimis grata et accepta acciderunt, in omnibus ipsius rebus et negotiis, in quibus Sanctitatis Vestrae auxilium et protectionem imploraverit, ita nostro rogatu benigne semper adiutum, promotum et commendatum habere dignetur, ut quemadmodum nos ardenter cupimus, ipse in effectu atque re ipsa sentiat et cognoscat, sibi nostram hanc commendationem apud Sanctitatem Vestram magnopere profuisse, sicuti eandem facturam esse valde confidimus. Cui nos reverenter et obsequiose commendamus. Datum in Civitate nostra Vienna die III. Mensis Decembris Anno Domini MDXLII. Regnorum nostrorum Romani Duodecimo, Aliorum vero XVI.

E(iusdem) S(anctitatis) V(estrae)

Humilis et obsequens filius
FERDINANDUS.
ADAMUS CAROLUS.

DCCCXCV.

Idem Ferdinandus pontifici supplicat, ut archiepiscopum Strigoniensem, qui propter regni negotia ad concilium Tridentinum venire nequeat, excusatum habeat. Ex originali in secretioribus Farnesiis tabulariis Neapoli asservato.

Beatissimo in Christo Patri et Domino, Domino Paulo III. Divina providentia Sacrosanctae Romanae et Universalis Ecclesiae Summo Pontifici, Domino nostro Reverendissimo.

Beatissime in Christo Pater et Domine, Dñe Rñe. Post humilem commendationem filialis observantiae nostrae continuum incrementum. Inter alios Praelatos et Ecclesiarum Dei Episcopos sub Dominiis et Regnis nostris positos intelleximus, fidelem nostrum Rev. in Christo patrom Paulum de Warda Archiepiscopum Strigoniensem a Sanctitate Vestra superioribus diebus Tridentum esse ad Concilium accersitum. Cum itaquo ille idem Strigoniensis Sanctitatis Vestrae et Sanctae Sedis Apostolicae apprime obediens parere mandato Vestrae Sanctitatis proposuisset, ut par erat, relictis scilicet rebus omnibus, quae eum a tali itinere iure hoc tempore poterant retardare: Nos consyderata periculorum magnitudine, in quibus Regnum nostrum Hungariae versatur, cum, qui primas Regni esset inter fideles nostros, tali tempore abesse sine Reipubl. et suae Ecclesiae gravi incommodo nequaquam posse arbitrati sumus: fecimus itaque libenter, ut eum apud Sanctitatem Vestram excusandum ipsi susciperemus, rati perfacile, quae vellemus, impetraturos nos hac in re a Vestra Sanctitate fore, cui scilicet statum Hungariae omni

plane ex parte perspectum esse non dubitamus. Sanctitatem Vestram idcirco diligenter rogamus benigno animo ferre, Nosque habeat testes locupletes, illum ita addictum et obnoxium esse Vestrae Sanctitati et Sanctae Sedi Apostolicae, ut fide, observantia et obedientia erga eam nemini unquam sui ordinis sit facile concessurus. Commendamus Nos eidem Sanctitati Vestrae perquam reverenter. Datum in Civitate nostra Vienna die XVIII. Mensis Decembris Anno Dñi MDXLII. Regnorum nostrorum Romani XII. aliorum vero XVI.

(Eiusdem) Sanctitatis V(estrae)

Humilis et obsequens filius
FERDINANDUS.
AD. CAROLUS.

DCCCXCVI.

Idem Ferdinandus supplicat pontifici, ut Martinum electum Vesprimiensem confirmet et annatas remittat. Ex originali.

Beatissimo in Christo Patri et Domino, Domino Paulo III. Divina providentia Sacrosanctae Romanae et Universalis Ecclesiae Summo Pontifici, Domino nostro Reverendissimo.

Beatissime in Christo Pater et Domine, Domine noster Reverendissime. Post humilem commendationem filialis observantiae nostrae continuum incrementum. Facit singularis virtus, probitas et doctrina Reverendi Martini de Kecheth Electi Episcopi Vesprimiensis multis sane documentis nobis iam dudum cognita et perspecta, ut illum a Sanctitate Vestra et sancta ista Sede Apostolica rem dignam et honestam impetrare cupientem non possimus non vehementer commendare. Iam diu enim est, cum a nobis post Reverendi Thomae de Zalahaza, Cancellarii quondam nostri in Hungaria, viri magnae prudentiae et dexteritatis, utpote Avunculi sui obitum Ecclesiae Vesprimiensi praefectus fuit: quae licet olim magni nominis fuerit atque adeo non spernendos proventus habuerit, tamen a multis iam Annis maiorem sane partem reddituum illius per Turcas misere occupatam, nec non reliquias quasi omnes per intestina bella devastatas esse satis constat. Sed cum confirmationem suam a Beatitudine Vestra, ut debet, obtinenere saepe antea optavit, vel non ausus fuit propter tenuitatem suam, vel superioribus istis temporum calamitatibus et erumnis impeditus hoc ipsum hactenus postulare: nunc vero postquam a nobis et Praelatis ac Baronibus praefati Regni nostri Hungariae unacum aliis ad Concilium generale Tridenti habendum solemnis Legatus, et Commissarius electus et destinatus fuerit, spem bonam cepit, se posse iam tandem, nobis praesertim intercedentibus, id quod tantopere pro sua in Sanctitatem Vestram et sanctam istam Sedem Apostolicam devotione exoptat, a Sanctitate Vestra consequi. Quocirca Sanctitatem Vestram maiori, quo possumus, studio hortamur et rogamus, dignetur praefatum Electum Episcopum Vesprimiensem tum nostri intuitu, tum etiam virtutum suarum, quibus ab Altissimo abunde praeditus est, nosque eius rei locupletes testes sumus, Auctoritate Apostolica id est suprema confirmare, illique desuper litteras oportunas et necessarias clementer expediri et tradi iubere, et quod ad taxam attinet, eidem propter attenuatos Ecclesiae suae proventus perclementem gratiam impartiri. Id quod una cum ipso de Sanctitate Vestra sanctaque ista Sede Apostolica promereri contendemus. Cui nos reverenter et humiliter commendamus. Datum in Civitate nostra Vienna die Prima Mensis Ianuarii Anno Domini Millesimo quingentesimo quadragesimo tertio, Regnorum nostrorum Romani Duodecimo, Aliorum vero XVI.

E(iusdem) Sanctitatis V(estrae)

Humilis et obsequens filius
FERDINANDUS.
AD. CAROLUS.

DCCCXCVII.

Paulus de Varda archiepiscopus Strigoniensis pontificem de progressibus Turcarum in Hungaria, expugnato Strigonio, certiorem reddit. Ex originali — Instrum. Misc.

Beatissimo in Christo Patri et Domino, Domino Paulo Tertioi divina providentia Sacrosanctae Romanae et Universalis Ecclesiae Pontific Maximo etc. Dño mihi Clementissimo.

Beatissime Pater, Domine Clementissime. Post oscula beatorum pedum et humillimam mei in gratiam Sanctitatis Vestrae commendationem. Inter multa atque ardua negotia, quibus Sanctitatem

Vestram pro recta totius orbis Christiani moderatione occupatam iugiter esse sciebam, non putavi his temporibus oportere litteris meis Sanctitati Vestrae negotium praeberi, cùm ea maxime, quae ipse de statu huius afflicti Regni scribere debuissem, non ignorarem a plerisque, praecipue vero a Serenissimo Rege meo et eius Legato ad Sanctitatem Vestram perferri. Hoc autem tempore cum praeter omnium bonorum opinionem Arx et Ecclesia mea Strigoniensis, per quos minime decebat minimeque oportebat, turpiter est in potestatem hostium dedita, tametsi exploratum prope habebam, Sanctitatem Vestram de tota belli ratione, deque hostis successu in hoc Regno ad hunc usque diem factam esse certiorem, visa est tamen officii mei ratio suo quodam iure a me exigere, ut ipse inprimis litteris meis Sanctitati Vestrae modum atque ordinem totius rei gestae describerem, quod mihi facile persuaderem, tali tempore inter multas et graves Sanctitatis Vestrae curas mea quoque scripta locum aliquem habitura esse. Opinor autem Sanctitati Vestrae latius constare, quam ut commemoratione longa opus sit, me superioribus annis inter duorum Regum dissidia cum Serenissimo Rege meo me meaque omnia in omne tempus tradidissem, cuius sane causam meliorem esse quemque fovere partes inprimis Reipublicae Christianae, cum multis praeclarisque argumentis, tum vero Sanctissimi Domini nostri piae memoriae praedecessoris Vestrae Sanctitatis testimonio per edictum promulgato plane didiceram, Arcem meam Strigoniensem cum Ecclesia pro voto suae Maiestatis illi, suisque hominibus ad usque pacis tempus libere permisisse muniendam custodiendamque, prout illi magis libitum foret. Cumque non multo post Vestrae Sanctitatis benignitate Annata pro confirmatione mea istic debita mihi condonata fuisset, ea lege, ut pecuniam illam in munitionem Arcis converterem, feci per decennium, ut cum ad singulare meum studium firmandi eum locum validis moenibus et propugnaculis, quo sane meapte natura tenebar, mandatum Vestrae Sanctitatis accessisset, vetera reparando et nova a fundamentis erigendo circum Arcem et moenia, prout magis Praefecto Regio eius loci collibitum fuerat, aedes quoque interiores instaurando ornandoque, expositis ultra quadraginta millibus florenorum in summa proventuum meorum distractione, praeterque alios praegraves sumptus inter tot bellorum strepitus et in Aula principis factos, tantum iam me meis impensis effecisse constaret, ut gravissimorum hominum iudicio quemvis hostium insultum perferre, cuiusvis etiam Principis aditum admittere, ut ita dicam, Arx sic intus forisque a me extructa recte posse videretur. Praesidium gentium quodcunque voluit Maiestas sua, et Praefectum arbitratu suo in ea semper Arce habuit Maiestas sua, neque mihi unquam curae fuit cogitare de numero gentium, quae in Arce satis forent, de commeatibus aliisque rebus in tali loco maxime necessariis. Quod et Maiestas sua id sibi negotii penitus desumpserat, nec sine suspitione aliqua, ut tum quidem se tempora habuerunt, ingerere me ad ista potuissem. Cumque ex Praefecto praesidii vel Castellano, viro, ut mihi quidem videbatur, acri et industrio audirem commeatum omnis generis, bellicas machinas instrumentaque et materiem pro munitione inprimis necessariam ad quamvis diuturnam obsidionem ferendam in Arce repositam et collocatam esse, gaudebam tam periculoso tempore, parum admodum aut nihil esse, quod Ecclesiae meae pertimescerem, praesertim qui in Deo Optimo Maximo confiderem, locum illum eius inprimis cultui dicatum divina eius benignitate uti antea aliquoties mirabiliter a quovis hostili insultu tutum et defensum fore.

Ecce autem hoc anno hostis superbus repente praeter morem Regnum ingressus, debellatisque per deditionem duabus munitissimis Arcibus, Walpo et Soklyos, oppressaque urbe Quinquecclesiensi, secundam fortunam primo impetu adeptus, tantarumque rerum successu elatus propere ad reliqua subigenda contendens, opinione omnium celerius Arcem Strigoniensem die XXIII. Iulii obsedit: in qua cum ad mille quingenti pedites praeter aliam turbam collocati essent, satisque praesidii pro magnitudine loci ad quamvis diuturnam oppugnationem multorum iudicio videretur, tribueretur etiam plurimum audaciae et magnitudini animi Praefecti: quippe qui multos iam annos in ea praefectura commoratus, magnam de se expectationem magnanimis suis verbis omnibus concitarat (ut fit plerumque pacis tempore), omnes prope summam spem ex Dei summi benignitate cumprimis conceptam habebamus, fore ut frustra hostis locum illum expugnare niteretur. Sed o spes fallaces, o inanes hominum cogitationes! Septimo die postquam oppugnari quatique moenibus Arx caepta est, (nam decimum ferme diem antea hostes construendis aggeribus et machinis disponendis, aliisque huiusmodi parandis transegerant) quanquam pridie eius diei aggressionem irruptionemque hostium, qua moenia disiecta erant, nostri non solum acriter sustinuerant, sed magna etiam et memorabili eorum strage ipsos a moenibus repulerant, ex eoque militibus nostris animi non parum additum erat, Castellanus sive dolo malo antea concepto seu metu praesentis periculi, cum iam inde ab initio obsidionis demisso vultu atque animo

menteque attonita et consternata fuisset, adhibitis nonnulli praefectis militum et de numero amicorum quibusdam, mutuoque inter se habito consilio, seditiosos quosdam milites suborsat, per eosque caeteris ostentat periculi magnitudinem, disiecta Arcis moenia et funditus eversa multis in locis commemorat, hostem formidabilem et potentissimum adesse, penuriam in Arce quam maximam esse rerum apprime necessariarum, hortatur, ut unanimiter deliguntur ad hostes, qui sese atque Arcem dedentes pacem et veniam implorent, praeclare benigneque, ut in re extrema, secum actum iri, si vivis inde abire licoat. Cum facile nonnullis persuasisset, Germani milites contra instare, obtestari, uequid tale in perpetuam infamiam atque ignominiam suam suaeque gentis struerent, non videre, unde repentina haec trepidatio in animos eorum invasisset: superiori die feliciter pugnatum, hostes accepta ingenti clade non tam facile posthac vel irruptionem concursuros, denique quidvis potius subeundum esse, quam Arcem Christianitatis propugnaculum per formidinem et ignaviam prodere, sesoque pecudum in morem perfidis hostibus cruciandos, et ad extremum necandos ultro obiicere: speraudum in Deo Optimo Maximo et pro moenibus, si ita res ferat, animam simul cum Arce amittendam esse. Quc cum nihil proficerent, quod iam obdurnerat mens praefectorum, iamque illi inter hos tumultus, nondum exploratis animis militum, misso caducestore in castra ad fidem petendam, hostibus ex composito Turrim ad aquam positam dedidissent, eo conspecto hostibusque iam intra Arcem ab aliquot partibus ingredientibus, milites consentire deditioni impulsi sunt, atque ita Arx et Ecclesia huius Regni celeberrima turpiter, a quibus minime unquam petuisset existimari, prodita est, ipseque Tyrannus ne aspectum quidem praefectorum post deditionem pertulit, quippe quos tali scelere inquinatos quovis supplicio dignissimos censeret, licet ipse quidem datam fidem, exutis spoliatisque praefectis et militibus, ablatisque insignibus et armis extra Arcem praeter paucos dimissis, integre praestiterit. Sunt qui affirment viri fidedigni, Castellanum iam inde ab initio conspirasse cum amicis ad tradendam Arcem, scriptasque literas et iaculo applicatas in castra proiecisse, quibus literis debiliorem Arcis partem hostes edocebat, Turrim Sext aquaticam, easque expugnata pollicebatur Arcem deditum iri. Haec tamen omnia clarius elucescent: iam enim ex his inditiis et rei exitu inopinato Castellanus cum caeteris deditionis authoribus in carcerem coniectus veritatem patefaciet.

Exposui Sanctitati V. rem, prout gesta est, sane non sine luctu et lachrimis: tametsi enim bona proventusque Archiepiscopatus mei dedita Arco nondum mihi ulli erepti, vel etiam imminuti sunt, vix ipse tamen mihi superesse videor, qui Ecclesia mea, quae mihi mea vita carior semper fuit, tam indigne orbatus sim: neque mehercule mors mihi acerba ulla visa foret, si mihi mori contigisset, priusquam hoc spectaculum viderem. Satis ipse quidem diligenter insteti apud Sorenissimum Regem meum paucis diebus ante obsidionem, ut venia sua liceret ad Ecclesiam meam profoisci: divinabam iam tum animo meo peracerbam mihi imposterum vitam fore, cernebamque praesentiam meam maximum momentum ad illius Ecclesiae conservationem allaturam esse, sed in hoc magistratu posito impetrare nequaquam licuit.

Nunc quod restat urgeo dies et noctes non cesso, ut sua Maiestas coactis quibus potest copiis, venire in hoc Regnum ipsa non differat, et se hosti ingenti quidem multitudinem hominum stipato, sed paucis ad pugnam manusque conserendas aptis, acriter divino fretus auxilio opponat, habiture, si venerit, incredibilem ex hoc Regno equitum numerum ad tam salutarem expeditionem. Recreati enim nostratium animi, et in spem meliorem erecti, praesentem quisque operam certatim praestabit suae Maiestati, adeo ut divina ope adhuc hoc anno recuperari posse Strigonium sperandum sit. Sanctitati V. meo et aliorum nostratium nomine immortales ago gratias, quod tempestive copias suas velut etiam superiori anno in subsidium huius afflictae patriae misit, pro qua quidem eximis in nos pietate habebit Sanctitas Vestra et sui posteri nationem hanc sibi perpetuo devinctam atque obligatam. Ego vero, qui iampridem in Sanctitatis Vestrae gratia et benignitate peculiarem quandam fiduciam repositam habeo, quique illi et suis omnibus me in omne tempus devovi, cura pro illius incolumitate felicitateque orare Deum nusquam omittam, eidem supplico humillime, dignetur me veterem suum fidelem Capellanum solita gratia amplecti, nec indignum reputare, in quem pro temporum et rerum occasionibus munificentiae et liberalitatis suae aliqua signa conferat. Cui me rursum humillimo commendo. Datum Posonii die XX. Augusti Anno MDXXXXIII.

Sanctitatis Vestrae

humillimus ac fidelis servitor et capellanus
PAULUS ARCHIEPISCOPUS STRIGONIENSIS
manu propria.

DCCCXCVIII.

Ferdinandus Romanorum rex pontifici preces iterat pro promovendo archiepo Strigoniensi ad cardinalatum. Ex originali.

Beatissimo in Christo Patri et Domino, Domino Paulo III. Divina providentia Sacrosanctae Romanae ac Universalis Ecclesiae Summo Pontifici, Domino nostro Reverendissimo.

Beatissime in Christe Pater et Domine, Domine Reverendissime. Post humilem commendationem filialis observantiae nostrae continuum incrementum. Non ignorat Sanctitas, Vestra quanta diligentia aliquoties iam scripserimus ad eam in commendationem Reverendi fidelis syncere nobis dilecti Pauli Archiepiscopi Strigoniensis, Locumtenentis nostri in Hungaria, quo etiam studio petierimus tum per Reverendum Nuntium Vestrae Sanctitatis apud nos residentem, tum etiam per nostrum Agentem, qui istic est apud Vestram Sanctitatem, ut in Creatione Cardinalium Archiepiscopi quoquo Strigoniensis rationem habere dignaretur, non solum quod in eo gratissimam rem nobis Sanctitas Vestra factura esset, sed quod ipse se tali munere dignum exhibere modis omnibus studeret. Respondit Sanctitas Vestra ad huiusmodi petitiones nostras benigne satis, et se data occassione voto nostro obtulit aliquoties satisfacturam. Etsi igitur putamus ulteriori commendatione minime opus esse, ut qui occasionem a Sanctitate Vestra non praetermissum iri confidamus: cum tamen ipse Archiepiscopus Strigoniensis difficillimis his temporibus non nobis solum et Regno nostro Hungariae, sed toti Reipublicae Christianae indefessa solicitudine sua curandis tractandisque negotiis Hungaricis, dum nos in aliis Regnis et Provintiis nostris esse cogimur, gratum se et acceptum magnopere praestet, et pro sua veteri in Deum Optimum Maximum religione, ac Sedem Apostolicam Sanctitatemquo Vestram singulari prope observantia quavis accessione plane dignus sit: his sane de causis illi de nobis et Christiana Republica tam solicite bonomerenti si promotione ista gratificaretur Sanctitas Vestra, eam rem plurimum ad statum harum partium religionemque conservandum hoc tempore conducore posse facile arbitramur. Quae omnia cum Sanctitatem Vestram recte videre existimemus, ab eadem petimus vehementer, in proxima ereatione Cardinalium eundom Strigoniensem totios a nobis commondatum, et alioquin ista Sanctitatis Vestrae liberalitate bene dignum nolit praetermittere, sibique persuadeat nos magni muneris loco a Sanctitate Vestra hanc Strigoniensem promotionem reputaturos esse, prout hac de re latius mandatum dedimus Agenti nostro apud Sanctitatem Vestram, cui fidem plenam habere dignabitur. Eidom Sanctitati Vestrae nos obsequiose et revcrenter commendantes. Datum in Civitate nostra Vienna die XXIII. mensis Octobris Anno Dñi MDXLIII. Regnorum nostrorum Romani Decimo tertio, Aliorum vero Decimo Septimo.

E(iusdem) Sanctitatis V(estrae)

Humilis et obsequens filius
FERDINANDUS.

Io. IORDANUS s.

DCCCXCIX.

Idem Ferdinandus pontifici preces iterat pro conferendo cardinalatu praedicto archiepiscopo Strigoniensi. Ex originali in secretioribus Farnesiis tabularia Neapoli asservato.

Beatissimo in Christo Patri et Domino, Domino Paulo III. Divina providentia Sacroanctae Romanae et Universalis Ecclesiae Summo Pontifici, Domino nostro Reverendissimo.

Beatissimo in Christo Pater et Dñe, Dñe Rñe. Post humilem commendationem filialis observantiae nostrae continuum incrementum. Quanto studio multos iam annos et literis et nuntiis identidem egerimus apud Vestram Sanctitatem, ut fidelem nostrum Rñum in Christo patrem Paulum Archiepum Strigoniensem, summum Cancellarium et Locumtenentem nostrum in Regno Hungariae, nobis syncero dilectum, in Cardinalium numerum cooptaret, satis potest Sanctitas Vestra memoria tenere, ot illud quoque, quod quamvis ad preces nostras eadem Sanctitas Vestra semper responderit, sese prima quaque occasione nostrae petitionis benignam rationom habituram esse, hactenus tamen protracta res sit, compluribus occasionibus praetermissis, in quibus omnino sperabamus nostri huiusce voti nos compotes futuros esse. Cum igitur ea sint merita praefati Archiepiscopi Strigoniensis in sanctam Sedem Apostolicam, ut ea dignitas personae suae, etiam tacentibus nobis id quod nos tanto studio a Sanctitate Vestra contendimus, quae suapte sponte talibus viris mirifico favere solet, promereri iamdudum debuisse videatur: etai nihil quidem verebamur, quum Sanctitatem Vestram perbrevi huic petitioni nostrae satis esset

aliquande factura, cum tamen praememoratus Locumtenens noster in iis, quae ad Regni nostri Hungariae administrationem spectant, difficillimis temporibus studio, industria ac vigilantia sua esse indies magis nobis commendet, nihil interim praetermittens, quod in tantis rerum discriminibus ad retinendam religionem et pietatem in Deum sanctamque istam Sedem Apostolicam ab ea usquam praestari possit: visum est inter caetera negotia hoc temporis Sanctitati Vestrae hac de re quoque breviter scribere, et ab eadem petere vehementer, dignetur ita efficere, ut fidelis noster praefatus operae et solicitudinis suae, quam nobis et Christianae Reipublicae assidue summa cum laude praestat, hoc saltem premium Vestrae Sanctitatis munificentia ac liberalitate extrema aetate sua consequatur. Id quod nos quoque a Sanctitate Vestra non vulgaris officii numero apud animum nostrum reponemus. Cui nos et eundem Archiepum omni studio et observantia humiliter commendamus. Datum in Arco nostra Regia Pragae die XXIX. mensis Octobris Anno Dñi M.D.XLVI. Regnorum nostrorum Romani XVI. aliorum vero XX.

E(iusdem) Sanctitatis V(estrae)

Humilis et obsequens filius
FERDINANDUS.

AD. CAROLUS.

DCCCC.

Idem supplicat pontifici, ut Claudium Zaium ad manus episcopale ecclesiae Tergestinae accipiendum exhortetur. Ex originali.

Beatissimo in Christo Patri et Domino, Domino Paulo III. Divina providentia sacrosanctae Romanae ac Universalis Ecclesiae Summo Pontifici, Domino nostro Reverendissimo.

Beatissime in Christo Pater et Domine, Domine Reverendissime. Post humilem commendationem filialis observantiae nostrae continuum incrementum. Quum vita defuncto haud ita diu Petro Bononio Tergestinorum Episcopo de alio quopiam in demortui locum praeficiendo, qui non solum digne praeesse Episcopatui illi, cuius neminatio et praesentatio veteri praedecessorum nostrorum iure ad nos pleno spectare dignescitur, verum etiam tum verbo, tum exemplo dominico ibidem gregi sibi committende utiliter prodesse posset, pro nostra in rem christianam cura pietateque mox cogitaro circumspicereque caepissemus, nullius hominis nobis tum cogitantibus aeque magis in mentem venit quam unius Claudii Zaii, de cuius singulari virtute, vitae sanctimonia, morum innocentia, divinarumque rerum cognitione recordatio et memoria nostra valde nos delectabat. Illius enim vivam vocem omnique pietate ac celesti doctrina plenas conciones saepe cum libentor, tum attente superiori tempore, quum Wormatiae in Comitiis Imperialibus essemus, audivimus, ot inde sane factum est, ut non alium ex omnibus, qui nobis occurrebant, eo viro magis dignum, magisque aptum et idoneum sacra ista functione Episcopalique munere existimaverimus. Quare cum eodem statim per Venerabilem Episcopum Labacensem, Consiliarium, Confessorem et supremum Elemosynarium nostrum, qui Venetias usque ad eum excurrit, agi et tractari diligenter curavimus, ut id muneris dignitatisque a nobis ultro dolatum lubenti animo suscipere et obire ne detrectaret: at is vero etsi non potuit non laetari nostra tam propensa in eum voluntate animique inductione, tamen, quae est eius summa modestia et mentis bonitas probitasque, excusans vires suas ad suscipienda Episcopalia munia esse longe imparos, sponte oblatam provinciam omnibus modis praeter spem nostram subire recusavit. Nos autem quanto magis videmus hominem istum ob insignem probitatem suam a vocatione illa refugere, tum animum illius ab omni ambitione longe esse remotissimum, tanto maiori profecto desyderio accendimur, procurandi scilicet, quantum in nobis est, ut talis vir pius et doctus oppidi nostri Tergestini civibus et incolis in verbo Dei, caeterisque Episcopalibus muniis et offitiis regendis cumprimis praeficiatur, presertim cum intelligamus, in dicto Episcopatu locisque et regionibus circumvicinis complures existere, qui eiusmodi sacrorum Antistite ac veluti doctore magnopere opus habeant. Nos itaque uti christianum et catholicum Principem ingens solicitudo curaque tenet, atque adeo offitii nostri ratio nos admonet et impellit, ut in tempore prospiciamus do pastore et praesule aliquo in dicto Episcopatu constituendo, ot per nos nominando et praesentando, qui por Sanctitatis V. oraculum approbatus, et eiusdem ac Sanctae Sedis istius Apostolicae suffragio sententiaque confirmatus, oves sibi commissas et traditas verbo Dei Christique doctrina pascere, errantesque aut seductas in viam rectam revocare et reducere studeat. Sed ut ante diximus neminem unico illo Claudio Zeye aut optiorem, aut meliorem ad functionem istam hoc tempore reperiri posse omnino credimus, quapropter Sanctitatem Vestram impraesentiarum maieri, quo possimus, studio rogandam duximus, uti ea supremam autherita-

tem suam interponendo illi ipsi Claudio sub obedientiae virtute iniungere et praecipere velit, ut posthabitis omnibus excusationibus functionem illam Episcopalem apud subditos et fideles nostros Tergestinos ad promovendam Dominici gregis salntem, populosque ibidem in vero Dei cultu et timore fraternaque erga proximum dilectione continendos subire in animum inducat, in quo Sanctitas Vestra rem tum nobis admodum gratam, tum Deo, cuius gloriam et timorem apud subditos nostros auctum iri cupimus, cumprimis acceptam factura est. Commendamus nos Sanctitati Vestrae pro filiali amore nostro obsequenter. Datum in Arce nostra Regia Pragae die XXXI. mensis Octobris Anno Domini MDXLVI. Regnorum nostrorum Romani XVI. Aliorum XX.

E(iusdem) Sanctitatis V(estrae)

Humilis et obsequens filius
FERDINANDUS.

AD. CAROLUS.

DCCCCI.

Electus Varadiensis litteris ad cardinalem Farnesium datis coram pontifice de ambiendo episcopatu Transilvanensi se purgat, supplicat, ut electi episcopi confirmentur, commendatque enixe tum pontifici tum cardinali causam filii Ioannie regis Hungariae. Ex originali in secretioribus Farnesiis tabulariis Neapoli asservato.

Rño in Christo Patri et Dño, Dño Alexandro Farnesio tituli S. Laurentii in Damaso S. R. E. Vicecancellario, Dño meo Illño et Obsño.

Rñe in Christo Pater et Dñe, Dñe mihi Observandissime. Obsequiorum meorum in benevolentiam D. V. Rñe diligentem commendationem. Frater Augustinus ex Dalmatia Ordinis Fratrum Predicatorum anno preterito ex Urbe rediens litteras Dom. V. Rñe Albe Iulie, sede episcopali regni Transilvanensis, mihi reddidit: quibus tum propter viarum discrimina, tum quod preter hunc fratrem Augustinum, cui hec urbana negotia tuto committerem, haberem neminem, hactenus respondere non potui. Ex quibus et amorem illum, quo me et ecclesias regionis huius Dominatio Vestra Reverendissima prosequuta est, et benignitatem Sanctissimi Domini Nostri ex rebus, studio et diligentia Dominationis V. Reverendissime consequutis abunde intellexi: pro qua re Dominationi V. Rñe magnas gratias et ago et habeo, que non solum curam conferendorum suffraganeorum suscepisset, verum etiam existimationis mee summam habuit rationem, cum opinioncm illam, qne vanitate quorundam de me apud sanctam illam Sedem Apostolicam de episcopatu Transilvanensi increbucrat, ad me perscribere, meque pro christiana charitate monere non dubitaverit, ut ita aliorum saluti consulerem, ne meam viderer penitus neglexisse. Que tam pia etiamque salutaris hortacio, cum ex abundancia amoris profecta sit, non potest mihi non esse gratissima. Et si meum in ambiendis honoribns voluntatem Dominatio V. Rña cognosceret, non dubito, quin aliter longe de me esset iudicatura. Ego enim mea condicione, qne etiam me invito a Serenissimo quondam principe meo, dño Iohanne rege Hungarie etc. dño et benefactore meo clementissimo, mihi delata est, ita sum contentus, ut preter hanc nihil omnino qneram amplins. Illum vero episcopatum, de quo accusor immerito, usque adeo non attigi, et cum administratio tantum Regni mihi tradita sit, preter ceremonias et alios ritus in ecclesia illa nihil omnino curandum assumerem. Verum cum post illius quondam Maiestatis obitum regnum Ungarie in hanc calamitatem incidisset, et regia quoque illa Budensi amissa, has tantum reliquias regni tenere cogemur, redditusque regni ita essent in angustum redacti, ut non modo ad solutionem tributi, quod singulis annis Imperatori Turcharum pendimus, sed ne ad sustentationem quidem Reginalis Maiestatis eiusque illustrissimi filii pro dignitate istarum Maiestatum satis esse viderentur, pro illa fidei constantia, quam subditi etiam posteris principum prestare debent, consensu omnium ordinum huius regni episcopatum Transilvanensem cum omnibus proventibus Reginali Maiestati, eiusque illustrissimo filio, unde quotidiane necessitates istarum Maiestatum sublevarentur, deferre voluerunt, in qua ecclesia, teste ipso fratre Augustino, preter prepositurae nihil est, quod possideam. Rogo igitur ipsam pro mea erga D. V. Rñam observancia singulari, velit non aliter de me cogitare, quam homines graves et prudentes de bonis et religionis christiane studiosis cogitare solent, testimonioque bonorum magis credere, quam vanissimorum hominum sermonibus, qui preter insitum quendam animi furorem discordiis tantum et seditione pascuntur. Et quamvis Sanctissimi Domini Nostri clementiam in suffraganeorum per nos clectorum promocione summam in nos esse cognoverimns, contigit tamen, ut iidem illi visa tanta varietate doctrine adduci non potuerunt, ut oblatam illis condicionem assumerent. Cum antem eorum opera in consecrandis idoneis ministris, qni perpanci admodum sunt, ecclesie nostre adeo indigeant, ut in decem pagis vix nnus minister reperiatur, ad suffraganeo-

rumque confirmacionem (?), preter unum Bodonicnsem episcopum suffraganeum Varadiensem, hominem et etate et annis ita confectum, ut diu omnino vivere non possit, habeamus in toto hoc regno neminem: Dominationem V. Rñam rogo, velit pro sua ergo hoc regnum et religionem christianam affectione, interposita auctoritate sua, hoc a Sanctissimo Domino Nostro impetrare, ut ista novorum suffraganeorum consecratio proptor summam inopiam regni, qua ob ingentem tributi solutionem premimur, et gratis ob defectum suffraganeorum ab uno tanto suffraganeo Varadiensi, vel isto mortuo ab alio aliquo, qui reperiri poterit, absolvi possit. Cumque Sanctissimus Dominus Noster non solum religionis christiane summum Antistitem, verum etiam omnium, qui illius opem pio et christiano zelo efflagitant, parentem pientissimum esse videam, filiusque Serenissimi quondam principis dñi Iohannis regis, quem ego summa fide parique studio et diligentia, memor acceptorum beneficiorum, educandum suscepi, ope omnium principum christianorum ita sit destitutus, ut nemo sit, qui hunc respiciat, pioque erga eum amore moveatur: Dominationem V. Rñam rogo, velit causam huius infantis pueri apud Sanctissimum Dominum Nostrum ita tuendam suscipere, ut cura Sanctissimi Domini Nostri commendationeque Dominationis V. Rñe hic quoque Regius puer inter aliorum principum filios locum pro sua dignitate convenientem obtineat, qui quo ingenio quibusque moribus esse cepit, non dubito, si vitam huius Deus produxerit, hunc et patrie et toti Reipublice christiane utilem aliquando futurum. Confirmatio autem Episcopatuum huius regni cum a Sanctissimo Dño Nostro per Rev. D. Hieronymum Rorarium, illius S. Sedis Apostolice fidelem nuncium, consideruta tanta regni huius calamitate, nobis Episcopis, qui in hisce regionibus sumus, sine ulla solutione, paternum in nos animum eius Sanctitas in hoc ostensura, gratis semel oblata esset: causam, quominus littere ipse per nuncium nobis reddite sint, scire non potui. Ut igitur et pro confirmatione episcopatus mei Varadiensis litteras necessarias Dominatio V. Rña ab ipso Sanctissimo Domino Nostro impetrare velit, vehementer rogo. De quibus et aliis rebus frater ipse Augustinus plura Dominationi V. Rñe meo nomine dicturus est, cuius verbis, ut Dominatio V. Rña fidem adhibere velit, ipsam diligentissime rogo. Deus pater Dñi nostri Iesu Christi Dominationem V. Rñam sanam et incolumem conservet. Varadini VII. die mensis Februarii a. d. MDXLVII.

Eiusdem Dominationis Vestre Rñe

deditissimus servitor
Fr. Georgius E(lectus) Varadiensis.

DCCCCII.

Electi Varadienses, Tripolitanus et Ymerienscis in Hungaria confirmantur. Ex Reg. Autogr. An. XIII. Tom. 2. ep. 422.

Dilecto filio Georgio Waradiensis et Nicolao Tripolitane et Stephano Ymeriensis ecclesiarum Electis.

Paulus PP. III. Dilecti filii, salutem etc. Exigit vestre devotionis syncceritas, ut petitionibus vestris, quantum cum Deo possumus, favorabiliter annuamus. Cum itaque nos alias de tui, fili Georgi, Waradiensi et nuper de vestrum, filii Nicolae et Stephane, personis, nobis et fratribus nostris ob vestrorum exigentiam meritorum acceptis, de fratrum eorumdem consilio Tripolitane et Imeriensi ecclesiis respective, tunc corto modo pastorum solatio destitutis, apostolica auctoritate providerimus, preficiendo vos illis in Episcopos et pastores, ac vobis, ut a quocumque malueritis catholico Antistite gratiam et communionem Apostolice Sedis habeute, accitis et in hoc sibi assistentibus duobus vel tribus catholicis Antistitibus, similem gratiam et communionem habentibus, munus consecrationis suscipere, ac eidem Antistiti, ut illud vobis impendere posset, eadem auctoritate concesserimus, prout in diversis nostris litteris plenius continetur; et sicut nobis nuper exponero fecistis, presentia et interessentia ac numerus Episcoporum ad similia de iure requisitus de facili, et absque gravi incommodo in partibus illis haberi negneat: Nos volentes vestris commoditatibus peramplius consulere, vestris in hac parte supplicationibus inclinati, cuilibet vestrum, ut a quocumque maluerit catholico Antistite gratiam et communionem dicte Sedis habente, uno vel duobus Abbatibus, usum mitre et baculi ex privilegio apostolico habentibus, iam consecratis, seu si Abbates huiusmodi vel alii Antistites consecrati haberi non possint, vobis adhuc tunc non consecratis in illius, quem primo consecrari contigerit, et postmodum eo consecrato illo et altero vestrum nondum consecrato in alterius, et deinde duobus ex vobis consecratis, illis duobus sic consecratis in reliqui vestrum consecratione accitis, et in hoc ipsi Antistiti assistentibus munus consecrationis huiusmodi alias inxta tenorem litterarum super illo vobis impendendo confectarum suscipere, ac eidem Antistiti, ut illud vobis modo premisso impendere licite possit, premissis ac quibusvis

constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis nequaquam obstantibus, auctoritate predicta tenore presentium de speciali gratie indulgemus. Datum Romae etc. die x. Maii 1547. Pontificatus nostri Anno Decimotertio.

DCCCCIII.

Philippo episcopo Modrusiensi conceditur, ut omnia iura episcopalia exerceat, possessionemque redituumque eius ecclesiae apprehendere possit, quamvis litterae apostolicae de eius provisione nondum expeditae fuerint.
Ex Reg. Autograph. An. XIII. Tom. 2. ep. 549.

Venerabili fratri Philippo Episcopo Modrusiensi.

PAULUS PP. III. Venerabilis frater, salutem etc. Cum nos nuper ecclesie Modrusiensi, in partibus Yllirii constitute, tunc certo modo pastoris solatio destitute de persona tua, nobis et fratribus nostris ob tuorum exigentiam meritorum accepta, de fratrum eorumdem consilio apostolica auctoritate providerimus, teque illi in Episcopum prefecerimus et pastorem, curam et administrationem ipsius ecclesie tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo: Nos, ne dum littere apostolice super provisione et prefectione huiusmodi expediuntur, ecclesia ipsa in spiritualibus et temporalibus detrimenta sustineat, providere, ac tuis commoditatibus opportune consulere volentes, tibi, ut etiam litteris predictis non expeditis vigore presentium possessionem, seu quasi regiminis et administrationis ac bonorum dicte ecclesie apprehendere, et illius mense episcopalis fructus, redditus et proventus percipere, exigere et levare, nec non que iurisdictionis pontificalis existunt, exercere libere et licite valeas, in omnibus et per omnia exindo ac si super eisdem provisione et prefectione littere apostolice expedite fuissent, auctoritate predicta tenore presentium de speciali gratia indulgemus, mandantes dilectis filiis Capitulo, Clero, populo et Vassallis dicte ecclesie, ut tibi tamquam patri et pastori animarum suarum humiliter intendentes, tua salubria monita et mandata suscipiant humiliter et efficaciter adimpleant, ipsique Vassalli consueta servitia ac iura tibi ab eis debita integre exhibere procurent, alioquin sententiam sive penam, quam rite tuleris seu statueris in rebelles, retam habebimus et faciemus, auctore Dño, usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Non obstantibus fel. recordationis Bonifacii Pape VIII. etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum sub annulo piscatoris die XXVII. Iunii 1547. Pontificatus nostri Anno Decimotertio.

DCCCCIV.

Ferdinandus rex Romanorum pontifici supplicat, ut archiepiscopum Strigoniensem in sacrum cardinalium collegium cooptare velit. Ex original.—Instrum. Miscell.

Beatissimo in Christo Patri et Domino, Domino Paulo III. Divina providentia Sacrosanctae Romanae et Universalis Ecclesiae Sammo Pontifici, Domino nostro Reverendissimo.

Beatissime in Christo Pater et Dñe, Dñe Reverendissime. Post humilem commendationem filialis observantiae nostrae continuum incrementum. Quamvis non dubitemus Sanctitatem Vestram cum frequentia intercessionis nostrae, tum sui quoque promissi circa promotionem scilicet fidelis nostri Revdi in Christo patris Pauli Archiepiscopi Strigoniensis, eiusdemque summi Cancellarii et Locumtenentis nostri in Regno Hungariae, aliquoties facti adhuc bene memorem esse, tamen cum id negotii nobis tantopere cordi sit, ut magis esse non possit, plurimumque intersit non nostra solum, sed totius pene Regni nostri praedicti, stque etiam Sanctitatis Vestrae ad tuendem in ipso Regno religionem, Sanctaeque istius Apostolicae Sedis auctoritatem hunc praesulem summae dignitatis periter ac probitatis in numerum Cardinalium cooptari, facere non potuimus, quin eandem Sanctitatem Vestram denuo ea de re admonemus rogaremusque, ut id nos a se impetrare iam tandem sinat, quod tot antea litteris ab ea impetratum esnze cupivimus, ipsaque Sanctitas Vestra se facturam esse et antea saepe numero, et proxime per Reverendissimum Cardinalem Tridentinum sacrosancto pollicita est. Et propterea cum non necesse esse putemus ea repetere, quae toties de istius Archiepiscopi virtute, meritis et probitate ad Sanctitatem Vestram scripsimus, ne Sanctitatis Vestrae promissis diffidere videamur, haec panca compendio dicemus: Nos praemissis de causis summopere optare, ut Sanctitas Vestra non asperneter in promotione dicti Archiepiscopi intercessionem nostram, nec eam ullius hominis praecibus extorta esse suspicetur. Quod si hoc fecerit Sanctitas Vestra vel nostri intuitu, vel suae promissionis cause, vel ob dicti Antistitis plurima maximaque promerita, quae non nobis solum Inclytoque Regno nostro Hungariae, sed et Beatitudini

Vestrae, istiquo sanctae Sedi Apostolicae pro sua pietate observantiaque praestitit, et in dies magis magisque praestare solet, ingenuo profitemur nos non vulgare beneficium a Sanctitate Vestra accepisse, atque adeo ex animo laetabimur, post tot tantasque preces et instantias nostras in promotione eiusdem Archiepiscopi et Locumtenentis nostri in Regno Hungariae nostris votis summoque desyderio ab eadem Sanctitate Vestra satisfactum, et religioni pietatiquo in Deum sanctaequo istius Sedis Apostolicae authoritati in his Regnis nostris vel tuendae vel augendae non mediocriter consultum esse. Cui nos una cum saepedicto Archiepiscopo omni studio et observantia commendamus. Datum in Civitate nostra Vienna die quinta Mensis Augusti Anno Domini MDXLVIII. Regnorum nostrorum Romani XVIII. Aliorum vero Vigesimosecundo.

E(iusdem) Sanctitatis V(estrae)

Humilis et obsequens filius
FERDINANDUS.

DCCCCV.

Idem Ferdinandus pontifici, ut Zachariam electum Petinensem confirmet et annatam remittat. Ex originali — Instrum. Misc.

Beatissimo in Christo Patri et Domino, Domino Paulo Tertio Divina providentia Sacrosanctae Romanae ac Universalis Ecclesiae Summo Pontifici, Domino nostro Reverendissimo.

Beatissime Pater et Domine, Domine Revorendissime. Post humilem commendationem filialis observantiae nostrae continuum incrementum. Quam tenuis quamque oxiguus sit Episcopatus Potinensis in Illirico Ditionis nostrae, existimamus id publicae vocis et famae testimonio tam notorium esse et manifestum Sanctitati Vestrae, ut supervacaneum plane esset, si id pluribus verbis ostendere conaremur. Itaquo cum Zacharias per nos Electus et praesentatus Episcopatus eiusdem Ecclesiae Petinensis peturus sit a Sanctitate Vestra et Sancta Sede Apostolica, se illius decreto et voluntate quoquo accedente in administratione et gubernatione dictae Ecclesiae confirmari et approbari, Nos tum evidenti dicti Episcopatus paupertate, tum etiam Electi Episcopi servitiis, quae nobis elapsis temporibus praestitit, hodieque praestat, permoti eandem Sanctitatem Vestram perquam enixe hortamur et rogamus, ut pro sua pietate benignitatequo memoratum Electum non solum confirmare, verum etiam ab annatae solutione aliisque oneribus ita liberum et immunem facere dignetur, ut confirmatione gratis consequuta atque adeo Vestrae Sanctitatis liberalitate adiutus et se ipsum sustentare, et Episcopalem Ecclesiam admodum ruinosam repararo instaurarequo eo melius possit. Id quod nos erga Sanctitatem Vestram filiali studio et observantia promereri conabimur: Cui nos reverenter et obsequiose commendamus. Datum in Arce nostra regia Pragae die XXV. mensis Februarii Anno Dñi MDXLIX. Regnorum nostrorum Romani XVIIII. Aliorum vero XXIII.

E(iusdem) Sanctitatis V(estrae)

Humilis et obsequens filius
FERDINANDUS.

DCCCCVI.

Wolfgangus de Gywla electus Zagrabiensis pontificem supplex adit, ut sibi remissa annata confirmationem etc. concedat. Ex originali — Instrum. Misc.

Sanctissimo in Christo Patri et Domino, Dño Paulo Tertio Sacrosanctae Romanae et Catholicae Ecclesiae Pontifici Optimo Maximo.

Beatissimo Pater, Pedum oscula beatorum et humillimam orationum mearum in domino commendacionem. Posteaquam Clementissimo principi et domino meo Romanorum, Hungariae, Bohomiae etc. Regi ita visum est, ut me in Episcopum huius Ecclesiae Zagrabiensis elegerit atquo nominaverit, Ego tanquam obedientissimus atquo deditissimus filius transmiseram mox hominem meum ad Vestram Sanctitatem pro impetranda mihi benedictionis atquo consecrationis gratia, utrumquo tamen homo ipse meus non ea, qua debuerat, usus diligentia re infecta rediit. En iterum mitto huno discretum Mattheum presbiterum, presencium exhibitorem, in conspectum Vestrae Sanctitatis cum humillima in domino Ihesu supplicacione, dignetur Vestra Sanctitas ex sua speciali in gregem Christianum gratia atque commiseracione providere his partibus, huicque provinciae Sclavoniae, in ipsis iam Thurcorum faucibus sitae, no diucius careat Episcopo seu administratione officii Episcopalis: por diutinam enim carenciam Episcopi

eo iam deventum est, ut timeatur, ne tota haec provincia eciam presbiteris brevi tempore sit caritura, dum non est, qui illos ordinet, aut alia munia Episcopalia exercest, cum ingenti animarum Christianarum iactura atque detrimento. Placeat igitur Vestrae Sanctitati pro Christo, cuius in terris vices gerit, tantis malis obviare, et annuere atque gratiose concedere, ut aliquis isterum parcium Catholicus Epus, nempe Labacensis vel Strigoniensis aut Viennensis, adhibitis sibi duobus dignitariis, munus benedictionis seu consecracionis in Episcopum nomine Vestrae Sanctitatis michi impondat atque largiatur. Ubi autem Vestra Sanctitas de proventu Annalo cogitaret, hoc eidem in bona mea fide constanter affirmo, adeo paucos et fere nullos esse huius Episcopatus proventus, de quibus Annata persolvi posset, ut longe plus in conservandis fortaliciis et Arcibus Ecclesiae iam semideselatis et Thurceo proximis per annum impendam, quam habeam in redditibus, usque adeo ut iam magnam partem rerum mearum hereditariarum, per maiores olim et progenitores meos multo sudore partarum, in Ecclesiae huius et Episcopatus necessitatibus insumpserim. Quod si unquam divinae clemenciae visum fuerit, ut Episcopatus iste ex Thurcica hac Tyrannide erui, et redditus aliquos habere poterit, de quibus Annata persolvatur, promitto Vestrae Sanctitati in eadem mea bona fide, me semper futurum memorem ei effecturum, ut Sedes ista Sacrosancta Apostolica sua Annata non defraudetur. Nunc interim sumopere desidero, ut provinciae huic semilacerae et in continuis Thurcarum certaminibus positae, tali presertim boc periculoso tempore possim in Episcopalibus deservire et quamplures Christo lucrifacere. Super quo gratiosam Vestrae Sanctitatis expecto provisionem. Quam deus optimus conservet ad profectum Ecclesiae suae Sanctae per multa tempera. Datum Zagrabiae decima quarta Augusti Anno domini 1549.

Eiusdem Vestrae Sanctitatis

Devotus Orator
Walffgangus de Gywla Electus Ecclesiae Zagrabiensis.

DCCCCVII.

Praelati ac Barones regni Hungariae ex comitiis Posoniensibus pontifici supplicant, ut episcopos electos confirmare, eisque annatas condonare, et in primis Isuriensem commendatum habere velit. Ex originali — Instrum. Miscell.

Beatissimo in Christo Patri et Domino, Domino Paulo Tertio divina providentia Sacrosanctae Romanae ac Universalis Ecclesiae Pontifici Maximo etc.
Domino Clementissimo.

Beatissime in Christo Pater et Domine, Domine Clementissime. Post oscula pedum beatorum bumillimam servitiorum nostrorum in gratiam Sanctitatis Vestrae commendationem. Cum pro comperto habeamus Sanctitati Vestrae notiora esse ea omnia, quae complures iam annos adversa nobis et buic Reipublicae nostrae subinde acciderunt, quam ut ad ea commemoranda pluribus verbis opus sit, paucis nobis inpresentia cum Vestra Sanctitate agendum esse arbitrati sumus, quippe quam gravissimis orbis terrae negotiis assidue praepeditam esse facile intelligimus. Neque vero boc tempore ulla nos alia ad scribendum Vestrae Sanctitati ratio compulisset, quam ea, quae praecipuo eius instituto maxime nobis videretur convenire. Nam cum non solum nobis, sed plane omnibus bominibus perspecta iamdudum sit singularis et prope paterna Vestrae Sanctitatis diligentia, et eximium illud studium Christianae religionis incommodis medendi et vulnera sanandi, idque per bos annos pulcherrime sit a Vestra Sanctitate multis clarisque argumentis universo orbi Christiano palam ostensum, si quid, quod ad eam rem pro nostra Republica pertineret, a nobis Vestrae Sanctitati suppliciter proponeretur, a nostris institutis nostraque in Sanctitatem Vestram et Sanctam istam Apostolicam Sedem veteri fide et observantia alienum fore non potavimus. Intelligit autem Sanctitas Vestra illud inprimis, cum omnibus passim omnium ordinum buius Regni hominibus irreparabiles per bos annos acceptae sint clades, tum praecipue Ecclesiasticum ordinem usque adeo ad paucos esse redactum, ut longo tempore vix unus aut alter in toto Regno Episcopus fuerit consecratus, atque hinc mira ubique sacerdotum paucitas sit consecuta. Quo factum est, ut cultus divini et Ecclesiae Catholicae veterum instituturum non mediocris sensim obreperit contemptus, invectaeque tandem et in animis multorum insitae haereses divorsae, quae ultioribus defixae radicibus haud facile multis in locis evelli queant. Huic igitur malorum seminario praesentaneum adhiberi remedium oportere enm omnes proximis Comitiis existimarent, idque peterent ab Serenissimo Rege et domino nostro, qui ipsis coram Comitiis praefuit, effectum est communibus omnium suffragiis, ipsoque Serenissimo Rege consentiente, ut qui ad Episcopatus delecti essent, iidemque quacumque hactenus ratione neglexissent consecrari, sese illico confirmandos a Vestra Sanctitate curarent,

darentque operam inposterum, ne quid detrimenti ea caperent, quae ad ipsorum munus pertinere viderentur. Cum autem palam constet electorum Episcoporum fortunas eo loci redactas esse, Episcopatuumque redditus ita distractos, ut vix bene habeant, unde sese et familiam alant quamvis exiguam, oporteatque Serenissimum Regem arces eorum finitimas sumptibus suis tenere communitas, tantum abest, ut conficiendae pecuniae, quam Annatae nomine pendere oportet, pares sint.

Caeteros quidem omnes Sanctitatis Vestrae in hoc genere causae benignitatem implorantes, sed Reverendum dominum Episcopum Iauriensem, virum pietate et religione praestantem, ac de Sancta Sede Apostolica deque Republica nostra multis nominibus optime meritum, et Sanctitati Vestrae cumprimis addictum, his literis nostris Sanctitati Vestrae etiam atque etiam volumus commendare, et ab eadem petere vehementer, ut rationibus praedictis secum benigne perpensis, praesertim vero quod Ecclesia Iauriensis omnibus fere bonis et proventibus caret longo iam tempore, quodque Arx et Ecclesia ipsa Thurcis finitima aliunde necessaria custoditur, domino Iauriensi gratuitam bullarum suarum expeditionem dignetur clementer elargiri, ut quod iampridem cupit, gregem suum lustrare, et pro sui ratione muneris regere possit inposterum. Faciet Sanctitas Vestra rem cumprimis Deo Opt. Maximo acceptam et gratam, deinde vero se et Clarissima familia, suaque amplitudine dignissima, nosque omnes tali beneficio sibi, ac suis posteris in omne tempus obligabit. Deum summum pro felicitate incolumitateque Vestrae Sanctitatis votis omnibus praecamur. Datum Posonii die VII. mensis Septembris Anno domini M.D.XLVIIII. *)

Sanctitatis Vestrae

humillimi et fideles servitores

Praelati, Barones et Nobiles Regni Hungariae Posonii existentes fideles Sacrae Romanae etc. Regiae Maiestatis.

*) Haec litterae viginti quatuor sigillis munitae sunt.

INDEX VIRORUM ET LOCORUM PRAECIPUORUM.

A.

Abbatia S. Alexandri dioec. Albanensis 196. S. Damiani Iadertinae dioec. 46. S. Chrisogoni M. 12. 74, 75, 333. S. Demetrii Graecorum de Ungaria 90. S. Iacobi de Viennina 426. S. Felicis 42. S. Mariae de Trefundena Arban. dioec. 426. S. Martini de Sancto Mucio Paxanensi 246. S. Martini de Calle in Constt. dioec. 43; de Melita 46. S. Michaelis Iadrensis dioec. 74, 152. S. Michaelis de Pekina Ragus. dioec. 105, 251, 275, 319, 349, 386, 549. S. Nicolai extra muros Sibenicenses 413. S. Nicolai de Castro Moscla dioecesis Veglensis 79; de Petra dioec. Vesprimiensis 93. S. Petri de Lingravica 45; de Sumago 69; Tragurinensis 8. S. Venerae de Carbino Crisiensis dioec. 425. Vide Monasterium.

Abbatissa B. Mariae de Ivanich 324; S. Nicolai Iadrensis 87, 195.

Abbalensis, Albarensis episcopus 9, 74.

Albensis al. Albaregalensis episcopus 28, 297.

Albanise al. Arbanensis epus 78, 130, 136, 155, 377, 426, 594, 606.

Agriensis episcopus 56, 84, 137, 141, 946, 985, 999, 393, 326, 570, 599, 945.

Alexander PP. 111. 1.

Alexander PP. IV. 82—83.

Alexander PP. VI. 823—548.

Alexiensis episcopus, al. Lexiensis, Lissiensis, 413, 425, 535.

Antibarensis et Dioclensis archiepus 7, 8, 9, 12, 33, 76, 80, 98, 101, 108, 109, 111, 117, 130, 133, 135, 154, 155, 158, 179, 190, 201, 224, 247, 257, 263, 267, 272, 276, 317, 340, 352, 353, 428, 462, 473, 497, 499, 537, 542, 555, 567, 576, 578.

Aquileia vid. Patriarchatus.

Arbanensis archipresbyter 8, 327, 518.

Arbensis episcopus 9, 195, 247, 261.

Arvatiensis episcopus 8.

Asserensis, Absarensis episcopus 110, 119, 156, 220, 223, 239, 573.

B.

Baciensia praepositura et capitulum 27, 142, 213, 313, 324, 508.

Bacilicus consanguineus Miroslavi 6.

Belanensis episcopus 295, 295.

Baldinus imperator Constantinopolitanus 40.

Banus Croatiae 130, 254, 560.

Basilius archiepiscopus de Zagora 21.

Bela rex Hungariae 3, 286.

Belesbudensis archiepiscopus 29, 30.

Belitae principis litterae 18.

Beloknez dynastia 40.

Benedictus PP. XI. 120—123.

Benedictus PP. XII. 191—202.

Benzurius cardinalis legatus 462—473, 481.

Betiacus Iupanus 12.

Berin archidiaconatus 260.

Bladonius monachus patarenus 20.

Bobemius regnum 56, 293, 526.

Bonifacius PP. VIII. 112—119.

Bonifacius PP. IX. 343.

Bosnensis episcopus 127, 146, 211, 223, 225, 240, 270, 272, 296, 304, 327, 526, 695.

Bosnica, Bosnia, 6, 15, 32, 125, 211, 223, 265, 275, 288, 289, 292, 294, 430, 498, 500, 530, 599.

Bragata monachus patarenus 20.

Bradchoranamis, Blandimberensis epus in Bulgaria 16, 25, 30, 33.

Brundusinus archipresbyter 15, 21.

Bulgarus rex Petrus, Samuel, Michael, Calojoannes 16, 27, 32, 43, 44, 247.

Bydmensis episcopus in Bulgaria, Clemens, 29.

C.

Caceli (Cacic) Almissanus pirata 72.

Calixtus PP. III. 414—440.

Calojoannes [Iassuitius] imperator Bulgarorum et Blachorum 15, 20, 22, 29, 33, 39.

Castellanensis episcopus 65, 68, 93, 95, 125, 157, 239, 253.

Castrum Almissanum 305.

Castrum Clissiae 619.

Castroforten. praepositura de, dioec. Iaurinensis 140.

Catharensis episcopus 98, 105, 155, 162, 165, 171, 178, 183, 185, 189, 208, 213, 222, 227, 233, 245, 259, 276, 286, 403, 534, 557, 568, 624.

Catharinae reginae Bosniae testamentum 509.

Cenadiensis, Canadiensis (Csanadiensis) episcopus 59, 137, 154, 218, 222, 230, 604.

Cenetensis episcopus 45, 53, 83.

Chama 295, 319, 330, 344, 587, 650.

Chrisplina Scrvia in Dalmatia 11.

Chiliensis praepositura [Sibiniensis] 3, 46, 136, 226.

Clemens PP. IV. 90—95.

Clemens PP. V. 122—139.

Clemens PP. VI. 202—238.

Clemens PP. VII. 278—626.

Colocensis archiepiscopus 4, 19, 20, 29, 34, 35, 40, 57, 58, 59, 136, 142, 219, 224, 250, 270, 275, 294, 303, 306, 310, 313, 326, 334, 541, 580, 626, 642.

Comes de Berbirio 163, 194.

Constantinopolitanus imperator 54, 56, 64, 66.

Constantinopolitanus patriarcha 19, 64, 65, 66, 515, 611.

Corbaviensis episcopus 127, 226, 260, 426, 446, 448.

Corcorensis, Curaiensis episcopus 161, 425, 552.

Coronae marchio Antonius 548, 551, 559.

Cozemcharius dominus Sabatensis et Dagnosiis 389.

Cracoviensis episcopus 69, 65.

Croatia 44, 134, 226, 247, 534, 554.

Croiensis archiepiscopus 424.
Culinus Banus Bossinae (Bosniae) 12, 15, 19, 20, 22, 34, 52.

D.

Dagite monachus patarenus 20.
Dainensis dioecesis 493.
Dalmatiae regnum 1, 5, 77, 105, 280, 326, 337, 339, 347, 426, 522, 524, 530, 591.
Damianus Isdertinus comes 11.
Dandulus Venetiarum, Dalmatiae atque Croaciae dux 38.
De Dominis Inpanus 12.
De Keu monasterium s. Stephani Protomartyris 4.
De Ku episcopus 137, 147.
Dimisiensis praepositura (Temesiensis) 58.
Dioclea 5.
Dioclensis archiepiscopus, vid. Antibarensis, 5, 7, 8.
Drivastensis episcopus 154, 236, 262, 273, 277, 288, 291, 318, 499.
Dulcinensis episcopus 8, 185, 189, 190, 219, 263, 318, 380, 387, 525. 578, 629.
Dumnensis episcopus 648.
Duracciensis archiepiscopus 45, 340, 353, 590.
Duracciensis archidiaconus 45.
Durnelo, Carolus dux de, 286.
Dyacon, possessio in Slavonia, 297.

E.

Egitaniensis episcopus 92.
Elena regina Servine III, 118; Rassiae 124,
Elisabetha regina Hungariae 239.
Emonensis episcopatus unitur cum Instinopolitano 43, 44, 75.
Eperies civitas in Hungaria 142.
Eugenius PP. IV. 363—398.

F.

Famagustanus episcopus 72, 77, 92.
Farensis, Pharensis episcopus 3, 9, 13, 52, 116, 135, 161, 172, 221, 292, 396, 397, 402, 419, 437, 461, 549, 567.
Ferdinandus rex Hungariae 630—649, 653, 657, 662.
Flandrenses in Transylvania 3, 10.
Fratres s. Abrahae de Valle Ebron 4.
Fratres s. Pauli primi heremitae in Hungaria 330, 331.
Fridericus comes Cilicae 400, 401.

G.

Gara Nicolaus 278.
Gentilis cardinalis s. Martini in Montibus 147, 149.
Geurinensis vid. Isarinensis episcopus 4, 59.
Gradanais vid. Patriarchatus Gradensis 76.
Gohellinus episcopus Transylvaniae 310.
Gondola Nicolaus Ragusinus 456, 516, 517.
Gote (Gozze) Marinus civis Ragusinus 121.
Gregorius PP. IX. 73—76.
Gregorius PP. XI. 308—327.
Gregorius PP. XII. 346—349.
Gregorissa (Glogovnica) praepositura in dioec. Zagrab. 94, 283.
Grubesia comes Spalatinus 11.

H.

Hadrianus PP. VI. 577—578.
Helena vid. Elena.
Hambocto de Posenio procurator card. Gentilis 147, 149.
Henricus moderator imperii Constantinopolitani 40, 42, 44.
Henricus (Emericus) rex Hungariae 12, 15, 22, 34.
Heremitae s. Pauli in Monte Coelio de Urbe 305.
Hieronymi s. litterae 78.
Honorius PP. III. 70—73.
Honorius PP. IV. 101—103.
Hospitale s. Hieronymi nationis Slavonum in Urbe 458, 522, 523.
Hungaria 542. vid. Ungaria.

I.

Iadrensis civitas 9, 37, 69, 114, 259, 289, 311, 410, 414.
Iadrensis archiepiscopus 3, 4, 9, 42, 52, 74, 76, 80, 88, 89, 99, 109, 112, 113, 115, 117, 130, 131, 152, 174, 188, 231, 238, 241, 246, 282, 284, 304, 311, 317, 329, 335, 343, 349, 350, 404—416, 492, 502, 530, 552, 563, 597, 611.
Iadrensis capitulum 3, 71, 76, 114, 192, 311.
Iaica Bosnensis dioec. ecclesia 460.
Iaurinensis, Iauriensis episcopus 137, 141, 304, 332, 390.
Innocentius PP. III. 2.—70.
Innocentius PP. IV. 77—82.
Innocentius PP. VI. 228—246.
Innocentius PP. VII. 344—346.
Innocentius PP. VIII. 519—533.
Ioannes PP. XXI. 93—95.
Ioannes PP. XXII. 133—191.
Ioannes PP. XXIII. 350—355.
Ioannes capellanus et Simon subdiscous Apost. Sedis legati 5.
Ioannes de Casamaris legatus in Bosnia 19.
Ioannes de Tarloez (Talovec) Ragusinus miles hospitalis s. Ioannis Hierosolymitani 383.
Ioannes de Zapolaya rex Hungariae 505, 599. et seq.
Ioannitius (Calojoannes) rex Bulgariae 11, 25, 37.
Isaac, Yaachius imperator Constantinopolitanus 38.
Istiae praelati 77, 103.
Iulius PP. II. 548—557.
Iusius Marini de Gradie 410.
Instinopolitanus episcopus 43, 60, 72, 82, 103, 193, 223, 249, 436, 630.

K.

Kaceeli Almesianus pirata (Kacic) 73.
Keu monasterium s. Stephani Martyris 4.
Kevo castrum ad Dannbium 34.
Kioma aqua in Dalmatia 11.
Kont Nicolaus palatinus 239.

L.

Laurentius episcopus Bosnensis 211.
Laurentius de Hedervara palatinus 390.
Leo PP. X. 557—571.
Leo tituli s. Crucis card. legatus 24, 31, 32, 35, 38, 39.
Lesseinsis episcopus in Albania (Alessiensis) 273, 276, 277, 413.
Locrumna, abbatia s. Mariae ord. s. Bened. 256, 499, 516.
Lubin, Luben, monachus patarenus 20.
Lucari Marina civis Ragusinus 151.
Ludovicus rex Hungariae 216, 233, 239, 245, 270, 282, 287, 303, 315, 330.

M.

Madropea, Modrusa Corbaviensis dioec. oppidum 336, 503.
Magnus Iupanus Dalmatiae et Dioclese 5.
Magnus Iupanus (Megaiupanus) totius Servine 6, 14, 34.
Mariana da Gote civis Ragusinus 131.
Marinus de Ragnina canonicus Ragus. 447.
Martinus PP. IV. 97—100.
Martinus PP. V. 355—393.
Maximilianus Imperator 536, 537.
Michalicius Cuminianus Romanice 45.
Mike Banus totius Slavoniae 181.
Milcoviensis episcopus 370.
Miroslavus comes Tachelmistanus (Zachalmitanus) 1.
Modruriensis episcopus 503, 629, 630, 661.
Miadinus Banus 135, 194.
Moldovlachiae archiepiscopus 574.
Monasterium 88. Cosmae et Damiani 11, 174, 214, 244, 459, 481. S. Ioannis Bapt. Traguriensis dioec. 183, 256, 258. S. Georgii Benedictinorum in dioec. Segniensi 198. S. Georgii de Calfo Cathar. dioec. 232, 245, 276, 296. S. Georgii de Seopulo 568. Monast. Bellifoniis de Varadinopetri 530, 534. S. Crucis de Caneto Polensis dioec. 499. S. Clarae in dioec. Spalat. 386. S. Luciae de Beecha dioec. Veglensis 430. S. Mariae de Castellione dioec. Vegl. 241. S. Mariae de Caneto dioec. Polensis 278, 340. B. Mariae de Insula Melidae 382. S. Nicolai de la Bayana Dulcinensis dioec. 556; Peesvardiense dioec. Quinquesecel. 258. S. Sergii Scutar. dioec. 266. S. Stephani do Barbaco Arbensis dioec. 243. S. Stephani de Keu. 4. S. Stephani dioec. Spalat. 227, 265. S. Ioannis de Seivalis Drivastensis dioec. 452. S. Nicolai de Ottozac 418. S. Georgii de Coprina Nonen. dioec. 241. S. Nicolai de Castro Muscla Vogl. dioec. 79. S. Petri extra muros Arbenses 172, 195, 238. S. Mariae de Rotero Antibarensis dioec. 250, 253, 358, 497. S. Michaelis de Monte Polensis dioec. 267. S. Nicolai de Drino Dulcinensis dioec. 237.
Morinensis dioec. in Dalmatia pone castrum Sibenici 105.
Muecarensis episcopus 206, 217, 227, 287.

N.

Nicolaus PP. I. 36.
Nicolaus PP. III. 86—97.
Nicolaus PP. IV. 103—112.
Nicolaus PP. V. 398—413.
Nicolaus de Canocto primicerius Traguriensis 160.
Nicopolis episcopus in Bulgaria 29.

Nitriensis episcopus 137, 250, 262, 280.
Nonnosus episcopus 11, 44, 46, 70, 105, 153, 230, 269, 385, 449, 599, 633, 506, 613.

O.

Oberemburch monasterium 75.
Olomucensis episcopus 56.
Orateres regni Hungariae in Urbe 339.
Ordinatio praepositura 58.
Ortenburg, comes de, Menhardus 135, Fridericus et Ulricus 401.
Ottocensis episcopus 564, 595.

P.

Pallasnus episcopus 45, 49.
Pagensis archipresbyter 563.
Parentinus episcopus 121, 277, 427, 505, 521, 532, 535, 541, 609.
Paterrel 12, 19.
Patriarcha Aquileiensis 43, 60, 73, 90, 91, 105, 108, 164, 209, 217, 230, 256, 324, 440.
Patriarcha Gradensis 3, 37, 46, 49, 63, 71, 91, 114, 125, 130, 152, 178, 250, (Venetiarum) 416.
Paulus PP. II. 689—695.
Paulus PP. III. 627—654.
Paulus Banus Croatiae Bosnaeque dominus 130.
Petrensis episcopus 75, 82, 230, 274, 662.
Pius PP. II. 440—468.
Polatensis episcopus 9, 295, 377, 317, 413, 493, 555, 574.
Polensis episcopus 9, 76, 79, 83, 118, 123, 126, 149, 182, 209, 346, 406, 489, 549, 553, 595, 623.
Polonia 297, 339, 340, 542, 642.
Ponegn, praepositura de, 272, 290, 324.
Ponentensis praepositura 130.
Praepositus Ciblicensis 2, 46, 198.
Praepositus Chamensis 51, 262.
Pregranis episcopus 56.
Prelia monachus patarenus 20.
Primicerius s. Marci de Venetiis 90.
Pristinus (Pristinensis) episcopus 29.
Prodana mulier laefensis 81.
Prostiaviensis archiepiscopus in Bulgaria 29, 30.

Q.

Quinquecclesiensis episcopus 20, 127, 139, 150, 212, 243, 258, 270, 284, 293, 294, 301, 332, 584, 604.

R.

Radmoy germanus regis Bosniae 628.
Radoslal Ioannes con. Zagrab. publicus notarius 228.
Radus monachus patarenus 20.
Ragusa civitas 384, 385, 503, 507, 515, 548, 833, 586, 590, 606, 646, 646.
Ragusinus archiepiscopus 14, 44, 85-91, 94, 97, 99, 103, 105, 131, 135, 151, 154, 155, 158, 162, 172, 208, 224, 261, 265, 288, 289, 299, 305, 306, 308, 342, 346, 353, 373, 380, 398, 401, 409, 420, 434, 469, 501, 546, 555.
Ragusinum capitulum 14, 20, 24, 94, 98, 131, 133, 157, 259, 405, 523, 524.
Ramae, Rasciae regnum 176, 190, 202, 209, 215, 250, 347, 507.
Rasianus episcopus 597.
Rillius Iupanus 12.
Rodentes civitas imperii Constantinopolitani 41.
Rogerius canonicus Zagrabiensis 78.
Rohaus de Cibinio archidiaconus Varadiensis collector 136, 147.
Rossius regnum 347.

S.

Saxanensis episcopus Theodorus 9.
Sardanensis, Sardensis episcopus 102, 111.
Sava civitas Servine 111.
Scandeberg 427.
Scardonensis episcopus 8, 78, 99, 161, 162, 194, 199, 223, 236, 285, 294, 296, 423, 429, 545, 554, 561, 565, 576, 603, 613.
Scupinsis episcopus 39, 347.
Scuarinensis episcopus Petrus 8.
Scutarensis episcopus 130, 192, 218, 257, 267, 450.
Segnine, Signiae comes Stephanus 326, 365.
Segniensis, Signiensis (Senniensis) episcopus 78, 153, 195, 198, 345, 361, 371, 376, 418, 473, 574.
Servius regnum 6, 33, 99, 111, 124, 347.
Sibenicensis, Sibinicensis episcopus 91, 92, 182, 210, 212, 226, 358, 360, 407, 412, 492, 498, 505, 521, 563, 570.
Sigismundus rex Germaniae et Hungariae 349.
Sirmus PP. IV. 466—519.
Slavonius praelati 77, 78, 82, 101, 174; Basi 181, 226, 239, 345, 347.
Socetinensis, Succitanensis episcopus 9, 9, 13, 53, 122, 125, 132, 169, 277, 626.
Spalatinus archiepiscopus 1, 4, 11, 13, 15, 49, 52, 70, 72, 73, 80, 82, 95, 113, 115, 161, 169, 185, 191, 196, 199, 200, 207, 224, 225, 241, 262, 273, 286, 287, 301, 328, 330, 353, 354, 356, 377, 419, 421, 442, 448, 450, 493, 526, 532, 546, 572, 610, 638, 651.
Spalatense capitulum 9, 61, 70, 76, 105, 113.
Stagnensis episcopus 100, 178.
Statuta nuntiorum apostol. facta in Dalmatia et Diocles. 7.
Stephanus Banus Bosnensis 135, 316.
Stephanus magnus Iupanus Dalmatiae et Diocleae 5.
Strigoniensis archiepiscopus 25, 59, 61, 95, 126, 130, 182, 241, 251, 262, 269, 294, 304, 306, 312, 314, 322, 332, 334, 389, 598, 601, 604, 614, 617, 626, 646, 649, 652, 657.
Syrmiensis episcopus 83, 295, 696, 602, 624, 626.
Syrmiensis praepositura s. Irenaei 83.

T.

Tachalmitanus comes (Zächulmitae) 1.
Templarii 11, 41, 44, 54, 55, 64, 65.
Tergestinus episcopus 69, 71, 72, 73, 82, 89, 99, 102, 118, 137, 164, 177, 194, 200, 212, 230, 233, 252, 260, 350, 361, 391, 402, 406, 427, 443, 445, 450, 454, 458, 482, 597, 698.
Tersatis capitulum 436.
Tiniensis episcopus 8, 44, 161, 226, 273, 285, 286, 288, 587.
Tirnau, Tirnaviensis, urbs Cronicae 11.
Tobias Carolus magnus comes Albaniae 392.
Tragurriensis abbatia 8, 324, 363.
Tragurriensis episcopus 2, 45, 70, 74, 85, 89, 94, 105, 116, 122, 182, 191, 199, 205, 220, 224, 243, 276, 280, 284, 307, 370, 373, 379, 384, 439, 440, 461, 564, 609, 621.
Tragurinense capitulum 2, 44, 94, 95, 160, 168, 219.
Transalvanensis ejus 95, 127, 144, 148, 303, 310, 367, 390, 640, 644.
Trapezuntinum imperator 125.
Tribuniensis episcopus 100, 162, 210.
Trinovitanus archiepiscopus in Bulgaria 94. Idem constituitur Primas totius Bulgariae et Blachiae 95, 98, 99, 30, 39, 42.

U.

Ultrasilvanus episcopus 2, 10, 46, 127.
Ungariae praelati et clerici 32, 47, 120, 295, 339, 347, 590, 616.
Ungariae rex 30, 33, 34, 38, 51, 52, 58, 59, 71, 95, 127, 163, 289, 386, 426, 516, 518, 520, 534, 548, 554, 558, 564, 584, 587, 594, 597, 599, 601, 604, 607, 638, 651, 652, 625, 631, 640, 644.
Urbanus PP. IV. 82—90.
Urbanus PP. V. 246—269.
Urcuius rex Serviae 124; rex Rasciae 197, 130, 179, 181.
Urbanus V. PP. 327—343.
Ursacius castrum dioec. Parentinae 541.

V. W.

Variensis episcopus 137, 141, 246, 312, 635.
Valachia 543, 544, 571.
Varadinensis episcopus 34, 137, 149, 327, 629.
Varasa, Laverasa (Vrasa) praesulis in Dalmatia 344.
Veglae comites 195.
Veglensis episcopus 46, 70, 79, 107, 108, 113, 122, 163, 323, 422, 432, 515, 525, 581, 613
Venetorum duc 22, 27, 43, 45, 48, 60, 103, 114, 163, 220, 229, 260, 340, 521, 566, 631.
Verapelinensis episcopus 23, 68, 69, 72, 95, 127, 140, 150, 182, 240, 280, 321, 332, 343, 539, 563, 597, 654.
Vulcanus rex Dalmatiae et Diocleae 5, 6, 13.
Vulco (Vulco) comitatus in Slavonia 206.
Vulcus Magnigranus Servine 26.
Wicomiae Iupanus 12.
Wonth oppidum dioec. Zagrabiensis 371.

Z.

Zagrocusis archiepiscopus in Bulgaria 17, (Basilius) 21.
Zagrabiensis episcopus 4, 20, 136, 146, 270, 295, 303, 313, 319, 321, 417, 571, 575, 587, 621, 650, 662.
Zagrab. dioec. ecclesia s. Hieronymi de Scigene in Medjumrje 400.
Zagrabiense capitulum 285, 288, 290, 303.
Zambor, Stanibor, oppidum 126, 148.
Zöntan, Silesiae dux 49.
Zondinus Paulus praepositus Zagrabiensis 650.
Zudrachius episcopus Arbanite 261.
Zudar Petrus banus Slavoniae 253.
Zupani Zetae, Stramimiro, Georgius et Balsa 261, 277, 288, 292.
Zupa Urbensis in Slavonia 206.

NIHIL OBSTAT

D. Bernardus Smith Ord. S. Benedicti Censor Deputatus.

IMPRIMATUR

Fr. Hieronymus Gigli Ord. Praed. Sac. Palatii Apostolici Magister.

IMPRIMATUR

Petrus Villanova Castellacci Archiepus Petrae Vicesgerens.

---

15. VI. 1929

S. STROJACH I MIVAT
Knjigovezka
ZAGREB